
BIBLIOTHECAE
PATRVM, ET VETERVM
AVCTORVM ECCLESIASTICORVM,

TOMVS SEPTIMVS.

Qui conscriptas ab illis Chronologias, & varias de rebus Ecclesiasticis & profanis, tam vniuersales quàm particulares Historias complectitur.

Per MARGARINVM DE LA BIGNE, *ex alma Sorbonæ Schola, Theologum Doctorem Parisiensem.*

EDITIONE TERTIA.



PARISIIS,

M. D. CX.

CVM PRIVILEGIO.



HISTORIARVM TAM VNIVERSALIVM QVAM PARTICVLARIVM, QVAS SANCTI PATRES, VEL ALII SCRIPTORES

Ecclesiastici, de prophanis quidem & Ecclesiasticis temporibus & rebus; sed de his maxime conscripserunt, huius autem Bibliothecæ Tomus septimus complectitur: Index.

Index.



RERVM DIVINARVM, VARIAE A VETERIBVS PATRIBVS DESCRIPTÆ HISTORIÆ; SACRÆ BIBLIOTHECÆ

TOMVS SEPTIMVS.

ARISTEÆ, DE SEPTVAGINTA DVOBVS SCRIPTVRÆ SACRÆ INTERPRETIBVS, AD PHILOCRATEM FRATREM, HISTORIA.

DE ARISTEA; ET AB EO DESCRIPTA, 70. SCRIPTVRÆ Interpretum Historia;

Ex Iosephi Antiquit. Iudaïcarum, lib. 12. Cap. 2.

Qvi vult singula cognoscere quæ in conuiuio illo [Ptolomæi Regis & 70. Interpretum] *præparata fuerunt; legat volumina Aristeæ, quæ propter hoc conscripserat; & intelliget.*

Ex Tertulliani Apologet. Cap. 18.

Vide Pamelij Annot. 164. & 168 ad locum illum Tertullia. *Affirmauit hæc* [70. videlicet Interpretum sententiæ communionem] *vobis etiam Aristæas; ita in Græcum stylum ex aperto monumenta reliquit.*

Ex Eusebio, Præparatioonis Euangelicæ, lib. 8. Cap. 1.

Fvit quidem Traductio facta temporibus secundi Ptolemæi qui Philadelphus vocatus est; quam rem Aristæas, vir doctus, vtpote qui rebus aderat, diligenter conscripsit.

Ex eodem; Euangelicæ Præparationis, lib. 8. Cap. 3.

Lib. 9. cap. 2. & 7. *Hæc, Aristæas, alter ex Legatis, conscripsit.*

Ex Epiphanij libro de ponderibus & mensuris.

PRimi Interpretes diuinæ Scripturæ fuerunt, ex Hebraica lingua in Græcam, 72. viri qui eandem primam interpretationem tempore Ptolomæi Philadelphi interpretati sunt, & electi fuerunt ex 12. Tribubus Israel, ex singulis Tribubus 6. viri, velut tradit Aristæas in libro suo.

Proinde non iniuria miratur D. Perionius, in Obseruationibus in S. Iustini Parænesim ad Gentes, quinam venerit in mentem Lodouco Viui ad Cap. 42. libri 18. de Ciuitate Dei, S. Augustini; suspicari librum hunc non ab Aristæa, sed ab aliquo recentiore Scriptore compositum: Nam præter superiores Patres, ipse etiam D. Hieronymus in Præf. in Pentateuchum, & Apol. 1. contra Ruffinum, Philo Iudæus, & Zonaras Annalium tom. 1. partim tacito, partim expresso Authoris nomine, multa ex hoc libro citant: hanc vero historiam Aristeæ non esse, vel reperta & edita alia Aristeæ Historia, vel certo aliquo argumento nemo adhuc demonstrauit.

Existimauit quoque hoc opus non esse Aristeæ illius Ptolemæi hyperaspistes Leo Castrius Præfation. in Comment. Isaiæ cap. 35. At illius esse confirmant quoque Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei c. 6. & Possevinus in apparatu sacro.

PROOEMIVM ARISTEÆ.

CVM permagni semper feceris (Philocrates) cuiusque rei cognitionem, miróque discendi amore tenearis: rem præstantem & cognitu dignam ad te scribere statui, quæ nuper nobis contigit apud Eleazarum summum Iudæorum sacerdotem. Verùm eorum quo harum rerum facilior tibi foret cognitio: causas primùm ob quas eò missi sumus, inde rem ipsam quam verissimè explicare conabor, cùm propter ipsius rei dignitatem, tum propter eam (quæ animo tuo insita est) rerum omnium noscendi cupiditatem. Inest namque id homini præstantissimum, vt vel ab historiis, vel ab ipsis rebus semper aliquid discat. Sic enim rudis adhuc animus & quasi infans maximè exornatur: cum in initio pulcherrima quæque & rerum dignissima complectens, pietatem lege infallibili, rationemque sequitur. Igitur cùm rerum diuinarum notitiam magno studio perquireremus, & diuina lex sine interprete cognosci non posset: nos pro eius translatione

A legationem vel vltro suscepimus, ad hunc talem virum qui bonitate & gloria, & à suis ciuibus & aliis omnibus honoratissimus habeatur, quique magno decori atque vsui sit non solum his quibus cum vnà versatur, sed cæteris etiam ciuibus quocunque in loco sint: diuina siquidem lex apud eos membranis conscripta, literis Hebraïcis continetur. Hanc verò rem nos cupidè egimus sumpta à Rege proficiscendi occasione à Iudæorum coloniis, quæ primum à Patre huius Regis (qui vrbem & prouinciam obtinuit) in Ægyptum deductæ sunt. Sed quando in harum rerum mentionem deuenimus, dignum duximus eadem tibi aperire, quo maior inde esset cognitio. Arbitramur te namque venerando cultui longè magis B intendere, quam hominum (etsi sanctas) legum constitutiones inquirere quod quidem desiderium tuum vel maximè patet, quando ex insula ad nos vsque profectus sis, ea solum gratia vt quicquid vbique esset quod animũ exornaret, coram cognosceres. Etenim primò, quæ memoratu digna visa sunt de Iudæorũ genere ad te scripsi,

Vide Ioseph. lib. 12. Antiquit. Cap. 11.

sicuti accepi ab eruditissimis Ægypti sacerdoribus, viris quidem prudentissimis, quo eruditionem hanc tuam si quomodo possem iuuarem. Oportet enim acceptas gratias omnibus quidem referre, sed maximè similibus: verum multo magis tibi, cui cognita sit virtus; neque solum ex genere ipso fratris nomen referas, sed & decus quidem & pulchritudinem, & eodem mecum impetu ducaris. Neque enim auri gratia, aut quiuis preciosissimarum rerum ad inanem gloriam apparatus, eos nobis fructus afferunt quales ab eruditionis institutione, earúmque rerum consideratione percipimus. Sed ne longius præfati, nos ad ostentationem exercere videamur, iam redeat vnde discessit oratio. * Demetrius Phalereos cum regiæ bibliothecæ præpositus esset, diligenti cura elaborabat vt ex vniuerso orbe (quoad fieri posset) volumina compararet, distributis per opportuna loca hominibus, qui libros & emerent & transcriberent. Quo studio demum perfecit, vt quantum in se erat adimpleretur Regis propositum. Nam præsentibus nobis, cum ab eo peteretur quot librorum milia cógregasset (inquit) Rex supra ducenta milia iam in bibliothecam redacta sunt, breuique numerum adimplebo, qui ad quingentorum milium summam ascendat. Nunciatur quoque mihi Iudæorum leges transcriptione dignas esse, & quæ in bibliotheca tua habeantur. Quid igitur obstat, ait, quod te hoc facere prohibeat? Nonne omnia tibi in húc vsum prompta subiectáque sunt? Cùm respondisset Demetrius, interpretatione opus esse, quoniam ita propriis caracteribus secundum eorum linguam Iudæi vterentur, quemadmodum & Ægyptij suarum litterarum dispositionem ad propriam vocem sequantur: Nam longè falluntur qui Syria lingua illos loqui putant, cùm alius sit illorum dicendi modus. Intercipient ea Rex (inquit) scriptorum sese ad Iudæorum Pontificem, vt omnia perficiantur. Hic equidem tempus adesse ratus sum eos liberandi quos ex Iudæa, Regis Pater traduxerat, quaque pro re sæpe rogaueram Sosibium Tarentinum, & Andream præfectum corporis custodú. Ille enim vnà cum Andrea ducens exercitum per Celem, Syriam atque Phœniciam omnia sibi subiecit. Nam hos quidem in coloniam, illos in prædam abduxit, cuncta terrore prosternens, adeo vt ex Iudæa hominum centum milia in Ægyptum deduceret. Ex quorum numero armatis electorum triginta millibus, eos in Prouinciæ custodiam disposuit. Antea quoque & multi cum Persis, atque inde aliis cum sociis qui aduersus Æthiopum regem cum Psammitico missi sunt, venerant, sed non tanta multitudine affuerunt, quantam solus Ptolemæus Lagus deduxit: Nam sicut diximus ille viros quosque ætate atque robore præstantes eligens, armauit. Cæteram verò colluuionem iuniorum, senum, & fœminarum, in Coloniá instituit, ea mente vt si quando milites sui ob bellorum necessitatem insolescerent, his eorum iactantiam compesceret. Nos igitur qui ad horum hominum libertatem, modum aliquem (quemadmodum dictum est) perquirebamus: sumpta tunc opportunitate, verbis huiusmodi ad regem vsi sumus. Non absurdum est Rex si aliquando accidat, vt quis ab ipsa re redarguatur. Ná cùm omnibus Iudæis vna sit lex, quam nos non solum transcribere cupimus, sed interpretari, qua ratione ad eos mittemus, quádo in regno tuo detinetur magna eorum multitudo? Verum enimuerò diues animus & præstans, solutis his qui in ærumnis habentur legem peterer: præsertim quando Deus ipse regnum tuum fortunet, qui illis eam legem dedit propter quam tamtopere laboramus: omnium enim factorem & creatorem Deum isti colunt, quem & mortales omnes. Sed nos Rex aliter denominantes, Iouem appellamus, quemadmodum non insipienter maiores nostri significarunt, quoniam singula quæ sunt per eum & fiant & viuant, quem ductorem omnium & dominatorem volunt; qui etsi omnes mortales subiectos habeat, tamen splendore animi præfulgens, implorantium vota minimè fallit: sic & nos

Hæc citat Eusebius paucis immutatis, Euang. Præp. lib. 8. Cap. 1.

Demetrius Phalereus.

Sosibius, Andreas.

Psammiticus.

Iupiter.

animo Deum precari debemus, vt métem nostram erga omnium libertatem rectè instituat. Nam cum figmentum Dei genus hominum sit, & mutetur rursus atque vertatur ab eo, propter hoc sæpius multisq; modis precamur dominatorem cordium ea perficere quæ imploramus. Hoc equidem sermone, magnam spem conceperam rei patrandæ: cùm præsertim recta precantibus, diuinum quoque nomen adsit. quæ enim ad iustitiam atque bonorum operum rationem tendunt, si ea homines sanctè agere conentur, dominator omnium Deus, illorum actiones, affectúsque dirigit. Rex tunc paululum se inclinans vultu exhilarato, quot (inquit) milia esse arbitraris? Andreas qui aderat, breui respondit, supra centum milia. Tunc Rex: Paruum est (inquit) quod nos orat Aristeas. Sosibius autem & astantium quidam, dignum est (aiunt) tua magnanimitate Rex, si horum libertatem pro gratiarum munere, maximo Deo offeras. Nam cùm maximè honoratus es à dominatore omnium, & sublatus super maiores tuos, decens quoque est vt maiores etiam tu gratias referas. Hic Rex conuiuio in lætitia effusus, conquiri omnes præcepit, ac singulorum corpora dragmis viginti redimi: proponíque super his edicta, celeri hac in re promptitudine vsus. Deus enim desideria nostra perficiebat, impellebátque illum non solum eos libertati reddere, qui ab exercitu Patris transducti fuerant, sed omnes qui & prius & postea quocumque modo in regnum peruenissent: precium autem redemptorum supra quadringenta talenta ascendit. Edicti verò exemplum ad te transcribere, haud absurdum duxi, quo clarius appareat & rei magnitudo, & regis facilitas. Deus enim illum in multorum salutem impulit.

Edictum liberationis Iudæorum.



Mnes qui cum Patre meo per Syriam atque Phœniciam militantes, Iudæam terram intrauerunt, abduxeruntque Iudæorum corpora quæ in vrbibus, in agro, aliisque operibus relegauerunt, ea omnia soluere iubemus & libera esse. Præterea & Iudæos omnes qui vel prius vel postea quocunque modo abducti sint, libertati restituere, pro quibus statim in corpus quodque dragmas viginti accipiant: quas milites quidem in cibariorum distributione, cæteri ex regia mensa sument. Arbitramur namque præter Patris mei consilia, præterque æquum & rectum hos captiuos deductos, vastatámque regionem, atque hominum huiusmodi in Ægyptum deductionem, militum temeritate factam esse putamus. Satis enim commodi sibi fuerat ex loci militibus, quando prouincia omnis dicto pareret. Cùm igitur iusta vniuersis hominibus reddere intendamus, atque his maximè quibus per iniuriam dominatur, perscrutantes singula quæ ad rectum iustumque ducunt, ac pietatem ante omnia proponentes: quæcunque Iudaicorum corporum vbique vel in coloniis vel quocumque modo in regnum deducta, capite seruiant, libera esse censemus. Ad hæc ne quis damno afficiatur, iubemus, vt omnes, tribus diebus ex quo hoc edictú fixum fuerit, exemplo libellos porrigát quibus certo contineatur, quot quisque capita libertati tradiderit, hoc enim sic perfici, & nobis & regno conducere arbitramur. Eorum verò qui non paruerint, bona publicentur. quos quisquis deferre voluerit, cuiuscunq; sententiam aperiat, imperamus. Perfecto edicto cum id Regi traderetur vt cognosceret an ita ex voluntate sua conscriptum esset, & cætera omnia adessent (præter hoc tantum) & qui antea quique postea in regnum peruenissent Rex id ipsum ob magnificentiam adiecit, móxq; accumulatam pecuniá depromi ac ministris nummulariisque suis distribui iubet. Diebus verò septem perfecta est huiusmodi distributio: persolutáque sunt supra sex-

centorum sexaginta talentorum milia. Nam ingens puerorum multitudo cum ipsis matribus libertati reddita est, & in cuiusque capita pro regis iussu dragmæ viginti appensæ, hæc enim summa cum voluptate perfici mandauerat. Post hæc imperat Rex Demetrio, vt summam Hebraicorum voluminum sibi libello præbeat. Mos namque regibus his, cuncta edictis proferre: ita vt nec minimum quidē sine rescripto agatur propter magnificentiam, & certam rerum fidem. Quapropter quo res ipsas vel oculis cernere possis: Rogationis, & Epistolarum exempla traduxi: licet enim ipsis in tabulis cerni liberatorum multitudinem: quóue quisque habitu & arte differret. Rogationis verò Demetrij, ad Regem, exemplum hoc est.

Ægyptiorum regum rescripta.

Demetrij Rogatio.

B Vm instituisses Rex vt volumina vndique perquirerentur quæ ad implēdam bibliothecam tuam decentémque ornatum facerent. Id equidem omni diligētia, cuncta perscrutans, tibi significo Iudæorum legis libros, & paucos quosdam adhuc deesse. Illa quidē Hebraicis litteris & lingua conscripta est, & propter hoc hactenus suis tantū cognita, ad regias manus adhuc minimè peruenit. Sed digna est vt ipsa quoque inter tuos libros habeatur, cum propter sapientiam quæ in illa continetur, tum propter eius sublimitatem, vtpote diuinam. Cuius rei gratia & apud poetas & historicos, horum voluminum frequens est mētio: quo-
C niam perutilis sit & ad regendos mores, & respublicas instituendas, ob hominum præstantiam, qui illic describuntur, & rerum venerationē, quemadmodū Hecateus Abderites inquit. Igitur si tibi videtur rex scribatur Hierosolymam ad Pontificem, vt mittat ad te ex omni Tribu, sex viros quidē optimis moribus institutos, & ætate venerandos ac ipsius legis meditatione doctissimos, vt multis omni acumine interpretantibus, consonū quoddam eligentes, rem tanto opere tuâq; electione dignam conficiamus: Perpetuo vale.

Finis rogationis.

D Ac rogatione accepta, Rex litteras ad Eleazarum de his rebus decernit, quibus significabatur captiuorum liberatio. Addit præterea ad Sacerdotum, decus, crateras, phialas, mensam, atque libamina, auri pondo talenta quinquaginta, argenti septuaginta, & preciosorum lapidum ingēs precium. præcepit ad hæc ærariis & artificibus cuncta ad opus illico præbeant: & pecuniā ad sacrificia atque alios vsus talentorum centum: sed quo horus apparatus quæque rectius intelligas, regiæ epistolæ exemplar (quæ huiusmodi verbis extat) afferemus.

Rex Ptolemæus Eleazaro summo Iudæorum sacerdoti. S. P. D.

E Vm Iudæorum plurimi nostram regionem incolerent, qui Hierosolymis adducti fuerant eo tempore quo Persæ rerum potiebantur, quíque patrem meū in Ægyptum vincti sequuti sunt, ex quibus plures in militum ordinem adegit, fidos quosq; in præsidiis collocans, quo auxilio munitus insolescentes Ægyptios compesceret: nos vbi regni gubernacula cepimus, benignitate erga omnes, tū maximè erga ciues tuos affecti, eorum supra centum milia libertate donauimus, in capita quæque digno precio dominis reddito: Studemus enim ea ratione componere, si quæ armorum

A impetus à bono rectóque deduxit: arbitrātes piè id agere, si hoc munus pro gratiis referamus magno Deo, qui regnum nostrum pace atque gloria insigni, per vniuersum orbem concelebrauerit. Quapropter alios qui in exercitu seruiebant, vt contubernales esset effecimus. Alios qui fide digni habebātur, aulæ nostræ præfecimus. Sed cum his & vniuersis qui per orbem sparsi sunt Iudæis grata edere cupiamus, instituimus legem vestram quæ Hebraicis litteris continetur in Græcam transferri linguam, vt & ipsa quoque in bibliotheca apud nos, cum aliis regiis libris habeatur. Rectè igitur facies & rem nostro studio dignam: si ex omni tribu sex elegeris seniores, qui quàm optimè educati sunt, & in legis eruditione comprobati, quíque ad interpretandum optimi sint. Nam quando ad eam interpretandam acutiori
B meditatione opus est: ex plurium consideratione verum elicietur. Arbitramur siquidem tanto opere perfecto, magnam inde nos gloriam assequuturos. Mittimus igitur harum rerum gratia, Andream custodum corporis nostri principem, & Aristeam viros quidem apud nos honoratos, qui munera ad sacrificia aliósque vsus offerant argenti talenta centum. Tu verò si ad nos rescribas, si quid est quod desideres rem gratam nobis & amicitiæ dignam facies: & statim enim perficiemus, quæ te cupere intelligemus.

Andreas & Aristeas.

Eleazarus Epistola hac accepta verbis huiusmodi respondit.

C Leazarus Pontifex Regi Ptolemæo amico splendidissimo salutem. Si vales & regina Arsenoe, soror & liberi, bene est & vt volumus, ego quoque valeo. Litteræ tuæ magno nos gaudio affecerūt, cùm propter consilium tuum & institutum, tum propter egregiam erga nos volūtatem: quibus acceptis, aduocato in concionem populo, multa de benignitate tua erga nos disseruimus, vt cognoscerent oblationes & pietatem tuam erga Deum nostrum, ostentantes aureas phialas viginti, & argenteas 30. quas misisti, crateres quinque & mensam propositionis: atque argenti inde talenta centum in victimarum apparatum, aliósq; vsus quorum sacra indigent: quæ obtulerunt Andreas præ-
D stantium vnus apud te, & Aristeas: viri quidem pulchritudine & moribus insignes, doctrináque præstantes, tua profecto instructione & institutia rebus omnibus digni, qui nobis desiderium tuum quemadmodum & litteris continebatur, plurimis explicauerunt. Igitur cuncta quæ tibi cordi sunt quanquam difficilia, perficiemus: quod magnum amicitiæ & amoris argumentum est, maximo enim beneficio & incomparabili ciues nostros affecisti. Quare extemplo sacrificium laudis pro te, pro sorore, pro liberis, & amicis obtulimus, & omnis multitudo id orauit, vt bene sit tibi, dirigátque voluntatem tuam in omnibus, & fortunet regnum tuum in pace & gloria dominator omnium Deus: vtque faciat legis translatio multa tibi tranquillitate &
E commodo eueniat, peractis sacris nos ex omnibus (nam aderant omnes) elegimus viros bonos & venerandos ex omni tribu sex: quos vnà cum lege mittimus. Bene itaque facies Rex iustissime, si perfecta librorum interpretatione, viros ad nos dimiseris. Vale.

Ptolemæi dona.

Sacrificium pro rege.

Hi sunt viri qui ex cunctis Iudæorum tribubus profecti sunt.

Ex prima tribu,

Iosephus, Ezechias, Zacharias, Ioannes, Ezechias, Heliseus.

Ex secunda,

Iudas, Simon, Somoelus, Adeus, Matthias, Eschemias.

Ex tertia,

Neemias, Iosephus, Theodosius, Basseas, Ornias, Datis.

Ex quarta,

Ionathas, Auxeus, Helisæus, Ananias, Chabrias, Sachus.

Ex quinta,

Isachus, Iacobus, Iesus, Cabatheus, Simon, Leuis.

Ex sexta,

Iudas, Iosephus, Simon, Tacarias, Somelus, Selemias.

Ex septima,

Sabbateus, Iasan, Iesu, Theodorus, Ioannes, Ionathas.

Ex octaua,

Theodosius, Iason, Iesus, Theodotus, Ioannes, Ionathas.

Ex nona,

Theophilus, Abrahamus, Arsamus, Iason, Endemias, Danielus.

Ex decima,

Ieremias, Eleazarus, Tacarias, Baneas, Eliseus, Datheos.

Ex vndecima,

Samuel, Iosephus, Iudas, Ioathes, Cabel, Dositheus.

Ex duodecima,

Israëlus, Ioannes, Theodosius, Arsamenus, Abietas, Azecelus. omnes. 72.

HÆc quidem ad regiam Epistolam responsa sunt. Nunc ea ornamenta quæ apud Eleazarum inuenimus, & quæ missa ad eum sunt, tibi perquam breui explicare conabor. Vario enim opere, singularique elegantia perfecta sunt, rege nō modo cuncta abundantissimè præbente, sed sic artificum quosque per se circumeunte, vt ne minimum quidem illis præterminendi vagandique locus daretur. Mensa quidem primo enarranda est, quoniam singulari studio expolita sit. Rex enim in eo opere præstans quid atque elegans reddere cupiēs, eius mensæ quæ Hierosolymis victimas reciperet, dimensiones ornatúsque exposcit. Ea vbi accepit, maior ne recipi possit rogat. Quod cùm & sacerdotum quidam & aliorum respondissent nihil prohibere, inquit Rex, velle se in quintuplum excellere, ni vereretur, ne incommoda sacrificantibus reddatur magnitudo. Nam non solum quid capiat locus considerandum est, sed multo magis ad gratam quandam habitudinem ad ea sacra quæ supra præparādi sunt, intendendū: non enim auri inopia (quando cuncta illis abundarent) breuioribus mensuris, quæ adsit, compositam arbitrandum esse, sed ratione quadam eiusmodi dimensionibus perfectam apparere ait. Quapropter neque si longior altiórue fabricetur, rectè se habere putare. Igitur cuncta reuoluens (vt est ingenio ad singula iudicanda bono, promptóq;) illam summis artificum ingeniis variante opere expoliri iubet, ita vt quæcunq; celata essent ad speciem, pulchritudinémque: plana verò ad mensuram referrentur, eius enim longitudinem duorum cubitorum, altitudinem verò cubiti vnius & semissem perfecerunt, non lentescente in folia metallo eius aream superlinientes, sed auro purissimo totam solidam elaborauerunt. huic mensæ in circuitu inerat corona palmi vnius, plectæ enim & reticulæ sculpturam connexat, inter sese reticulatum speciem opere referentes, intertasili expolitæ sunt, in tribus lateribus. Est enim mensa triangularis, & per singulas partes eandem ad opus dispositionem habens, ita vt ad quodcunque te latus vertas, eandem faciem, frontémque existimes. Nam si per adiacentem coronam ad ipsius mensæ planiciem inspexeris, miræ pulchritudinis forma refulget. Exterior verò tractos propter excellentem geminorum laterum fulgorem (quæ prospectui subiciuntur) oculos perstringit. Nam triangularis mensa (sicut supra diximus) quocunque modo vertatur, eandem frontem eandémque opportunitatem præbet: preciosorum verò lapidum ornatus illi inerat per medias funium connexiones, sic enim alius apud alium disponebatur, vt inimitabilis operis implicationem redderent, sustentabantúrque omnes extenuati ex auro

Ornatus mensæ.

Mensa triangularis.

fibulis ob firmitudinem infixi. At iuncturæ angulis ad constringendum inuicem opus sic concludebantur, vt inspectantes fallerent: in latitudine autem circa coronulam in circuitu ad superiorē aspectum, lapides qui quandam ouiculorum similitudinem referrent, componebantur, iungebantur & crassiores inde virgulæ sculptura paululum extantes, & densa inter se portione fulgentes, quæ mensam omnem ambirent. Inferius autem sub huiusmodi lapidum ouiculatione coronulam omni fructu contextam, artificis manus iam expolierant, vt in ipsis coronæ thoris, colligatas vuas, spicas, palmulas, mala, oleas, rosas, & similium plura ostenderent. In quibus nexi auro lapides qui colore specieq; fructus quosq; redderent, mira arte illigabantur, quæ singula in mensæ circuitu, frontem, lateráque ornatu simili ambiebant; coronæ, ouulorum ornatus iungitur: Adduntur & reliqua virgulati, sculptique decoris, quæ vtraque parte auream mensam sic complexa sunt, vt quacunque vertatur, eandem sculpturæ vndantiúmque plicarum prospectum, & coronæ elegantiam vsque ad locum pedum retineant etenim laminam totius mensæ solidam altitudine digitorum quatuor fecerant, quo in ea pedes firmius inhærerentur, quos quidem ad ipsam coronam obscuris clausuris fibulæ stringebant: ita vt si quando mensa verratur, vtraque parte vtilis, peropportunáque esset, & eundem aspicientibus decorē præberet. Mensæ verò superficiem Meander entuatis sinibus influere videtur: in cuius verticibus alueóq; preciosi lapides, carbunculi, smaragdi, Onichini & cuiuscunque generis plures, decora specie fulgent. post huiusmodi amnem, trica quædam innectitur (visu mirabile) quæ rhomborum prospectum præbens, christallo, electróque figorabatur, in qua quidem terso opere, spectantium etiam formæ referébantur. At pedes in liliorum figuras expolierant artificis manus, quæ sepandis in ipso vertice foliis mensam sustentarent; erectis intrinsecus ad aspectum frondulis: in pauimento pedes huiusmodi firmabātur. Carbunculi lapidis extensio erat in circuitu palmi vnius, abrupti cuiusdam speciem visui præbens: producebantúrq; in latitudinem digitorum octo, quam supra soleri huius onus omne recumbit. Ex hoc autem lapide hedera assurgit, que florido achanto innexa, viti implicatur, quacum vuā pendentibus vndique racemis ad summum vsque circumambiunt. Sed pedibus (qui quatuor mensæ suberant) similis operis dispositio, prospectúsque vnus erat. Enimuero sic cuncta diligenti arte, præstantíque expertorum hominum opere perfecta sunt, vt non vera modo fallerent, sed leui quoque aura frondium crepitum exaudias, referentibus singulis verarum rerū imagines. Fecerant & mensæ labia vndique mobilia, quæ inexplicabilis clauus sic inter sese per operis crassitudinem innectebat, vt visu cognitione, iuncturæ nusquam paterent, inerat namque mensæ per totum non minus semicubiti crassitudo, ex quo multorū talentorū sumptus expostulauit. Nam vbi statuit Rex prioris magnitudinē haudquaquam superandam esse, id omne & longè plura quod antea magnitudini adiici cōcupierat, ornatui abūdantissimè præbuit, cunctáq; pro regis desiderio, excellenter & eleganter expolita sunt arte inimitabili, & pulchritudine decora. Craterū verò duo à base ad medium vsque squameo ornatu, opere egregio visum fallebant, relucentibus per squamarū media lapidibus multa arte dispositis. Hos supra, Meander fluuius vnius cubiti altitudine ambit: lapidum varietata & specie inenarrabili cuncta implicans. Post hunc, virgultorum ornatus inde rhomborum trica ad summum labium sequens, retis speciem præbet, per quorum medium in clypei formam lapides sic componebantur, vt non minus digitorum quatuor spacio inter se distarent, quo fulgore gratior inerat pulchritudo. Supra labium verò, liliorum corona floribus racemísque innectitur, quæ implicatorum inter se funium speciem referens omnia circumambit,

Meander.

Carbunculus.

Crateres argentei.

hi enim crateres tali ex auro ornatu decori, supra duas metretas capiunt. At argentei crateres præstantiori decore exornabantur, opere terso. In eo enim sic intrinsecus singula relucent, & clariùs etiam quàm in speculis apparere soleant. Nec dictu facile est quam ad veri formas cuncta exposita essent, adeò vt si huiusmodi vasa aliud apud aliud disponantur: vtpote si primo argenteus crater, inde aureus ac deinceps argenteus, & item aureus eodem ordine statuantur, res prorsus mira aspectu efficietur & quæ intueri non possis, oculorum aciem hebetante fulgore. Nam si te ad aurei crateris ornatum verteris, tanto splendore varij operis oculi perstringuntur, vt præ admiratione, radiorumque multitudine qui inde emittuntur, abstrahatur animus & deficiat. Et rursus si ad argenteos te deflectere volueris, omnibus circummicantibus maior luminis effusio ita occupat intuentem, vt omnino operis structuram cernere nequeat.

Phialæ.

Phialas verò aureas ita perfecerunt: vt sertis vitteis eorum media exornarentur ora, & labia hederæ, myrtus atque oleæ in coronæ modum ambirent: in quibus preciosi lapides per commoda quæque loca inserebantur. Singula namque artifices ad excellentiam quandam regiæ gloriæ sic expolierant, vt neque in regis ærariis, neque ornamentis, neque vsquam alibi quicquam inueniretur, aut ornatûs aut operis elegantioris. Rex enim gloriæ auidus, in his exornandis curam quàm diligentissimam, magnificentissimámque habuit. Nam sæpius veniens opus per sese inuisebat, atque opificibus immixtus nonnulla mutabat: studio quoque instans ne loco moueantur, donec singula ex sententia sua perficiantur. Quapropter cuncta perquam eleganter, decentérque expolita sunt, tum propter regis ipsius præstantiam, tum propter Pontificis dignitatem, qui tanto loco præerat ad quem mittebantur. Etenim preciosorum lapidum ingens multitudo & ignota, sed qui mira magnitudine præstarent ad quinque milium numerum fuerunt, artificio tamen cuncta superante, ita vt lapidum munus artificúmque manus in quincuplum auri pondus, elegantia, precióque excellerent. Hæc icciréò ad te scripsi, quoniam vtilitatis plurimum ad rerum cognitionem tibi allatura putarem: ea verò quæ sequentur, cuncta iter nostrum ad Eleazarum continebunt. Quod vt clariùs intelligas, prouinciam primum omnem figurabo.

Hierusalem in medio Iudææ. Templum Salomonis.

Enimuerò vbi ad loca ventum est: vrbem in monte suspicimus totius Iudaicæ regionis mediam sublimem prospectum præbentem. In cuius vertice Templum apparebat visu pulcherrimum: hoc muri tres circumambiunt altitudine supra septuaginta cubitos sublimes: latitudine ea quæ ad altitudinem deceret, longitudine omnem templi apparatum magnifico opere & decore circumeunt. Portarum verò aspectus, & lapidum connexiones, & superliminarium mirum decus summa claritudine fulgêt, vtpote quæ nulla sumptuum parcimonia ob magnificentiam cunctæ abundantissimè constructa fuerant.

Velum templi.

Erat & extrinsecus velum (quo templum in circuitu clauditur) appensum, simili portarum magnificentia. Quod quidem visu iucundissimum spectaculum præbebat: tum maximè cùm mota per pauimentum aura velum subintrans illud ad summum vsque crispantibus finibus in vndarum morem motat.

Altare cum fumario.

Altare illic pro loco conuenientissimè constructum (propter hostias quæ superincenduntur) fumario amplectitur, ascensus autem erant ad illod pro loci magnificêtia perquam decenter & ad decorem simul aditi, & commodũ

Vestes sacerdotum bissinæ.

sacrificantium sacerdorum qui talaribus ex bisso tunicis induuntur. Templum ipsum ad orientem solem versum occiduo terga monstrat. Cuius tractus quadam dimensionum inter se conuenientia, venusti decoris formam præ se ferunt, solum omne strato lapide ornatur. Aquarum verò receptacula, quæ plurimæ ad diluendum iugulatarum hostiarum sanguinem funduntur, commodis locis occuluntur. Nam festis diebus multa victimarum milia ceduntur. Etenim tantus est eductarum

A aquarum assiduus fluxus, vt perennem fontem inundare putes. Sed mirabilius est & fere inenarrabile subterraneorum conceptaculorum magnitudo, quæ ad quinque vsque stadia per circuitum templi cuncta penetrat; plumbeæ ad ea fistulæ quacunque per muros & templi solum quibus omnia abluantur mundenturque, descendunt.

De aquis piscinarum.

Sunt & apud aræ basim frequentes aperturæ, omnibus quidem, nisi his qui ministrant, incognitæ, quarum influxu & impetu omnis ex hostiarum multitudine cruor purgetur: receptaculorum autem aquarum multitudinem per hunc modum coniectauimus. Nam cum nos vltra quatuor stadia extra vrbem deduxissent ad quendam locum, iubent nos subterfluentium vndarum sonitum exaudire: qui mihi quidem magnorum vasorum confusus visus est. Verum enimuerò

B ministerium Sacerdotum robore, decore & silêtio cuncta superabat, omnibus sua sponte laborantibus, quando quisque institutum opus iniussus curat: hi quidem ligna, hi oleum, hi similam, alij aromata, alij carnes incedentes, & roboris excellentiam quandam dexteritatemque ostentant. Sumptis enim duobus vitulorum cruribus, quæ pondo supra duo talenta sint, mira in altum facilitate sic decêter proiiciunt, vt nunquam à loco aberrent. Similiter ouium caprarumque pondera iaciunt: sunt autem hostiæ omnes absque macula, & pinguedine præstantes. Sternitur & ad quietem locus, vbi omnes cubant, vnde nullo excitante celeres quique ad opus per vices exurgunt, silentium verò tantum inest, vt cùm septingenti fere ministrorum continuò adsint, & offerentium libamina multitudo ingens: nec vnum

C quidem hominem loco versari putes; summa namque veneratione cuncta, & magna Dei pietate perficiuntur. Maximè verò omnium illa nos tenuit admiratio: vbi primum Eleazarum ad sacra conspicimus, stola ac vestibus quibus vtitur indutum & sua gloria astantem, &

Eleazari Pontificius vestitus.

preciosorum lapidum fulgore nitentem. Aurea namque tintinnabula in circuitu vestimenti eius appensa, suauem concentum reddunt: interque Punica mala, miro colore variisque floribus vnumquodque distinguunt. Cingulum supra pulcherrimis coloribus intextum perquàm decenter stringitur: supra pectus quod rationale dicunt, pendet: in quo duodecim lapides varij generis auro illigantur, quibus cuiuscunque tribus principum nomina; quæ in initio fuere, scripta sunt:

D species natiui coloris inenarrabilis, caput cidarin (vt appellant) ornatur, supra quod mitra decore incomparabili erigitur, regium decus præferens. Ex qua dependet lamina aurea frontem ad supercilia operiens: vbi sacris literis Dei nomen inscribitur, conspectus profectò summæ gloriæ plenus, ac tanto ministerio dignus, tantus enim huiusmodi ornatûs fulgor emanat, vt horrorem intuentibus, turbationemque incutiat, referatque venientis ad se hominis speciem. At singulorum conspectus adeo inenarrabilis decoris pulchritudo mentem suspendit, vt illorum quæque animum in sui considerationem rapiat.

Arx Hierusalem.

Hinc ad contemplandam arcem conscendimus: quæ altissimo loco frequentibus turribus (quæ & ipsæ magnis lapidibus

E constructæ sunt) iuxta templum communitur. Et quantum coniectura colligere possumus: veluti ipsius Templi propugnaculum: ne si quando seditio aut tumultus, hostiúmue impetus ingruat, quispiam viam ad Templi claustra penetranda inuenire possit, cum & adiacentibus speculis, acrisque turribus, tum dispositis vbique machinis, atque prærupti ipsius loci vbi muri assurgunt difficultate tueantur. Seruatur autem arx ipsa, dispositis in turres robustissimorum iuuenum fidissimis excubiis: qui ob bene de se merita patriæ plurimum debeant: his arcem egrediendi nulla potestas datur, prætérquam cum festus dies adfulserit, idque non nisi ex parte quadam ac per vices conceditur. Intromittendi quenquã nemini est facultas Nã summa diligentia perspicuitateque arcis præfectus si quando aut rediens

quis, aut nouos admittatur, ita cuncta explorat, vt falli prorsus nequeat; quemadmodum nobis contigit, qui inermes ac multa rogando soli duo vix tandem ad inspicienda sacra recepti sumus. Dicebant enim & Sacramento idem firmabant, omnes qui quingenti ad huius custodiam semper aderant, sacro iureiurando adactos ne supra quinque eodem tempore recipiant, quoniam omnis templi custodia salúsque in ea arce consistat, qua victa nullum superesset templi propugnaculum.

Circuitus Hierusalē.

Vrbis verò ipsius magnitudo quantum colligere potuimus, ad quadraginta stadia in circuitu extenditur, muro & turrium dispositione, spectaculo digna. Earum viarum strata quæ rectà tendant, multis & opportunis diuerticulis exornant, quippe vt ciuitas quæ in monte constructa sit multam ad ascensus descensúsque facilitatem habeat. Sicut & ad ipsos viarum exitus transcensus B quidam, per quos præstantiores altius incedant, cum alij depressius eant, & maximè ad primores vias, ne qui sacra ferunt, immundorum contactu inter eundum polluantur. Quare non iniuria hanc vrbem maiores talibus dimensionibus situque condidere, sapienter locum captantes: regio enim lata & pulchra, hinc ad Samaritas finitimósque Idumeos apertis campis extenditur, illinc consitis collibus & cultu lætitiæq; commodis se erigit. Ex quo euenit vt cum prouincia omnis ferax sit, & summo agricolarum studio excolatur, cuiusque generis fructu abundet. Ciuitates namque quæcunque magnitudine excellunt, & fœlicitatem assequuntur, ocio torpescere solent, & agros negligere propter frequentes voluptates, quibus illecta iuuentus atque luxui dedita, effœminatur.

Alexandrinorū luxus.

Quod quidem Alexandriæ maximè accidit, quando & magnitudine & fortunis longè excellit: C siquidem iuuentus ex agro in vrbem confluens, vbi voluptatum dulcedine distrahitur, atque operum suorum oblita residet. Quam ob causam Rex instituit, ne homines in ea diutiùs morarētur, néue quis supra viginti dies domo abesse posset, idque non nisi vrgentium negotiorum gratia tribuit: in quibus ne longius tempus teneretur, controuersiæ omnes & lites intra quintum diem decerni finirique iussit lege promulgata, atque iudicibus ad ea ministrísque per regiones institutis, ne iudiciorum longitudine agricolæ in vrbe versantes culturam negligerent, vnde ærarium diminutis agrorum tributis dãno afficiatur. Hæc ideirco perstrinximus: quoniam singula docente Eleazaro rectè cognouimus. Magnum igitur D illic agricolarum studium, ingénsque culturæ sollicitudo homines habet. Nam in tanta populari multitudine, & arboribus consita regio est, & frumento abundans vbique [illegible]ret: vestiuntur vineis colles: palmarum ad hæc & glandiferarum arborum multitudo in regione numerari nō potest: pecoribus quæ innumera possident, vberrima pascua tondentur. Quapropter rectè animaduerterunt loca huiusmodi multitudini opportuna, vnde & vrbis apparatum & pagorum frequentiam commodissimè disposuere. Eò præterea immensa aromatum & preciosorum lapidum aurique copia ab Arabibus affertur, prouincia enim negociationibus apta se singulis velut emporium præstat, & vrbs opificum multitudine abundat. Nam neque vllius rei quæ mari aduehitur indiget, quando opportuni illi portus propius adsunt apud E Ascalonem, Ioppem & Gazam, atque item ab Ptolomaide (quæ à rege condita est ciuitas) plurima comportantur. Vrbs verò ipsa sic in medio horum quos diximus locos sita est, vt nō longè à singulis absit ex quibus cuncta facili cursu accipiat; cùm præsertim vniuersa in circuitu regio, longè latéque culta, magnam præstet securitatem, circunfluit prouinciam Iordanis perennis fluuius, qui ab ortu ipso decurrens non minus sexaginta milia passuum ambit.

Iordanis fluuius.

In huius fluminis vberiori ripa, posterioribus temporibus robustissimi Iudæorum numero ad sexcenta milia traiecto amne, agrum obtinuerunt.

Iudic, 18.

Ad hæc fluuius ipse æstiuis mensibus plenior factus, eodem modo quemadmodum & Nilus agri pluri-

A mum inundat, ingreditur inde & aliud per Ptolomaidē flumen, atque vnà in mare exit. Sunt & plures quoque torrentes qui Gazam versus atque Azotum erumpētes, prouinciā omnem irrigant. Securitatē verò prouinciæ natura ipsa præstat, locorum asperitate. Nam montibus vndique circunscripta regio, hinc abscissis rupibus fluentiúmque concursu effossis vallibus clauditur, illinc implexis altísque anfractibus sic vbique coarctatur, vt vix viatoribus per angustos colles transitus pateat; fertur & in montibus Arabiæ adiacentibus, æris ferrique metalla effodi solita. Sed postea dum Persæ rerum potirentur, huiusmodi ratione derelicta sunt, velut inutilis & sumptuosa esset effossio. hanc enim contumeliam incolæ loci cōfinxerunt, ne & regio fossoribus subrueretur, néue ea occasione inuentis apertísque faucibus, externis B inde aditus in regionem aperirentur. Sed de his hactenus, quæ ob cognitionis facilitatem carptim ad te perstrinxi Philocrates frater: deinceps quæ ad interpretationem sunt, aperiam. Eliguntur igitur viri optimi & doctrina præstantes omnes claris parentibus orti, non Iudaïcarum tantum litterarum eruditione excellentes, sed qui Græcam quoque linguam multa meditatione excoluerint.

Iudæorum legationes.

Quapropter ad legationes commodi semper paratíque aderant, munúsque huiusmodi si quando res postulat, ipsi obeunt. Conciones etenim, & de lege interrogati, responsa mira facilitate peragunt, & ad dicendum & ad iudicandum prompti. Atque qui omni iam explosa barbarie ipsi iucundissimorum morum suauitate præditi, vitæ atque ordinis mediocritatem quandam, quod quidem pulcherrimum est, sequuntur: hac C vna in re nitentes cæteros superare, vt & prudentia & doctrina vincant, hoc enim illis est studium, hoc perquirunt, in hoc viribus omnibus enituntur: scilicet vt consuetudine inter æquales, mitius audiendo respondendóque alius alij præstet. Cúm quisque suorum principatu propter virtutem dignus habeatur, operæprecium est cognoscere quanta pietate Eleazarum obseruent, quantóque illos amore & ipse prosequatur.

Eleazari beneuolentia in suos.

Nam vt prætermittam eius ad regem litteras pro eorum reditu, multa insuper rogando, homines Andreæ commendabat, vt omni conatu in eorum gratia ageremus. Cui cum respondissemus curæ omnia nobis fore, propterea animo quiesceret. Immo inquit, & longe animo angor: noui enim regem virum diligentem & bonorum amatorem, D quantáque industria præstantes viros inquirat, adeo vt nihil potius ducat quàm ad omnia loca mittere, vbi acceperit egregium quempiam hominē, vel disciplina vel prudentia singularem. Nam illum quoque dicere solitum audiui & rectè quidem, in hoc magnum regni esse tutamen & robur, circa se quamplurimos viros habere iustos & prudentes, qui quocunque casu in amicorum commodum consulant. Quod quidem in his experiere qui ab eo mittuntur. Exin iureiurando affirmat sese huiusmodi homines minimè missurum, si propria quædam ingruat necessitas: sed ob commune ciuium commodum, pro quo omnia pati possit, nihil negare audere. Nam etsi rectè viuendi norma in mandatorum obseruatione consistat: id tamen rerū cognitione multo rectius perficitur quàm simplicitate assequatur: his igitur atque E huiusmodi pluribus claruit quo ille animo erga tales viros afficeretur.

* Hæc citat Euseb. Eu. præp. lib. 8. cap. 3.

* Dicendum est quoque breuiter de iis quæ interrogatus à nobis Eleazarus disseruit. Nam cum magna in lege habeatur obseruatio de cibis & poculis, & his animalibus quæ immunda putantur: ideirco interrogauimus quando omnia vna creatione subsistant, qua ratione quædam vt immunda ad esum tactúmque reiiciantur, quæque plurima legis institutio habet, in his profecto infœliciter. Ad ea ille. Non cernis (inquit) quam vim habeat consuetudo ad rectè viuendum, qualésque rerum mutationes afferat: atque vt qui malis cōuersantur facilè corruptis moribus in procliue labantur, fiantque per omnem vitam miseri: qui verò sapientibus & prudentibus assuescunt, ex inscitia qua tenētur

in rectum bonúmq; mutati vita fortunantur? Animaduertens igitur hæc noster Legislator, cunctáque ad pietatem atque iustitiam intendens, singula non sermonibus tantum docuit, sed exemplis quæque demonstrans, mala prohibuit, ante oculos ponens eorum quæque gratia à Deo creata sint, demonstrat omnium primum quoniam solus sit Deus: cuius potentia constent singula & regantur, ipséque locis omnibus adsit, sine quo nec minimum quiddam subsistat: nihilque eum lateat eorum quæ in terra ab hominibus vel clanculum geruntur, sed singula quæ aut secum agat quis, aut cum alio contrahat, aperta illi atque ante oculos posita esse: futura, seu præsentia intueri. Hæc igitur omni studio peragens, id maximè ostendere enititur, vt si quando quis in malum adducitur: haudquaquam se latere intelligat: neque aliud quicquam per totam legem animo intendit, nisi vt Dei potentiam ostendat. His igitur ab ipso initio intentus demonstrat cæteros mortales qui plures arbitrantur esse deos, quàm potentiores sint ipsis diis, quos fatuitate quadam colunt: simulachris enim aut ex lapide aut ligno fabrefactis, eorum illas esse formas dicunt qui suis inuentis vtilitatem aliquã ad communem viuendi vsum attulerunt: hos genibus aduoluti, atque extra sese positi sublato animo adorant. Quod si quis quale eorum sit inuentum roget: ignari prorsus, quoddam natura productum veluti præclaram illorum compositionem afferant, quam ipsi non fecerint. Qua in re vani nempe & stolidi comprobantur. Nam & nunc multo quidem doctiores & ad inueniendum promptiores elegantioresq; plures inueniuntur quàm priores illi fuerint: neque hos tamen venerantur vt Deos, quanquam harum rerum factores & scriptores Græcorum sapientissimi honore dignos putent. Quid enim Ægyptios, atque his similimos referam, aliis longè stultiores: quorum alij feras, alij reptilium insensatorum plurima sibi cõstituerunt, quæ colerent, quæ adorarent, quibus & viuis & mortuis victimas cæderent? Sapiens itaque legislator atque à Deo in cognitionem omnium institutus singula reuoluens: nos vallo infrangibili, murísque ferreis circumsepsit: vt animo innoxij & corpore mundi, nulli gentium prorsus immisceremur, ac vanis opinionibus abiectis, solum Deum, qui supra omnes creaturas potest, coleremus. Quamobrem Ægyptiorum sacerdotes, populi principes, qui etsi multis aberrent, tamen in quibusdam nobiscum conueniunt, nos quidem homines Dei appellant, quoniam non sic cæteris eueniat, vt secundum veritatem Dei cultores existant: sed homines mentis poculisque & vmbræ dediti (quod omne illis est studium) ventri tantum indulgeant: quæ quidem nostrum curat nemo. Immò per omnem vitam in sola diuinæ virtutis cognitione versamur: ne vlla re polluti néue vanis conuersantes in crimen labamur, vndique nos puritate communiuit, cùm ad esum & potum, tum ad tactum, auditum atq; visum, vniuersa enim ad physicam rationem referens, quemadmodum cuncta vna potentia subsistant: sic & in singulis alto sensu instituit quibus vteremur, & quibus abstineremus, vt exempli gratia vnum aut alterum percurram: ne simplicia tantum verba inspiciens, arbitreris murium aut mustellæ & similium causa, Mosem tantopere in ferendis legibus elaborasse: sed ad mundiciem contemplandam, emendandósque mores: ad bene rectéque viuendum cuncta perelegãter instituit. Volatilium nanque quibus quotidie vesceremur, illa tribuit quæ mansueta & puritate à cæteris seiuncta, frumento ac seminibus alerentur, vt sunt columbæ, turtures, pauones, perdices, anseres, ac cætera huiusmodi. Aues verò quarum vsum prohibet, feras esse inuenies, & quæ carne pascantur, quæque superbientes rapacésque, suis in alias viribus illatæ nusquam cibum quæritant, nisi aliarum auium damno & iniuria, ac maximè mansuetarum, nec solum in aues inuehuntur, verum & agnos & hœdos rapiunt, homines viuentes adhuc, & exanimes contumelia afficiunt. Igitur translatione quadam ab his & similitudine vsus legislator: ea immunda nominauit, quoniam vellet singula ad considerationem, & mentis puritatem referri: atque vt quisque quotidianis exemplis monitus intelligeret, iustitia & æquitate vtendum, néue superbiendo aut rapiendo quicquã omnium lædendum esse, quanquam viribus plurimum valeas ad rectè vitam deducendam, viuendúmque esse quemadmodum illæ (quas prædiximus) aues quæ seminibus mitem vitam degunt: nec nostri generis quemquam insequi, rapere, turbare debere velut ea animalia faciunt quæ ad esum prohibet. Nec vi, vlla in re agendum, nec viribus fidendum esse demonstrat iis qui sensu omnino non carent. Tenetis igitur inquit, causam cur nos ab eorum (quæ prædiximus) vsu prohibuit: propter eam scilicet inclinationem quæ singula habent, vt verò omnibus in rebus quibus assuescimus ad emendandos, firmandósque mores ab ipsis brutis intenderit: aduertite. Nam quod præcepit nos his quadrupedibus vesci, quibus duo sunt labia, & vngulas findunt: signum est vt nos quoque operationes nostras ad rectum, bonúmque partiamur sic omnia distribuendo: his signis nos ad iustitiam intẽdere coegit, propter quod etiam à cæteris gentibus diuidimur, ne illorum cõsuetudine, & criminibus polluamur. Gentium namque pleræque sibiipsis commiscentes, magna impietate fœdantur. his prouinciæ & ciuitates omnes deturpatæ, non solum marium concubitores sustinuere, sed parturientium etiam sanguine inquinatæ, à filiarum insuper incestu non abstinent, à quibus nos longè seiungimur. Vbi verò diuisionis locus signatur, circa eundem & reminiscendi charactere admonemur. Nam quandocunque scribitur quæ vngulas findunt: additur & ruminant. Ex quo manifesto admonemur ea omnia ad earum rerum quas gerimus memoriam referenda. Nam quid profecto aliud sibi vult illa ruminatio, nisi vt assiduè, quadam vitæ & gestorum nostrorum recordatione cuncta animo recursemus, voluamúsque? Arbitramur enim, cibo vitam ea maximè de causa sustentari, quo eius ruminandi similitudine gesta nostra meditaremur. Cuius rei gratia & per scripturam inquit, memoria recordare Dei qui fecit in te magna & mirabilia. Quæ profectò si consideres, magna mirandáque apparent. Primo quidem corporis compago, alimenti transfusio, ac singulorum membrorum distributio, & mira quædam connexio. Verum maiori longè admiratione digna videbuntur, si ad vnumquodque sensuum compositionem aduertas, si quæ sint mentis actiones, & motus inuisibiles consideres, vtque quaque in re ingenij acumen, perspicacitásque eluceat: vnde innumerabilium penè artium inuentio prodit. Quapropter rectè iussit meminisse: quemadmodum huiusmodi omnia, diuina potentia & fabricatione perfecta sint, atque vt singula tempore & loco circumscripsit, memoriam semper reuocans ad considerationem dominantis omnium, & perfectoris Dei. Etenim vt à mensis poculísque incipiamus, rectè iussit tunc Deum laudare, cùm mensæ accumbimus: in qua quidem nec aliquid ad consabulandum concessit quod diuini numinis memoriam abiiceret. Simili quoque ratione supra portas & ostia ea eulogia figere instituit, quæ Dei cogitationem mentibus innouarent. Apertissimo enim id signo ostendit, omne studium nostrum ad æquitatis puritatisque memoriam referri oportere. Atque in omnibus Dei timorem ante oculos versari præcepit: & cùm discumbimus & cùm assurgimus Dei fabricam non solum verbo, sed veneratione laudare; illarum rerum perpetuum motum meditantes, vtque diuina sit & incomprehensibilis harum rerum alternatio. Sic igitur breuiter demonstrata est partiendi, reminiscendíque ratio, veluti præposuimus eorũ quæ vngulas diuidunt & ruminãt. Neque enim vanum quicquam ad animum reddidit, verum hac dicendi vsus figura, singula ad veritatem accommodauit. Nunc verò quæ gustu auditúve percipiuntur, referamus. Nam ne quid agas, ne quid audias, aut dicendi flumine fisus ad

Ægyptior. Idololatria.

Leuit. 11.

Aues immundæ.

De animalibus findentibus vngulas & ruminantibus. Leuit. 11.

Muriom immundiciei mysterium.

iniqua labarit, eadem, similitudine admonuit, quod quidem & in pecorum consideratione inspicere licet. Sunt enim peruersorum morum mustellæ & mures, atque his similia animantia quorum contactum prohibuit. Nam mures cuncta fœdant, malóque afficiunt, & homini quidem non modò ad esum perniciosi, sed nec vlli prorsus vsui vtiles sunt. Mustellæ autem proprium est genus, & supra ea quæ diximus vt est ad deturpanda omnia immundum. Auribus præterea cócipit, quæ ore parturiat, qui mos hominibus perniciosissimus est, vt quæ ipsi auribus accipiunt, eadem verbis exaggerantes, maioribus malis inuoluant, instantémque turpitudinem, omnibus ipsi modis auctam iniquè fœdent. Quapropter sectè rex vester huiusmodi homines (sicuti accepimus) supplicio tollit. Hic equidē (inquam) emplanistas te dicere arbitror. Illos enim iudiciis, supplicio, fœdâque nece, assiduè insequitur. Ille hos ipsos (inquam) refero. Nam eorum inertia perniciosa viris perditio est. Iubet namq; lex nostra, nec sermone nec opere quenquam malu afficias. Sed de his ad te, hæc paucis dicta sint, quo intelligas nostra omnia, lege, ad iustum rectúmque dirigi, neque quicquam aut decenter minus, aut ex animi impetu factum, sacris in litteris admitti, verum vt per omnem vitam ac vniuersis operationibus nostris erga omnes homines mites, iustéque conuersemur dominātis Dei nusquam obliti. De cibis igitur & immundis reptilibus atque pecoribus, vtque ad iustitiam atque rectos hominum mores omnis intendat sermo: mihi quidem rectè dixisse visus est. Addidit insuper & de oblationibus vitulorum, arietum & hircorum, multa dissesens: quemadmodum illa ex armentis gregibúsque assumentes, mansueta animalia Deo cedant: nihilque ferum mactent, ne qui sacris adolent victimásque faciunt, elatum quid sibipsis proponentes, animo eleuentur, sed victimarum mansuetudine, & exemplo moniti, humiles & omni mente in Deum intenti, sacra peragant. Hactenus hæc ad te scripsi Philocrates memoratu digna, propter eam quæ tibi inest dicendi cupiditatem, quo ex his paucis, totius legis maiestatem, physicámque eius meditationem perciperes. Sed iam redeamus, vnde digressi sumus. Eleazarus sacris prius de more peractis, viros quos ad regem mittat, deligit: præclara inde munera regi accumulans, nos itineri quietos dimittit. Post vbi vero Alexandriam venimus, annunciatúsque est regi aduentus noster, extemplo Andreas & ego in atrium admissi, regem comiter salutauimus, reddidimúsque simul & ab Eleazaro epistolas. Ille quod maximi faceret rem sibi secundam in impetrandis hominibus euenisse, séque voti compotē factum gauderet: cæteros qui multi negociorum causa aderant excedere iubens, viros actutum aduocat præter omnium opinionem. Est enim mos genti, ne legatorum quisquam in regis conspectum admittatur, etiam si propter negocia missi redierint. Regum verò & excellentium vrbium legationes, vix trigesima die in atrium recipiuntur. Ac deinceps habita ratione pro dignitate eorum qui miserint & præstantia. Rex itaq; emissis omnibus quos minimè necessarios duxit, restitit deambulās, donec venientes se salutassent. Hi posteaquam cum muneribus & diuersis pellibus in quibus diuina lex aureis literis Hebraïco sermone conscripta erat, & membranarum tenuitate quæ inter sese quadam ligaturæ excellentia constringerentur, exornabatur, rem visu mirabilem: intromissi in regis conspectu steterunt. Rex sedulò in eos versus, vt primum viros circunspexit, de libris interrogat. Cùm autem illa inuolucra aperuissent, explicuissentque membranas, diutius hæsit Rex, septiésque adorans, Gratiam (inquit) vobis habemus viri, maiorem ei qui vos misit, maximam verò Deo, cuius eiusmodi verba sunt. Acclamantibus autem viris & omnibus qui vnà aderant voce simili applaudētibus, ipse præ gaudio lachrymis effusus est, profusa enim exhilaratio, & honoris sublimitas, lachrymas etiā nolentibus excutit. Hic admonens vt libri in suum or-

De Mustellis.

Physica legis Mosaicæ meditatio.

dinem redigerentur viros salutans, ait: Æquum erat viri A vt quorum gratia vos aduocastem, illos primum venerarer, atque inde vobis dexteram præberem, propter quod id primum egi, hæc verò dies per omne vitæ tempus magna mihi semper in annos erit & celebris, in qua & vos mihi adfuistis, & euenit vt aduersus Antigonum nauali prælio victor euaderē. Quapropter & vos quoq; hodie vnà mecum conuiuio lætari volumus: principes mox adesse, inter quos & me discumbere dignatus est, & omnem ædium apparatum quo vtitur depromi imperat, iubet & viris diuersoria quam ornatissima, & arci proxima sterni mandat, & conuiuium quam opulentissimè apparari: hic Nicanor medicorum princeps Dorotheum huiusmodi rerum præpositum aduocans imperat, vt omni promptitudine, quæ vsus decusque postulat, in singulos expediat. Etenim sic à rege institutum B erat quemadmodum & nunc quoque cernere licet, vt quotcunque ciuitates ad præbenda cibaria poculenta & lectisternia præparatæ sunt, totidem earum rerum præfectos habeant, qui regibus assistant, homines nulla in re morosi, quique si quando opus sit, necessaria exornent, & multa cum hilaritate iussa prosequantur: quod quidem in his maximè factum est. Nam Dorotheus vir in huiusmodi rebus dexter profususque, cum sibi talium virorum cura demandata esset, vniuersa quæ in sua potestate continebantur in tales vsus pridem præparata magnificè depromit, perhumanitérque cuncta exornans, thorus cuique pro regio imperio distribuit. Iusserat enim rex eorum partem mediam corā se, reliquos iuxta sui ipsius solium discumbere, nihil prætermittens C quod ad hominum honorem spectare arbitraretur, postea verò quam cuique suus stratus est thorus, præcepit rex Dorotheo, vt omnibus qui à Iudæa venerant, consuetas ex patrio more dapes, & quicquid concupiscant, præbeat; détque cuncta abundanter ad oblationes & sacra, atque alia vota peragenda sicuti genti mos est. His peractis, primum omnium Eleazarum virum grauem, ac omnibus qui nobiscum venerant seniorem, vota facere rogat. Ille (vt erat venerandus) stans inquit: impleat te rex bonis omnibus quæ fecit omnipotēs Deus, détque tibi vxori & liberis, & amicis ea omnia immota esse per omne vitæ tempus. Eo adhuc dicente, sequitur diuturnior cum clamore plausus, gaudij & exultationis plenus, móxque rebus iucunditate multa præparatis, in D lætitiam vertitur, ministris quemadmodum instituerat Dorotheus, festiuissimè cuncta præbentibus, inter quos & regij liberti & honoratissimi quique ministrabant, post vbi verò tempus sermoni opportunum visum est, Rex per interualla quædam (vt omnes ordine secundū ætatem assederant) eum qui primo loco discubuerat, interrogat.

Quonam pacto regnum incolume in finem vsque conseruetur.


Lle parumper cunctatus inquit: hoc maximè modo regnum optime dispones, si Dei mansuetudinem in rebus omnibus imitatus, patientia ac longanimitate vteris: extolléſque dignos, elatos autem affabilitate, ex malo in pœnitudinē traduces. Quæst. 1.

E

Eo collaudato, Rex proximum rogat. Quemadmodum iustè singula perficere possit? Respondit ille. Si in rebus omnibus seipsum obseruet, omnia cum rectè actusum: & si consideret omnem sensum à Deo esse, proponátque antè omnia Dei timorem, nulla in re aberrabit. Hunc maximè laudatum dimittens, tertium dicere hortatur. Quomodo amicos, sui similes habeat? Qui ait: si intelligent te multa meditari in subiectorum populorum commodum: & tu id facias considerans quemadmodum & Deus genus humanum bonis afficiat, valetudinem illis, & vitæ alimenta, atque alia cuncta opportunis temporibus præbens. Attestatus quoque & huic,

Quæst. 2.

Dei timor.

Quæst. 3.

Quæst. 4. ad alium qui illi assidebat, inquit. Quonammodo in ne-
gotiis ac iudiciis peragendis delictísque puniendis bo-
nam assequatur famam? Tum ille. Si omnibus te æquum
ratione præbueris, inquit, & nihil superbè, nihílque pro
potentiæ tuæ viribus contra delinquëtes ages. Id autem
assequeris si Dei dispositionem inspicias, qui dignis sua
vota perficit, peccantibus verò vel per insomnia vel
opere demonstrat, quid illis nocuum sit: neq; secundum
eorũ peccata, neq; pro magnitudine virium suarum ho-
mines cædit, sed mãsuetudine vsus corrigit rectè: Et hoc
quoque collaudato, deinceps postulat: Vt in rebus belli-
cis inuictus existat? Qui respondit, si non armis, si non
Quæst. 5. potentiæ suæ fidat, sed Deum semper imploret, vt iustè
agendi sibi consilia dirigat. Huius dicta recipiens, alium
Quæst. 6. inde petens poscit. Quemadmodum inimicis formi-
dolosus sit? Qui ait. Si armis & exercitu, multóque ve-
B luti ad bellum apparatu instructus fueris: ea tamen om-
nia diutius ceu vana priusquam his vteris, detineas: nam
& Deus ipse antequàm maiestatis suæ trepidationem
incutiat, inducias quasdam præbet. Ex in omni apparatu
mentes deterret. Et hunc item collaudatum dimittens:
Quæst. 7. alium interrogat. Quid sibi optimum in vita sit? At
ille, si cognoscat (inquit) quoniam Deus mortalibus do-
minetur, atque vt ad optimas quasque operationes non
per nosipsos consilia dirigamus: Deus enim qui cunctis
dominatur, omnium opera perficit & deducit. Annuens
Quæst. 8. & huic, alium ordine respondere iubet, Quomodo rectè
omnia seruans & illæsa, eundem filiis statu tradat? Tum
ille, si Deum (inquit) assiduè imploraueris, vt rectos tibi
sensus ad ea quæ in posterum peragendi sunt tribuat: &
filiis imperaueris, ne gloria, diuitiísque superbiant, sed
C arbitrentur Deum benignitate sua cuncta illis elargiri,
neque per sese alicuius rei substantiam possidere. Et at-
Quæst. 9. testatus rex ab alio petit. Vt bonam & malam famam
æquo animo ferat? Ad ea ille: si tibi ipsi proposueris, in-
quit, cunctos mortales sic à Deo esse creatos, vt maximis
malis interim, bonis rursus afficiantur, neque quisquam
omnium sit, qui huiusmodi alternationem effugere va-
leat: Deus enim implorandus est, qui tranquillitatem
tribuat. Approbans & hunc, rectè (inquit) omnes re-
sponderunt. Sed quando vnum deinceps, qui adhuc su-
perest, interrogauero, hæc ad præsens prætermittam, vt
ad lætitiam versi, reliquum huius diei iucundissime trã-
sigamus. Deinde sex qui sequentur dies, ea quæ modo
Quæst. 10. prætermittuntur addiscemus: his simul dictis, virum
D interrogat. Quis fortitudinis sit finis? Ille si quando
periculosa imminent (ait) in rebus aggrediendis rectè
quis consuluerit, & consulendo propositum assequa-
tur. Tibi enim rectè vtilitérque consulenti Deus cuncta
perficiet: acclamantibus omnibus & plausu virum col-
laudantibus: Rex in philosophos versus inquit (non
enim pauci aderant) Arbitror equidem hos viros vir-
tute excellere, ac plurimum intelligere, qui talibus roga-
tionibus extempore tam decenter responderunt: dicẽdi
initium à Deo omnes assumentes. Ad ea Meredemus
Erithræus philosophus profectò, rex (ait) cùm homo
diuinum sit opus, quod quidem & totius mundi fabrica
monstrat: rectè sequitur, vt omnem virtutis & sermonis
sui pulchritudinem principiumque a Deo deducat: his
E vbi rex annuit, in iucunditatem cuncti versi, conuiuium
summa festiuitate in noctem vsque protrahunt. Postri-
die eodem ordine mensæ parantur, conuiuium trahitur.
Cùm verò tempus ad rogandas sentẽtias accommodum
adsuit: rex eos interrogat, qui deinceps ordinem serua-
bant ab illis qui superiori die rogati sententias dixerant.
Cœpit enim ab vndecimo rogare: quoniã pridie decem
respondissent. Conticuerant iam omnes: & rex poscit.
Quæst. 11. Quibusnam modis diuitias conseruet? Ille dum petita
reuoluit paululum moratus: si nihil (inquit) indignum
regno tuo, neque flagitiose ages, neque in vanis rebus &
incommodis sumptus facies, & erga populum tuum te
beneficium benignumque præbueris. Etenim Deus,
bonorum omnium, quem sequi oportet, largitor est.

Quæst. 12. hoc collaudato, sequentem ediscere hortatur. Quando
A veritatem colat? His ille respondit: si cognoueris quam
magnum dedecus mendacia mortalibus omnibus affe-
rant, & multo maiorem notam regibus inurant. Nam
quando ea potentia sunt, vt quæ volunt facilè perficiãt,
cuius rei gratia mentientur? Oportet etiam te conside-
rare Rex, vt Deus amator veritatis existat. Hunc quoq;
Quæst. 13. valde approbans, in proximum respiciens inquit. Quæ
est disciplina sapientiæ? Tum ille, quemadmodum in-
quit te expertè optas, & omnibus bonis abundare, sic
hoc ipsum in subiectos tibi populos & delinquentes
seruos, si optimates præstantésque viros humaniùs cõ-
moneas. Etenim Deus mansuetudine cunctos fouet:
Quæst. 14. Annuens huic, ab alio postulat. Quonammodo cle-
mens, benignusque sit? Ille si consideres ait, quàm
B longiori tempore quantísque & quàm magnis calami-
tatibus oriatur genus hominum alatur, nutriatúrque.
Vnde neque in eos temere animaduertendum, neque ac-
cusandi sunt, si reuoluens insuper vt omnis hominum
vita doloribus semper & suppliciis exagitetur: singula
intelligens in misericordiam profectò verteris: Nam &
Quæst. 15. Deus misericors est. Suscipiens & hunc: deinceps or-
dine interrogauit. Quid in regno potissimum obser-
uandum sit? Conseruate (inquit) se à muneribus in-
corruptum: atque magnam vitæ partem inuigilare, iu-
stitiámque ante omnia colere, & huiusmodi amicos sibi
comparare. Iustos enim Deus amat. Annuens & huic:
Quæst. 16. ab alio petit, vt se doceat. Quid sit pietatis robur? Tum
ille cognoscere ait, quia Deus omnia semper operatur,
& videt, neque enim lateat quisquam iniusta faciens, ne-
C que perperam agens, vt enim vniuersum orbem Deus
bono afficit: ita & tu si eum imitaberis, nusquam aber-
Quæst. 17. rabis. Applaudens & huic alium rogat. Quis sit re-
gnandi modus? Ad ea ille rectè (inquit) seipsum regere:
& sine copia, nec gloria elatus superbum indecénsve cõ-
cupieris, si rectè ratiocinatus fueris, si cuncta tibi aderũt
quasi nihil sint: Deus enim mansuetus est, & nullius
egens, quod tu pro humanis viribus considera: neque
multa ad regnum apperas. Laudans & hunc: alij vt dis-
Quæst. 18. serat suadet. Quemadmodum optima eligat? Respon-
dit ille, si iusta semper tibi proposueris, arbitrerísq; ini-
quam vitæ priuationem. Nam & Deus semper iustis
elegantissima bona præparat. Hoc collaudato: à sequen-
te postulat. Quomodo in somnis quietus sit? Hic ille,
Quæst. 19. D rem dictu difficilem petis, inquit. Nam in iis quæ men-
tem per insomnia agitant, haudquaquam obsistere pos-
sumus, sed sensu quodãmodo irrationabiliter ducimur
ex huiusmodi rebus quæ accidere solent & videmus: vi-
demur enim quandoque pelago ferri, nauibus trancere,
nunc negociari, nũc pennis sublati volare, loca mutare,
& cætera huiusmodi quæ minimè fiant. Similiter &
quæ maximè experimus; ea mentem in somnis turbare
solent. Quare rex omni negocio quicquid dixeris, quic-
quid feceris, ad pietatem intendendũ censeo, vt teipsum
seruans virtute circumuallaueris, nec voluptate irrationa-
biliter pellectus, néue potẽtia fisus, quod iustum est tol-
las. Etenim in quibus quisque plurimũ versatur vigilãs,
& per quietem earundem rerum cura homini recursat.
E Sed quando omnes rationes & operationes tuas ad pul-
cherrima quæque instituis, & vigilans & dormiens, ob
eam causam optima in te semper est tranquillitas. Hoc
comprobatu, ad alium dixit. Postquam tu decimo loco
dicturus es, vbi responderis, ad conuiuiũ conuertemur.
Quæst. 20. His simul dictis petiit, Quemadmodum nihil indignum
agamus? Cui ille, si quid te deceat (inquit) quídve possis
omni in re, prospexeris ne tua dignitate indecorũ quic-
quam dicendo, agendóve te excidat, intelliges omnes
quibus imperas de te semper & cogitare & loqui, neque
enim minimum hypocritis partis, qui ex vultus varieta-
te mentem coniectant, ex cuius consideratione inde-
center cuncta peragunt. Tu verò nulla hypocrisi depra-
uatus apertè imperas, præstante tibi Deo multa cum di-
gnitate, morum elegantiam. Hic rex multa cum lætitia

diutius applaudēs, homines ad quietem dimisit. Post vbi
vero hæc ad illos locutus, se ad sequentis diei conuiuium
præparauerunt. Quod cùm eodem ordine seruato stru-
ctum esset, vt interrogandi tempus rex adesse putaret,
primum eorum qui nondum rogati fuerant, sententiam
Quæst. 21. dicere iubet. Quid sit in regno difficillimum. Ille, sibi ipsi
dominari respōdit: neque appetitibus efferri. Inest enim
natura mortalibus, vt mente ad aliquid semper declinēt,
& plerique ad mensas, pocula, voluptatésque trahuntur
in quibus multitudo maximè effunditur. At reges, subi-
gendorum populorum cura solicitat ob gloriæ magni-
tudinem. Sed pulchrum est se omni in re metiri, & quæ
Deus dederit studio continere. Inconcessa verò atque
inexpetibilia, ne concupiscas. His dictis assentiens, pro-
Quæst. 22. ximum interrogat. Quonammodo nemini inuideat?
Hæc ille excipiens, si animaduerteris primum (inquit)
Deo omnibus regibus impartiri gloriam, diuitias, &
magnitudinem, & illi imperare posse neminem. Nam
etsi huiusmodi gloriæ participē se quisque cupiat, haud
tamen potest, Dei enim donum est. Virum pluribus lau-
Quæst. 23. dans, alium petens (inquit). Vt inimicos spernat? Tum
ille, si placidus ait erga omnes benignitatem exercueris,
nullius amicitiæ ratione habita. Gratum vero se om-
nibus præbere: id pulchro Dei munere, quod optimum
est conceditur. His annuens: alium deinde respondere
Quæst. 24. iubet. Quemadmodum gloriosus perduret? Cui ille, si
benignitate, inquit, & gratia excellens, erga alios magni-
ficos extiteris: gloria te nusquā deseret, quæ vt tibi adsit,
Deus semper implorandus est. Hoc collaudato: proxi-
mum respondere precatur. Erga quos habendus sit bo-
Quæst. 25. nor? At ille ait, potissimum omnes tribuendum putant
his quos amicè diligamus: ego verò opinor erga æmu-
los habendam esse honoris munificentiam quā maxime
gratā, quo illus hoc præsertim modo ad ea quæ honesta
sibi sunt & vtilia inducamus. Oporret autem Deum qui
mentibus dominator precari, vt hæc perficiat. His vbi
Quæst. 26. assensit, à sexto exquirit: Quibus gratificandum sit? Ad
ea ille, parentibus (inquit) ante omnes, etenim Deus in
honorandis parentibus præceptum maximum posuit,
censens amicos secundo loco habendos: quos, animu
pares nominauit. Tu verò rectè facis qui cunctos ho-
mines ad te amandum allicis. Post hunc à sequente po-
Quæst. 27. stulat. Quid sit pulchritudine dignius? Ille, pietas ait.
Nam & ipsa pulchritudo quædam est præcellens: eius
autem potentia charitas, quæ quidem Dei munus est,
quā & tu possides, cuncta in ipsa bona amplectens. Huic
Quæst. 28. magno assensu applaudens, alium interrogauit. Quem-
admodum amissa gloria instauretur? Ille autem ad hæc,
quando (inquit) clemens omnibus gratúsq; existis, quæ
res beneuolentiam comparant: fieri non potest vt exci-
das: & magni prætererea armorum apparatus, maximam
securitatem præstant. Si qui vero cadunt: ab his absti-
neant oportet, quorum gratia exciderunt, amicitiarúm-
que inde cultores iusta agant. Dei namque donum est
bonorum operatio. Vbi talibus satisfactum est: alios
Quæst. 29. sententiam quærit. Quomodo sine tristitia viueret?
Tum ille, si neminem (inquit) læseris, omnésque iuues,
iustitia quosque prosequens: ab ex huiusmodi fructus
iucunditatis colligitur. Sed implorandus est Deus, ne
ea nos lædant quæ præter opinionem nostram accidūt,
vt sunt mortes, morbi, ægritudines & cætera huiusmo-
di. Te autem quando pius es, horum nihil insequetur.
Rectè & hunc respondisse asserens, decimum ad dicen-
Quæst. 30. dum hortatur. Quid sit in gloria potissimum? Respon-
dit ille, Deum venerari, non sacris inquam, neque mu-
neribus, verum animi puritate ac fide candida, eius vo-
luntatem sequi. Quod quidem & tu perficis id firmum
animo gerens, vt & quicquid feceris, & quæ facturus sis
omnibus pateant. Hic rex cunctos collaudatos maiori
voce salutat: omnibus & Præsertim Philosophis appro-
bantibus. Nam opere & sermone longè præstabant,
quippe qui à Deo sententiarum principium deduxerūt.
Exin rex conuiuio læto fruitur. Sequēti verò die mensis

A solito apparatu instructis, discubuerunt. Tum rex ex op-
portunitate eos deinceps qui ab iis pridie dixerant se-
quebantur: interrogans, à primo petit. An prudentia Quæst. 31.
doceri possit? Cui ille, animi (inquit) decus quoddam
est à diuina potentia fluens ad suscipienda bona, renuen-
dáque contraria. Confessus hoc, proximum interrogat.
Quid potissimum valetudini conferat? Ille, prudentia, Quæst. 32.
respondit, quæ contingit nemini nisi Deus mentem ad
eam præparauerit. Eo collaudato, ad alium inquit. Qui- Quæst. 33.
búsnam modis genitoribus dignas gratias referat? Ad ea
ille, si nulla in re (ait) illos tristitia afficias. Sed hoc po-
tuit nemo, nisi Deus cognitionis dux mentem ad pul-
cherrima quæque disponat. Annuens huic sequentem
postulat. Quomodo sit audiendi cupidus? Is, si existi- Quæst. 34.
maueris (refert) singularum rerum cognitionem tibi
vtilem fore: vt aliquid ex his quæ audieris ad præsens
B tempus comparans ea eligas quæ conuenientiora vide-
buntur. Sed implorandum est, vt diuinum adsit numen,
ab eo namque operationum omnium perfectio est. His
approbatis, ad alium dixit. Vt nihil contra leges agat? Quæst. 35.
Tum ille, si cognoueris, inquit, quoniam Deus legislator
mentes intellectúsque dederit ad bonorum vitam benè
regendam, leges sequeris. Approbans & hunc, ab alio
rogat. Quod sit cognitionis commodum? Sic ille, si Quæst. 36.
accidentia (inquit) reputare volumus: in aduersis enim
rebus, & nos vnà grauiter afficimur & premimur, vel
pro cognatorum mœstitiæ magnitudine, fortunantibus
autem illis gloria inde & decore extollimur. Si verò ne-
gocium inter se benignè susceperint: & cuncta indisso-
lubili glutino se habent, nihilque ad secundas illorum
C res desideratur. Verum orandum est, vt Deus cuncta
secundet. His item receptis, ad alium dixit. Quemad- Quæst. 37.
modum intrepidus existat? Ille, si mens (inquit) nullius
sibi conscia mali Deum sequatur, qui consilia omnia in
bonum dirigit. Hoc collaudato, ab alio petit, Quomodo Quæst. 38.
recta ratio in promptu sibi esset? Si hominum (inquit
ille) infortunia semper consideraueris: reuolutos quales
rerum vicissitudines Deus afferat, aliósque gloria subli-
matos honoribus prouehat, aliósq; calamitatibus oper-
tos ignominia deiiciat. Hunc benè dixisse asserens, alium
respondere hortatur. Quibusnam modis, neque socor- Quæst. 39.
dia neque voluptatibus distrahatur? Ille, in promptu hoc
tibi est, ait: cum & magno regno imperes, & varia ne-
gociorū multitudine tenearis, vt non ad aliud quidpiam
traducendi mentem quies detur: horum igitur in cura
D verseris oportet: Deumque roga, ne quod te decet præ-
termittas. Laudans & hunc, à decimo postulat. Quem- Quæst. 40.
admodum noscat, qui in eum dolo agant. Ille ad ex
respondit, si obseruaueris qua quisque erga te libertate
vtatur: an eosdem semper mores habuerit in salutando
consultandóque ac reliqua vitæ cōuersatione, nec quic-
quam eorum quæ amicitia postulat prætermiserit ab af-
fectibus & aliis vitæ rationibus. Deus verò tibi rex ad
optima quæque intellectum instruet. Hic, Rex nomino
quosque appellans, omnes collaudat: móxque cuncti in
iucunditatem vertuntur. Postera die Rex conuiuij op-
portunitate sumpta, sequentem monet vt ostendere ve-
lit, Quæ sit maxima negligentia? Tum ille si quis filio- Quæst. 41.
rum (inquit) negligens fuerit, eósque nulla in re erudiat.
E Deo enim semper vota non pro nobis tantum concipi-
mus, quantū precamur, vt & liberis nostris bona cuncta
adsint, eruditionem & prudentiam impartiatur. Nam id
Dei virtute euenit. Et hunc rectè dixisse obtestatus, ab
alio petit. Quomodo patriæ cultor existeret? Si tibi Quæst. 42.
persuaseris, ille inquit, domi viuere & mori optimum
esse, peregrinationem verò agentibus stultitiam, diuiti-
bus dedecus afferre, ceu patria suis malis eiecti sint. Igi-
tur tu bonis quemadmodum & facis cunctos afficiens,
id assequeris: Deus enim in omnibus gratiam tibi præ-
stabit. Hoc audito, alium rogat. Vt vxoribus accom-
modandum sit? Ille, quandoquidem (ait) fœmineum Quæst. 43.
genus sui confidens est, asperum, & suorum affectuum
sequax, atque in lapsum procliue propter imprudentiā,

& eius naturam imbecillem, verum ad valetudinem &
commoda nostra vtendæ sunt, neque illis contraria sen-
tentia aduersandum. Est enim dirigenda vita ad certum
aliquem finem: ac veluti nauium gubernatores signum
aliquod intendere, quæ profectò omnia & extera cun-
cta Dei institutione reguntur. Assentiens huic, pro-
ximum ad differendum hortatur. Quomodo non de-
Quæst. 44. cipiatur? Ad ea ille, si singula ratione prosecutus (ait)
detractoribus insuasus perstiteris, sed tu ipse vt excellis,
dicta quæq; discernens & facta si operationes tuas certo
iudicio directas perfeceris, indeceptus rex (vt dicis) eris.
Hoc verò intelligere atque in his versari, esse diuinæ po-
tentiæ operatio. His dictis rex assensus, ab alio poscit.
Quæst. 45. Quemadmodum non sit iracundus? Ille si consideraue-
ris (inquit) quoniam is in quo omnium vita pendet, si
quid per iram agat, mortem pluribus affert, quod qui-
dem triste & perniciosum est, multorum vitam regni
causa delere, verum cùm omnes obsecūdent & pareant,
nec vnus quidem aduersetur, qua de causa irascendum
est? Sed nosse oportet, vt Deus omni indignatione va-
cuus vniuersum gubernet, quem te imitari necesse esse.
Rex bene & nunc respondisse dicens, sequentem inter-
Quæst. 46. rogat. Quid sit bene consulere? Rectè cuncta (ille ait) ex
rationis discursu agere, ad propositum aliquem finem
reiicereque inutilia & rationi contraria, vt mente per
singula discursante bene consulendo propositum adipi-
scamur. Sed omne consilium est Dei virtute fit milli-
mum, tibi præsertim pietatem exercenti. Applaudens
Quæst. 47. & huic deinceps ostendere iubet. Quid sit philosophari?
Bene & commodè ratiocinari, refert, circa vnumquod-
que eorum quæ emergunt, neque appetitibus efferri, ne-
gligereque vana cuncta & stulta quæ ex cupiditatibus
oriri solent, ad peragenda opportuna mensura quadam
deduci, quem statum vt adipiscamur, Deum implorare
oportet. Huic annuens, inquit ad sequentem. Quæ sit
Quæst. 48. hospitalitatis remuneratio? Si omnibus inquit æquus
existēs quæ acceperis maiori etiam fœnore accumulata
reddideris, ita vt in hospitalitate excellere videaris. Nam
& Deus plurimū humiles erigit, & subiectos homines
diligit. Attestans his ab alio petit. Quæ sint diuturna
Quæst. 49. opera? Ille si magna inquit, quis & veneranda absoluat,
adeo vt spectantes propter operum pulchritudinem &
excellentiam illis abstineant, neque quenquam prætet-
mittat eorum qui talia expoliunt, neque tudonatos ali-
quos ad ea perficienda impellat quæ visus poscit. Etenim
Deus cuncta cernens, genus hominum donis accumu-
lat, præbens illis bonam valetudinem, & sensus & alia
huiusmodi. Quare & tu simile quid imitatus, laboran-
tibus calamitosisque, malorum vicissitudinem quietém-
que tribue: ea namque perpetua, quæ ex iustitia perfici-
untur. Rectè & hunc respondisse affirmans, decimum
Quæst. 50. rogat. Quis sit sapientiæ fructus? Is, non conscium
sibi esse mali respondit, & vitam in veritate transigere.
Ex his enim maximum gaudium, & animi voluptas gi-
gnitur, præstantissime rex, & spes in Deo optima tibi
regnanti piè, adesunt, His auditis, cuncti ea multo ap-
plausu approbarunt. Post hæc Rex multa lætitia ple-
nus, ad propinandum vertitur. Postridie verò vbi ex cō-
suetudine thoris omnes discubuere, Rex sumpto tem-
pore, eos qui supererant interrogat, à primo eorum pe-
Quæst. 51. tens. Quonammodo quis in superbiam non extollatur?
Respondit ille, si æqualitatem seruet, & singulis in rebus
sui ipsius meminerit, reuoluens animo, vt homo homi-
nibus præsit, vtque Deus deleat superbos, mansuetos &
humiles extollat. Hortatus hunc, sequentem ad dicen-
Quæst. 52. dum monet. Quibus consultoribus vtendum sit? His
(ait) qui multis in rebus versati, summam erga se bene-
uolentiam seruent: atque moribus sint tui similes. Sed
Dei claritas ostendit, qui sint huiusmodi digni. Laudans
& hunc, ab alio postulat. Quid regi sit maximè necessa-
Quæst. 53. rium? Subditorum (inquit) amor & dilectio, per hoc
namque insolubile beneuolentiæ vinculū texitur. Deus
enim ea perficit quæ rectè eliguntur. Huic annuens,

A alium definire hortatur. Qui sit orationis finis? Tum Quæst. 54.
ille, proposito (ait) de quo dicendum sit, aduersario per-
suadere, diluendo contraria, & inepta ostendendo. Sic
enim inoffenso currens pede, finem multa laude asse-
quetur. Sed Dei opere dirigitur persuasio. Bene & hunc
dicere testatus, alium interrogat, Quomodo multis in Quæst. 55.
regno populis se accommodet? Si decenter cuique di-
stribueris (inquit) iustitiámque (quemadmodum facis)
ducem sequaris, præbente Deo tibi recta discernere.
Congratulatus huic, ad alium dixit. In quibus est tri-
standum? Ad hæc ille respondit, in amicorum aduersis, Quæst. 56.
quandoquidem diuturna ea & ineuitabilia cernimus,
quæve calamitatibus opertos interimant. Nam in his
mœstitiam nulla ratio leuat. Sed de iis in quibus despe-
ramus, neque quicquam in his vtile inuenimus, morta-
les omnes contristantur: malum verò omnino effugere,
B diuinæ potentiæ est. Sic illi respondendum fuisse, testa-
tus, ad alium transiit petens; Quare quis inglorius fiat? Quæst. 57.
Respondit ille: si quando superbia quis ductus exaspere-
tur, vituperationes tunc subeunt & gloriæ priuatio. Nā
Deus totius gloriæ dominator, eam quo vult declinat.
Hoc collaudato, alium exinde ostendere vt velit precatur,
Quibus seipsum credere oporteat? Iis qui sibi bene- Quæst. 58.
uolentia ita afficiantur, inquit, vt neque in ore, neque
cupiditate vlla lucróue tangantur. Amoris verò signum
difficulter apparet, & temporis obseruatione indiget.
Nam qui diuitiis intendit; natura proditor existit. At
tibi omnes tui amatores adsunt, Dei tibi recta consilia
præbente. Prudenter & hunc dixisse dicens, alium
rogat, Quid regnum conseruet? Ille cura & meditatio Quæst. 59.
C (respondit) ne quid a rerum præpositis malè agatur cō-
mittatúrque in plebem, quemadmodum facis, cùm tibi
Deus præstantem intellectum præbuerit. Hoc laudato, de-
inceps petit, Quare gratia, honorque seruetur. Virtute Quæst. 60.
(ille inquit.) ea enim pulcherrimorum operum perfe-
ctrix, malum conculcat, quemadmodum & tu quidem
excellentem erga omnes bonitatem obseruas, quæ di-
uino tibi munere præstatur. Gratis multa, huius quo-
que dicta recipiens, vndecimum inde (quoniam duo à
lxx. superarent) postulat. Quomodo & in bellis quo- Quæst. 61.
que, animo pacifico se habeat? Si proposueris animo
(ait,) nihil perperam à tuis ducibus committi, verū om-
nes de virtute inter sese certare: quoniam eam spem ani-
mo fixam habeant, te suarum rerum curam gesturum,
si illos vitæ cedere contingat. Non enim tristitia afficie-
D tis, quandoquidem cuncta diuino munere recta dispo-
nas, præbente Deo tibi bona sapere. Hic omnes applau-
su suscipiens, lætitia effunditur, ac cuique propinans,
cum iis diutiùs oblectatur. Septima vero die splendi-
diori apparatu, quod plures è ciuitatibus legationes ad-
essent, conuiuio instructo, Rex per occasionem ad eos
versus qui nondum sententiam dixerant, eorum pri-
mum dicere monet. Quemadmodum rectè ratiocine- Quæst. 62.
tur? Ille, si tecum (inquit) reputaueris & dicta ipsa, & à
quo dicantur, ac qua quisque de re loquatur, eandémq;
multo post tempore variis modis perquisieris. Nam in-
genij acumen ad discernenda quæque, quemadmodum
& tu possides rex, Dei pulcherrimum est donum. Ea
plausu approbans, Rex alium postulat, Propter quid est
E quod plerique virtutem non assequantur? Hic, ille, quo- Quæst. 63.
niam natura (ait) mortales omnes incontinentes & ad
voluptates pronos finxit, ex quibus iniustitia gignitur,
& auaritiæ cumulus: virtutis verò status alto loco fixus,
eos maximè prohibet & reiicit, qui voluptatibus detinen-
tur: fortitudinem namque & iustitiam potissimum
colendas iubet, quorum ductor & largitor Deus est.
Rectè & hunc respondisse asserens, ab alio petit. Quid Quæst. 64.
reges potissimum sequi oporteat? Respondit ille, leges,
vt iustis operationibus mortalium vitam regant, quem-
admodum & tu peragens, perennem tui memoriam fe-
cisti, diuina præcepta secutus. Hoc collaudato, sequen-
tem rogat inquiens. Qui magistratibus præficiendi sint? Quæst. 65.
Ille, quicunque (ait) iniqua odio habent, ac tuos imitan-

tur affectus, laudúmque dulcedine tracti iusta semper ad adipiscendam gloriam operantur. Quód & tu profecto (Rex) quandoquidē Deus iustitiæ coronam tribuit, assequeris. Et hunc voce approbans, ad alium versus

Quæst. 66. puscit. Qui sint in duces eligendi? Qui fortitudine & iustitia excellant (inquit) quique hominum salutem ernentæ victoriæ anteponant: Nam & Deus, bona ad omnes operatur: quem tu sequutus, bonis afficis subditos tuos. Huius responsum laudans, quærit inde.

Quæst. 67. Qui vir admiratione dignus sit? Ad ea, ille quicunque refert, gloria diuitiis & potentia exuberans: æquam tamen erga omnes mentem habeat, quemadmodum & tu talem te gerens, omnibus admirãdus existis, Deus enim in hanc curam te ducit. Annuens huic ad alium dixit.

Quæst. 68. Quibus in rebus reges diutius versari debeât? Tum ille, in rerum gestarum cognitione (ait) in legendísque incumbentium operum libellis, temporis plurimum assumere oportet, & quæcunque ad conseruanda regna, emendandósque hominum mores scripta sunt perquirere: quod tu cum studio peragas, Deúsque consilia tua fœcundet, excellentem supra alios gloriam obtines. Gestieos huic, iubet vt inde ordine alius dicat.

Quæst. 69. Quid per ocium agendum sit, ne inertia torpeas? Ille ad hæc: considerandum est (ait) multa cum diligentia quæcunque in mentem veniunt, & ante oculos vitæ formam & imaginem quandam proponendam, tum qua quæque vi perfecta sint, considerandum: est enim & in his decus suum & eruditio quædam. Nam & sæpe in minimis egregium quiddam elucet, quod eligas. Tu verò quando bonitatem tibi Deus sufficit, elegantiam omnem propter philosophandi studium amplecteris. Hunc ex-

Quæst. 70. tollens dictis, nonum petens dic, ait: Quomodo in conuiuiis transigendum sit? Is discendi cupidos assumendos esse refert, & qui regni negotia meminisse possint, & principum vitas narrare, his namque suauius nihil, neq; iucundius inuenies. Quoniam hi quidem ad eruditionem pulcherrima quæque instructi, Deum venerantur, quod tu profectò facis, cùm præsertim cuncta tibi Deus

Quæst. 71. fortunet. Quo probato, rex ab alio petit. Quid potius sit populis an priuatum quempiam regem sibi constituant, an verò ex rege genitum regem sequantur? Respondit ille, id quod naturæ decentius est. Etenim cùm reges ex regibus orti insuaues & asperi erga populos habeantur, longè magis & qui à priuato loco ad hanc magnitudinem vehuntur (quando & pauperiem & duros labores experti sunt) truculentiores impiis tyrannis euadent, vi quadam subiectis imperantes. Verum vt supra dictum est, mos optimus est institutio communis valentissima ad regnandum, quemadmodum tu rex magnis imperas. Nam non tantum gloria & imperio & diuitiis excellis, quantum mansuetudine & benignitate vniuersos Dei munere allicis. Diutius & hoc collaudato, versus ad vltimum. Et tu dic, inquit,

Quæst. 72. Quid sit in regno optimum? Tum ille, in pace inquit semper populos continere: atque in causis peragendis quantocius rectè diiudicare. hæc per principem fiunt, quando malos exosus, bonos diligit, plurimíque existat, si hominis animam saluam reddat. Sicuti, & tu qui hominis necem, summum ducis scelus, cunctáque iustitia moderans perennem gestorum tuorum gloriam exornas, cùm Deus tibi liberam malis menté, omníque labe exemptam illustrauerit. His simul dictis ingens plausus attollitur, concta lætitia & gaudio diutiùs complentur. Sed vt fuor facta silétia tectis, rex craterem mero statuens propinat, & his qui sententias dixerant, & præsentibus omnibus, atque ita orsus: Maxima, inquit, mihi vestra præsentia adfulserunt bona. Nam & plurimum commodi vestris responsis, & doctrinam ad regnandū attulistis. Hinc tria cuique talenta argenti & puerum qui ministraret donari instituit. Ea approbãtibus vniuersis & applaudentibus, & lætitia & gaudio conuiuium effunditur, rege ante omnes festiuissimè soluto. Plura equidem de his dixit Philocrates, hominum

sapientiæ affectus. Mirabar namq; viros sic ex tempore A ad proposita quæque tam accommodatè, támq; eleganter respondere potuisse, cùm præsertim quæstiones huiusmodi, diuturna meditatione perquisitæ fuerint: & qui interrogabat, multa prius cogitando singula proponeret. Et illi extemporaneis responsis, ita inter sese conuenerunt; ac si his diutiùs consultassent. Quapropter admiratione digni visi sunt, cùm mihi & præsentibus omnibus, tum maximè philosophis. Verum enimuerò legentium hæc fidem excellere arbitror, & maiora videri, quàm quisquam credere possit. Sed quî ipse falsum aducere voluerim, cùm eadem & in regiis monumentis ceroi liceat, in quibus vel minimum prætermitti summo sceleri ducatur? vera igitur atque vt singula gesta sunt, omni prorsus errore abiecto referimus. Qua B in re quo verius singula teneremus, ea diligentia vsi sumus, vt assumptis regiis actis in quibus gesta regis dicta quæque & responsa conuiuiáque referuntur, nostra hæc ex illis mutuati simus. Mos est etenim quotidie quemadmodum nosti, ex ea diei hora qua primum rex responsa reddere cœperit, vsque dum in somno quiescat, singula eius dicta, gesta, facta literis demandare, rem profectò vtilem & rectè institutam, vt cùm prioris dici responsa, & acta releguntur, si quid minus commodè gestum sit, emendari possit. Igitur cuncta (sicuti diximus) regis monumenta diligentiùs perscrutatus, hæc ad te idcirco transcripsi, quoniam intelligeré quantopere bonarum artium desiderio tenearis. Post tres verò dies quàm ea gesta sunt, Demetrius viros ad maris insulam deduxit, transmissóque aggere septem sta- C diorum, pontem transgreditur, regionem inde quæ ad Boream vergit petens, ad præparatum consessum venit. Domus erat supra littus perquam decenter ornata, & quæ multo silentio quiesceret, rebus omnibus ad vitæ vsum elegantissimè dispositis. Illic eos ad peragendam interpretationem hortatur, viri singula inter se disserendo, consonum quid edebant. Rursúsque es iis in quibus omnium consensus accesserat: illa Demetrio habenda seruabant, quæ digniora, elegantioráque videbantur. extendebatur verò consessus huiusmodi & disceptatio ad nonam vsq; diei horam: soluto huiusmodi consilio ad curanda corpora disceditur. Etenim (vt prædiximus) cuncta sumptuosissimè præbebantur. Nam & quæcunque per singulos dies rex præparabat, eadem & D his Dorotheus, cui ea cura demandata erat, studiò assequebatur. Ad hæc quotidie regiam aulam inoisebant: vbi rege consalutato ad consueta loca diuertunt, atque vt mos est Iudæis, omnibus manibus priùs in mari lotis, Deo preces effundunt; lectioni inde & rerum interpretationi operam dant. Interrogaui equidem & illud quoque cuius gratia cum vota facerent, manus priùs lauarent? Quærenti talia, demonstratum illud testimonium esse, ne quid perperam agant, sed piè cuncta sanctéque perficiant, quandoquidem vniuersa opera manibus exerceantur, rectè singula ad iustitiam & veritatem (sicut prædiximus) referentes. Igitur viri & loci silentio & quieti habiti, magnáque vbique rerum amœnitate & splendore traducti, propositum opus expoliunt. Euenit autem vt duobus & septuaginta diebus quasi id è com- E posito inter sese factum fuisset, perficeretur huiusmodi scripturæ interpretatio. Enimuerò Demetrius rebus ritè, peractis, omnem Iudæorum multitudinem in eundem locum vbi interpretatio perfecta est, aduocat, rem omnem à principio edocet à præstantibus interpretibus, qui ab vniuersa multitudine maximis gratiis, & laudibus prosequuti sunt, quippe qui præstantiam bonorum causa extiterint. Exin Demetrium venerantur, orántque vt legem huiusmodi transcriptā suis principibus permittere velit, donec eius compositioné considerent. Igitur dum lex cognoscitur, astantes interpretum seniores, vrbiúmque legati & multitudinis principes, vnà omnes obtestantur, rectè sanctéque vnumquodque interpretatum esse, benéque se habere si sic

sic permanerent, neque in vno quidem permutetur. Approbantibus ea omnibus & rogationi applaudentibus, iubet Demetrius vt pro eorum consuetudine imprecentur, si quis vel addere, vel mutare, transferre, delere've audeat quicquam ex iis omnibus quæ scripta sunt. Cùm vniuersa hæc ritè expleuissent, vt perennis illa sit semperque seruetur, adiurat. Eadem vbi & illi læto plausu exoptarent, regi maximè gratificatus est quod demandatum sibi munus egregiè obtulisset, tradideróque perfectum. Hic rex post vbi studio cuncta explorat diligenterque, legislatoris sensus quosque longè admiratus, ad Demetrium ait: Vt fieri potuit quando talia hæc támque perfecta sunt, quod historiarum aut poetarum nemo sibi assumpserit? Tum ille: cùm ob venerandam legis institutionem refert, tum quia Deus prohibuerit. Nam quidam tantum opus sibi assumere ausi, mox diuina vltione percussi, consilio abstitere. Testatúrque inde se audisse Theopompum quoniam ex lege secretiora quædam in historia audaciùs transferre conaretur, supra triginta dies mentis turbatione correptum. Qui cùm per morbi interualla Deum implorasset: ei mansuetiùs per insomnium demonstratum est, ea gratia id sibi contigisse, quòd diuina peruertens in vulgus proiicere tentasset. quibus visis emendatus, & menti redditus est. Et quidem & ipse comperi apud Theodectum tragœdiarum scriptorem se luminibus captum, dum quædam ex huiusmodi libris in suum poema transferre vellet. Verum vbi eam cæcitatis causam animaduertit, Deum plures orasse dies, atque ita restitutum, ait. Tum rex obtestatus hæc à Demetrio perpulchrè dici, adiurat, iubétque vt in seruandis

A custodiendísque ab omni macula libris, summa exhibeatur cura. Exin interpretes perbenignè alloquens vt cùm in Iudæam venerint, frequentiùs ad se commeare velint, hortatur. Æquum enim est, inquit, vt nunc pro dignitate domum deducantur. Si verò redierint, amicos illos sicut fas est habituri, & magnis insuper muneribus ornaturi, pollicemur. Mox hominum reditus paretur, imperat, digna sui magnificentia erga eos visus. Etenim singulos tribus inclytis stolis donat, addítque prætereà auri talenta duo, cratetérmque præstantem, talenti pondo vnius, addit omnem diuersorij ornatum. Mittit adhæc Eleazaro thoros decem argenteis pedibus suffultos. cum his omnibus rebus quæ ad illorum decus exquiruntur. alia insuper talenta triginta, stolas decem, purpuram, coronámque decentem, tunicas byssinas ad

B centum, & phialas & pelues cratetésque aureos ad libamina duos. Literis deinde suis eum exhortatus est, ne homines prohiberet, si quando eorum quispiam ad se redire mallet. Nam eum doctorum virorum consuetudines pluris faceret: in his consequendis opes suas non quidem vanis in rebus vt prodigi, sumptuosissimè largiebatur. Habes tu quidem Philocrates munus, quod polliciti sumus: in quo legendo maiorem te profectò voluptatem capturum arbitror, quàm si in percurrendis fabulosarum rerum libris oblecteris. Cùm præsertim magnorum gestorum exercitatione, in quo quidem diutius versatis, ingenium exerceas. Quapropter enitar digna quæque ad te deinceps perscribere: vt præstantissimarum rerum inter nos amoris certamen excitetur. Vale.

TATIANI VITA EX D. HIERONYMI LIBRO DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

Tatianus, qui primum oratoriam docens, non paruam sibi ex arte Rhetorica gloriam comparauerat, Iustini martyris sectator fuit, florens in ecclesia, quandiu ab eius latere non discessit: Postea verò inflatus eloquentiæ tumore, nouam condidit hæresim, quæ Encratitarum dicitur, quam postea Seuerus auxit, à quo eiusdem partis hæretici, Seueriani vsque hodie appellantur. Porrò Tatianus infinita scripsit volumina è quibus vnus contra gentes florentissimus extat liber, qui inter omnia opera eius fertur insignis. Et hic sub imperatore M. Antonino Vero, & L. Aurelio Commodo floruit. Hæc ille.

IN EVANGELIORVM, TATIANI ALEXANDRINI, CONSONANTIAM VICTORIS EPISCOPI CAPVANI,

PRÆFATIO.

DVM fortuitò in manus meas incideret vnum ex quatuor Euangelium compositum, & absente titulo, non inuenirem nomen authoris, diligenter inquirens, quis gesta vel dicta Domini & Saluatoris nostri, Euangelica lectione discreta, in ordinem, quo se consequi videbantur, non minimo studij labore redegerit: reperi Ammonium quendam Alexandrinum, qui canonum quoque Euangelij fertur inuentor, Matthæi Euangelio reliquorum trium excerpta iunxisse, ac in vnam seriem Euangelium nexuisse. Sicut Eusebius Episcopus Carpiano cuidam scribens, in præfatione editionis suæ, qua canones memorati Euangelij edidit, supradicti viri imitatus studium, refert in hunc modum: Ammonius quidem Alexandrinus multum (vt arbitror) laboris & studij impendens, vnum ex quatuor nobis reliquit Euangelium. Ex historia quoque eius comperi, quod Tatianus vir eruditissimus, & orator illius temporis clarissimus, vnum ex quatuor compaginauerit Euangelium, cui titulum, Diapente, imposuit. Hic beati Iustini Philosophi & martyris, dum adhuc viueret, discipulus fuit. Quo migrante ad Dominum cum palma martyrij, magistri sanctam deserens disciplinam, & doctrinæ supercilio elatus, lapsus in Encratitarum hæresim, Marcionis potius amplexus errorem, quàm Iustini Christiani Philosophi veritatem, suæ vitæ perniciosus extitit, asserens inter alia nuptias & stupra, pari crimini subiacere. Sed & dictis Apostolicis manus profanæ emendationis, vel (vt dicam verius) corruptionis dicitur intulisse. Sed quia & hominum perfidorum (Christi Dei nostri operante potentia) confessione, vel opere, sæpe triumphat gloria veritatis. Nam & dæmones Christum fatebantur: & filij Sceuæ in actibus Apostolorum in nomine Iesu, quem Paulus prædicaret, dæmonia fugabant. Tatianus quoque, licet profanis implicitus erroribus, non inutile tamen exhibens studiosis exemplum, hoc Euangelium (vt mihi videtur) solerti compaginatione disposuit. Et forsitan adhuc beati Iustini adhærens lateri, illius eruditionis merito, hoc opus expleuit. Arbitror enim propterea non Ammonij, sed huius esse editionem memorati voluminis, quod Ammonius Matthæi fertur relationi, Euangelistarum reliquorum relationem discretos annexuisse sermones: hic verò sancti Lucæ principia assumpta. Licet ex maxima parte Euangelio sancti Matthæi, reliquorum trium dicta commixerit, vt iure ambigi possit, vtrum Ammonij an Tatiani inuentio eiusdem operis debeat æstimari. Veruntamen, vel si iam hæresiarches huius editionis author extitit Tatianus, verba Domini mei cognoscens, libenter amplector interpretationem. Si fuisset eius pro-

pria, procul abiicerem. Nam & contra gentes magnificos libros edidisse narratur. Hoc igitur Euangelium, cum absque numeris reperissem quos Ammonius mirabili studio reperit, Eusebius verò Cæsareæ Episcopus Palæstinæ ab eo accipiens exemplum, diligenter excoluit, quibus communiter ab Euangelistis dicta, propriis sunt notulis declarata, Domino adiuuante studium laboris impendi, vt memoratos numeros per loca congrua diligenter adfigerem. Quod si dubitatio alicuius verbi fortasse prouenerit, ex appositis numeris ad plenariam recurrens quilibet Euangelij lectionem, an & ibidem ita se sermo habeat, de quo ambiguitas prouenerat, incunctanter inueniat. Et absque scrupulo, studiosi mens secura, hoc possit uti volumine. Quod etsi à compositis huius authore voluminis cum numeris editum fuit, sed transcribentium desidia omissi putantur: Non tamen in eo sumus labore versati, quo opera solet nouella præsumi. Sciendum sanè, quod hic numerus Canonicus, vsque ad denariam perueniat quantitatem. Neque scribentis voluntate, horum numerorum summa defixa est, sed ratione. & regula naturali ab Ammonio inuenta est sagaciter. Neque enim aut infra denarium, aut vltra poterit vllo modo alius numerus reperiri qui quatuor Euangelistarum dicta communia, aut propria valeat explicare. Quod præsenti facile possit exemplo probari. Nam aut omnes quatuor sibi concordare necesse est, aut Matthæus, Marcus, Lucásque sibi conueniunt, aut Matthæus Ioannes consentit, aut Matthæus Lucæ concordat, aut Matthæus cum Marco, eadem loquitur, aut Marcus cum Luca & Ioanne, propria loquitur, aut Marcus cum Ioanne, similibus loquitur: aut Marcus cum Luca, eadem narrat: aut Lucas cum Ioanne, non discrepantia referunt: aut singuli, propria inueniuntur exponere. In quatuor igitur Euangelistis, euidenti numerorum ratione monstratum est, quod non valeat communis propriáque relatio vltra progredi, aut intra denariam contrahi quantitatem. Quos tamen Canones breuiter subter adnexui, quibus vnusquisque canon numeris declaretur, vel vt manifestius fiat, in quo canone qui Euangelistæ communia vel propria dixerint, facilè lector inueniat. Ordinem verò quem in canonum ratione digessimus, ad hoc exeruimus, vt sola probatio fieret, rationabiliter denarij summam fuisse conscriptam. Nam quæ sit eorum positio, breuiter vt diximus, infrà notari curauimus. Ipsos quoque numeros in vnum pariter congregatos, in modum quo eos sanctus Hieronymus digessit, curaui describere: iuxta seriem duntaxat, qua totius Euangelij huius lectio explicatur, vt qui eadem vel alia, aut vbi propria Euangelistæ protulerint (memoratos numeros prius curiosius lector si velit inspiciens) facilè ex nota numeri, reperta comprobet lectione: Sanctam & beatissimam trinitatem precantes vt nos in veritate scripturarum suarum erudire dignetur, & discretionis gratiam tribuat, quatenus, vt optimi trapezitæ, omnia probemus secundum Paulum, & quæ sunt bona sectemur. 1. Thess. 5.

Quamuis S. Victor, & sanctitate & eruditione clarueris, in hoc tamen lapsus videtur, quod harmoniam istam quæ hic ponitur Tatiani, Encratitarum principem esse putauerit, cum potius hæc Ammonij Alexandrini sit: & illa altera quæ postea subijcitur, Tatiani germanus fætus exsistat. Argumenta sunt perspicua. Primum, quod vt illo ex Eusebio & Theodoreto notabimus, Tatianus in suo Euangeliorum Diatessaron, id est vnum ex quatuor sranie & dolo hæretice amputauit omnes genealogias Christi, & alios quæcunque ostendunt Dominum ex Dauid secundum carnem progenitum: at in ista hac, quæ hic describitur, harmonia, nihil horum detractum reperimus, in hac enim omnia quatuor Euangelistarum dicta, nullo prætermisso ad verbum excripta reperiuntur. Deinde ista Harmonia ex expressis Euangelistarum verbis concinnata, illamet esse deprehenditur Ammonij Alexandrini, quam Zacharias Chrysopolitanus Episcopus ante quingentos annos commentarijs illustrauit, quæque eo nomine inscripta circumfertur. Insuper inscriptio hic præfixa operi manifestè omnem detegit errorem. Nam sic habet SS. quatuor Euangeliorum Harmonia Tatiano Alexandrino auctore. Certe Tatianus opus suum non Harmoniam sed Diatessaron id est vnum ex quatuor nuncupauit vt Eusebius, Theodoretus, Victor Capuanus, Nicephorus, & omnes affirmant, nec Tatianus Alexandrinus fuit, sed Syrus, vt Clem. ab Alexandrinus lib. 3. Stromatum. S. Epiphanius hæresi 46. Theodoretus lib. 1. hæreticar. fabular. & alij produnt. At quis nescit Ammonium Alexandrinum fuisse, & opus eius in hoc argumento [illegible] inscriptum. Ex quibus omnibus extra controuersiam esse videtur, hanc quæ hic inseritur, Harmoniam, non Tatiani, sed Ammonij esse, sequi [illegible] dum titulum: SS. Quatuor Euangeliorum Harmonia Ammonio Alexandrino auctore. & si plenius eiusdem iudicium probatum cupis, a[illegible] 2. annal. eccles. anno Domini 174. cap. 5. & seqq. & sacrum Apparatum Possevini, verbo Ammonius. Vide quoque [illegible] post S. Victorem a[illegible] quoque tertium lib. 4. bibliothecæ Ammonio & Tatiano, & Georgium Cedrenum lib. 3. Oeconomiæ bibliorum, & alios. Vide notam infra ad Ammonium nomine Ammonij.

S. QVATVOR EVANGELIOR. HARMONIA, TATIANO ALEXANDRINO AVTHORE.

Præfatio Lucæ.

QVONIAM quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum, sicut tradiderunt nobis qui ab initio viderunt, & ministri fuerunt sermonis, visum est & mihi assecuto à principio, de omnibus diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile, vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

In principio erat verbum, Deus apud Deum, per quem facta sunt omnia. Io principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

Cap. 1. De Sacerdotio Zachariæ. Cap. 2. Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ, sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & vxor illi de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth. Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini, sine querela. Et non erat illis filius, eo quòd esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Factum est autem cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum: secundum consuetudinem sacerdotij sorte exiit vt incensum poneret, ingressus in templum Domini. Et omnis multitudo populi erat orans foris, hora in-

A censi. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris altaris incensi. Et Zacharias turbatus est, videns, & timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem. Et erit gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino, & vinum & siceram non bibet. Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Et multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios: & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam. Et dixit Zacharias ad Angelum: Vnde hoc sciam? ego sum senex, & vxor mea processit in diebus Luc. 1.
B suis. Et respondens Angelus, dixit ei: Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hoc tibi euangelizare. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. Et erat plebs expectans Zachariam, & mirabantur quod tardaret ipse in templo. Egressus autem non poterat loqui ad eos. Et cognouerunt quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, & permansit mutus. Et factum est, vt impleti sunt dies officij eius, cum abiit in domum suam. Post hos autem dies concepit Elizabeth vxor eius, & occultabat se mensibus quinque,

dicens: Quia sic mihi fecit Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

Angelus Gabriel ad Mariam loquitur. Cap.3.

In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen virginis, Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Dominum. Ecce concipies, & paries filium in vtero, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, ideóque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus. Exurgens autem Maria, in diebus illis abiit in montana, cum festinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth. Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ, Elizabeth, exultauit infans in vtero eius. Et repleta est Spiritu sancto Elizabeth, & exclamauit voce magna & dixit ei: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Et beata quæ credidit, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt ei à Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum: & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Et misericordia eius in progenies & progenies, timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Suscepit Israel puerum suum, memorari misericordiæ suæ. Sicut loquutus est ad patres nostros Abraham & semini eius in sæcula. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.

Luc.1.

De natiuitate Ioannis Baptistæ. Cap.4.

Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum est in die octauo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui, Zachariam. Et respondens mater eius, dixit: Nequaquam, sed vocabitur, Ioannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum, & postulans pugillarem scripsit dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi. Apertum est autem illico os eius, & lingua eius, & loquebatur, benedicens Deum. Et factus est timor super vicinos eorum & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc, & posuerunt omnes qui audierunt in corde suo, dicentes: Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius impletus est Spiritu sancto, & prophetauit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit redemptionem plebis suæ. Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt prophetarum eius. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Ad faA ciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti. Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis. Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi, in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Et tu puer, propheta altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius. Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu. Et erat in desertis vsque in diem ascensionis suæ ad Israel.

De generatione vel natiuitate Christi. Cap.5.

Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abra-B ham, Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Iacob autem, genuit Iudam, & fratres eius. Iudas autem, genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esrom. Esrom autem, genuit Aram. Aram autem, genuit Aminadab. Aminadab autem, genuit Naasson. Naasson autem, genuit Salmon. Salmon autem, genuit Booz de Rahab. Booz autem, genuit Obed ex Ruth. Obed autem, genuit Iesse. Iesse autem, genuit Dauid regem. Dauid autem rex, genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Vriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem, genuit Abia. Abia autem genuit Asa. Asa autem, genuit Iosaphat. Iosaphat autem, genuit Ioram. Ioram autem, genuit Oziam. Ozias autem, genuit Ioathan. Ioathan autem, genuit Achaz. Achaz autem, genuit Hiezechiam. Hiezechias autem, genuit Manassen. Manasses C autem, genuit Amon. Amon autem, genuit Iosiam. Iosias autem, genuit Iechoniam & fratres eius, in transmigratione Babylonis, & post transmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem, genuit Zorobabel. Zorobabel autem, genuit Abiud. Abiud autem, genuit Eliachim. Eliachim autem, genuit Azor. Azor autem, genuit Sadoch. Sadoch autem, genuit Achim. Achim autem, genuit Eliud. Eliud autem, genuit Eleazar. Eleazar autem, genuit Mathan. Mathan autem, genuit Iacob. Iacob autem, genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Abraham autem fuit filius Tharæ, Qui fuit Nachor. Qui fuit Seruch. Qui fuit Ragau. Qui fuit Phalec. Qui fuit Heber. Qui fuit Sale. Qui fuit Cainan. Qui fuit D Arphaxat. Qui fuit Sem. Qui fuit Noe. Qui fuit Lamech. Qui fuit Matusalæ. Qui fuit Enoch. Qui fuit Iareth. Qui fuit Malelehel. Qui fuit Enos. Qui fuit Seth. Qui fuit Adam. Qui fuit Dei. Omnes ergo generationes ab Abraham vsq; ad Dauid, generationes quatuordecim. Et à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim. Et à transmigratione Babylonis vsque ad Christum, generationes quatuordecim. Christi autem generatio sic erat: Cùm esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto. Ioseph autem vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini in somnis apparuit ei diE cens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam, dicentem: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus. Exurgens autem Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem suam, & non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum, & vocauit nomen eius Iesum. Factum est autē in illis diebus, exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima, facta est à præside Syriæ Cyrino. Et

Matth.1.

Luc.3.

Matth.1.

Is.7.

ibant omnes vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem; eò quod esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies vt pareret, & peperit Filium suum primogenitum. Et pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.

Angelus apparuit pastoribus. Cap. 6.

Et pastores erant in regione eadem vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno: Et dixit illis Angelus: Nolite timere: Ecce ego euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus, Dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem

Luc. 2.

B pannis inuolutum & positum in præsepio. Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et factum est, vt discesserunt ab eis Angeli in cœlum, pastores loquebantur ad inuicem. Transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem, cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierant, mirati sunt, & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in

C corde suo. Et reuersi sunt pastores, glorificantes & laudantes Deum, in omnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos.

Ductus est Iesus à parentibus vt circumcideretur. Cap. 7.

Et postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus: Quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur. Et postquam impleti dies sunt purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur: & vt darent hostiã secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Symeon, & homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in

D eo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Et erat pater eius & mater, mirantes super his quæ dicebantur de illo, & benedixit illis Symeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradice-

E tur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetissa filia Phanuel, de tribu Aser. Hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua, & hæc vidua vsq; ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Et hæc ipsa hora superueniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo, omnibus qui expectabant redemptionem Hierusalem. Et vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth.

De Magis qui venerũt ab Oriente. Cap. 8.

Cùm ergo natus esset Iesus in Bethleem Iudææ, in diebus Herodis Regis: Ecce Magi ab Oriente venerunt

A Ierosolymam dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Et congregans omnes Principes sacerdotum & scribas populi, sciscitabatur ab eis vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt: In Bethleem Iudææ: Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda: Ex te enim exit Dux, qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis, & mittens illos in Bethleem, dixit: Ite & interrogate diligenter de puero, & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum: qui cùm audissent regem, abierunt. Et ecce stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret suprà vbi erat puer. Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio valdè. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum. Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

Mich. 5.

Fugatus Iesus, & parẽtes eius in Ægyptum. Cap. 9.

Qui cùm recessissent: Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens, accepit puerum & matrẽ eius nocte, & secessit in Ægyptum, & erat ibi vsque ad obitum Herodis, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam, dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum.

Herodes interficit pueros. Cap. 10.

Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valdè, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & omnibus finibus eius, à bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis. Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam prophetam, dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus, & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos: & noluit consolari, quia non sunt.

Iesus reuocatur ex Ægypto. Cap. 11.

Defuncto autem Herode, ecce apparuit Angelus Domini in somnis Ioseph in Ægypto, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Iuda. Defuncti enim sunt, qui quærebant animam pueri. Qui

D surgens, accepit puerum & matrem eius, & venit in terram Israel. Audiens autẽ quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illũ ire: & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Et veniens, habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas, Quoniam Nazareus vocabitur.

Remansit Iesus in Templo Ierosolymis.

Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem, in die solenni Paschæ. Et cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam, secundum consuetudinem diei festi, consummatísque diebus, cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius.

E Æstimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes regressi sunt in Ierusalem requirentes eum. Et factum est post triduum, inuenerunt eum in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentia & responsis eius. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili mi, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad illos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo. Et

Luc. 4.

Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.

Ioannes Baptista apparuit in Israël. Cap. 13.

Anno autem quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Itureæ & Traconitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetraecha, sub principibus sacerdotum Anna & Caipha, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans Baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Hic est enim qui dictus est per Isaiam Prophetam, dicentem: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: Et erunt praua in directa, & aspera in vias B planas, & videbit omnis caro salutare Dei. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Ioan- C nes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens. Hic erat quem dixi vobis, quia post me venturus est, & ante me factus est, quia prior me erat. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. Esca autem eius erat, locustæ & mel syluestre. Tunc exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur in Iordane ab eo, confitentes peccata sua. Videns autem multos Pharisæorum & Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere a D ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Et ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potest Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excindetur, & in ignem mittetur. Et interrogabant eum turbæ dicentes: Quid ergo faciemus? Respondens autem, dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat. Venerunt & Publicani, vt baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus? At ille dixit ad eos: Nihil amplius quàm constitutum est vobis, faciatis. Interrogabant eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis. Neminem concutiatis, neque calum- E niam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris. Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne fortè ipse esset Christus. Miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & Leuitas ad eum, vt interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est, & non negauit. Et confessus est, quia non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum. Quid ergo? Elias es tu? Et dixit, non sum. Propheta es tu? Et respondit, non. Dixerunt ergo ei: Quis es, vt responsum demus his qui miserunt nos? quid dicis de te ipso? Ait: Ego sum vox clamantis in deserto, parate viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? Re-

Ioan. 1. Matth. 3. Matth. 3. Ioan. 1. Matth. 3.

A spondit eis Ioannes, dicens: Ego quidem baptizo vos in aqua, in pœnitentiam. Qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare. Medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne. Cuius ventilabrum in manu eius, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Multa quidem & alia exhortans, euangelizabat populo. Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.

Baptizatur Iesus à Ioanne. Cap. 14.

Tunc venit Iesus à Galilæa in Iordanem, ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Et ipse erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondens autem Iesus dixit ei: Sine mo- B dò, sic enim decet nos adimplere omnem iustitiam: tunc dimisit eum. Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato & orante, confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit spiritum Dei descendentem corporali specie sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cœlis dicens: Tu es filius meus dilectus, in te complacuit mihi. Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidistis spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum, & ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videritis spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.

Ductus est Iesus à spiritu in desertum. Cap. 15.

C Tunc Iesus ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit: si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui respondens, dixit: Scriptum est, non in pane solo viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum: Scriptum est enim: quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Dominus: rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valdè, & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum. Et dixit illi: Hæc omnia tibi D dabo, si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus: Vade satanas, scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Et consummata omni tentatione, tunc reliquit eum diabolus vsque ad tempus. Eratque cum bestiis. Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

Duo Discipuli Ioánis secuti sunt Iesum. Cap. 16.

Altera die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo: & respiciens Iesum ambulantem dicit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum. Conuersus autem Iesus, & videns eos sequẽtes se, dicit eis: Quid quæritis? qui dixerunt ei Rabbi, quod dicitur interpretatum, magister vbi habitas? dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt vbi maneret, & apud eum man- E serunt die illo. Hora autem erat quasi decima. Erat autem Andreas Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierunt à Ioanne, & secuti fuerunt eum. Inuenit hic primum fratrem suum Symonem, & dicit ei. Inuenimus Messiam, quod est interpretatum, Christus. Et adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Ioanna, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.

Mar. 1.

De Philippo & Nathanaële. Cap. 17.

In crastinum autem voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum, & dicit ei Iesus: Sequere me. Erat autem Philippus à Bethsaida, ciuitate Andreæ & Petri. Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. Et dixit Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni & vide. Vidit

Iesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. Dicit ei Nathanael: Vnde me nosti? Respondit Iesus, & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu, vidi te. Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israel. Respondit Iesus & dixit ei: Quia dixi tibi, vidi te sub ficu, credis; maius his videbis. Et dicit eis: Amen amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & angelos Dei ascendentes supra filium hominis. Et regressus est Iesus in virtute spiritus in Galilæam, & fama exiit per vniuersam regionem de illo. Et ipse docebat in synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.

In synagoga legit Iesus librum Isaiæ. Cap. 18.

Et venit Nazareth vbi erat nutritus, & intrauit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, & surrexit legere, & traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et vt reuoluit librum, inuenit locum vbi scriptum erat: B Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro & sedit, & omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. Exinde cœpit Iesus prædicare & dicere: Quoniam impletum est tempus. Pœnitentiam agite. Et credite Euangelio. Appropinquabit enim regnum cœlorum.

Iesus vocauit Petrũ & Andream, Iacobum & Ioannem. Cap. 19.

Ambulans autem iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete in mare. Erant enim piscatores. Et C ait illis: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò relictis retibus, sequuti sunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, & vocauit eos. Illi autem statim relictis retibus & patre, sequuti sunt eum. Factum est autem cum turbæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genezareth, & vidit duas naues stantes secus stagnum: Piscatores autem descenderant, & lauabant retia sua. Ascendens autem in vnam nauim quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum, & sedens docebat de nauicula turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt sociis, qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos: & venerunt & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu dicens: Exi à me, quia homo peccator sum Domine. Stupor enim circumdederat eum: & omnes qui cum illo erant, in captura piscium quam ceperant, similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere, ex hoc eris homines capiens. Et crediderunt in eum discipuli eius. Et subductis à terra nauibus, relictis omnibus, sequuti sunt illum.

Luc. 5.

Luc. 5.

Iesus vocauit Matthæum Publicanum. Cap. 20.

Et cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in teloneo, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me. Et surgens, relictis omnibus sequutus est eum.

Audiens Iesus quod Ioãnes traditus esset, secessit in finibus Zabulon & Nepthalim. Cap. 21.

Post hæc venit Iesus & discipuli eius in Iudæam terram, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. Erat autem & Ioannes baptizans in Ennon, iuxta Salim: quia aquæ multæ erant illic, & adueniebant, & baptizabantur: nondum enim missus fuerat in carcerem Ioannes. Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis, cum Iudæis de purificatione. Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, Ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Respondit Ioannes, & dixit: Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœ- A lo. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim, ego non sum Christus, sed quia missus sum ante illum. Qui habet sponsam, sponsus est: Amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui. Qui desursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Qui de cœlo venit, super omnes est. Et quod vidit & audiuit, hoc testatur, & testimonium eius nemo accipit. Qui accipit eius testimonium, signauit, quia Deus verax est. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Qui credit in filium habet vitam æternam: Qui autem incredulus est filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Vt B ergo cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quia Iesus plures discipulos facit & baptizat quam Ioannes, quanquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius, & quod Ioannes traditus esset, reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam. Cum autem audisset quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam. Et relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit Capharnaum, maritimam in finibus Zabulon, & terra Nepthalim, vt impleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam: Terra Zabulon & terra Nepthalim, via maris trans Iordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.

Circuibat Iesus omnes regiones, & sedẽs in monte elegit duodecim discipulos, & docuit eos de beatitudine regni cœlorum, & quæ sequuntur. Cap. 22.

C Et circuibat Iesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio eius in totam Syriam & obtulerunt ei omnes malè habentes variis languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & curauit eos. Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & Ierosolymis, & Iudæa, & trans Iordanem. Et detinebant illum ne discederet ab eis. Quibus ille ait: Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum. Et cum vidisset turbas, ascendit in montem, & cum sedisset, vocauit ad se quos voluit ipse. Et venerunt ad eum, & fecit vt essent duodecim cum illo, quos & Apostolos nominauit, Simonem, quem cognominauit Petrum, & Andream fra- D trem eius, & Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, quibus imposuit nomina Boanerges, quod est filij tonitrui. Philippum & Bartholomæum, Matthæum & Thomam, Iacobum Alphæi, & Simonem, qui vocatur Zelotes, & Iudam Iacobi, & Iudam Iscarioth, qui fuit proditor. Et accesserunt ad eum discipuli eius Et eleuatis oculis in eos, aperiens os suum, docebat, dicẽs: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam cõsequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, E quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cum maledixerint vobis homines, & oderint vos, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos, patres eorum.

Luc. 6.

Matth. 5.

Increpatiõ diuitum. Cap. 23.

Veruntamen væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Væ cum benedixerint vobis omnes homines. Secundum hæc faciebant Prophetis patres eorum. Sed vobis dico qui auditis:

Vos estis sal terræ. Cap. 24.

Vos estis sal terræ. Quod si euanuerit sal, in quo salietis? ad nihilum valet vltra, nisi vt proiiciatur foràs, & conculcetur ab hominibus.

Vos estis lux huius mundi & aliorum cōparationes de præceptis legis. Cap. 25.

Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscōdi supra montem posita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, neque sub lecto, neque in abscōdito loco, neque sub vase, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum qui est in cœlis.

Nolite putare, quoniam veni soluere legem, aut Prophetas, non veni soluere sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Qui autem fecerit & docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Dico enim vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Iracundiæ prohibitio. Cap. 26.

Audistis quia dictum est antiquis, non occides: qui autem occiderit, reus erit mortis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.

De relinquendo munus ad altare. Cap. 27.

Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniēs offeres munus tuum. Esto consentiens aduersario tuo citò dum es in via cum eo, ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico vobis, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.

De adulterio concupiscentiæ. Cap. 28.

Audistis quia dictum est antiquis: non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quoniam omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & proiice abs te: Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proiice abs te, expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.

De repudio. Cap. 29.

Dictum est autem: Quicunque dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudij. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.

De iuramento. Cap. 30.

Audistis quia dictum est antiquis, non peierabis, reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis: Non iurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius. Neque per Ierosolymam, quia ciuitas est magni regis, neque per capillum tuum iurauerisì, quia non potes vnum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, est est, non non, quod autem his abundantius est, à malo est.

De eo quod scriptum est oculum pro oculo. Leuit. 24. Cap. 31.

Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo. Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunque te angariauerit mille passus, vade cum illo alia duo. Qui petit à te, da ei, & volenti mutuari à te, ne auertaris. Et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. Et prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.

De diligendo proximum. Cap. 32.

Audistis quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odies inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderūt, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super malos & bonos, & pluit super iustos &

A iniustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? Et si bene feceritis his qui bene vobis faciunt, quæ vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis his à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis: Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia.

Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nónne & ethnici hoc faciunt? Veruntamen diligite inimicos vestros & benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filij altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. Estote ergo misericordes, sicut & pater vester misericors est. Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.

Matth. 5.

De occulta eleemosyna. Cap. 33.

B Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioqui mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua, vt sit eleemosyna tua in abscōnso, & Pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi.

De secreta oratione. Cap. 34.

Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum orabis, intra in cubiculum, & clauso ostio tuo, ora Patrem tuum in absconso, & pater tuus qui videt in absconso, exaudiet te. Orantes

Matth. 6.

C autem nolite multum loqui, sicut ethnici, putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis, scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum. Tūc dixit vnus ex discipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare, sicut & Ioannes docuit discipulos suos. Et ait illis: Cum oratis, dicite: Pater noster qui es in cœlis. Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis ho-

D minibus, nec Pater vester dimittet peccata vestra.

De occulto ieiunio. Cap. 35.

Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo, qui est in absconso, & pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis.

De nō thesaurizando super terram. Cap. 36.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, vbi

E neque ærugo neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?

Quia nemo potest duobus dn̄is seruire. Cap. 37.

Nemo potest duobus dominis seruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire, & mammonæ.

Nō debere solicitū esse de esca vel indumēto. Cap. 38.

Ideo dixi vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nónne anima plus est quàm esca, & corpus plus

est quam vestimentum? Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cœlestis pascit illa? Nónne vos pluris estis illis? Quis autem vestrûm cogitans, potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum? Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis? Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant neque nent: Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur; Deus sic vestit, quanto magis vos minimæ fidei? Nolite ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite autem primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & omnia hæc adiicientur vobis. Nolite ergo soliciti esse in crastinum, Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua.

Nõ debere quenquam iudicare vel cõdemnare. Cap. 39.

Nolite iudicare, vt non iudicemini: in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Nolite condemnare & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini. Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam, coofertam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo, Sine eiiciam festucam de oculo tuo, & ecce trabes est in oculo tuo? hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui. Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos.

Parabola de amico, vel tribus panibus. Petendum, pulsãdum, quærendum. Cap. 40.

Quis vestrûm habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit ad me de via, & non habeo quod ponam ante illum. Et ille deintus respondens, dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi. Et ille si perseuerauerit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quòd amicus eius sit: propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. Ego dico vobis: Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget illi? aut si piscem petierit, nunquid serpentem porriget illi? aut si ouum petierit, nunquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se? Omnia ergo quæcũque vultis vt faciãt vobis homines, & vos facite eis, hæc est enim lex, & prophetæ. Intrate per angustam portam, quia lata est porta, & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam?

De cauẽdo à falsis prophetis. Cap. 41.

Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonus facit, mala autem arbor, fructus malos facit. Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Bonus homo, de bono thesauro cordis sui, profert bona, & malus homo, de malo thesauro profert mala: ex abundantia enim cordis os loquitur. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excindetur & in ignem mittetur. Igitur & ex fructibus eorum cognoscetis eos.

Non intrabunt in regnũ cœlorum qui tã dicũt Domine, Domine. Cap. 42.

Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, intrabit in regnum cœlorum. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in tuo nomine dæmonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos. Discedite à me qui operamini iniquitatem.

Cõparatio in his omnibus de sapiẽte & insipiẽte ædificatoribus. Cap. 43.

Omnis ergo qui audit verba hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificauit domum suam supra petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra petram. Et omnis qui audit verba mea, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina eius magna. Et factum est cum consummasset Iesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina eius. Erat enim docens eos, sicut potestatem habens, non sicut Scribæ eorum & Pharisæi.

Mittit Iesus duodecim discipulos suos docere, & curare omnes infirmitates. Cap. 44.

Videns autem turbas misertus est eis, quia erant vexati, & iacentes sicut oues non habẽtes pastorem. Et conuocatis duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem spirituum immundorum, vt eiicerent eos & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Et misit illos prædicare regnum Dei, & ait ad illos: Nihil tuleritis in via. In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israël. Euntes autem prædicate, dicentes: quia appropinquabit regnum cœlorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite: gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque panem, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: Dignus est enim operarius mercede, & cibo suo. In quamcunque ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeatis. Edentes & bibentes quæ apponuntur vobis, & curate infirmos, qui in illa sunt. Et nolite transire de domo in domum. Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et si quidem domus fuerit digna veniet pax vestra super eam. Si autem non fuerit digna, pax vestra ad vos reuertetur. Et quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo, vel de ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris, in testimonium illis: Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cauete autem vos ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad præsides & ad reges ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus. Cum autem tradent vos in synagogas, & ad magistratus, & potestates, nolite soliciti esse qualiter quid respondeatis aut quid dicatis: Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Tradet autem Frater Patrem in mortem, & Pater Filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient, & eritis odio omnibus, propter nomen meum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Cum autem persequẽtur vos in ciuitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, nõ consummabitis ciuitates Israël, donec veniat filius hominis. Non est discipulus super magistrum, neq; seruus super Dominum suum. Sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius, & seruus sicut Dominus eius. Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? Ne ergo timueritis eos. Nihil enim opertum quod non reuelabitur, & occultum quod non scietur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Dico autem vobis amicis meis: Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, sed potius eum timete, qui potest

Luc. 10.
Matt. 23.
Matth. 10.
Matth. 11.
Luc. 12.

potest & animam,&corpus perdere in gehennam. Nónne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.
Mar. 8.
Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est, & coram Angelis eius. Qui autem negauerit me coram hominibus, & confusus me fuerit in generatione ista adultera, & peccatrice, negabo & ego eum coram patre meo qui est in cœlis,
Math. 10.
& Angelis eius. Et Filius hominis confundet eum, cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis suis. Nolite arbitrari, quia venerim mittere pacem in terram, non veni pacem mittere, sed gladium. Erunt enim ex hoc quinque in domo vna diuisi, tres in duo, & duo in tres diuidentur. Veni enim separare hominem aduersus patrem
Luc. 12.
suum,& filiam aduersus matrem suam,& nurum aduersus socrum suam,&inimici hominis domestici eius. Qui amat patrem & matrem plusquam me, non est me dignus. Et qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus, nec potest meus esse discipulus. Qui inuenit animam suam, perdet eam,& qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Et qui recipit vos, me recipit: & qui recipit me, recipit eum
Mar. 9.
qui misit me. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Et quicunque potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, quia Christi estis, amen dico vobis non perdet mercedem suam. Et factum est cum consummasset Iesus, præcipiens duodecim discipulis suis transiit inde vt doceret, & prædicaret in ciuitatibus eorum. Exeuntes autem discipuli, prædicabant, vt pœnitentiam agerent, & dæmonia multa eiiciebant, & vngebant oleo multos ægrotos, & sanabantur.

In Cana Galilææ Iesus aquã vinum facit. Cap. 45.

Et die tertio nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat Mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? Nõdum enim venit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hidriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum,& dicit eis Iesus: Haurite nunc,& ferte Architriclino, & tulerunt: vt autem gustauit Architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam. Vocat sponsum Architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est, tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam.

Iesus mũdat leprosum. Cap. 46.

Cùm autem descendisset Iesus de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus veniens genu flexo adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manum, tetigit eum Iesus, dicens: Volo, mundare,& confestim mundata est lepra eius. Et ait illi Iesus: Vide nemini dixeris, sed vade ostende te Sacerdoti & offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis. At ille egressus, cœpit prædicare & diffamare sermonem, ita vt iam non posset manifestè in ciuitatem introire, sed foris in desertis locis esse. Et conueniebant ad eum vndique.

Pueri Centurionis paralyticũ curauit Iesus. Cap. 47.

Cùm autem intrasset Capharnaoum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam & curabo eum. Et respondens Centurio ait: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate habens sub
A me milites, & dico huic vade,& vadit,& alio veni & venit,& seruo meo, fac hoc, & facit. Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac in regno cœlorum: filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni: Vade,& sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. Et reuersus est Centurio in domum suam, & inuenit seruum qui languerat, sanum.

Iesus socrũ Petri a febribus curauit. Cap. 48.

Et cùm venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem & febricitantem. Et tetigit manum eius, & dimisit eam febris,& surrexit,& ministrabat eis.

In ciuitate Naim mortuum resuscitauit. Cap. 49.

Et factum est deinceps ibat in ciuitatem quæ vocatur
B Naim,& ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris suæ: & hæc vidua erat, & turba multa ciuitatis cum illa. Quam cùm vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt. Et ait: Adolescens, tibi dico surge,& resedit qui erat mortuus,& cœpit loqui, & dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor,& magnificabant Deum dicẽtes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis,& quia Deus visitauit plebem suam. Exiit ergo hic sermo in vniuersam Iudæam de eo, & circa omnem regionem.

Omnes infirmitates curat vt adimpleretur scripturæ Prophetarũ Cap. 50.

Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia
C habentes, & eiiciebat spiritus verbo,& omnes malè habẽtes curauit, vt adimpleretur quod dictũ est per Isaiam Prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes portauit. Videns autem Iesus turbas multas circum se, iussit ire trans fretum.

Volẽti eum sequi, dixit: vulpes foueas habẽt. Cap 51.

Et accedens vnus scriba ait illi: Magister, sequar te, quocunque ieris. Et dicit ei Iesus. Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Ait autem ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit: Domine, permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum. Iesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Tu autem vade, annuntia regnum Dei. Et ait alter: Sequar te Domine, sed primum permitte mihi renuntiare his qui domi sunt. Ait ad illum Iesus: Nemo mittẽs manum suam
D ad aratrum,& respiciens retro aptus est regno Dei.

Nauigans imperat tẽpestati & statim cessauit. Cap. 52. Math. 8.

Et ascendente eo in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse verò erat in puppi supra ceruical dormiens: & accesserunt & suscitauerunt eum dicentes: Domine salua nos, quia perimus. Et dicit eis: Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens imperauit ventis & mari,& cessauit ventus. Et dixit, tace, obmutesce: & facta est tranquillitas magna. Porrò homines mirati sunt dicentes: Quis aut qualis est hic, quia & ventis imperat & mari, & obediunt ei.

Curauit trãs fretum dæmoniacum, qui in monumẽtis manebat. Cap. 53.

Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam. Et cùm egressus esset ad terram, occurrerunt ei duo, habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset tran-
E sire per viam illam. Vnus enim habebat dæmonia iam tẽporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumẽtis,& neque cathenis iam quisquam eum poterat ligare, quoniam sæpè compedibus,& cathenis vinctus, disrupisset cathenas,& cõpedes comminuisset, & nemo poterat eum domare, & semper nocte ac die in monumentis, & in montibus erat clamans,& concidens se lapidibus. Videns autem à longè, occurrit & adorauit eum, & clamans voce magna, dixit: Quid nobis & tibi Iesu fili Dei altissimi? Venisti ante tempus torquere nos? Dicebat verò illi Iesus:
Math. 8.
Exi spiritus immunde ab homine. Et interrogauit eum: Quod est tibi nomen? At ille dixit: Legio, quia intraue-

rant multa dæmonia in eum. Et rogabant illum, ne expelleret eos extra regionem; & ne imperaret illis, vt in abyssum irent. Erat autem non longe ab illis grex porcorum multorum pascens. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: si eiicis nos, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illi, Ite. At illi exeuntes, abierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus est in mare. Ac duo millia, suffocati sunt in mari. Qui autem pascebant eos, fugerunt, & nuntiauerunt in ciuitatem, & in agros omnia, & de his qui dæmonia habuerant. Et ecce tota ciuitas exiit obuiam Iesu & videntes hominem sedentem, à quo dæmonia exierant, & vestitum & sana mente, ad pedes eius, timuerunt. Et rogabat, vt transiret à finibus eorum. Cùmque ascenderet nauim, rogabat eum vir à quo dæmonia exierant, vt cum eo esset. Et non admisit eum, sed ait illis: Vade in domum tuam ad tuos, & narra quanta tibi Dominus fecerit, & misertus est tui. Et abiit prædicans in Decapulim, quanta sibi fecisset Iesus, & omnes mirabantur. Et ascendens in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem suam.

Mar. 5.

Curauit Paralyticum quẽ deposuerunt per tectum. Cap. 54.

Et ecce quatuor viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre, & ponere ante Iesum. Et non inuenientes qua parte eum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas submiserunt illum cum lecto, in medium ante Iesum. Quorum fidem vt vidit, dixit paralytico: confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt cogitare Scribæ & Pharisæi, dicentes: Quis est hic qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? Et cùm cognouisset Iesus cogitationes eorum, respondens? dixit ad illos: Quid cogitatis mala in cordibus vestris Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata, an dicere, surge & ambula? Vt autem sciatis quia filius hominis potestatem habet in terra dimittere peccata ait, paralytico: Tibi dico surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et confestim surgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat, & abiit in domum suam, magnificans Deum. Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum, & repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie. Et glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

Filium Reguli absentẽ curauit. Cap. 55.

Venit ergo iterum in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cùm audisset, quia Iesus adueniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, vt descenderet & sanaret filium eius: incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Dicit ad eum regulus: Domine descende priusquam moriatur Filius meus. Dicit ei Iesus: Vade, Filius tuus viuit. Credidit homo sermoni quẽ dixit ei Iesus, & ibat. Iam autẽ descendẽte eo serui occurrerũt ei, & nũtiauerũt dicẽtes: Quia Filius eius viueret. Interrogabat antẽ horam ab eis in qua melius habuerit, & dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eũ febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus; Filius tuus viuit: & credidit ipse, & domus eius tota.

Leui Publicanus cõuiuium ei fecit. Et dicebant Scribæ & Pharisæi discipulis, quare cum Publicanis & peccatoribus manducat magister vester. Cap. 56.

Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua. Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi Publicani & peccatores venientes, discumbebant cum Iesu & discipulis eius. Erant enim multi qui & sequebantur eum. Et videntes Scribæ & Pharisæi, quia manducaret cum peccatoribus & publicanis, dicebãt discipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit magister vester? Hoc audito, Iesus ait illis: Non necesse habent sani medicum, sed qui malè habent. Euntes autem discite, quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim vocare veni iustos, sed peccatores in pœnitentiam. At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum, tui autem edunt & bibunt, & non ieiunant? Quibus ipse ait: Nunquid possunt filij nuptiarum quandiu sponsus est cum illis ieiunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt ieiunare.

A Veniẽt autẽ dies cũ auferetur ab eis spõsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus. Dicebat autẽ similitudinẽ ad illos: Quia nemo assumentũ panni rudis assuit vestimento veteri: alioquin aufert supplementũ nouũ à veteri, & maior scissura fit. Et nemo mittit vinũ nouum in vtres, alioquin rũpet vinũ nouũ vtres, & ipsum effũdetur, & vtres peribũt. Sed vinũ nouum in vtres nouos mittẽdum est, & vtraque conseruantur. Et nemo bibens vetus, statim vult nouum, dicit enim, vetus melius est.

Scribæ signũ petunt ab eo, & eis multa dicit. Cap. 57.

Tunc responderunt ei quidam de Scribis & Pharisæis dicentes: Magister volumus à te signum videre. Qui respondens, ait illis: Generatio mala & adultera signum quærit, & signũ nõ dabitur ei, nisi signũ Ionæ Prophetę. Sicut enim fuit Ionas in vẽtre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Viri Niniuitæ surgent in B iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: Et ecce plusquam Iona hic. Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Et ecce plusquam Salomon hic. Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui: & veniens inuenit vacantem, scopis mundatam & ornatam. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ.

Quedã mulier de turba clamauit ad Iesum: beatus venter qui te portauit. Cap. 58.

Factum est autem cũ hæc diceret, extollens quædam C mulier vocem de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit, Quinimò, beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

Nuntiatur Iesu: quia mater tua & fratres tui volũt te videre. Cap. 59.

Adhuc eo loquente ad turbas: Ecce Mater eius & fratres stabant foris, quærens loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce Mater tua, & Fratres tui foris stant, quærentes te. At ipse respondens dicenti sibi ait: Quæ est Mater mea, & qui sunt Fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Ecce Mater mea, & Fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus Frater, Soror & Mater est.

Iesus mulierem quæ fluxum sanguinis patiebatur, curauit. Et filiã Iairi principis synagogæ mortuam suscitauit. Cap. 60.

Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps Synagogæ vnus, cui nomen Iairus, accessit & adorauit eum, dicens: Filia mea modò defuncta est, sed veni impone manum D super eam, & viuet. Et surgens Iesus, sequebatur eum, & discipuli eius. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis. Et fuerat multa perpessa à compluribus medicis, & erogauerat omnia sua, nec ab vllo potuit curari, sed magis deterius habebat: venit in turba retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se. Quod si vel vestimentum eius tetigero, salua ero: & confestim stetit fluxus sanguinis eius. Et sensit corpore, quod sanata esset à plaga. Et statim Iesus cognoscens in semetipso virtutem quæ exierat ab eo, conuersus ad turbas aiebat: Quis me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis, quis me tetigit? Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis. Nam & ego noui virtutem de me exiisse. Et circumspiciebat videra E eam quæ hoc fecerat. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes eius, & ob quam causam tetigerit eum indicauit coram omni populo, & quemadmodum confestim sanata sit. Et ipse dixit illi: Filia fides tua te saluam fecit, vade in pace, & esto sana à plaga tua. Adhuc eo loquente, venit quidam ab Archisynagogo, dicens ei: Quia mortua est filia tua, quid vltra vexas magistrũ: Iesus audito verbo hoc, ait Archisynagogo: Noli timere, crede tantum, & salua erit Et nõ permisit quenquam sequi se, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem Fratrem Iacobi. Et cùm venisset in domum Archisynagogi, vidit tibicines, & turbam tumultuãtem, & flentes, & eiulantes multum. Et ingressus, dicebat: Recedite, non est enim mortua puella, sed dormit. Et deri-

Math. 9.

deridebant eum, scientes quod mortua esset. Ipse verò eiectis omnibus, assumpto patre & matre puellæ, & qui secum erant, & ingrediebantur vbi erat puella iacens, & tenens manum eius, ait illi: Talitha, cumi: Quod est interpretatum, puella tibi dico, surge: & reuersus est spiritus eius. Et surrexit continuò puella, & ambulabat. Erat autem annorum duodecim. Et obstupuerunt omnes stupore maximo, & præcepit illis vehementer, vt nemo id sciret: Et iussit illi dare manducare. Et exiuit fama hæc in vniuersam terram illam.

Duos cæcos curat, & dæmonium surdum mutum eiecit. Cap. 61.

Et transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo cæci clamantes & dicentes: Miserere nostri, Fili Dauid. Cùm autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci, & dicit eis Iesus: Creditis, quia possum hoc facere vobis? Dicunt ei: Vtique Domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum. Et comminatus est Iesus eis dicens: Videte, ne quis sciat. Illi autem exeuntes, diffamauerunt eum in vniuersa terra illa. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem: & eiecto dæmonio, locutus est mutus. Et miratæ sunt turbæ dicentes: Nunquam apparuit sic in Israël. Nunquid iste est filius Dauid?

Pharisæi dicunt de Iesu, in Beelzebub principe dæmonum hic eiicit dæmonia. Cap. 62.

Pharisæi autem dicebant, in Beelzebub principe dæmoniorum hic eiicit dæmones. Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipso diuisum desolabitur, & omnis ciuitas diuisa aduersus se, non stabit. Si autem & Satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum ipsius? Non potest stare, sed finem habet: quia dicitis in Beelzebub eiicere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Porrò si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Aut quomodo potest quisquam intrare in domo fortis, & vasa eius diripere in quibus confidebat: nisi priùs alligauerit fortem, & tunc domum illius diripiat? Qui non est mecum, contra me est. Et qui non congregat mecum, spargit. Ideo dico vobis: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum cõtra filium hominis, remittetur ei. Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Siquidem ex fructibus arbor cognoscitur. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro, profert bona. Et malus homo, de malo thesauro, profert mala. Dico autem vobis: quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

Luc. 11.

Martha Iesum suscepit in domo sua. Cap. 63.

Factum est autem dum irent, & ipse Iesus intrauit in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam. Et huic erat soror nomine Maria. Quæ etiam sedens secus pedes Domini Iesu, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Quæ stetit & ait: Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi vt me adiuuet. Et respondens dixit illi Dominus: Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò, vnum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Ioannes de carcere misit ad Iesũ interrogare eum. Cap. 64.

Ioannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi conuocans duos de discipulis suis misit ad Iesum dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? In ipsa autem hora curauit multos à languoribus & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit visum. Et respondens dixit illis: Euntes nuntiate Ioanni quæ vidistis & audistis: quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere de Ioanne ad turbas: Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosa sunt, & delitijs, in domibus regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? Vtique dico vobis, & plus quam Prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis: Maior inter natos mulierum Propheta, Ioanne Baptista nemo est. Qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo. Et omnis populus audiens, & Publicani, iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis. Pharisæi autem & legisperiti, consilium Dei spreuerunt in semetipsos, non baptizati ab eo. A diebus autem Ioannis Baptistæ, vsque nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Omnes enim Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt. Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est. Qui habet aures audiendi audiat. Cui autem similẽ æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus, dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis, lamentauimus, & non planxistis. Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens, & dicunt; Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, Publicanorum & peccatorum amicus: & iustificata est sapientia a filiis suis.

Matth 10

Matth. 11.

Exprobrat ciuitatibus in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ei⁹. Cap. 65.

Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam. Væ tibi Corazin, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitẽtiam egissent. Veruntamen dico vobis: Tyro & Sydoni remissius erit in die iudicij, quàm vobis. Et tu Capharnaum, nunquid vsque in cœlum exaltaberis? vsque in infernum descendes: Quia si in Sydone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsque in hunc diem. Veruntamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quàm tibi.

Apostoli reuertũtur de prædicatione ad Iesũ. Cap. 66.

Et cùm venissent Apostoli ad Iesum, renuntiauerunt illi omnia quæ confecerant, & docuerant. Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant autem qui veniebant multi, & nec manducandi spatium habebant.

Iesus elegit alios septuaginta duos discipulos. Et adiungit parabolam, turrim ædificantis, & regis prælium parantis. Cap. 67.

Post hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum quo erat ipse venturus, & dicebat illis: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Qui autem spernit me, spernit eum qui misit me. Reuersi autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes. Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere; quia spiritus vobis subijciuntur. Gaudete autem, quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlis. In ipsa hora exultauit Spiritusancto, & dixit: Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Etiam pater, quia sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui Filius voluerit reuelare. Et conuersus ad discipulos suos dixit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite enim iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non baiulat cru-

cem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens ædificare turrim, non prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt si habet ad perficiendum, ne posteaquàm posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare? Aut quis Rex iturus mittere bellum aduersus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem milibus occurrere ei, qui cum viginti milibus venit ad se? Alioquin adhuc illo lòngè agente, legationem mittens, rogat quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Luc. 54.

Accusabant discipulos eius. Cap. 68.

Et factum est in sabbato secundo primo, cùm trãsiret Iesus per sata, vellebant esurientes discipuli eius spicas & manducabant, confricantes manibus. Quidam autem Pharisæorum dicebant illis: Quid facitis, quod non licet in sabbatis? Et respondens ad eos, dixit: Ne hoc legistis, quod Dauid fecit, cùm esuriisset ipse, & qui cum ipso erant: quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit his qui cum eo erant quos non licebat ei manducare, nisi solis sacerdotibus. Et dicebat illis: Quia Dominus est filius hominis, etiam sabbati. Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt? Dico autem vobis, quia templo maior est hic. Sabbatum propter hominem factum est, & non homo propter sabbatum.

Die sabbati in synagoga curauit manum aridam. Cap. 69.

Factum est autem & in alio sabbato, vt intraret in synagogam, & doceret. Et erat ibi homo, & manus eius dextra erat arida. Obseruabant autem Scribæ & Pharisæi, si in sabbato curaret, vt inuenirent vnde accusarent illum. Ipse vero sciebat cogitationes eorum, & ait homini qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medium. Et surgens stetit. Ait autem ad illos Iesus: interrogo vos, si licet sabbatis benefacere, an malè: animam saluam facere, an perdere? At illi tacebant. Et circumspectis omnibus, dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit. Et restituta est sanitati manus eius, sicut & altera. Et dixit ad eos: Quis erit ex vobis homo qui habeat ouem vnam, & si ceciderit hæc sabbatis in foueam nónne tenebit & leuabit eam? Quanto magis est melior homo oue? Itaque licet sabbatis benefacere. Ipsi autem repleti sunt insipientia, & colloquebantur ad inuicem, quidnam facerent Iesu? Iesus itaque sciens secessit inde, & secuti sunt eum multi, & curauit eos omnes. Et præcepit eis vt manifestum eum facerent, vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo benè complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, & iudicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec eiciat ad victoriam iudicium. Et in nomine eius gentes sperabunt.

Ies' in mõte orat, & iuxta mare turbis & discipulis suis plurima in parabolis locutus est. Cap 70.

Factum est autem in illis diebus, exiit in mõtem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et quum dies factus esset, vocauit discipulos suos. Et exiens de domo, sedebat secus mare, & congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita vt in nauiculam ascendens sederet. Et omnis turba stabat in littore, & locutus est eis multa in parabolis dicens:

Ecce exiit qui seminat seminare semen suum: Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, & conculcata sunt, & venerunt volucres cœli, & comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petrosa, & non habuerunt terram multam, & continuò exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ. Sole autem orto, æstuauerunt: & quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt inter spinas, & creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea. Alia verò ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Hæc dicens clamabat: Qui habet

Ecce exiit qui seminat secus mare. Cap 71.

Matth. 13.

A aures audiendi, audiat.

Aliam parabolam proposuit illis dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo. Quum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit. Quum autem creuisset herba & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autẽ serui patrisfamiliàs dixerunt ei: Domine, nónne bonum semen seminasti in agro tuo, vnde ergo habet zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autẽ dixerũt ei: Vis, imus & colligimus ea? Et ait: non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticum cum eis. Sinite vtraque crescere ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum.

De eo qui seminat bonum semen in agro suo & de zizaniis.

B Aliam parabolam proposuit eis dicens, Cui simile est regnum Dei, & cui simile esse æstimo istud? Aut cui parabolæ comparabimus illud? Simile est grano sinapis, quod accipiens homo, seminauit in hortum suum: quod minimũ est ex omnibus oleribus: & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius.

De grano sinapis. Cap. 73.

Aliam parabolam locutus est eis. Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum, mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatũ est totum. Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis, dicens ad turbas. Et talibus parabolis multis loquebatur eis verbum, prout poterant audire, & sine parabolis non loquebatur eis, vt impleretur quod dictum erat per Prophetam, dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo absC condita à constitutione mundi. Et accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? Qui respondẽs ait illis: Quia vobis datũ est nosse mysteria regni cœlorũ, illis autẽ non est datum. Seorsum autẽ discipulis suis disserebat omnia. Ideo in parabolis loquor eis quia vidẽtes nõ vident, & audientes nõ audiunt, neque intelligũt, & adimpletur in eis Prophetia Isaiæ Prophetæ, dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis. Incrassatum est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, nequando oculis videant, & corde intelligant, & conuertantur & sanem eos. Vestri autem beati oculi, quia vident, & aures vestræ, quia audiunt: Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ & iusti, cupierunt D videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.

De fermẽto quod abscondit mulier. Et alia multa disserit discipulis. Cap. 74.

Vos ergo audite parabolam seminantis. Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus & rapit quod seminatum est in corde eius. Hic est qui secus viam seminatus est. Qui autem super petrosa seminatus est: hic est qui verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud. Non habet autem in se radicem, sed est temporalis, facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuò scandalizatur. Qui autem seminatus est in spinis, is est qui verbum audit, & solicitudo seculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur. Qui verò in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò tricesimum.

Discipulis disserit parabolam seminantis. Cap. 75.

Sic est regnum Dei: quemadmodum si homo iaciat sementem in terrã, & dormiat, & exurgat nocte ac die, & semen germinet & increscat, dum nescit ille. Vltrò enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica: Et quum se produxerit, statim mittit falcem, quoniam adest messis. Tunc dimissis turbis venit in domum, & accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui respondens, ait: Qui seminat bonum semen, est filius hominis, ager autem est mundus. Bonum verò semen, hi sunt filij regni. Zizania autem, filij sunt nequã. Inimicus autem qui seminauit ea, est diabolus: messis verò, consummatio seculi est: messores autem, Angeli sunt.

Qui seminat semẽ & vadit dormitum, vel surgit. Et discipulis parabolam zizaniorum agri edisserit. Cap. 76.

sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: A sic erit in cõsummatione seculi. Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt, sicut sol in regno patris eorum. Qui habet aures audiendi audiat.

De thesauro abscondito in agro, & negotiatione margaritarũ: de sagena missa in mare, & de patrifamilias qui profert de thesauro suo noua & vetera.
Cap. 77.

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, abscondit & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum. Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, inuẽta autem vna pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Quam cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, B elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. Sic erit in cõsummatione seculi. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: Ibi erit fletus & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamiliâs, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Et factum est cum consummasset Iesus parabolas istas, transiit inde.

Contra Iesum ciues ei' indignati sunt dicẽtes: Vnde huic tanta scientia.
Cap. 78.

Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis, ita vt mirarentur, & dicerent: Vnde huic sapientia hæc, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus & Ioseph, & Simon, & Iudas, & sorores eius, nonne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic C omnia ista? Et scandalizabantur in eo. Et ait illis: Vtique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura teipsum. Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua, & in domo sua. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatẽ illorum, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit, & mirabatur propter incredulitatem illorum. In veritate dico vobis: multæ viduæ erãt in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cœlum annis tribus, & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra, & ad nullã illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israël sub Elisæo Propheta, & nemo eorum mũdatus est, nisi Naaman Syrus. D Et repleti sunt omnes in synagoga, ira, hæc audientes. Et surrexerunt & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum: ipse autem transiens per medium illorum, ibat.

De Herodis conuiuio, & de Ioannis interfectione.
Cap. 79.

In illo tempore, Herodes Tetrarcha misit ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcerem propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam, dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat: Timebat enim populum, quia sicut Prophetam eum habebant. Similiter & Herodes volens illum occidere timebat. Sciens eum virum iustum & sanctum, & custodiebat eum. Et audito eo E multa faciebat, & libenter eum audiebat. Et cùm dies opportunus accidisset, Herodes natali suo cœnam fecit principibus & tribunis: & primis Galilææ. Cúmque introisset filia ipsius Herodiadis & saltasset, & placuisset Herodi, simúlque recumbentibus, Rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi. Et iurauit illi. Quia quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. Quæ cùm exiisset, dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit, caput Ioannis Baptistæ. Cumque introisset statim cum

Matth. 14.
Marc. 6.
Luc. 3.

festinatione ad Regem, petiuit dicens: Volo vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ. Et contristatus est Rex propter iusiurandum, & propter simul recumbentes: noluit autem eam contristare, misitque spiculatorem, & decollauit Ioannem in carcere, & allatum A est caput eius in disco, & datum est puellæ, & dedit matri suæ. Et accedentes discipuli eius tulerũt corpus eius, & sepelierunt illud in monumento. Et venientes nuntiauerunt Iesu. Audiuit autem Herodes famam Iesu, & omnia quæ fiebant ab eo: & hæsitabat, eo quòd diceretur à quibusdam, quia Ioannes surrexit à mortuis; à quibusdam verò, quia Elias apparuit: ab aliis autem quod Propheta vnus de antiquis surrexit. Et ait Herodes: Ioãnem ego decollaui, quis autem est iste de quo ego audio talia? Et quærebat videre eum. Quod cùm audisset Iesus, secessit inde in nauicula in locum desertum seorsum. Et cùm audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de ciuitatibus. Et exiens vidit turbam multam, & misertus est eis, & curauit languidos eorum.

Iesus in deserto de quinq; panibus, duobus & piscib' quinque millia hominum satiauit.
Cap. 80.

Vespere autem facto, accedentes duodecim, dixerunt illi: B dimitte turbas, vt eũtes in castella villásque quæ circa sunt, diuertant, & inueniant escas, quia hic in loco deserto sumus. Iesus autem dixit illis: Non habent necesse ire, date illis vos manducare. Respondit ei Philippus, ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisq; modicum quid accipiat. Et dicit eis: Quot panes habetis? Dicit ei vnus ex discipulis eius Andreas, Frater Simonis Petri: Est puer vnus hic qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces. Sed hæc quid sunt inter tantos? Nisi forte nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas. Qui ait eis: Afferte illos mihi huc. Et præcepit illis, vt accumbere facerent omnes secundum contubernia, supra viride fœnum. Et discubuerunt in partes, & per centenos, & per quinquagenos. Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus, re- C spexit in cœlum, & benedixit illis, & fregit, & distribuit discipulis suis: discipuli autem turbis. Et manducauerũt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducãtium autem fuit numerus quinque milia virorum, exceptis mulieribus, & paruulis. Et statim iussit discipulos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum ad Bethsaïdam, donec dimitteret turbas. Illi ergo homines cùm vidissent quod fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum. Iesus ergo cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit. Et dimissa turba, ascendit in montem solus, orare.

Iesus super mare pedibus ambulauit, & Petrum mergentem liberauit.
Cap. 81.
Matth. 14.

Vespere autem facto, solus erat ibi, nauicula autem in D medio mari iactabatur fluctibus. Erat autem contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis, videns eos laborantes, venit ad eos ambulans supra mare. Et volebat præterire eos. Et videntes eum supra mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est, & præ timore clamauerunt. Statímque Iesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam, ego sum, nolite timere. Respondens autem Petrus, dixit: Domine, si tu es iube me venire ad te super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum. Videns verò ventum validum, timuit. Et cùm cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine, saluum me fac. Et continuò Iesus extendens manum apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? Et cùm ascendisset nauiculam, cessauit ventus, & statim fuit E nauis ad terram, ad quam ibant. Qui autem in nauicula erant, venerunt & adorauerunt eum, dicentes: Verè filius Dei es.

Transfretantes venerũt in terrã Genasar: & turbæ secutæ sunt eum trans mare.
Cap. 82.

Et cùm transfretassent, venerunt in terram Genasar. Et cùm cognouissent eum viri loci illius, miserunt in vniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, & rogabant eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quicunque tetigerunt, salui facti sunt. Altera die turba, quæ stabat trans mare, vidit quia nauicula alia non erat ibi nisi vna, & quia non introisset cum discipulis suis Iesus in nauim, sed soli discipuli eius abiissent; aliæ verò superuenerunt naues à Tiberiade, iuxta locum vbi manducauerant panem, gratias agentes Domino. Cùm ergo vidisset turba, quia Iesus non esset

A ibi, neque discipuli eius, ascenderunt in nauiculas, & venerunt Capharnaum, quærentes Iesum. Et cùm inuenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti? Respōdit Iesus eis, & dixit: Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis vobis dabit: hūc enim Pater signauit Deus. Dixerūt ergo ad eum: Quid faciemus, vt operemur opera Dei? Respondit Iesus, & dixit eis. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manna manducauerunt in deserto, sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis mā-ducare. Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico vobis: Nō Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. B Panis enim Dei est, qui descendit de cœlo, & dat vitam mundo. Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hūc. Dixit autem eis Iesus: Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet vnquam. Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non credidistis. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet. Et eum qui venit ad me, nō eiiciam foras. Quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Hæc est voluntas eius qui misit me Patris, vt omne quod dedit mihi, nō perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. Hæc est enim volūtas Patris mei qui misit me, vt omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam, & resuscitabo eum in nouissimo die. Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis C qui de cœlo descendi, & dicebant: Nónne hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic, Quia de cœlo descendi? Respondit ergo Iesus: Nolite murmurare in inuicem. Nemo potest venire ad me nisi Pater meus traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi qui est à Deo, hic vidit Patrem. Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ, Patres vestri manducauerunt manna in deserto & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi. D Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dicit ergo eis Iesus: Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Sicut misit me viuens pater, & ego viuo propter Patrem. Et qui manducat me, & ipse viuet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descendit, non sicut manducauerunt Patres vestri E manna in deserto, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Sciens autem Iesus apud Semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi prius erat? Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credentes & quis traditurus esset eum. Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit

De māna in deserto. De murmuratione Iudæorum. Et de eo quod dicit Iesus: Ego sum panis viuus.

Matt. 13. Mar. 12.

Ioan. 6.

A ei datum à patre meo. Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Iesus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? Respōdit ergo Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus Filius Dei. Respondit eis Iesus? Nónne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est? Dicebat autem Iudam Simonis Iscarioten. Hic enim erat traditurus eum, cùm esset vnus ex duodecim.

Rogauit autem illum quidam Pharisæus, vt pranderet apud se, & ingressus recubuit. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium? Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Pharisæi quod deforis est calicis & patinæ mundatis, B quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate. Stulti nónne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est, fecit? Veruntamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.

Quidā Pharisæus rogauit Iesum ad prandiū. & cogitabat quare non fuerit baptizatus. Cap. 83.

Pharisæi & quidam de scribis venientes ab Hierosolymis, cùm vidissent quosdam ex discipulis eius, communibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, vituperauerunt, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum. Non enim lauant manus, cùm panem manducant. Ipse autem respondens, ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram? Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem, & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri vel matri, munus quodcunque est ex me, C tibi proderit, & non honorificauit patrem suum & matrem, irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram. Pharisæi enim & omnes Iudæi, nisi crebrò lauant manus, non manducant, tenentes traditiones seniorum: & à foro nisi baptizentur, non comedunt. Et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare baptismata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum, & alia his similia faciunt multa. Irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram hypocritæ; bene prophetauit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Sine causa colūt me, docētes doctrinas, & mandata hominum. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum. Et cōuocatis ad se turbis, dixit eis: D Audite & intelligite: Non quod intrat in os, coinquinat hominem. Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei: Scis quia Pharisæi audito verbo hoc, scādalizati sunt? At respondens, ait: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præbet, ambo in foueam cadunt. Et cùm introisset in domum à turba, rogabat eum Petrus: Edissere nobis parabulam istam. At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis? Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in vētrem vadit, & in secessum emittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, auaritia, nequitiæ, dolus, impudicitia, oculus malus, bla- E sphemiæ, superbia, stultitia. Hæc sunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem.

De Apostolis, quare non lotis manibus manducarent. Cap. 84.

Matt. 7.

Matt. 15.

Marc. 7.

Et inde surgens, abiit in fines Tyri & Sydonis. Et ecce mulier Cananæa gentilis Syrophœnissa genere, clamauit dicens: Miserere mei Domine, fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur. Iesus autem non respondit ei verbum. Et accedentes ad eum discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait: Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. At illa venit & adorauit eū, dicens: Domine adiuua me. Qui dixit illi: Sine prius saturari filios. Non est enim bonum, sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine.

De muliere Syrophœnissa, quæ pro filia sua petebat. Cap. 85.

Nam

Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia illius ex illa hora.

Iesus surdũ & mutum curant. Cap. 56.

Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos, & adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponeret illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas, & expuens tetigit linguam eius. Et suspiciens in cœlum ingemuit, & ait illi: Ephata, quod est, adaperire: & statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè, & præcipit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eò amplius admirabantur, dicentes: Benè omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.

Iesus super puteum Iacob mulieri Samaritanæ loquutus est. Cap. 57.

Oportebat autem eum ire per Samariam. Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sychar, iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem. Hora autem erat quasi sexta. Venit mulier de Samaria, haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere. Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent. Dicit ergo mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. Respondit Iesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est. Vnde ergo habes aquam viuam? Nunquid tu maior es Patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? Respondit Iesus & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, vt non sitiam neque veniam huc haurire. Dicit ei Iesus: Vade, voca virũ tuum, & veni huc. Respondit mulier & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Iesus: Benè dixisti, quia non habeo virum. Quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir: hoc verè dixisti. Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis quia Hierosolymis est locus vbi adorare oportet. Dicit ei Iesus: Mulier crede mihi, quia veniet hora quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus: quia salus ex Iudæis est. Sed venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorant eum. Spiritus est Deus & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit, qui dicitur Christus. Cùm ergo venerit, ille nobis annũtiabit omnia. Dicit ei Iesus: Ego sum qui loquor tecum. Et continuò venerunt discipuli eius, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit, quid quæris, aut quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci: Nunquid ipse est Christus? Exierunt de ciuitate, & veniebant ad eum. Interrogabant autem eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. Dicebant ergo discipuli ad inuicem: Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Iesus: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt & messis venit? Ecce dico vobis, leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, vt & qui seminat simul gaudeat, &

Ioan. 4.

qui metit. In hoc enim est verbum verum, quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi vos metere, quod vos non laborastis, alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcunque feci. Cùmque venissent ad illum Samaritani, rogauerunt eum vt ibi maneret, & mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt propter sermonem eius, & mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus. Ipsi enim audiuimus, & scimus, quia verè hic est Saluator mundi.

Iesus Hierosolymis infirmum curauit, qui triginta & octo annis iacuit in infirmitate, & multa cum Iudæis eius occasione disputauit. Cap. 58.

Post hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam. Est autem Hierosolymis Probatica piscina quæ cognominatur Hebraicè, Bethsaida, quinque porticus habẽs. In his iacebat multitudo magna lãguentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectãtium aquæ motum. Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset post motionem aquæ, sanus fiebat à quocunque languore tenebatur. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Iesus, iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabbatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo, & sustulit grabbatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in illo die. Dicebant Iudæi illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabbatum tuum. Respondit eis. Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabbatum tuum & ambula. Interrogauerunt ergo eum, quis est ille homo qui tibi dixit: Surge tolle grabbatum tuum, & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus nesciebat qui esset. Iesus enim declinauit se à turba constituta in loco. Postea inuenit Iesus illum in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Abiit ille homo, & nuntiauit Iudæis, quia Iesus esset, qui fecit eum sanum. Propterea persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in sabbato. Iesus autem respondens eis: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor. Propterea ergo quærebant eum magis Iudæi interficere, quia non solum soluebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Iesus, & dixit eis: Amen dico vobis, non potest filius à se facere quicquam, nisi quæ viderit Patrem facientem. Quæcunque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit, & maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini. Sicut enim Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & filius quos vult, viuificat. Neque enim Pater iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat filium, non honorificat Patrem qui misit illum. Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit & credit ei qui misit me, habet vitam æternam. Et in iudicium non venit, sed transiet à morte in vitam. Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint viuent. Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso. Et potestatem dedit ei, iudicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem eius, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Non possum ego à meipso facere quicquam. Sicut audio iudico, & iudicium meum iustum est. Si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum non est verum. Alius est qui testimonium perhibet de me, & scio quia verum est testimonium

Ioan. 5.

quod perhibet de me; vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio, sed hæc dico, vt vos salui sitis. Ille erat lucerna ardens & lucens, vos autem voluistis exultare ad horam in luce eius. Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater vt perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater me misit. Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me. Et neque vocem eius audistis, neque speciem vidistis. Et verbum eius non habetis in vobis manens, quia quem misit ille, huic vos non creditis. Scrutamini scripturas, quia putatis in ipsis vitam æternam habere. Et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis. Claritatem ab hominibus non accipio, sed cognoui vos, quia dilectionem non habetis in vobis. Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis? Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem. Est qui accusat vos Moyses, in quo speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?

Iesus de septem panibus, & paucis pisciculis quatuor millia hominum saturauit, & præcepit Apostolis cauere à fermento Pharisæorum. Cap. 89.

Et relictis illis, in illis diebus, iterum cùm turba multa esset, conuocatis discipulis suis, dixit: Misereor turbæ, quia ecce triduo iam perseuerant mecum, & non habẽt quod manducent: & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via. Et dicunt ei discipuli: Vnde ergo nobis in deserto panes tanti, vt saturemus turbam tantam? Et ait illis Iesus: Quot panes habetis? Et illi dixerũt: Septem, & paucos pisciculos. Et præcepit turbæ, vt discumberet super terram. Et accipiens septem panes & pisces, & gratias agens, fregit, & dedit discipulis suis, & discipuli dederunt populo, & comederũt omnes, & saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. Erant autem qui manducauerant, quatuor millia hominum, extra paruulos & mulieres, & dimisit eos. Et statim ascendens nauim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha. Et cùm venissent discipuli eius trans fretum, obliti sunt panes accipere, & nisi vnum panem habebãt secum in naui. Et præcipiebãt eis dicẽs:

Matth. 16. Mar. 8. Luc. 12.

Intuemini, & cauete à fermento Pharisæorum, & Saducæorum, & fermento Herodis. At illi cogitabant intra se, dicẽtes, quia panes non habemus. Sciens autem Iesus, dixit: Quid cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neque recordamini? Adhuc cæcatum habetis cor vestrum, oculos habentes non videtis, & aures habentes non auditis? Nec recordamini, quando quinque panes fregi, in quinque millia? Quot cophinos fragmentorum sustulistis? Dicunt ei, duodecim. Quando & septem panes in quatuor millia, quot sportas fragmẽtorum tulistis? Et dicunt ei, septem. Quare non intelligitis quia non de pane dixi vobis. Cauete à fermẽto Pharisæorum & Saducæorum. Tunc intellexerunt, quia non dixerit cauendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum & Saducæorum.

Iesus interrogat Apostolos, quẽ me dicunt homines esse? & qui se sequuntur: & dicit Petro: Scandalũ es mihi. Cap. 90.

Venit autem Iesus in Partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij veró Ieremiam, aut vnũ ex Prophetis. Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens, Simon Petrus, dixit: Tu es Christus filius Dei viui. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis. Et quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Tunc præcepit discipulis suis, vt nemini dicerent, quia

Matt. 16. Luc. 9. Mar. 8.

A ipse esset Christus. Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quia oporter eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus & scribis & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Qui conuersus, dixit Petro: Vade post me satanas, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. Tunc conuocata turba cum discipulis, dixit eis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ veró suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in B gloria patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opus eius.

Iesus dicit sunt quidã de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem. Et in monte trãsfiguratur. Cap. 91.

Amen dico vobis: Sunt quidam de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo. Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum, vt oraret, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix, splendentia, candida nimis, qualia fullo super terram non potest candida facere. Et ecce apparuit illis Moyses & Elias cum eo dicentes in maiestate. Et dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem. Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos C hîc esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum & Eliæ vnum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de cœlo, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè. Et accessit, Iesus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Iesum. Et descendentibus illis de monte, præcepit Iesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat. Et interrogauerunt eum discipuli, dicẽtes: Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam primum venire oportet? At ille respondens, dixit: Elias quidem venturus est, & ille restituet omnia. Dico autem vobis, D quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quæcunque voluerunt. Sic & filius hominis, passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixit eis. Et cùm venisset ad turbam, vidit scribas conquirentes cum illis. Et confestim omnis populus videns Iesum, stupefactus est, & expauerunt. Et accurrentes salutabant eum, & interrogauit eos: Quid inter vos conquiritis.

Pharisęi dicũt ad Iesũ discede hic, quia Herodes vult te occidere. & curauit lunaticum. Cap. 92.

In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi: Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi: Ecce eiicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor. Veruntamen oportet me hodie, & cras, & sequenti die ambulare, quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem. Factum est autem in sequenti die accessit ad E eum homo genibus eius prouolutus, & exclamauit dicens: Domine, miserere filio meo, quia vnicus est mihi, & lunaticus est. Et cùm spiritus apprehendit eum, allidit & spumat, & stridet dentibus, & arescit, & malè patitur. Nam sæpè cadit in ignem, & crebrò in aquam, & subitò clamat, & dissipat eum, & vix discedit dilanians eum. Et rogaui discipulos tuos vt eiicerent eum, & non potuerunt curare eum. Respondens autem Iesus, dixit:

Matt. 17.

O generatio infidelis & peruersa, vsque modò ero apud vos? Afferte illum huc ad me. Et cùm accederet & vidisset illum statim spiritus conturbauit eum, & elisus in terram volutabatur spumans. Et interrogauit patrem eius quantum temporis est ex quo ei hoc accidit. At ille ait, ab infantia: Et frequenter eum &

in

in ignem & in aquam misit, vt eum perderet: Sed si quid potes, adiuua nos, misertus nostri. Iesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia credenti. Et continuo exclamans Pater pueri cum lacrymis, aiebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Et cùm videret Iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus, ego tibi præcipio exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et clamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo. Et factus est sicut mortuus, ita vt multi dicerent, quia mortuus est. Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit. Et curatus est puer ex illa hora, & reddidit illum Patri eius. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei. Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secretò, & dixerunt: Quare non potuimus eiicere illum? Dicit illis, propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Hoc autem genus dæmoniorum non eiicitur, nisi per orationem & ieiunium.

Marc. 9.
Luc. 17.

Conuersantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Iesus: Filius hominis tradendus est in manus hominum, & occident eum, & tertia die resurget. At illi ignorabant verbum, & timebant eum interrogare. Et contristati sunt vehementer. Et cùm venissent Capharnaum, accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma? Ait: Etiam. Et cùm intrasset domum præuenit eum Iesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te.

Ies' de passione sua discipulis præfacit. & in Capharnaum pro se & Petro didrachma exactum' reddidit. Cap. 93.

In illa hora cùm domi esset, interrogabat eos: Quid in via tractabatis? At illi tacebant. Siquidem inter se in via disputabant, quis illorum esset maior? Et accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno cœlorum? Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiemini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum. Si quis vult esse maior, erit omniũ nouissimus, & omnium minister. Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit. Qui autem scãdalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt: expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

Interrogatus Iesus à discipulis suis quis maior erit in regno cœlorum? instruit eos his exẽplis, vt humiliẽt se, sicut paruulus. Cap. 94.

Respondens autem Ioannes, dixit: Magister vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Iesus autem ait: Nolite prohibere eum, nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, & possit citò malè loqui de me. Qui enim non est aduersus vos, pro vobis est. Væ mundo ab scandalis. Necesse est enim vt veniant scandala. Veruntamen væ homini, per quem scandalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus, scãdalizat te, abscinde eum, & proiice abs te. Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te. Bonum tibi est luscum in vitam intrare, quàm duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis. Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Omnis enim homo igne salietur, & omnis victima salietur.

Nõ debere prohiberi eos qui faciunt signa in nomine Iesu. Cap. 95. Matth. 18. Lucæ 17. Marc. 9.

Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est: venit enim Filius hominis saluare quod perierat. Et ait ad illos parabolam istam, dicens: Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis, nónne relinquet nonaginta nouem in montibus vel in deserto, & vaderet eam quærere, quæ errauit? Et si contigerit vt inueniat eam, imponit in humeros suos gaudens. Et veniens domum conuocat amicos & vicinos dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Amen dico vobis, quia gaudebit super eam magis, quàm super nonaginta nouem quæ non errauerunt, & non indigent pœnitentia. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nónne accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter, donec inueniat? Et cùm inuenerit, conuocat amicas & vicinas dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.

Nos nõ debere cõtẽnere vnum de pusillis, adiungens similitudinem de oue perdita, & de drachmæ. Cap. 96.

Ait autem: Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior Patri, Pater da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè. Et postquam omnia consumpsisset, facta est fames valida in regione illa. Et ipse cœpit egere. Et abiit, & adhæsit vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Ipse autem in se reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Surgam & ibo ad Patrem meum, & dicam illi: Pater, peccaui in cœlum & coram te. Et iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum ex mercenariis tuis. Et surgens, venit ad Patrem suum. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum Pater illius, & misericordia motus est. Et accurrens, cecidit supra collum eius, & osculatus eum. Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cœlum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos: Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus est. Et cœperunt epulari. Erat autem filius eius senior in agro: & cùm veniret & appropinquaret domui, audiuit symphoniam & chorum, & vocauit vnum de seruis, & interrogauit quæ hæc essent? Isque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit Pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit. Indignatus est autem, & nolebat introire: Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis seruio tibi, & nũquam mandatum tuum præterii, & nunquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer. Sed postquã filius tuus hic qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat & reuixit, perierat, & inuentus est.

De filio qui substãtiam patris deuorauit. Cap. 97. Lucæ 15.

Attendite vobis, si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos: vt in ore duorum vel trium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis: Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Iterum dico vobis: quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint fiet illis à pa-

De remittendo fratribus ex corde. Cap. 98. Matth. 18.

tre meo qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo vel tres con- A gregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens ad eum Petrus, dixit: Domine, quoties peccauerit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.

Similitudo de rege qui posuit rationē cum seruis suis. Cap. 99.

Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus qui debebat decem millia talenta. Cùm autem non haberet vnde redderet, iussit eum Dominus venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autē seruus ille, orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus serui illius, eum dimisit, & debitum dimisit ei. Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui de- B bebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes. Et procidens conseruus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conserui eius quæ fiebant, contristati sunt valde. Et venerunt & narrauerunt Domino suo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocauit illum Dominus eius, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: Nónne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum: Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Math. 18.

Iesus interrogatur à Pharisæis si liceat vxorem dimittere quacūque ex causa. Cap. 100. Deut. 24. Math. 19. Mar. 10.

Et factum est cùm consummasset Iesus sermones istos, migrauit à Galilæa, & venit in fines Iudææ trans Iordanem: & secutæ sunt eum turbæ multæ, & curauit eos ibi. Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem suam quacunque ex causa? Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia qui fecit ab initio, masculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandauit dari libellum repudij, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri, permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio D autem non sic fuit. Dico autem vobis: Quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Et qui dimissam duxerit, mœchatur. Dicunt ei discipuli eius: Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere. Qui dixit: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui de matris vtero nati sunt. Et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus. Et sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.

Math. 19.

Iesus imposuit manum infantibus. Et Pharisæi murmurant de Iesu, quod sic recipit peccatores. Luc. 101.

Tunc oblati sunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos. Iesus verò ait eis: Sinite paruulos, & nolite prohibere eos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum. Et cùm im- E posuisset eis manus, abiit inde. Erant autem appropinquantes ei Publicani, & peccatores multi, vt audirent eum. Et murmurabant Pharisæi & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Post hæc ambulabat Iesus in Galilæam. Non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.

Ies' instruit eos qui annunciaueriit de Galilæis quos interfecit Pilatus, adiungens si-

Aderant autem quidam ipso in tempore nunciantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. Et respondens dixit illis: Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerunt, quia talia passi sunt? Non dico vobis, sed nisi pœnitentiam habueritis, similiter omnes peribitis. Sicut illi decem & octo supra quos cecidit turris in Siloë, & occi- A dit eos. Putatis quia & ipsi debitores fuerunt præter omnes homines habitantes in Hierusalem? Non, dico vobis, sed si non pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Dicebat autem hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in ea, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: Succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat? At ille respondens, dixit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, vsque quo fodiam circa illam, & mittam stercora, & siquidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.

militudinē arboris fici in vinea. Cap. 102.

Iesus sanat in synagoga, mulierem aridam & curuatam. Cap. 103.

Erat autem docens in synagogis eorum sabbatis. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis de- B cem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. Quam cùm vidisset Iesus, vocauit ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum. Respondens autem archisynagogus, indignans quia Sabbato curasset Iesus, dicebat: Sex dies sunt in quibus oportet operari, in his venite, & curamini, & non in die Sabbati. Respondit autem Iesus, & dixit: Hypocritæ, vnusquisque vestrûm Sabbato non soluit bouem aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto, die Sabbati? Et cùm hæc diceret, erubescebant omnes aduersarij eius. Et omnis populus gaudebat in vniuersis quæ fiebant ab eo.

Ascendit Hierosolymam in die festo Scenopegiæ. Cap. 104.

C Erat autem in proximo dies festus Iudæorum Scenopegia. Dixerunt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palā esse. Si hæc facis, manifesta te ipsum mundo. Neque enim fratres eius credebant in eum. Dicit ergo eis Iesus: Tempus meum nondum aduenit, tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos: me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego non ascendam ad diem festum istum, quia tempus meum nondum impletum est. Hæc cùm dixisset, ipse mansit in Galilæa. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto. Iudæi ergo quærebant eum D in die festo, & dicebant vbi est ille? Et murmur multus de eo erat in turba. Quidam enim dicebant, quia bonus est: Alij autem dicebant: Non, sed seducit turbas. Nemo tamen palàm loquebatur de illo, propter metum Iudæorum. Iam autem die festo mediante ascendit Iesus in templum, & docebat. Et mirabantur Iudæi dicentes. Quomodo hic literas scit, cùm non didicerit? Respondit Iesus, & dixit eis: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina eius, vtrùm ex Deo sit, an ego à meipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Qui autem quærit gloriam eius qui misit illum, hic verax est, & iniustitia non est in illo. E Nónne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis legem facit? Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes, Quis te quærit interficere? Respondit Iesus, & dixit eis: Vnum opus feci, & omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis circuncisionem: non quia ex Moyse est, sed ex patribus. Et in Sabbato circunciditis hominem. Si circuncisionem accipit homo in sabbato, vt non soluatur lex Moysi, indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato? Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis. Nónne hic est quem quærunt interficere? Et ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt: nunquid verè cognouerunt principes, quia hic est Christus? Sed hunc scimus vnde sit: Christus autem cùm venerit, nemo scit vnde sit.

Ioan. 7.

Clamabat ergo docens in Templo Iesus, & dicens: Et me scitis, & vnde sim scitis, & à me ipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum, quia ab ipso sum, & ipse misit me. Et si dixero quia nescio eum, ero similis vobis mendax. Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cùm venerit, nunquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit?

De diuite cuius vberes fructus ager attulit. Cap. 105.

Ait autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. At ille dixit ei: Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem supra vos? Dixítque ad illos: Videte & cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his quæ possidet. Dixit autem similitudinem ad illos dicens: Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quod non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetam à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues.

Lucæ 12.

De eo qui multas possessiones habens, tristis abiit audiens verbum: Vade, vende omnia, quæ habes. Cap. 106.

Et cùm egressus esset in via, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum. Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Nemo bonus nisi solus Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serua mandata. Dixit illi: Quæ? Iesus autem dixit: Non occides, non adulterabis, non furtum facies, non falsum testimonium dices: Honora Patrem tuum & matrē, & diliges proximum tuum sicut teipsum. Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodiui à iuuentute mea: Quid adhuc mihi deest? Iesus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit illi: Vnum tibi deest: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me. Cùm audisset autem adolescens, verbum, abiit tristis. Erat enim diues valde, & multas possessiones habens. Et circumspiciens Iesus, ait discipulis suis: Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt. Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cœlorum. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus ire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Auditis autem his, discipuli mirabantur valdè, dicentes: Quis ergo poterit saluus esse? Aspiciens autem Iesus, dixit illis: Apud hominem hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt. Tunc respondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis: Quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos, super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Amen dico vobis, omnis qui reliquerit domum, aut parentes, vel fratres, aut sorores, aut Patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter regnum cœlorum, & nomen meum, & propter Euangelium, centuplum accipiet. Nunc in hoc tempore domos, & fratres, & sorores, & matres & filios, & agros cum persequutionibus. Et in sæculo futuro, vitam æternam possidebit. Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant auari, & deridebant illum. Et ait illis: Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda vestra, quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.

Lucæ 18.

De diuite & Lazaro. Cap 107.

Iterum dixit: Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat. Sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius. Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus inter nos & vos, chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare. Et ait: Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum Patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in locum hunc tormentorum. Et ait illi Abraham: Moysen habent & Prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non, pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si ex mortuis resurrexerit, credent.

Lucæ 16.

De villico infideli. Cap. 108.

Dicebat autem ad discipulos suos: Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona illius. Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, vt cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit. Centum cados olei. Dixítque illi: Accipe cautionem tuam & sede, ac cito scribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu verò quātum debes? Qui ait centum coros tritici. Ait illi: Accipe literas tuas, & scribe octoginta. Et laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius sæculi, prudentiores sunt filijs lucis in generatione sua. Et ego dico vobis: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est. Et qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod verum est, quis dabit vobis? Ille autem seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, plagis vapulabit multis: Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omnis autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo. Et cui multum commendauerunt, plus petent ab eo. Nescitis, quia ignem veni mittere in terram? Et quid volo nisi vt accendatur? Baptismum autem habeo baptizari, & quomodo turbor vsque dum perficiatur.

Lucæ 12.

De Patre familiâs, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suā. Cap. 109.

Simile est regnum cœlorum patrifamiliâs, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro ociosos, & illis dixit: Ite & vos in vineam, & quod iustum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam & nonam horam, & fecit similiter. Circa vndecimam verò exiit & inuenit alios stantes, & dicit illis: Quid hîc statis tota die ociosi? Dicunt ei, quia nemo nos cōduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam. Cùm sero factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem? Incipiens à nouissimis vsque ad primos. Cùm venissent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati sunt quòd plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant aduersus patremfamiliâs, dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares nobis

Matth. 20.

illos fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus? **A** At ille respondens vni eorum, dixit: Amice, non facio tibi iniuriam. Nónne ex denario conuenisti mecum? tolle quod tuum est, & vade. Volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

Iesus in domo Pharisæi sanat hydropicũ. Et instruit eos, qui primos accubitus in conuiuiis eligebant. Cap. 110.

Et factum est cùm intraret in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens Iesus dixit ad legisperitos & Pharisæos, dicens: Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanauit eum, & dimisit. Et respondens ad illos dixit: Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum **B** die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit inuitatus ab eo. Et veniens is qui te inuitauit & illum, dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco, vt cum venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. *Lucæ 14.* Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Dicebat autem & ei qui se inuitauerat: Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neq; vicinos diuites: ne fortè & ipsi te reinuitent, & fiat **C** tibi retributio. Sed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus qui manducabit panem in regno cœlorum.

Iesus decẽ leprosos mundauit. Cap. 111.

Post hæc in proximo erat Pascha dies festus Iudæorum. Et factum est dum iret Hierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè, & leuauerunt vocem dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri. Quos vt vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est dum irent, *Luc. 17.* mundati sunt. Vnus autem ex ipsis vt vidit quia mundatus est, **D** regressus est cum magna voce magnificãs Deum: & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens. Et hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus, dixit: Nónne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit.

Iesus de passione sua discipulis suis iterum indicauit. & mater filiorum Zebedæi rogat pro filiis suis. Cap. 112.

Assumens autem iterum duodecim, ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas, de filio hominis. Tradetur enim principibus Sacerdotum & Scribis, & tradẽt eum gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & crucifigetur, & die tertia resurget. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis adorans & petens aliquid ab eo. **E** Qui dixit ei, quid vis? Ait illi: Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Iesus dixit eis: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? *Matt. 20. Marc. 10.* dicunt ei, possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: & baptismo meo quo ego baptizor, baptizabimini. Sedere autem ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. Iesus autem vocauit eos ad se, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos? Non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus **A** esse erit vester minister: & qui voluerit primus esse inter vos, erit vester seruus. Sicut Filius hominis non venit vt ministretur ei, sed vt ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis.

Iesus respõsum dat dicenti sibi: Domine, si pauci sunt qui salui fiant? Cap. 113.

Et ait illi quidam: Domine, si pauci sunt qui saluantur? Ipse autem dixit ad illos: Contendite intrare per angustam portam, quia multi (dico vobis) quærent intrare, & non poterunt. Cùm autem intrauerit paterfamilias & clauserit ostium, & incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine aperi nobis. Et respondens dicet vobis: Nescio vos vnde sitis; Tunc incipietis dicere: Manducauimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis: Nescio vos vnde sitis. *Matth. 7. Lucæ 13.* Discedite à me omnes operarij iniquitatis in ignem æternum, ibi erit fletus & stridor dentium. **B** Cùm videritis Abraham & Isaac & Iacob & omnes Prophetas intrare in regnum Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab Oriente & Occidente, & Aquilone & Austro, & accumbent in regno Dei. Et ecce sunt nouissimi, qui erant primi, & sunt primi, qui erant nouissimi.

De Zachæo publicano. Cap. 114.

Et ingressus perambulabat Hiericho. Et ecce vir nomine Zachæus, & hic erat princeps Publicanorum, & ipse diues. Et quærebat Iesum videre quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat, & præcurrens, ascendit in arborem sycomorum, vt videret illum, quia inde erat transiturus. Et cùm venisset ad locum, suspiciens Iesus, vidit illum. Et dixit ad eum: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. *Luc. 19.* **C** Et cùm viderent omnes, murmurabant dicentes quòd ad hominem peccatorem diuertisset. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus huic domui facta est, eo quòd & ipse sit Filius Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere & saluum facere, quod perierat.

Iesus iterũ duos cæcos curauit. Cap. 115.

Et egredientibus illis ab Hiericho, sequutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce duo cæci, ex quibus erat Bartimæus Filius Timæi, sedentes secus viam, audierunt, quia Iesus Nazarenus transiret, & clamauerunt, dicentes: Domine, miserere nostri Fili Dauid. Turba autem increpabat eos, vt tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri Fili Dauid. *Mar. 10.* **D** Et stetit Iesus, & vocauit eos, & ait: Quid vultis vt faciam vobis? Dicunt illi: Domine, vt aperiantur oculi nostri. Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, & secuti sunt eum, magnificantes Dominum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.

Iesus super asinum sedens Hierosolymam ingreditur. Cap. 116.

Et cùm appropinquasset Hierosolymis, & venisset Bethphage ad montem Oliueti, tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea alligatum, cui nemo hominum vnquam sedit: Soluite illum & adducite eum mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite ei: quia Dominus operam eius desiderat: & confestim dimittet eos. *Matt. 21. Lucæ 19. Matt. 21.* Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Iesus. **E** Soluentibus autem illis pullum, dixerunt domini eius ad illos: Quid soluitis pullum? At illi dixerunt, quia Domino necessarius est; & dimiserunt illos. Et duxerunt pullum ad Iesum, & iactantes vestimenta sua supra pullum, & eum desuper sedere fecerunt. Hoc autem factum est, vt impleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem: Dicite Filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super pullum asinæ subiugalis. Hæc non cognouerunt discipuli eius primùm, sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei. Euntе autem illo, multi substernebant vestimenta sua in via, alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Et cùm appropinquaret iam ad descensum montis Oliueti, cœperunt omnes

turbæ descendentium gaudentes, laudare Deum voce magna. Turbæ autem quæ præcedebant & quæ sequebantur clamabant dicentes, Osanna Filio Dauid, benedictus qui venit Rex, in nomine Domini. Pax in cœlo, & gloria in excelsis. Benedictum quod venit regnum Patris nostri Dauid, Osanna in excelsis. In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cùm audissent, quia venit Iesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei & clamabãt: Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel. Et quidam Pharisæorum de turbis, dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt. Et appropinquauit Hierusalem, & videns ciuitatem fleuit super illam dicens: Quia si cognouisses & tu, Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis: Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.

Mar. 11. *Luc. 19.*

Eijcit de Templo ementes & vendentes & dat responsum Pharisæis qui se extollunt. Cap. 117.

Et cùm intrasset Hierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? Populi autem dicebãt: Hic est Propheta à Nazareth Galilææ. Et intrauit Iesus in Templum Dei. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, eijciebat omnes vendentes & ementes in templo: oues quoque & boues, & nummulariorum effudit æs, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. Et dicit eis: Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et non sinebat vt quisquam transferret vas per Templum. Recordati sunt vero discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me. Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanauit eos. Videntes autem principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in Templo, & dicentes: Osanna Filio Dauid, indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicũt? Iesus autem dicit eis, vtique. Nunquam legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Responderunt ergo Iudæi & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Respondens Iesus, & dixit eis: Soluite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est Templum hoc, & tu tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui.

Iesus præfulit cæteris viduam, propter duo æra minuta, & adiungens parabolam de Pharisæo & Publicano cõtra eos qui se extollũt. Cap. 118.

Respiciens autem vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophilacium diuites. Vidit autem & quandam viduam pauperculam, mittentem æra minuta duo, quod est quadrans. Et conuocans discipulos suos, ait illis: Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quàm omnes misit. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deest illi, totum victum suum quem habuit misit. Dixit autem ad quosdam qui in se confidebant tanquàm iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam. Duo homines ascenderunt in templum vt orarent, vnus Pharisæus, & alter Publicanus. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Et Publicanus à longè stans, nolebat nec oculum leuare; sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo; Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Et relictis illis, cùm iam vespera esset hora, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibique mansit. Et sciens turba quòd exiit extra ciuitatem, sequuti sunt eum. Et suscipiens eos quibus necessaria erat cura, sanabat.

De Nicodemo qui venit ad Iesum nocte.

Erat autem homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad eum nocte, & dixit ei: Rabbi, Scimus quia a Deo venisti magister, nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Iesus & dixit ei. Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire, & nasci? Respondit Iesus: Amen amẽ dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: Et quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non mireris quia dixi tibi, oportet vos nasci denuò. Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed non scis vnde veniat, & quò vadat. Sic est omnis, qui natus est ex spiritu. Respõdit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus & dixit ei: Tu es magister in Israël, & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, si dixero cœlestia, credetis? Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descẽdit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in eremo, ita exaltari oportet Filium hominis, vt omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim dilexit Deus mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipso, nõ pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei. Hoc est autem iudicium, quia lux in mundum venit, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Erant enim mala eorum opera. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur eius opera, quia in Deo sunt facta. Et reuersi sunt vnusquisque in domum suam. Iesus autem perrexit in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in templum. Et omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos.

Ioan. 3. *Num. 21.*

De muliere à Iudæis in adulterio deprehẽsa. Cap. 120. Ioan. 8.

Adducunt autem Scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerant eam in medio, & dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio, in lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hæc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Cùm autem perseuerarent, interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans, scribebat in terra. Audientes autem hæc, vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus, & remansit Iesus solus, & mulier in medio stans. Erigens autem Iesus dixit ei: Mulier, vbi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnauit mulier? Quæ dixit: nemo Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo. Vade, & amplius iam noli peccare.

Iesus maledixit ficulneam, & aruit. Cap. 121.

Manè autem reuertens in ciuitatem, esuriit, & videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea, nisi folia tantùm. Nondum enim erat tempus ficorum, & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuo ficulnea. Et videntes discipuli mirati sunt, dicentes: Quomodo continuò aruit? Et cùm vespera facta esset, egrediebatur de ciuitate: Et cum mane transirent, viderunt ficulneam aridam factam à radicibus. Et recordatus Petrus, dicit ei: Rabbi, ecce ficus quam maledixisti, aruit. Respondens autem Iesus, ait eis: Habete fidem Dei. Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis in corde, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis, tolle te, & iacta te in mare, fiet. Et dixerunt ei Apostoli: Domine, adauge nobis fidem. Et dixit Iesus: Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis &

Luc. 17.

veniet vobis. Et cùm stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis aduersus aliquem, vt & Pater vester, qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra.

Dicit Iesus parabolam ad discipulos propter orandi instantiam de iudice duro & vidua. Cap. 122.

Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, & non deficere, dicens: Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. Vidua autem quædam erat in illa ciuitate, & veniebat ad illum, dicens: Vindica me de aduersario meo. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Et si Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens, sugillet me. Ait autem Dominus: Audite quid iudex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia citò faciet vindictam B illorum. Veruntamen Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?

Interrogatur à principibus Sacerdotum. in qua potestate hæc facis? adiungit parabolā de duobus filiis in vineā missis. Cap 123.

Et cùm venisset in templum, factum est docente eo populum, & euangelizante, accesserunt ad eum principes sacerdotum, & seniores populi, dicentes: In qua potestate hæc facis? Et quis est qui dedit tibi hanc potestatem? Respondens autem Iesus, dixit illis: Interrogo vos & ego vnum sermonem, quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio. Baptismus Ioannis vnde erat? E cœlo, an ex hominibus? At illi cogitabant intra se, dicentes: Si dixerimus, ex hominibus, timemus turbam. Omnes enim habebant Ioannem sicut Prophetam. Et respondens Iesu, dixerunt: Nescimus. Ait illis & ipse: Nec ego dico vobis, in qua potestate hæc facio. Quid autem vobis videtur? Homo habebat duos filios; & accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie operare in vinea mea. Ille autem respondens, ait. Nolo. Postea autem pœnitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens ait: Eo Domine & non iuit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt, nouissimus. Dicit illis Iesus: Amen dico vobis, quia Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei. Venit enim ad vos Ioannes in via iustitiæ, & non credidistis ei: Publicani autem & meretrices crediderunt ei. Vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea, vt crederetis ei.

Matth. 21.

Parabola de Patrefamilias qui vineam suā locauit agricolis. Cap. 124.

Aliam parabolam audite: Homo erat pater familiâs, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, D & peregrè profectus est. Cùm autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. Et agricolæ apprehentis seruis eius, aliū ceciderūt, aliū occiderūt, aliū verò lapidauerūt. Iterū alios seruos misit plures prioribus, & fecerunt illis similiter. Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Forsitan verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Et apprehensum eum, proiecerunt eum extra vineam, & occiderunt. Cùm ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet colonis illis? Aiunt illi: Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis. Dicit illis Iesus: Nunquam legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: à Domino factum est istud, & E est mirabile in oculis nostris? Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Omnis qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem autem ceciderit, conteret eum. Et cùm audissent principes Sacerdotum & Pharisæi, parabolas eius, cognouerunt quòd de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut Prophetam eum habeant. Et respondens Iesus, dixit iterum in parabolis eis dicens:

Simile est regnū cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Cap. 125.

Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et vocauit multos. Et hora cœnæ misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & nole- A bant venire. Et cœperunt omnes simul excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire & videre illam, rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa. Rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non possum venire. Iterum misit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis, Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam. Reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumelia affectos, occiderūt. Rex autem cùm audisset, iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Tunc ait seruis suis, Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni: Ite ergo ad exitus B viarum, in plateas, & vicos, & ciuitates, & quoscunque inueneritis pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos, vocate ad nuptias. Et ait seruus: Factum est Domine, vt imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dominus seruo, Exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Dico autem vobis: quòd nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabunt cœnam meam. Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes quotquot inuenerunt malos & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Intrauit autem Rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem: At ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris: Ligatis pedibus eius & manibus, mittite eum in tenebras exteriores. Ibi erit fletus & stridor dentium. Multi C enim sunt vocati, pauci vero electi.

Matth. 22.

Luc. 14.

Matth. 22.

Tunc abeuntes Pharisæi concilium inierunt, vt caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: Non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis: Quid tibi videtur? Licet, censum dare Cæsari, an non? Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc & suprascriptio? Dicunt ei. Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo: Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt.

Pharisæi mittunt ad eum dolo interrogantes: si licet tributum reddere Cæsari? Cap. 126.

D In illo die accesserunt ad eum Saducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, & interrogauerunt eum, dicentes: Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filius, vt ducat eius frater vxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres, & primus vxore ducta, defunctus est; & non habens semen, reliquit vxorem suam fratri suo. Similiter secundus mortuus est sine filio, & tertius accepit eam, & omnes septem, & non reliquerunt semen. Nouissimè autem omnium, & mulier defuncta est. In resurrectione autem, cuius eorum erit vxor? Omnes enim habuerunt eam. Et ait illis Iesus: Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei. Filij sæculi huius nubunt, & traduntur ad nuptias: Illi autem qui digni habentur sæculo illo, & re- E surrectione ex mortuis, neque nubent neq; ducent vxores: Neque enim vltra mori poterunt, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo: & filij sunt Dei, cum sint filij resurrectionis. Quia verò resurgant mortui, non legistis in libro Moysi supra rubum, quia dictum est à Deo, quomodo dixerit illi Deus? Ego sum Deus Abrahā, Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed viuorum. Omnes enim viuunt ei. Vos ergo multum erratis. Et audientes turbæ, mirabantur de doctrina eius. Respondentes autem quidam Scribarum, dixerunt: Magister, bene dixisti.

De Saducæis, qui dicunt non esse resurrectionem: & interrogant de septem fratribus qui vnam vxorem habuerant. Cap 127.

Pharisæi autem audientes, quia silentium imposuisset Saducæis, conuenerunt in vnum. Et accessit vnus de Scribis, legis doctor, tentans eum & dicens: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Iesus: Pri-

Scriba interrogabat Iesū: quod mandatum maximum esset in lege? Cap. 128.

mum omnium mandatum est, Audi Israel, Deus omniũ nostrũm, Deus vnus est: & diliges Dominũ Deum tuum ea toto corde tuo, & ea tota anima tua, & ea tota mente tua. Hoc est primum & maximum mandatum. Secundum autem simile est huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis, tota lex pendet, & Prophetæ. Et ait illi scriba; Bene, Magister, in veritate dixisti, quia vnus est, & non est alius præter eum. Et vt diligatur ex toto corde, ex toto intellectu, & ex tota anima, & ea tota fortitudine: & diligere proximum tanquam seipsum, maius est omnibus holocaustomatibus & sacrificiis. Iesus autem videns quòd sapienter respondisset, dixit illi: Rectè respondisti: Hoc fac, & viues. Ille autem volens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus? Suspiciens autem Iesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho, & (Luc. 10.) incidit in latrones, qui etiam spoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt, semiuiuo relicto. Accidit autem vt sacerdos quidam descenderet eadem via; & viso illo, præteriuit. Similiter & Leuita cùm esset secus locum, & videret eum, pertransiit. Samaritanus autem quidam transiens, venit secus eum, & videns eum, misericordia motus est. Et appropians alligauit eum, infundens in vulnera eius vinum & oleum. Et imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcunque supererogaueris, ego cùm rediero, reddam tibi. Quis horum trium videtur tibi, proximus fuisse illi qui incidit in latrones: At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus, Vade, & tu fac similiter.

(Docente Iesu in Templo, miserunt Pharisæi eum cõprehẽdere. Cap. 129.) Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, & Scribæ, & principes plebis, quærebant illum perdere, & non inueniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum. Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo, hæc. Et miserunt Principes & Pharisæi ministros, vt apprehenderent illum. Dixit ergo Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum qui misit me. Quæretis me & non inuenietis, & vbi sum ego, vos non potestis venire. Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos: Quò hic iturus est, quia non inueniemus eum? Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes? Quis est hic sermo quem dixit, quæretis me, & non inuenietis, & vbi sum ego, vos non potestis venire? In nouissimo autem die magno festiuitatis, stabat Iesus, & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem ac- (Ioan. 7.) cepturi erant, credentes in eum. Nondum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Ex illa ergo turba, cùm audissent hos sermones eius, dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Nunquid à Galilæa Christus venit? Nónne Scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & Bethleem castello, vbi erat Dauid, venit Christus? Dissensio itaque facta est in turba propter eum. Venerunt ergo ministri ad pontifices & Pharisæos, & dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum? Responderunt ministri: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo. Responderunt ergo ei Pharisæi: Nunquid & vos seducti estis? Nunquid aliquis ex principibus credidit in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt. Dicit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipsis: Nunquid lex nostra iudicat hominẽ, nisi audierit prius ab ipso, & cognouerit quid faciat? Responderunt & dixerunt ei: Nunquid & tu Galilæus es? Scrutare, & vide, quia Propheta à Galilæa non surgit.

(Interrogabat Pharisæos Iesus cuius filius est Christus. Cap. 130.) Congregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo Dauid in libro Psalmorum vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

(Iesus docet, ego sum lux mundi. Cap. 131.) Iterum ergo locutus est eis Iesus, dicens: Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. Respondit Iesus, & dixit eis: Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio vnde veni, & quò vado. Vos autem nescitis vnde venio, aut quò vado. Vos secundum carnem iudicatis, ego non iudico quenquam. Etsi iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego & qui misit me Pater. Et in lege vestra scriptum est: Quia duorum hominum testimonium verum est. Ego (Num. 35. Ioh. 8.) sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me qui misit me pater. Dicebant ergo ei: Vbi est pater tuus? Respondit Iesus: Neque me scitis, neque Patrem meum. Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis. Ego vado, & quæritis me, & in peccato vestro moriemini. Quò ego vado, vos non potestis venire. Dicebant ergo Iudæi: Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit: quò ego vado, vos non potestis venire? Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Dixit ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Dicebant ergo ei, tu quis es? Dixit eis Iesus. Principium qui & loquor vobis. Multum habeo de vobis loqui & iudicare: Sed qui misit me, verax est: & ego quæ audiui à Patre meo, hæc loquor in mundo. Et non cognouerunt, quia Patrem dicebat eius Deum. Dixit ergo eis Iesus: Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor. Et qui misit me, mecum est: non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. Dicebat ergo Iesus ad eos qui crediderunt in eum: O Iudæi, si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Responderunt ei: Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam: quomodo tu dicis, liberi eritis? Respondit eis Iesus: Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum. Filius manet in æternum. Si ergo Filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Scio quia filij Abrahæ estis, sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. Ego quod vidi apud Patrem, loquor: & vos quod vidistis apud patrem vestrum, facitis. Responderunt & dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Iesus: Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Patre meo: Hoc Abraham non fecit: vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei: Nos ex (Iohan. 8.) fornicatione non sumus nati. Vnum patrem habemus Deum. Dixit ergo eis Iesus: Si Deus Pater vester esset, diligeretis vtique me. Ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim à meipso veni, sed ille me misit. Quare loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum. Vos ex patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & Pater eius. Ego autem quia veritatem dico, non creditis mihi. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Qui est ex Deo, Dei verba audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Iesus: Ego dæmo-

nium non habeo, sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat & iudicet. Amen dico vobis: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nunc cognouimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est & Prophetæ, & tu dicis: si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Nunquid tu maior es Patre nostro Abraham, qui mortuus est, & Prophetæ mortui sunt? Quem teipsum facis? Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus noster est. Et non cognouistis eum, ego autem noui eum. Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum & sermonem eius seruo. Abraham Pater vester exultauit, vt videret diem meum: & vidit & gauisus est. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Dixit eis Iesus: Amen amen dico vobis, antequàm Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiuit de Templo.

Ioh. 8.

Iesus faciẽs lutum de sputo, & ponens super oculos cæci nati, curauit eum. Cap. 132.

Et præteriens vidit hominem cæcum à natiuitate, & interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit Iesus: Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est. Venit nox quando nemo potest operari. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Hæc cùm dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei: Vade, & laua in natatoria Siloë, quod interpretatur, missus. Abiit ergo & lauit, & venit videns. Itaque & vicini & qui videbant eum priùs quia mendicus erat, dicebant: Nónne hic est qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant, quia hic est. Alij autem, nequaquam, sed similis est eius. Ille verò dicebat, quia ego sum. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? (Respondit) Ille homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoriam Siloë, & laua. Et abij, & laui, & video. Dixerunt ei: Vbi est ille? Ait, nescio. Adducunt eum ad Pharisæos qui cæcus fuerat. Erat autem Sabbatum quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. Iterum autem interrogabant eum Pharisæi, quomodo vidisset? Ille autem dixit eis: Lutum posuit mihi super oculos, & laui, & video. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit. Alij dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat in eis. Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de eo qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: quia Propheta est. Non crediderunt ergo Iudæi de illo quia cæcus fuisset, donec vocauerunt parentes eius qui viderat. Et interrogauerunt eos dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt? Responderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus, quia hic est filius noster, & quia cæcus natus: quomodo ergo nunc videat, nescimus: aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus, ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur. Hæc dixerunt parentes eius, quia timebant Iudæos. Iam enim conspirauerunt Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt: quia ætatem habet, ipsum interrogate. Vocauerunt ergo rursum hominem qui erat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo. Nos scimus, quia hic homo peccator est. Dixit ergo ille: Si peccator est, nescio. Vnum scio, quia cæcus cùm essem, modò video. Dixerunt ergo illi, quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis: Dixi vobis iam & audistis, quid iterum vultis audire? Nunquid & vos vultis discipuli eius fieri? Maledixerunt ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis, nos autem discipuli Moysi sumus. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: Hunc autem nescimus vnde sit. Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim

Ioan. 6.

Ioan. 9.

A mirabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit oculos meos. Scimus autem quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. A sæculo non est auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quicquam. Responderunt & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras.

Iesus agnitus est cæco. Et contendit multa cum Iudæis. Cap. 133.

Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras; & cùm inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in filium Dei? Respondit ille, & dixit: Quis est Domine, vt credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est. Ille ait: Credo Domine, & procidens adorauit eum. Dixit ei Iesus: In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Et audierunt ex Pharisæis, qui cum ipso erant, & dixerunt B ei: Nunquid & nos cæci sumus? Dixit eis Iesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc verò quia dicitis, videmus, peccatum vestrum manet. Amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro; qui autem intrat per ostium, pastor est ouium, huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt: Et proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non nouêre vocem alienorum. Hoc prouerbium dixit illis Iesus. Illi autem non cognouêre quid loqueretur eis. Dixit ergo iterum Iesus: Amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium. Omnes quotquot vene- C runt, fures sunt & latrones, sed non audierunt eos oues. Ego sum ostium, per me si quis introierit, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet: Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Ego veni vt vitam habeant. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus. Mercenarius, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eũ de ouibus. Ego sum Pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem. Et animam meã pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quę nõ sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meã audiẽt, D & fiet vnũ ouile, & vnus pastor. Propterea me pater diligit, quia ego pono animam meam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso. Potestatem habeo ponendi eã, & potestatem habeo iterum sumẽdi eam. Hoc mãdatum accepi à Patre meo. Dissensio iterum facta est inter Iudæos propter hos sermones. Dicebant autẽ multi ex ipsis, dæmoniũ habet & insanit, quid eum auditis? Alij dicebant: Verba hæc non sunt dæmonium habẽtis. Nunquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?

Ioan. 10.

Interrogatur Iesus à Iudæis sitne Christus, dic nobis manifestè. Cap. 134.

Facta sunt autem encænia in Hierosolymis & hyems erat. Et ambulabat Iesus in Templo, in porticu Salomonis. Circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palàm. Respondit eis Iesus, loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris E mei, hæc testimonium perhibent de me; sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Ego vitam æternam do eis, & nõ peribunt in æternum, & nõ rapiet eas quisquã de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & pater vnum sumus. Sustulerũt lapides Iudæi vt lapidarent eum. Respondit eis Iesus, multa opera bona ostendi vobis ex patre meo, propter quod opus eorum me lapidatis? Responderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia homo tu cùm sis, facis teipsum Deũ. Respondit eis Iesus: Nónne scriptum est in lege vestra: Quia ego dixi, dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, &

Ioan. 10.

est, & non potest solui scriptura: Quem pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi filius Dei sum? Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si non vultis mihi credere, operibus credite, vt cognoscatis, & credatis, quia in me est pater, & ego in patre. Quærebant ergo eum comprehendere, & exiuit de manibus eorum, & abiit iterum trans Iordanem in eum locum vbi erat Ioannes baptizans primùm, & mansit illic. Et multi venerunt ad eum, & dicebant; Quia Ioannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem quæcunque dixit Ioannes de hoc, vera erant: & multi crediderunt in eum.

Iesus resuscitat Lazarum à mortuis & principes concilium faciunt vt interficerent eum. Cap. 135.

Erat autem quidam languens, Lazarus à Bethania, de castello Mariæ & Marthæ sororis eius. Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur. Miserunt ergo sorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur. Audiens autem Iesus, dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eum. Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum. Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Deinde, post hæc dicit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei discipuli: Rabbi in Iudæam, nunc quærebant te lapidare Iudæi, & iterum vadis illuc? Respondit Iesus: Nónne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt: si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia non est lux in eo. Hæc C ait, & post hæc dicit eis. Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt à somno suscitem eum. Dixerunt

Ioan. 11.

ergo discipuli eius: Domine si dormit saluus erit. Dixerat autem Iesus de morte eius. Illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret. Tunc ergo dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis, quia non eram ibi, sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, & moriamur cum eo. Venit itaque Iesus, & inuenit eum iam quatuor dies in monumento manentem. Erat autem Bethania iuxta Hierosolymam, quasi stadiis quindecim. Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo. Martha autem vt audiuit quia Iesus venit, occurrit ei, Maria autem domi sedebat. Dixit D ergo Martha ad Iesum: Domine si hic fuisses frater meus non fuisset mortuus. Sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus. Dicit ergo Martha: Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die. Dicit Iesus: Ego sum resurrectio & vita. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. Et omnis qui viuit, & credit in me, nō morietur in æternum. Credis hoc? ait illi. Vtique Domine, Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. Et quum hæc dixisset, abiit & vocauit Mariam sororem suam silentiò, dicens. Magister adest, & vocat te. Illa vt audiuit, surgit citò, & venit ad eum. Nōdum enim venerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha. Iudæi E ergo qui erant cum illa in domo, & consolabantur eam, quum vidissent Mariam, quia citò surrexit & exiit, secuti sunt eam, dicentes. Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi. Maria ergo quum venisset vbi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dixit ei: Domine, si

Ioan. 11.

fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Iesus ergo vt vidit eam plorantē, & Iudæos qui cū ea venerant plorātes, fremuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit: Vbi posuistis eum? Dicūt ei: Domine, veni & vide: Et lachrymatus est Iesus. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem dixerunt ex ipsis: Non poterat hic qui aperuit oculos cæci, facere vt hic non moreretur? Iesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad

A monumentum. Erat autem spelunca, & lapis superpositus ei. Ait Iesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror eius qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet, quatriduanus enim est. Dicit ei Iesus: Nónne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem. Iesus autem eleuatis sursum oculis, dixit: Pater, tibi gratias ago, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum qui circumstat, dixi, vt credant quia tu me misisti. Hæc quum dixisset, voce magna clamauit: Lazare, veni foras: & statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dicit Iesus illis: Soluite eum & sinite abire. Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & viderant quæ fecit, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Iesus. Collegerunt ergo Pontifices & B Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem. Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, quum esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis: quia expedit nobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semet-ipso non dixit, sed quum esset pontifex anni illius, prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro gente. Et non tantum pro gente, sed vt & filios Dei, qui erant dispersi, cōgregaret in vnum. Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum. Iesus ergo iam non palàm ambulabat apud Iudæos, sed in regionem iuxta desertum, in ciuitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis. Proximum autem erat Pascha Iudæorum, & ascenderunt multi Hierosolymam de regione ante Pascha, vt sanctificarent seipsos. Quærebant ergo Iesum, & colloquebantur adinuicem in Templo stantes. Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederunt ergo Pontifices & Pharisæi mandatum, vt si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprehendant eum.

Ioa. 11. 18.

Non receptus Iesus in ciuitate Samaritana Ioannes & Iacobus dicunt ad eū Si vis, dicimus vt de[us] scēdat ignis de cœlo. Cap. 136.

Factum est autem dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit, vt iret Hierusalem. Et misit nuncium ante conspectum suum. Et euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, vt pararent illi, & non receperunt eum, quia facies eius erat euntis Hierusalem. Quum vidissent autem discipuli eius, Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos? Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Et abierunt in aliud castellum.

Iesus venit in Bethaniā & multi Iudæorum euntes, propter Lazarū crediderunt in eum. Cap. 137.

Iesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi fuerat Lazarus mortuus quem suscitauit Iesus. Et quum esset in domo Simonis leprosi, cognouit turba multa ex Iudæis, quia illic est, & venerunt non propter Iesum tantùm, sed vt Lazarum viderent, quem suscitauit à mortuis. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos, Videtis, quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eū abiit. Cogitauerunt autem principes sacerdotum, vt & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & crediderunt in Iesum. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat, Lazarus verò erat vnus ex discumbentibus cum eo.

Maria fudit alabastrum vnguenti in capite Iesu. Fit increpatio Pharisæorum. Cap. 138.

Maria ergo habens alabastrum vnguenti nardi spicati preciosi, fracto alabastro, effudit super caput eius recumbentis, & vnxit pedes eius, & extersit capillis suis, & domus impleta est ex odore vnguenti. Dixit ergo vnus ex discipulis eius Iudas Scariotis, qui erat traditurus eum: Quare vnguentum hoc non venijt trecentis denariis, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat. Erant autem quidam indignè ferentes intra semet-ipsos, & dicentes: Vt quid perditio hæc vnguenti facta est? Sciens autem Iesus, ait illis: Quid

molesti estis huic mulieri? Opus bonum operata est in me. Nã semper pauperes habebitis vobiscum, & quum volueritis, potestis illis benefacere: me autem non semper habebitis. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis: Vbicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo, dicetur, & quòd hæc fecit in memoriam eius. Videns autem Pharisæus qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ & qualis esset mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi

Matt. 26. Mar. 14. Luc. 14.

aliquid dicere. At ille ait, Magister, dic: Duo debitores erant cuidam fœneratori, Vnus debebat denarios quingentos alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisq;. Quis ergo eum plus diliget? Respondens Simon, dixit; Æstimo quia is cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit: Simon, vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi nõ dedisti: hæc autem ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum nõ vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi, remittentur ei peccata multa, quia dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Dimittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autẽ ad mulierem: Fides tua te saluam fecit, vade in pace. Et his dictis abiit, ascendens Hierusalem.

Hierosolymis Græci videre volunt Iesum. Cap. 139.

Erant autem gentiles quidam ex his qui ascenderant, vt adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Iesum videre. Venit Philippus, & dicit Andreæ, Andreas rursum & Philippus dicunt Iesu. Iesus autem respondit eis, dicens: Venit hora vt glorificetur Filius hominis. Amen amen dico vobis, nisi granum frumẽti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur. Et vbi sũ ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eũ Pater meus. Nũc anima mea tur-

Ioan. 12.

bata est. Et quid dicã? Pater, saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horã hanc. Pater, clarifica nomen tuũ. venit ergo vox de cœlo: & clarificaui & iterũ clarificabo. Turba ergo quæ stabat & audiebat, dicebat, tonitruũ factum esse. Alij dicebãt, Angelus ei locutus est. Respondit Iesus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. Nunc iudicium est mundi. Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus. Respondit ei turba: Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum: Et quomodo tu dicis, oportet exaltari Filium hominis? Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant. Et qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis.

Pharisæi interrogant Iesum quando venit regnum Dei. Cap. 140.

Interrogatus autem à Pharisæis, quando venit regnum Dei: Respondit eis, & dixit: Non venit regnũ Dei cum obseruatione, neque dicent, ecce hic, aut ecce illic: Ecce enim regnum Dei intra vos est. Erat autem diebus docens in Templo, noctibus verò exibat & morabatur in monte Oliueti. Et omnis populus veniebat ad eum in Templo, audire eum.

Iesus loquitur ad turbas & discipulos, de Scribis & Pharisæis, & eorũ væ. Cap. 141.

Tunc Iesus locutus est ad turbas & ad discipulos suos, dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite; secundum autem opera eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. Alligant autem onera grauia

A

& importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo non possunt ea mouere. Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. Et volunt ambulare in stolis. Amãt enim primos recubitus in cœna, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Et omnis populus libenter audiebat eum. Vos autem nolite vocari Rabbi: Vnus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis. Et patrẽ nolite vocare vobis super terram. Vnus est enim Pater vester, qui in cœlis est. Nec vocemini magister, quia magister vester vnus est Christus. Qui maior est vestrũm, erit minister vester. Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur. Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro. Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, legisperiti, quia tulistis clauem scientiæ

B

& clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos autem non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Væ vobis Pharisæi hypocritæ, qui deuoratis domos viduarũ, sub obtentu prolixæ orationis: accipietis maiorem damnationem. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui Matth. 23. Mar. 12. Luc. 11.

circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum: & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplò quàm vos. Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicunque iurauerit per Templum, nihil est. Qui autem iurauerit in auro Templi, debet. Stulti & cæci, quid enim maius, aurum, an Templum, quod sanctificat aurũ? Et quicunque iurauerit in altari, nihil est. Quicunque autem iurauerit in dono quod est super illud, debet. Cæci, quid

C

enim maius est, donum, an altare quod sanctificat donũ? Qui ergo iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus quæ super illud sunt. Et qui iurauerit in Tẽplo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipso. Et qui in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: qui decimatis mentham & anethum & cyminum & rutam & omne olus, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam, & fidem & charitatem Dei. Hæc oportuit facere, & illa nõ omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem deglutientes. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis & paropsidis: intus autem pleni estis rapina & immunditia. Pharisæe cæce, munda priùs quod intus est calicis & paropsidis, vt fiat & id quod deforis est, mundum. Væ vo-

D

bis, quia estis vt monumenta quæ non apparent, & homines ambulantes supra ea nesciunt. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Sic & vos à foris apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate. Respondens quidam ex legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens etiam nobis contumeliam facis. At ille ait: Et vobis legisperitis væ: qui oneratis homines oneribus quæ portari nõ possunt & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non esse-

E

mus socij eorum in sanguine Prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram Patrum vestrorum. Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Propterea & sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas, & Apostolos, & sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter Templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.

Iesus lamentatur super Hierusalẽ. Cap. 142.

Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui cõgregare filios tuos, quemadmodum gallina cõgregat pullos suos sub alis suis, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis: non me videbitis à modò, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

Multi ex Principibus crediderunt in eum & non confitebantur, ne de synagoga eiicerentur. Cap. 143. Ioan. 12.

Veruntamen ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt de synagoga non eiicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei. Iesus autem clamauit, & dixit: qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Et qui videt me, videt eum qui misit me. Ego lux in mundum veni, vt omnis, qui credit in me in tenebris non maneat. Et si quis audierit verba mea, & non custodierit, ego non iudico eum. Non enim veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum. Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum. Sermo quẽ locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die, quia ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatũ dedit, quid dicam aut quid loquar. Et scio quia mãdatum eius vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor. Hæc locutus est eis Iesus, & abiit, & abscondit se ab eis. Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, vt sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo.

Isa. 53.

Ostendunt discipuli, Iesu structuram Templi. Cap. 144.

Et cùm egrederetur Iesus de Templo, accesserunt discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationem Templi, dicentes: Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ. Et respondens Iesus ait: Videtis has omnes ædificationes? Amen dico vobis: venient dies in quibus non relinquetur hîc lapis super lapidem, qui non destruatur.

Sedente Iesu in monte Oliueti, interrogant eum discipuli quod signum erit aduentus sui vel eorũ quę dixisti? Et prædicat de euersione Hierusalẽ, & signis & prodigiis. Cap. 145.

Et cùm sederet in monte Oliuarum contra templum, accesserunt discipuli secretò, & interrogauerunt eum, dicentes: Præceptor dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum aduentus tui, cùm hæc omnia incipient consummari? Et ait ad discipulos: Venient dies, quando desideretis videre vnum diem Filii hominis, & non videbitis. Videte, ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent. Cùm audieritis prælia & opiniones bellorum, & seditiones nolite terreri. Oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis. Consurget enim gens in gentem, & regnum contra regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca, terroresque de cœlo, & signa magna: Hæc autem omnia initia sunt dolorum. Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra, possidebitis animas: Ponite ergo in cordibus vestris, nõ præmeditari, quomodo respondeatis: ego autem dabo vobis os & sapientiam, cui nõ poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri. Tunc scandalizabũtur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem. Et multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio. Cùm ergo videritis abominationẽ desolationis: quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, Qui legit intelligat. Cùm autem videritis circundari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote, quia appropinquabit desolatio eius. Tunc qui in Iudæa sunt fugiant in montes, & qui in medio eius, discedant: & qui in regionibus, non intrent in eam, quia dies vltionis hi sunt, vt impleantur omnia quæ scripta sunt. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Erit enim pressura magna supra terram, & ira populo huic. Et cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes: & Hierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum. Orate autem, vt non fiat fuga hyeme vel Sabbato. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, vsque modo, neque fiet. Et erunt signa in Sole, & Luna, & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabũtur dies illi. Tunc si quis vobis dixerit, ecce hic Christus, ecce illic. Nolite credere. Surgent enim pseudo Christi & pseudoprophetæ: & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in occidentem: ita erit & aduentus Filij hominis. Statim autem post tribulationem dierum illorum, Sol obscurabitur, & Luna nõ dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum mouebuntur. Et tunc patebit signum Filij hominis in cœlo, & tunc plãgent se omnes tribus terræ. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa, & maiestate. Et tunc mittet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cœlorum vsque ad terminos eorum. His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra, quoniam appropinquabit redemptio vestra.

Mat. 13.

Luc. 21.

Matt. 24.

De parabola ficulneæ. Cap. 146.

Ab arbore autem fici, discite parabolam: cùm iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, & omnes arbores cùm iam ex se producunt fructum, scitis quoniã propè est æstas: Ita & vos cùm videritis hæc omnia fieri, scitote quia propè est in ianuis. Amen dico vobis: quia nõ præteribit hæc generatio, donec omnia hæc fiant. Cœlum & terra transibunt, verba verò mea non transibunt. Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & veniat super vos repentina dies illa. Tanquam laqueus enim superueniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore, orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis. Nescitis enim quãdo tempus sit. De die autem illo & hora nemo scit: neq; Filius, neque Angeli in cœlo nisi solus Pater.

Iesus diem iudicij temporibus Noe & Loth assimilauit. Et de fideli & prudenti dispẽsatore. Cap. 147.

Sicut autem in diebus Noë, ita erit & aduentus Filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium, comedentes & bibentes, nubentes & nuptum tradentes, vsque ad eum diem quo intrauit in arcam Noë, & non cognouerunt donec diluuium venit, & tulit omnes: ita erit & aduentus Filij hominis. Similiter factum est in diebus Loth, edebant & bibebãt, emebant & vendebãt, plantabant & ædificabant, qua die autem exiit Loth à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cœlo, & omnes perdidit: secundum hoc erit, qua die Filius hominis reuelabitur. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertetur tollere vestimentũ suum. Memores estote vxoris Loth. Tunc duo erunt in agro: vnus assumetur, & alter relinquetur. Duæ molentes in vnum, vna assumetur, & altera relinquetur. Duo in lecto vno, vnus assumetur: & alter relinquetur. Respondentes dicunt illi: vbi Domine? Qui dixit eis: Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Sicut homo qui peregrè profectus est, reliquit domum suam, & dedit seruis suis potestatem cuiusque operis, & ianitori præcepit vt vigilet. Vigilate ergo, nescitis enim quando Dominus domûs veniat, serò an media nocte, an galli cantu, an manè: ne cùm venerit repentè, inueniat vos dormientes. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamiliâs qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non fineret perfodi domum suam.

Gen. 19.

Matt. 24. Luc. 17.

Ideóque & vos estote parati, quia qua hora nescitis, Filius hominis venturus est. Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Quod autem dico vobis, omnibus dico, vigilate. Dixit autem Dominus: Quis putas est fidelis seruus & prudẽs dispensator, quem constituit Dominus supra familiam suam, vt det illis cibum in tempore. Beatus ille seruus, quem cùm venerit Dominus eius, inuenerit sic facientem. Verè dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. Si autem dixerit malus ille seruus in corde suo, moram fecit Dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriis: veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partémque eius ponet cum hypocritis & infidelibus: Illic erit fletus & stridor dentium.

Luc. 12.

De decem virginibus. Cap. 148.

Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipiebant lampades suas, & exierunt obuiam sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum. Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes, & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exire obuiam ei. Tunc surrexerũt omnes virgines illæ, & ornauerũt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Respõderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendẽtes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissimè autem veniunt & reliquæ virgines, dicẽtes: Domine, Domine aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

Matt. 25.

De eo qui peregrè proficiscens, talenta seruis suis distribuit. Cap. 149.

Sicut enim homo peregrè proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua, & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum: vnicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui. Post multum verò temporis venit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta mihi tradidisti, ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi Dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo superlucratus sum. Ait illi Dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Accedens autem qui vnum talẽtum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti, & timens abij, & abscondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum est. Respondens autem Dominus eius, dixit ei: Serue male & piger, sciebas quia meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi: oportuit autem te committere pecuniam meam nummulariis, & veniẽs ego recepissem vtique quod meũ est cum vsura, tollite itaque ab eo talentum, & et date qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium.

Matth. 25.

Vt lumbi semper sint præcincti, & lucernæ ardentes. Cap. 150.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes, & vos similes hominibus, expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptiis: vt cùm venerit, &

A pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati illi serui quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati serui illi.

De eo qui peregrè accipere sibi regnum proficiscens decẽ minas seruis suis dedit. Cap. 151.

Dixit ergo: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum & reuerti. Vocatis autem decem seruis suis, dedit illis decem minas. Et ait ad illos: Negotiamini dum venio. Ciues autem eius oderant illum, & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est dum rediret accepto regno, & iussit vocari seruos quibus dedit pecuniam, vt sciret quantum quisque negotiatus esset. Venit autem primus, dicens: Domine, mina tua decem minas acquisiuit. Et ait illi: Euge serue

B bone, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatẽ habens supra decem ciuitates. Et alter venit, dicens: Domine mina tua fecit quinque minas. Et huic ait: Et tu esto supra quinque ciuitates. Et alter venit dicens: Domine, Ecce mina tua quam habui repositam in sudario: timeo enim te, quia homo austerus es, tollis quod nõ posuisti, & metis quod non seminasti. Dicit ei: De ore tuo te iudico serue nequã. Sciebas quia ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui: & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens, cum vsuris vtique exegissem illud? Et astantibus dixit: Auferte ab illo minam, & date illi qui decem minas habet. Et dixerunt ei: Domine, habet decem minas. Dico autem vobis: quia omni habenti dabitur. Ab

Luc. 19.

C eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo. Veruntamen inimicos meos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.

Cũ venerit Filius hominis in sede maiestatis suæ. Cap. 152.

Cùm autem venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo: tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicẽ, sicut pastor segregat oues ab hœdis. Et statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me; in carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus? sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te vi-

D dimus hospitem, & collegimus te? Aut nudum, & cooperuimus te? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens Rex, dicet illis: Amen dico vobis quamdiu fecistis. Tunc dicet his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & Angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi potum, hospes eram, & non collegistis me; nudus, & non operuistis me; infirmus, & nõ visitastis me; & in carcere erã, & non venistis ad me. Tunc respondebunt & ipsi: Domine, quãdo te vidimus esurientem, & sitientem, aut hospitẽ, aut nudum, aut infirmũ, vel in carcere: & non ministrauimus tibi? Tunc respon-

Matt. 25.

E debit illis, dicens: Amen dico vobis, quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.

Iterũ conciliũ faciunt principes, Et Iudas vadit ad eos. Cap. 153.

Et factum est cùm consummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis: Scitis quia post biduum pascha fiet, & Filius hominis tradetur, vt crucifigatur. Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi, in atrium principis sacerdotũ qui dicebatur Caïphas: & concilium fecerunt, vt Iesum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo. Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicitur Iudas Scariot, & locutus est ad principes Sacerdotum, & magistratus, & ait illis:

Qnid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Qui audientes gauisi sunt, & constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem, vt eum traderet sine turbis.

Iesus lauit pedes discipulorum suorum. Cap. 154.

Ante diem autem festum paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad Patrem: cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, cùm diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Scariotis: sciens, quia omnia dedit Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deũ vadit: surgit à cœna, & ponit vestimenta sua. Et cùm accepisset linteum, præcinxit se: deinde mittit aquã in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum, & dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dicit ei: quod ego facio, tu B nescis modò, scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit Iesus ei: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus. Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus, & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus: & vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum: propterea dixit, non estis mundi omnes. Postquã ergo lauit pedes eorum, accepit vestimenta sua, & cùm recubuisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me, magister & Domine, & benedicitis: sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus & magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen amen dico vobis: C non est seruus maior Domino suo, neque Apostolus eo maior qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. Non de omnibus dico: ego scio quos elegerim,

Psal. 40.

sed vt impleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum. Amodò dico vobis priusquam fiat, vt credatis cùm factũ fuerit, quia ego sum. Amen amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui misit me.

Mittit discipulos præparare sibi Pascha. Et dicit eis: quòd quia vnus ex vobis tradet me. Cap. 155.

Prima autem die azymorum, accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? At Iesus dixit: Ite in ciuitatem ad quẽdam, & introëuntibus vobis, occurret homo amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis Domino domus: Magister dicit, tempus meum prope est, D apud te facio Pascha cum discipulis meis. Et ipse demonstrabit vobis cœnaculum grande stratum, & illic parate nobis. Et abierunt discipuli eius, & venerunt in ciuitatem, & inuenerunt sicut dixit eis, & parauerunt Pascha. Vespere autem facto, venit, & discumbebat cum duodecim discipulis suis. Et edentibus illis, dixit: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequàm patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno Dei. Cum hæc dixisset: turbatus est spiritu, & protestatus est & dixit:

Matt. 26.

Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. At illi cœperunt contristari, & dicere singulatim: Nunquid ego sum Domine. Quibus ait: Qui tingit mecum E manum in catino, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo. Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Aspiciebant autem adinuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. Et quærentes inter se quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. Erat autem recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dicit ei: Quis est de quo dicit? Itaque cùm recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei: Domine, quis est? Cui respondit Iesus: ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm

Ioan. 13.

intinxisset panem dedit Iudæ Simonis Scariotis. Et post buccellam introiuit in illum Satanas. Et dicit ei Iesus: Quod facis, fac citiùs. Hoc autem nemo sciuit discumbentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant quia loculos habebat Iudas, quia dicit ei Iesus, eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis vt aliquid daret. Respondens autem Iudas qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego sum Rabbi? Ait illi, tu dixisti. Cum ergo accepisset ille buccellam, exiit continuò. Erat autem nox. Cùm ergo exiisset, dicit Iesus: Nunc clarificatus est Filius hominis, & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificauit eum in semet ipso, & continuò clarificabit eum.

Iesus tradidit discipulis sacramentum corporis & sanguinis sui. Et dicit ad Petrum, Expetiuit Satanas, vt vos ventilet. Et omnes hodie in me scandalizabimini. Cap. 156.

Cœnantibus autem eis accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite & comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Et accipiens calicem, gratias egit, & benedixit, & fregit, & dedit eis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionẽ peccatorum. Dico autem vobis: Non bibam amodò de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei. Hoc facite in meam commemorationem. Ait autem Dominus Simoni: Simon, Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: Et tu aliquando conuersus, confirma Fratres tuos. Filioli, adhuc modicum tempus vobiscum sum. Quæritis me, & sicut dixi Iudæis, quò ego vado, vos non potestis venire, & vobis dico modo: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinuicem. Dicit ei

Matt. 26.

Simon Petrus: Domine, quò vadis? Respondit ei Iesus: Quò ego vado, non potes me modò sequi, sequeris autem postea. Tunc dicit illis Iesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim:

Matt. 26. Mar. 14.

Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Postquàm autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Respondens autem Petrus dixit illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Quia tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire. Animam meam pro te ponam. Respondit Iesus: Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi, quia hac nocte antequàm gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes discipuli dixerunt.

Hortatur discipulos suos vt nõ pauefiat cor eorum. Cap. 157.

Non turbetur cor vestrum: creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quominus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. Et, si abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam & accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Et quò ego vado scitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quò vadis, & quomodo possumus viam scire? Dicit ei Iesus: Ego sum via, & veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognouissetis me, & Patrem meum vtique cognouissetis. Et amodò cognoscetis eum, & vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe qui vidit me vidit & Patrem. Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem? Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite. Amen amẽ dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet: quia ego ad Patrem vado. Et quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciã, vt glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me, in nomine meo hoc faciam. Si diligitis me, mandata mea seruate. Et ego rogabo Patrem, &

Ioan. 14.

alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis, quem mundus non potest

accipere: quia non videt eum, nec scit eum. Vos autē cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit: non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Adhuc modicum, & mundus iam me non videt. Vos autem videtis me, quia ego viuo, & vos viuetis. In die illo cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Dicit ei Iudas, non ille Scariotis: Domine quid facturus es, quia nobis manifestaturus es teipsum, & non mundo? Respondit Iesus, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me Patris. Hæc locutus sum vobis apud vos manens. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo: ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Nō turbetur cor vestrum, neq; formidet. Audistis quia ego dixi vobis, vado & venio ad vos. Si diligeritis me, gauderetis vtiq;, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est. Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt quum factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiscum: Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quicquam: sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.

Dicit discipulis suis: qui quid habet, vendat. Cap. 158.

Et dixit eis: Quando misi vos sine sacculo, & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. Dico autem vobis, quoniam adhuc quod scriptum est, oportet impleri in me. Et quod cum iniustis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit eis: Satis est. Surgite, eamus hinc. Et hymno dicto, exierunt secundum consuetudinem in montem Oliueti, & secuti sunt illum discipuli.

Iesus dicit: ego sum vitis, & vos palmites. Cap. 159.

Dicit eis: Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit, vt fructum plus afferat. Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: Quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardebit. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunq; volueritis petetis, & fiet vobis: In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea: sicut & ego præcepta Patris mei seruaui, & maneo in eius dilectione. Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat: Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit, scitote

Ioan. 15.

A quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret. Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis. Non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem nō habent de peccato suo. Qui me odit, & Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt & oderunt & me & Patrem meum. Sed vt impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis. Psal. 68. & 119.

B Quum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absque synagogis facient vos. Sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequiū se præstare Deo, & hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem neque me. Sed hæc locutus sum vobis, vt quum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. At nunc vado ad eum qui me misit, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis? Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non

C veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cùm venerit, ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non credunt in me: de iustitia verò, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me: de iudicio, quia princeps huius mundi iudicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semet-ipso, sed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo discipuli eius aduinicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum & non

Ioan. 16.

D videbitis me: & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem? Dicebāt ergo: quid est hoc, quod dicit, modicum? Nescimus quid loquitur. Cognouit autem Iesus, quia volebāt eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quod dixi: modicum & non videbitis me: & iterum modicum & videbitis me. Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos: mundus autem gaudebit. Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem peperit puerū, iam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Et in

E illo die, me non rogabitis quicquam. Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo. Petite & accipietis, vt gaudium vestrum plenum sit. Hæc in prouerbiis locutus sum vobis. Venit hora cùm iam non in prouerbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis. Illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia ego à Deo exiui. Exiui à Patre, & veni in mundum. Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli. Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & non est

opus tibi, vt quis te interroget. In hoc credimus, quia à Deo exiisti. Respondit eis Iesus: Modò creditis? Ecce venit hora, & iam venit vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis: & non sum solus, quia Pater mecum est. Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis: In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.

Ioan. 17.

Hæc locutus est Iesus, & sublevatis in cœlum oculis, dixit: Pater venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Ego te clarificaui super terram: Opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam. Et nunc clarifica me Pater apud temetipsum, claritate quam habui priusquam mundus esset, apud te. Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt, quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè, quia à te exiui: Et crediderunt, quia tu me misisti. Ego pro eis rogo, non pro mundo: sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt, & mea omnia tua sunt: & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis. Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Cùm essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodiui: & nemo ex his periit, nisi filius perditionis, vt Scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum implêtum in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus odio eos habuit: quia nô sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo, non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum, & pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro his rogo tantùm, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, vt mundus credat quia tu me misisti. Et ego claritatem quã dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum: & cognoscat mundus quia me misisti, & dilexisti eos sicut & me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi; volo vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater iuste, mundus te non cognouit, ego autem te cognoui: & hi cognouerunt, quia tu me misisti: & notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

Venit Iesus in Gethsemani, & orat Patrẽ, vt trãsferat calicem hunc ab eo. Cap. 160.

Tunc venit Iesus cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani, trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse & discipuli eius. Sciebat autem & Iudas qui tradebat eum, locum: quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Et quum peruenisset ad locum, dixit discipulis suis: Sedete hic, & orate, vt non intretis in tentationem, donec vadam illuc, & orem. Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, Iacobo & Ioanne, cœpit contristari & mœstus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem: Sustinete hic, & vigilate mecum.

Ioan. 18.

Et ipse progressus est ab eis quantum iactus est lapidis. Et positis genibus procidit in faciem suam, & orabat, vt si fieri posset, transiret ab eo hora, dicens: Pater, si possibile est; Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt. Mi Pater, si possibile est, transfer calicem hunc à me. Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu. Et quum surrexisset ab oratione, venit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes. Et ait illis: Quid dormitis? Sic non potuistis vna hora vigilare mecum?

Math. 26. Mar. 14.

A Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Iterum secundo abiit, & orauit. Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Factus est in agonia, & prolixius orabat, dicens: Pater mi, si non potest calix hic transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terrã.

Luc. 22.

Et quum surrexisset ab oratione, venit iterum ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes præ tristitia: Erãt enim oculi eorum grauati, & ignorabant quid responderent ei. Et relictis illis, iterum abiit, & orauit tertiò eundem sermonem dicens: Tunc venit ad discipulos suos, & ait illis: Dormite iam & requiescite. Ecce appropinquabit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: Ecce appropinquabit qui me tradet.

B

Iudas venit cum turbis comprehendere Iesum. Cap. 161.

Et adhuc ipso loquente, ecce Iudas vnus de duodecim, quum accepisset cohortem, venit, & cum eo turba multa cum lanternis & facibus & armis & gladiis, & fustibus, missi à principibus sacerdotum, & scribis, & senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dederat illis signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè. Et confestim accedens ad Iesum, dixit: Aue Rabbi, & appropinquauit Iesu, vt oscularetur eum. Iesus autem dixit ei: Iuda, osculo Filium hominis tradis? Amice, ad quid venisti? & osculatus est eum. Iesus itaque sciens omnia quæ ventura erãt super eum, processit & dicit eis: Quem quæritis? Respõderunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit Iesus: Ego sum.

Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Stabat autem & Iudas qui tradebat eum cum ipsis.

C

Vt ergo dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderũt in terram. Iterum ergo eos interrogauit: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi vobis, quia ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire: vt impleretur sermo quẽ dixit: quia quos dedisti mihi, non perdidi ex ipsis quenquam.

Ioan. 18.

Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerũt ei: Domine, si percutimus in gladio?

Luc. 22.

Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit pontificis seruum, & amputauit auriculã eius dexteram. Erat autem nomen serui Malchus. Tunc ait Iesus Petro: Calicem quem dedit mihi Pater, non bibã illum? Mitte gladium in vaginam. Omnes enim qui acceperint

D

gladium, gladio peribunt: an putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ? Quia sic oportet fieri. Sinite vsque huc, & quũ tetigisset auriculã eius, sanauit eum. In illa hora dixit Iesus turbis: Tãquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me. Quotidie apud vos eram, docens in templo, & non me tenuistis. Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Hoc autem totum factum est, vt implerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo, fugerunt. Cohors autem & tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primùm. Erat autem socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas qui consilium

E

dederat Iudæis, quia expedit vnum hominem mori pro populo.

Adolescens quidam indutus syndone sequebatur Iesũ. Cap. 162.

Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus syndone super nudo, & tenuerunt eum. At ille reiecta syndone, nudus profugit ab eis. Sequebatur autẽ Iesum Simon Petrus à longè, & alius discipulus, vsque in atriũ principis Sacerdotum. Discipulus autem ille notus erat pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum. Quem quum vidisset ancilla ostiaria sedentem ad limen, & cum fuisset intuita, dixit: Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Mulier, non noui illum, neque scio quid dicas. Stabant

autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis Petrus stans & calefaciens se, vt videret finem.

Interrogat princeps Sacerdotū Iesum de discipulis & doctrina eius. Cap 163.

Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei Iesus: Ego palàm locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga & in téplo quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sim ipsis. Ecce hi sciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixisset, vnus assistés ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici? Respondit ei Iesus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: Si autem bene, quid me cædis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. Erat autem Simon Petrus foris in atrio, stans, & calefaciens se. Rursum autem vidit eum alia ancilla, & ait circumstantibus: Et hic erat cum Iesu Nazareno. Accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es: nam & loquela tua te manifestum facit, quòd sis Galilæus. Et iterum negauit cum iuramento: quia non noui hominem. Et post pusillum quasi horæ vnius, dicit vnus ex seruis pontificis, cognatus eius cuius abscidit Petrus auriculá: Verè & hic cum illo erat: nā Galilæus est: Nónne ego te vidi in horto cum illo? Tunc cœpit detestari & iurare, & anathematizare. Neque noui eum, neque scio quid dicis: non noui hominem istum, quem dicitis: & statim gallus cantauit: & conuersus Dominus, respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini quod dixerat ei: Priusquam gallus cantet, ter me negabis, & egressus foras fleuit amarè.

Quærebant falsi testes aduersus Iesum. Cap 164.

Manè autem facto, conuenerunt omnes principes Sacerdotum, cum senioribus plebis & scribis, concilium facientes. Quærebāt falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent, & nō inuenerunt. Quum multi falsi testes accessissent, nec inueniebant & conuenientia illorum testimonia non erant. Nouissimè autem venerunt duo falsi testes, & dixerunt: Nos audiuimus dicentem: Possum destruere templum Dei hoc manufactum, & post triduum aliud non manufactum ædificare: Iesus autem tacebat. Et surgens princeps Sacerdotum in medium, interrogauit Iesum dicens: Nihil respondes ad ea quæ isti aduersus te testificantur? Iesus autem nihil respondit.

Princeps Sacerdotū adiurat Iesum, dicens: Si tu es Christus dic nobis. Cap. 165.

Et rursum summus Sacerdos ait illi: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei benedicti: Dicit illi Iesus. Tu dixisti. Et ait illis: si vobis dixero, non credetis mihi: si autem & interrogauero, nō respondebitis mihi, neque dimittetis. Veruntamen dico vobis: A modò videbitis Filium hominis sedentem à dexteris virtutis Dei, & venienté in nubibus cœli. Tunc princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemauit. Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam de ore eius. Quid vobis videtur? At illi respondentes, dixerunt: Reus est mortis. Tunc expuerunt in faciem eius, & qui tenebant eum, illudebant ei, & velauerunt faciem eius, & colaphis cæciderunt eum: Alij autem palmas in faciem ei dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemantes, dicebant in eum.

Traditur Pilato Iesus & pœnitet Iudas.

Et adduxerunt eum vinctum in prætorium, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi. Et ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha. Tunc vidés Iudas qui eum tradidit, quòd damnatus esset, ductus pœnitentia, retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum & senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu videris. Et proiectis argenteis in templo, recessit: & abiens, laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Non eos licet mittere in Corbanam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturá peregrinorum, propter hoc vocatus est ager

Matt. 27.

ille Acheldemach, hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretiū appretiati, quem appreciauerunt a filiis Israël, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

Pilatus audit inter Iudæos & Dominum & mittit eū ad Herodē. Cap. 167.

Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? Responderunt & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. Dixit ergo Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam: vt sermo Iesu impleretur, quem dixit, significās qua morte esset moriturus. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum, & dixit ei, Tu es Rex Iudæorum? Et respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & pontifices tui, tradiderunt te mihi. Quid fecisti? Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis: Nunc autem regnum meum non est hīc. Dixit itaq; ei Pilatus: Ergo Rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos, & ait ad principes sacerdotum & turbas: Nullam inuenio causam in homine. At illi inualescebant dicentes: Commouit populum, docens per vniuersam Iudæam, & incipiens à Galilæa vsq; huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset. Et vt cognouit quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem. Qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso Iesu, gauisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quòd audiret multa de illo, & sperabat signum aliquod videre ab eo. Interrogabat autem illum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabāt etiam principes sacerdotum, & scribæ constanter accusantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in die illa: nam antea inimici erant adinuicem. Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum & magistratibus & plebe exiuit ad eos foras, & dixit eis: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem hunc populum. Ecce abduco eum foras, vt cognoscatis, quia in eo nullam causam inuenio, ex his in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignū morte actum. Emendatum ergo illum dimittam. Exclamauit autem vniuersa turba, dicens: Tolle hunc, Crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite. Ego enim non inuenio causam in eo. Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Quum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum, & dicit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autē responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui tradidit me tibi, maius peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus ergo quum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem, gabbatha. Erat autem parasceue paschæ, hora quasi sexta. Et dicit Iudæis: Ecce Rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, cru-

Ioan. 19. *Luc 23.* *Ioan. 19.* *Ioan. 18.*

Matt. 27. Mar. 15.

cifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. Iesus autem nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præses vehementer. Per diem autem festum consueuerat præses dimittere populo vnum ex vinctis, quemcunque petissent. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barrabas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Est consuetudo vobis, vt vnum dimittā in Pascha. Quem ergo vultis, dimittam vobis? Barrabam an Iesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum.

Vxor Pilati misit ad eū dicēs: nihil tibi & iusto illi.
Cap. 168.

Sedente autem illo pro tribunali, misit ad illum vxor eius, dicens: Nihil tibi & iusto illi. Multa enim passa sum hodie per visum propter eū. Princeps autem sacerdotum & seniores persuaserunt populis vt peterēt Barrabam, Iesum verò perderent. Respondens autem præses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt, Barrabam. Erat autem Barrabas latro. Qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate, & homicidium, vinctus in carcere. Dicit illis Pilatus: Quid ergo faciam de Iesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes, crucifigatur. Ait illis præses: Quid enim mali fecit?

Matt. 27.

At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine huius, vos videritis. Et respondens vniuersus populus, dixit: Sanguis super nos, & super filios nostros.

Pilatus dimisit Barrabam & tradidit Iesum ad crucifigendum.
Cap. 169.

Tunc dimisit illis Barrabam: Iesum autem flagellis cæsum tradidit eis vt crucifigeretur. Et milites præsidis suscipientes Iesum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem: & exuentes eum, induunt eum tunicam purpuream, & chlamydem coccineam circundederunt ei: Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius: & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue rex Iudæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinē, & percutiebant caput eius: & postquàm illuserunt ei, exuerunt eum chlamydem & purpuram, & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum, vt crucifigerent

Mar. 15. Ioan. 19.

baiulantem sibi crucem. Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum venientem de villa, nomine Simonem, Patrem Alexandri & Rufi. Hunc angariauerūt crucem portare post Iesum. Sequebatur autem illum turba multa populi, & mulierum quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas Iesus, dixit: Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros: Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles & ventres quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus; Cadite super nos, & collibus, operite nos, quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

Duo latrones cum Christo ad crucifigendum ducuntur. Et Iesus in cruce de matre sua dixit ad discipulum quem diligebat: Ecce mater tua.
Cap. 170.

Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo vt interficerentur. Et postquam venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est interpretatum, Caluariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum: & cùm gustasset, noluit bibere. Iesus autem dicebat: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Postquam autem crucifixerunt eum, acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cuius sit. Vt Scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Et sedentes seruabant eum. Scripsit autem & titulum Pilatus causæ eius, & imposuit super caput eius: Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudæorū. Hunc ergo titulum multi legerunt Iudæorum: quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum: Noli scribere Rex Iudæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. Tunc crucifixerunt cum eo duos latrones, vnum à dexteris, & alterum à sinistris eius. Prætereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, salua temetipsum: si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter & principes Sacerdotum illudentes cum scribis & senioribus, dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus ei. Confidit in Deo, liberet nunc eum si vult: Dixit enim, quia Filius Dei sum. Idipsum autem vnus de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum & nos. Respondēs autem alter, increpabat illum, dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? Et nos quidem iustè: nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei dum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Stabat autem iuxta crucem Iesu, Mater eius, & soror matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalene. Ioan. 19.
Cùm vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier, ecce Filius tuus. Deinde dicit discipulo. Ecce Mater tua. Et ex illa hora, accepit eam discipulus in suam. A sexta autem hora, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam. Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicens: Eli, Eli, Lamasabathani? Quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes & audientes, dicebant: Eliam vocat iste. Postea sciens Iesus quia iam omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum. Et continuò Ioan. 19.
currens vnus ex eis, acceptā sphongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cùm ergo accepisset acetum Iesus, dixit: Consummatum est. Cæteri verò dicebant: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum. Iesus autem iterum clamans voce magna: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et inclinato Matt. 27.
capite, emisit spiritum. Et ecce velum templi scissum est Mar. 15.
in duas partes à summo vsque deorsum. Et terra mota Luc. 23.
est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexēre. Et exeuntes de monumentis post Resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum illo erat, custodientes Iesum, viso terræmotu & his quæ fiebant, timuēre valde, glorificantes Deum, & dicentes: Hic homo iustus, verè Filius Dei erat. Et omnis turba eorum qui simul aderāt ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur. Stabant autem omnes noti eius à longè, & mulieres multæ quæ simul cum eo ascenderant à Galilæa Hierosolymam. Inter quas erant Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph Mater Salome Mater filiorum Zebedæi (quæ, cùm esset in Galilæa sequebantur eum) hæc videntes. Iudæi ergo quoniam Parasceue erat, vt non remanerent in cruce corpora sabbato (Erat enim magnus dies ille sabbati) rogauerunt Pilatum vt frangerentur crura eorum, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui cū eo crucifixus est. Ad Iesum autem cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus Ioan. 19.
eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius, & ille scit, quia vera dicit, & vt vos credatis. Facta enim hæc, vt Scriptura impleretur: Os nō comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

Cùm serò autem factum esset, venit quidam homo Ioseph

petit corpus Iesu à Pilato & sepelit vnà cum Nicodemo. Cap. 171.

diues, nobilis decurio, ab Arimathia ciuitate Iudææ nomine Ioseph, vir bonus & iustus, qui & ipse occultus erat discipulus Iesu propter metum Iudæorum, qui expectabat & ipse regnum Dei. Hic non consenserat consilio & actibus eorum. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu. Pilatus autem mirabatur si iam obiisset, & accersito Centurione interrogauit eum, si iam mortuus esset. Et cum cognouisset, iussit reddi corpus. Venit autem & Nicodemus qui venerat ad Iesum nocte primũ, ferens mixturam myrrhæ & aloës, quasi libras centum. Acceperunt autem corpus Iesu, & ligauerunt eum linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco vbi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat. Et posuit illud Ioseph, & aduoluit saxum ad ostium monumenti, & abiit. Erãt autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum. Viderunt quemadmodum positum erat corpus eius. Et reuertentes parauerunt aromata & vnguenta vt venientes vngerent eum. Et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.

Iudæi signant monumẽtum. Cap. 172.

Altera autem die, quæ est post Parasceuen, conuenerũt principes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens, post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium, ne fortè veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi, surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior priore. Ait illis: Habetis custodiam: ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierũt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.

Prima die sabbati Iesus resuscitatur à mortuis. Cap. 173.

Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, cùm adhuc tenebræ essent, venit Maria Magdalene, & altera Maria, & Salome ad monumentum, portantes quæ parauerant aromata, & orto iam Sole, dicebant adinuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Erat quippe magnus valde. Et ecce, terræmotus factus est magnus. Angelus autem Domini descendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem: & respicientes viderunt reuolutum lapidem à monumento, & Angelũ sedentem super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respondens autem Angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos. Scio enim quòd Iesum qui crucifixus est, quæritis: Non est hîc, surrexit enim sicut dixit: Venite, & videte locum vbi positus erat Dominus. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto: Ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cùm timerent autem, & declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuentem cum mortuis? Non est hîc, sed resurrexit: Recordamini qualiter locutus est vobis, cùm adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. Et citò euntes, dicite discipulis eius quia surrexit à mortuis. Et ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis. Et recordatæ sunt verborum eius. Et exierunt citò de monumento, cum timore, & magno gaudio, currentes nuntiare discipulis eius. Cucurrit ergo & venit ad Simonem Petrum & ad alium discipulum quem amabat Iesus, & dicit eis: Tulerunt Dominum meum de monumento: & nescimus vbi posuerunt eum. Exiit ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum. Et cùm se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus qui venerat priùs ad monumentum, & vidit, & credidit: Nondum enim sciebant Scri-

Ioan. 20.

pturas, quia oportet eum à mortuis resurgere. A Abierunt ergo iterum ad semetipsos discipuli. Maria autem Magdalene, de qua eiecerat septem dæmonia, stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes: vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum erat corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis, quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Hæc cum dixisset, cõuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, & nõ sciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus: Mulier quid ploras? Quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Iesus: Maria: Conuersa illa dicit ei: Rabboni, quod dicitur magister. Dicit ei Iesus: Noli me tangere, nõdum enim ascendi ad Patrem meũ. B Vade autem ad Fratres meos & dic eis: Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum: ad Deum meum & Deum vestrum.

Ioan. 20.

Custodes monumẽti, annunciauerunt Sacerdotibus de Resurrectione Christi. Cap. 174.

Ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem & nuntiauerunt principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus, consilio accepto pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant docti, & diuulgatum est verbum istud apud Iudæos vsque in hodiernum diem.

Iesus apparuit mulieribus post Resurrectionem. Cap. 175.

Et ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem C accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere: Ite nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. Quæ cùm abiissent, nunciauerunt hæc omnia illis vndecim lugentibus & flentibus, & cæteris omnibus qui cum eo fuerant. Et illi audientes quia viueret, & visus esset ab eis, non crediderunt eis. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non credebant illis.

Duobus euntibus in castellum, apparuit Iesus. Cap. 176.

Post hæc autem duobus ex eis ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus hac ipsa die in castellum quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Hierosolymis, nomine Emaus: Et ipsi loquebantur adinuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus appropio- D quans, ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones quos confertis adinuicem ambulãtes, & estis tristes? Et respondens vnus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Hierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: quæ? Et dixerunt: De Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta potens in opere & sermone, coram Deo, & omni populo: & quomodo eum tradiderunt summi Sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël. Et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie, quòd hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris, terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad E monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt dicentes, se etiam Angelorum visionem vidisse, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt: Ipsum verò non inuenerunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti & tardi ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ. Nónne ergo hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erãt. Et appropinquauerunt castello quò ibant, & ipse finxit longiùs ire. Et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum est dum recumberet cum illis, accepit panem, & benedixit,

ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt illum: & ipse euanuit ex oculis eorum. Et dixerunt adinuicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? Et surgentes eadem hora, regressi sunt in Hierusalem, & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum ipsis erant, dicentes quod surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

Iesus apparuit discipulis suis. Cap. 177.

Nec illis crediderunt. Dum autem hæc loquuntur: Cùm esset serò die illa vna sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: Venit Iesus & stetit in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis, Ego sum, nolite timere. Conturbati verò & perterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas & pedes, quia ipse ego sum. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cùm hæc dixisset, ostendit eis manus, & pedes & latus. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hîc aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit illis. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent Scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere die tertia à mortuis, & prædicare in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma. Vos autem estis testes horum; Et ego promitto promissum Patris mei in vos. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cùm dixisset, insufflauit, & dicit eis: Accipite Spiritum sanctum, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.

Luc. 24.

Iesus apparuit Thomæ. Cap. 178.

Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando Iesus venit; dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittā manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo, iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio & dixit; Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Iesus: Quia vidisti me, credidisti: Beati qui non viderunt & crediderunt. Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus Christus est Filius Dei: & vt credentes vitam habeant in nomine eius.

Iterum apparuit discipulis suis ad mare Tiberiadis. Cap. 179.

Posteà manifestauit se iterum ad mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic: Erat simul Simon Petrus, & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanaël qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt & ascenderunt in nauim, & illa nocte nihil prehenderunt. Mane autem iam facto stetit Iesus in littore: non tamen cognouerūt discipuli quia Iesus est. Dicit ergo eis Iesus: Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. Dixit ergo eis Iesus: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non valuerunt illud trahere à multitudine piscium. Dicit ergo

A discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus cùm audisset quia Dominus est, tunicam succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autem discipuli nauigio venerunt (non enim longè erant à terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. Vt ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum & panem. Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus, quos prehendistis nunc. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cùm tanti essent, non scissum est rete. Dicit eis Iesus: Venite prandere. Et nemo audebat discumbētium interrogare eum, tu quis es? scientes quia Dominus est. Et venit Iesus, & accepit panem, & dabat eis, & piscem similiter. Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis, cùm resurrexisset à mortuis.

Ioan. 21.

Iesus ter dicit Petro diligis me. Cap. 180.

B Cùm ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam domine, Tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? Ait illi: Etiā Domine, Tu scis quia amo te. Dicit ei, pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò amas me, & dicit ei: Domine, Tu omnia scis, tu scis quia amo te. Dicit ei Pasce oues meas. Amen amen dico tibi, cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et cùm hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. Conuersus Petrus, vidit illum discipulum

Ioan. 21.

C quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cùm vidisset Petrus, dicit Iesu: Domine, hic autem quid? Dicit ei Iesus: Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Tu me sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus, non moritur: sed si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Hic est discipulus, qui testimonium perhibuit de his, & scripsit hæc, & scimus quia verum est testimonium eius. Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribātur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos, qui scribendi sunt, libros.

Discipuli euntes in Galilæam viderunt, & adorauerūt Dominum. Et assūptus est in cœlū coram eis. Cap. 181.

Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in D montem vbi cōstituerat illis Iesus. & videntes eum adorauerunt: Quidam autem dubitauerunt. Et exprobrauit incredulitatem illorum, & duritiam cordis: quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Docete omnes gentes: baptizātes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad consummationem sæculi. Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit: Qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eiicient: linguis lo-

E quentur nouis: serpentes tollent: Et si mortiferū quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponēt & bene habebunt. Vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum, & sedet à dexteris Dei. Et ipsi adorātes, regressi sunt in Hierusalem cum gaudio magno: & erant semper in templo laudantes, & benedicentes Deum. Et profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

Mar. 16. Luc. 24.

EVANGELIORVM QVATVOR narratio, Ammonio Alexandrino Ottomaro Luscinio interprete.

Ex his quæ superius post præfationem victoris Capuani annotauimus, facile constat hoc opus hic positum non esse Ammonij Alexandrini, sed Tatiani Syri, cui hæc si quidem opus exactè omnia competunt, quæ Eusebius & Theodoretus de diatessero Tatiani prodiderunt. Quocirca vt probè noscas, & cuius auctoris, & qua auctoritate hic liber sit habendus, ab hæretico auctore fraude & impostura compactus, accipe quid de ipso scribat Eusebius lib. 4. hist. Eccles. cap. 27. in hæc verba. Tatianus ille qui erat primus auctor & princeps Encratitarum, connexionem quandam & collectionem Euangeliorũ nescio quomodo composuit, illud que opus diatessaron, id est vnum euangelium ex quatuor collectum nuncupauit. Hæc Eusebius. At quid sibi vult illud. Nescio quomodo, nisi fraudem & dolum hæretici auctoris opus continuisse. Id quod Theodoretus palam exposuit lib. 1. hæret. fabular. hisce verbis: Tatianus composuit etiam Euangelium, quod dicitur diatessaron, id est ex quatuor vnum, amputatis genealogijs, & alijs quæcunque ostendunt dominum natum esse ex Dauid, secundum carnem. Eo autem vsi non solum sunt, qui sunt illius secta, sed hi etiam qui dogmata Apostolica sequuntur, compositionis fraudem non agnoscentes, sed simpliciùs eo tanquam libro compendioso vtentes. Ego quoque inueni plusquam ducentos huiusmodi libros qui in honore habebantur in nostra Ecclesia, quos cum omnes simul coegissem, deposui, & in eorum loco reposui quatuor Euangelistarum euangelia. Hæc tenus Theodoretus. Certè apertè in hoc ipso opere recisæ genealogiæ Domini, & aliæ, quæ Christum ex Dauid secundum carnem genitum demonstrant, vt illud nemo Tatiani opus esse non dubitet totum dolo & impostura ad stabiliendam hæresim conferruminatum. Quocirca inscriptio ita mutanda videtur SS. Euangeliorum Diatessaron, id est vnum ex quatuor, Tatiano Syro hæresiarcha Encratitarum principe auctore.

Cap. 1. IN principio erat Verbum per quod condita sunt omnia in fine tandem temporum caro factum. Ioan. 1. Idque nouo nascendi modo, ex virgine Maria, Ioseph cuidam nuptui tradita: Matt. 1. Sed Gabrielis paranymphi cœlestis nuntio, grauida. Luc. 1. Quæ res maritum Ioseph Sacramenti nescium, traxit in admirationem, vt nisi diuino fuisset edoctus oraculo, consilium de virgine deserenda, ita vt conceperat animo, haud dubiè impleisset. Matt. 1. Censi capite sunt tum forte Octauij Augusti edicto, omnes qui Romano parebant imperio: quum Ioseph, Bethleem quæ ciuitas erat Dauid ad quem genus referebat, simul cum Virgine proficiscitur. Vbi illa partu soluta, enixa est Christum, Aderat mox Angelus è cœlo delapsus præco, agmine cœlestium spirituum longo stipatus, qui pastoribus noctu eo loci excubias agentibus, natum hominibus Seruatorem nunciaret. Luc. 2. Neque latuit Magos ad solis ortum longis terrarum spaciis etiam dissitos, ea natiuitas. Mat 2. Quippe post circuncisum octauo die infantem, Iesúmque vocatum. Luc. 2. Ipsi tertio decimo, Hierosolymam, noua quadam stella duce venientes, Regem Iudæorum prædicant natum. Ac communicato cum Herode principe & Scribis consilio in Bethleem inuentum adorant, ac venerantur muneribus. Matt. 2. Sed & iustus ille Simeon, Annáque Phanuelis filia Prophetico spiritu afflati, oblatum post dies quadraginta in Templo agnouerunt Christum, lætis prædicationibus fausta terris ominantes. Luc. 2. Iniquo animo hæc tulit Herodes, natumque recens puellum conatur extinguere. Itaque Ioseph rediens Nazareth. Luc. 2. Oraculo admonetur vt fuga in Ægyptum, infantis vitæ consulat, idque in tempore: nam non multo post ira succensus Rex, bimulos omnes ac natu minores gladio sustulit. Matt. 2. Crescebat interea puer & confortabatur spiritu, continuum septennium agens in Ægypto vsque post Herodis interitum. Quem vbi Ioseph cœlitus per quietem didicerat, reducem sese cum patriæ Nazareth prorinus exhibuit. Luc. 2.

Cap. 7. Porrò annum agens Iesus duodecimum, parentes Hierosolymam sequutus quò illi statis quibusdam anni diebus sacrorum gratia confluebant, Patris cœlestis agés negotium, diuinæ legis doctorum cœtui, toto triduo permixtus, parentes paululum declinauit. Deinde inuentus ab his, diuinámque voluntatem causatus quia se subduxerat, domum redit morigerus in omnibus. Luc. 2. Ioannes aliquanto post, Zachariæ filius Christi anteambulo, prædicationis munere clarus fuit. Matt. 3. Mar. 1. Luc. 3. Accessit prædicationi pœnitentiæ, iuncto baptismo, tanta vitæ sanctimonia, cultúsque austeritas, vt à Iudæorum primoribus dubitatum sit num esset ille Christus, legatione ad sciscitandum veritatem in id decreta. Verùm Ioannes fassus planè quod erat, Esaiæ de se affert vaticinium, quod clarius delegata sibi à Deo prouincia intelligeretur. Ioan. 1. Esaiæ 40.

Iesus interea trigesimum fermè ætatis annum attigerat, quum Galilæam relinquens, Iordanis peteret fluenta: Cap. 1. vbi à Ioanne lauachro tinctus, multum primò reluctante, quasi præposterum illud esset officium: auditáque vox Patris Cœlestis, hunc dilectum sibi filium attestantis. Matt. 3. Mar. 1. Luc. 3. Subductus hinc in desertum, post quadraginta dierum inediam, Tentatoris sustinuit grassantis insidias. Mat. 4. Mar. 1. Luc. 4. Ioannes deinde viso Iesu, agnum Dei hunc esse apertè indicat, qui totius mundi auferat delicta. Atque eo testimonio primùm illecti, Bariona, cum fratre Andrea Iesum sequitur, Philippus mox vocatus addit se socium. Ioan. 1. Tertio die vocatus ad nuptias, virtutem diuinam aqua in vinum commutata prodidit, simúlque eiectis è templo mercatoribus. Ioan. 2. Huic accessit copiosa piscium captura in Iesu verbo, quum vano labore Petrus totam noctê consumpsisset. Vnde stupor ille, verbáque: Exi à me Domine, quia peccator ego sum. Luc. 5. Baptizabant interea passim & Iesu, & Ioannis discipuli. Ioan. 4. Quæ res materiam orti post inter illos liuoris suppeditabat. Verùm Ioannes de Iesu rebus fœliciùs promouendis ita loquebatur: Illum oportet crescere, me autem minui. Qui de cœlo venit super omnes est. Ioan. 3. Atque ita futurum breui indicauit euentus: Ioanne per Herodem (quod se admonuisset errati) primùm coniecto in vincula, deinde capitis damnato. Matt. 14. Mar. 6. Quæ crudelitas Iesu, è Galilæa migrandi in fines Zabulon & Neptalim, occasio fuit. Vbi primùm pœnitentiam, regnique cœlestis confinitatem prædicauit. Matt. 4.

Annus primus Dominicæ prædicationis.

FIrmata de se, æditis miraculis, diuinitatis opinione, ad doctrinam Euangelicam longè latèque diuulgandam, Iesus animum conuertit. Locúmque Esaiæ quo ait: Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me: Euangelizare pauperibus misit me: cum his quæ sequuntur, palàm suæ functioni congruere indicauit. Esaiæ 61. Lucæ 4. Elegit autem discipulos duodecim. Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6. quibus conscenso monte separatim proposuit, beatitudinis quasdam formulas, longè diuersas ab his quas vulgus hominum sectatur. Proinde definiuit arma quibus velit esse instructos, cœlestis doctrinæ præcones, potestate illis facta, impuros dæmones pellendi, simúlque curandi morbos. Matth. 5. Nec minor illi fuit sollicitudo docendi plebem, postquàm relicto monte in latè patentes campos descenderat. Lucæ 6. Doctrinam sequuta sunt miracula, aut si quis malit appellare, varia in miseros collata beneficia. Lepra vitiatum corpus suæ puritati restituitur. Matth. 8. Marci 1. Vexatus à Cacodæmone, in Synagoga, sibi restituitur. Marci & Lucæ. 4. & 5. Centurionis famuli paralysis consolidatur. Mar. 8. Luc. 7. Ioannis 4. Viduæ natus vnicus à morte ad vitam reuocatur, ad portam ciuitatis Naim. Lucæ 7. Quid multa? omnes corpore affecti, quos fama per vniuersam Syriam dispersa de Iesu coëgerat, bonæ valetudini reducitur. Matt. 4. Mar. 3. Luc. 4. Ioan. 6. Nec contentus his beneficiis corporalibus, mulierem in Pharisæi conuiuio malè actæ vitæ conscientia ægram absoluit. Luc. 7. Multos tum cupido incesserat illum

sequendi:

sequendi: verùm affectus terrenarum rerum obstitit. Alius enim fortunæ strepitum sibi pollicetur, & audit Filium hominis ne tantillum quidem habere ditionis vt caput eò reponat, quum alitibus nidi sint & vulpibus suæ specus. Alius paterni funeris curationem præfert Christi contubernio, cui dicitur: Sine mortuos sepelire mortuos suos. Matth. 8. Luc. 9. Alius proinde domesticorum ac necessariorum curam prætexuit vt non pronus sequeretur: quem aranti similem facit, vultu in tergum verso. Luc. 9. Cæterum regionem petituro Gerasenorum, traiciendus erat lacus in quo naui vectus dormiebat, ac coorta interim tempestate, ventos maréque compescuit. Matt. 8. Mar. 4. Luc. 8. Porrò ad portum vbi appulit, spiritibus immundis obnoxios, præter modum sæuientes liberans, porcorum gregem rapi in præceps permisit. Matth. 8. Luc. 8. Marc. 5. Rediens inde Capernaum Paralyticum per tegulas dimissum alienæ fidei respectu sanat. Matth. 9. Mar. 2. Lucæ 5. Et pauculos post dies Iudæam repetit, atque in Teloneo cóspectum Mat. Publicanum vocat ad Apostolici muneris functionem. Matth. 9. Mar. 2. Luc. 5. Rursus in Galilæam profectus per mediam Samariam, in colloquium incidit cum muliercula prope puteum. Vnde illa edocta, Messiam venisse qui dicitur Christus, palàm fatetur. Ioan. 4. Deinde in Canam Galilææ se contulit, inter eundum regij cuiusdam viri filium iam moribundum, ea hora qua ille salutem petebat, viuere prædicauit. Ioan. 4. Succedit mox conuiuium Leui, quo receptus Iesus simul cum Publicanis, à Pharisæis reprehenditur. Verùm ille medicum se esse testatus, morbo laborantes potissimum sua ope indigere iudicauit. Proinde misericordiam qua egentibus succurreret, longè præstare sacrificio. Vetterunt item vitio discipulis Iesu, Ioannis sectatores, quòd se non ad Pharisæorum morem ieiunijs macerarent. Et audiunt iniquum videri vt se sponso præsente, lugeant filij: nouumque viuendi institutum, veterum permissione confundatur. Perinde ac in communi rerum vsu, desipere dicitur qui veteri vestimento particulam noui panni assuat, nouúmque vinum vtribus annosis audeat committere. Matt. 9. Mar. 2. Luc. 5. Nec contenti Pharisæi obtrectatione, qua omnia Christi facta calumniabantur: sed signum quoque nouum expetunt, quasi verò ille nullum exhibuerit. Et reportant aptum malignitati suæ responsum. In filios videlicet degeneres & sceleratos, Ionæ signum rectè competere, aluo piscis triduo olim inclusi, cuius monitis, Niniuitæ etiam deploratæ improbitatis homines, resipuerint. Atque ea ratione damnationem manere incredulos. Subiecit mox Reginæ Austri exemplum, quam Salomonis sapientia ab vltimis terrarum oris attraxerat. Et quod omnium aptissimè quadrabat, impuri spiritûs ad hominem, vnde paulo antè exierat, reditum longè infœlicissimum. Quando, quod ad prædicationem attinet veritatis, Ionas & Salomon multis partibus se essent inferiores. Mat. 12. Luc. 11. Nec dum sermonem institutum finierat, & mulier quædam è medio turbæ, beatum exclamat ventrem Christi Genitricis, ac fœlicia vbera. Sed ille quod potius esset, magísque ex re nostra, malebat expendi: Beatos videlicet haud dubiè futuros qui verbum Dei conciperent animo, generarent benè factis. Luc. 11. Denique in prædicationis Euangelicæ negotio, quemadmodum abesse debeat cognationis & alterius cuiusuis necessitudinis affectus, matre ac fratribus se quærentibus, diffiniuit, dum illos repudiat, & diuinæ voluntati morigeros, parentes & fratres suos agnoscit. Matt. 12. Mar. 3. Lucæ 8.

Ioan. 2. Matt. 12.

3. Reg. 10. 2. Par. 9. Lucæ 11.

Cap. 5.

Sermo autem Domini cùm iam confirmandus esset miraculis, commodum à Iairo synagogæ præfecto inuitatur ad beneficium defunctæ filiæ præstandum, id quod facilè obtinuit. Matth. 9. Marc. 5. Lucæ 8. Cæci item duo Iesum sequentes, visum precibus impetrarunt, Matth. 9. Mutus dæmoniacus electo immundo spiritu loquitur, ita vt turbam non mediocris caperet insolitæ rei admiratio. Verùm Pharisæi, dona Dei non agnoscentes, Beelzebub dæmoniorum principi accepta Christi opera referunt. Matth. 9. Luc. 11. Qua in re tam atrox piaculum est admissum, vt neque hîc dilui queat, nec in futuro sæculo. Mat. 12. Mar. 3. Luc. 11. Quanquam nihil est cur miremur, natura improbos in maledicta prorumpere, quòd vir bonus de bono thesauro bona proferat: malignus, perniciosa, verúmque sit quod dicitur: Ex arbore fructum dignosci. Atqui prospiciendum erat ne lingua peccaremus, de quocunque verbo ocioso coram Deo iudice exactam rationem reddituri. Matth. 12.

Sub hæc ingressus Iesus oppidulum quoddam, à Martha hospes excipitur: quæ dum sedulò in apparando conuiuio occupata, sororem Mariam ab ore Domini pendentem incusaret, mox discit se negotijs, non quidem negligendis, sed fluxis tamen incumbere, sorore interim quæ sunt optima, complectente. Lucæ 10. Designauit præterea alios septuaginta duos discipulos, quos in messem Euangelici negotij tum impendio copiosam, anteambulones præmitteret, nihil omittens præceptorum salubrium quæ ad Apostolicam integritatem vindandam his conducerent. Denique præceptis, dotes additæ sunt curandorum languorum, simulque eiiciendorum dæmonum. Cœptis fœlix non defuit successus: atque inde in arrogantiam lapsi discipuli, Domino ieu sermone, quo se vidisse ait, Satanam ceu fulgur è cœlo deciduum, ad modestiam reuocantur. Lucæ 10. Eadem fermè hora commendatur à Christo lætitia gestiente, Patris sui cœlestis benignitas, quæ magnates, Euangelij Sacramenta cælasset, intimæ sortis hominibus illa aperuisset. Matth. 11. Luc. 10. Cæterum fœlicitatis comes inuidia Pharisæos tum extimulabat, vt Christo ac suis vndique obturbarent. Flectebat ille fortè iter sabbaro per segetes, & famem spicis manus conuulsis solabantur, quod opus à superstitiosulis istis velut impium carpebatur. At Iesus Dauidis exemplo Scripturæque diuinæ permissum, & innoxios esse discipulos ostendit, séque tanquàm sabbato superiorem, eius legibus haudquaquam astringi. Matth. 12. Marc. 2. Luc. 6. Proximo dein sabbato arentem hominis dexteram in Synagoga ad vigorem reduxit. Vetitum vtique non esse Sabbato contestans, vt beneficus existas. Quando in puteum collapsam pecudem impune extraxeris. Vt nephas quoque videri possit, tunc hominis salutem negligere. Matth. 12. Mar. 3. Luc. 6. Quæ res prima æmulis occasio fuit vt de perdendo Iesu consilium cœperint. Matth. 7. Verùm ille ad tempus cedens improborum maleuolentiæ, montem conscendit, in quo insidiam eam noctem precibus vacauit: Matth. 12. Lucæ 6. Postero die verbi cœlestis eminentiam ac fructum, è naui ad plebem in littore collectam exponit, parabolis in eam rem varijs atque adeò aptissimis adductis. Nempe seminantis, cuius seges partim in iter publicum, petram, & spinas: partim in fertile solum ceciderat. Matt. 13. Marc. 4. Luc. 8. Continis huic parabolæ erat illa de seminante zizaniam in agrum, dormiente eo qui bonum semen in eundem sparserat. Matth. 13. Mar. 4. Tum illa de grano sinapis minimo, in iustam arboris magnitudinem succrescente. Cui accessit ea de fermento quod mulier abscondit in farinæ satis tribus. Matth. 13. Lucæ 13. Deinde dimissa plebe, in ædium penetralibus explicat discipulis parabolarum superiorum mysteria, adiectis insuper alijs, puta de thesauro in agro reperto, ac negociatore margaritas pulchras quærente: quæ vtraque non nisi diuenditis omnibus potuerint acquiri: Latenter indicans verbi cœlestis sublimitatem. Ac ne quis hostium illius veritus insidias, defectionem meditetur, aut de tollendis è medio improbis cogitet, eoque differat suum in re Euangelica studium, pronius verriculo in mare iacto piscibusque extractis, pro eo quod boni fuerint aut vitiosi, retentis aut abiectis, tolerandum hoc tædium quàm diu viuas, ostendit. Matt. 13. Id quod fermè superiore quoque de zizanijs parabola non obscurè docuit.

De verbi Dei dignitate & fructu.

Dominicæ prædicationis annus secundus.

ANni autem secundi initium, Iesus docendæ patriæ
dedicauit. Porro frequentia & familiaritas, prorsus
contemptibilem reddidêre, vt diceret sibi commune esse
cum Prophetis qui in patria duntaxat expertes gloriæ
fuissent. Matth. 13. Lucæ 4. Marci 6. Heliæ exemplum ac
Helizei non absurdè huc trahebatur, quorum neuter in
gentem suam impendio beneficus extitisset. Cæterum
hic sermo quantum exagitauerit municipes Iesu, euen-
tus planè edocuit. Conati enim sunt, illum ex ædito vr-
bis loco præcipitare, eràntque dictis parum creduli, vt
nullo illic prodito miraculo, diuina virtute è manibus
illorum laberetur. Matth. 13. Lucæ 4. Herodes interim
Tetrarcha, necato Ioanne, quum fama de Christi mira-
culis per omnem finitimam regionem dimanaret, suspi-
cans Ioannem reuixisse, desiderio videndi illius tenebatur.
Matth. 14. Marci 6. Lucæ 9. At Iesus agnita fraude,
in solitudinem se abdidit, quò sequuta ingens turba,
commeatu iam deficiente, de quinque panibus & pisci-
bus duobus pascitur. Quo beneficio Iesus adeò sibi
multitudinis animos conciliauit, vt dignum iudicarent
principatu. Sed is alienus ab omni ambitione, clancu-
lum fugit in montem, vbi solus perpetuis precibus no-
ctem ad quartam vsque castrensem vigiliam protraxit.
Matth. 14. Mar. 6. Lucæ 9. Ioan. 6. Erant tum discipuli in
summo marinæ tempestatis discrimine, ventis præter
modum sæuientibus, & nauim qua vehebantur in di-
uersum agitantibus, cùm Iesus in vndis perinde atque in
solida terra deambulans, præsentia mœstos sua solatur.
Verùm illi nouitate rei deterriti, spectrum esse inane
quod viderant, putabant. Matt. 14 Marci 6. Iesu autem
loquente, Petrus fide in Christum super mare ambular,
incredulitate mergitur. Matth. 14. Conquieuit autem
illicò ventus Domino nauim ingresso. Matth. 14. Mar. 6.
Et traiecit in terram Genezaret. Matth. 14. Vbi variis
languoribus affectos, qui vel fimbriam vestis illius opta-
bant contingere, sanauit. Matth. 14. Marci. 6. Postero die
inuentus ab his quos pauit in solitudine, causam intelli-
gens cur se longis ambagibus quæsissent, cibum corpo-
ralem ad cœlestem alimoniam comparandam longo ser-
mone cohortatus, Manna, illo cibo longè esse inferius
edocuit. Proinde quum de verbo vitæ æternæ loquens,
iam panem nominaret, modo carnē & sanguinem multi
horrore rei perperam intellectæ concepto, à Christo
desciuere. At Petrus contrà, quòd verba hæc sint vitæ
æternæ, perdurandum suadebat. Ioan. 6. Deinde quum
vocatus ad Pharisæi cuiusdam prandium neglecto laua-
chro discubuisset, & is plurimum eo fuisset offensus:
Stultos vocat qui nimium anxiè maiorum obseruarent
traditiones, iudicio Dei & charitate interim omissis.
Luc. 11. Decimabant illi mentham, rutam & olus quod-
uis, in vasis quoque mundandis quæ ad victum pertine-
bant plus iusto erant curiosi. Cæterum ambitiosi in af-
fectandis primis in synagoga cathedris, Hypocritæ in
extrinseco cultu, veteque sepulchra foris dealbata. Im-
pij denique in senes valetudinarios, quibus oblationum
prætextu subtrahebant alimoniam, circumuentis falsa
doctrina. Vnde cæcos vocat illos Christus, & planta-
tionem quam Pater cœlestis minimè agnoscat, ideóque
breui interituram. Rectè proinde in istos competere
Esaiæ vaticinium, quo ait: Populus hic me labiis hono-
rat, cor autem eorum longè est à me. Sine causa autem
colunt me docentes doctrinas & mandata mortalium.
Ostendit autem hominem minimè contaminari ab his
quæ per os immitterentur, sed magis adulterio, fornica-
tione, homicidio, furto, auaritia, impostura, dolo, impu-
dicitia, obtrectatione, superbia & stultitia, quæ omnia in
cordis officina clam concepta, magno malo foras pro-
direnti in publicum: eiúsque simplex genus expianda-
rum impuritatum, si eleemosyna in fratrem beneficus
exitas. Matth. 15. Marci 7. Luc. 11.

A Dimissa inde Iudæa, Iesus in oras finitimas Tyri per- Cap. 8.
rexit & Sidonis. Vnde Chananæa quædam mulier egres-
sa fidei magnitudine, assiduaque precum instantia filiæ à
dæmone vehementer afflictæ salutem impetrauit. Matt.
15. Mar. 7. Et illicò cæcos, claudos, ac quosuis imbecilles
ac valetudinarios ad pedes Domini proiectos ille sani-
tati restituit, magnáque hinc populum cœpit admiratio.
Matth. 15. Longè autem maior, surdo mutóque audiendi
ac loquendi officiis redditis, dum relictis Tyri finibus,
Decapoleos peragrat oras: acclamabant enim etiam pro-
hibente Domino. Bene omnia fecit, & surdos audire,
& mutos loqui. Mat. 7. Contulit autem se eo itinere Hie-
rosolymam ad solennia Pentecostes, vbi ad Probaticam
piscinam expositum duo de quadraginta annorum lan-
guidum, Sabbato (mirum in modum sæuientibus Pha-
B risæis) sanum fecit. Porrò causam sciscitantibus, dixit se
Patris cœlestis Dei opera in omni sua functione hacte-
nus fuisse adiutum. Scripturas diuinas in quibus illi vi-
tam æternam constituebant, de se certum præbere testi-
monium. Denique quod omnium maius acceperit à
Deo: Id quod Ioannes quoque non obscurè firmasset:
Verùm incredulos vicissim sibi gloriam tribuere, quæ
quàm sit vana abondè perspicuum ex eo videri, quod à
solo Deo omnis gloria procedat. Incitauit hic sermo
magis atque magis istorum in Iesum animos, vt & illius
non mediocre seminarium, is extiterit. Ioan. 5. Aliquan-
tò pòst, transmisso mari Galilææ, septem panibus & pau-
culis piscibus quaterna millia hominum cibauit in soli-
tudine. Matt. 5. Marci 8. Vnde digressus, nauigio venit in
C oras Dalmanutha, vbi lacessitus à Pharisæis accuratè
docuit imposturas illorum prorsus fugiendas, fermen-
tum appellans, eò quòd multi sensim lupum mentien-
tes, ouilia huiusmodi corrumperent. Matth. 7. Marci 8.
Lucæ 12. Ac mox in Cæsareæ Philippi partes concessit,
& confessionem Petri de se recipiens, ea occasione, cla-
ues regni cœlestis ei promisit: ita suam stabiliendo Eccle-
siam, vt portæ inferorum nihil virium aduersus illam
sint habituræ. Indicat autem quanta se maneat calami-
tas, denique & mors ipsa, in quam conspiraturi sint Iu-
dæorum Scribæ & Antistites. Sed tertio mox die sit re-
uicturus. Matthæi 16 Marci 8. Lucæ 9. At Petrus mor-
tem audiens increpuit occultè Dominum, ceu parum
consultè acturus sit, si illam sponte suscipiat. Quo con-
trà Iesus à se abegit Petrum, Satanam eum vocans, qui
D diuinæ voluntati repugnet, & ut humanis duntaxat re-
bus sit oculatus. Matthæi 16 Marci 8. Quin magis do-
mandos ostendit humanos affectûs, sese prorsus abne-
gato, & cruce sua ipsius suscepta, quo liberiùs illum se-
qui nobis liceat. Matthæi 16. Marci 8. Lucæ 9. Contem-
ptum autem se in humana specie, aliquando in gloria
Patris, inter Angelorum agmina visendum ait, quando
ius sit redditurus, & præmia cuique pro meritis. Sed
quid ego, inquit, vos longiùs moror? Quando ex hoc
præsenti cœtu quidam sunt, quibus maiestas mea etiam-
num viuis palàm reddetur conspicua? Matthæi 16. Mar-
ci 9. Lucæ 9. Et interiectis sex fermè diebus planè con-
tigit hæc promissio, præsentibus in monte quodam ex-
celso, Petro, Ioanne, & Iacobo discipulis, qui mirabili
luce coruscum viderunt, cum Mose & Helia sermones
E miscentem, Patre cœlesti tum denuò Filium hunc esse
dilectum, testante. Atque hæc visio tam grata fuit Apo-
stolis, vt cogitarint de sedibus illic constituendis: placuit
enim nunquam ab immenso hoc gaudio diuelli. Matth.
17. Marci 9. Luc. 9. Quanquam quod ad fidem attinet,
quæ his rebus gestis debebat accendi, Apostoli adhuc
mirè frigebant. Id quod obstitit, quo minùs à Dæmone
arreptum potuerint liberare. Nam Iesus sanato homi-
ne, protinus incredulitatem taxat, & fidem summo præ-
conio extollit, Matthæi 17. Marci 9. Lucæ 9. Venit dein-
de Capernaum, vbi tributum soluit, Petro ad mare pisca-
tum misso, fore enim, ait, vt staterem, id est, quatuor
drachmas, in ore piscis, quem primum prehendisset,
inueniret. Etiamsi ostenderet se tanquàm terræ Do-

minum minimè ad hoc teneri. Matthæi 17. Inuiserat autem discipulos, ex visis miraculis & auditis de regno cœlorum sermonibus, partim liuor, quo egrè ferebat quisque alterum sibi præferri: partim ambitio, qua honores, his qui in terris sunt, similes animo conceperant. Sed præceptor vtrunque damnans, accersito puello, regnum cœleste ad illos duntaxat pertinere dixit, qui prorsus in alium hominem mutati, sese ad paruuli modum scirent demittere. Matthæi 18. Marc. 9. Luc. 9. Denique qualiter Deus erga huiusmodi esset affectus, parabola ostenditur ouis centesimæ, quam amissam reperiens, humeris lætus imponat, vocatis ad epulandum eius rei gratia amicis. Confinis est huic parabolæ quam de drachma perdita recensuit, magno cum gaudio inuenta. Et quæ omnium maximè indulgentem in nos Patrem cœlestem promque, modò resipiscamus, expressit, de Filio prodigo, cui parens obuiam vadens, in illius cupidè ruit amplexus. Stola ad hæc priori simul cum annulo & crepidis afferri iussis, opiparum mox apparando conuiuium. Lucæ 15. Cœlestis autem parentis circa nos benignitatem, ostendit modis omnibus formulam esse agendi cum lapsis fratribus, quò animas illorum lucremur, dum solicitè primò arguimus soli, deinde adhibitis arbitris, ac mox Ecclesia, postremò tantisper abiicimus dum illos pudeat delicti, ratum deinde ac firmum se in cœlis habiturum, quicquid illi in terris suo nomine collecti statuerent. Cæterum in condonando errato noluit Petro normam aut modum præscribere, septuagies septies absoluendum peccantem, docendo. Matth. 18. Lucæ 17. Quò autem clariùs intelligamus ob inclementiam nostram, non solùm à Deo nobis non remitti, sed etiam redire eam quæ remissa est semel, parabolam dixit de rege qui seruum, cui condonata erant debita, ad carcerem & pœnas repetiit, quia parem benignitatem conseruo non impertierat. Matt. 18.

Cap. 9.

Finito hoc sermone, digressus à Galilæa Iesus, in Iudæam quæ sita est trans fluenta Iordanis profectus est, magna se comitante hominum multitudine: quorum ille primò languidos curat, deinde ad doctrinam animum conuertit. At Pharisæi quibus mos erat in deteriorem omnia torquere partem, captiosè sciscitantur:

De repudio.

Num liceat marito ex quauis causa vxorem abiicere; futurum rati, vt si permitteret, secum pugnare videretur, qui repudium vetuisset. Sin negaret, in legem Mosaicam delinqueret. Verùm Christus respondit Moysen ad duritiem Iudæorum respexisse, quum diuortiis frena laxasset. Cæterum diligentiùs expendenda erat vel ex Geneseos libro diuina in hac re voluntas. Matthæi 19. Marci 10. Difficultate autem attenta quæ incidit in re vxoria, cœlibatum prætulit, Eunuchos esse nonnullos testatus, qui se castrarent regni cœlestis gratia. Verùm id negotij ad paucissimos quibus concessum sit, pertinere. Matthæi 19. Affertur subita occasione idoneum puritatis & absolutæ modestiæ exemplum, improbitate matrum adducti infantes, Apostolis impendio prohibentibus, quos omnes ad se vocans, Dominus complexus est, & exosculatus, talium esse comprobans regnum cœlorum. Matth. 19. Marci 10. Lucæ decimooctauo. Rursus deinde relinquens Iudæam, quia in perniciem illius Iudæi conspirauerant, Galilæam petit. Ioan. 7. Vbi

Pilati crudelitas.

cùm audisset Pilatum præsidem extrema crudelitate in quosdam Galilæos animaduertisse, adeò vt sanguinem quoque necatorum cum sacrificiis misceret, ad resipiscentiam omnes cohortatur, si ab interitu velint sese vindicare. Ad pauciores enim plerumque pœnam pertingere, veluti illis quoque contigisset quos duodeviginti, turris in Siloë olim compresserat, quum multo plures culpæ fuissent obnoxij. Et vt tenaciùs memoriæ insideret quod maximè omnium vellet, parabolam subiecit de arbore fici, cui succisionem comminatur paterfamiliâs, quæ fructum de se non ediderat, atque sic fecisset nisi vinitor suasisset dilationem, spe quadam de frugibus etiamnum concepta. Lucæ 13. Docebat fortè tunc in synagoga sabbato, & verba comprobans miraculis, mulierem decem & octo annis dæmonio obnoxiam sanat, quanquam vitio sibi verterit illud princeps synagogæ. Christus autem legem non, ait, soluis, si Sabbato bouem aut asinum ligatum vinculis expedias, & aquatum ducas. Cæterum multo minus quia Abrahæ filiam quis ab immundi spiritus potestate exemerit. Pharisæi hinc fœlici successu inuidentes Euangelici negotij summouere loco Dominum conati: Ab hinc (aiunt) quò necem, cui te Herodes destinauit, euadas: atqui Iesus fraude cognita, respondit, quòd istos vehementer morderet. Ite, inquit, dicite vulpi huic: Ecce eiicio dæmonia, & perficio sanitates, hodie & cras, & tertia die consummor. Lucæ 13.

Cap. 10.

Subiecit mox seminarium odij & maleuolentiæ illorum, testimonium perhibens operum malignitati. Et quandoquidem in propinquo tum erat Scœnopegiæ celebritas, contulit se Hierosolymam, vbi post diuersam vulgi de se opinionem (Quidam enim virum bonum esse Iesum prædicabant, alij impostorem.) Ipse in longum protracto sermone, non suum agere se negotium, sed Patris qui se misisset, indicat. Mirabantur enim qui illum audiebant, quomodo literas probè calleret, quas nunquam didicisset. Ac mox secreta cordium illorum prodit, quòd pertinaci proposito essent supplicium de se sumendi. Et iniecissent planè illi manus, nisi remoratus illos fuisset Dominus, eò quòd hora sua nondum adesset. Ioan. 7. Neque ita multo pòst accessit Iesum quidam, fratrem suum incusans cupiditatis, quod hæreditatem secum non partiretur. At ille ad se minimè pertinere, ait, forense iudicium. Admonuit tamen auaritiam modis omnibus esse fugiendam, proposita in hoc diuitis parabola, cuius opes magnis sudoribus per improbitatem partæ, ad incertum venissent hæredem, stulti illius anima, noctu dum minimè ita fore cogitasset, ablata. Lucæ 12. Exorsus mox alium sermonem deinde in Templo, degenerare Iudæos ab auitis moribus probabat, quandoquidem Abraham factis non referentes, diabolum imitarentur, cuius verè essent filij. Illi contrà Samaritanum appellant & dæmoniacum, lapidum iactu (nisi abiens sibi prospiciat) perniciem allaturi. Ioannis 8. Præteriens, tùm fortè quendam ex eo tempore quo natus fuerat cæcum, omnibus mendicitate cognitum, videndi tribuit facultatem, atque ea res multum Pharisæos vrebat. Ioan. 9. Quum protinus adolescens quidam accedens: Magister (inquit) bone, quid boni faciam, vt consequar vitam æternam? At Iesus præceptorum Dei obseruatione commendauit: Ita tamen vt meritis propriis diffideremus, quod non sit bonus nisi vnus, nempe Deus. Verùm iuuene arrogantiùs sese iactante, quòd diuinis iussibus sedulò paruisset: Christus, quem nihil latebat, intuitus cor æris aliquantò appetentiùs, ad vendenda omnia quæ mox eroget in pauperes, séque sequendum inuitat. Verùm quum ille in diuersum se torqueret, rectè (ait Dominus) ex iis moribus consequitur, Faciliùs camelum per acus foramen quàm diuitem regnum cœleste ingredi. Proinde Petro res Christi amore dimissæ fiduciam sperandæ mercedis fecerant, & protinus audit: in maiestate Domini, proximas sedes, sui similes habituros, denique centuplum simul cum gloria cœlesti recepturos. Matt. 19. Mar. 10. Lucæ 18. Cæterum opibus & potentia præstantes, hæc quæ de terrenarum rerum contemptu disseruerat, ceu proposito suo repugnantia effusè ridebant, quum Iesus parabolam minimè ridiculam affert, de Lazaro, id est, in solum Deum spem omnem collocante, qui ex fame & squalore ereptus in sinum Abrahæ, cuius verè erat filius, recipitur. Epulone quodam diuite contrà, qui omnes vitæ delitias sectatus, Lazarum prædictum nô alimonia, & ne micis quidem panis dignatus esset, in tartara deiecto, vbi perpetuò pœnas acerbissi-

mas ac pœnitus intolerabiles sit daturus. Lucæ 16. Proximam parabolam discipulis proposuit de iniquo dispẽsatore, qui in rem suam dominica bona cautus profuderat, latenter indicans, nihil hîc nostrum esse, sed Domini, qui tamen prudentiam laudet ministri, ex bonis alienis in egentes benefici: vnde illum vicissitudo quædam maneat officij. Lucæ 16. Aliam item superioribus connexuit parabolam patrisfamiliâs, qui varijs diei horis operarios in vineam suam mercede pacta conduxit, imparem laborem pari præmio remunerans, quo significari voluit iam olim futurum vt Gentes fide Iudæos anteuerterent Matthæi 10. Conquieuit autem paulisper à sermone Iesus, & Pharisæi cuiusdam ingressus ædes Sabbato vt cibum caperet, hydropicum sanauit. Ac mox docuit perperam agere qui inuitati ad conuiuium, primos accubitus curiosè ambirent. Optimates enim verè esse, ac aliorum antesignanos qui sese ferrent animo demittere. Proinde in conuiuijs apparandis, inopum voluit haberi rationem, qui ad reddendum vices quanquam essent impotes, tamen illius præmij quod sperandum sit in resurrectione iustorum, certa videretur occasio. Lucæ 14. Et hæ quidem res gestæ, finem secundo dominicæ prædicationis anno imposuere.

Hydropicus sanatus.

TERTIVS ANNVS DOMInicæ prædicationis.

Cap. 11.

EXtremus annus dominicæ prædicationis, idem illi planè qui & vitæ finis fuit. Deambulabat cum fortè Iesus in porticu templi Salomonis, in Iudæorum encæniis, & cingebant illum Iudæi, improbis conatibus fermè vrgentes, vt palàm Christum se esse fateretur. Verum ille ex operibus facilè iudicandum ostendens quis esset, Vnum nihilominus se esse cum Patre ingenuè confitetur. Quo dicto lapidibus, ni fugiat, obruere Dominum adorti sunt. Ioan. 10. Fugit igitur in vlteriorem ripam Iordanis, & triste accipit nuncium de Lazari morbo, dormire hominem significans qui iam fato concesserat. Præbuit ea mors repetendæ Iudææ occasionem, etiam si discipuli, cauendam Domino eam regionem, ob necem, quam illi Iudæi machinarentur, apertè prædicerent. Venit igitur Bethaniam quarto die ex quo Lazarus monumentum reconditus fuerat, & deploratum iam penitùsque desperatum, se reuocaturum ad vitam pollicetur. Nec mirum si Lazaro præstaret, quod omnes in illo expectamus, ait enim: Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet; & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Nec mora dicto fides certa adfuit, prodit è monumento qui quartum iam diem mortuus fuerat. Quare permoti ex Iudæis complures, fidei Christi colla subdiderunt. Porrò Pharisæi vbi hæc resciuere, coacto concilio, in foribus esse periculum, nisi vnus Iesus multorum vice pereat, Caïphæ Pontificis sententia cognoscunt. Itaque mox decernitur quò celeriùs fieri possit, quoque commodiùs à medio tollatur. Ioan. 11. Cessit furori Dominus, Efrem profectus, quæ vrbs non longè à vasta solitudine aberat, vbi in tuto mansit cum discipulis suis. Ioan. 11. Matth. 12. Marci 3. Postquam autem ita visum est illi, vt mortem susciperet, declinauit latibula, & iter flexit Hierosolymam. Eundum autem illi erat per mediam Samariam & Galilæam, qua oppidum quoddam ingressus, decem viros à lepra mundauit, è quibus vnus duntaxat, & ille Samaritanus rediens à Sacerdotibus gratias egit. Lucæ 17. Præmisit autem nuncios quos aversati sunt Samaritani, Iacobo & Ioanne vindictam expetentibus, vt flamma cœlestis contumaces absorbeat, ad eum modum quo Helia orante contigit. Sed increpuit concitatos in iram Dominus, spiritum cœlestem & verè Apostolicum, esse spiritum lenitatis, mansuetudinis, & patientiæ iudicans. Séque haudquaquam venisse vt perdat animas, sed vt seruet. Luc. 9. Ait autem

Lazarus suscitatus.

ad illos secretò: Ecce ascendimus Hierosolymam, proderúrque illic filius hominis primatus Sacerdotibus & Scribis, qui illum damnantes capitis, Gentibus tradent, quò illusum ac flagris cæsum cruci affigant. Cæterum tertia die resurgens à morte, reuiuiscet. Matth. 20. Marci 10. Lucæ 18. Discipuli iis verbis in spem erecti, futuri cuiusdam regni ditionem affectabant, ac primi omnium Iacobus & Ioannes, Zebedæi filij simul cum matre prima loca dominici regni ambibant, Iesu hanc mentis elationem paucis verbis coniutante, quippe facta mentione de calice, id est, pœna crucis, & dona Dei, quibus vtriusque via aperitur ad summa contendendi. Denique cæteros monet, principatum non cogitent, cuius inter Ethnicos respectus quidem habeatur. Verùm suo exemplo, qui aliorum necessitatibus inseruiturus aduenerit, rectiùs facturos, qui animi fastum deponant. Matthæi 20. Marci 10. Lucæ 22.

Rectà autem Hierosolymam petens, delatus Hiericho, inter eundum nano illo Zachæo, vt se hospitio reciperet accersito. Qui postquam res per nephas aliquando partas quadruplo redderet, dimidio nihilominus in pauperes, concepto cœlestium amore, dispensato, salutem eo die huic domui contigisse ait Iesus, veréque Zachæum Abrahæ esse filium, quippe quem benefactis refert. Lucæ 19. Et mox cæcis vehementi clamore misericordiam poscentibus, visum reddidit. Sciscitatus tamen priùs, num id gratum haberent, quòd multi cæcutiant, qui tamen lucem penitus execrantur? Matthæi 20. Marci 10. Lucæ 18. Diuertit proinde eodem itinere in ædes Simonis cuiusdam cognomento leprosi, Bethaniæ, ac inibi conuiuans cum Lazaro, Maltham habuit ministram, & Mariam eius sororem plus solito officiosam. Nam alabastrum vnguento refertum precioso fregit, liquore toto in caput Dominicum diffuso. Id cùm malè haberet discipulos, qui diuenditum vnguentum maluissent & inopia laborantibus precio consultum: Fore ait vt nunquam desint pauperes quos foueamus, sed vnctionem hanc in mortis ac sepulturæ suæ gloriam meritò impendi. Quod eius rei gestæ memoriam nulla vnquam esset obliteratura obliuio. Matth. 26. Marci 14. Ioan. 12. Vicinus inde Hierusalem Dominus, nouam aduentus sui pompam instituit. Missos enim à Bethphage ad oppidum quod è regione situm erat, discipulos iubet, asinam simul cum pullo abducere, quibus insideat. Ac sic iumentorum vectus tergis, sterni viam sibi vestibus ac arborum frondibus passus est, & à pueris promiscuáque multitudine acclamari lætis gratulationibus: Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini rex Israël. Matth. 21. Mar. 11. Luc. 19. Ioan. 12. Cæterum propiùs intuitus ciuitatem, defleuit illius cladem omnium miserrimam, quam à Romanis principibus Tito & Vespasiano esset acceptura Luc. 19. Iámque erat intra vrbis mœnia, quum subitus omnes occupat motus, quo nouarum rerum cupidi scire gestiebant, quis ouationibus vsque adcò insolitis Hierosolymam ingrederetur, Matth. 21. Ioan. 12. Ac protinus Templum inuisens, primum studium domus paternæ, scelestis negociatoribus purgandæ adhibuit, flagello ex funibus ad eam rem parato. Matt. 21. Mar. 11. Luc. 19. Proximum cæcis ac claudis, sensuum integritati restituendis. Matth. 21. Quærebant Iudæi signum acerbæ illius castigationis, & audiunt fore vt templum ab iis diruendum sua virtute restauretur. Ioan. 2. Sedens autem è regione gazophylacij Dominus, viduã paupereulam duo minuta æris, id est, quadrantem inijcientem contemplatus, quum nihil illi esset reliqui, plus omnibus iniecisse eam ostendit. Mar. 12. Lucæ 21. Ac mox docendæ multitudini intentus, elationem Pharisaïcam damnat, qua nimium plerique de suis benefactis præsumerent, omnibus præ se aliis, veluti nihil videantur, contemptis. Seruiebat huic negocio, parabola Pharisæi iactantis bona sua, & Publicani nihil horum agnoscentis, sed totum quod assequi possit boni, diuino beneficio tribuentis: Quorum posterior iustitiæ

Cap. 12. Zachæus nanus.

dotes à Deo acceperit. Luc.18. Apperebat autem vespera, & redit Iesus Bethaniam. Matt.21. Mar.11. vbi Nicodemus nocturno congressu arcana cœlestis generationis didicit, causamque dominici aduentus, & imminentis iam exitij, vt videlicet omnis qui credit in Christum, non pereat sed habeat vitam æternam. Postero die rediens Hierosolymam famelicus, & accedens ficum arborem, quum nil præter folia in ea reperisset, execratus est illam quia fructum non ædidisset, imprecatus vt perpetuò sterilis permaneret. Matt.21. Mar.11. Ingresso autem templum Domino, Scribæ & Pharisæi adulteram in opere nephario deprehensam producunt, captiosè quærentes quid fieri statueret. Porrò Iesus ita responsum temperauit, vt neque illam absoluens Mosis legem abrogare, neque condemnans, in tanta peccantium multitudine, vindictam à sola hac paupercula expetere videretur. Ioan.8. B Ostendit autē mox fore vt gloria sua ethnicis à patre cœlesti reuelaretur, commodam nactus occasionem ethnicorum quorundam aduenarum qui Philippi & Andreæ vsi patrocinio, Iesum videre desiderabant. Qua hora patrem inuocauit vt se clarum Gentibus redderet, id quod facilè impetrauit, voce cœlitus audita: Et clarum reddidi, & posthac reddam. Ioan.12. Rediit eo die quum aduesperasceret Bethaniam. Mar.11. postridie Hierosolymam repetiturus. Et diluculo videntes ficum execratam à Domino, aruisse, trahuntur in admirationem. Verùm Iesus fidei pertinaci maiora tribuit. Matth. 21. Marci 11. preces parum efficaces esse prædicans quæ fide careant. Matth.21. Cui hoc addidit, instantes quoque esse preces & tenaci proposito fixas oportere, C parabolam afferens iniqui iudicis, quam vidua precibus tandem vrgentibus, ad ius reddendum induxerit, alioqui in rebus agēdis remissum. Vnde appareat desperati esse hominis, ne tantillum quidem de Deo præsumere. Lucæ decimo octauo. At quum venisset in Templum, à Sacerdotum antesignanis ac plebis senioribus interrogatur, quis illi fecisset potestatem docendi? Iesus autem hanc quęstionem alteram retulit de baptismo Ioannis: Num è cœlo esset, an ex hominibus. Matth.21. Marci 11. Luc.20. Publicano ait, & meretrices in cœlis præferri incredulis, quòd Ioanni obsequentes resipuerint. Ad quod mirè congruebat parabola de duobus filiis, quorum vterque iussus à parente vineam colere, qui operam esset pollicitus, cessator fuit: qui illam negauit, resipiscens tandem præstitit. Matth. 21. D Proxima huic parabola erat de patrefamiâs vineam colonis locante, qui ministros simul cum herili filio fructus poscētes trucidassent. quam adduxit, vt sententiam, rogati, seipsos damnarent, qui pari scelere cum colonis notarentur. Verùm quò meritas ob id pœnas intelligerent euidentiùs, lapidem se esse reprobatum ab ædificantibus testatus est, cuius meminit Propheta. In quem lapidem aut impingenti, aut ab eodem illiso, haud dubiè sit pereundum. Matthæi 21. Marci 12. Lucæ 20. Huc pertinebat & illa parabola, quam de rege nuptias filio apparante, recensuit. Inuitati enim toties Iudæi, obstinato animo varias causas errori prætexuerunt. Matthæi 22. Lucæ 14. Subornant tùm Pharisæi discipulos, qui simul cum Herodianis ad Iesum profecti, de tributo Cæ E sari pendendo interrogarent, vt si liceret id affirmaret, Iudæos offenderet qui profano principi parere indignum putabant: sin fas non esse, Cæsareanos infensos haberet. Sed Dominus versutiam subodoratus, numismatis inscriptionem ab aliis discere cupit, quasi ipse ignoraret quæ ad veram pietatem non essent maximopere conducibilia, quorum vsus quoque ceu promiscuus videretur. Matthæi 22. Marci 12. Lucæ 20. Verùm dum nihil hinc accederat Pharisæis victoriæ, videntes, Saducæos quoque succubuisse, qui Resurrectionem non credebant, dum arguuntur inscitiæ scripturarum, quæ crebrò Deum appellant Abraham, Isaac & Iacob. Neque consentaneum sit, Deum rectè dici mortuorum: Matthæi 22. Marci 12. Lucæ 20. Rursus alium subornant

A legis doctorem, qui quæreret de magno mandato, & responsum acciperet liuori, odio & maleuolentiæ istorum non indignum, de proximo videlicet post Deum diligendo parabola, vnde id perspicuum fieri posset, de vulnerato à latronibus, in medium allata, qui à Sacerdote & Leuita prætereuntibus neglectus, Samaritani tandem cuiusdam pietatem sensisset. Hoc aptum esse ait exemplum, quod alieni à charitate imitarentur. Lucæ 10. Missi sunt protinus ab æmulis ministri, qui captum afferrent, sed deterruit illos sermo, cui parem nunquam audissent, deinde quod dixerat: Quæretis me, & non inuenietis. Demoue varius in plebe rumor de Iesu subortus est: quidam Prophetam esse prædicabant, quidam verò Christum: alij ex Bethleem oppido nasci Christum, non ex Galilæa originem trahere contendebant: Ioan.7. B Porrò Iesus Pharisæos in hac controuersia accessit in vnum collectos, & interrogauit: Cuius tandem filium crederent Christum? Et quum incunctanter responderent, Dauid: clàm notauit impiam illorum de se opinionem. Quippe qui hominem confitebantur, Deum ignorarent. Nisi enim Deus sit, absurdum videri quod Dauid in psalmis dominum appellet, qui illi sit filius: Matthæi 22. Marci 12. Deinde plebem intuitus, docebat sanam doctrinam, quam Deo authore à Mose recepissent, patienter à Scribis & Pharisæis in Cathedra Mosi considentibus recipiendam: Atqui vitæ exemplum, eò quòd esset turpissimum, haudquaquam vt sequatis proponendum. Nam onerant (inquit) sarcinis impermiores, quas digito ipsi dedignantur attingere. C Omnia agunt ad ostentationem, ambiunt loca honorificentiora: Rabbi ab hominibus salutari gestientes, quādo vnus est Rabbi & pater, nempe qui agit in cœlis. Deinde ad Pharisæos versus, comminatus est illis exitium: Væ, ait, vobis Pharisæi, Scribæ & hypocritæ, qui regnum cœlorum aliis clauditis, ipsi perpetuò extorres: Voratis domos viduarum, longum precamini, vagamini terra marique, vt in superstitionem vestram pertrahatis simpliciores. Væ vobis duces cæci, qui ex patribus homicidis nati, vt illi Prophetas, ita vos Apostolos trucidabitis, quo verè reatum contrahatis omnis innoxij sanguinis. Futurum vobis auguror vt me aliquando videatis in gloria, quem iam habetis despectui: Matt. 23. Marci 12 Lucæ 21.

De extremo iudicio, Cap. 14.

Exeunti autem templum Domino, discipuli præclara D & sumptuosa eius phani ædificia, admiratione quadam capti, ostendunt. Sed ille vanitatem mentibus eximit, prædicens breui futurum vt ne vllus quidem lapis alteri cohæreat lapidi. Matth.24. Marci 13. Lucæ 21. Ac mox abiens, in monte Oliuarum vrbem intuitus paulisper consedit. Vbi secretò huic congressi discipuli, initia futuræ huius cladis condiscunt, videlicet Antichristos, bella, seditiones, terræmotus, pestilentiam, famem, terrifica de cœlo signa, idolum abominabile Danielis vaticiniis celebre, extremam denique calamitatem eorum qui docebunt euangelium. Quanquam ne vnus quidem capillus è capite illorum sit periturus: fore enim, vt in patientia sua animas adseruent. Hierusalem verò, captis habitatoribus, & quaquauersum abductis, à Gentibus E tantisper calcatum iri, dum euangelium vniuersas illarum fines occupauerit: tum enim finem instare mundi, quem & ipsum portenta quædam præcedent in sole, luna, stellis, & pelago. Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21. Solicitè autem cauendum, ait, ne crapula, ebrietate, aut curis huius vitæ detineamur, ita vt improuidos opprimat ex inopinato dies illa. Luc 21. vsque adeo incerta, vt nec Angeli cœlestes eam possint prædicere, Matth. 23. Venit enim subitò, ceu fulgur coruscans à cœlo. Luc. 7. Erit ad eum fermè modum quo diluuium, quod contigit Noë temporibus, edentes enim & bibentes, ac nuptiis incumbentes, inexpectatum corripuit. Itaque prudenti cuique vigilandum est, boni patrisfamiliâs exemplo, qui furibus nocturnis domum suam patere non sinit. Itidem frugi minister non indulget potationibus,

Dan. 9.

rixis, aut somno, sub id tempus quo domini suspectum habet aduentum. Mat. 24. Sic videntur desipere virgines in occursum sponsi venturæ cum incensis lampadibus, si noctu excitatæ è somno, oleum, quod in promptu esse illis debuerat, iam primùm emptum ierint. Et seruus ille parum frugi traditur extitisse, qui acceptam à Domino pecuniam, per incuriam, domi otiosam iacere passus est; quam ille cum fœnore se recepturum sperauerat. Separari autem tunc à bonis, ait Iesus, eos qui fuerint noxij homines & scelerati, non aliter quàm pastor ab ouibus hœdos segregat, bonorum numero conseri eos qui suo nomine, miseris, charitatis opera impenderint: malorum contrà qui hæc pertinaciter negauerint. Hos execrabiles igni & cruciatibus nunquam finiendis tradi: illos benedictos ad cœleste regnum vocari. Matth. 25.

De initiis Passionis Christi. Cap. 15.

B Cæterum profectò post hunc sermonem in Bethaniam Domino (vbi consentaneum est illum sequentem egisse diem.) Interea sacerdotum Antistites & Scribæ coacto concilio in Caïphæ atrio, capiẽdum per insidias Iesum mortéque plectendum statuunt. Inuentus est huic negocio idoneus Iudas discipulus, qui pecunia corruptus, decem argenteos stipulatur à Iudæis, vt prodat magistrum. Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. Postero die, quæ prima erat earum quibus à fermento abstinebant Iudæi, præmisit Iesus duos ex discipulis qui Pascha in ciuitate pararent, ipse secutus, vnà cœnans. Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. Lauit pedes discipulis, tanto exemplo ad animi demissionem & modestiam illos inuitans. Simul ex eo cœtu quem tanto ardore dilexerat, quendam esse subindicans qui se esset Iudæis proditurus. Matt. 26. Iuan. 13. Et C mox accepto pane, deinde vini calice, corpus esse suum ac sanguinem testatus, manducare illos iussit, & bibere, quòd ea sit futuræ calamitatis suæ mortisque memoria. Fore proinde vt omnibus ea res fieret offendiculo, Petro contrà, neque carceres, nec mortem se formidaturum constanter pollicente. Sed Iesus trinam de se illius abnegationem prædicit. Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 13. Commendat autem protinus nouum illud de mutua dilectione mandatum, symbolum id esse significãs, quo discipuli sui ab exteris dignoscantur. Ioan. 13. Deinde ad proxima pericula instruens animos, iubet mœrorem ac metum omnem deponere, iturum se, præparatum suis locum quo illos ad se recipiat. Et planè se viam esse, veritatem ac vitam: argumentum præterea videri quod se magistrum ament si præceptis sint morigeri. Nunquam D se commissurum vt desertos omni solatio relinquat, quando spiritum cœlestem consolatorem in hoc illis mittendum destinarit: pacem interea suam impertiens. Ioan. 14. Denique vt omnem spem salutis non aliò, sed in se duntaxat collocent, vitem se esse prædicat, à qua semotus palmes, sterilis reddatur, & mox in flammas postquam aruerit, videatur conijciendus. Non se item electum ab iis fuisse, sed cum delectu factos fuisse Apostolos. Magistro proinde hunc mundum tendere insidias, vt Prophetæ oraculo continetur: Odio, inquit, habuerunt me gratis. Itaque non mirum videri si idem accidat discipulis, qui dignitate censeantur inferiores. Ioan. 15. Cæterum spiritum consolatorem, cuius paulò ante meminit, suo aduentu incredulum hunc mundum de E peccato condemnaturum: breuem esse tristitiam & parientis fœminæ simillimam. Vt enim hanc, ingens finit gaudium recens nati infantis, ita discipulorum corda post præsentem mœrorem lætitia perpetua exhilarabit. Postremò pacem Iesus discipulis in sese habituros spondet, modò suo exemplo animentur, qui mundum vicerit: Ioan. 16. Fixis deinde in cœlum oculis, patrem orat vt se clarum mundo reddat, discipulos & eos quoque qui illorum verbo credituri sint, à malo seruet, vnúmque faciat per dilectionem, ad eum modum (inquit) quo ego & tu, vnum. Ioan. 17. Et e vestigiò quum hymnum absoluisset cum discipulis Iesus, vrbem egressus in prædium Gethsemani, quod est situm vltra torrentem, qui à cedris nomen habet, vnde hortus erat, Iudæ proditori

Ioan. 15. Psal. 34.

A non ignotus. Solebat enim se plerunque Dominus in semotum ab vrbano strepitu recessum hunc, cum suis recipere. Illic accersito ad se Petro cum duobus Zebedæi filiis, cæteros iubet quietos paululum se expectare, qui precibus velit insistere. Et progressus inde, mœstum se esse indicat, talique tristitiâ teneri, quæ solâ morte sit finienda, iubens item illis vt considerant & secum vigilent. Ipse solus non admodum longo spacio disiunctus, sed quod iactu lapidis possis attingere, humi pronus cõsternitur, patrem orans, si quà fieri possit, immunem se reddat ab imminente ærumnarum calice, ne hunc degustet. Quanquam si omnino ita visum sit, nihil detrectaturum se, verùm in omnibus morem gesturum. Et surgens à precibus, quos vigilare iusserat somno oppressos inuenit. Itaque rursus admonet ne dormiant, sed orent B magis Deum, ne sinat illos labi in tentationem: quod spiritus nihil equidem non moliatur, at caro perquam est fragilis. Ac mox rediens ad preces, tertiò eisdem repetit, toties somnolentos increpans. Laborabat autem angore tanto Dominus, vt sudore eius sanguinolento tellus etiam maderet, quum protinus è cœlo vox Angelica auditur, quæ animum ac robur addidit. Iámque aderat Iudas proditor cum cohorte ac ministris Pharisæorum, & pontificis: quibus in occursum veniens Dominus, oscitantibus discipulis inquit: Dormite iam & requiescite, quasi verò tempore tam periculoso quies apta videatur. Et compellans multitudinem tertiò, quẽ quærant, sciscitatur. Illis toties respondentibus Iesum Nazarenum, Dominóque subiiciente: Ego sum, in terram dilabuntur. Ac protinus vt discipulos abire paterentur si C se quærerent, iussit. Quo dicto, Iudas exosculatus Magistrum (Nã id ei symbolum fuit proditionis, quam cum Iudæis pactus fuerat.) Et confestim illi hostiles manus iniiciunt, vinculis membra stringentes. At Petrus prolato in medium gladio, ministro pontificio cui Malcho nomen erat, dextram abscidit auriculam, quam confestim Dominus loco suo restituit, vetans gladio ferire eũ qui nolit ferro succumbere. Versus inde ad capientes, causam reddidit cur se veluti latronem caperẽt, id quod priùs crebro docenti in templo nunquam contigisset: Nimirum quia iam permissa videretur tenebris potestas quiduis audendi, atque ita futurum prophetarum oracula præcinuerint. Discipuli interea omnes fuga saluti suæ cõsuluere, quum magno impetu in ædes Annæ qui D Caïphæ pontifici socer erat, Iesus deducitur. Interrogatus ibi de discipulis & doctrina. Verùm ille potiùs quærendum dixit ab auditoribus, quorum ingens erat numerus, quidnam illos docuisset. Ad quæ verba, Pontificis minister alapam Domino, non aliter quàm fuissent contumeliosa, impegit. Et audiuit: Si perperam loquutus sum, de hoc profer testimonium. Sin rectè, cur abs te vapulo? Missus deinde Caiphæ, vbi omne Iudæorum concilium testes iniquos aduersus Dominum conquisierat, reiectis quibusdam ceu friuolis ac prorsus ineptis, quum sæpe interrogatus, nihil ad obiecta responderet: Quærit Pontifex, Num Christum filium se esse fateretur? At ille: Tu, inquit, ita dixisti: fore significans vt aliquando multa luce conspicuum in nubibus cœli Dei E filium viderent, quem modò humilem aspernarentur. Ad quam vocem Pontifex ceu execrabilem, concitatus, vestem scidit, & morti obnoxium esse Iesum toto cœtu acclamante pronunciat. Illudebant illi interea ministri, velato capite membra ferientes ac fœdantes sputo. Propheram insuper insalutabant. Sedulò exigentes vt illum proderet qui se verberasset, multis quoque aliis huiusmodi in hunc collatis conuitiis. Interea Petrus in Annæ atrio semel atque iterum ab ancilla aliísque interrogatus de Iesu: Num illius esset discipulus: constanter ac deinde sanctè iurans, illum abnegauit. Id quod in Caïphæ quoque ædibus ad eum modum accidit. Et cùm vocem edidisset gallus, meminit Petrus verbi Dominici: Priusquam gallus bis cecinerit, tu me ter abnegabis. Atqui Iesus intuitus Petrum, mœstum reddidit, vt se foras

Christus orat.

eum ingenti fletu proriperet: Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18. A

Cap. 16. Porrò vbi primum diluxerat dies, Parasceues, vinctum, omnis Iudæorum multitudo Iesum in prætorium ducit ad Pilatum præsidem, non tamen euntes introrsù, ne contaminarentur, sed Pascha manducarent. Id cùm vidisset Iudas, pœnituit eum proditionis, & coniectis in templum triginta argenteis. (Vnde illi agrum in peregrinorum sepulturam mercati sunt.) Peccaui, inquit, sanguinem iustum vobis tradens: ac mox abiens, laqueo vitam finiuit. Exiit autem foras ad Iudæos Pilatus accusationem in Iesum recepturus: sed illi opinione seipsos commendabant quò grauius reum premerent. Si hic, aiunt, immunis esset à scelere, non vtique conspectui tuo illum obtulissemus. Verùm accusationem, ne in ea parte te moremur, paucis accipe: Subuertit populum B nostrum: Vetuit tributa pendi Cæsari, dixitque se Christum regem esse. Præses recepta accusatione, interrogauit seorsùm Iesum rexne esset: & subodoratus accusationis Iudæorum vanitatem, absoluere Dominum constituit. At illi seditiosum esse hominem prodiderunt, qui à Galilæa exorsus doctrinà suà motùs in populo ad Hierosolymam vsque pertingentes suscitauerit. Auditâ autem Galilæà, præses Iesum Galilæum esse edoctus, ad Herodem tetrarcham, qui tum Hierosolymis fortè agebat, eum misit. Vbi expectatus, vt portenta ederet, conticuit. Itaque indutus veste alba ludibrio habetur ab Herode omnique exercitu, atque ad Pilatum præsidem remittitur. Qui innocuum liberare pro virili adnitens, consuetudinem Iudæis solennem, qua in Paschali celebritate vinctum aliquem illis dimittere solebat, fauori suo prætexuit. C At illi in diuersum nitentes, Barrabam quendam vinculis eximi homicidam cupiunt: Iesum verò voce increbrescente cruci affigi desiderant. Præses autem lenire illorum sæuitiam volens, nudatum veste flagris cædi iussit. Corona ex spinis mox ceruici impressa, & arundo dextræ tradita, corpus multis atque adeò horrendis plagis contusum est, salutatùsque à militibus rex Iudæorum cœptus per ludibrium. Vnde Pilatus eum eripiens, iam satis superque castigatum Iudæis ostendit, quò ad commiserationem eos commoueret. Innocentiam viri etiam atque etiam inculcans, quam vxor quoque eius, in somnis multa ob Iesum passa de illo palàm prædicabat. Cæterum obstinati eiusdem tenaces propositi cruci affigendum clamant. Nisi eum ita D faceret Præses, Cæsari illum aduersari. Lauit mox manus Pilatus, immunem se esse ab innoxio sanguine contestatus. Verùm illi, sibi & filiis bone imprecati, ad condemnandum cruci Iesum, præsidem impulerunt.

Cap. 17. Itaque lata hac sententia, eductus inter duos latrones Dominus, crucem ipse sibi gestare cogitur. Sed & Simonem quendam Cyrenensem adigunt ad opem in ea se ferendam Sequebatur ingens multitudo, & inter eam, matronæ quædam à Galilæa, Iesu sermone attractæ. Hæ iunctæ Hierosolymitanis miserè Domini vicem deplorabant. Sed is Hierosolymitanis iussit, vt se ac suos magis lugerēt liberos, qui ceu lignum aridum pœnis essent dignissimi. Affixus autem cruci in caluariæ loco, inter duos latrones medius pendebat: omnium iniuriis & probris expositus. Quum ille ne tunc quidem, solitæ in E omnes beneuolentiæ poterat obliuisci. Ac primò patrem cœlestem precatus, vt errori illorum daret veniam: Luc. 23. Ioan. 19. Latroni mox oranti vt in regno cœlesti non grauaretur sui vel meminisse, Paradisum eo die se præstaturum, quam non fuerat rogatus pollicetur. Titulus præterea à Pilato ceruici Dominicæ appositus est, Iudæis multum repugnantibus, ad eum qui sequitur modum.

ΙΗΣΟΥΣ ΝΑΖΑΡΙΟΣ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ.

IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM

Cap. 18. VEstes militum voluntati cessere, vt prophetæ oraculo contineretur, sorte in iis partiendis iacta. Commendabat Iesus Mariam genitricem cruci vicinam Ioanni discipulo, mulierem appellans ne quid affectibus humanis tribuere videretur, qui patris cœlestis iam ageret negotium. Filium insuper se esse negans: dum illum in vicem suam substituit. Congruebant mirè hæ res gestæ cum Dauidis vaticinio, vt videri possit, ad illud respexisset Dominus, dum voce B Hebræa clamaret, Id est: Deus Deus meus cur me deseruisti? Huc item pertinebat quòd sitibundi sese clamabat, felle mox & aceto potatus. Euenisse tum omnia dixit, quæ oraculis olim vates futura de Christo præcinuissent. Itaque demisso in pectus capite, patrem affatus: In manus, inquit, tuas commendo spiritum meum. Quæ vox illi vitam linquenti extrema fuit.

Mortem extemplo sequuta sunt prodigia. Sol caligine obducitur, tellus tremit, velum templi dirumpitur, petræ dissiliunt, & monumenta aperiuntur, prodeuntibus inde quibusdam perspectæ sanctitatis hominibus. Quæ res Centurioni qui tum aderat aliisque compluribus fidem de Christo faciebant; pulsis enim pectoribus domum redeuntes, verè hunc esse Dei filium fatebantur. Luc. 23. C Rogabant protinus Pilatum Iudæi vt corpora condemnatorum eo die pateretur auferri, ob sequens sabbatum quoque celeriùs extinguerentur, latronibus crura comminuta sunt, Christo iam exanimi, latus cuspide confossum cruoris & aquæ vbertim riuos ædidit. Vesperi Ioseph decurionis precibus à Pilato concessum corpus Dominicum honorificè sepelitur, obseruato etiam Iudæorum in vngendo ritu, qua in re Nicodemus, cuius paulò superiùs facta mentio, allatis myrrhæ & aloës libris plus minus centum, suo non defuit officio. Sed & mulieres è regione monumenti sedentes, ac locum tacitè secum considerantes, ægrè diuelli inde poterant. Matthæi vicesimo septimo, Marci. 16. Lucæ 23. Ioannis 9.

D Postero die Iudæi ne corpus dominicum clàm à discipulis auferretur, veriti, à præside Pilato excubias sepulchro dominico adhiberi impetrarunt. Cap. 19. Nondum enim exciderat illorum mentibus quòd de resurrectione sua peracto triduo aliquando prædixerat Christus; itaque in muniendo sepulchro, magna lapidis mole, consignandóque ostio nihil prætermissum. Matth. 27. Sed quid sunt ad Deum humana consilia? Tertia die terræmotus ingens ad Domini resurrectionem, aspectusque Angelicus ceu fulgur custodum animos vsque adeò exterruit, vt à mortuis nihil viderentur differre. Quod vbi rescivere Iudæi, excogitato commento subornarunt pecunia, qui dicerent furtim Iesum è monumento noctu sublatum. Matt. 28. Interea Maria Magdalene, Iacobi, & Salome dum Sabbato legis præcepto obsequentes quieuissent, E diluculo præparatis ad vngendum corpus dominicum aromatis, ad sepulchrum properant, Luc. 23. Vbi quum lapidem oppidò ingentem ab ostio motum cernerent, ac corporis Dominici, vestigium, id quod referebant fasciæ, iubentur ab Angelis Christi resurrectionem discipulis illius prædicare, metum deponere eum qui viuat, inter mortuos minimè quærere, denique meminisse quid prædixerit adhuc in Galilæa agens Dominus, iam de proditione, modò de pœnis, ac mox de morte, à qua tamen tertia die resurrecturus. Christi resurrectio. Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. Mulieres dicto audientes, resurrexisse quidem discipulis narrabant Dominum, sed illi vera esse negabant quæ dicebantur, ac mulierculas planè aiebant desipere. Matth. 24. Quan-

quam Ioannes & Petros conspecto sepulchro, veraces fuisse moheres deprehendere poterant. Luc. 24. Ioan. 20. Mariam autem Magdalenam mœror paulisper circa monumentum, discipulis abeuntibus, retinuerat, quæ mora illi primo conspiciendi Domini occasio fuit Ioan. 20. Ac mox eodem die in Emaus ab Hierusalem profectis duobus apparuit discipulis, dum in longum de Domino sermonem protraherent, ipse quàm obtuso essent ingenio, productis à Mose ac Prophetis de Scripturis ostendit. Quippe omninò videri necessariam vt Christus pœnis plecteretur, ita demùm gloriam sibi æternam pararet, Luc. 24. Marc. 16. Neque ita multo pòst apparuit discipolorum cœtui, dum fores essent clausæ vesperi, pacem illis imprecatus. Deinde rei nouitate obstupescentibus latus, manus ac pedes præbuit contrectandos, iussitque afferri si quid haberent quod esset esui: atque ibi coram piscis assi partem comedit ac fauum mellis, id quod spiritus nulla ratione possit efficere. Aperuit protinus Scripturæ arcana sensa, fierique non potuisse dixit, vt quæ de se in lege Mosi, Prophetis ac psalmis sint cōscripta, irrita protius videantur. Commonefecit item eos verborum quæ super hac re crebrò habuerit quo pacto videlicet extrema quæque ferenda fuerint Christo, & tertia die resurgēdum à morte. Iámque fore vt in illius nomine pœnitentia etiam in Gentibus prædiceretur, iuncta peccatorum condonatione. Luc. 24. Viso autem Domino, ingens lætitia perfudit discipulos. Et ille denuò pacem comprecatur, suo tum nomine ad Apostolicam cohortatus functionem, ad eum sanè modum quo ipse patris legationem obiisset. Nec mora, spiritum cœlestem afflatu suo impertit, in quo errata aut diluantur, aut certè diuinitus coustringant. Ioan. 20.

Rursus post dies octo, clauso ostio discipulis visus, solito pacis symbolo consalutat. Thomæ ibi discipuli A castigans pertinacem de se dubitationem, quod condiscipulis ea quæ superiùs memorauimus, se absente, parum credulus fuisset. Digiti tum in latus cuspide iam pridem apertum immissi, ac manus Christi membris clauis nuper perfossis admoti. Vbi beatitudinis præconio commendantur à Domino quicunque non visa, pietatis studio crederent. Ioannis vigesim. Tertiò in mari Tyberiadis piscantibus discipulis, manifestum se reddidit, dum præciperet in dextram iactari verriculam. Vbi pransus vnà post tertiò confessum sui amorem, Petro pascendos concredidit suos agnos, sub quodam verborum inuolucro adiiciens, quis illum maneret pro suo nomine, vitæ exitus. Ioan. 21. Postremò in Galilæa B visendum se præbuit Dominus, in monte quem ad hoc destinarat, confluentibus eò discipulis & adorantibus, vbi parum synceræ fidei homines reprehendit, quia eos qui se resurrexisse viderant, vanos reputassent. Traditam autem sibi mox indicat, omnium quæ cœlo terrâque continentur ditionem, contestatus eam esse veræ & salutaris doctrinæ formulam, quam se doctore auribus hausissent. Iámque nihil restare aliud quàm vt ea Gentibus longè latéque innotesceret, id quod vestrarum, inquit, posthac erit partium. Doctrinæ huius comitem voluit esse baptismum, qui in Patris, Filij, & Spiritus sancti nomine credituris impenderetur. Ad hæc non defutura miracula & valetudinis restituendæ varia beneficia. C Quanquam quid hæc attinet commemorare, quum ipse suo negotio se præsto affuturum certò definierit? Ecce, inquit, vobiscum sum vsque ad seculi consummationem. Matth. 28. Marc. 16. Hæc dicens, receptus est in cœlum, sedétque ad dexteram Dei. At discipuli Dominicis obtemperantes iussibus, cælestem doctrinam in orbem vniuersum diuulgarunt, & dominicam opem semper circa se, ad eum modum quo prædixerat ille, præsentem senserunt. Matt. 16.

S. DOROTHEI MARTYRIS, ET EPISCOPI TYRI, QVI SVB CONSTANTINO MAGNO VIXIT; DE VITA AC MORTE PROPHETARVM, ET APOSTOLOrum Synopsis.

DE S. DOROTHEO EPISCOPO ET MARTYRE.

Celebris hic vir, varias cum Latinas tum Græcas post se lucubrationes reliquit. Nam vtriusque linguæ peritus & multarum rerum gnarus propter ingenij dexteritatem fuit: post mortem autem Diocletiani & Licinij, exilio liberatus, & ipse sparetiam suam recepit. Ecclesiam enim Tyri ad Iulianum vsque tyrannum rexit. Quoniam vero Iulianus non manifestè per se, sed occultè per principes suos, Christianos occidebat; iterum Dorotheus ad Odissæam ciuitatem venit, vbi & à Iuliani principibus prehensus, multáque verbera passus, in grandæua senectute, propter Christi confessionem, inter ipsa tormenta, cùm annorum esset 107. mortuus est. Igitur inter Commentarios Ecclesiasticos, quos, vt diximus, magnus hic Presbyter post se reliquit, de alijs etiam nonnulla memoriæ prodidit: vtpote de omnibus Seruatoris nostri Discipulis, videlicet Apostolis, cùm duodecim illis, tum septuaginta: immo & de Prophetis, vbi quisque illorum, & quomodo vitam finierit.

Hoc opus non esse illius S. Dorothei Martyris, Tyri presbyteri, qui sub Diocletiano vixit, & sub Iuliano martyrium consummauit; sed cuiusdam potius Dorothei recentioris Abbatis Romani Baronius in notis ad Romanum martyrologium 5. Iunij, & alij eruditi deprehenderunt. Multa enim insunt huic libello, quæ fide historica vacillant, indigna prorsus antiquo illo S. Martyre Dorotheo, quæque passim errorem arguuntur ab his qui puritatem historiæ ex antiquis auctoribus eruunt. Ad hæc, quod hic in præfatione & in inscriptione, titulisque paginarum Dorotheus ille vetustior appellatur Episcopus Tyri, falsum omnino est, cum martyr ille non Episcopus, sed presbyter Tyri vocetur in antiquis auctoribus & Romano martyrologio quinta Iunij. Consule quoque apparatum sacrum Possenini.

DOROTHEVS ALTER EPISCOPVS TYRI SCRIPSIT CVM ALIIS PHOENICIAE MARITIMAE EPISCOPIS AD LEON. Imp. pro Concilio Calcedonensi Concil. Tom. 2.

DE PROPHETIS.

HIc duodecim Prophetarum primus habetur. Diuina dignatione de Domino Christo adhunc modum loquutus est: Quando in tribulatione erunt, mane vigilabunt ad me dicentes: Venite, reuertamur ad Dominum Deum nostrum, Quoniam ipse rapuit, atque iterum sanabit nos: percussit & curabit nos. Sanctificabit nos: post duos dies, die tertia resurgemus coram eo, & cognoscemus, &c. Ex isto oraculo Apostolus Paulus Corinthus dicit, tradidi enim vobis in primis, quod & accepi, quod Christus pro peccatis nostris mortuus est secundum scripturas, & quòd sepultus fuit, & excitatus tertia die secundum scripturas. Hoc enim

est quod hic Propheta dixit, tertia die resurgemus coram eo. Nusquam alibi de tertia die quicquam in veteris instrumenti scriptura inuenire est. Iterum hic Propheta dicit, quod Christo Domino adaptatur: caro mea ex ipsis. Item: Circumdedit me in mendacio Ephraim, & impietate domus Israël & Iuda. Nunc cognouit eos Deus, & populus Dei sanctus vocabitur. Quoniam ex hac tribu declaratur venisse Dominus Christus, populum hunc Iudam sanctum vocat. Rursus idem Propheta: De manu inferi, inquit, redimam eos. Vbi est mors victoria tua, vbi est inferne stimulus tuus? Hoc oraculo vsus est Apostolus Paulus de resurrectione disputans. Hic Osee erat ex Belemoth de tribu Isachar, & sepultus est in terra sua in pace.

AMOS.

Hic Amos alter Propheta est. Et ipse dignatione diuina accepit, vt de aduentu Domini Christi hoc modo loquutus sit. Quapropter ecce ego firmans tonitruum, & creans spiritum, & annuntians in homines Christum suum. Rursus: In die illa suscitabo tabernaculum Dauidis, quod prolapsum fuerat, & restaurabo ruinas eius, & restaurabo illud sicuti in diebus antiquis, vt quærant Dominum qui reliqui sunt ex hominibus, & omnes Gentes super quibus inuocatum est nomen tuum, dicit Dominus faciens ista. Huius oraculi meminit Iacobus in Actis Apostolorum. Iste Amos erat ex Thecua. Hunc Amasias crebrò verberauit, & tandem filius, eum clauo temporibus capitis percussis, necauit. Spirans adhuc, in terram suam percussus venit, post duos verò dies mortuus ibique sepultus est.

MICHEAS.

Hic tertius est, qui & ipse diuino munere accepit, vt de aduentu Domini Christi loquutus sit, dicens: Et tu Bethleem domus Ephrata, minima es, vt sis in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur qui princeps sit in Israële. Et egressus eius ab initio à diebus seculi. Oraculum hoc vsurparunt summi sacerdotes & scribę Iudæorum, cùm ab Herode, vbi Christus nasceretur, interrogarentur, ac dixerunt, in Bethleem. Vnde & Magos Herodes in Bethleem misit. Iterum dicit Propheta: Ipse conuertet & miserebitur nos, obreget peccata nostra, & abiiciet in profundũ maris iniustitias nostras. Dabit Iacob veritatẽ, misericordiam Abrahæ, sicut iurauit patribus nostris, secundum dies priores. Hic Micheas erat à Marathai, de tribu Ephraim. Et cùm multis egisset cum Achab, à Ioaram filio ipsius, præcipitio necatus est: propterea quòd arguerat eum super impietatibus Patrum ipsius. Sepultus est in terra sua, prope Polyandrium Enakim.

IOEL.

Hic quartus est. Datum est etiam isti de mysterio Domini Christi vaticinari: Nam sic dicit: Et erit post hæc, vt effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ ac senes vestri in somnis somniabunt, & iuuenes, vestri visiones videbunt. Et super seruos meos & super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, & dabo prodigia supernè in cœlo & super terram, sanguinem & ignem & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & illustris. Et erit vt quisquis nomen Domini inuocauerit, saluus fiat. Huius oraculi meminit B. Petrus in Act. Apost. vt quod tunc adimplebatur, cum iam descensus Spiritus sancti super Apostolos, in die Pentecostes factus esset. Hic Ioel vicinus erat agro Bethomeroo in Ruben, vbi & mortuus ac sepultus est in pace.

ABDIAS.

Hic quintus est. Dedit & huic Dei gratia, vt de mysterio Christi loqueretur. Nam sic dicit: Quapropter prope est dies Domini super omnes gentes. Dictum quidem hoc superficie tenus est contra Scytas, hoc est, contra Gog & Magog: certiùs autem & magis propriè, Domino Christo conuenit. Nam paulò pòst subiungit: Erit autem salus in monte Sion. Iste Abdias erat ex terra Sychem, agro Bethacharam, fuit discipulus Eliæ, & cùm illius nomine multa passus esset, seruatus est. Tertiùs fuerat ex quinquagenariis, cui Elias pepercerat, descenderátque ad Ochoziam, ac ministerio Regis sui postea relicto, Prophetiæ gratiam acquisiuit, mortuúsque est ac sepultus cùm patribus suis.

IONAS.

Sextus hic est, qui non verbis sed reipsa ac typo, resurrectionem Christi prænunciauit. Dicit enim Dominus: Sicut Ionas mansit in ventre Cæti tres dies ac tres tres noctes, sic erit filius hominis in corde terræ tres dies ac tres noctes. Quemadmodum enim Cetus incorruptum Ionam euomuit: ita sepulchrum, Dominum in meliorem vitam reddidit. Hic Ionas erat ex terra Cariathmaus, prope Azotum maritimam Gentium ciuitatem. Ex ventre Ceti eiectus, inque ciuitatem Niniuen profectus, in terra illius non mansit: sed assumpta matre, peregrinus in Assur Gentium alienigenarum regione habitauit. Cogitabat enim, hoc pacto tollam probum meum quod falsò contra Niniuen ciuitatem magnam prophetando acquisiui, sicut & Elias eo tempore, postquam contra domum Achab prophetauerat, faméмque super terram vocauerat, aufugit, & viduam cum filio nactus apud eos mansit. (Nequibat enim apud incircumcisos manere) illámque benedixit Ionam verò mortuum Deus vitæ restituit per Eliam, voluit enim illi ostendere, quòd manum Dei effugere nequiret. Post famem verò Ionas regione illa relicta, venit in terram Iuda, & cùm mater in itinere mortua esset, sepeliuit eam prope montem Libanum. Mortuus est autem & ipse in Saar, ac sepultus in spelunca Cenezei, qui Iudex fuerat vnius Tribus in terra sua factus, eo tempore quo terra principe carebat, deditque prodigia super Hierusalem ac totam terram: Lapidem videlicet miserabiliter clamantem, quod finis appropinquet. Et quando ab omnibus Gentibus Hierusalem calcaretur, quod tunc ciuitas illa abolenda esset.

Ionas ab Helia suscitatus.

NAVM.

Septimus hic est, Dignus & ipse habitus, qui de resurrectione Domini Christi vaticinaretur. Dicit enim: Celebra Iuda festiuitates tuas, redde Domino vota tua, quia nequaquam vltra adiicient, vt transeant in vetustatem, completus est, consummatus est, ascendit insufflans in faciem tuam, qui te eruit ex tribulatione. Hic Naum erat ab Elkesi trans Bethabaram, de tribu Simeon. Post Ionam prodigia ædidit Niniuitis, quòd videlicet perituri essent ab aquis dulcibus, & igne subterraneo, quod & factum est. Nam stagnum quo ciuitas illa circundata erat, facto terræmotu, submersi eam ac perdidit, & ignis è solitudine ortus, superiorem illius partem consumpsit. Mortuus est autem Naum in pace, & in terra sua sepultus.

ABACVC.

Iste octauus est. Accepit & ipse diuino munere vt de resurrectione Christi vaticinaretur, ad hunc modum loquutus: Videte contemptores, aspicite & admiramini, & disperdimini, quoniam opus ego operor in diebus vestris, quod non credetis si quisquam vobis narrauerit. Oraculum hoc Paulus concinnè de resurrectione Domini Iesu Christi Antiochiæ Pisidiæ vsurpauit. Hic Abacuc erat de tribu Simeon, ex agro Bethicuchar. Captionem vrbis Hierusalem ante captiuitatem vidit & vehementer luxit. Et cùm ascenderet Nabuchodonosor in Ostraciam, aufugit & factus est incola in terra Ismaëlitarum. Cum verò qui in Chaldæa captiui fuerant reuerterentur, & ij qui Hierosolymis reliqui erant, in Ægyptum descenderent: habitabat in terra sua. Et cùm aliquando messoribus agri sui ministraret, & pulmentum sumeret ad suos prophetauit, dicens: Proficiscor in terram longinquam, ac citò reuertar. Si verò

tardauero, ferte messoribus escam ipsorum. Cùm autem in Babylone fuisset, & prandium Danieli dedisset, adstitit messoribus vescentibus, nec quicquam dixit eorum quæ facta erant. Sciebat autem populum breui reuersurum è Babylone: & biennio antequam reuerteretur, mortuus est ac sepultus in agro suo solus, in terra Iudęa. Vaticinatus etiam est de consummatione Templi, quod in potestate Gentis occidentalis futurum esset: Tunc, inquit, pandetur secretior Templi pars, & capita duarum columnarum auferentur, nec sciet quisquam vbinam seruentur. Asportabuntur autem in solitudinem ab Angelo, vnde & initio ascendit Tabernaculum testimonij. Et circa finem cognoscetur in ipsis Dominus, & illuminabit eos qui persecutionem passi sunt à serpente in tenebris, sicut ab initio.

SOPHONIAS.

IX. Hic est, Dignus & ipse habitus qui prophetaret de Domino Iesu Christo. Nam ita loquitur: Manifestabitur super eos Dominus, & exterminabit omnes Gentium Deos de terra, & adorabunt eum, quisque suo loco, omnes insulæ Gentium. Rursos dicit: Quoniam conuertam super populos linguam in generationem eius, vt inuocent omnes nomen Domini, ac seruiát sub iugo vno. De finibus fluminum Æthiopiæ accipiá dispersus meos, adferent mihi victimas. Et iterum. Gaude vehementer filia Hierusalem, lætare & iucundare ex toto corde tuo filia Hierusalem. Abstulit Dominus iniustitias tuas, redemit te de manu inimicorum tuorum. Regnabit Dominus in medio tui. Non videbis amplius mala. Hæc magis propriè Domino Iesu Christo conueniunt. Hic Sophonias erat ex tribu Symeon, ex agro Sabarthatha. Prophetauit de ciuitate, & fine Israëlis, déque confusione impiorum. Mortuus est ac sepultus in agro suo.

AGGÆVS.

Hic decimus est. Datum & ipsi est, vt de Domino Christo vaticinaretur, ac sub persona Zorobabelis Domino Christo competentia diceret, vtpote: Ponam te signaculum, quoniam te elegi dicit Dominus omnipotés. Quemadmodum & Ioannes Euangelista dicit: Hunc enim pater signauit Deus. Hic Aggæus cùm iuuenis esset, è Babylone venit Hierosolymam, & manifestè de reditu populi vaticinatus est, & ea parte quoque Templi restaurationem vidit. Mortuus autem & sepultus est prope sepulturam Sacerdotum, cum honore quo Sacerdotes sepeliri solebant.

ZACHARIAS.

XI. Hic est. Et iste diuinitus accepit, vt de aduentu Christi prædiceret. Dicit enim: Gaude vehementer filia Sion, prædicat filia Hierusalem. Ecce Rex tuus venit iustus & saluator, ipse mansuetus, ascendens super subiugalem, & pullum iuuenculum. Hoc oraculum hyperbolicè quidem de Zorobabele dixit, exitum verò propriè habuit in Domino Iesu Christo. Iterum dicit: Et dicam ad eum: Quæ sunt plagæ istæ, quæ sunt in medio manuum tuarum? Et respondebit. Hæ sunt, quibus percussus sum in domo dilectæ meæ. Et paulò pòst. Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Oraculi huius meminit Dominus, tempore passionis suæ, vsurpans illud & transferens in se, cùm esset prodendus. Hic Zacharias è Chaldæa venit, cùm ætate iam esset prouecta, atque ibi populo multa vaticinatus est, prodigiáque probandi gratia ædidit, & sacerdotio Hierosolymis functus est. Idem & Salathieli cum filiis benedixit, & nomen Zorobabel imposuit, & Persis sub Cyro dedit victori. De cultu illius quem facturus erat Hierosolymis, prophetauit: illúmque vehementer benedixit. Quæ verò Prophetiam concernebant, vidit Hierosolymis. Et de fine Gentium de Templo, de Otio, de Prophetis & Sacerdotibus, ac de duplici iudicio exposuit. Mortuus est in senectute graui, sepultúsque prope Eleutheropolim, stadiis quadraginta, in agro Noëman, temporibus verò Epiphanij Episcopi manifestatus, quod ipse esset Zacharias filius Barachiæ, cuius meminit Esaias; Agro autem,

A vbi iacet, nomen est Betharia à Hierosolymis distat stadiis 150.

MALACHIAS.

Iste duodecimus est, cui etiam datum est vt de iis quæ dispensationem Domini Iesu Christi concernunt, vaticinaretur. Etenim & ipse sic dicit: Propterea ab oriente ad occasum vsque glorificatum est in Gentibus nomen meum, & in quouis loco incensum offertur nomini meo, & oblatio munda. Quapropter magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus omnipotens. Et iterum dicit: Ecce ego mittam Angelum meum ante faciem tuam. Et hoc oraculum Dominus de se & Ioanne Baptista vsurpauit. Iterum idem Propheta dicit: Et orietur vobis timentibus nomen meum: Sol iustitiæ & sanitas in alis eius, & exibitis & exilietis sicut vituli è
B vinculis relaxati, & conculcabitis iniquos: propterea erunt cinis sub pedibus vestris, in die quam ego constituam, dicit Dominus omnipotens. Et ecce ego mitto vobis Eliam Thesbitem, antequàm veniat dies Domini magnus & illustris. Quemadmodum de Ioanne Dominus ad Iudæos dixit: Si volueritis recipere, ipse est Elias qui venturus est. Hic Malachias post reditum populi è Babylone nascitur in Supha, & cùm adhuc adolescens esset, vel alimoniam nutricem habuit admirabilem, & vitam honestam. Et quoniam vniuersus illum populus velut sanctum ac mansuetum venerabatur, vocarunt eum Malachiam, quod idem est, si interpreteris, atque Angelus. Erat enim & specie corporis eleganti, imo quæcunque in prophetia dixit, eo ipse die secundo visus est Angelus Domini, sicut factum est in diebus,
C quibus nullus erat princeps, vt scriptum est in libro Iudicum. Mortuus est autem, cùm adhuc adolescens esset, & appositus patribus in agro ipsius.

Hi sunt 12. Prophetæ, vno libro comprehensi, consequenter narrabimus & de quatuor magnis, quorum quisque proprium habet volumen. Insuper & de reliquis illustribus Prophetis dicemus, quorum nulla scripta circumferuntur, vbi primùm ista viderimus. Omnes quidem Prophetæ vaticinati sunt ad Iudæos, admonuerúntque eos de promissionibus Dei, quas patribus fecit, quibus videlicet vniuersas Gentes benedicturum se in semine Abrahæ per futuram Domini Iesu Christi dispensationem, pollicitus est, deinde quomodo eos paulo antè ex seruitute Ægyptiaca cum brachio excelso re-
D demerit, ac terram promissionis dederit, denique quomodo à Nabuchodonosore captiui in Babylonem abducendi essent, & inde cum gloria redituri. Adhæc quòd & ab Antiocho & Gentibus circumquaque finitimis adfligendi, & tamen ibi quoque diuina freti potentia superaturi essent. Et postremò, quòd tunc ad salutem totius mundi secundum præcedentes promissiones venturus esset, qui ex semine Abrahæ promissus expectabatur. Et hoc commune fuit omnium Prophetarum institutum. Et quibus nonnulli libros sibi conscripserunt, vtpote Dauid, qui sibi psalmorum librum congessit. Et Daniel qui iussus est in captiuitate literis mandare, quæ per visiones reuelata accepit. Et quidam alij. Reliqui non ipsi prophetias suas, sed scribæ qui in Templo erant, cuiusque Prophetæ sermonem veluti
E cum dierum supputatione conscripserunt. Et quando Propheta quispiam à Deo mittebatur, vt vel de Hierusalem, quod in captiuitatem esset abducenda, vel de Samaria, aut aliis locis, vel de reditu, vel de Antiocho, vel de gentibus finitimis, aut de ipso Domino Christo prædicaret, singulis diebus vaticinabatur, & scribebatur id quod Propheta singulis sermonibus prædicabat. Prædicabat autem de re quapiam certa, & cùm alio tempore rursus de alia prædicabat, iterum scribebatur, & quæ dicta erant certis capitibus initio præsignatis subiiciebantur atque hoc modo iustus & integer liber ex variis sermonibus Prophetæ illius componebatur. Hinc est, quod in Prophetarum libris inuenitur principio notatum caput, & adaptatú vel ad captiuitatem Babylo-

nicam, vel ad reditum ex illa, deinde mox aliud caput, vel de Christo, vel de materia quapiam alia, & confestim rursus aliud de alia causa, & iterum statim aliud de causa priore. Et vt vno verbo dicam nisi considerate quis legat, reperiet ista confuse posita. Non autem prophetica tantùm, sed & regnorum libros ad hunc modum in templo per partes scripserunt. Vtpotè temporibus Saulis, quæ vsque ad regnum illius gesta fuerant, & tempore Dauidis, quæ sub Saüle vsque ad ipsum Dauidem contigerant, atque hoc pacto quæ sub vno quoque Rege acta fuerunt, singula sua suis temporibus scripserunt, quemadmodum & Paralipomena in Regum Chronicis congesta sunt. Pentateuchon verò Moyses conscripsit, historiam videlicet eorũ & quæ ante ipsum, & quæ sub ipso gesta sunt, & quæ post ipsum futura erant. Iesus Naue suum ipse librum composuit. Iudicum libri & ipsi in templo, videlicet, in tabernaculo scripti sunt. Similiter & Ruth. Salamon sua ipse conscripsit Prouerbia, Canticum Canticorum & Ecclesiast. Cùm enim sapientiæ gratiam à Deo accepisset, cunctos admonuit, vt in hac vita sapienter conuersarentur. Prophetiæ verò donum non accepit Iam enim antea recensuimus eos, qui diuino munere acceperunt, vt de Christo vaticinarentur. Iam deinceps etiam de quatuor aliis Prophetis commemorabimus, quæ illi quoque de dispensatione Domini Iesu Christi vaticinati meruerunt, ad quam vniuersus diuinæ scripturæ ornatus, & concinna structura prospicit. Et principio proferatur primus ex illis, magniloquentissimus Esaias, cui datum est, vt & typo, & sermone videret ac vaticinaretur de Christi mysterio.

ESAIAS.

Magnus iste Esaias filius Amos, in typo mysterium Christi præuidit, quando Dominum vidit in trono sublimi & exaltato sedentem, vbi & Seraphim, inquit, stabant in circuitu illius, & sex alæ vni, & sex alæ alteri, quibus sese velabant, & clamabãt alter ad alterum: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Sabaoth, plena est omnis terra gloria eius. Interea missus est vnus ex Seraphim; is carbone, quem forcipe de altari acceperat tetigit labia eius dicens: Hoc auferet peccata tua. Ita manifestè per ostensam visionem, hymnum ac typum instructus est, vt Christi mysterium præsignaret. Rursus & id muneris accepit, vt sermone quoque de mysterio Christi vaticinaretur, dicens: Sicut ouis ad mactationem ductus est, & sicut agnus coram tondente se, obmutuit. Hoc oraculum cum Æthiops Eunuchus legeret, Philippum rogabat, vt exponeret, qui & citissimè ac verissimè ista de Domino Christo à propheta dici exposuit. Rursus dicit: Homo in plaga constitutus, & sciens ferre languorem. Et iterum: Iniquitatem non fecit, neque dolus inuentus est in ore eius. Et Dominus vult eum mundare à plaga, & illi lucem ostendere. Item: Sic dicit Dominus, Ecce ego ponam in fundamentis Sion lapidem preciosum electum, angularem, & honorificum, in fundamenta eius. Et qui crediderit in illum, non pudefiet. Iterum: Spiritus Domini supra me, propterea vnxit me, &c. Hoc cùm Dominus in synagoga Sabbatis legisset, dixit: Amẽ dico vobis, Hodie impleta est scriptura ista in auribus vestris. Esaias iste Hierosolymitanus erat. Mortuus est autẽ Hierosolymis sub rege Manasse, sectus in duas partes, conditúsque sub quercu quæ est prope fontem Rogel, iuxta transitum aquarum, quas Ezechias rex puluere obstruxerat. Et monumentum Siloam Deus per hunc prophetam operatus est. Nam cùm spiritus eius antequam moreretur, deficeret, aquæ potum petiit, qui & confestim ei ex hoc torrente missus est. Quapropter etiam Siloam vocatus est, quod missum sonat, si interpreteris. Et sub Ezechia, antequam is lacus & Colymbethras faceret per orationem Esaiæ modicum aquæ emanauit. Nam erat populus in campestribus Moabitarum & alienigenarum. Et ne ciuitas periret, tanquam aqua destituta (Scissitati namque fuerant hostes, vnde biberent, & vrbe aggere cincta, torrentem Siloam obsidebant) quando orabant cum Esaia Iudæi, egrediebatur aqua. Propterea etiam in hodiernum vsque diem continuò promanat, vt ostendatur magnum hoc mysterium. Et quoniam per Esaiam fuerat hoc factum, memoriæ gratia populus Iudæorum prope Siloam illum accuratè & cum honore sepelierunt, vt per sanctas illius preces, etiam post mortem eius consimili modo aquæ huius beneficio frui liceret. Erat enim illi oraculum etiam datum vt hoc ita faceret. Est autem sepulchrum eius vicinum sepulturæ Regum, retro sepulturam Iudæorum, austrum versus. Salomon enim sepulturam Dauidis cõstituit, ad Orientem montis Sion dispositam, & ingressum habentem ab ea parte qua venitur à Gabaon, ab vrbe stadiis viginti. Fecit autem eam obliquam, & ita compositam, vt nullam de se suspicionem obiciat. Et introitus in hunc vsque diem multum Sacerdotibus & vniuerso populo ignotus est. Habuit ibi rex Salomon aurum ex Æthiopia reconditum, & aromata. Et quoniam Ezechias ostendit & contaminauit ossa patrum ipsius, propterea asseuerauit illi Deus futurum, vt semen eius seruiat hostibus eius; fecitque illum sterilem ab eo die, ac infœcundum.

IEREMIAS.

Et hic Ieremias diuina dignatione accepit, vt de mysterio Christi vaticinaretur. Nam ita dicit: Et acceperũt triginta argenteos precium æstimati, quem precio emerunt à filiis Israel, & dederunt eos ad comparandum agrum figuli, sicut præcepit mihi Dominus. Huius oraculi meminit etiam Euangelista Matthæus, tanquam completi tempore passionis Christi. Rursus dicit idem propheta: Ecce dies venient, dicit Dominus, & disponam domui Israël & domui Iuda testamentum nouum, non secundum testamẽtum, quod condidit patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum vt educerem eos ex Ægypto. Nam ipsi non manserũt in testamento meo, & ego neglexi eos dicit Dominus, sed hoc est testamentum meum quod disponam domui Israël. Post dies illos dicit Dominus, dabo leges meas in mentem eorum, & in cor eorum scribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum: Et haudquaquam docebunt quisque fratrem suum, & quisque proximum suum, dicendo, cognosce Dominum. Nam omnes cognoscent me à minimo vsque ad maximum eorum. Quoniam propitius ero iniustitiis eorum, & peccatorum ipsorum non recordabor amplius. Huius oraculi mentionem facit Apostolus in epistola ad Romanos. Hic Ieremias erat ex Anathoth, & in Taphnis Ægyptiorum lapidibus à populo obrutus est ac mortuus, sepultus autem iacet eo loco quem inhabitauit Pharao. Nam Ægyptij beneficiis ab eo affecti, ad honoris illi impenderunt. Orauerat enim pro illis, cùm à bestiis, aquaticis turbarentur, quas Ægyptij Meuephot, Græci verò Crocodilus vocant. Et hodie quoque qui fideles sunt Deo, in eo loco orant, ac puluerem inde tollunt, quo morsus à bestiis illis læsos curant. Multi ex illis ipsis etiam bestias in aduersas aquas fugant. Nos verò ex posteris Antigoni & Ptolomæi viris iam grandæuis audiuimus, quod Alexander Rex Macedonum cùm ad eum Prophetæ locum venisset, mysteriáque illius cognouisset, reliquias illius, in Alexandriam transtulerit, & cum gloria circumquaque ornatas collocarit, atque ita genus aspidum ab ea terra & ipso quoque flumine similiter prohibitum sit, & serpentes hoc pacto reiecti, quos Argolaos vocant, hoc est, lacertas, ex Argo Peloponesiaco allatos, vnde & Argolai vocantur populi isti, id est, dextris ignaui, loquela verò sunt delicata, & prorsus sinistra. Ieremias iste signum dedit Sacerdotibus Ægyptiacis, quòd oporteat simulachra eorum concuti & decidere per Seruatorem puerum ex virgine nasciturum, & in præsepi iaciturum. Propterea etiam nunc virginem in lecto, & infantem in præsepio collocant & adorant. Et cùm causam olim Ptolemæus Rex percontaretur, responderunt,

Gentis Esaiæ & scriptionis qualitas.

Ieremiæ natale solum.

Cur virginẽ in lecto & infantem in præsepio adorant Ægyptij.

mysterium esse ipsis à maioribus traditum, quod illi à sancto propheta acceperunt. Hic propheta antequam caperetur templum, arcam legalem & quæ in illa erant abripuit, & in petram quandam abdi fecit, dixitque astantibus, Profectus est Dominus Sinai in cœlum. Et iterum, Veniet legislator ex Sion cum potentia, & signum aduentus ipsius erit vobis quãdo vniuersę Gentes lignum adorabunt. Dixit etiam, arcam illam nemo eripiet, præter Aaronem, & tabulas in illa reconditas nemo introspiciet siue Sacerdotum siue Prophetarum, præter Moysen electum Dei. Et in die resurrectionis arca primùm resurget, & ex petra prodibit, ponetúrque in montem Sina, & congregabuntur ad eam omnes sancti expectantes Dominum, & fugantes inimicum, occident eum venientem ad hanc petram. Obsignauit autem eam digito, per nomen Dei, & facta est figura instar sculpturæ ferri, & nubes lucida obtexit nomen Dei, nec quispiam locum hunc cognouit, neque obsignationem legere potest in hodiernum vsque diem, & ad consummationem vsque. Est autem petra in solitudine, vbi & primum fabricata est area, inter duos montes, in quibus sepulti iacent Moyses & Aaron. Et noctu nubes veluti ignis locum hunc obtegit, iuxta quod olim factum est. Nunquam enim deesse potest gloria Dei à nomine Dei. Propterea gratiam Ieremiæ dedit Deus, vt finem mysterio suo ipse faceret, fierétque consors Moysis & Aaronis, qui & vna coniuncti sunt ad hunc vsque diem. Nam & Ieremias Sacerdotali semine prognatus est.

Hier. 3. 2. Mach. 2.

Coniunctio Hieremiæ cum Moyse & Aarone.

EZECHIEL.

Ezechielis natiuitas & genus.

Hic Ezechiel, qui etiam in Babylone prophetauit, & ipse à Deo accepit, vt de Christi dispensatione vaticinaretur. Dicit enim: Et eripiam eos ex omnibus iniquitatibus eorum, & mundabo eos, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum. Et seruus meus Dauid, princeps in medio eorum, & pastor omnium vnus erit. Nam in præceptis meis ambulabunt. Et iterum: Et dixit ad me, Aqua ista egreditur in mare Orientale, & descendit in Arabiam, & venit ad mare, ad aquam Emanationis & sanabit aquas. Et erit vt omnis anima animantium feruidorum, & ad quæcunque venerit hic fluuius, viuant. Ezechiel iste prognatus est ex terra Sarira, è tribu sacerdotum. Mortuus est autem in terra Chaldæorum in captiuitate, postquam multa fuerat vaticinatus eis qui Iudæam inhabitabant. Occidit verò eum princeps populi Israël, reprehensus ab eo propter simulachrorum cultũ, & sepeliuit eum populus in agro Maur, in sepulchru Seth & Arphax ad patrum Abrahæ. Est autem sepulchrum illud spelunca duplex. Nam Abraham in Hebron ad similitudinem eius, Saræ sepulturam fecit. Dicitur autem duplex, propterea quòd flexuosa est & abdita, supra planum ac tellurem ædita, & in petra quadam suspensa. Hic Propheta portentum dedit populo, vt animaduerterent, quando fluuius Chobar deficeret, tum fore vt falcem venire vastationis, vsque ad fines terræ, & quando inundaret ciuitatem Hierusalem, tum instare reditum. Etenim ad fluuium illum habitabat sanctus Propheta, & multi ad eum congregabantur. Contigit autem vt cùm multitudo populi apud eum esset, Hebræos formidarent Chaldæi, ne turbarent eos, & cum irruerent in eos occidendi gratia, efficiebat Propheta, vt aqua fluminis diuisa, locũ daret in vlteriorem ripam transfugiendi, & qui ex Chaldæis audebant fugientes insequi, submergerentur. Idem Propheta abundè populo piscium escam sua sponte per preces ad Deũ destinatas exhibuit, & cum multi ex ipsis deficerent, vitam illis à Deo reddi orauit. Cùm populus perderetur, æditis signis compescebat hostes, cœlitus perculsos. Cùm diceret Israel, perimus, periit spes nostra, persuasit illis etiam portentis ossium mortuorum, quod adhuc reliqua esset spes Israëli, & in præsentiarum & in futurum. Iudicabat hic Propheta Israëlem, & ostendebat quid cum Hierosolymis tùm in templo ageretur. Rapiebatur è loco supra dicto, veniebátque Hierosolymam eadem hora, ad redargutionem eorum qui Deo non credebant. Vidit hic Propheta, quemadmodum ante eum & Moyses, typum Templi, parietem & quæ circa illum, & portam, per quã Dominus ingressurus, esset & egressurus, & quòd porta illa clausa esset futura, quodq; in Dominũ speraturæ essent omnes gentes. Iudicauit in Babylone tribũ Dan & Gad. Quoniam impiè egerãt aduersus Dominum, persequuti eos qui legem obseruabãt. Dedítque illis portentum magnum: Nam serpentes deuorarunt infantes eorum, & quæcunque iumenta habebant, propter impietatem eorum. Prædicauit etiam, quòd propter ipsos populus nõ reuerteretur ad terram suam, sed in Madiam mansurus esset, vsque ad consummationem erroris eorum. Et ex his etiam erat, qui prophetam hunc occidit.

Cur interfectus fuerit à rege Israel.

gen 23 & 25

DANIEL.

Et hic Daniel in Babylone prophetauit, dignus & ipse habitus qui de Domino Christo vaticinaretur. Scito ergo & intelligito, inquit, ab exitu sermonis quo cœpi respondere tibi, & ab eo quod ædificabitur Hierusalem, vsque ad Christum ducem hebdomades erunt 7. & hebdomades 62. & quæ sequuntur. Item alio loco, Abscissus est lapis sine manibus, & percussit imaginem, & factus est lapis ille in montem magnum, impleuítque terram. Rursus, Et ecce in nubibus cœli veniebat filius hominis, & vsque ad antiquum dierum peruenit. Et datus illi honor & potentia. Et quæ ibi reliqua dicta sunt. Erat hic Daniel ex tribu Iuda, ex illis, qui de regia administratione præcipui & eminentes erant: verùm cùm adhuc paruulus esset, in captiuitatem è Iudæa in terram Chaldæorum adductus est; fuit autem in Bethorõ superiore, & vir castus, ita vt videretur Iudæis spado. Plurimum luxit populi gratia, & propter ciuitatem Hierusalem. Ieiuniis se, & abstinentia ab omni delicato cibo, imbecillem reddidit, terræ fructibus vescens: Aspectu aridus erat, & tenui corpore, gratia verò altissimi pinguis & obesus. Multum hic Propheta orauit pro rege Nabuchodonosor, obsecrante illum Balthasaro filio regis, cum in bestiam & iumẽtum mutatus esset, ne perderetur. Erat enim anterioribus membris & capite similis boui, pedes cum posterioribus referebant leonem. Sancto isti viro, de mysterio hæc facta est reuelatio, quòd Rex iste propter irrationalem voluptatem, & duram ceruicem in iumentum mutandus esset, nempe, quòd bouis instar subiugale iumentum futurus esset Behali: leo verò, propter rapacitatem, tyrannidem & feritatem ingenij. Huiusmodi mores sunt potentatibus in iuuentute constitutis, tandem verò in feras mutantur, rapientes, occidentes, tyrannidem exercentes, & impiè agentes, & horum mercedem à iusto iudice recipientes. Cognouit per Deum sanctus hic vir, quòd instar bouis comederet fœnum, quod illi pro humano cibo fuit. Quapropter & Nabuchodonosor, post cibi huius concoctionẽ, cordis humani sensu recepto, fleuit, orauítq; Dominum totam noctem & diem, quadragesies illum precatus. Et cùm ad se rediisset, oblitus erat quod homo factus esset. Sublatus erat linguæ vsus ne loqueretur, & cùm intellexisset confestim lacrymatus est. Oculi illius erant inter plorandum sicut caro emortua. Multi enim ciuitatem egressi viderant illum. Solus Daniel nolebat eum videre. Nam toto mutationis illius tempore, precationi pro eo instabat. Dicebat enim: Homo denuò futurus est, tunc illum videbo. Non credebant autem ei. Daniel igitur precando ad altissimum effecit, vt septem anni, quos septem tempora vocauerat, mutarentur in septem menses, & mysterium septem temporum in illo cõsummaretur. Septem namque mẽsium spatio sibi ipsi restituturus, sex annos qui desiderabantur & menses quinque coram Domino prostratus fuit, impietatem suam & omnem iniquitatem confessus. Et cùm peccatorum suorum remissionem adeptus esset, dedit prophetæ regnum suum, & nec panem nec carnem comedit, nec vinum

Danielis hebdomades ad cognoscendũ Messiæ tempus.

Metamorphosis regis Nabuchodonosor.

Miserabilis status Regis Nabuchodonosor.

num bibit, Domino cõfessus. Nam hoc illi Daniel præceperat, vt leguminibus & herbis vesceris, Dominum placaret. Quapropter Balthasarem eum vocauit. Volebat enim eum cohæredem constituere filiorum suorum. Sed vir sanctus dicebat: Propitius sis mihi Domine, ne deseram hæreditatem Patrum meorum, & adhæream hæreditati incircumcisorum. Ædidit autem & aliis Persarum Regibus multa porrẽta quæ scripta non sunt. Mortuus est verò Daniel in terra Chaldæorum, & in sepulchro Regio solus cum honore sepultus. Portentum etiam assignauit in montibus supra Babylonem iacentibus, videlicet quod venturus esset finis Babylonis, quando illi ab Aquilone fumigarentur. Quando verò igne comburerentur, finis è vicino esset totius terræ. Si verò in morbo defluerent aquæ, futurum esset vt populus reuerteretur in terram suam: si flueret sanguis, cædes futura esset in omni terra. Obdormiuit itaque in pace vir Dei sanctus. Hactenus de Prophetis qui libros conscripserunt: iam consequenter & de illis dicendum est, quorum nulli libri circunferuntur.

ELIAS.

Elias prim' ostendit viã in cœlum. Elias mortalis cum immortalibus.
4.Reg.2.

Hic Elias primus ex hominibus est, qui hominibus cursum ad cœlos submonstrauit primus ex hominibus, vnam Angelorum & hominum viam ostendit. Qui terræ fuerat sortitus domicilium, cœlum quoque subitò penetrauit: qui mortalis factus erat, cum immortalibus conuersatur: qui humi incedebat, instar spiritus, cum Angelis in cœlis agit: qui cum Melote, Elisæo discipulo suo duplicia charismata tradidit, qui cum diu viuat homo, senectutis tamen expers est: qui contra Antichristum dux belli seruatur, qui sese illi opponet, & seductionem illius ac superbiam redarguet, qui cunctos mortales ex illius seductione ad Deum in consummatione seculi conuertet, qui id à Deo accepit, vt secundi & illustris Domini aduentus præcursor futurus sit, qui cùm mediocritati seruierit, cum Angelis conuersatur. Hic ex Arabia erat Thesbites, de tribu Aaronis, habitans in Galaad. Nam Thesbis domus erat Sacerdotum. Cùm nasciturus esset, pater eius Sabacha vidit illum ab Angelis albicantibus salutari, & igne tanquam fasciis inuolui, & flamma ignis veluti cibo ali: & Hierosolymam profectus, rem istam indicauit, dictúmque illi est ex oraculo, ne timeret: fore enim vt puer nasciturus in luce habitaret, & quæ diceret, firmam sententiam haberent, iudicarétque Israëlem in gladio & igni.

ELISAEVS.

Hic erat ex Abelboel, terra Ruben. Et illius gratia factum est portentum. Cùm enim natus esset in Galgalis, damalis aurea adeò exclamauit acutè, vt Hierosolymis audita sit, dixerítque prophetia quisquam: Natus est Hierosolymis propheta, qui sculptilia & conflatilia illorum deturbabit. Mortuus autem, sepultus est in Samaria.

ZACHARIAS.

Mors Zachariæ.

Hic Zacharias, Falcifer, filius Ioadæ Sacerdotis fuit, Hierosolymitanus. Occidit eum Ioa Rex Iuda prope altare, & sanguinem illius effudit domus Dauid, sub Elam. Sacerdotes verò acceptum cum patre ipsius sepelierunt.

NATHAN.

Nathã præceptor Dauidis, a dæmone impeditus ne illum præmoneret.

Hic erat ex Gabaon, sub Rege Dauide. Ipse Regem hunc docuerat legem Domini. Et vidit, quòd eum Bersabe transgressurus esset. Cùm autem properaret vt Regem præmoneret, impediuit eum Belial. Nam inter eundum, hominis occisi nudum cadauer iuxta viam collocatum reperit, cuius ibi gratia aliquãdiu hæsit. Mortuus hic est & sepultus in terra sua in Gabaon.

ACHIAS.

Achias qui & Adonias vocatus.
3.Reg.13.

Iste erat ex Silo, vbi olim erat tabernaculum, è ciuitate Eli. Mortuus est ac sepultus prope quercũ Silo. Idem etiam Adonias vocatur.

IOATH.

Hic erat ex terra Samariæ. Percussit eum Leo & mortuus est, ac sepultus in Bethel, iuxta Pseudoprophetam, à quo fuerat seductus.

AZARIAS.

Hic ex terra Synatha erat, & auertit ex Israël captiuitatẽ Iudæ. Mortuus est ac sepultus in agro suo. Iephthe verò, & Dauid & Samuel, quisque in sua ipsius ciuitate mortuus ac sepultus est.

DE XII. APOSTOLIS.

SIMON PETRVS.

Petrus Apostolorũ Coryphæus vbi prædicauerit. Genus mortis eius.

PRimus est Simon Petrus Apostolorum Coryphæus. Hic vt Epistolis suis innuere videtur, Euangelium Domini Iesu Christi in Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithynia, & tandem Romæ prædicauit, vbi & postea sub Nerone rege, capite ad terram verso (nam ad hunc modum ipse pati volebat) tertio Calendas Iulij crucifixus, ibique sepultus est.

ANDREAS.

Andreas frater Petri crucifixus est Ac... post multos labores.

Andreas frater Simonis Petri, sicuti maiores nostri tradiderunt, Scythis, & Sogdianis & Sacis, ... in Sebastopoli interiore, vbi Æthiopes agrestes habitant Euangelium Domini Iesu Christi prædicauit. Sepultus est autem Patris ciuitate Achaiæ, crucifixus ab Ægea Rege Edessenorum.

IACOBVS ZEBEDAEI.

Iacobus Zebedæi filius à quo sit occisus.

Iacobus, filius Zebedæi, piscator, 12. tribubus in dispersione constitutis, Euangelium Domini Iesu Christi prædicauit. Occisus est autem gladio ab Herode Iudæorum tetrarcha, in Iudæa, vbi & sepultus est.

IOANNES.

Ioannis fratris Iacobi scripta, prædicationes, exilia & sepultura.

Ioannes frater Iacobi, qui & Euangelista Domini factus est, quem Dominus dilexit, Euangelium Domini Iesu Christi in Asia prædicauit. A Traiano vero in insulam Pathmon propter verbum Domini, exilio damnatus est: vbi etiam sanctum Euangelium suum conscripsit, quod postea Ephesi per Gaium hospitem suum ac diaconum ædidit, cuius & Paulus Apostolus Romanis scribens testimonium dedit dicens, Salutat vos Gaius hospes meus & totius Ecclesiæ. Post mortem verò Traiani reuersus est ex insula Pathmo, mansitque Ephesi, ac vixit annos 120. Quibus finitis seipsum ibi viuus adhuc, volente Domino, sepeliuit. Sunt tamen qui dicunt eum non sub Traiano in insulam Pathmon relegatum esse, sed sub Domitiano Vespasiani filio.

PHILIPPVS.

Philippus à ciuitate Bethsaida, in Phrygia quidem Euangelium Domini prædicauit, Hierapoli vero cum filiabus suis honorificè sepultus est. §

BARTHOLOMAEVS.

Bartholomæus Euãgeliũ Matthæi Indis prædicauit.

Bartholomæus Indis quos Fœlices nominant, Euangelium Domini nostri Iesu Christi prædicauit, & Matthæi Euangelium illis tradidit. Obdormiuit autem & sepultus est in Albania, magnæ Armeniæ ciuitate.

THOMAS.

Thomæ, multis in prædicando Iesu ... vigiliis obit.

Thomas, quemadmodum traditum habet, Parthis, Medis, ac Persis Euangelium Domini nostri Iesu Christi prædicauit. Prædicauit etiam Germanis, Hircanis, Bactris & Dacis. Obdormiuit autem Calamine ciuitate Indiæ, Calamo quem lanceam vocant occisus, vbi & honorificè sepultus est.

MATTHAEVS.

Quo idiomate Matthæus scripsit euãgelium, & cui tradidit.

Matthæus Euangelista, Euangelium Domini nostri Iesu Christi Hebraïca dialecto conscripsit, ac Iacobo fratri Domini secundum carnem, Hierosolymorum Episcopo, tradidit. Obiit autem Hierapoli Parthiæ, vbi & cum honore sepultus est.

§ Inepte Philippum Apostolum cum Philippo Diacono, cuius septem fuerunt filiæ, confundit, cum longe diuersos fuisse manifeste ex antiquis scriptoribus liqueat. Vide tom. 1. annal. Eccles. anno Domini 38 cap. 114.

F

SIMON ZELOTES.

Pro Christi nomine crucifixus est Simon.

A

Simon Zelotes peragrata Mauritania & Aphrorum regione, Christum prędicauit. Tandem in Britannia crucifixus, occisus ac sepultus est.

Istud de Britannia produnt quoque Nicephorus & Græci in Menologio: sed cæterum minimum authoritate certum est, & Rom. breuiarium in Perside occubuisse Simonem indicat. Vide notas ad Rom. Martyrologium 28. Oct. & tom. 1. annal. Eccles. anno Christi 44. cap. 38.

IVDAS IACOBI.

Iudas Iacobi, qui & Thaddæus, item Lebbæus, Edessenis & vniuersæ Mesopotamiæ Euangelium Domini prædicauit. Sub Augaro verò Edessenorum Rege in Beryto occisus, & cum honore sepultus est.

SIMON IVDAS.

B

Imperitè commiscet Simeonem Episcopum Ierosolymitanum cum Simone Apostolo, & cum Iacobo Alphæi, cum tres diuersissimi fuerint. Consule notas ad Rom. Martyrologium 1. May. 18. February, & tom. 2. anno 109. cap. 1. & seqq.

Quo tempore, quóve loco occisus est Iudas.

Simon, Iudas cognominatus, qui & post Iacobum Hierosolymorum Episcop. factus est (arbitror eum esse Iacobum Alphæi) sub Traiano Rege cruci alligatus, occisus est in Ostracina ciuitate Ægypti Cæsareæ, cùm annos vixisset 102.

MATTHIAS.

Matthias ad Apostolatum vocatus, prædicauit Euangelium Anthropophagis.

Matthias cùm esset vnus ex 70. discipulis, postea vndecim Apostolis, duodecimus, loco Iudæ proditoris annumeratus est. Hic in interiore Æthiopia vbi Hyssus maris portus, & Phasis fluuius est, hominibus barbaris & carniuoris prædicauit Euangelium. Mortuus est autem in Sebastopoli, ibique prope templum Solis sepultus.

C

PAVLVS.

Pauli vocatio, scripta, labores, & mors.

Paulus post assumptionem Domini nostri Iesu Christi ab ipso vocatus, & Apostolorum catalogo accersitus, à Hierusalem Euangelij prædicationem exorsus ad Illyricum vsque ad Italiam & Hispanias prædicando progressus est. Huius Epistolæ omni sapientia refertæ circumferuntur. Sub Nerone verò martyrium Romæ tertio Calendas Iulij, capite plexus, tulit, ibique quemadmodum & Petrus Apostolorum primus, sepultus est.

MARCVS EVANGELISTA.

Marc⁹ post lõgam prædicationem variásque ærumnas cõburitur. † nunciorũ. Cuius authoritate scripsit Lucas Euãgeliũ, leĉtinque acta Apostolorum, deinde vbi mortuus.

D

Marcus Euangelista, & primus Alexandriæ Episcopus, Alexandrinis & cunctæ finitimæ regioni Euangelium Domini, ab Ægypto Pentapolim vsque prædicauit. Sub Traiani verò regno, in Alexandria, rudenti collo iniecta, à loco qui Bucolus dicitur, vsque ad eum qui † Angelorum dicitur, tractus, ibique igni ab insanis simulachrorum cultoribus, mense Aprili combustus, & in Bucolo sepultus est.

LVCAS.

Lucas Euangelista Antiochenus natiuitate, arte verò medicus, Euangelium commissione Petri Apostoli, Acta verò Apostolorum committente Paulo conscripsit. Peregrinationis enim comes fuit Apostolis, maximè Paulo. Huius & Paulus mentionem fecit alicubi scribens: Salutat vos Lucas medicus dilectus in Domino. Ephesi verò mortuus ac sepultus est, ac tandem vnà cum Andrea & Timotheo Apostolis, temporibus Constantij Regis filij Constantini magni Constantinopolim translatus.

E

DE SEPTVAGINTA DISCIPVLIS.

Cautè legendus hic Dorothei libellus de 72. Christi discipulis, nam complura continet a veritate historica aliena, & author quoscunque nominatos in Epistolis Pauli, eos in numerum 72. discipulorum absque alio maiore delectu infersit. Et quod magis ridiculum, quam quia Paulus Philip. 4. ait Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de domo Cæsaris sunt, Cæsarem inter Christi 72. discipulos cooptare, & Dyrrachij eum episcopum facere, cum constans omnium Patrum sententia iubeat Christianos, qui in domo Neronis Imperatoris erant? Omitto notare alia. Vide Tom. 1. annal. Eccles. anno Christi 33. cap. 40. & Possenini sacrum apparatum.

A

IACOBVS FRATER DOMINI.

Iacob⁹ frater Domini lapidibus obruitur.

Iacobus frater Domini secundum carnem, qui & Iustus vocatur, & primus Hierosolymorum Episcop. constitutus est, lapidibus ibi à Iudæis adobrutus occubuit, atque in templo prope altare sepultus est.

TIMOTHEVS.

Timotheus Pauli discipulus multis in locis prædicat.

Timotheus Ephesiorum Episcop. à Paulo constitutus, Euangelium Domini Iesu Christi Ephesi exorsus, Illyricum vsque, & in vniuersa Hellade prædicauit, vbi & mortuus & honorificè sepultus est.

TITVS.

Titus apud Cretenses moritur.

Titus Cretensium Episcopus, ipse Cretæ & circumiacentibus insulis Euangelium Christi prædicauit, atque ibi mortuus & cum gloria sepultus est,

BARNABAS.

B

Barnabas cum Paulo prædicat Euãgelium.

Barnabas, cum Paulo verbi minister constitutus, primus Romæ Christum prædicauit, & postea Mediolanensium Episcopus factus est.

ANANIAS.

Ananias, qui beatum Paulum baptizauit, Damascenorum Episcopus fuit.

STEPHANVS.

Stephanus primus martyr, vnus ex septem Diaconis, Hierosolymis à Iudæis lapidatus, sicut Lucas in Actis Apostolorum testatur, mortuus est.

PHILIPPVS.

Philippus, qui & ipse vnus ex septem Diaconis fuit, Simonem Magum, & Eunuchum baptizauit, & in Tra- Act. 8.
selli Ciuitate Asiæ Episcopus factus est.

C

PROCHORVS.

Prochorus, vnus ex septem, Nicomediæ ciuitate Bithiniæ, Episcopus fuit.

NICANOR.

Nicanor, & ipse vnus ex septem, eodem die cum syndiacono suo ac protomartyre Stephano, & 2000. aliis in Christum sperantibus, mortuus est.

SIMON.

Simõ, ex septem diaconis & ipse vnus, Bostri Arabum Episcopus factus, à Gentibus combustus est.

NICOLAVS.

Nicolaus, vnus ex septem fuit. Hic cùm esset Sapriæ Episcopus factus, in alienam doctrinam lapsus, vnà cum Simone à fide defecit.

D

PARMENAS.

Parmenas ex septem diaconis vnus fuit. Hic in ipso Apostolorum conspectu diaconi officio fungens, mortuus est.

CLEOPHAS.

Cleophas, qui & Simon, consobrinus Domini fuit. Hic cùm vnà cum Luca proficisceretur, Dominum post resurrectionem ex mortuis vidit, cúmque illo loquutus est, quemadmodum in Euangelio scribitur. Tandem al- Luc. 24.
ter Hierosolymorum Episcopus factus est.

SILAS.

Silas verbi cum Paulo minister, Corinthiorum constitutus est Episcopus.

SYLVANVS.

Syluanus, qui & ipse cum Paulo, verbo seruiuit: Thes- 2. Tim. 4.
salonicensium factus est Episcopus.

CRESCENS.

Crescens, cuius Apostolus Paulus in posteriore ad Timotheum meminit, Chalcedone, quæ in Gallia est, factus Episcopus, Euangelium Christi prædicauit, & sub Traiano Rege martyrium ibidem subiit ac sepultus est.

EPAENETVS.

Epænetus, cuius Apostolus in Epistola ad Romanos mentionem facit, Episcopus Carthaginensis factus est. Rom. 16.

ANDRONICVS.

Andronicus, cuius etiam Apostolus in ea quæ ad Romanos est, recordatur: Pannoniæ factus est Episcopus.

AMPLIAS.

Amplias, de quo meminit etiam Apostolus ad Romanos, Episcopus Odissæ ciuitatis factus est.

VRBANVS.

Rom. 16. Vrbanus, cuius recordatur Apostolus ad Romanos, Macedoniæ factus est Episcopus.

STACHYS.

Ibidem. Stachys, qui & ipse ab Apostolo ad Rom. commemoratur, primus Byzantij episcopus ab Andrea Apostolo Argyropoli Thraciæ constitutus est.

APPELLES.

Rom. 16. Appelles, cuius etiam mentionem Apostolus ad Rom. facit, Episcopus Smyrnæ ante sanctum Polycarpum factus est.

ARISTOBVLVS.

Aristobulus & ipse ab Apostolo ad Romanos commemoratus, Episcopus Britanniæ factus est.

NARCISSVS.

Ibidem. Nareissus, quem etiam ad Romanos commemorat Apostolus, Episcopus Patrarum constitutus est.

HERODION.

Herodion, cuius Apostolus eadem Epistola meminit, & ipse Patrarum Episcopus factus est.

RVFVS.

Ibidem. RVFVS, quem & ipsum Apostolus cum aliis eadem Epistola recenset, Thebarum Episcopus factus est.

ASYNCRITVS.

Asyncritus, & ipse ab Apostolo ad Romanos recensitus, Hircaniæ factus est Episcopus.

PHLEGON.

Ibidem. Phlegon, cuius etiam eadem Epistola meminit Apostolus, Episcopus Marathonensis constitutus est.

HERMES.

Hermes, quem idem Apostolus ad Romanos commemorat, Dalmatiæ episcopatum sortitus est.

HERMAS.

Hermas, eadem ab Apostolo recensitus Epistola, Philippis ciuitatis factus est Episcopus.

PATROBAS.

Ibidem. Cuius etiam meminit Apostolus, Episcopus Neapolit. constitutus est.

AGABVS.

Act. 21. Agabus, cuius in Actis Apostolorum fit mentio, prophetico charismate præditus fuit.

LINVS.

Et huius meminit Apostolus. Primus post Petrum Coryphæum Apostolorum, Romæ fuit Episcopus.

GAIVS.

Rom. 16. Meminit etiam huius Apostolus. Ephesiorum Episcopus post Timotheum factus est.

PHILOLOGVS.

Recordatur & huius Apostolus. Episcopus Sinopæ ab Andrea constitutus est.

OLYMPAS.

Mentionem etiam istius alicubi facit Apostolus, Romæ cum Petro Apostolorum Corypheo martyrium capite truncatus subiit.

RHODION.

Et hic à Paulo commemoratus, Romæ cum Petro & Olympa, capite & ipse truncatus mortuus est.

IASON.

Rom. 16. Huius quoque meminit Paulus, Tharsi factus est Episcopus.

SOSIPATER.

Meminit & huius Apostolus, Iconij factus est Episcopus.

LVCIVS.

Iste, cuius etiam recordatur Paulus, Laodiceæ Syriæ Episcopus constitutus est.

TERTIVS.

Hic, qui & Epistolam Pauli ad Rom. scripsit, alter factus est Episcopus Iconij.

ERASTVS.

A Mentionem etiam istius in ea quæ ad Romanos est, Paulus facit. Hierosolymitanæ Ecclesiæ œconomus fuit. Postea Paneadis Episcopatum sortitus est. Ibidem.

PHIGELLVS.

Meminit & huius Paulus, sed tanquam qui alienam doctrinam amplexus, & Simonem sequutus sit. Episcopus Ephesiorum fuit.

HERMOGENES.

Et de isto mentionem facit Paulus, scribens, quòd alienum dogma inuexerit. Megarensium factus est Episcopus. Ibidem.

DEMAS.

De isto quoque similiter Paulus scribit, quòd defecerit. Nam de his tribus in Posteriore ad Timotheum B significat, quòd Phigellus & Hermogenes alieno inducto dogmate, doctrinæ suæ sestiterint: Demas verò, præsens hoc seculum amore complexus, sermonem Euangelicum reliquerit. Is & postea simulachrorum sacerdos Thessalonicæ factus est. De his & Ioannes Apostolus scripsit: Exierunt, inquit, ex nobis, sed non erant ex nobis.

QVARTVS.

Recordatur & huius Paulus in ea quæ ad Romanos. Beryti factus est Episcopus.

APOLLOS.

Huius recordatur Paulus in priore ad Corinth. Cæsareæ factus est Episcopus.

CEPHAS.

Hunc Apostolus Paulus, Antiochiæ redarguit: eius- C dem cognominis cum Petro Episcopus Coniæ factus est.

SOSTHENES.

Meminit & huius Paulus. Colophoniadis Episcopus factus est.

EPAPHRODITVS.

De hoc quoque meminit Paulus. Adrianæ Episcopus fuit.

CAESAR.

Et huius recordatur Paulus. Dyrrachij fuit Episcopus.

MARCVS.

Hic consobrinus Barnabæ fuit, cuius etiam Paulus mentionem facit. Episcopus Apolloniadis fuit.

IOSEPH.

D Ioseph, qui & iustus dicitur, & Barsabas, cuius Lucas in Actis Apostol. meminit, quòd in sorte cum Matthia coniunctus fuerit. Eleutheropolis Episcop. factus est. Act. 1. & 4.

ARTEMAS.

Recordatur huius quoque Paulus. Lystris Episcop. fuit.

CLEMENS.

Meminit huius Paulus dicens: cum Clemente ac reliquis cooperatus meis. Primus ex Gentibus & Græcis in Christum credidit. Sardicæ, quæ nunc est Triaditza, factus est Episcopus. Philip. 4.

ONESEPHORVS.

Et de isto mentionem facit Paulus. Episcopos Coroniæ factus est.

E

TYCHICVS.

Meminit & huius Paulus. Primus Episcopus Chalcedonæ fuit, quæ in Bithynia est.

CARPVS.

Et huius recordatur Paulus. Berhœæ quæ in Thracia est, Episcopus fuit.

EVODVS.

Meminit etiam huius Paulus. Primus post Petrum Apostolum Coryphæum, Antiochiæ Episcopus fuit.

PHILEMON.

Ad hunc Paulus peculiarem Epistolam scripsit. Gazæ factus est Episcopus

ZENAS.

Zenas legis-peritus, qui & ipse à Paulo commemo-

ratur, Dioſpoli factus eſt Epiſcopus.

AQVILA.

Rom. 16. 1. Co. 16. 2. Tim. 4. Huius quoque meminit Paulus. Heracliæ fuit Epiſcopus.

PRISCAS.

Recordatur etiam huius Paulus. Colophonæ Epiſcopus fuit.

SVNIAS.

Etiam huius mentionem facit. Paulus Apamiæ Syriæ factus eſt Epiſcopus.

MARCVS.

MARCVS qui & Ioãnes vocatus eſt, cuius Lucas in Actis Apoſtolorum recordatur, Bybli fuit Epiſcopus.

ARISTARCHON.

Etiam iſtius meminit Paulus.

PVOAS.

Et huius recordatur Paulus.

A

TROPHIMVS.

2. Tim 4. MENTIONEM Paulus & iſtius facit. Hi tres in quibus ſuis perſecutionibus, afflictionum Pauli conſortes fuerunt. Poſtremò per martyrium vnà cum ipſo, ſub Nerone capitibus truncatis occubuerunt.

Act. 8. ISris Marcus & Lucas Euangeliſtę connumerantur, & ipſi ad catalogum ſeptuaginta diſcipulorum pertinentes. Sed & Eunuchus Candaces Reginæ Æthiopum in Arabia Felici, & inſula Taprobana, inque vniuerſa Erythra, Euangelium Domini Ieſu Chriſti prædicauit, fertur etiam martyrium glorioſè tuliſſe, ibique ſepultus eſſe. Et cœmeterium ipſius, munimentum inſuperabile eſt fidelibus, barbaros ſceleſtos fugans, morbos pellens, & ſanationes operans vſque in hodiernum diem.

B

SOPHRONII PATRIARCHÆ HIEROSOLYMITANI, DE LABORIBVS, CERTAMINIBVS, ET PEREGRINATIONIBVS SS. PETRI ET PAVLI.

PEtrus genere fuit Hebræus, habitabat in Galilæa regione Paleſtinæ, patria eius Berſaïda. Simeonem Iuſtum qui Chriſtum in vlnis tenuit, compatriotam habuit. Pater Petri Ionas, fuit temporibus Hircani, qui aures ſuas cum regno (id actitante Fratre) amiſit. Frater Petri, Andreas. Cepitque vxorem Petrus, Filiam Ariſtoboli, Fratris beati Barnabæ Apoſtoli, ex qua ſuſcepit filium & filiam. Andreas cœlibem ducens vitam, Præcurſoris Domini factus eſt diſcipulus. Petrus negotiis intendebat, vt qui vxori familiæ, & Patris ſenio prouidebat. A Chriſto, † Petrus ob mentis firmitudinem appellatur: † ſuper fluctus maris tanquam incorporeus ambulat: † Transfigurationis Domini inſpector, vocem primam audit: † non exſperati contra peccatores eruditur, † illique mundi procuratio committitur, † & traduntur cœleſtium theſaurorum claues. Super cœtum Apoſtolorum conſtitutus eſt: Matthiam ſufficit in Apoſtolatum. Non ſolùm miraculorum magnitudine, ſed & verborum efficacia, auditores, vxorem habens, ad fidem Chriſti rapiebat: conſtituitque 10000. virorum Eccleſiam. Ananiam & vxorem ſola increpatione proſternit. In Lidda Æneam paralyticum ſanat. In Ioppe Dorcada ſuſcitat.

Ioſeph. D. Andreas cœlibe. †Matth. 16. Marc. 3. †Matt 14. †Matt. 17. Marc. 9. Luc. 9. †Matt. 18. Luc. 19. †Ioan. 21. †Matt. 16. Act. 1. Act. 5.

In Cæſarea Cornelium Centurionem cum ſua tota familia ad Chriſtum vocat, baptizat, Spiritu ſancto implet. Lintheum videt, vt portam fidei, per reuelationem, gentibus aperiat. Ab Herode Agrippa duabus cathenis vinctus, & traditus quaternionibus militum, carceri mancipatus, ſoluitur ab Angelo. Occaſione perfidiæ Simonis magi. Syriam diſcurrit, adhuc autem & Pontum, Aſiam & Galatiam, & vbique ſeminando verbum vitæ, Romam peruenit. Sidonæ, Berythi, Bibli, Epiſcopos ex his qui eum comitabantur, duos ordinauit: apud Tripolim Phœniciæ, Marcum hoſpitem ſuum Antiochiæ, Antaradi, Acadi, Balneis, & Pelcæ, Gazaræ & Laodiciæ: Marianum in Siracuſa Siciliæ, Brancatium Tauromenij: Thianum Cappadociæ, Ancyræ, Galatiæ, vbi & ſuſcitat mortuum, in Ponto, Sinope, Myſtico Helleſpontis, Canitæ Paphlagonum, Claudiopoli, Honoriadis, Nicomediæ, Bithyniæ, Niceæ: & ex prima profectione ſua in Cæſaream per Cappadociam & Syriam

D (tertio iam anno vocationis elapſo) redit Hieroſolymam. Deinde rurſum per Antiochiam & Nicomediam, VBI PROCHORVM PRAEFECIT IN EPISCOPVM: tum demum Romam peruenit, ibique cum Paulo Apoſtolo, 30. Neronis anno paſſus eſt: Vide Tertullianum in libro vbi ait, mortis Petri & Pauli mentionem in Annalibus haberi.

Act. 10. D. Petrus Romæ paſſus.

HISTORIA PROCHORI, CHRITI DISCIPVLI, DE VITA, MIRACVLIS, ET ASSVMPTIONE B. IOANNIS APOSTOLI.

PRochorus, vnus è ſeptem Diaconis, quos Lucas in Actibus refert ab Apoſtolis electos, laborum D. Ioannis factus ſocius, miraculorúmque multorum miniſter, & teſtis omnium, hiſtoriam ſcripſit de vita & miraculis B. Ioannis Apoſtoli magiſtri, cui eidem fuit vice notary & amanuenſis, vt ipſe teſtatur cap. 46. Sed in ſcribendo duntaxat Euangelio: nam Apocalypſim ſicuti ex eodem capite patet B. Ioannes propria manu exarauit. Confirmat vtramque ſententiam Sixtus Senenſis, atque Simon Metaphraſtes in vita Ioannis his verbis: Ioannes vnum quendam è ſeptem diaconis ſe ſequi iubet. Prochorus hic erat & montis verticem capeſcit, & more Samuelis rectus erigitur, & ſicut Moſes manibus eleuatis effiguratur, & mentem à ſenſibus abſtrahit, tunc horrenda tonitrua, terrores, & fulgura ac his ſimilia quæ antea Moſi legem recipienti contingerant, facta ſunt. Ad extremum tonitrua in vocem exprimuntur, & dilucidè reſonant, In principio erat verbum, &c. quæ Prochorus, qui priùs quidem, velut exanimis præ timore ceciderat, repreſſo paululum metu, ſub tremula manu ex ore & voce Ioannis Theologi, qua ipſum erat tonitru, verba eius cœpit ſcribere, ſic proſequens donec totum compleret Euangelium. Cæterum Athanaſius in Synopſi, neſcio quibus lectus Ioannis Euangelium Epheſi à Gaico ſcriptum exiſtimauit. Hunc verò Prochorum à D. Petro relictum Antiochenorum & Nicomedienſium Epiſcopum teſtatur Sophronius patriarcha Hieroſolymitanus lib. de Laboribus, & Peregrinationibus Petri & Pauli Apoſtolorum.

Hæc hiſtoria de vita S. Ioannis Apoſtoli falſo adſcribitur S. Prochoro Diacono de ſeptem primis, & Chriſti diſcipulo: eſt enim apocrypha, fabuloſa, & prorſus indigna, quod legantur.

De Sortitione Apostolorum & naufragio B. Ioannis.

CAP. I.



FACTUM est autem post assumptionem Domini nostri Iesu Christi Filij Dei viui in cœlum, vt congregarêtur discipuli in Gethsemani, quibus dixit Petrus, Notum vobis est Fratres quomodo Dominus noster mandatum nobis relinquês præcepit ire in vniuersum mundum prædicare Euangelium omni creatu-

Math. 28.

ræ, & baptizare in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: & cùm nos nihil aliud desideremus quàm quod nobis à Domino præceptum est, adimplere promptè: ergo Fratres charissimi per gratiam Trinitatis impendamus nosmetipsos in opus nobis à Domino mandatum,

Trinitas.

quia dixit is, ego mitto vos sicut oues inter lupos: estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.

Math. 10.

Notum vobis est Fratres, quòd serpens si quis voluerit occidere, totum corpus suum tradit, caput tamen suum abscondit: ita & nos Fratres similiter mortem accipiamus, & Christum Dominum, qui est caput nostrum, nô negemus. Similiter autem & columbæ cùm filiis priuâtur, non dolent, & Dominum suum nesciunt abnegare. Scitis quia dixit nobis Dominus & magister, quoniam si me persecuti sunt, & vos persequentur. Quare

Ioan. 15.

Fratres, multæ tribulationes nos manent, sed sunt reposita bona his qui tribulationem patientur propter nomen sanctum eius. Respondens autem Iacobus frater Domini dixit: benè Petre, super his pollicitus est: nam & tempus est, vt hæc impleantur: scitis tamen fratres mei, mihi à Domino dictum esse vt Hierosolymis remaneam. Et respondens Petrus dixit, scimus omnes, hæc loca tuæ dispensationi esse commissa: & non licere ab Hierosolyma discedere: Miserunt ergo Apostoli sortes, & venit Asia in sortem Ioannis, qui grauiter ferens ingemuit, & cum lachrymis se ad pedes fratrum pronus misit in terram. Et Petrus dextera manu eum apprehendens, de terra erexit, & dixit: nos omnes te veneramur tanquam primum, habemus patientiam tuam exemplar & adhortationem omnium nostrûm: quid igitur fecisti Frater, & turbasti corda nostra? Respondens Ioannes Petro dixit: Ignosce mihi Pater, quia turbatus sum vehementer hora hac, quia cùm cecidisset Asia in sorte mea, grauiter id animo tuli, vt mors etiam mihi muneris loco censeatur, si quando contingat me in mari periclitari: neque memor fui

Sortiuntur Apostoli prouincias Niceph. l. 4. cap. 1.

verbi Domini mei qui dilexit me, qui dixit, quia capillus capitis vestri non peribit: Sed nunc Fratres, ignoscite, & orate pro me, vt Deus & Dominus meus indulgeat mihi hoc. Nam amodò paratus sum ire quocunque eius bona voluntas & bene placitum fuerit. Et surgentes steterunt vniuersi ad Orientem, rogantes Iacobum fratrem Domini, vt orationem faceret, cum quo pariter orauerunt vniuersi. Deinde missi sunt Apostoli quisque in sortem propriam. Et missus est aliquis de septuaginta duobus discipulis Domini in ministerio cum quolibet Apostolorum. Ego autem Prochorus sortitus sum ministerium cum Ioanne Apostolo. Descendentibus ergo nobis ab Hierosolymis in Ioppen, ibi & mansimus tribus diebus in domo viduæ regionis Tabithæ: Cùm autem venisset nauis ab Ægypto, quæ ibi exonerata volebat transire in partes occiduas, ascendimus vt nauigaremus in Asiam. Cùm autem fuissemus in imo nauis, cœpit Ioannes mœstus esse, & dixit ad me: Fili mi Prochore, multæ tribulationes, & multa maris pericula super nos ventura sunt, & de morte aut vita mea nihil mihi à Domino reuelatum est, vos tamen de maris periculo liberamini, neque peribit vnus ex vobis. Cùm ergo fili mi, saluus de maris periculo euaseris, vade in Asiam: ingrediens Ephesum, expecta illic per tres menses aduen-

Math. 10. Luc. 12.

Discipuli dati sunt comites Apostolorum.

Bibl. tom. 7.

A tum meum, & si infra id tempus me Deus aduenire voluerit, erit incumbendum ministerio nobis commisso, vt illud impleamus: si autem præterierit tempus, & non venero, reuertens fili mi, Hierosolymam ad Iacobum Fratrem Domini, fac quicquid mandauerit tibi. Hæc cùm ad me dixisset Ioannes magister meus circa horam fere vndecimam, eleuata tempestas nauem illisit, & confracta naue mansimus in ipso naufragij periculo ab vndecima diei hora vsque ad tertiam noctis custodiam, qua quisque amplectens de naui quod poterat, aut remum aut fragmentum, vt natans euaderet, per Dei misericordiam impetu maris circa horam diei sextam in partes Seleuciæ, excepto Ioan. eiecti sumus omnes pariter ad stadia quinque. Eramus ergo omnes animæ quadraginta duæ. Cùm ergo eiecti fuissemus à mari, per longum tempus iacuimus vt exanimes præ nimio B frigore & metu, & fatigatione: deinde reuertentes intrauimus Seleuciam, & omnibus rebus naufragio perditis, non habentes quid manducaremus, quæsiuimus panem, & accipientes manducauimus: & illi qui mecum eiecti fuerunt ad littus, insurrexerunt in me, mihi comminantes & dicentes, quis vir hic est qui tecum erat? magus enim est, maleficiis suis vt substantiam nostram tolleret & abiret, nauem perire fecit: & tu socius eius similis illi magus. aut ergo restitue nobis maleficum illum, aut non sinemus te ab hac ciuitate abire liberum: nam vir dignus morte es tu; prode nobis vbi sit maleficus ille, ecce enim qui in naui eramus, hic sumus omnes, ille verò solus non comparet, & commouerunt contra me ciuitatem, idipsum illis persuadentes. Com- C prehendentes igitur me miserunt in carcerem: & die sequenti exhibuerunt me Præsidi ciuitatis, qui asperè me alloquens dixit: vnde es tu, & cuius religionis, quo ministerio viuis, & quod tibi nomen? Dic nobis hæc omnia priusquam te tormentis conficiamus. Cui respondi, de terra sum Hebræorum, religione Christianus, nomine autem Prochorus, naufragio huc eiectus sum, & accusatores mei. Præses ait: quomodo igitur salui & reduces omnes estis, & solus socius tuus non comparet? certum est, vt isti testantur, vos esse magos, & vos in mari hoc maleficium fecisse: & vt nemo suspicetur, & vobis maleficium non imputetur, tu solus cum nautis inuentus es: ac tuus socius substantiam rerum suarum tulit, & abiit: aut fortè quia malefici estis, D multorum sanguinis rei, diuino actum est iudicio vt socius tuus perierit, tu verò è duobus solus saluus euaseris, vt malè in hac ciuitate perires: dic igitur, ne cuncteris, an socius tuus perierit an periculum euaserit? Ego verò cum fletu respondi de eo quod interrogas, tibi respondebo id quod sciam. Et imprimis, vt de me loquar, non magus sum, sed Christianus, & Christi discipulus: præcepit autem Christus Dominus discipulis suis antequam in cœlum ascenderet, dicens: Ite in mundum vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, & baptizate omnes gentes quæ voluerint credere &c. Post verò ascensionem eius in cœlum, Apostoli eius congregati in vno loco, sortes miserunt inter se quam regionem sortiretur vnusquisque eorum ad prædicandum, vt illuc proficisceretur, & præ- E dicaret. Et cùm sors Asiæ cessisset Ioanni magistro meo, qui nobiscum erat in naui, grauiter tulit in animo, & quia tunc recusauit quod Spiritui sancto placuisset, reuelatum illi est, quia peccauerat, quòd maris tempestatem pateretur, & cùm ingressi fuissemus nauem, quæcunque passuri eramus mihi in veritate prædixit, præcepitque, vt cùm Ephesi essem, illum ad tertium mensem expectarem, quoniam si diutiùs esset superstes in terra, ad illum terminum comprehenderet, vt ipse ministerium à Domino sibi commissum adimpleret: quod si infra id tempus non compareret, præcepit, vt in propriam terram reuerterer. Non igitur magister meus magus est, sed ipse electus est, repletus à Domino, fidelissimus veritatis annuntiator,

B. Ioannis naufragium.

Prochorus.

Marc 16.

Scabarius.

in fide Iesu Christi firmissimus. Et cùm me audiuisset Selemnis quidam qui venerat ab Antiochia, hæc verba in simplicitate loquentem, rogauit vt me abire sinerent, & permiserunt. Et exiēs à Seleucia, post quadraginta dies veni in Asiam, in pagum quendam qui erat in littore maris: & fortè fossam reperiens, in ipsam ingressus ad post multas tribulationes quiescendum, & occulius primò cum apparuissem, vidi grandem procellam, quæ eiecit virum in littore maris; & ego festinando surgens multum compatiebar ei, vt qui maris pericula priùs expertus eram, & cucurri vt illum adiuuarem, nondum enim sciebam esse Ionnem: & appropinquans apprehendi manum eius, & eresi, & agnouit me, & ego tandem illum, & cùm multis lacrymis nos inuicem amplexi sumus, gratias Deo agentes, qui omnibus est misericors, & de omnibus periculis solus liberator potentissimus, & aliquantulum præ concepta lætitia tanquam muti mansimus, & Ioannes ad se reuersus, cœpit quæ B circa eum acciderant, narrare, & quo pacto ipsum semper Deo saluante, quadraginta diebus & quadraginta noctibus inter litus marisque fluctus agitatus ferebatur, & ego illi quæcunque passus fueram.

D. Ioannes & Prochorus præstant operam Balneatrici: hic infusoris; ille incensoris.

CAP. II.

POsteà verò de loco illo surreximus, & intrauimus pagum, vbi panem & aquam petentes manducauimus & bibimus, & suscepimus versus Ephesum agere iter. Et cùm ingressi fuissemus ciuitatem, stetimus in C foro Dianæ, vbi balneum erat principis loci illius: & suscepimus viam versus quendam, cuius nomen erat Dioscorides. Et instruebat me Ioannes dicens, Fili Prochore, nemo huius ciuitatis per te sciat, cur huc venerimus, neque qui sumus, donec Deus suam nobis voluntatem reuelauerit, & quid acturi simus: tantummodo habeamus in Christo Domino nostro fiduciam. Cùm itaque ad me loqueretur, ecce mulier quædam Romana, Romeca nomine, robusta corpore, cui traditum fuerat balneum, & ipsa sterilis, quæ viribus corporis confisa vehementer verberibus & plagis affligere solebat eos quos ad opus balnearum seruos conduxerat, vt nemo mercenariorum molestias eius proferre valeret. Hæc ergo de balneo egressa, vt D vidit nos solitariè sedentes, & facie demissos, arbitrata est nos homines despectos & necessariorum vitæ egenos, sibique fore viles & gratis seruituros, & dixit ad Ioannem, vnde es tu homo? qui dixit, alienigena sum: quæ dixit, de qua terra? qui respondit: De Iudæa: Tunc illa; quam religionem sequeris? Dixit, Christianus sum: illa vero dixit, quomodo huc aduenisti? Respondit, Naufragium passus, sicut Deo placitum est, tandem ex naufragio huc adueni; vis, inquit, ergo mihi seruire, & mihi ad balneum fornacem accendere, & ego tibi tradam quæ tuo corpori erunt necessaria? qui dixit, se velle, & illa me assumens dixit, noster Frater es. Et Romeca: & iste, inquit, mihi necessarius est ad fundendam aquam; & introduxit nos in balnea, & instituit Ioannem fornacis incensorem, E & me aquæ infusorem: & dabat nobis per dies singulos, panis vncias tres: & per annum, quod corpori necessarium esset, promittebat. Quarto autem die postquam ingressi sumus, stabat Ioannes magister meus in fornace, non satis rectè opus camini implens: & intrans Romeca cœpit eum vehementer vrgere & pulsare eum asperis conuiciis; postmodum minùs intentans, vt meliùs perageret opus, egressa est. Et ego Prochorus ex loco in quo aquam ministrabam, audiui vniuersa quæ locuta est Romeca, & quo pacto pulsasset, & inhumanè tractasset magistrum meum, & in animo fui vehementer commotus: tacui tamen, neque vllum locutus sum verbum, sed magister meus

Balneatrix imperiosa.

D. Ioannes & Prochorus præstāt operā Balneatori.

A vt per spiritum agnouit me esse tristem propter ipsum, dixit mihi: fili mi Prochore, quia cùm Asia mihi forte cessit, animus hæsit, & grauiter tuli: maris naufragium sum perpessus, & non ego solus, sed tu & illi mea causa, qui vnà mecum eratis: & fui per quadraginta dies, sæua maris violentia circundatus, donec Deus & Dominus & magister meus, in quem peccaui, me voluit in terram vocare: & tu turbatus in paucis conuiciis vnius mulieris, vanis tentationibus agitaris? Ambula in iniuncto tibi munere, & illud exequere diligenter. Nam Dominus noster Iesus Christus, creator omnium, alapis cæsus est, & flagellatus est à creatura sua, & nobis pius magister factus est patientiæ exemplum, vt nos simus in similibus passionibus prompti & tolerantes: insuper hæc omnia nobis, cùm dixit, In B patientia vestra possidebitis animas vestras. Et cùm hæc dixisset Ioannes, perrexi ad opus, ad quod me ordinauerat Romeca. Et illa iterum ingressa quærebat quid necessarium esset corporibus nostris. Et Ioannes; quod necessarium est corporibus nostris satis habemus, & in opere nobis commisso diligenter intendimus: quomodo ergo, inquit illa, vos incusant omnes vt inutiles seruitores? Cui Ioannes, quia nusquam hoc opus tractauimus, & ideo nobis difficile est, omnia, vt decet, à principio perficere: sed si nos perseuerauerimus, artifices euademus. Habent enim artes omnes è principio, non omnia rectè & sine errore perficere. Et his dictis, egressa est mulier. Diabolus autem ab initio bonis inuidens, se transformauit in similitudinem mulieris: & introiens, verberibus & plagis & C asperioribus conuitiis cœpit Ioannem lacessere, dicens: ministrum te huius operis constitueram, & omnia perdidisti, non valeo te vlteriùs sustinere: accende magis magísque caminum, vt ego te in medium dedam: & arripiens malignus ille, pallium quo tegebatur, Ioanni minas intendens dicebat, vitam tibi nunc adimam flagitiose, exi foras, non fero vt mihi amplius serias. Ioannes verò per spiritum agnoscens, quòd dæmon esset qui in illis habitabat terminis, inuocato nomine Iesu statim illum expulit. Porrò vno mane intrauit Romana, & dixit Ioanni iterum: de te multa dicunt, quòd non benè susceptum opus peragis, sed id eos agnosco dicere, vt te liberum abire sinam, & expellam: verùm non sic vltra potes à me exire. Nam si D abire voles, vnum de his membris quæ tibi magis necessaria sunt, vi auferam. Illis verò omnibus nihil contradixit Ioannes. Tunc verò muliar considerans patientiam viri, & ipsum adeò mansuetum & mitem, cœpit duriùs vrgere, & indignari, & dixit: non vt seruus meus, sed vt liber agis: quid ais? Nunquid confiteris tuam seruitutem? responde nunc mihi. Ioannes verò dixit: etiam serui tui sumus, ego incensor, & Prochorus infusor. Illo autem tempore, Romana amicitias habebat cuidam Causidico, ad quem profecta, dixit: quondam à parentibus meis mihi serui relicti fuerunt, qui profugi multis annis reperti sunt, verùm eorum emptionis chartas iam perdidi: ad me autem venerunt, possúmne emptionis chartas innouare? Cui dixit: si confiteri non abnuant, à parentibus tuis seruos se tibi relictos, potes illis præsentibus & dicentibus, serui tui sumus chartas innouare. Hæc autem Ioannes per spiritum cognoscens dixit ad me: fili Prochore, id agnosces: mulier cui seruiuius, per confessiones requirere vult à nobis, si serui sui sumus: quod si confiteamur nos seruos eius esse, paratos testes habet fide dignos, quos iam exquisiuit. Et nos per chirographum suæ seruituti adiciet, faciétque suos seruos. Noli ergo fili, super hac te contristari, sed gaude magis, quia digni sumus pro nomine Christi contumeliam pati. Et hæc loquente ad me Ioanne: ecce Romana venit, apprehendítque Ioannem per manum, & cœpit eum cædere, & dicere: serue fugitiue, cur cùm venit domina, non occurris, & dignam eam veneratione prosequeris? liber esse, fugitiue

Christ' patientiæ factus exemplum.

Dæmon minatur B. Ioanni incendium.

existimas, sed in seruitutem Dominæ tuæ restitutus es: & colaphis eum cædebat, vt timorem incuteret, & eius acquiesceret voluntati, & dicebat: Nónne respondebis mihi his, nónne es tu seruus meus? cui Ioannes, ecce iam dictum est tibi, quòd serui tui sumus, ego incensor & Prochorus aquæ infusor: dixit iterum Romana, cuius seruus es tu serue fugitiue? Cui Ioannes, cuius vis vt dicamus, quod serui sumus? quæ dixit: dicatis, serui tui sumus. Et Ioannes dixit: dictum est tibi iam à nobis, & adhuc per scriptum confitemur, quòd serui tui sumus. Volo, inquit illa, coram tribus testibus per confessiones vestras id mihi ratum fieri. Et Ioannes: Noli, inquit, moram facere, hodiè si iubes, quod dictum est faciemus. Illa ergo nos assumens abiit è regione templi Dianæ, & coram testibus petiit sibi scripta fieri secundum confessiones nostras, & singulos nostrûm in opus suum introduxit. At nunc de balneis ipsis dicamus.

D. Ioan. Dioscoridem & Theonem oppressos à dæmone suscitat: fugátque dæmonem.

CAP. XIX.

Cum primùm ponerentur, talis dæmonum illusio circa eos facta narratur; nam cùm fundamenta locarentur, dæmonis suggestu quidam venefici iuuenculam ventre prono adhuc viuentem supposuerunt, quæ & ibi mortua est, cœperúntque superædificare thermas illis persuasi eas faustioréśque ob iuuenculam: Sed longè aliter euenerat. Nam Diabolus in eo loco diuersabatur, & illa occasione ludificabat homines, & ter in anno aut iuuenem aut iuuenculam in illis balneis suffocabat. (Cacodæmõ balneis infestus.) Deinceps verò quidam Ephesinæ ciuitatis nomine Dioscorides, obseruatum tempus penes se habebat, quo tempore & quo die, id contingere soleret. Qui filium forma decorum vndevicesimum natum annum habebat, cui insidiabatur dæmon vt suffocaret, non obseruato solito tempore. Ego pariter ingressus cum ministris suis vas ministerij mei portabam. Verùm immundus dæmon repentinum impetum faciens eum illicò suffocauit, dimisítque mortuum, & famuli eius territi lugentes & plangentes exierunt dicentes, heu nos miseros, quid nos faciemus quia Dominus noster mortuus est? Cùm verò Romana hæc audisset, vittas capitis sui soluit, capillósque vellebat, & cum eiulatu maximo clamabat, Væ mihi miseræ, quid Domino meo Dioscoridi dictura sum? quid cùm audierit quia mortuus est filius eius qui illi erat vnicus? O magna Ephesiorum Diana adiuua nos: ostende super iuuenem mortuum virtutem tuam, nos omnes mulieres simúlque viri Ephesiorum confitemur, quia per te gubernantur omnia, & per te virtutes magnæ efficiuntur, nunc ausculta ancillæ tuæ, & restitue Domini mei serui tui filium, vt omnes qui sperant in te, cognoscant quia nouæ sunt virtutes super te, & redde nobis adolescentem istum, & statue patri suo viuum, & redime omnes gentes, quia tu es vera dea, & non es alius deorum te potentior. (Diana præses Ephesiorum.) Cúmque digitis capillos rumperet, & in eo luctu ab hora tertia ad nonam perduraret, de mortuo nulla consolatio apparebat, & plurima turba conueniebat, quæ partim iuuenem plangebat, partim Romanæ condolebat. Et cùm hæc agerentur, venit à ministerio suo ad me Ioannes. Prochore fili, inquit, quid de hac re dicitur? Sed cum Romana nos vidisset adinuicem loquentes, priusquam respondissem ad hæc, venit & apprehendit Ioannem, & ait, fugitiue deprehense deprehensa sunt maleficia quibus vsus es ab ea die qua ad nos ingressus es, & ideò magna Diana deseruit me, vel igitur filium Domini mei Dioscoridis mihi restituas, vel vitam hac hora tibi adimam. Cui Ioannes, & quid est, inquit, domina, quod accidit tibi? illud mihi aperi. (D. Ioan. accusatur Dianam expulisse.) Illa verò furore succensa cœpit eum colaphis cædere, & dicere: serue nequã ad escam promptus, & piger ad opus, nunquid vniuersi Ephesiorum scium quod factum est, & tu ad me venisti, vt me irrideres, & gauderes, & simulares te nescire quod factum est, & quia filius Dioscoridis Domini mei in balneis mortuus est. His factis Ioannes ab ea discessit, nihil molestè ferens quod illi factum est: & cùm modicum fleuisset, ingressus in balneis eiecit spiritum immundum & virtute Domini nostri Iesu Christi animam in corpus iuuenis reuocauit, exiuitque de thermis, per manum Iuuenem tenens, & perrexit ad Romanam, & dixit ei; accipe nunc filium Domini tui: quæ eum vidisset, pauore mentis attonita, in terram collapsa est veluti exanimis, & mortua. (Suscitatur filius Balneatricis.) Ioannes verò, illam per manum tenens dulciter erexit, quæ viso tantæ rei miraculo tanto stupore tenebatur, vt immobilis tanquam lapis perseueraret, & exacto fermè duarum horarum spatio ad se bene reuersa, non audebat aspicere in faciem Apostoli, sed confusione magna repleta id intra se cogitabat, quomodò in vultum hominis huius respiciam, qui cùm seruus meus non esset, feci meum seruum, contrà antè mentita sum in conspectu eius: plagis non dignus fuit, & ego incessanter ipsum cædebam? O misera quid faciam! O mors veni inuocata, & absolue miseram! Et iterum spiritu defecta collapsa est in terram. quam cùm vidisset Ioannes sic immutatam, apprehendit eam per manum, & erexit: & sanctæ Crucis signaculo muniuit. (Signaculũ S. Crucis.) Quæ ad se reuersa, cecidit ante pedes Apostoli, flens ac ita dicens: Oro te suppliciter, annuncia mihi qui es tu, certa enim sum quod vel Deus es vel Dei filius, qui tales virtutes operaris. Ioannes autem dixit illi, neque Deus sum, neque Dei Filius, sed ego discipulus Domini Iesu Christi Filij Dei viui, & recubui supra pectus eius, & audiui ab eo mysteria quæ annuncio tibi, si in eum credideris eris ancilla eius, sicut ego sum eius seruus. Tunc verò Romana cum rubore, verecundia, ac timore magno dixit Apostolo Ioanni: ergo vir Dei te precor, vt mihi quæcunque aduersum te gessi, dimittas, quod te plagis, verberibus, & conuiciis malè affecerim, & insuper quòd contra te & hominem tuum falsis vsa testimoniis infœlix mentita sum: dixi enim quoniam serui mei essetis. Cui Ioannes, Crede in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & crimina dimittentur tibi. Cui Romana respondit, credo homo Dei, quæcunque ab ore tuo audieto. Cùm autem hæc agerentur, multa turba circumstabat: Et interea vnus de Dioscoridis familia, cucurrit vt nunciaret quæ homo Dei Ioannes fecisset, quomodo filius suus in balneis mortuus fuisset, & quomodo resuscitasset eum Ioãnes, quódque multa turba viuentem circundaret. At Dioscorides cùm audiuisset de morte filij sui, subito pauore consternatus & constrictus, continuò expirauit. Ille verò qui attulerat nuntium, in balneas reuersus vbi Ioannes docebat, & vbi pariter erat Dioscoridis filius, exclamabat, heu mihi, Dominus meus Dioscorides mortuus est. Quo infœlici nuntio de suo patre audito, Theon Dioscoridis Filius, continuò surrexit, & dimisso Ioanne ad Patrem cucurrit; & cùm in domum venisset, inuenit Patrem iam mortuum, & humi iacentem. suscepto igitur magno luctu, redit ad Ioannem, & procidens ad pedes eius dixit, ô homo Dei, qui me mortuum ad vitam reuocasti, obsecro adiuua me: nam Pater meus vt de morte mea audiuit, continuò est mortuus: ne me cogas iterum quem de morte excitasti, præ dolore mortem gustare. Ioannes autem vt erat mitissimus, inquit illi; Noli ô Theon perturbari, nam mors Patris tui, tibi & illi vita erit. Et assumens Theonem per manum, dixit illi, eamus nunc ad Patrem tuum Dioscoridem. Sequebatur autem eum Romana, & multa plorantium & flentium turba. Et introduxit Theon Ioannem ad Patrem suum, & apprehendit Ioannes dextram manum eius, & dixit: Dioscorides, tibi dico, in nomine Domini nostri Iesu Christi Filij Dei viui, surge: & continuò Dioscorides surrexit à morte, plurima verò circunstantium turba viso tanto miraculo, collaudabant magnalia Dei. (Dioscorides à D. Ioanne suscitatus.) sed inter illos quidam illum esse magnum dicebant: alij

verò, quorum mens sanior, contrà asserebant, magos, mortuos suscitare non posse. Cùm verò Dioscorides, qui à mortuis suscitatus fuerat, ad se conuersus fuisset, dixit ad Ioannem, tu ne es ô homo Dei, qui Filium meũ à morte reuocasti? Cui inquit Ioannes, non ego eum suscitaui, sed Christus Filius Dei, qui per me prædicat, illum suscitauit. Et continuò Dioscorides ad pedes eius prouolutus dixit, quid me oportet facere vt saluus efficiar, & seruus sim Christi Filij Dei? Tunc Ioannes, Crede, inquit, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, & baptismum suscipias. Dixit autem Dioscorides ad Ioannem, ecce ego & Filius meus, quæcunq; habemus omnia in manus tuas commendamus. At Ioannes, ad Dioscoridem non ista, inquit, mihi opus sunt, neque Deo meo. Et ex illa hora secuti sunt Ioannem. Ille verò eos docebat dicens, Deus qui solus est, super omnes misericors, misit Filium suum in terram, qui ex Maria virgine natus, Passus, Mortuus, & Sepultus fuit, ad inferos descendit, fideles suos illinc eruens, & triumphans super mortem, tertia die resurrexit, post verò resurrectionem eius per quadraginta dies nobis duodecim Apostolis suis apparuit, & simul nobiscum manducauit & bibit, præcepítque nobis vt per vniuersum mundum euntes euangelizaremus, & super omnia potestatem dedit, sanare vniuersos languores, mortuos suscitare, dæmones effugare, & in remissionem peccatorum homines baptizare. Et non solùm nobis hanc potestatem tribuit, sed & his qui per prædicationem nostram in eum sunt credituri, maximè qui in ordine nostro & ministeriorum feruore & deuotione, quemadmodum & nos, apti erunt ministrare: qui verò non crediderint, condemnabuntur. Facta verò concione Ioannis, accesserunt ad eum Dioscorides & Filius eius, rogantes vt baptizarentur. Quibus Ioannes dixit, Deus te & Filium tuum suscipiat. Et eo adhuc loquente, ecce Romana litteras, quas de seruitute nostra confinxerat, attulit, redditque magistro meo Ioanni, & eodem in loco dilacerauit. Postea Dioscoridem in sua domo, & Theonem Filium eius, & hospitam nostram Romanam baptizauit. Et mox vt exiuimus de Dioscoridis domo, venimus in locum balnearum, in quo fueramus seruitio addicti, commutâte nos Dioscoride Domino loci: & ingressus Ioannes, à toto territorio tetrum dæmonem, qui Theonem suffocauerat, expulit: quo facto reduxit nos Dioscorides in domum suam, & positis mensis gratias Deo agentes, comedimus, & bibimus, & vsque ad vesperam cum eo permansimus.

Dæmon βαλανειώτης expellitur.

D. Ioannes Dianæ idolum comminuit.

CAP. IIII.

MAne autem facto, dies festus Dianæ agebatur ab vniuersa Ephesiorum ciuitate, positumque erat in sublime, Dianæ idolum prophanum templum. illuc verò perrexit Ioannes, & ascendit, & se in dextera idoli parte collocauit, & cùm ciuitatis homines candidis vestibus pro sacrificandi ritu induti fuissent, Ioannes sordidis amiciebatur, quibus in balneis ministrauerat. quẽ videntes Ephesij indignantes & furore succensi, tolerunt lapides vt iacerent in eum: & cùm iactare vellent in Ioannem, diuina virtute vertebantur in simulachrum Dianæ, ita vt fermè totum comminueretur simulachrum, vt videntes quod ne vnus lapidum Ioannem attigisset, dentibus frendebant: quidam autem videntes quod factum fuerat, ridebant.

D. Ioannes hortatur Ephesios ad fidem, ad quam eos lapidum iactatione, terræmotu, & octingentorum suscitatione conuertit.

CAP. V.

IOannes post idoli ex lapidum iactu comminutionem, dixit ad eos, Viri Ephesij cur hanc insaniam committitis in solennitate dæmoniorum, & Deum verum relinquitis totius mundi auctorem & creatorem vestrum? Deus autem tunc protegebat Apostolum suum Ioannem à furore eorum, & non valebant Ephesij manus inijcere in eum, & Ioannes dicebat ad eos: ecce dea vestra verè consumpta, & à vobis per lapides, quos in me intorquere voluistis, comminuta; adunate nunc eam, & rursus vt priùs instaurate, vel si quid potestatis habet, orate, vt in me qui causa comminutionis fui, vlciscatur offensam, vel virtutem aliquam ostendat, per quam credam ipsam esse deam, alioqui pateat deam vestram habere potestatem nullam. Hæc audientes Ephesij, nimio furore bacchantes iterum voluerunt mittere lapides in eum, sed lapides in eos conuertebantur, séque mutuò lapidibus obruebant. Videns autem Ioannes, sic eos à dæmone furia accensos, & se mutuò interficientes, dixit ad eos, O viri Ephesij, cur in vosmetipsos desæuitis? cessate iam, & videte terribilem veri Dei potentiam, quem contra vos per furorem vestrum prouocastis: quia sermonem eius, quem pro salute vestra vobis attulit, deliramentum putastis. Cessate igitur, & attenti videte. Tunc contra orientem extendit manus in cœlum in gemitu, & dixit, Domine Iesu Christe, qui corripis in misericordia & miserationibus, ostende hominibus his, quia tu es verus Deus, & non est præter te alius Deus. Et his dictis, factus est terræmotus magnus & terribilis, in quo mortui sunt viri octingenti. Videntes autem cæteri quod factum est miraculum, prociderunt ad pedes Ioannis dicentes, Domine precamur te, tantum facias homines hic mortuos ad vitam redire, & credimus in Deum tuum quem nobis prædicas. quibus Ioannes: viri Ephesij duro & graui corde ad credendum Deum vnum & verum, scio quamuis hi suri exeunt à morte, adhuc cor vestrum obdurandum, sicut cor Pharaonis cùm videret signa & portenta fuit obduratũ. Nihilominus illi perseuerabant obsecrantes, & proni iacentes in terra pro his qui interierunt. Ioannes verò tandem illis acquiescens, suspiciens in cœlum diu in silentio & gemitu & lachrymis mox dixit, Domine Iesu Christe, qui semper es cum patre verus Deus, qui ad terras descendisti vt saluum faceres genus humanum, exaudi preces famuli tui ad te clamantis, & dimitte peccata populi tui, & fac eos qui in hoc loco mortui sunt, à morte resurgere, vt sciant te esse Deum verum, & credant in te, qui me misisti, & mihi tribue seruo tuo verbum tuum fiducialiter illis prædicare. Hæc cùm dixisset Dei seruus Ioannes, terræmotus magnus cessauit, & octingenti viri qui mortui iacebant, surrexerunt, & procidentes adorauerunt Ioannem: sed Ioannes cœpit eos docere, de vna sola diuinitate Patris & Filij & Spiritus sancti, quam deberent adorare, & quòd tres * hypostases sint, vna substantia: & multa alia, quæ in hoc libro omittimus scribere.

D. Ioan concio Ephesiis.

Ephesij lapidatum D. Ioan. lapidant seipsos.

Terræmotus.

Suscitantur octingenti.

** Hipostasis persona subsistentia ante concilium Nicenum.*

D. Ioannes claudum restituit.

CAP. VI.

HIs dictis, Dioscorides nos suscipiens duxit in domum suam, & cùm aliquantulum apud eum in domo sua mansissemus, exiuimus in locum qui dicitur murus ciuitatis, vbi inuenimus hominem claudum à duodecim annis contractum, & ab infirmitate factum immobilem: qui cùm vidisset Ioannem, incœpit clamare magna voce, miserere mei Ioannes Apostole Dei viui: Ioannes verò apprehendens, & agnoscens quia fidem haberet, dixit ei, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, surge; & continuò sorrexit factus sanus & incolumis.

Claudus & contractus erigitur.

Dæmon Ephesiani templi sub specie militis mentitus per accusationem sanctorum Dei expellitur, euerso templo.

CAP. VII.

VIdens autem dæmon qui habitabat in templo Dianæ, quæ fecisset Ioannes, quódque comminutum

esset eius idolum, & quòd tandem de vrbe expelleretur, transformauit se in similitudinem militis chartas secum portantis, sedítque in loco alto & eminenti, & clamabat voce magna, & flebat: transibant autem duo milites, videntes eum eiulantem & flentem in habitu militari, propiùs accesserunt dicentes, amice quidnam habes, & quæ causa doloris? Ille verò nihil respondebat eis, sed solum flens & eiulans phantasticas chartas tenebat. Qui iterum dixerunt ei, dic nobis vnde turbaris, & nos si valebimus, auxilium feremus. At ille gementi similis & plorantis amarè dixit eis, ego præ multa pressus angustia meipsum in mortem dedere volo. Veruntamen si mihi suppetias ferre velletis, omnia vobis narrarem: sin verò minus, cur secretum mortis aperiam? cui dixerunt milites, forma tua & habitus tuus te liberalem & officiosum ostendunt. Etiam, dixit dæmon. Cui milites, scire potes ô amice, an tibi auxilio esse possimus, an non.

Dæmō militis speciē mutuatur.

B quibus dæmon: potestis, inquit, si vultis. Responderunt milites, in quonam poterimus te adiuuare? Dixit dæmon, per magnam mihi iurate Dianam, vos mihi vestrum auxilium non denegare, & ego vobis omnia pandam, & ostendite erga me, qui extraneus sum, vestrum fauorem & amorem, & bonam à me mercedem recipietis, & vitam meam liberabitis. Milites ergo iurarunt quòd illi in necessitate sua essent affuturi, & in omnibus fidi adiutores. Tunc dæmon ostentans bracteas auri, dixit eis, ô fideles amici, ecce adsunt quæ post hanc fatigationem vestram parata sunt vobis. Deinceps verò milites diligentiùs scrutabantur causam doloris eius, & dicebant, Enarra nobis amice, tribulationis tuæ seriem.

C Tunc dæmon flens & eiulans, de Cæsarea, inquit, ego miser adueni, & infœlix: duo viri in Hierosolyma mihi in custodiam à principe traditi sunt, qui & ipsi erant magi, vnius nomen Ioannes, & alterius erat Prochorus. Ego autem eos suscipiens triduum in carcere reclusi, quarta verò die coram iudice præsentati fuerunt, & in ipsis plurima flagitia inuenta sunt per facinora quæ perpetrarunt. Videns autem iudex tantam eorum esse maliciam, noluit per seipsum quod de tam flagitiosis faciēdum esset, deliberare, & eos iubet in carcerem retrudi. Diligenter ergo eos suscepi, deduxíque in carcerem, verùm per multam eorum maliciam aufugerunt: quod iudex vt audiuit, misertus hac lege mei est, vt eos prosequar: nam vbi eos restituero, parcit, si verò non restituero, aut moriendum mihi est, aut nunquam redeundum.

Dæmonis commentū aduersus Apostolos.

D Cognosco autem iudicis indignationem, quam aduersus eos gerit, neque sine ipsis ad iudicem redire vnquam auderem. Et iterum dæmon bracteas auri illis ostendit dicens: hoc mecum pro mea salute cùm de terra mea exirem tuli: ostendit & phantasticas chartas, quas eorum confessionem continere dicebat: addebat insuper audiuisse se à multis eos in hac ciuitate esse: ideò, inquit, in hanc ciuitaté veni demissis vxore, liberis, & domo quasi peregrinus, errans, & exul. Quare obsecro vos tanquam bonos amicos, ferte opem misero, & non mihi vestram misericordiam negate. Cui milites nihil tibi mali, inquiunt, facias, neque te maceres dolore. Nam magi illi hîc sunt, & vt eos reducas, tibi erimus auxilio. Quibus Dæmon, non audeo, inquit, hoc facere: nam timeo ne

E per magica sua maleficia, iterum à me fugiant: sed vos potiùs ô amici, cogite eos in aliquem secretum locum, & nemine conscio eos enecate. Sed illi dixerunt, præstat magis vt eos priùs in manus tuas restituamus, nam si eos occideremus, quomodo in terram tibi esset reditus? Dixit dæmon, enecate ô amici, nullus superest mihi amplius redeundi appetitus; tantúmque peregit, vt pollicerentur ei milites se debere hos interficere, dummodo precium, auri bracteas quas secum portabat, reciperent. hoc autem totum per Spiritum sanctum Ioannes agnouit, & quicquid aduersus nos immundus dæmon fuerat machinatus, & dixit mihi, Fili mi, Prochore, certum habe dæmonem qui habitat in templo Dianæ, aduersum nos, duos milites suscitasse, quibus de nobis

A multa mentiens confinxit. Deus autem nota fecit mihi quæcunque contra nos locutus est dæmon. Nunc igitur virilis esto, & præpara animam tuam ad tentationem, quia dæmon aduersum nos multis machinamentis se eriget, múltisque fatigabit tribulationibus. Et vt hæc locutus est, aduenerunt milites, & comprehenderunt nos, tunc autem aberat Dioscorides. Quibus Ioannes dixit, quam accusationem habetis, & proponitis aduersum nos, & quare nos tenere vultis? Illi autem dixerūt propter magna maleficia vestra: quibus Ioannes, quis ergo noster est accusator? Dixerunt, ducemini in carceres, postmodum videbitis quis vester sit accusator. Tūc Ioannes, non potestis, inquit, neque debetis vim nobis vllam facere, illi verò cœperunt nos cædere, & pertrahentes nos in domum cuiusdam ciuis, induxerunt vt secundum pollicitationem quam dæmoni fecerant, nos

D. Ioannes nouit absentia.

Eccles. 2.

B interficerent. Romana autem agnoscens quòd nos vi tenerent, cucurrit ad Dioscoridem, nuncians ei quæ fiebant. Et illicò venit Dioscorides, & nos de eorum manibus liberauit dicens illis, non licet vobis mittere homines in carcerem, vbi nullus adest accusator, hi homines in domo mea mecum sunt, si quis eos accusat, veniat & tollat, vt secundum leges iudicentur. Tunc milites adinuicem dixerunt, eamus ergo & adducamus eorum accusatorem, qui iustam causam ante iudicem proferat. Nam nos minus essemus audiendi, cùm se contra nos Dioscorides opposuerit, & difficile contra eum obtineremus. Reuertuntur igitur milites in eum locum vbi dæmonem conuenerant sedentem, quem cùm non inuenissent, cœperunt valdè turbari, & tristes & anxij esse, dicentes; quid modò faciemus cùm illum non inueniamus? Nam si comperierit nos Dioscorides in hoc facto non esse veraces, & quæ locuti sumus non posse nos probare, cùm homo multæ sit autoritatis & reuerentiæ, forsitan nos malè afficiet, cogétque perire. Hæc inter se loquentibus, dæmon superuenit in habitu (vt priùs) militari, increpans eos & dicens, desides in mea causa fuistis. At illi omnia retulerunt ei quæ fecissent, & quomodo Dioscorides liberasset eos de manibus eorum. Verùm, inquiunt, si modò veneris nobiscum, statim reperiemus eos. quibus dæmon; eamus, inquit, & ibat post eos eiulans & flens amarè: circunstetit autem eos plurima turba, & dæmon narrabat vniuersa quæ & militibus antè narrauerat, & milites illi testimonium

Sine accusatore nemo incarcerandus.

C

D reddebant, & omnes repleti sunt ira, & complures eorum Iudæi erant. Properantes igitur ad Dioscoridis domum fores vehementer pulsabant vniuersi clamantes, aut trade nobis magos, aut domum tuam igni succendemus, & te & tuum Filium vnà perdemus. Et vrbis commota vniuersa clamabat da nobis maleficos illos tu: cùm vrbis præses fueris, non debes sustinere homines hos. Videns autem Ioannes multitudinis seditionem, dixit ad Dioscoridem: Nos possessionem huius mundi despicimus, nec corpora nostra amamus: nobis enim vita est Christus, & mori lucrum, nos à magistro nostro docti sumus quotidiè tollere crucem nostram, & sequi eum: dimitte ergo nos ad populum. Audiens autem hæc Dioscorides, dixit Ioanni; Ecce potiùs domus mea

Math. 16.

E incendatur igni, & ego & Filius meus pergemus vobiscum cum familia, vt solum Christum lucremur. Cui Ioannes: Neque tu, inquit, neque Filius tuus vllum in hac hora patiemini detrimentum, neque capillus capitis vestri deperibit vnus, trade nos hominibus istis. Cui Dioscorides, si vos tradidero, etiam tradam Filium meum. Cui Ioannes: caterua hæc populi ad bonum congregata est, & hæc congregatio ad bonum perducet plurimos: sine nos securè suras abire, tu autem & Filius tuus vos domi contineatis cum silentio, & videbitis gloriam Dei. Et statim permisit nos abire, & continuò nos apprehenderunt, & duxerunt in templum Dianæ. Cùm autem inter eos in templo essemus, Ioannes ad eos qui illum tenebant, dixit; Viri Ephesij, cuius est templum hoc? dicunt ei, factum est magnæ Dianæ tem-

plum. Tunc dixit ad eos, subsistamus ergo hîc paululum: gaudeo enim plurimum me in hunc locum deductum, & quidam circomsistentium dicebant, verè bonum est & nos hic esse, sicut & ipse Ioannes dixit. Substiterunt ergo, & interim Ioannes orauit dicens, Domine Iesu Christe, decidat templum hoc, & funditus corruat: neque vnus in eo moriatur aut pereat, neque de cætero orantes decipiantur in eo. Et statim ad Apostoli verbum corruit templum illud prophanum, neque quenquam in loco læsit. Tunc Ioannes ad dæmonem, qui in loco illo habitabat, se conuertit, & dixit, per quanta spatia temporis, immunde spiritus, latitasti in templo hoc? Dæmon dixit, ducentorum quadraginta annorum spatio meum est domicilium. Cui Ioannes iterum, tu ne es qui milites aduersum nos concitasti, & populum commouisti? Dixit dæmon, Etiam. Tunc Ioannes, B præcipio tibi, inquit, in nomine Iesu Christi, Nazareni, vt in loco hoc non habites de cætero: Et continuò dæmon exiuit de Ephesiorum ciuitate. Pro hac re igitur mirabantur vniuersi, & ad se inuicem loquentes dicebant, quid est quod fecit homo iste, & qua arte? Nescimus: pertrahamus tamen cum ad iudicem ciuitatis, & secundum legem puniatur. Tunc ex eis vnus nomine Marnon, genere Iudæus, dixit, ego hunc & qui cum eo est, magos esse scio, & malorum operum actores: quia decet eos vt maleficos perire. Et ad circumstantes Marnon dicebat, non per iudicium isti examinentur, sed hîc pœnam dantes occidantur; volebat enim Marnon, vt antequam in manus iudicis traderemur, populum inducere, vt in nos insurgeret ac interficeret. Verùm turba illi non consensit: & statim tradiderunt nos iudici, C qui dixit illis, qua occasione aut culpa traditi sunt vobis homines isti? Responderunt, pro magicis ac maleficiis: quibus iudex, quænam magica arte maleficia perpetrarunt? Tunc Marnon dixit, quomodo Dianæ templum magica arte destruxisset, & quomodo miles quidam ab Hierosolyma venerat eos accusans, & maleficos cognoscens, & eorum maleficia ex Deorum confessionibus approbans. Tunc Iudex ad Marnonem, veniat ergo, inquit, miles ille, & nobis faciat apparere veritatē. Tunc grauiter vinculis constrictos coniecit nos in carcerem. Illi vero circumeuntes ciuitatem, quæsierunt illum militem: quem cùm non inuenissent, post triduum reuersi sunt ad iudicem, dicentes, non possumus hominem illum reperire, qui verè maleficia eorum agnoscit. Quibus iudex dixit, homines peregrinos, aduersus quos neque D accusatores neque chartæ apparent, nobis punire non licet, neque in carcere retinere. Tunc iussit nos de carcere educi, comminans & præcipiens, ne diceremus, sed de vrbe discederemus. Exeuntes autem persecuti sunt nos, & expulerunt de finibus eorum, & peruenimus vsque ad littus maris, vbi Ioannes ex mari proiectus fuerat, & mansimus illic triduum, sed nobis permissum Ephesum regredi.

Dianæ templum corruit, nec læsit quenquam.

Iudæus accusat. D. Ioannem.

Quatenus suscipienda accusatio.

D. Ioannes ex rescripto Domitiani carceri mancipatur.

CAP. VIII.

SEcundam verò postea persecutionem Domitianus E excitarat, cuius temporibus Ioannes Ephesi morabatur. Imperator autē Domitianus epistolam misit Ephesum ad proconsulem ciuitatis ita continentem: Accepimus apud vos quendam Ioannem filium Zebedæi esse, qui à multis asseritur Christianus, & discipulus illius Nazareni esse, qui pro suis sceleribus à Iudæis fertur crucifixus: cesset iam ab errore suo, & viuat, aut examinetur & pereat. Tunc proconsul missis exactoribus cōprehendit Ioannem, & eum secundum edictum Cæsaris admonuit, & vt Christum negaret, & à prædicatione Euangelij cessaret. Ioannes verò respondens illi dixit, Absit vt vnquam dulcissimum Domini mei nomen negem, nomen, cui flectitur omne genu, & omnis lingua A confitetur: obedire enim magis Deo oportet quàm hominibus propter magnam gloriam maiestatis suæ, & gloriam quam promisit diligentibus se. Non ergo negabo Christum Deum meum, qui dilexit me, & magistrum: neque à prædicatione Euangelij nominis eius cessabo, donec ministerij eius quod suscepi cursum consummauero. Vt verò præsul hæc ab Apostolo verba audiuit, ira motus vultum immutauit, & dixit ad Ioannem, cur ad tantam insaniam deuenisti, vt contra te iram Imperatoris cōcites? continuò iussit tradi in carcere, dicens, rebelles principibus & legum contemptores non decet suæ voluntatis habere potestatem.

Psal. 2. Act. 5.

D. Ioannes Domitiani iussu comprehēditur.

Proconsul Ephesiorum de captura S. Ioannis scribit ad Domitianum.

CAP. IX.

PRoconsul verò rescripsit Romam de Ioanne ad Domitianum ita continentem. *Pissimo Cæsari semper Augusto, Domitiano, Proconsul Ephesiorum.* S. Sacræ maiestati tuæ notum sit de Ioanne Zebedæi filio, de quo olim tuas dignatus es literas, in Asiam venisse, & prædicasse Christum crucifixum quem affirmat Deum verum & Dei filium esse, & culturam inuictissimorum Deorum nostrorum euacuat, & templa veneranda, quæ à maioribus nostris mirificè extructa fuerunt, euertit. Quæ magus cùm contrarius existeret imperiali edicto, & cum suis maleficis artibus & prædicationibus repentè omnem Ephesinum populum ad culturam hominis cruci- C fixi & mortui seduxisset, nos erga deorum immortalium culturam zelum habentes, iussimus eum pro tribunalibus præsentari, & iuxta benignissimum clementiæ tuæ rescriptum blanditiis, & terroribus studuimus ammonere, vt Christum suum negaret, & à prædicatione desisteret, atque diis omnipotentibus grata libamina offerret. Quæ cùm illi nulla ratione suadere potuimus, hos apices imperiali tuæ maiestati direximus, vt quicquid supremæ celsitudini tuæ de prædicto rebelli visum fuerit cognitum diligenter exequamur.

D. Ioannes vinctus Romam mittitur, tondetur & in dolium feruentis olei conijcitur.

D CAP. X.

IN illo verò tempore Romæ Domitianus cum Lino & Marcello de Christi aduentu altercantur, & cùm videret se non posse eos vincere, indignabatur plurimum, & eo tempore sibi præsentantur acta Proconsulis de Ioanne Apostolo: Ille verò incœpit ea legere, qui vbi ea legit, magis magísque succensus mandauit proconsuli, vt Ioannem ex Epheso tolleret, & vinctum cathenis ad vrbem Romam mitteret. Tunc proconsul suscipiens Imperatoris edictum, Ioannem Apostolum cathenis ligari præcepit, & assumptis militibus secum Romam vsque perduxit. audiens autem Domitianus de aduentu eius, noluit impius Cæsar videre faciem Apostoli: & iussit vt proconsul duceret ante portam Lati- E nam, & in feruentis olei dolium illum viuum dimitti, prius tamen illum flagris cæderet, & crinem capitis detonderet, vt ignominiosus & inhonorabilis populo videretur. Cúmque eum duxisset præses, iussit expoliari & flagris crudeliter cædi, crinémque capitis ad ignominiæ notam deponere. Lictores autem eum suscipientes fecerunt sicut illis mandauerat præses.

D. Ioan. cōiicitur in dolium & tondetur ad ignominiam.

D. Ioan. de dolio feruentis olei exiit illæsus, vnctus, non vstus.

CAP. XI.

POst hæc sedit Senatus Romanus vnà cum proconsule & populo Romano ante portam Latinam, &

iuſſerunt dolium apponi feruenti oleo plenum, in quod nudum, flagellatum, & ignominiosè pertractum pridiè nonas Maij beatum Apoſtolum Ioannem miſerunt. qui diuina Domini noſtri Ieſu Chriſti protegente gratia, à bullientis & feruentis olei dolio velut athleta fortiſſimus non combuſtus, ſed tanquam vnctus, illæſus, ac intactus exiuit, & Domini qui eum dilexit ſaluante gratia & refrigerante, ita illæſus & libera pœna apparuit, quàm à corruptione carnis manſit integer ac immunis. Fideles autem qui aderant exultantes & flentes præ gaudio, voces ad cœlum extollebant, commendantes Ioannis Apoſtoli & Euãgeliſtæ dignam memoriam, & Apoſtolicam conſtantiam. Et Chriſti fideles qui illinc aderant ante portam Latinam, Eccleſiam poſuerunt in eius nomine dedicantes. Deus enim per crudelem tyrannum conſilium ſuum diſponebat, vt ſicut virtutibus & ſignis Ioannes & Petrus ſocij fuerunt, ita in vrbe Roma memoriam haberent ſui triumphi. ſicut enim triumphalis & inſignis habita eſt cruce Petri, ſic & porta Latina Ioannis dolio inſignis & memorabilis habetur. Videns igitur proconſul Ioannem athletam Chriſti fortiſſimum, de dolio exeuntem velut vnctum non vſtum, ſtupefactus, voluiſſet ei libertatem dare, ſi non timuiſſet regis iuſſionem. Tunc Domitianus iuſſit ne amplius proconſul Ioannem torqueret, ſed reduceret eum vt dein amplius diſponeret quid de eo eſſet agendum.

Tertul. in præſcript.

Eccleſia in honorem D. Ioan. Petri & Ioannis martyria Romæ.

B

D. Ioan. redit Epheſum.

CAP. XII.

POſtquam autem hæc geſta ſunt, apparuit Dominus Ioanni, & dixit ei, te iterum oportet ingredi ciuitatem Epheſum, & poſt tres menſes mitteris exul in Pathmon: vrbs enim illa adhuc tui multum eget: Et tandem poſtquam multum ſemen ſeminaueris, eam ad me conuerties. Nos itaque iterum intrauimus Epheſum, & comminuta ſunt reliqua numina, & erat templum in Epheſo, à quo non fuerat eliminata ſpurcitia. Hæc autem ſigna fecit in Epheſo Ioannes Chriſti Apoſtolus, antequam mitteretur in exilium, multa paſſus à Iudæis, Græcis & Romanis, Diabolo eos aduerſum nos ſuſcitante. Pontifices verò & magiſtratus Epheſiorum iterum epiſtolam aduerſum nos rescripſerunt ad Domitianum talia continentem.

Epheſiorum ad Domitianum epiſtola, ſuper Ioanne.

CAP. XIII.

TOti vrbi dominanti Domitiano habitantes Epheſi. Oramus te nobis eſſe auxilio. Nam quidam qui de Iudæa prodierunt, quorum nomina Ioannes & Prochorus ciuitatem noſtram occupauerunt, nouam doctrinam ſeminantes, & arte malefica omnia templa magnorum deorum deſtruxerunt. Hæc omnia tibi nota facimus, vt ſecundum tuum imperium de ipſis voluntatem tuam impleamus. Viſis ergo epiſtolis præcepit imperator, vt penitus exularent, reſcripſit hæc.

Reſcripto Domitiani, Ioannes relegatur in Pathmon.

CAP. XIIII.

DOmitianus Cæſar, magiſtratibus & Epheſiorum ciuitati. Volumus ſceleſtos illos, impios, & maleficos viros Ioannem & Prochorum exulare: quos multum diúque pro clementia noſtra ſuſtinuimus: nunc autem indies contra Deos immortales peccantes non eſt æquũ amplius in medio eorum verſari, qui continuò Deos ſapienter honorant. Quare iubemus impios in Pathmon inſulam relegari, primò quia deorum cultui aduerſantur, ſecundò quia legum noſtrarum ſunt contemptores,

A & nos noſtráque iuſſa ſpernunt & inhonorant: vt per multas tribulationes diſcant magnificentiam deorum reuereri, noſtráque iuſſa non contemnere. Hoc ergo Cæſaris mandatum perlatum eſt in Epheſum, & miſerunt qui nos & Ioannem magiſtrum meum in vincula coniecerunt, & plagis affecerunt & iniurijs, dicentes; hic eſt ſeductor, qui arte malefica tot facinora peregit. Et fuerunt ad nos tenẽdum miſſi numero centum. Poſtquàm ergo Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta, & Dei amicus comprehenſus eſt, tenuerunt ipſum non tamen ligauerunt, ſed plagas intulerunt, & conuitia: demùm nos ad nauem perduxerunt.

Exulat D. Ioannes.

Diuus Ioannes dum in inſulam deportatur lapſum in mari puerum ſuſcitauit.

CAP. XV.

CVm ergo ingreſſi eſſemus nauem, iuſſerunt milites nos in medio nauis conſiſtere, & ſex vncias panis, breolum aquæ, & pauxillum aceti pro victu nobis ordinarunt. Ioannes verò in die duas panis ſumebat vncias, & octauam portionem aquæ, & reliquas mihi relinquebat. Vbi verò tertia diei aduenit hora, milites ſederunt vt pranderent, lautas habentes epulas, & lauta pocula. Finito autem prandio cœperunt ludere. Saltantibus igitur & tripudiantibus, accurrẽs vnus eorum iuuenis ſuper extrema nauis, ſubitò delapſus eſt in mare. Pater iuuenis erat in naui luctum mirabilem faciens, &
C qui libenter (niſi alij vetuiſſent) præcipitem ſe dediſſet in mare. Venientes autem quidam militum, & procurator, vbi Ioannes erat ligatus, vbi viderunt eũ non flentem, dixerunt, nos omnes pro malo quod accidit nobis, flemus: & tu ſine fletu & dolore manes? quibus Apoſtolus dixit, quid vultis faciam vobis? Dicunt: ſi potes adiuua nos: audierãt enim multa ſigna quæ fecerat in Epheſo. Ioannes dixit ad vnum eorum: Quem Deum colis? ille dixit: Apollinem, Iouem, Herculem cum altero patre: & ad alterum, & tu quem? qui dixit? Eſculapium & magnam Epheſiorum Dianam. Et ſimiliter cæteros interrogauit, & quiſque eorum ſuum errorem manifeſtauit, quibus Ioannes tot Dij non potuerunt adiuuare & aſſiſtere veſtro iuueni, ne ſine impedimento veſtro & triſtitia illum vobis cuſtodirent. Dicunt ei, quoniam immun-
D di ſumus ante eos, & ideò permiſerunt nos incidere in hanc tribulationem. permiſit Ioannes eos in luctu vſq; ad horam ſequentis diei tertiam: tranſacta verò tertia, Ioannes triſtis & dolens pro eo qui perierat, & communi omnium dolore qui aderant, flexus inquit mihi, ſurge fili Prochore, & porrige mihi manum tuã: erat enim multo pondere ferri grauatus. ſurrexi igitur, & porrexi illi manum: ille verò leuatus perrexit in eminentem locum nauis, & vincula ſua ſuſtinens fleuit abundè, & dixit ad mare. Hæc dicit Filius Dei qui ſupra planiciem tuam ſiccis pedibus ambulauit, pro cuius nomine hæc vincula porto vt eius ſeruus, redde nobis iuuenem viuum & ſanum, quem abſorpſiſti: & finitis his verbis cõtinuò procella facta eſt, & aquæ magnus ſonus, ita vt
E periculum emineret, & timerent vniuerſi qui in naue illa verſabantur: nam fluctus magnus ab imo ad ſummum eleuatus eſt, qui iuuenem viuum & ſanum ad pedes Ioãnis reiecit. vidẽtes autem vniuerſi vna cum eo qui ſuſcitatus eſt, prociderunt in facies ſuas ante Ioannem, adorantes & dicentes, verè Deus tuus, ipſe eſt Deus cœli & terræ, & creator omnium creaturarum. tunc acceſſerunt & diſſoluerunt vincula quæ erant ſuper beatiſſimum Apoſtolum, & fuimus cum eis in magna fiducia.

D. Ioannes ſuſcitat naufragũ.

Seruat B. Ioannes ſecum nauigantes à tempeſtate.

CAP. XVI.

POſtea tranſiuimus ad quoddam caſtellum, vbi noſtra nauis appulit, & illic ſtetimus vſq; ad ſolis occa-

sum. Vbi verò qui descenderant in nauē, redierūt, soluimus illinc, & circa quintam noctis horā, in mari suborta est tempestas valida, ita vt penè nauis periclitaretur, & dissolueretur: ita vt vniuersis mors ante oculos versaretur: & accesserunt ad Ioannem decem, dicentes; Apostole Dei viui, qui militem socium nostrum de periculo maris viuum nobis reddidisti & suo miserando patri, ora Deum tuum, vt tempestatem hanc sedet, ne & nos pereamus. quibus dixit Apostolus, tacete, & vnusquisq; vestrûm locum suum teneat quietus. tacuerunt igitur omnes, sed fluctus amplius intumescere cœperunt, & iterum clamauerūt, miserere nostri Apostole Iesu Christi. quibus respondit, tacete. Nam neque amissio erit in hac, nam vnus capillus non peribit capitis vestri. Tunc surrexit & dixit, mare, hæc tibi dicit Apostolus Iesu Christi, in nomine Iesu Christi quiesce & compescere: & statim facta est magna maris tranquillitas, & mirati sunt vniuersi.

Periclitantur à Marnone Iudæo & Epidauritis Sancti Dei, B. Ioannes & Prochorus.

CAP. XVII.

NAuigantibus nobis tribus diebus totidémque noctibus, peruenimus Epidaurum, vbi habitabat Marnon Iudæus, qui plurimas Ephesi aduersum nos suscitauerat seditiones. videns autem nos in naui sedentes, dixit illis qui nobiscum erāt, qui sunt hi quos vobiscum in naue habetis? Responderunt, Christiani sunt homines fideles: magna enim salus nobis per eos in mari facta est. Quæ eorum, inquit, nomina? Responderunt nomen maioris, Ioannes, & discipuli, Prochorus. audiens autem hoc Marnon, ascendit in nauem, & magna voce cœpit clamare, quid hic facitis ô magi, Deò mundóque odibiles? Vnus autem de nunciis regiis, qui nobiscum vnà cum militibus custodibus nostris aderat, arguit Marnonem dicens, cur in viros sanctos talia verba profers? nos eos custodimus, & iuxta regis edictum ducimus in insulam Parthmon. Quæ cùm dixisset, Marnon descendit de puppi, & vestimenta sua discindens clamabat, viri fratres, qui mecum Epidauri moramini, omnes adiuuate me: erat enim Marnon diues, & multas tenens possessiones homo. fluxerunt itaque ad eum multi, quærentes quid ita clamaret. Quia, inquit, viri qui magi sunt & polluti, huc appulerunt, qui plurimas pœnas & rogationes habitatoribus Ephesi inflixerunt. Ad nos ergo, vt similia infligant mala, ab illis huc venerunt. Venite ergo mecum omnes qui Epidauri habitetis, & immittamus ignes in nauem, & pereant magi illi. Crediderunt ergo verbis Marnonis, & voluerunt propter nos succendere nauem. Verùm missi à Cæsare, videntes eorum malam voluntatem, dixerunt, viri Epidauritæ, videte ne quid mali his hominibus inferatis, quia principis Domitiani edicto eos in insolam Pathmon ducimus, vbi eos exilio damnari iussit. Audientes autem viri Epidauritæ doluerunt, ab incœpto desistentes, & ostenderunt illis commissi literas edicti regio sigillo munitas. Quibus Epidauritæ, Si ergo, inquiunt, principis edictum est, cur eos nō constringitis ferro, ne forsan sua malitia vos eludant, effugiántque è manibus vestris, & in vos principis iracundiam prouocent? Nam maleficis artibus edocti, pestiferi sunt homines, & suis molestiis, suáque simulatione multas perdiderunt animas, multósque peremerunt, quorum alter nomine Ioannes, homo mendax est, & omni supplicio dignus. Audientes autem hæc qui legati fuerant, mirabantur super verbis illis: nam verbis dolosis eos deceperat Marnon. Et rogauit eos Marnon, vt comederent cum eo. Epulis sumptis, & Marnone osculato, redierunt in nauem effrenes, & beneficiorum, quæ à Ioanne magistro meo acceperunt obliti, denuò eum in districtis ferreis vinculis posuerunt, & victum quem priùs, nobis instituerunt.

Marnon Iudæus inuehitur in Apost.

B. Ioannes dysenteria, profluuióque sanguinis moribundum sanitati restituit.

CAP. XVIII.

DEinde illinc nauigantes, peruenimus myrrh. * vbi septem dies ob infirmitatem vnius militis perstitimus: dysenteria enim profluuióque sanguinis vehementer laborabat. octaua autem die inter eos orta est contentio. Dicebant enim, non est bonum nos hic diutiùs immorari, quia præceptum habemus, vt proficiscamur, & iter absoluamus incœptum. Nam iussiones regis & mādata nobis diligentiùs sunt prosequenda: alioquin qui negligentiùs illa curabit, timendum illi est ne pœnam pro salute recipiat. Alij contrà dicebant, nequaquam honestum est vt collega noster in tanta necessitate destituatur. Nam protinus mors derelictum occupabit: neque est qui maris ferre possit molestias: satius igitur videtur, vt adhuc paucos dies illum præstolemur, donec quid de eo faciendum fuerit tum honestè videamus, sicque magna inter eos contentio suborta est. Videns autem Ioannes, quia contentio hæc inter eos sine vtilitate esset, dixit mihi, fili mi Prochore, vade dic infirmo illi, vt in nomine Domini mei Iesu Christi veniat ad me. Accessi igitur ad eum, & verba quæ mihi præceperat Ioannes magister meus, dixi, & continuò surrexit, & mecum venit ad Ioannem. Cui Ioannes, dic, inquit, sociis tuis, vt soluamus hinc, & de loco isto nauigemus. Nec mora: ille qui septem iam dies laborans, ferè nihil ob infirmitatem susceperat alimenti, hortatus est socios, vt inde soluentes nauigarent festinanter, & quod à dolore morbi euaserat liber & incolumis.

* Deest quidpiam.

Dysenteria medetur D. Ioannes.

Milites præ magnitudine miraculorum soluere B. Ioannem volunt, quod ipse recusat.

CAP. XIX.

ILlinc igitur soluentes, venimus in quendam locum, qui Liphon vocabatur, & sæua procella sex dies illic immorari coacti sumus. Locus autem ille dulci aqua carebat, & penè omnes siti periclitabantur. Dixit autem ad me Ioannes, fili Prochore, mitte vas in mare in nomine Domini nostri Iesu Christi, & imple illud: Feci itaque vt mihi iniunxerat. Et iterum dixit mihi, funde per singula vasa, & imple illa aqua maris. Feci autem sic, & omnia vasa impleui, & statim aqua quæ in ea missa est, inuenta est dulcissima; & communiter moratis cunctis qui in naui erant, dixit, in nomine Iesu Christi crucifixi accipite & bibite: & accipientes cuncti biberunt, & mirati sunt vniuersi, & dixerunt adinuicem, quid faciemus homini isti, quia signa multa & prodigia per ipsum facta videmus? vadamus igitur, & soluamus eum à vinculis ferreis, & petamus ab eo indulgentiam & remissionem de malis quæ illi intulimus, ne fortè descendat ignis de cœlo, & nos omnes deuoret ac consumat. Accesserunt igitur ad Apostolum Dei, dicentes, homo Dei ne irascaris seruis tuis, quia præceptum regis facimus, & non valemus aliud facere. Veruntamen absoluemus te à vinculis, & quicquid præceperis nobis, faciemus. Et statim soluerunt Ioannem magistrum meum à vinculis. Quibus dixit Ioannes, ego nihil æstimo laborem & anxietatem huius mundi, sed anima mea multo exultat gaudio adimplere voluntatem & præcepta Dei mei Iesu Christi, qui crucifixus fuit propter nostram salutem. Hæc audientes milites prociderunt omnes in faciem suam, & dixerunt Apostolo Ioanni, Domine ecce omnia in tua sunt potestate: vade in pace vbicunque vis, liber: nos autem in regiones nostras nauigabimus. quibus Ioannes, habetis talem in principe vestro fiduciam, quòd si nos abire

Dulcoratur aqua maris.

D. Ioannes soluitur à vinculis.

abire finitis, iram eius non incurratis? dicunt ei: non Domine, dixit Ioannes, complete ergo ministeriū vestrum secundum regis edictum, & reponite nos in locum ab eo institutum, & nunc in regiones vestras reuertemini cum pace. Suscipiens autem postea Ioannes, de diuina scriptura docebat eos aliqua quæ erant de Filio Dei, & accepto verbo rogauerunt vt baptizarentur, ab eo: & baptizauit in illa die decem, qui aliis præerant, aliorum administratores, & soluentes nauem. Lipho derelicta, venimus in insulam Pathmon, & intrantes vrbem tradiderunt nos milites secundum principis edictum illis qui nos recipere debebant. Rogauerunt ergo Ioannem administratores qui baptizati fuerant, vt sineret eos nobiscum in illa insula remanere. Sed non permisit, dicens, filioli mei gratiam quam accepistis solummodò conseruetis, & locus nihil vobis nocebit. fuerunt ergo nobiscum dies decem, & accepta benedictione, gauisi, reuersi sunt omnes, vnusquisque in sua loca.

Benedictio.

B. Ioan. Myronis familiam conuertit eiecto Pythonico Spiritu Apollonidis.

CAP. XX

B. Ioannis aduentu fugatur Pythonicus.

ERat autem in loco illo vir quidam prædiues, nomine Myron, & illi vxor nomine Flora: quibus tres erant filij docti in arte rhetorica: & is qui inter eos maximus ætate erat, habebat spiritum Pythonem. Cùm ergo Myron suscepisset nos in domum suam, cognoscens Filius eius, qui spiritum malignum habebat; potestatem Ioannis, fugit in aliam regionem, ne eiiceret ab eo Ioannes spiritum malignum. Agnoscens autem Myron quia Filius eius fugisset, dixit vxori suæ, si homines hi boni fuissent, nunquam id accidisset nobis vt Filius noster fugisset, sed potiùs, sicut narrant multi, magi sunt & malefici, & domum hanc maleficio suo incantauerunt, & Filium nostrum abiecerunt. Me miserum, Charissime fili, quomodò factus sum insipiens, vt magos duos intromitterem vt te perderem? Dixit autem illi vxor eius, si ita res se habet vt dicis, cur non eos de domo eiicis, ne fortè similibus maleficiis reliquos filios nostros dementent, & cogant à nobis discedere & perire? cui Myron, non eiiciam eos, sed multa tribulatione eos afficiam, donec faciant filium nostrum redire, & nobiscum in hanc domum saluum restituant: postea verò punientur acerbè: erat enim Myron socer præsidis insulam Pathmon procurantis. Cognouit autē Ioānes per Spiritum sanctum quæcunque locutus est Myron ad vxorem suam. Et dixit mihi, Fili mi Prochore, id agnoscas Myronem hospitem nostrum multa mali aduersum nos moliri, quæ & intendit explere. Nam filius eius senior spiritum Pythonicum habet, & dum introissemus in domum hanc innuit spiritus immundus ne eum eiiceremus, & fugit, & transtulit illum in aliam regionem, & propter hanc causam Myron contra nos animo est infenso: sed ne concidat animus tuus super malis venientibus, quæ inducet Myron super nos. dum autem fermè hæc ad me loqueretur Ioannes, superuenit Epistola à filio Myronis directa in hunc modum, » Patri & matri, Apollonides salutem. Magus quidam nomine Ioannes, quem in domum vestram induxistis, dum rem nefariam præstigiis suis patraret, & inuideret bono quod in me erat spiritus quidam ab eo missus est, & me persecutus est vsque in hanc ciuitatem; & vbi multa perituli pericula, inueni Cynopem candidum & benignissimum conductorem, qui mihi multa narrauit quæ in me facta sunt, & quomodò acciderant. Et dixit mihi, fili mi Apollonides, nisi interfectus fuerit magus ille Ioannes, non poteris amplius in regione tua habitare, non poteris amplius domum tuam videre. Quare Pater, nunc Filius tuus te precatur, compatere Filio tuo, & interfice magum illum Ioannem, vt citò tuis, Patris mei & matris & duorum Fratrum meorum desideratis fruar amplexibus, valete. Audita igitur hac Epistola, quæ missa est à Filio suo Apollonide, statim nos conclusit Myron, & cum æstimatione prouectus ad præsidem ostendit illi litteras, quas ad se miserat Filius suus Apollonides. Accipiens ergo præses litteras, legit & aduersum nos exacerbatus eò magis est, quò in parte Epistola nomine Cynopis fuerat conscripta. Nam omnes qui Pathmon habitabant, ipsum Cynopem tanquam Deum quendam habebant propter magna eius ludificamenta. Suasus igitur præses verbis Myronis & Apollonidis filij eius, iussit Ioannem exhiberi feris; & continuò capti sumus ex Domo Myronis, & ducti in carcerem publicum, post triduum verò deduxerunt nos in prætorium. Dixit autem præses ad Ioannem, Pius imperator noster Domitianus te * condemnationes iudicauit, remisit tamen & non interfecit: volens autem te emendatum reddere & sobrium, in hanc insulam te misit, & ecce maiora hîc incipis perpetrare flagitia quàm Ephesi. Nam reiecisti Filium soceri mei, meùmque affinem: responde ergo mihi properè, priusquā pœnas luas: & fac vt redeat affinis meus: & dic quem ritum sequeris, quem perpessus es, & ex qua regione ad nos veneris? Respondens autem Ioannes dixit, ego Hebræus sum, seruus Iesu Christi Filij Dei viui, qui crucifixus est & sepultus propter hominum peccata, qui & Resurrexit tertia die à mortuis, ipse verò me misit euangelizare omnibus gentibus, vt credant in eum, & habeant vitam æternam. Cui præses, piissimus Imperator iussit te hac occasione exulare, & iterum cōtra te alia verba profers. Disce ô stultissime Deos honorare, & colere immortales, & legibus imperatoris obsequere, & neque Deum prædica hominem, qui ob multas seditiones morti adiudicatus est. Beatus verò Ioannes dixit, ego eundem semper veneror immortalem, & illum annuncio his qui cupiunt sobriam agere vitam. Præses dixit, non opus habemus his multis quæ profers fabulamentis. Nam præceptum tibi est, vt ab hac prædicatione desistas: tamen Apollonidem sanum in hanc ciuitatem restitue, & redde domui suæ. Dixit Ioannes, à prædicatione quam facio non possum desistere, per quam expecto mercedem salutis æternæ, quæ mihi reposita est in fine laboris mei, quam reddet mihi ille quem dilexi, in quem credidi magister meus Christus, qui est benedictus in sæcula. De amico autem tuo Apollonide, si quicquam aduersum me petis, nihil mihi conscius sum in eum aliquid commisisse. Verùm si sinis, ego pro eo discipulum meum mittam, & ipse illum adducet ad te, & si quid habet aduersum nos, ille nos accusabit coram te. Iussit ergo præses ita fieri, & interim Ioannem arctissimè cathenis duabus teneri vinctū. Dixit Ioannes ad præsidem, permitte me priùs Epistolam ad Apollonidem scribere, & post, me mitte in cathenas. Permisit autem præses, & Ioannes scripsit Epistolam hæc continētem. Ioannes Apostolus Iesu Christi filij Dei viui spiritui pythoni qui habitat in Apollonide, Præcipio tibi in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, vt exeas à creaturā Dei, neque vlterius introeas in eum, neque habites in insula ista, sed secede in locum inaquosum, quem nulli habitant hominum: Et hæc ego Ioannes tibi præcipio in nomine sanctæ Trinitatis. Hanc Epistolam ego Prochorus suscepi, & abij in vrbē vbi diuersabatur Apollonides: erat autem spatium miliarium sexaginta. & ingressus ciuitatem, ipsum requisiui, post biduum ipsum repetiens, statim vt accessi, Spiritus immundus discessit ab eo. Et exeunte spiritu immundo Apollonides continuò factus est sui compos, & humana consuetudine intelligens, & sciens, & dixit mihi: quare huc venisti bone discipule benignissimi magistri? Ego autem respondi, vt prudentiam tuam accerserem, & te ad præsidem sororium tuum ducerem, & in domum tuam, & ad tuum dilectissimum Patrem. Statim ergo iussit parari equos, & iussit me ascendere, & ex ciuitate exeuntes, nos ad iter accinximus.

Cynops magus insignis.

*Deest quidpiam.

Epistola B. Ioannis Pythonem eicit.

& duoi perueniſſemus in vrbem, interrogauit me Apollonides, vbinam eſſet manſio magiſtri mei? ego verò inquio illi, præſidem illum catbeois duabus vinctum in carcerem conieciſſe. Audiens autem Apollonides neqoedo num eſt ingreſſus, neque ad præſidem eſt profectos, neque quenquam de notis ſuis eſt allocutus: ſed doxit me ad carcerem, & pulſanti illi cuſtos carceris aperuit, illi ad pedes, cùm enim cognouiſſet eſſe Apollonidem, ſe inclinans. Ingreſſus ergo Apollonides, vbi vidit Ioannem, pronus adorauit in terram. Ioannes verò illom erexit, & dixit fili, Deus te benedicat: & ſtatim Apollonides ſoluit Ioannem à vincolis, & dixit cuſtodi carceris, Si Præſes quicquam tibi dixerit, & quare ſoluiſti eum? Dic illi, quoniam Apollonides venit, & ſoluit eum. Et duxit nos in domum ſuam. Erant autem Pater, Mater, & Fratres eius luctum facientes pro abſentia Apollonidis. Cæterum vt eum viderunt, ſurrexerunt omnes præ gaodio, & ipſum cum lachrimis amplexati oſculati ſunt eom. Et dixit Pater, quid tibi factum eſt fili, quia de domo mea effugeris, & mihi, & Matri tuæ & fratribus tantum luctum reliqueris? Reſpondit Apollonides: domus noſtra plena peccatis & ſceleribus fuit, in quam dum introiſſet dilectus Deo Apoſtolus Chriſti Ioannes, ignorauimus quis eſſet, & quis eum miſerat, & etiam ille qui miſſus eſt an à Deo eſſet, an ab aduerſario & maligno. Veruntamen Pater factum eſt vt dimiſſo eo cognouerim ab aliis quis eſſet, & quis eum miſiſſet, priuſquam reuerterer? Hæc audiens Myron credidit Filio ſuo, & dixit: Fili mi, ſi res ita ſe habet, vadamus ad præſidem, & annunciemus ei hæc, quoniam me conſcio miſit Ioannem in carcerem. Dixit autem Apollonides, noli de hac re, optime Pater, eſſe ſolicitus, Ioannem iam ſolui, præſes geoer tuus eſt, & vult quæcunq; voluerimus. Et Apollonides introduxit Ioannem. Ad quem conuerſus dixit, annuncia nobis optime magiſter, aliquod verbum nobis vtile, per quod accipiamus à te lumē æternum. Ioannes verò dixit, volo priùs nobis narres, cur hanc domum deſeruiſti, & in aliā te vrbem contuliſti. Tunc ſuſcepit Apollonides cauſam fugæ ſuæ hinc oarrare: Non (inquit) Patrem, neque matrem fugit, exactum iam pluribus annis dum in lectulo meo dormiens requieſcerem, venit quidam, & tetigit me, & ego protinus excitatus vigilaui, & vidi illum qui me excitauerat, erántque oculi eius grandes vt faces ardentes, & facies eius ſicut fulgur, & dixit mihi, aperi os tuum, & ſtatim vt aperui os, iotroiuit per os meum in ventrem meum, & impleuit ventrem meum: & ex illa die cognoui omnia mala, & bona quæ domui noſtræ accidebant: & non ſolum iſta, ſed quæ mihi neceſſaria erant, dicebat. Et veniebant ad me omnes, & negotiorom ſuorum quæſtiones proponebant, ſed cùm in hanc domum ingreſſus es, dixit mihi Apollonides, hic homo magnus eſt, & ille verò nuſquā me permiſit, dicens mihi, ſi Ioannes non interficiatur, nequaquam poteris vnquā in domum tuam regredi. Iotertogaui etiam Cynopem, & hæc eadem mihi aſſeruit. Verùm vt diſcipulus locum ingreſſus eſt vbi morabar, illicò vidi illum qoi per os in me ingreſſus fuerat, in eadem forma qua intrauerat, egredi: & continuò ſenſi me à multo labore liberatum, & magna conſolatione ac lætitia repletus ſum, & gratificatus ſum diſcipulo. Dixit autem Ioannes Apollonidi: fili, hæc eſt vna de virtutibus & beneficentiis Ieſu Chriſti Filij Dei, qui crucifixus pro nobis, & qui reſurrexit. Ille verò qui corpus tuum ſubintrauit, ſpiritus erat Pythoniens, qoi cùm ingrederemorin domum tuam, eiecit te de ea, ne eum à te expelleremus, & cogeremus eū per virtutem Ieſu Chriſti. nunc autem Fili mi non ſolum per increpationem & veri Dei virtotem reſtitimos maligno unumquódque ſpiritui, ſed etiam per epiſtolam noſtram illum eiecimus. Et accepit à me Ioannes epiſtolam, quam aduerſus ſpiritum Pythonem miſerat, & illam Apollonidi exhibuit. Quam cùm legiſſet, aſſumpto Ioanne & me, & fratribus, profectus eſt ad præſidem ciuitatis, & illi omnia enarrauit, & quæcunque à ſpiritu nequā fuerat perpeſſos, & quo pacto, beneficio Ioannis Apoſtoli Ieſu Chriſti, & Prochori diſcipuli eius, fuerat liberatus. Hæc cùm audiſſet præſes, capite inclinato nobis gratias egit, & ex illo tempore multum dilexit Ioannem magiſtrum meum, & eo tandem dimiſſo, in domum Myronis reuerſi ſumus.

Apollonides ſoluit cathenas D. Ioannis.

Somnium Apollonidis.

Baptizat D. Ioannes familiam Myronis & Chryſippam vxorem Proconſulis Inſulæ Pathmos.

CAP. XXII.

IOannes autem repletus Spiritu-ſancto cœpit eis narrare magnalia Dei, & inſtruxit eos diuinis ſcripturis, & rogaoerunt eum vniuerſi vt baptizaret eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti; & baptizauit Ioannes io die illa omnes qui erant in domo Myronis. Et vxor præſidis, Myronis filia, cui nomen erat Chryſippa, videns Patrem, Matrem, & Fratres ſuos in Filium Dei credentes, dixit viro ſuo: Ecce tota domus Patris mei credit in Deum crucifixum, quem Ioannes prædicat, cupio ergo vt credamus, & glorificetur domus noſtra, ſicut domus Patris mei: & dum in poteſtate conſtitutus es, & amplius habes, adiuua nos aduerſus illos qoi Ioannem inſtitutorem noſtrum perſequuntur. Cui reſpondit vir eius, mihi id non licet quod ſuades, dum prouinciæ magiſtratum gero. Nam ſecta Chriſtianorum omnibus hominibus non ſolùm regibus contemptui & execrationi habetur, & cæteri homines vbi viderent Ioannem & alios Chriſtianos, domum meam & domum Patris tui freqoentantes, tanquam ſuſpicantes nos eſſe Chriſtianos, nos habebunt deſpectui, & orientur diſſenſiones, & domos noſtras ſuccendent, me magiſtratus adminiſtratione priuantes. At verò ſi ſenſerint me ritum eorum ſeruare, etiam propter me cæteris vobis exhibebunt honorem. Nam dum magiſtratum gererem in Græcia, in aperto ritus eorum ſum ſecutus, in occulto tamen illis qui credebant in Chriſtum benefaciebam. Dum ergo expleuero præfecturæ tempus, accommodatius erit vt efficiar Chriſtianus. Tu verò tecum aſſume Filium noſtrum, & ingredere domum Patris tui, & auſculta diligenter doctrinam Ioannis, & tu & Filius tuus baptizamini, conſeruantes præcepta Chriſti. Vide ne deſpicias vnum de verbis illis quæ loquitur Ioannes, neque mihi renunties quæ annunciabit tibi priuſquam efficiar Chriſtianus. Nam ſi leges Græcorum damnant eos qui deorum ſuorum myſteria pandunt, quanto magis Chriſtiana, quam prædicat Ioannes Chriſti Apoſtolus? Apoſtolus, illos damnat qoi reuelant arcana Dei ſui. Cuſtodi ergo Chariſſima, teipſam & Filium noſtrum vnicum. Et hæc cum dixiſſet, Chryſippa continuò diſceſſit à viro ſuo, & aſſumpto filio ſuo venit in domum Myronis Patris ſui, & ingreſſa, prona ſalutauit Ioannem, & Patrem & Matrem, & Fratres ſuos. quo facto dixit ad eam Ioannes, qua ex cauſa ad nos veniſti Filia? quæ reſpondit, huius rei cauſa optime magiſter, vt per te glorificetur domus mea, ſicut & domus Patris mei. Et ait illi Ioannes, rectum faciat Deus cor tuum in ſeipſo, & cor viri tui, & filij tui, & conſeruet vniuerſa quæ in domo tua ſunt. Et procidens Chryſippa ad pedes Apoſtoli adorabat & dicebat, optime magiſter, da mihi ſignaculum Chriſti, & Filio meo, & efficiamur participes domus Patris mei. Reſpondit Ioannes, priùs eamus, & alloquamur virum tuum, vt cum eius conſenſu purificeris. Tunc Chryſippa cœpit illi narrare vniuerſa quæ audierat à viro ſuo. Et gauiſus eſt valdè Ioannes cùm audiuit conſenſum præſidis, & catechizauit eam, & Filium eius, & dicens præcepit omnia præcepta fidei Chriſtianæ ſeruare, & baptizauit eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Videns autem Myron, quòd Filia cum Filio credidiſſet in Chriſtum, gauiſus eſt, & attulit

Baptizatur familia Myronis.

Chryſippa à D. Ioan. baptizatur.

multam pecuniam coram Filia sua dicens: adsunt bona, Filia, quæ poterũt nobis sufficere, ne (precor te) domum meam & mensam amplius deseras, neq; tu amplius cum Filio tuo cures in domum tuam redire, ne inter te & virum de Christo oriatur contentio. Cui Chrysippa dixit: si vis Pater, vt tecum maneamus, sit hæc pecunia semper tua: ego verò cum Filio in domum transiens vbi auri argentique multum congestum habemus, & hinc quantum nobis necessarium fuerit sumens, ad te in domum tuam reuertemur, & vnus & idem erimus. Hæc autem audiens Ioannes dixit Myroni, nequaquam licet quæ tu & Filia tua condicitis: Nam Christus neque iussit neque misit me separare vxorem à viro suo, neque virum ab vxore, reuertatur ergo Filia tua cum pace in domum suam, præsertim cùm ipsa in Christum crediderit consentiente marito. Confido in Domino qui me misit magnalia sua euangelizare, quòd vir suus Christo annumerabitur: pecuniam autem de qua inter vos sermonem fecistis, pro Christo erogetis pauperibus, sicut dicit scriptura, qui pauperi tribuit, Deo tribuit, & secundum datum eius retribuetur ei. Dixit enim Dominus Iesus, misereminí & miserebitur vestri: eadem enim mensura qua metieritis, remetietur & vobis. Et his dictis remisit Ioannes Chrysippam & Filium eius ad præsidem virum suum, & nos remansimus in domo Myronis. In crastino autem protulit Myron thezaurum suum ad pedes Apostoli Ioannis, & dixit, suscipe Domine mi, pecuniã hanc, & diuide pauperibus. Dixit autẽ illi Ioannes, grato animo excipio propositum tuum, quod ex Dei amore prouenire cognosco. Et nunc quæ tua sunt, in tua prouidentia relinquo, distribue ea manibus tuis, illis qui opus habebunt. Myron autem secundum Apostoli præceptum pauperibus & egenis sua distribuebat, & multiplicabat ei Deus omnia quæ in domo sua erant, & cum gratiarum actione gaudebant in Domino vniuersi, quia distribuebatur vnicuique vt opus erat.

Fides nõ dirimit matrimonium.

Prouerb. 18
Matt. 19.
Matt. 4.

Myron sua multiplicandi pauperibus erogat.

Basilius Tribunus cum vxore credit, quæ fœcunda fit ex sterili.

CAP. XXII.

ERat autem in ciuitate illa quidam diues homo, cui nomen erat Basilius, & nomen vxoris eius Charis, quæ erat sterilis. Is autem venit ad Rhodonem nepotem Myronis, cui dixit: quidnam factum est vt Myron auunculus tuus ita peregrino isti consentiat, vt neque nobiscum sedeat, neque recipiat, neque sermones communicet? Dixit illi Rhodon: doctrinam eius sanã agnoscimus, & nos cum multis eum libenter audimus. Dixit Basilius, cùm tanta de eo audiam, dicat vt vxor mea Filium pariat: Cui Rhodon, dico tibi Basili, quia potens est hoc in nomine Dei sui facere. Hæc audiens Basilius properauit festinanter ire in domum Myronis, vt Ioannem videret. Interrogauit igitur si Apostolus Christi illic hospitaretur. Intelligens autem ita esse, dixit puero se velle alloqui Ioannem, qui nunciauit Myroni, & Myron Ioanni dicens: Basilius tribunus quidam pro foribus stans te cupit alloqui. Hæc audiens Ioannes cõtinuò surrexit, & processit illi obuiam. Basilius verò se illi pronus humiliauit. Cui Ioannes dixit, impleat Deus omnes petitiones cordis tui in bonum: & beatus homo qui non tentauit Deum in corde suo. Israelitæ enim tentauerunt Dominum ad aquas contradictionis, & eduxit Dominus de petra aquas vt flumina, ita vt de ea biberent increduli: panem etiam Angelorum dedit eis ad vescendum, & ipsi tanquam ingrati & talem cibum fastidientes petierunt carnes ad edendum, & audiuit Dominus voces eorum, & dedit illis ingratis & duro corde carnes in abundantia, ita vt verteretur eis in abominationem, tu verò Basili, noli tentare Dominum, sed firmiter crede in eum, & ipse vxorem sterilem visitabit, & omnes petitiones tuas implebit. Videns autem Basilius

Basilius tribunus credit in Christum.

Num. 20.
Deut. 32.
Num. 23.

A quia cuncta quæ erant in corde suo aperuit, obstupuit & admiratus est vehementer. Cui iterum dixit Ioannes: fili Basili, crede in Iesum Christum Filium Dei, & omnem voluntatem tuam propter fiduciam tuam dabit tibi. Respondit Basilius, Credo vt dixisti, sed & nunc te obsecro roga Deum tuum, vt vxor mea habeat Filium. Cui Ioannes, dixit tibi crede, & agnosces gloriam Dei. Et cùm benè instruxisset eum, exiuit Basilius è domo Myronis, & abiit gaudens in domum suam, nunciauitque cuncta quæ audierat a Ioanne vxori suæ: quæ non multò post cum viro suo accessit ad Ioannem, proni venerantes eum. Et dixit Ioannes ad vxorem Basilij, Charis, gratia Dei illuminet cor tuum, & cor viri tui, & tribuat tibi fontem vteri tui bonum. Et cùm multa diu natum scripturarum prædicatione confirmasset corda eorum, requieuit gratia Dei super
B illos: & rogauerunt vt baptizarentur; & baptizauit eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et rogauit Basilius Ioannem, vt intraremus domum suam, & maneremus apud eum: sed non permisit Myron vt abiremus, nisi vt tantùm Ioannes domum Basilij benedixisset, orans nos quàm primum in domum suam reuerti, fecimus ita, & orationibus Ioannis vxor Basilij peperit ei Filium, & vocauerunt nomine magistri mei Ioannem, & facta est lætitia magna in tota eius familia. Et priusquã natus esset puer, ipse & Charis vxor eius obtulerunt Ioanni magnam pecuniam, vt distribueret indigentibus. Ioannes autem dixit Basilio, vade fili mi in domum tuam, & ea quæ tua sunt, & habebis thesaurum in cœlo.

Benedicitur domus.

Nomen Apostoli imponitur infantulo.

C

Rhodon deposito proconsulatu baptizatur.

CAP. XXIII.

CVmque vir Chrysippæ filiæ Myronis duos annos in præfectura complesset, depositus est, & alteri commissa est administratio. Veniens igitur in domum soceri sui dixit ad Ioannem: perturbatio rerum huius mundi afflixit animam meã, & priuauit me auro multo, & argento, & bonis quàm plurimis: veruntamen rogo sanctam animam, vt baptizes me, & purifices à delictis meis. Ioannes autem consulatorijs verbis confortauit eum, & confirmauit verbis diuinis, & sancta doctrina instruxit, monuitque vt toto corde crederet in Iesum
D Christum crucifixum, saluatorẽ omnium, & baptizauit eum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & baptizatus reuersus est in domum suam.

Cresi Iudicis filius liberatur à dæmonio, & baptizatur.

CAP. XXIIII.

ERat in eadem ciuitate homo quidam nomine Cresus, & vxoris nomen Selene, quibus erat vnus filius, qui vexabatur à spiritu immũdo, & Cresus iudex erat in ciuitate illa. Vt ergo audiuit Ioannẽ magnas virtutes in nomine Iesu operari, assumens filium suum venit in domum Myronis. Quem vt vidit Ioannes, dixit: Crese,
E peccata tua filium tuum perdunt: Si in Deum verum credideris, magna ab eo percipies beneficia, laudẽmque merebêris. Noli in iudicio contra animam tuam faciem personarum accipere, & sic adimplebis Dei mandatum: & his dictis Cresus dixit, Domine quid me oportet facere, vt filius meus saluus fiat, & liberetur à spiritu immundo? Dixit Ioannes, Crede in Iesum Christum crucifixum, & curabitur filius tuus: & dicit Cresus, Credo Domine, tantummodò sanetur filius meus. Tunc apprehendens Ioannes per dexteram filium eius, ter cum signo Crucis signauit, & eiecit ab eo dæmonium. Videns autem Cresus quod fecit Ioannes signum, procidens ad pedes eius adorauit eum. Et incipiens Ioannes de dictis sanctarum scripturarum, catechizauit eum;

Cresi filium dæmoniacũ sanat D. Ioannes.

& ille glorificans Deum, & confitens Iesum Christum verum Deum esse, & se credere in eum, abiit in domum suam, & rediens assumpta vxore sua, & filio, & pecunia multa reuersus est ad domum Myronis ad Ioannem Apostolum, dicens: accipe Domine, pecuniam istam, & da mihi, & vxori, & filio signum Christi. Dixit ei Ioannes, signaculum Christi pecunia non eget, sed fide legitima. Vide ne talia cogites, sed redi in domum tuam, & da pauperibus. Cúmq; ita factum fuisset, baptizauit eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & dimisit eos abire in domum suam in pace.

B. Ioannes verbo disiecit Apollinis templum, proinde caeditur à sacrificulis & comprehenditur.

CAP. XXV.

B Postquam apud Myronem tribus annis mansimus, in quem locum conueniebant qui crediderant, vbi & eos docebat & baptizabat, exiuimus à domo Myronis, & venimus in publicum locum, vbi constructũ erat templum Apollinis, vbi erant congregatæ turbæ multæ, & alloquitur eos Ioannes. Quidam credebant iis quæ audiebant, & quidam dissentiebant. Erant autem in eodem loco Sacerdotes Apollinis, qui dixerunt iis qui audiebant Ioannem: viri fratres & amici, cur attenditis verbis & ludificamentis hominis istius, & obsequimini fallaciis eius? nónne propter maleficia sua exulat in hac insula? Quomodo excæcata sunt corda vestra nescientes veritatem? ne auscultando virum grauem, magnis diis facitis iniuriam, qui immortales Deos afficit contumelia, C & præcepta imperatorum contemnit. Ioannes hæc audiens dixit Sacerdotibus Apollinis: vt intelligant omnes quoniam dij vestri non sunt dij, ecce ex nunc relinquetur vobis domus hæc deserta: & statim hoc dicto verbo secuta est templi ruina, neque lapis in eo remansit, nullus tamen circumstantium periit, neque eorum quisquam læsus fuit. Videntes autem id Sacerdotes, irruerũt in Ioannem, & multis illatis plagis sauciauerunt, & recluserunt eum in tenebrosum & obscurum locum, addentes insidias ad eum custodiendum, & abeuntes annunciauerunt præsidi dicentes: Ioannes seductor ille & magus maleficiis suis templum magni Dei Apollinis subuertit: ne sinas tantam in deos immortales contumeliam inultam. Hæc audiens præses, contristatus D est valdè, & iussit vt mitteremur in carcerem. Cùm autem hoc peruenisset ad Myronis & Apollonidis cognitionem, abierunt ad Acdam, qui tunc erat præses, & in locum viri Chrysippæ suffectus, & erat de Synope quæ est in Ponto colens Apollinem. Vbi verò ingressi sunt, dixerunt præsidi, oramus benignitatem tuam, vt reddas nobis Ioannem peregrinum, & siquid aduersus eum habes, in nobis sit si dignus mortis inueniatur: si autem nihil dignum mortis comperiatur, quid in eum tam seuerè animaduertis? Dixit præses: audio virum magum esse, & cunctis hominibus perniciosum atque maleficum: quid ergo si susceperitis eum, & magia sua effugerit à vobis? Respondit Apollonides, si effugerit à nobis, vita nostra pro vita sua sit, & bona nostra sint E tua. Et illicò præses annuit eis eorum voluntatem fieri, quia Myron & Apollonides viri prudentes & percelebres erant inter vniuersos qui in vrbe illa morarentur. Ingredientes igitur carcerem soluerunt vincula Ioanni, & induxerunt nos in domum eorum. Et Myron gaudens dixit Ioanni, sedeas nunc nobiscum in domo serui tui, & ne secedas in vrbem, quia homines maligni sunt & violenti, ne fortè te cum Prochoro discipulo tuo interficere attentent. Respondit autem Ioannes, non misit ô Myron Dominus Iesus Christus, vt quiescam in domibus, sed misit me ad iniquos & violentos dicens: ecce ego mitto vos in medio luporum: Nolite ergo eos timere qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: & iterum dixit nobis, quia oportet nos per A multas tribulationes intrare regnum Dei, & nos etiam habuimus possessiones & domos, sed dixit nobis Dominus: relinquite omnia & sequimini me, & nos omnibus relictis secuti sumus eum. Et paratus sum non solùm alligari, flagellari, & haberi derisui propter nomen suum, sed millies occidi, & in omnibus patientiam habere, nec ab hac doctrina discedam, donec cursum vitæ huius impleuero; sæpè enim dixi vobis, moriamur pro eo, vt per eum liberemur à morte perpetua, quæ comprehensura est eos qui non credunt in eum. Et cùm hæc dixisset Ioannes, non diu stetimus apud Myronem, sed exiuimus ab eo.

Templi Apollinis ruina.

Matt. 10. Act. 14.

Apostolus Rhodonem proconsularem virum baptizat, dæmoniacum sanat, & paralyticum.

CAP. XXVI.

Venimus autem ad quendam locum in quo decumbebat paralyticus, qui transeuntibus de bonis suis distribuere solebat. Dixit autem ad Ioannẽ, bone Christianorum magister, ne pertranseas seruum tuum. Dixit illi Ioannes: quid vis vt faciam? Paralyticus, Panem habeo, & condimenti paululum, ne confundaris mecum sedere & sumere cibũ, sed annue precibus serui tui. Nam peregrinus ego sum, in quo collecta sunt omnia parentum delicta, me, vt hic maneam constringentia: vt pro me & ipsis diram hic agam pœnitentiam, & cùm video peregrinum, illi compatior, & in eo requiescit anima mea. & hæc audiens Ioannes miserans sortes eius, condoluit & dixit paralytico, & nos modò tecum exultabimus & lætabimur, & tu pariter nobiscum. & cum eo bibimus & comedimus. & abeuntes ab eo, occurrit nobis mulier vidua, quæ dixit Ioanni, Domine vbi est Templum Apollinis? qui dixit: quid tibi cum Templo Apollinis? quæ dixit: vnicum mihi filium spiritus malus corripit, & sæuissimè vexat: idcircò huc veni, vt rogarem Apollinem vt mihi succurrat, & inueniam aliquam cõsolationem. Ioannes dixit, de qua ciuitate es? quæ dixit, de nulla, sed pagana mulier ego sum, nũquam ciuitatem nisi nunc ingressa. Dixit Ioannes, quot annes iam spiritus malignus eum vexat? Respondit mulier, iam tres & triginta, & multum sæuus est, & violentus. Cui Ioannes, reuertere mulier in domum tuam: Nam in nomine Domini mei Iesu Christi sanabitur puer tuus, & reuersa mulier in domum suam, inuenit filium à spiritu immundo liberatum. Postea reuersi sumus in eundem locum vbi iacebat paralyticus, & dixit Ioannes: ecce nunc tecum venimus ad prandium, quis ergo ministrabit nobis? Et dixit paralyticus, dum ad vos fatigandos primum inuitaui, & vt mihi ministraretis & vos nunc ministrabitis, quia neque mihi neque vobis valeo ministrare. Dixit autem Ioannes, nequaquam ita erit, sed tu ministrabis nobis, & tenens manum eius erexit eum dicens, in nomine Domini nostri Iesu Christi surge, & continuò surrexit, sanus factus, & incolumis, & magnificans Deum ministrauit nobis. Quo facto reuertimur in domum Myronis, in qua inuenimus Rhodunem nepotem eius: & rogauit Ioannem vt daret ei signaculum Christi, & ille instruens eum baptizauit, In nomine sanctæ Trinitatis. Postea autem venit peregrinus ille qui fuerat paralyticus, & ingressus procidit ad pedes Ioannis. Videntes verò qui aderant, factum sanum, valdè admirati sunt, & interrogauerunt eum quonammodo factus esset sanus: qui statim omnem modum suæ sanitatis aperuit, ideò veni, inquit, rogare Ioannem, vt mihi det illuminationem Christi, in cuius nomine saluum me fecit. at Ioannes docens eum, & de fide Catholica confirmans, baptizauit illum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Dæmoniacus mundatur.

Paralyticus sanatus.

Charus Iudæus blasphemans redditur mutus, dein resipiscens tingitur.

CAP. XXVII.

Sequenti die exiuimus è domo Mytonis, & venimus in locum quendam maritimum, vbi erat officina fullonum. Vnus autem eorum Iudæus, nomine Charus, ex scripturis Mosi alloquebatur Ioannem. Ioannes verò illi scripturam secundum spiritum aperiebat, & narrabat ei quæ de filio Dei scripta erant, de incarnatione, de passione, sepultura, & resurrectione ex mortuis, de ascensione ad cœlos, & de sessione ad dexteram patris: & de glorioso aduentu eius ad iudicium: Charus autem hæc omnia conuertebat in blasphemias. Tunc Ioannes dixit illi: desiste blasphemare, & obmutesce: & continuò Charus factus est mutus, nec potuit vllo modo loqui. Viri autem qui aderant, mirati sunt quomodo solo verbo tam citò secuta est sententia. Effluxis fermè tribus diebus, venit turba amicorum Chari ad Ioannem, indignata & succensens Ioanni, dicentes: quid effecisti Charo qui amicus noster est, vt efficeretur mutus, & loqui nullo modo posset? Quibus respondit Ioannes: viri fratres quid mihi succensetis, & imputatis quòd ipse per verba eius maligna Dei omnipotentis incurrerit indignationem, & induxerit super se vindictam quam modò sustinet? qui enim non consentit de Deo loquenti, non protinus debet more canis insurgere, sed cū patientia audire, & postmodum quæ rationabilia videbuntur ad id propositum adducere. Tunc quidam inter eos qui sapiens videbatur, dixit: Magister, aliquādo contingit vt vinum non habeat suauitatem, nec lac dulcedinem: sic & de hominibus euenit, vt malus homo bona verba emittat, & bonus aliquando mala. Et cùm hoc dixisset, innuit Charo, vt veniam peteret à Ioanne: qui statim concidens ad pedes eius; alter qui inter eos sapiens videbatur, dixit: Magister, vt benignus es, nunc dissolue, quæ ligasti. Dixit autem Ioannes ad Charum, quia in Deum peccasti, sicut in nomine Iesu Christi os tuū clausum est, ita & in nomine eius aperiatur: & continuò locutus est Charus Iudæus, & prostratus ad pedes eius dicebat: veridice Magister, scimus per scripturas, Patres nostros olim Deum ad iracundiam prouocasse. Ille verò pro sua clementia & benignitate remisit eis delictum, etiam si peccaui in Deum qui te misit in hanc insulam, ora pro me vt remittat mihi hoc peccatum, da mihi seruo tuo baptismū gratiæ. Tunc Apostolus eum catechizauit, & instructum baptizauit in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti.

Iudæus blasphemans obmutescit.

Cynops Magus ostentis & præstigiis multa in B. Ioannem committit.

CAP. XXVIII.

Dum hæc ab Apostolo Christi in Pathmo agerētur, morabatur in eadem insula magus quidam nomine Cynops, & locus eius ab vrbe distabat stadiis quadraginta in loco deserto, habitabátque in spelunca quæ erat immundorum spirituū habitaculum, & quadraginta in loco habitare sanaerat. Prædictum tamen magum propter præstigias & ludificamenta dæmonum quæ ostentabat, omnes in insula commoerantes vt Deum habebāt. Ad hunc igitur magum confugerunt Apollinis Sacerdotes postquā viderunt Ioannem liberè docere & prædicare & dimissum à præside, neq; coërcitum post templi Apollinis euersionem, quod dirutū fuerat à Ioanne. Et dixerunt illi, per multos annos te in hac insula consistimus ô clarissime Cynops, nunc autem magis tuo adiutorio quàm vnquam antea egemus, ob hoc te precamur, esto tutor & defensor in hac tribulatione quæ accidit nobis. nam Ioannes peregrinus quidam, & à patria sua exul, & ob maleficia sua in hanc Iusulam exilio damnatus, omnes principes & præfectos nostros ita maleficio cœpit, vt omnes ad ipsum declinent: qua fiducia fretus multas in ciuitate excitat seditiones, & templum Apollinis subuertit; quæ cùm præsidi nunciassemus, iussit eum in carcerem claudi: sed Myronidis & Apollonidis precibus, liber consentiente præside factus euasit. Nunc ergo succurre nobis, & occurre illi, quia populus omnes quasi errantes oues ad illum excurrunt, & illi obediunt: ergo nobiscum veniens precatur, tolle maleficia. Audiens autem à Sacerdotibus hæc Cynops, dixit eis; Scitis quia locum hunc nunquam egredior, cur ergo tentatis me hinc abducere? quia sic expedire videtur & vt nos adiuues te omnes obsecramus. Quibus Cynops, nónne vultis vt gloriam meam cōtaminem, & nomē meum inhonorabile reddā, maculatam ciuitatem propter homuncionē vnum intrando, & personam cōtemptibilem quā hactenus nunquā intraui? Nequaquā ita erit, sed cras mittā Angelum meū maiorem in domum quam inhabitat, qui ab eo animā tollat & auferat, & ego eam in iudicium sempiternum. quo audito Sacerdotes prociderunt ad pedes eius, gratias illi agentes, quòd pollicitus esset auxilium suum. & redierunt in ciuitatem. Et mane facto conuocauit Cynops multitudinem dæmonum, & dixit principi eorum: vade in ciuitatem in domum Myronis, & subitò tolle animam Ioannis, & continuò perduc illam ad me, vt eam secundum quod mihi placitum visum fuerit, iudicem. Exiuit ergo dæmon, & ingressus ciuitatem introiuit in domū Myronis. quem vt cognouit Ioannes in quodam secessu locóque semoto residens, dixit illi, præcipio tibi maligne dæmon in nomine Domini nostri Iesu Christi, ne hinc egrediaris, donec causam, ob quam huc venisti, manifestes. Et illicò fecit malignus dæmon tanquam legatus. Et dixit, omnem tibi Apostole Dei veritatem aperiam, tantùm precor ne insuccenseas. Nam venerunt Sacerdores Apollinis ad Cynopem, rogantes eum vt ingrederetur ciuitatem, & te interficeret: ille autem noluit dicens, non ingredi ciuitatem, neque velle gloriam suam diminuere, & nomen suum inhonorare: non igitur id faciam, sed cras mittam Angelum meum qui tollat animam à Ioanne, & adducet ad me, & ego iudicabo eam, & mittam in supplicium sempiternum, & iccircò huc missus sum. Tunc dixit Ioannes spiritui maligno, fuisti aliàs aliquando ab eo missus ad tollendam alicuius animam, & tulisti ad eum? cui dæmon, iam alia vice ab eo missus, sed animas illi non obtuli. Et iterum Ioannes, cuius rei gratia ei obeditis? dæmon dixit, quia omnis virtus sathanæ in eo habitat, & fœdus ac pactum habet cum vniuersis principibus nostris, & nos cum eo pariter pactum habemus, nam & nobis obsequitur Cynops, & nos illi. Dixit autem Ioannes spiritui maligno, præcipit tibi Apostolus Iesu Christi, vt nunquam amodò egrediaris in perniciem & detrimentum hominum, sed nec reuertaris vlterius ad locum vnde huc venisti: sed abi festinanter extra insulam hanc, & continuo spiritus malignus insulam egressus abiit. Videns autem Cynops quia spiritus malignus moras faceret redire, vocauit alium, & præcepit illi vt & prior qui ut venit ad Ioannem, præcepit illi Ioannes, In nomine Domini Iesu Christi insulam protinus egredi. & statim egressus est. Videns Cynopa quod neque secundus reuerteretur, vocauit duos alios spiritus malignos, quibus dixit, ite ad Ioannem, sed vnus solus ingrediatur, & alter stet pro foribus, agnoscens quæ dicet & faciet, & quidnam aliis factum est quo minus reuertantur. Accesserunt ergo illi duo spiritus nequam, & alter intrat ad Ioannem, alter autem, vt iusserat Cynops, pro foribus astat. Percipiens autem Ioannes dæmonem astare, ad quid venisti, inquit, in hanc domum spiritus nequam? Cui dæmon, Cynops priùs ad te interficiendum duos principes dæmoniorum misit, & neuter reuersus est: nunc autem misit duos alios me scilicet & alterum qui nō est ingressus ad nuntium peragendum. Cui Ioannes, præcipio

Cynops magus.

Cynops mittit in D. Ioannem dæmones.

B. Ioannes eiicit dæmones Pathmo.

tibi in nomine eius qui crucifixus est pro salute hominum, ne vltra reuertaris ad Cynopem, sed protinus hanc insulam desere, & illicò discessit, parens verbo apostoli Dei. Cognoscens autem ille qui foris astabat, quod factum est, & complicem suum in exilium coactum, fugit, & abiit ad Cynopem, & ei denarrauit omnia. Cynops autem non proposuit vltra mittere dæmones ad Ioannem, sed aduocata dæmonum legione dixit eis, complices vestri à Ioanne eiecti sunt; & futurum est vos vniuersos hinc expelli, & malè per eum perpeti, nisi illi restiterimus, & parua vobis trepidatio ne fortè veniat, & ingrediatur locum hunc, & vos hoc in loco silentes & mihi ministrantes hinc expellat: sed præsidiis vestris fultus ingressus ciuitatem artes eius euertam, & illum cogam malè interire. Hoc dicto Cynops sumpta dæmonum caterua ciuitatē ingressus est, & tribus solùm sumptis, reliquos extra vrbem voluit remanere. Cúmque introisset Cynops ciuitatem, commota est vniuersa ciuitas, & occurrerunt ei quamplurimi, quia nunquam ingressus erat eam antè, qui ad eum congregati mirabantur, & de variis cum rebus percontabantur: qui vnicuique iuxta eorum interrogationem respondit. Et dixit ad me Ioannes, fili Prochore, magnanimus esto & non pusillanimus: nam Cynops nos in multas anxietates & tribulationes est missurus. Tunc aggregati sunt vniuersi fratres qui baptisma susceperant à Ioanne, vt erudirentur & confirmarētur ab eo. Ex præcepto Ioannis decem diebus mansimus in domo Myronis, nusquam egressi ob seditionem quæ in ciuitate à Cynope commota erat, & ne per insidias ab inimicis circumueniremur, consolabatur insuper nos dicens, confortamini & estote viriles, nam videbitis virtutem Dei & gloriā eius. Et paruo tempore vniuersa ciuitas collecta est, vt audiret Cynopem: & admirabātur vniuersi de sermone & verbis eius. Post decem verò dies dixit mihi Ioannes, Surge fili Prochore, eamus in locum vrbis, cui nomen * & dum illic sederemus, conuenerunt multi vt audirent Ioannem. Audiens autem Cynops quòd Ioannes doceret populum, & videns populum libenter audientem Ioannem, dixit turbæ circumstanti, O viri cæci & à via veritatis aberrantes, si iustus est Ioannes, & bona & vera sunt opera, & sermones eius, ego credam: sin autem reperiatur iniustus, & eius opera mala, sine ego iustus & mea opera bona & vera, nolite illi sed mihi credere. Et apprehenso Cynops quodam adolescente interrogat eum si suus pater viueret: qui respondit, non: sed nobis nauigantibus inter duas naues illisus periit. Tunc Cynops dixit ad Ioannem, ostende nunc si vera sunt quæ doces, & reuoca de mari patrem huius adolescentis, & redde patrem filio. Hoc toto vidente populo dixit Ioannes, non misit me Dominus ad resuscitandos populos, sed docere & eripere homines qui à diabolo sunt decepti. Et dixit Cynops ad circumstantem populum, non omnia satis creditis ô viri qui hanc vrbem incolitis, magum esse Ioannem, & per magicam seductum? Ideircò volo vt eum teneatis, donec adducam patrem huius adolescentis, & illi viuum restituam cernentibus vobis. Tunc Cynops duxit populum ad littus maris, & statim expansis vtrisque manibus fecit plausum magnum, & ab oculis omnium disparere visus est: & ingens pauor omnes inuasit. Quæ cùm vidissent turbæ factum, clamauerunt dicentes, magnus est Cynops, & non est Deus alius maior eo. Et statim Cynops ascendit de mari, habēs secum dæmonem formam similem patris adolescētis habentem, dixitq; Cynops ad iuuenem, iste est pater tuus? qui respondit, est, domine: & expauerunt & adorauerunt omnes proni Cynopem, volueruntque interficere Ioannem: sed nolite, inquit Cynops, nam maiora his videbitis, & tunc punietis eum seuerè. Aduocauit antè Cynops alium hominem, quem interrogauit dicens, habes ne filium? qui respondit, habui domine, sed per inuidiam alius sustulit eum. Tunc Cynops voce magna exclamans vocauit eos nominibus propriis, & continuò astiterunt dæmones duo, vnus in forma eius qui occisus est. Tunc dixit Cynops viro, cuius filius occisus fuerat: hic est filius tuus? qui dixit, etiam Domine. Et dixit Cynops Ioanni, non miraris super signis his quæ vidisti? Dixit Ioannes, non. Et dixit Cynops, si te hæc signa non mouent, maiora his videbis, & nisi te signis & portentis vicero, non sinam te interim. Et respondit illi Ioannes, hæc signa & portenta tua statim tecum tollentur. Audientes autem turbæ dixerūt Ioanni, ô profuge, exul, & ignote, cur in optimum Cynopem blasphemas? & irruentes in eum more sæuientium ferarum deiecerunt eum in terram discerpentes & lacerantes. Et Cynops credens ipsum mortuum esse, dixit ad turbam, sinite insepultum, vt volucres cœli & bestiæ terræ comedant illum, & videbitis si Christus quem prædicat suscitabit eum. Putantes ergo Ioannem esse mortuum, abierunt gaudentes vnusquisque in domum suam. Mansit ergo Ioannes in illo loco absconsus vsq; ad secundam noctis horam, & ego veni in eum locum dolens, vt viderem magistrum meum, & appropinquans ad eum dixi, quidnam modò tibi est domine? qui dixit mihi, festina in domum Myronis, quia illic sunt omnes fratres congregati luctum magnum deducentes, annuncia eis quia ego per gratiam Iesu Christi viuus sum, & continuò ad me reuertaris. Et perrexi ego citissimè ad domum Myronis, & inueni fratres congregatos planctum magnum super Ioannem, vt mihi dixerat, faciētes, & pulsante me fores, non audebant aperire timentes insidias eorum qui erāt ex parte Cynopis magi. Sed me clamante & perseuerāte, vnus ministrorū Myronis agnoscens nunciauit eis quia Prochorus pulsaret ad ianuam: & illi statim aperientes, vt viderunt me obstupuerūt, nam putabant me vnà cum Ioanne esse mortuum. Et dixi ad eos, nolite turbari fratres, nam magister meus viuit, & salutans vos misit me ad vos. Audientes autem quòd Ioannes viuus esset, præ gaudio noluerunt à me aliud sciscitari: sed properantes cucurrerunt ad locum vbi erat Ioannes, & inuenimus eum genuflexum, & deprecantē dominum Iesum Christum, & oratione completa osculati & amplexati sunt eum. Ioannes verò cœpit eos docere, & monere ne in verbis aut factis Cynopis magi seducerentur. Nam quæ facit, omnia præstigiæ sunt, & ludificamenta dæmonis: sed sustinete, inquit, statim per gratiam Iesu Christi videbitis eum sua arte pereuntem. Ite ergo in domum Myronis, & illic sedentes orate constanter longanimes, donec Deus suam manifestauerit voluntatem: & his dictis eum osculantes abierunt. Cùm ergo matutina lux exoriretur, quidam nunciauerunt Cynopi, quòd Ioannes viueret. Audiens hoc Cynops vocauit quendam dæmonem, per quem sæpè fecerat vt inferi exultarent: & dixit ei, esto nunc mecum paratus. Et continuò assumpto dæmone multa coomitāte turba, venit ad locum in quo eramus. Et appropinquans, inquit Ioanni, volui super te hanc vexationem & hanc maximam confusionem inducere, quare volui te viuere, sed nunc volo vt ad id littus reuertamur, vt omnes videant meam gloriam, & ex tua confusione & interitu gaudeant, quo dicto iussit vt eum tenerent, quousque viderent magnas virtutes eius, & eum in iudicium æternum traderet, & tenuerunt eum.

** Deest quidpiam.*

Dæmones mentiuntur qua suis similitudines

Dæmon exultatio inferni.

Cynopis præstigiæ produntur, isque submergitur.

CAP. XXIX.

PEruenerunt autem cum turba ad locum vbi primas ludificationes ostenderat Cynops. In quo loco inuenimus viros multos pariter & mulieres incensum ponentes: & vbi viderunt Cynopem, prociderunt in terram eum adorantes, duos verò dæmones quos Cynops mouebatur, homines à se suscitatos personæ sequebantur eum. Tunc Cynops plausum vt priùs manibus fecit, & se magno fragore facto misit in mare: & ex-

clamauerunt turbæ dicêtes, magnus Cynops! Et illi duo dæmones dixerunt ad turbam, expectate, quia Cynops mortuus est, & ipse resurget à mortuis. Et Ioannes dixit dæmonibus illis, præcipio vobis spiritus immundi, state hic immobiles donec orauerim, & statim Apostolus extensis in cœlum manibus & cancellatis in formã crucis flens, & magna voce clamans, orauit, dicens: Domine qui ad preces Mosi dedisti Israëli subuertere Amalech, vt de cætero solem non videat, Domine Iesu fili Dei viui eiice Cynopem in inferiora abyssi, vt de cætero solem nô videat, neque viuens amplius populos seducat, finita autem prece Ioannis, magnus maris sonos auditus, & facta est magna maris ebullitio in eo loco vbi se Cynops in mare miserat præceps, & illa hora submersus est, nunquã ab aliquo postea visus. quo facto præcepit duobus dæmonibus, qui in forma duorum suscitatorum apparebant, in nomine Iesu Christi qui pro peccatis hominum voluit crucifigi, eos sua morte saluare volens, vt statim egrederentur de regione illa: nec mora, immundi illi spiritus ab oculis omnium euanescentes disparuerût. Videns autem turba quòd in verbo Ioannis non comparuissent illi quos suscitatos credebant esse homines, indignati sunt vehementer aduersus eum, maximè adolescens qui patrem suum vnum eorum esse credebat, & alter qui alterum putabat suum esse filium: & tenentes Ioannem comminantes illi, vnus dicebat, restitue mihi patrem: & alter filium, quos existimabant Cynopem suscitasse, & qui circumstabant pariter dicebant, si beneficus homo fuisses, nô deberas restituta perdere, sed perdita reuocare: sed quia magus, quæ Cynops beneficia côtulit, in perditionem illa conuertisti: aut ergo illos duos tu nobis redde, aut nobis propositum est te interficere. Quidam eorum dicebant: Sinamus, nullum illi malum inferamus, donec iustissimus Cynops redierit, & tunc tradet eum in iudicium sempiternum. Et consenserunt, quia ita Cynops præceperat, & vt de loco illo non discederent; tribus ergo diebus & noctibus ieiuni magnis acclamationibus vociferantes, Maxime Cynops adiuua nos. In illo loco permanserunt, & multi corũ in magnas infirmitates propter cibi inædiam & continuum clamorem inciderunt, ita vt aliqui deficerent, & in loco morerentur.

Orans Apostolus manus decussauit.

Cynops submergitur.

Diuus Ioan. vt suscitauit qui inedia defecerant oblatos diuinos honores abominatur.

CAP. XXX.

VIdens autem Ioannes eos sine ratione perire, misertus ingemuit, & cœpit orare dicens, Domine Iesu Christe, qui me in hanc insulam pro salute eorum qui in ea habitant misisti, immitte eis discretionis sensum, & cordis intelligentiam, vt ne vnus de populo hoc pereat, & facta oratione consolabatur eos dicens, Viri fratres audite me patienter, iam quatuor aduenit dies quòd non comedistis, & adhuc in ieiunio permanetis, expectantes eum qui amplius non veniet. Nam scite Cynopem iusta Dei ordinatione abiisse in æternam perditionem: quapropter oro vos, abite hinc vnusquisque in domum suam, & pro salute vestra cibum sumite. Et cùm hæc dixisset, venit ad eos, qui ex ieiunio defecerant, super eos ita orans; Domine Iesu Christe, qui in nouissimo die & in nouissima tuba genus hominum, qui à sæculo dormierunt, excitabis à morte, extende gratiam tuam super homines hos qui mortui iacent, vt reuiuiscant & excitentur à mortuis: & continuò surrexerunt à morte. Quod signum cùm vidissent turbæ factum à Ioanne, ceciderunt in terrã, & proni adorauerunt eum dicentes: Magister, nunc cognoscimus quia à Deo venisti. Et cùm hæc dixissent, dixit eis qui ieiunio defecti erant, ite filij in domos vestras, & sumite cibum, & reficite animas vestras: Nam & ego etiam vadã in domum Myronis, qui conseruus est Iesu Christi, & postea egrediar ad vos, & ea quæ necessaria sunt, & abierunt vnusquisque in domum suam. Et nos abiimus in domum Myronis, & ex aduentu nostro magnum gaudium factũ est in domo Myronis. Et apposuit Myron mensam, & sumpsimus cibum cum eo. Diluculo autem, conuenit ferè tota ciuitas in illum locum dicentes, Myron, dignus es plurimorum honorum propter virum Dei, & præceptorem bonum qui per te nobis manifestatus est. Perduc ergo eum foras ad nos, vt nos ab eo percipiamus verbum fidei. Putauit ergo Myron hæc illos dolosè petere, vt tenerent Ioannem, vt foras fortè eductum interficerent. Quod cùm vidisset Ioannes, dixit Myroni, ne paueas frater, neque quicquam formides: Nam confido in Domino meo, qui crucifixus est pro nobis, quia nulla mala cogitatio est in hominibus iis; & exiuit ad eos foras, quem vt viderunt turbæ, cœperunt dicere, tu es præcursor noster, & opifex animarum nostrarum, tu es magnus Dominus & Deus, qui illuminas hominem mirabiliter ad illuminationem immortalem. Hæc audiens Ioannes scidit vestimenta sua, & puluere caput respersit, & expauerunt omnes, & Ioannes silentium manu indixit, & tacuerunt. Et ascendit in eminentem iuxta domum Myronis locum, & cœpit eis dicere, Nolite errare fratres & blasphemare, non ego Deus sum: & aperiens scripturas incipiens à Mose per prophetas interpretabatur eis de filio Dei, & quomodo Deus pater filium suum vnigenitum misit in terras, natum de muliere, factum sub lege, vt eos qui sine lege erant, saluaret. cuius (inquit) filij Dei viui ego seruus indignus sum, qui me in hanc insulam misit vt à vobis amoueam errorem, in cuius nomine & virtute, omnia hæc signa & mira quæ videtis, facio. Et cùm eis multa de scripturis enarrasset, descendit de loco illo, & iterum ingressus est domum Myronis, ad quem tunc conuenerunt quidam de turbis, rogantes eum, vt baptizarentur, & eos adhuc instruens baptizauit: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Suscitantur à morte plurimi.

Diuinos honores Apostolus recusat.

D. Ioan. disputat de lege cum Iudæo, & curat infirmum.

CAP. XXXI.

DIe verò sequente egressi sumus cum Ioanne ego Myron, & triginta qui proximè baptisma susceperant, & venimus in hypodromum, hoc est, in locum in quo solent esse cursus equorum. Morabatur autem illic Iudæus nomine Philon, sciens legem ad literam. Quem cùm videret Ioannes, cœpit interrogare de libris Mosi & Prophetarum: ille verò respondebat illi ad literam: & Ioannes interpretabatur secundum spiritum, & cùm illi non conuenirent, dixit Philon, non est opus de scriptura pluribus contendere verbis, sed corde mundo & immaculato, & fides recta & bona placet Deo. & cùm hoc dixisset, desiit Ioannes alloqui eũ, & ecce haud longè iacebat quidam, qui vehementibus vrgebatur febribus, iuxta quem assidebat iuuenis, qui cùm vidisset Ioannem prætereuntem, & turbam sequentem, clamauit voce magna dicens, Apostole Christi miserere huius infirmi, qui malè febre vexatur. Et statim Ioannes appropinquans, sancto crucis signo dixit infirmo, In nomine Domini nostri Iesu Christi, cuius ego licet indignus seruus sum & Apostolus, surge, & vade in domum tuam sanus, & continuò æger surrexit sanus, & genua flectens ad pedes Apostoli, illi gratias agebat.

Signo crucis curatur infirmus.

Iudæus vt vidit vxorem à lepra baptismo mundatam, credit & tingitur.

CAP. XXXII.

VIdens autem Philon, signum quod fecit Ioannes, apprehendens eius manum dixit, Magister quid

A est charitas? Respondit Ioannes, Deus charitas est, & qui habet charitatem, Deum habet, dixit Philon; si ergo quis charitatem habens Deum habet, vt ais, ostende te nunc habere charitatem, & ingredere domum meam, vt simul panem edamus & bibamus aquam, & Deus erit nobiscum. Et statim Ioannes illi acquiescens secutus est eum. Ingresso autem & cibo sumpto, vt prædicationem eius audiuit, vxor Philonis rogauit eum vt baptizaretur. Erat autem mulier illa tacta lepra, & cutis alba vt nix: quæ cùm suscepisset baptismum, omninò curata est à lepra sua, & tota munda. videns autem Philon vxorem suam à lepra sanatam esse, qui priùs erat inflexibilis & contentiosus, factus est humilis & modestus; & procidēs ad pedes Apostoli dixit, Magister bone, per Deum illum quem prædicas, propitius esto mihi, & noli seruo tuo irasci quòd multa locutus sum in contemptum tuæ prædicationis: quæ me nunc pœnitet dixisse, sed precor potiùs vt des mihi signaculum vitæ huius. Catechizato autem eo, & in fide Christi confirmato, baptizauit eum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Philonis vxorem tactā lepra curat baptismus.

Blasphemiæ pœnas luit sacrificulus Apollinis.

CAP. XXXIII.

SEquenti verò die valdè manè egressi sumus de domo Philonis, & conuenerunt ad nos multæ turbæ vt docerentur à Ioanne. venerunt autem & Sacerdotes Apollinis, qui priùs congregauerant vt perderent Ioannem, quòd Templum Apollinis diruisset. Et steterunt C coram eo vt viderēt aliqua eius facta quæ reprehendere possent: & vnus eorum tentauit Ioannem dicens, Magister filium habeo vtroque crure claudum, redde eum sanum, & credam in eum qui crucifixus est, vt prædicas. Respōdit illi Ioannes, si credideris, sanabitur filius tuus. Qui respondit, sana eum priùs, & postea ego credam: cui Ioannes: noli imprudenter loqui, scio quia tentator es, & blasphemias inferre tentas, & ideò in nomine eius qui crucifixus est eris vtroque crure claudus, & continuò ex vtraque parte effectus est claudus, vt ambulare non posset; & dixit Ioannes mihi, vt me vocaret, & ego statim veni coram Ioanne, & dixit mihi, fili Prochore, vade ad filium Sacerdotis Apollinis, & dic ei, dixit Ioannes Magister meus in nomine filij Dei, qui crucifixus est, D sub Pontio Pilato præside, veni ad me, & accedens ad eum locutus sum ei verba quæ Ioannes præcepit mihi, & illicò surrexit sanus & incolumis, & secutus est me. Et cùm venissemus ad Ioannem, ille qui sanus effectus est prouolutus ad pedes eius, gratias illi agebat. Videns autem pater quòd filius sanus esset, exclamauit voce magna, Miserere mei Apostole benedicti Dei. Et Ioannes continuò misertus illius signauit eum signo crucis, præcipiens vt surgeret, & confestim surrexit, qui prouoluēs se ad pedes Apostoli rogauit eum vt baptizaretur, & baptizatus est ab eo, & ille nos duxit in domum suam & mansimus apud illum die illo.

Blasphemia pœnæ.

Signum crucis blasphemum sanat.

Scripta epistola curatur hydropicus & baptizatur.

E CAP. XXXIIII.

ALtera verò die contulimus nos in porticum, quæ Dominani vocabatur, & illic conuenerunt multæ turbæ ad Ioannem. Erat autem illic homo quidam hydropicus, qui decem & septem annos infirmitatem habens decidebat, vt neque se mouere, neque verba proferre posset, is indicto atramentum & chartam petens scripsit ad Ioannem, Apostole Christi Ioannes, ego infœlicissimus obsecro te vt mei miserearis in hac mea infirmitatis necessitate. Accipiens autem Ioannes epistolam, & legens gauisus est in viri fide, & scripsit ad eum: *Homini hydropico Ioannes Christi seruus & Apostolus salutem.*

A Postulas à me tuæ infirmitatis opem, & in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ab infirmitate tua dimittaris, & esto sanus: & cùm accepisset qui aquam patiebatur, epistolam, & legisset, surrexit sanus, nullam in se sentiens infirmitatis læsionem. Et turbæ id signum videntes, quod Ioannes hydropico fecerat, mirabantur, & tanto magis ardebant eius audire prædicationem. Et qui sanus effectus fuerat, procidit ad pedes Ioannis rogans vt daret ei signaculum Christi, & baptizauit eum Ioannes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Epistola curatur hydropicus.

Præsidis domus benedicitur, vxor partu liberatur & tingitur.

CAP. XXXV.

B CVm autem ab illo loco discederemus, ecce quidam missus à præside nobis obuius factus est, & dixit ad Ioannem, Apostole Christi Filij Dei, festina venire in domum præsidis: vxor enim præsidis prægnans dum venisset ad tempus pariendi, laborabat in partu, & parere non poterat. Profectus est ergo Ioannes, & dum ingrederetur domum præsidis, vxor eius partu leuata est. Et dixit Ioannes præsidi, qua ex causa me accersiri iussisti? dixit præses, vt benediceretur à te domus mea. Cui Ioannes, si credis in Iesum Christum filium Dei, eris tu & domus tua benedicta. Gaudens autem præses salute facta ex aduentu Ioannis, dixit illi, credidi, & credo in Deum qui te misit pro salute nostra: & postquam Ioannes docuit eum quomodo credere debeat in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, baptizauit eum, & pariter C rogauit eum vxor eius vt baptizaretur: sed noluit nos & Ioannes, donec compleuisset quadraginta dies purgationis; & contulit præses Ioanni multam pecuniam, orans vt eam reciperet, & domus sua esset benedicta, cui Ioannes dixit, non poterit pro hac pecunia domus tua benedici, sed vadens offer eam pauperibus pro nomine Christi, & erit domus tua benedicta. & mansimus continuo triduo in domo præsidis, & inde egressi venimus in domum Myronis, vbi conuenerunt turbæ multæ petentes vt audirent Ioannem.

Domus benedictio.

D. Ioan. dæmonem qui se Deum lupum nominabat expellit, mactandósque illi homines liberat.

D CAP. XXXVI.

DEinde mansimus in foro ciuitatis annis tribus, & postea egressi sumus in aliam ciuitatem distantem stadiis quinquaginta. Et hæc ciuitas populosa erat, idolorum multitudine repleta, & in phano ludificamenta erant: quæ apud eos mendacia Deorum dicebantur. Et ciuitatem in circuitu alluebat flumen. Dum ergo ingressi sumus ciuitatem, nemo nos agnouit, & apud eos erat. * introeuntibus autem nobis, virum quendam publicum inuenimus, maiores ciuitatis viros duodecim vinctos habentem. Et Ioannes quosdam qui astabant interrogauit, qua de causa illi vincti essent, qui responderunt, quia in noua luna singulorum mensium duodecim detinentur, qui offeruntur iugulati in sacrificium Deo E lupo. Dixit Ioannes, vellem scire quis ille Deus lupus sit. at ille respondit, circa horam diei quartam venient Sacerdotes multa comitante turba sacrificia offerentes: si ergo eos sequi volueris, videbis lupum, & quod illi offerent sacrificium. Dixit Ioannes, video te virum beneuolum, ego verò aduentitius sum, ideò te rogo vt ostendas mihi ipsum, id enim desidero: si autem ostenderis mihi ipsum, habeo preciosam margaritam, quæ non potest vllo comparari precio, quam tibi dabo. Hæc audiens homo, duxit nos illicò in eum locum in quo habitabat lupus, & dixit, ecce venimus in locum, da mihi margaritam, & ego ostendam tibi lupum, dixit mihi, tantummodò crede mihi, cum ostenderis mihi illum, recipies margaritam à me tibi promissam; nec multò pòst

Deo lupō immolantur homines.



ascendit de flumine lupus, dixitque illi Ioannes, adiuro te spiritus immunde, dic quot annos in hoc habitasti loco? dæmon respondit, septuaginta: ait Ioannes, præcipio tibi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt exeas ab hac insula, & statim spiritus immundus inuisibilis disparuit, & cùm hoc vidisset homo ille, continuò cecidit pronus ad pedes Apostoli, & dixit, miserere mei homo sancte, dic mihi quæso quis es, & vnde, qui talia admiranda facis? qui diis voluntatem tuam præcipis, & cum tremore obediunt tibi. Respõdit Ioannes, ego sum Apostolus & seruus Iesu Christi filij Dei; hunc autem lupum quem tu Deum esse credebas, dico tibi pro vero, spiritum esse malignum, qui multas hominum perdidit animas, & ideò me misit Dominus meus Iesus Christus in hanc insulam, vt ab ea omnes immundos spiritus expellam, & persequar, & euangelizem hominibus huius ciuitatis veritatem. Hæc audiens vir iterum procidit in faciem suam dicens, Apostole Christi fac mecum misericordiam, vt & ego merear esse filij Dei seruus. Et incipiens Ioannes diuinam scripturam aperire, docuit eum quomodo deberet credere in patrem, filium, & spiritum sanctum, & sequenti die baptizauit eum, & dixit ei: ecce

Margarita pretiosa.

accepisti preciosissimam margaritam. Et cùm hæc dixisset, venerunt in locum Sacerdotes cum pueris duodecim ferro reuinctis, gladios in manibus tenentes, vt eos interficerent, Deo suo lupo sacrificandos, & cum gaudio aduentum dæmonis expectabant, quem Deum esse credebant. Postquam diu expectauerunt, appropinquans Ioannes dixit, ô viri ignari, viam veritatis nescientes, quẽ vos hic expectatis lupum, & quem pro Deo colitis, dæmon est, & malignus spiritus: ego eum in nomine Domini Iesu Christi filij Dei ab hac regione expuli, in vanũ enim hic eum expectatis, neque amplius veniet, soluite ergo pueros hos, & credite in Dominum Iesum Christum verum Deum, & verum hominem, qui crucifixus est pro totius mundi salute, & relinquite spiritum nequam, qui seducebat vos contra animarum vestrarum & puerorum vestrorum salutem. Hæc autem audientes, & videntes eum cum fiducia loqui, turbati sunt valdè, & nullus eorum audebat ei respondere, neque loqui adinuicem illa hora: sed timebant ne fortè lupus veniret, & inuolueret fluctus fluminis super eos si crederent peregrino. Et Ioannes iterum ad eos dixit, soluite pueros, sicut dixi vobis, & sinite abire liberos, & nolite dæmonem timere, neq; expectare vlterius, nam præcepto Domini Iesu Christi per me hinc deiectus est, & cùm nullus Sacerdotum responderet, accessit Ioannes, & soluit pueros, dixitque eis, ite in ciuitatem ad patres vestros, & matres, & fratres, & amicos: nam nullus propinquorum eorum secutus fuerat eos. Et accessit ad Sacerdotes, & accepit gladios de manibus eorum, & illi omnes expauerunt, neq; vllus ausus fuit ei loqui malum verbum: protexerat enim eum Dominus, & inducbat ne tangerent eum, aut iniuriam aliquam ei inferrẽt. Introierunt ergo tandem omnes in ciuitatem, & Ioannes venit in locum vbi erat parua porticus, & conuenerunt turbæ multæ ad eum vt audirent verbum eius. Ille autem cœpit eos docere è sacris litteris quæ prænunciata erant de filio Dei: & quidam eorum verbom eius crediderunt, quidã verò non: plurimi tamen eum libenter audiebant, & gratias ei agebant, quia pueros à morte liberasset: & soli Sacerdotes eum odio habebãt, nec voluerunt ab eo baptizari, nec obedire verbo eius.

Lupo mactandos liberos soluit D. Ioannes.

Filium Sacerdotis oppressum in balneis à dæmone suscitat & tingit Apostolus.

CAP. XXXVII.

ERat autem in illa ciuitate balneum, in quo vnus ex filiis Sacerdotum à dæmone fuerat suffocatus: erat enim dæmõ ille qui ex Epheso à Ioanne deiectus fuerat, & qui filium Dioscoridis suffocauerat, audiens autem Sacerdos eius filium suffocatum esse, cucurrit ad balneum, & vt vidit suum filium mortuum humi iacẽtem, dolens & tristis recessit, & accessit ad Ioannem, & dixit ei: Nunc tempus credendi est in eum qui te misit, & quẽ tu ipse prædicas, nam filius mihi in balneo suffocatus interiit; scio, si volueris, potes mihi eum restituere viuũ. Cui Ioannes, etiam tibi restituetur, & apprehendit Ioannes manum Sacerdotis, & duxit eum Sacerdos vsque ad locum, & nos sumus eos secuti. cùm ergo ingressi fuissẽmus, allatus est puer mortuus, & positus ad pedes Ioannis, & dixit Sacerdos Ioanni, per Deum quem veneraris & prædicas, suscita illũ, statimque Ioannes apprehensa manu adolescentis dixit, in nomine Domini Iesu Christi filij Dei surge, & illicò viuus surrexit. & dixit Ioannes ad puerum, quid tibi contigit fili? Respondit puer, dum me in balneo lauarẽ, exiuit ab aqua vir quidam Æthiops, & me protinus suffocauit. Cognouit autem Ioannes quòd dæmon esset, & intrauit balneum.

In nomine Iesu suscitatur mortuus.

Dæmon autem clamare cœpit horrenti voce: Ioannes Apostole Christi & ab eo dilecte, oro te per dominũ & magistrum tuum, ne me hinc velis expellere. Ioannes autem dixit, quot annos hic habitasti? respondit dæmõ, sex duntaxat: nam ego ille sum qui in Epheso habitabam in Dioscoridis balneo, & à te illinc eiectus hic habito. dixit Ioannes, præcipio tibi immunde spiritus in nomine Iesu Christi, vt de loco isto & insula exeas, neque de cætero vlli hominum noceas, sed abi in deserta loca: & statim abscessit spiritus immundus. Videns autem Sacerdos cuncta quæ fecerat Ioannes, flexis genibus orat eum dicens, Domine ecce ego & filius meus & vniuersa domus mea in tua voluntate sumus, & omnia tuo subduntur arbitrio, quicquid præceperis, faciemus, & tibi parebimus in omnibus. Dixit Ioannes, crede in eum qui crucifixus est, Iesum Christum filium Dei, & eris saluus tu & domus tua. Respondit Sacerdos, credo per te qui es Apostolus & discipulus Iesu Christi filij Dei. & duxit nos in domum suam, & flexis genibus orabat dicens, da mihi & filio meo baptismum, & vniuersæ domui meæ. docuit autem eos Ioannes, & in vera fide instruxit quomodo credere deberent in Patrẽ, & Filium, & Spiritum sanctum, & baptizauit eos cum omnibus qui erant in domo. & mansimus cum eo tribus diebus gaudentes & exultantes in omnibus quæ fecit Dominus per Apostolum suum Ioannem.

Adiuratio dæmonis.

In Phlago liberatur Dæmoniacus, qui cum matre & domesticis baptizatur.

CAP. XXXVIII.

QVarta autem die è domo Sacerdotis exeuntes venimus in quendam locum qui Phlago dicebatur, vbi ferè tota cõuenit ciuitas ad audiendũ ab ore Ioannis verbum Dei. & ecce quædam mulier aduoluta pedibus Ioannis dixit, adiuro te per Deum quem annuncias, miserere mei. Dixit autem illi Ioannes, quid vis vt faciã tibi mulier? dixit, filium mihi reliquit vir meus cùm infans adhuc esset, trium annorum, ego eum cum multo labore educaui donec esset adultus, spiritus autem malignus inuasit eum, & ego omnes diuitias meas cum hominibus magis consumpsi, & non potuerunt liberare eum: quare precor te Apostole Christi, vt curetur filius meus. Ioannes respondit, adduc eum ad me, & Christus eum curabit: & confestim mulier abiit, & sex cum ea vt adducerẽt eum: & cùm illi apprehendissent puerum, dixerunt ei, veni ad Ioannem Apostolum Christi vt expellat à te spiritum immundum; & statim ab eo diffugit spiritus immundus priusquam duceretur ad Ioannem. Accipiens itaq; mulier filium suum sanum duxit eum ad Ioannem, & procumbens ante pedes eius rogabat dicens, da mihi Domine & filio meo baptismum Christi: & confirmauit eam & vniuersam eius familiam, & baptizauit, & mansimus apud eam tribus diebus.

Audito Ioannis nomine fugit Diabolus.

Templum Liberi patris duodecim Sacerdotes ruina oppressit.

CAP. XXXIX.

DEinde exiuimus de domo eius, & sequebatur nos plurima turba, quam docebat Apostolus. Et venimus in locum quendam vbi erat templum quod à gentibus vocabatur templum Liberi patris, quem Deum esse asserebant, & in hoc pollutum templum introiuit multitudo populorum offerẽs vinum multum, & abundantiam cibariorum. Et mos erat in solenni quadam die constituta, viros & mulieres sine pueris introire, & bibere, & manducare, & post crapulam impetum ad alterutrum facere more insanientium equorum, & per insanum desiderium viros cum mulieribus succumbere. Accidit autẽ vt illa die Apostolus Ioannes prædicaret, quo quidem infandam exercebant solennitatem: & congregati vniuersi ad complendam eorum maliciam, dicebant Ioanni, sufficiat tibi hactenus corruptela malorum seminum, quæ inter insipiẽtes seminasti: abi nunc de loco hoc, quia dies est solennis magni Liberi patris, quẽ nos obseruamus, discede ergo ocyùs, ne te malè puniat. Ioannes nec propter eorum solennitatem, nec propter intentas minas discedebat, semper docens eos qui libenter verbum veritatis audiunt. Et erant in illo polluto templo duodecim sceleratissimi Sacerdotes, qui vbi viderunt Ioannem à prædicatione non cessare, neque à loco discedere, violentas manus in eum iniecerunt, & multis eum plagis impiè ac crudeliter affecerunt: extenderunt eum de loco, & ligatum iacentem in terram dimiserunt, abierúntque in templum. Sciens autem Ioannes illos & populum ad eorum nefandam consuetudinem implendam introisse, fleuit amarè, & exclamauit ad Dominum dicẽs, Domine Iesu Christe fili Dei viui, ruat phanum Liberi patris, & statim phanum ruit: & interfecti sunt duodecim Sacerdotes illi. Cúmque populus vidisset ruisse templũ, & Sacerdotes interiisse, timuerunt valdè, & dixerunt adinuicem, vadamus ad Ioannem, rogantes eum vt oret pro nobis, & ne irascatur cõtra nos, descendátque ignis de cœlo precibus suis, & consumat nos. Et statim venerunt ad Ioannem, & liberauerunt à vinculis, & rogabant eum: & cõtinuò Ioannes surrexit, & cœpit prædicare populo.

Bacchantium intemperantia.

Ad orationẽ B. Ioannis ruit templum Liberi patris.

Nucianus Magus in excitandis à morte duodecim Sacerdotibus se Apostolo præferens, excæcatur.

CAP. XL.

ERat autem in illa ciuitate homo quidam nomine Nucianus: & nomen vxoris eius Flora. Et duos habebat filios: eorum maioris natu nomen erat Polycarpus, Nucianus verò instructus erat multis malis artibus, & maleficiis multis imbutus: & multi necromantici libri erant apud eum in domo sua repositi. Venit ergo ad Ioannem, vbi vidit templum collapsum, & illisos duodecim Sacerdotes: & dixit ad Ioannẽ, magister, tunc omnes te diligent, facias duodecim Sacerdotes qui mortui sunt, resurgere. Respondit Ioannes, si digni essent vt à Deo sanctificarentur, nunquam in templo mortui essent. Nucianus dixit, & ego gloriam tuam imminuam. Nam & ego eos suscitabo, & erit tibi supplicium, quia homines vita eorum spoliasti: alioquin si suscitaueris eos credam in crucifixum quem tu prædicas. Et his dictis discessit Nucianus: & ruinas Templi circuiens, arte dæmoniaca fecit astare ante se duodecim dæmones in similitudinem duodecim Sacerdorum: & dixit ad eos, venite post me, & faciam vos Ioannem interficere. Responderunt dæmones, non possumus in loco vllo habitare vbi steterit pes eius: sed ecce stabimus hîc, tu verò adduc populum in hunc locum vt ipsi nos videant suscitatos, & ita credant, & vadant, & lapident Ioannem.

Nucianus Magus.

A Consentiens his verbis Nucianus, venit ad Ioannem: & circumstãte turba exclamare cœpit voce magna, ô viri, vt quid seducti estis per homines hos, & eorum ludificamenta: vobis loquuntur inepta verba, & nihil facere possunt? Nam & ego conueniens Ioannem, Dixi illi, suscita mortuos, & ego credam in eum quem tu prædicas crucifixum: alioquin si illos suscitauero, tu malè peribis, qui indignos perire fecisti. Respondit autem mihi, quia non sunt resurrectione digni & vita: & ecce ego suscitaui eos, & vobis videntibus incolume insuper restituam Templum. Nunc autem vos omnes me sequimini, vt viuos videatis, & postea Ioannes magus malè pereat: & nolo vt ipse, neque discipulus eius illuc veniant, sed maneant in loco isto. Cùm turba à Nuciano hæc verba audisset, quòd Sacerdotes suscitati essent, relicto Ioanne secuta est Nucianum. Et cogitabant turbæ

B quomodò nós malè perderent: sed Ioannes & ego sine turba venimus ad ruinam Templi: sed vbi dæmones Ioannem viderunt, priusquam appropinquaremus, subitò euanuerunt & disparuerunt ab oculis nostris. Nos autem abscondimus nos in quadam scrobe iuxta ruinam Templi. Et cùm venisset Nucianus vniuersa comitante turba, iuxta demolitũ Templum, cœpit magicis execrationibus vocare dæmones illos quos dicebat esse Sacerdotes, & non respondebant ei, neque se manifestabant, vt fecerant priùs: & cùm tota dies illa à mane ad decimã horam consumeretur, & nihil suis inuocationibus proficeret Nucianus, iratus populus voluit Nucianum occidere dicẽs, maligne cur fecisti nos nostrum magistrum & bonum instructorem relinquere, vt crederemus tuis

C verbis fallentibus? Et quidam voluerunt impetum in eum facere: sed alij inhibuerunt dicentes, non interficiamus eum, sed ducamus eum ad Ioannem, & quicquid præceperit faciendum, illud sine mora sit exequendum. Tunc Ioannes dixit mihi, fili Prochore, reuertamur in locum vnde turba dimota est. Surreximus ergo & venimus in illum locum. Et venit turba, & adduxerunt Nucianum coram Ioanne dicentes, Magister hunc probauimus mendacem, & viam veritatis volẽtem subuertere: & volumus eum interficere, sicut & te interficere moliebatur: & nunc eum ad te adducimus, vt secundum sententiam tuam illum perdamus. Respondit autẽ Ioannes, sinite tenebras abire in tenebras: vos autem permanete in veritatis luce, ne vos tenebræ apprehen-

D dant, & verè salui eritis: & non permisit eos interficere Nucianum. Tunc plurimi de turba rogabant Apostolum vt baptizaret eos: quibus dixit, sequimini me vsque ad flumen, & illic vos baptizabo. Docuit autem eos quomodo credere deberent in patrem, & filium, & Spiritum sanctum, & eos perduxit ad flumẽ. Fecerat autem Nucianus malefica arte, vt tota aqua sanguinolenta videretur, & expauerunt omnes: & beatus Apostolus ad Dominum dicẽs, Domine Iesu Christe fili Dei viui, qui splendidas naturas & omne genus animantium tuum posuisti in vsum homini, restitue aquam fluminis huius in naturam & conditionem quæ à te ab initio data est ei, & excitate percute Nucianum, vt qui alios errare satagit, ne in domum quidem suam norit regredi. Et illicò in verbo Ioannis purgata est aqua, & in priorem natu-

E ram reuersa: & Nucianus in eodem loco cæcus remansit: & postea Ioannes Apostolus baptizauit omnes qui baptizari requirebant; & baptizati sunt in die illa ducenti viri. Nucianus autem solatio visûs priuatus clamauit magna voce dicens, Apostole benedicti filij Dei miserere mei: & da mihi signaculum Christi, & sana me, & restitue mihi visum oculorum & corporis mei. Ioannes verò pietate motus apprehendit dexterã eius, & duxit eum ad flumen, docens eum vt confideret in Domino Iesu Christo: & baptizauit eum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: & continuò aperti sunt oculi eius, & vidit sicut priùs, & duxit nos gaudens in domum suam.

Nucianus ad D. Ioannem adducitur.

Nucianus excæcatur.

Nucianus baptizatur.

Nuciani & Iudæi familiæ baptizantur.
CAP. XLI.

ERant autem in domo Nuciani idola: & dum Ioannes ingrederetur domum, corruerunt, & omnino perfracta comminutáque sunt tanquam puluis, quod videns Nucianus, multo magis credidit in Dominum nostrum Iesum Christum: & confirmata est valdiùs fides eius. Similiter autem & vxor eius, & filij eius, & vniuersa eius familia hæc videntes, crediderunt in Deũ, & baptizati sunt ab Apostolo collaudantes magnalia Dei. Et mansimus apud Nucianum diebus decem: & ipsis consummatis egressi sumus de ciuitate, & venimus in aliam, quæ tredecim distat miliaribus: & obuiauit nobis Faustus vir Iudæus, sobrius admodum & benignus, & duxit nos in domum suam & prædicante Ioãne credidit in Dominum Iesum Christum ipse & omnes qui erant in domo eius, & baptizati sunt vniuersi.

Iudæus credit.

Apostolus prædicit Sosipatro quid sibi contingat ex amore matris nimium impudico.
CAP. XLII.

ERat autem in ciuitate illa mulier quædam diues, nomine Prodiana, formosa valdè, & vidua, quæ filium habebat vnicum, Sosipatrum, annum ætatis suæ vicesimum quartum agentem, speciosum valdè inter homines, sed castitatis amatorem, & imitatorem continentiæ Ioseph. Nam mater eius Prodiana, instigante diabolo fœda in eius desiderium ardebat concupiscẽtia: & dicebat ad filium, fili mi Sosipater, magnam & penè innumeram possidemus substantiam, manducemus & bibamus & hilariter viuamus: non enim habeo alium virum quàm teipsum, nec volo vt aliam habeas quàm me vxorẽ, ego adhuc iuuencula sum & decora, ero tibi pro vxore, & tu mihi pro viro: neque finas alium virum introire, nec ego ad te aliam sinam introire mulierem. Intellexit autem Sosipatrus fallaciam suæ matris, & venit ad locum in quo Ioannes cócionabatur ad populum vt audiret verbum Dei: & cùm vidisset quosdam de turba dettabentes Ioanni, & quòd vir fallax esset, secessit ab eis: appropinquauit loco in quo prædicabat Ioannes. Et finita prædicatione, venit ad eum Ioannes: cognouit enim per spiritum maliciam diaboli, quam aduersus iuuenem machinabatur, & quomodò vrgebat matrem eius ad subuersionem castitatis eius: & dolebat vehementer. Intuens eum dixit ei per similitudinẽ, Sosipatre Sosipatre? Quid, inquit, bone magister, & ait illi Ioannes, quædã mulier erat in quadã ciuitate, & erat ei filius vnicus, formosus adolescens: erat autem mulieris nomen, seductrix, & filij nomen, seducendus: & erant ambo diuites multùm, & immisit malignus in cor matris vt seduceret filium: seductrix igitur nitebatur seducendum: Seducendus autem resistebat, & non seducebatur. aliquo igitur exacto tempore mater seductrix ægrè ferebat filium inseductum, adeò vt morti vellet eum tradere, & accusauit eum apud iudicem tanquã seductũ, cùm ipsa solaesset seducta. Iussit ergo iudex eum auferri, & interficere ad vlciscendum seductionis crimen sibi à matre impositum: sed Deus qui est iudex summus, videns eum mundum esse, & innocentem, & ab iniquo iudice & à seductrice matre liberauit, & noxios condigna pœna mulctauit. Quem igitur ô Sosipatre dignum est laudare, matrémne an filium? Tunc Sosipater, non aliter quàm terra sitiens pluuiam suscipit, reddens vberem fructum, verbum Ioannis intimè suscipiens dixit, Magister bone, dignum est laudari filium, & matrem culpari. Cui Ioannes; Rectè, inquit, respondisti: vade igitur fili mi saluus in domum tuam, & intende in matrem tuam sicut in matrem, & non sicut seductricem, & vltio superni iudicis liberabit te. Sosipater autem conscius cui Ioannes hunc sermonem

Mater in filium intemperans.

A dixerit, pronolutus ad pedes eius adorauit eum, & dixit, Domine si dignus sum, sequere seruum tuum in domum suam: ego seruus tuus apponam tibi panem & aquam, & manducabis & bibes: & erit domus serui tui per aduentum tuum benedicta. Ioannes autem secutus est Sosipatrum, & ingressus est domum eius, quod cùm vidisset Prodiana, repleta est ira multa: & dixit ad Sosipatrum nunquid dixi tibi fili mi, ne dimittas alium virum introire ad me, neque ego ad te sinam aliam introire mulierem? quare induxisti duos viros ad ludificandum domum nostram? Dixit autem Sosipater ad eam: noli mater de hominibus his talia suspicari: non enim ad hoc introierunt domum hanc, sed vt apponam eis panem & aquam: & cùm parum comederint & biberint: statim abibunt. Nequaquam inquit Prodiana, edent
B & bibent: sed cum iniuria eos de domo mea expellam: ne fortè cor tuum & mentem immutent, & faciant vt me odio habeas matrem tuam, & sic propter amorem tuum mori me cogant. Dixit Sosipater, Nequaquam ita futurum est mater: Nam in mundo non est qui possit me in odium tui conuertere, Audiens hæc Prodiana, consensit Sosipatro vt faceret peregrinis quod liberet, spetans per hoc amplius in desiderium suum illicere. Apposuit ergo Sosipatrus mensam, & solus nobis ministrabat & comedit nobiscum. Prodiana verò sedebat non procul attentè auscultans, vt audiret verba Ioannis ad filium suum loquentis, vt posset eum in aliquo reprehendere, si quicquam dixisset quod eius displicuisset voluntati. Ioannes autem cognoscens nequitiam mulieris tacuit, nec vnum verbum ad Sosipatrum
C locutus est. Postquam autem mãducauimus, dixit Ioannes Sosipatro, egredere fili è domo tua, & veni nobiscũ, Et continuò Sosipatrus surgens sequebatur nos. Dum autem venissemus ad exteriorem ianoam, voluit Sosipatrus sequi Apostolum ad audiendum verbum Dei: præsertim cùm nihil dum mãducaremus audisset ab eo. Percipiens autem id Prodiana, venit, & apprehendit filium suum Sosipatrum dicens illi, veni fili mi in domum tuam, Dixit illi Sosipatrus, sine me mater modicum sequi homines hos, & continuò ad te reuertar. Dixit illi mater, nunquid reuerteris, & adimplebis desiderium meum? & permisit abire. Reuersus est ergo Sosipater, & mater eius voluit deducere in secretum domus suæ locum, vt expleret eius desiderium: & frequenter eum
D conturbauit, & Deus liberauit eum à mortifero veneno malæ voluntatis matris suæ. Videns autem Sosipatrus matris suæ insaniam, & paratam illi malam voluntatem: studuit verbis dulcibus matris animum auertere: & dixit illi, mater ingredere domum tuam, vt ego citò te sequar. Illa autem apprehensum noluit dimittere eum. Sosipater autem ipse ab ea discessit, & noluit in domum suam redire propter eam. Quarta autem die furibunda Prodiana è domo ad requirendum filium suum egressa, venit in locum vbi Ioannes prædicabat: & circumspiciens in turba non vidit eum, nam illic non erat Quem cùm non vidisset, discessit, & ea abeunte non longè à loco, ecce Sosipatrus factus est illi obuius. Ipsa autem appropinquans apprehendit vestimentum eius, & tenuit eum vehementer: at ille dixit ei, sine me modo ma-
E ter, & quæcunque tibi sunt in animo, faciam: illa verò non sinebat eum abire.

Insania ex amore filij impudico.

Mater quæ innocentem filium incestus accusauerat, Iudex quoque qui eum damnauerat, Apostolo iudice puniuntur.
CAP. XLIII.

EO tempore, insulæ illius factus est proconsul quidã, Græcus nomine, crudelis & immisericors: qui Christum & Christianos odio persequebatur. Et ingressus est locum, vt eiceret nos de ciuitate: & cùm transiret per ciuitatem, accidit eum transire per locum, vbi Prodiana per vestimenta detinebat filium suum.

Videns autem Prodiana proconsulem, exclamaoit voce magna, ô proconsul adiuua me: & illa capitis sui velamen detrahens, capillos præ amaritudine, quam aduersus filium suum gerebat, vellebat, & multas profundebat lacrimas, dixit autem illi præses, quid tibi est? quid vis? & quæ tanti causa doloris? Tunc Prodiana dixit: mulier sum vidua, & iste filius meus est, quem post mortem mariti à quatoor annis ad hanc vsque ætatem nutriui, & hodiè decima dies est quo non cessat mihi molestus esse, & vult mecum vi concumbere: Proconsul hoc audiens iussit apprehendi Sosipatrum, & iussit * bouis sui, & mortiferas bestias, serpentes, viperas, & aspides, pellibus includi: & proiici intus Sosipatrum, vt eum miserabiliter occiderent. Paratis igitur pellibus, & bestiis ad perditionem Sosipatri, accurrit athleta fortissimus Ioannes, clamans voce magna, Proconsul, iniustè iudicas aduersus pudicum & insontē iuuenē: quibus testibus innocentem cōdemnasti? Tunc Prodiana apprehēdit Ioannem clamās magna voce, Proconsol adiuua me: per Iontem enim hominem hunc, iniuriam mihi infert filius meus. Nam me contradicente adduxit eum in domum meam ad bibendum & comedendum, & comestione sumpta reduxit filium meum aduersum me, & docuit eum vt hanc mihi inferret molestiam. Hæc autem audiens Proconsul, iussit Ioannem teneri, & præparari plura & ampliora coria: & iussit plures mortiferas bestias immitti, & Ioannem pariter cum Sosipatro iussit interimi, vt eadem morte eos afficeret. Apostolus autem suspiciens in cœlum suspirans dixit, Domine Iesu Christe, cuius natura est immobilis, & cuius virtus inuicta, precor tuam immēsam misericordiā vt locus totus sit instabilis & inquietus, propter inconstans & iniustum proconsulis iudicium, donec tua summa potentia id reuocare dignetur. Et statim prece Ioannis finita, factus est grandis terræmotus, & omnes præ timore ceciderunt in terram. Et quia procōsol iniustè manum extenderat in Ioannem ad condemnandum Ioannem, remansit manus eius arida, & Prodianæ vtrūque brachiū, quo apprehendit Apostolum & filium, retortum, vnum sursum & alterum deorsum, & oculi eius in capite versi: & omnes à serpentibus & mortiferis læsi sunt, excepto Ioanne, & Sosipatro, & me, qui remansimus penitus illæsi. Proconsul verò intelligens hanc vindictam à Deo esse inflictam, compunctus corde dixit ad Ioannem, Apostole Christi, serue Dei benedicti, redde mihi brachium & manū in sua loca sana, & ego firmiter credam in eum quem prædicasti. Ioannes verò vt erat mitissimus, misericordia motus, suspiciens in cœlum cum gemitu orauit ad Dominum dicēs, Domine Iesu Christe fili Dei viui, qui in loco isto ostēdisti virtutem tuam ad eruditionem astantium, deleat horum hominum delicta miserationum tuarum multitudo: ita vt omnes salui fiant & incolumes, sicut priùs sine concussione resideat terra. Et finito verbo Apostoli, quieuit terræmotus, & proconsuli sanitas reddita est, & Prodiana facta sana: & omnes quicunque morsi à serpentibus fuerunt, aut ex casu læsi incolumes facti.

*Deest quid piam.

Præceps iudicium.

Temerarij iudicij diuina vltio.

Proconsul, & Prodiana sanitati redditi baptizantur.
CAP. XLIIII.

PRoconsul verò duxit nos in domum suam, & appositis mensis manducauimus apud eum: & in crastinum rogauit Ioannem vt daret ei signaculum Christi, Et Ioannes instruxit eum quomodo credere deberet, & baptizauit eum. Videns autem præsidis vxor virum suū baptizatum, accipiens filium suum procidit ad pedes Apostoli dicens, Apostole Christi fac me & filium meum huius gloriæ participes: & lætatus Proconsul cum omni domo sua, quos baptizauit Ioannes. Et cùm egressi fuissemus de domo proconsulis, dixit Ioannes ad Sosipatrum, fili eamus ad Prodianam in domum tuam. Dixit Sosipater, præceptor sequar te quocunque ieris, sed in domum meam non reuertar: nam omnia dimisi vt verbis & doctrina tua mellifloa fruar. Et Ioannes dixit; fili Sosipater, noli memor esse priorū malorū quæ suggestione mala aduersum te curauit mater tua, neque illius memineris verborum: Nam mater tua benigna Dei gratia præueniente omnes suggestiones diaboli reliquit, & quæ sunt Christi de cætero cogitabit, & quomodo possit Deo placere: neque amplius similia prioribus ab ea audies: sed aget pœnitentiam ab omnibus quæ dixit & malè egit. mox vt mandauit Ioannes introiuimus omnes cum Sosipatro in domum eius. Cùm verò Prodiana nos audiuisset, approperauit & prostrauit se ad pedes Ioānis flens: & illa lacrimās veniā de malis operibus quæ gessisset & dixisset postulans, dicēs, benigne Apostole Christi peccaui coram te & coram Deo quem in colis. Et primò obsecro te ne irascaris ancillæ tuæ propter mala quæ in te commisit, & omnia mala quæ in te & filium meum commisi, confiteor tibi tanquam bono medico, qui potes sanare animas, & vulnera mortalium insanabilia. Nam per multos dies per suggestionem diaboli malè incalui ad subuersionem Sosipatri filij mei, & sæpe eum allicere tentaui ad meum malignum desiderium: sed noluit acquiescere meæ malæ voluntati: ideò malus error concitauit me aduersus eum, vt eum apud proconsulem falsi criminis accusarem: vt eum malè perderet, & per te Dominus omnipotens de nece liberauit innocentem, & in me furorem illum malesanum extinxit, & liberauit me à magna iniquitate & irrequieto malo. Nunc ergo oro te vt Deum ores pro me, ne vindicet mala iniquæ voluntatis meæ, quæ aduersum vos cogitaui: & reddat mihi iusta supplicia secundum quod merui. Tunc Ioannes mitibus verbis studuit eam placare, & instruxit eam ex scripturis credere in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & pœnitentiam de commissis malis agere, & amodò castè coram Deo viuere; & baptizauit eam, & filium eius Sosipatrum, & vniuersam eius familiam. Et attulit Prodiana multam pecuniam Ioanni, vt distribueret indigentibus & iis quibus esset opus. Et interrogauit Ioannes, ânne alia esset ei pecunia. Respondit, etiam Domine. Nam plurimis abundo diuitiis. Dixit Ioannes, hanc ergo in vsus illorum qui opus habebunt accipe, & manibus tuis distribue eam pauperibus, & thesaurizabis tibi thesaurum in cœlis. Prodiana verò deuotè impleuit præceptum Apostoli, & quotidiè pauperibus distribuebat prout vnicuique erat opus: & mansimus in domo eius & Sosipatri multis diebus. Vidimus in ipsis bonum fructum pœnitentiæ in ieiuniis, & orationibus, & eleemosinis mala præterita emendantibus atque redimentibus.

Prodianæ pœnitentia.

Prodianæ eleemosynæ.

Ioannes Apostolus reuocatus ab exilio pergit in Ephesum.
CAP. XLV.

DOmino nostro Iesu Christo, gratiam largiente Apostolo suo Ioanni fermè omnes in Pathmon insulam habitantes, crediderunt in Deum per prædicationem Ioannis. Mortuo autem Domitiano qui nos transmiserat in exilium, successor eius non prohibebat Christianos. Et cùm audisset de bonitate & sanctimonia Ioannis, quódque fuisset iniustè à prædecessore suo exilio relegatus, per litteras reuocauit nos ab exilio. Et cum vidisset Ioannes quòd tota insula Pathmos recepisset verbum Dei, & crederet in Dominum Iesum Christum, disposuit vt rediret Ephesum. Quod cum cognouissent vniuersi fratres, doluerunt vehementer, & congregati venerunt ad Ioannem, rogantes eum, ne discederet, sed vsque ad finem vitæ remaneret apud eos. Ioannes verò dilectus Domini consolabatur eos dicens, quid facitis filioli mei plorantes & ægrè ferentes discessum meum? quomodo infligitis mihi dolorem? numquid possum resistere voluntati Dei? Et iam sciatis

Cocceius Nerua. Niceph. lib. 3. cap. 11.

sciatis quia Dominus noster Iesus Christus, qui me in hanc insulam misit, apparuit mihi in reuelatione, & præcepit quòd redirem in Ephesum, propter errores qui inciderunt inter fratres qui illic sunt. Et videntes vniuersi quòd Ioannes non morem gereret eorum voluntatibus, prociderunt in terram ad pedes eius, cum lacrymis dicentes, ergo bone magister, cùm nos relinquere statuis desolatos, scientia imperfectos, & imbecilles in fide: noo tamen penitus desere, sed relinque nobis de scriptis signa quæ vidisti apud filium Dei, & verba quæ ex eius ore audisti: vt in verbo Domini firmi & stabiles maneamus, & nó recidamus in odibiles laqueos diaboli, quos per te euasimus. Ioannes autem respondit eis dicens, Audiuistis filij charissimi omnes ab ore meo omnia signa quæ fecit filius Dei, me etiam illam vidente & verba quæ locutus est mihi, docui vos. Seruite ergo Deo: B & vobis ea sufficiant, quæ annunciaui vobis de ipso, & iugiter illis intendite, & habebitis vitam æternam. Reuelationem quam mihi Dominus Iesus, qui est principium & finis, reuelare dignatus est, vobis reuelaui: & signa vidistis, quæ Dominus, qui me verba vitæ huius docuit, per me operatus est. Illi autem perstabant in precibus dicentes, Magister & præceptor verissime, & magne consolator, nunc preces nostras audi, & nostrum imple desiderium. Expone nobis scripto de Christo Iesu filio Dei & quæ vidisti, & quę ab orę eius audisti. Tunc Ioannes misertus eorum dixit, filioli mei nunc abite quisque in domum suam, & orate Dominum vt implere dignetur desiderium vestrum, nam si voluntas fuerit Domini, ipse præcipiet; & per me aut per alium postulationem vestram implebit, & vestrum desiderium vobis dabit. Abierunt ergo vnusquisque in domum suam.

Dictat B. Ioannes Euangelium Notario amanuensi Prochoro.

CAP. XLVI.

Postquam autem hæc facta sunt, duxit me Ioannes in quendam locum solitarium & desertum, qui ab vrbe distabat miliari vno, in quo mons erat præruptus. fuimus ergo illic tribus diebus vbi toto illo tempore Ioannes in oratione mansit ieiunus, & orans Deum vt tribueret fratribus petitionem quam poposcerant. Tertia verò die vocauit me, & dixit, fili mi Prochore, abi in ciuitatem, & affer mihi huc atramentum & chartas: sed nihil quem locum sim ingressus, fratribus indices. Ingressus ego sum ciuitatem, & impleui mandatum eius, deferens chartas & atramentum; qui dixit mihi, relinque hic chartas & atramentum, & recipias te in ciuitatem: & tertia die ad me reuertere, feci ita: & tertia die ad eum sum reuersus: & inueni eum orantem: & finita oratione dixit mihi, tene chartas & atramentum, & sede à dextra mea. Feci ita. Et statim factum est fulgor ingens & tonitruum magnum, & totus mons commouebatur, & nimio timore perterritus corrui pronus in faciem, & factus exanimis multo tempore mansi quasi mortuus. At Ioánes erexit me manibus propriis, & dixit, fili Prochore, quæ audieris de ore meo, scribe diligenter in chartis. Tunc Ioánnes stans oculis in cœlum intentis, aperuit os suum, & incipiens sanctum euangelium pronunciauit: In principio erat verbum, continuo sic stans, & in cœlum intédes hucusque & tenebræ eum non comprehenderunt. Deinde parua interueniente mora prosequutus, stans, cætera verba. Ego autem scribebam sedens, & fecimus illic duorum dierum & sex horarum moram, ipse dicens & ego scribens. Et cùm compleuisset diuinos sermones, recessimus à loco, & venimus in domum. Sosipatri & Prodianæ matris eius: & mansimus nocte illa apud eos. Et dixit Ioannes Sosipatro, fili Sosipater, quære nobis optimas membranas ad reponendum sanctum quod nobis Deus ostendere dignatus est, euangelium, quod fecit Sosipater: & iussit, Ioannes vt in domo illa sederem, & diligenter

D. Ioannes dictaunt euangeliū excipiente Prochoro, quod refert in vita Ioá. Metaphrastes.

A sanctum scriberem euangelium: quod gratia Domini nostri Iesu Christi adiuuante diligenter perfeci.

D. Ioannes suum Euangelium ab Ecclesia probari voluit.

CAP. XLVII.

EO autem tempore quo euangelium scriberem: Ioannes euangelizabat populo per vniuersam insulam, Episcopos, presbyteros, & cæteros Ecclesiæ ministros Ecclesiis quas instruxerat. Et cùm complessem scripturam, præcepit Ioannes, vt vniuersi fratres in Ecclesiam Dei conuenirent, & congregatis vniuersis, præcepit mihi Ioannes vt sanctum Dei Euangelium legerem & recitarem audienté tota congregatione eorum. Legi itaque audientibus cunctis: & læti sunt valdè glorificátes Deum B & laudátes magnalia eius. & dixit Ioannes vniuersis fratribus, vt sanctum acciperent Euangelium: & rescriberent, & ponerent in vniuersis Ecclesiis: quod fecerunt. Et dixit iterum illis, quod exscriptum est in pellibus, operatum in insula hac, custodite quod vero exscriptum est in chartis, oportet illud nobiscum in Ephesiorum ciuitatem deferri. Et priusquam hæc facta fuerint, Ioannes per septem menses circuiens ciuitates, vicos & castella euangelizando verbum, insulam reliquit, in qua priùs & Apocalypsim scripserat sua manu, sicut Deus illi reuelauerat.

Legitur D. Ioannis in ecclesia Euangeliū.

Apocalypsim propria manu scripsit B. Ioan.

B. Ioannes sacerdotis Iouis filium cæcum curauit, & eruditum in fide baptizauit.

CAP. XLVIII.

C EPiscopi Asiani, & populus vnà cum Caio & Aristarca Apostoli Ioannis discipulis, dederant epistolas ad Romanum senatum, desiderantes Ioannis absolutionem ab exilio; qui vbi inierunt concilium, statuisse vt quicquid Domitianus statuisset, cassaretur: & Ioánem ab exilio liberum facerent: venerunt obuiam Ioanni, & tácum honore duxerunt Ephesum. Ipso autem vnam ciuitatum insulę intrante & prędicante astitit filius Encharis Sacerdotis Iouis qui erat cæcus, & libenter audiebat Apostolum prædicantem, & exclamauit voce magna dicens, magister: at Ioannes respondit, quid vis fili? & adolescés qui cæcus erat dixit, per illum Deum quem prædicas ego te libéter audio: sed vnum mihi deest quòd te videre nequeo, neque tuam desiderabilé faciem contueri valeo: ora Dñ D tuum vt mihi visum donet, quo te videre sicut & te delectabiliter audire possim: & in me gaudium completum erit & perfectum. Audiens Ioannes quia natiuitate mutis erat, præ miseria & calamitate adolescentis cótristatus ingemuit, & vehementer compatiens, & accedens ad eum dixit, in nomine Domini nostri Iesu Christi, fili, respice. Et cótinuò aperti sunt oculi eius, & vidit, & laudabat & magnificabat Deum. Quod factum cùm vidisset Eucharis pater eius procidit ad pedes Ioannis, rogans vt daret illi & filio eius signaculum Christi. Et Ioannes introiuit in domum eius, & baptizauit eos. Deinde vt Ioánes processit in publicum, conuenerunt ad eum, vniuersi fratres Iudæi & Græci & mulieres multæ: & loquebatur ad eos de sanctis scripturis verbum Dei, & in fine adiecit; filioli E mei estote memores verborum meorum, & seruare traditiones quas accepistis ex ore meo, & præcepta Christi quæ per sanctū eius Euangelium vobis tradita sunt, vt sitis obedientes filij, & regnabit Christus in vobis. statim enim, inquit, redire me Ephesū ad eos qui illic sunt fratres visitádos oportet: vos auté in sancta custodia ac protectione Domini nostri Iesu Christi, qui vos conseruet in æternum, commédo. & dedit illis benedictioné suam, & recessimus ab eis. Illi verò planctum magnum ducebant: cupiétes eum precibus & lacrymis in insolam retinere, sed noluit consentire: & venimus ad littus maris; & inuenta naui quæ soluebat in Asiam, ascendimus in eam; & decimo die peruenimus Ephesum, vbi cum magno gaudio occurrerunt nobis Asiani clamantes, & dicentes, benedictus qui venit in nomine Domini.

Cæcus illuminatur.

Traditiones seruandæ.

B. LINI ROMANORVM PONTIFICIS DE PASSIONE D. PETRI ET PAVLI AD ECCLESIAS ORIENTALES, LIBER PRIMVS.

Linus de septuaginta duobus Christi discipulis, vnus, cuius nomine Paulus Timotheum in posteriore ad ipsum Epistola salutat, primus post Petrum Romanæ Ecclesiæ Pontifex, natione Hetruscus, scripsit Græco sermone de Petri & Pauli agone libros duos, itemque epistolas aliquot. Moritur Romæ sub Galba Imperatore, anno Christi septuagesimo post expletos pontificatus sui annos vndecim, menses tres, dies duodecim. Hæc Sixtus lib. 2. biblioth. nonnihil dissentiens ab his quæ scripsit Nicephorus Xanthopolus lib. 3. cap. 2.

Duo isti libelli de passione Petri & Pauli nomine S. Lini Rom. Pontificis & martyris, sunt pseudepigraphi, multos errores continent, nec vllius censentur authoritatis, vt iam eruditorum consensu omnino exploratum habetur.

A POST multimoda & multifaria vitæ vitæque salutaris documenta, & eximia atque celeberrima miracula ostensa, & diuersa cum Simone Mago aliisq; quamplurimis Antichristi præconibus pro nomine veri Christi certamina, post passionem quoque multiplicem, & flagellorum acerbitatem, & carcerum squalorem horrificum, cum esset exultans in Domino beatus Petrus, & gratias agens nocte ac die cum fratribus, in turba venientium ad fidem Dei & Domini nostri Iesu Christi, intentus orationibus ac doctrinæ, cæterisque pietatis officiis, præcipuè charitatis & castitatis, gratiam audientium B pectoribus inserebat, adhortans credentes in Christum vt pudicè & continenter se gererent. Nimis enim abundanter & supereminenter vrbs orbi prælata mente se in fastum elationis extulerat, & idcirco (vt solet in opulentia & inerti securitate) indecenti luxu dominabatur. Persæpè namque, vbi est elatio mentis, sequitur contumelia carnis: vnde factum est vt beati Petri sermonibus, magnus pudicitiæ apud multas diuersæ ætatis & potestatis seu nobilitatis fœminas, amor exarsérit, ita vt pleræque etiã Romanorum matronæ à commixtione vitalis thori seruare munda corda, simul & corpora, quantum ex ipsis erat, deligerent. Sed cùm iam tempus appropinquaret, C quo fides beati Apostoli & labores remunerari deberẽt, præueniens, perditionis caput scilicet, & Antichristus Nero, consummata iniquitas, arctari eum & in costodia squalidissima compedibus vinciri iussit, vbi cœperũt frequentare illum quatuor concubinæ præfecti Agrippæ, quarum erant nomina: Agrippina, Eucharia, Euphemia, & Dione. Quæ audientes ab eo castitatis sermonem, & omnia Domini nostri Iesu Christi mandata, tabescebant & molestabantur sub thoro Agrippæ. Vnde castitati se deuouentes, pactum consilij adinuicem inierunt: & confortatæ à Domino nostro Iesu Christo, nullo modo ei obsequio concubitos acquiescere vlterius decreuerunt. D Subtrahentibus autem se iisdem non solum à complexu, verùm etiam ab omni modo coniunctione Agrippæ, cœpit idem super hoc valdè tædere, & mœstus esse. Mittẽnsque solertos ac solertes exploratores didicit eas studiosissimè ad beatum Petrum se proripere. Quibus ad se reductis, dixit vehementissima amoris captus insania, scio vnde venitis. Ille Christianus vos docuit mecum nõ conuenire, & à debito thoro subtrahere. Sed certus sũ, quia suis magicis artibus amorem erga me vestrum non poterit infirmare. Quæ nullis blanditiis deliniitæ, nec verbo amatorio compellarunt, nec intento oculo, libidinis fomitem respexerunt, quia Apostolico sermonæ fundatæ E erant. Videns autem Agrippa præfectus, quod Petri doctrinam sequentes, sibi linem eius vnanimiter spernerent, & eius blanditiis minimè acquiescerent, cœpit eis minas intentare horrificas, iurans quòd & viuas incendio cremaret, & Petrum grauissimè afflictum suppliciis, ab hominum de sub cœlo memoria perderet. Sed nunquam potuit eas ad inquinamentum flectere, dicens: amabilius sibi esse omnibus tormentis pro castitate succumbere, quàm Christum (cui deuouerant castimoniam, recusare. Indignabatur itaque Agrippa præfectus, maxi-

Elationem mentis sequitur cõtumelia carnis.

Ita Neronẽ resurrectũrum futurumque Antichristũ quidã opinati sunt: Theophilus imprimis. & Martinus & Cœlius lib. 11. cap. 11. Bonfinius lib. 5. dec. 1.

A mè in Apostolum, & fremebat super eum dentibus, quærens occasionem vt eum quasi rationabiliter potuisset occidere. Interea vxor Albini, Cæsaris amicissimi, nomine Xandippe, cum aliis pluribus nobilissimis matronis, venit ad Petrum. A quo percipiens verbum castæ vitæ, repudiauit non modò vitile connubium, quinetiam & omne huius delectamentum. Qua de re Albinus nimio mœrore confectus, comminabatur multa se Petro illaturum tormenta. Xandippen verò vxorem suam, verbis iniuria plenis, indéque delinimentis, ac toto conamine refragari tentabat. Mittẽnsque ad Agrippam præfectum, sibi amicitia copulatum, mandauit ei, omnia quæ agente B Petro, de sua vxore patiebatur, deprecans vt si ei secundum suam fiduciam amicus esset, vlcisceretur eum de Petro, alioquin ipse se vindicaturus esset. Agrippa quoque reddidit ei responsum, se eadem, adhuc etiam & duriora his, per eum pati. Vnde factum est, vt cùm Albinus cubitum iret, & Xandippen adduci sibi fecisset, suæque delectationis commixtionem apud eam, nec blanditiis nec terroribus obtinere potuisset, consiliaretur quatenus vnà cum Agrippæ manu, velut auem laqueo Petrum caperet, & vt maleficum pessundaret. Xandippe autem Albini vxor hæc audiens, misit nuncium fidelissimum ad Petrum, vt Roma exiret, & insidias penè ineuitabiles declinaret. Marcello nihilominus Marci præfecti C filio, qui postquàm Simonis Magi pestiferam doctrinam aufugerat, Apostolo fideliter & viriliter in cũctis adhæsit, atque etiam fratribus, conspirationem viri sui & præfecti Agrippæ, ipsa innotescere fecit. In crastino quoque surrexerunt quidam ex senatoribus in consessu, & dixerunt, Suggerimus amplitudini vestræ nobiles viri, quòd ad peruersionem vrbis æternæ, Petrus connubia diuortiis emancipat, vxores nostras à nobis disiungit, & nescimus quam nobis nouam & inauditam legem inducit. Et hæc dicentes, concitabant etiam alios ad tumultum & appellationem. Tunc Agrippa gratulatus est, quia quod de Petro optauit, sub occasione in senatum venit. Sed & D hoc, Petrum & fratres non latuit. Innotescere siquidem hoc eis sceleri nuncio fecerant ij, qui fuerant ex senatoribus per Petrum illuminati à Domino. Quapropter Marcellus & fratres deprecabantur Petrum, vt secederet. Petrus verò ait: Non oportet fratres & filij fugere propter Christum Dominum passiones cum ipse vltro se pro nostra salute morti obtulerit. Marcellus autem & fratres, nimio confletu aiunt: Miserere pater misericors iuuenum, & eorum qui sunt in fide rudes, nec nos, nec illos inter infidelium turbines destitutos relinquas. Tunc Petrus rogantibus se, ait: Fugiendum suadetis, & iuuenum atque infirmorum cordibus, exemplo nostro me- E tum passionis incutere, cùm verbum Dei constanter debeamus asserere, & sanctæ castimoniæ fundamenta, quæ iecimus, conseruare. Fugiendum putatis, vt mortem declinemus, quàm multis suspiriis & gemitibus diuturnis, vt ingressum vitæ expetimus, quia etiam secundum illius reuelationem, Dominum clarificare debeamus. Fratres verò hæc audientes leuauerunt vocem dicentes: O pater veracissime, vbi sunt verba quibus dicebas, quoniam pro vita nostra morti paratus esses succumbere, & nunc impetrare non possumus, vt pro salute

Accusatur B. Petrus vxores à viris diuertere.

nostra, donec corroboremur, patiaris te aliquãtulũ viuere. Adolescẽtes quoq;, quos ipse sollicitè custodiẽs, in fide & castitate sedulo educabat manus protẽdẽtes in cœlũ, & porrecti in faciẽ illius, velut subitò mortui procidẽtes in terrã vociferabãtur nimio eiulatu clamantes: O bone Petre, pater, & pastor, post tuũ dominũ clemẽtia singularis, cur quos affectu materno recẽter per sacrũ fontẽ Domino peperisti, tã immaturo solatio & animo crudeli, qui te anteà nũquã attigerat, nos immanissimorũ morsib⁹ luporũ exponis? Clamabãt autẽ & matronæ, puluere conspersis capitibus. Hæccine est misericordia quã de saluatore tuo prædicare solebas: qui tuis lachrymis quẽ ad tempus negaueras in æternũ pietate motus indulserat, & nũc tãtis lacrymarũ fluminibus, te vel paruo tẽpore, nobis non cõcedis, præsertim & cũ dominũ potiùs ministrare in carne & tibi reseruatã coronã adipisci perpetuã. Sed & custodes carceris Processus & Martinianus, cũ reliquis magistratibus & ex officio iũctis, postulabãt eũ dicẽtes: Domine quò vis abscede, quia imperatorẽ obliuiũ tui iã credimus. sed iste iniquissimus Agrippa pellicũ amore & intẽperantia suæ libidinis inflãmatus, perdere te festinat. Si enim te regis iussione inpeteret, Plautini viri clarissimi, cui te cõmẽdatũ nos custodiẽdũ suscepimus, de tui nece sẽtẽtiã haberemus: nã post quã nos credẽtes in hac vicina custodia, fõte, precib⁹ & admirabili signo crucis de rupe, producto, in sanctæ Trinitatis nomine baptizasti, liberè quò libuerat perrexisti, & nemo fuit tibi molestus: nec modo esset, nisi incendiũ dæmoniale quod vrbẽ stimulat Agrippã actiũs persuasisset. Quapropter oramus te salutis nostræ minister, hãc nobis digneris recõpẽsare vicissitudinẽ, vt qui nos à peccatorũ & dæmonũ vinculis absoluisti, à carcerali ac cõpedũ nexibus, quorũ nobis est commissa immanitas, nostra nõ iã permissione, quàm etiã deprecatione liber in saluationẽ tãtæ plebis abscedas. Viduę quoq; & orphani, ac senio valdè cõfecti, capillos sibi trahẽtes, genãsq; vellentes & pectora denudãtes, dicebãt: Alios quorũ ministerio fouebãtur, à diuersis lãguoribus sanasti, & de ipsa etiam morte resuscitasti, & te nobis pater piissime subtrahis. Vel ante te omnes nos præmitte, ne tuæ institutionis doctrina destitutę animę pereãt, & corpora, ministrationis tuę solatio desolata intereant: & sic quo desideras, accelerare festina, ne vitam nostrã post dominum mori vidẽtes, & remanẽtes in vita miseri moriamur. Tũc Petrus hæc vndiq; audiẽs, qui vltra modũ miserentes lacrymas afflictorum sine lacrymis nũquã præterire poterat, deuictus tãtis fletibus ait: Nemo vestrũ veniat mecũ, ego solus mutato schemate pergam. Proxima namq; nocte celebrata oratione valedicens fratribus, & cũ benedictione illos Deo cõmendãs, profectus est solus. Et dũ pergeret, ceciderũt ei fasciamenta ex crure demolita à cõpede. Vt autem portã ciuitatis voluit egredi, vidit sibi Christum occurrere, & adorãs eũ ait. Domine quo vadis? Respondit ei Christus: Romã venio iterũ crucifigi. Et ait ad eũ Petrus: Domine, iterũ crucifigeris? Et dixit ad eum Dominus. Etiã, iterũ crucifigar. Petrus autẽ dixit: Domine reuertar, & sequar te. Et his dictis Dominus ascẽdit in cœlũ Petrus autẽ prosecutus est eũ multo intuitu, atque dulcissimis lacrymis. Et posthæc rediens in seipsũ, intellexit de sua dictũ passione, quòd in eũ Dominus esset passurus, qui patitur in electis misericordiæ compassione & glorificationis celebritate. cõuersúsq; in vrbẽ rediit cum gaudio, glorificãs deũ, & narrãs fratribus quòd ei obuius fuisset Dominus, & declarasset ei quod iterũ in ipso esset crucifigẽdus. Quib⁹ cũ manifestasset passionẽ suã, fletum omnes & vlulatũ emiserunt, dolebant vniuersi, & lacrymas profũdebãt, dicẽtes: Cõsidera oues tuas pastor bone, cõsidera eos quorũ fides infirmior, tuo expedit roborari sermone. Cõsidera corda titubãtia, quæ per te stabilienda noscũtur. Quib⁹ Petrus ait: Facile est domino, vt seruorũ suorũ corda etiã sine meæ humilitatis sermone corroboret. Quos enim plantauit, ad hoc faciet adolescere vt illos possint plãtare. Ego autẽ tanquã seruus necesse est vt Domini exequar volũtatẽ. Quapropter si me adhuc morari

Horũ meminerunt Gregorius & Hildebertus in Epist.

Occurrit Christus Petro fugienti. Euseb. lib. 3. cap. 1.

A in carne disponit propter vos, nõ cõtradico. Et si me pati pro nomine suo decreuerit, & per passionẽ dignatur suscipere, exulto & lætor in gratia ipsius. Cùm his igitur & aliis multis verbis fratrum animos cõsolaretur, & illi lacrymas tenere non possent, superuenit Heros cũ quatuor apparitoribus, & aliis decẽ viris, qui eũ cõprehendentes rapuerũt de fratrum medio, & statuerũt vinctũ Agrippæ præfecti vrbis obtutibus. Cui ait Agrippa: Multa est tibi audacia, ô scelerate in plebibus quas circũuenis, atque in fœminis quæ tua persuasione à maritali thoro discedunt. Ausus es etiã in Iudæorũ iniuriã, nescio quẽ Christũ inducere, & cõtra sanctũ ritũ Romanũ & cõtra vrbis æternæ deuotionem, nescio quæ inepta & vana docere. Tunc facta est facies Apostoli sicut sol splendida, & aperiens Petrus os suũ dixit ad eũ: Video quo tẽdis, lux libidinum, B amator pollutionis, atrocitatis inuẽtor, innocentiũ persecutor, decipiẽtiũ fautor, fallaciæ cõditor, habitaculũ satanæ. Ignoras namq; gloriam in qua glorior, & ideò dicis, quod in viris & mulieribus sit mihi fiducia. Et ait ad eum Agrippa, Quia scis me ignorare in quo gloriaris, facito me nosse. Et ait ad eum Petrus, Nulla sit mihi gloria, nisi crux Domini mei Iesu Christi, cuius ego sũ seruus. Et ait ad eum Agrippa. Vis ergo vt crucifigaris sicut Dominus Deus tuus est crucifixus? Petrus quoq; respõdit. Nõ sum dignus recta cruce mũdum teste facere passionis meæ, sed per qualiber supplicia opto & desidero sequi vestigia passionis eius. Tũc præfectus, morbo incontinentiæ suæ prætẽdẽs superstitionis accusationẽ, crucifigi fecit Apostolũ. Et ecce cõcursus ingẽs subitò factus est diuersæ C ætatis & sexus, diuitũ, pauperũ, viduarum, pupillorũ, imbecilliũ atq; potẽtũ, qui sũma voce clamabãt: Vt quid occiditur Petrus? Quid admisit criminis? In quo læsit vrbem? Nec innocẽtẽ dãnare fas est. Nõne timẽdum est, ne tanti ac talis viri necẽ Deus vindicet, & nos omnes pereũte præcipitet? Et cœperũt in Agrippã fauore populi, irruẽtes, illæsũ rapere & cõseruare Petrũ, & tumultuantibus vocibus plebis ad inuicẽ cõfũdebatur Roma. Tunc Petrus restitit modicũ, & ascẽdẽs editiorẽ locũ, nutúq; ad silẽtiũ prouocãs populũ, ait: O viri & fideles Dei, qui Christo militatis! O omnes qui in Christo speratis, si charitas vestra in me vera est, & viscera integra in me pietatis ostẽditis, nolite reuocare eũtẽ ad Dominũ, nolite impedire properãtẽ ad Christũ. State ergo quieti, gaudẽtes & læti, vt hostiã meã cũ hilaritate Domino offerã. Hilarẽ enim datorẽ diligit D Deus. Et his dictis vix est sedata seditio, & præfecti discerptio. Poterãt enim & inhiãter optabant multi populi præfectũ euertere, sed timebãt Apostolum cõtristari, qui magistri sui sequebatur exẽplũ, dicẽtis: Possum rogare patrẽ, & exhibebit mihi modò (si volo) plusquã duodecim legiones angelorũ. Peruenit deniq; vna cum Apostolo & apparitoribus, populus infinitus ad locum qui appellatur Naumachia, iuxta Obeliscũ Neronis in mõte. Illic enim crux posita erat, & respiciẽs flẽtẽ populũ, & iterũ seditionem excitare volẽtem, ait clara voce: Nolite obsecro vos, fratres, oblationem meã impedire. Nolite versus Agrippam sæuire, & amaro animo in eũ esse. Ille enim minister est alienæ operationis. Nã dãnationis meæ secũdũ corporis qualitatẽ, Diabolus author est, dominica abutens per- E missione. Quia dolet vasa contumeliæ per me sibi sublata esse, & facta esse diuersoria continentiæ, templa Christi, domicilia honoris & gratiæ. Itaque fratres mei & filij, obedientes estote, quia per reuelationem à Domino Iesu Christo proditum est mihi, quod ita esset euenturum. Nõ ergo est discipulus super magistrũ, nec seruus super Dominum suum. Festinate itaque vt carne exutus assignet Domino. Nunc enim tempus est, in quo meam offeram hostiam. Mementote signorum & prodigiorum atque sanitatũ, quæ Christo operãte, & me ministrante, vidistis & sensistis. Ideò enim plurimorũ infirmitates curatæ sũt, vt omniũ animæ saluarẽtur. Ideò mortua corpora suscitata sũt, vt animę mortuæ reuiuiscerẽt. Sed quid iã moras patior, & nõ appropinquo cruci? Valete fratres, & patiẽtes estote, & seruare quæ audistis, cõmẽdo vos Domi-

B. Petri erga gregem dilectio.

Ob damnationem B. Petri tumultuatur populus.

Crucis laudes, de quibus plura apud Abdiam.

no Iesu Christo. Accedēs antē & astās cruci, dixit: O nomē crucis occultū mysteriū! O gratia ineffabilis, in nomine enim crucis, pax! O crux, quæ Deo hominē cōiunxisti & à dominio Diaboli captiuatis magnificè segregasti! O crux, quæ humano generi passionē saluatoris mūdi, & redēptionē captiuitatis humanæ vera comitante fide sēper reptæsētas incolumē! O crux quę quotidie carnes immaculati agni fidelib⁹ diuidis populis, & dira serpētis venena à populo saluatiter depellis atq; Rhomphæā paradisi ignitā, credētū sine intermissione restinguis! O crux, quæ pacē quotidie terrenis cū cœlestib⁹ operaris, & mediatoris mortē qui à mortuis resurrexit, & iam nō moritur, æterno patri (Ecclesia pro filiis agēte) sedulò reparas, & legatione fœlicissima renouas, & reformas: vim patior tui causa, & iā nūc in finitima absolutione existēs, nō quiescā manifestare de cruce occultū Dei mysteriū, quod olim clamauit anima mea. O qui in Christū creditis, non istud sit vobis crux quod apparet; Aliud est enim quiddā mysticū in hoc quod apparet vobis. Et nūc maximè qui potestis audire in hora nouissima vitæ huius existente me, omnes sensus segregate, & animas vestras ab omni quod apparet, ad illud quod inuisibile est, auocate, & scietis quod in Christo, per crucē, factū est salutis mysteriū. Debitū est tibi Petre, reddere terræ corpus acceptū, per eos quib⁹ est corpus occidere propriū. Ait autē ad magistros carnificū, quid est quod tēpus atteritis? Quid apparitores innecti mihi, moras patimini? Implete quod vobis est iussū, cauite me mortali tunica, vt spirituali adhæreā Domino. Petiit sanè, & ita alloquēs ministros carnificū, exorauit. Precor vos bonæ salutis meæ ministros, vt crucifigētes me caput deorsū ponatis, pedes verò sursū. Non enim decet me seruū vltimū ita crucifigi, vt Dominus vniuersitatis, pro salute totius mundi est crucifixus, quē passione mea cōstat glorificari. Et etiā vt mysteriū crucis inuerso vultu sēper possim cōspicere, quò facilius quid inde dixero circūstātibus, possit audiri. Quod cū factū fuisset, adorsus est Petrus flerē populū, de cruce cōsolari, & alloqui mysterialiter, dicēs: Grāde & profundū mysteriū crucis, & ineffabile atq; inseparabile vinculū charitatis. Per crucē enim, ad se omnia traxit Deus. Hoc est lignum vitæ quo destructū est mortis imperiū. Hoc mihi tu aperuisti Domine, aperi & omniū istorū oculos, vt videāt cōsolationē vitæ æternæ. Et his dictis aperuit Deus oculos eorū qui lugebāt, & lachrymas fūdebāt in passione Petri, & viderūt Angelos stātes cū coronis de florib⁹ rosarū & liliorū, & in vertice crucis erectæ stantē Petrū, & librum à Christo accipiētē, & ea verba quæ loquebatur, inde legētē. Quod vidētes, ita cœperūt lætari & gaudere in Domino, vt illi increduli & carnifices videntes eos exultare & lætari quos prius tristes viderāt, & plāgētes, subitò cōtabescerēt animo & veluti fumus vanescerēt. Vidēs autem Petrus, quòd demōstrata esset multis antea fletib⁹ gloria eius, gratias egit domino Iesu Christo, dicēs: Dignè tu solus Domine in altū porrecto vertice crucifixus es, qui totū mūdum à peccato redemisti: te imitari, etiā in passione optaui, sed rectus crucifigi, nō vsurpaui. Quia ex Adā, puri homines, & peccatores nati sumus, tu verò ex Deo Deus, & lux vera ex vero lumine ante omnia sæcula, in fine sæculorū pro omnib⁹ sine cōtagione hominis, homo fieri dignatus, redēptor hominis gloriosus existēs. Tu sēper rectus, tu sēper excelsus, tu sēper altus. Nos secūdum carnē, primi hominis filij sumus, qui principale demersit in terrā. Cuius lapsus, significat speciē generationis humanæ. Sic enim nascimur vt proni in terrā videamur effundi, & quod ad dexterā est, hoc ad sinistrā sit, & quod ad sinistrā, hoc ad dexterā fiat, eo quòd in authorib⁹ huius vitæ mutata cōditio est. Hoc enim putat mundus iste dextrū, quod est sinistrum: in quo tu Domine quos sicut Niniuitas inuenisti periuros, tua sācta prædicatione liberasti. Vos verò fratres quibus est audire propriū, aures cordis apponite, & nunc quæ annuncianda vobis sunt agnoscite, scilicet omnis naturæ mysteriū, & omnis factæ cōstitutionis initiū: nā primus homo, cuius genus in spe-

Niceph. li. 2. cap. 36. Christus suorū passione glorificatur.

Crucis efficacia. B. Petri gloria.

Quid significet deorsum versum D. Petri crucifixio.

A cie ego habeo, misso deorsū capite, ostendit olim perditā generationē, mortua enim erat generatio eius, & nec vitalē habebat motū. Sed tractum misericordia sua principiū, venit in mundū per corporalē substātiā, ad cū quem iusta sententia in terrā proiecerat, & suspensū in cruce per speciē huius honorādæ vocationis, videlicet crucis, restituit, & cōstituit nobis ea quæ antea hominū iniquo errore immutata fuerūt præsentia videlicet vt æterna, & æterna ducebātur vt præsentia, & dextera sinistra. Siquidē ille, dexterā glorificās, omnia signa mutauit ad propriam naturā, sicut bona intelligens quæ nō putabātur bona, & reuera benigna, quæ maligna æstimabātur. Vnde Dominus in mysterio dixerat. Si nō feceritis dexterā sicut sinistrā, & sinistrā sicut dexterā, & quæ sursū sicut quæ deorsum, & quæ ante sicut quæ retro, non cognoscetis regnū Dei. Istā ergo sciētiā, in me perdoxi fratres, & hæc est figura, qua me pēdentē oculi carnales cōspiciūt. Schema est enim primi hominis. Vos verò dilecti mei hæc audiētes, & quæ auditis ad perfectionē cōuertēdo & conuersando ducētes, sicut de vestro primo errore ad certissimam fidei stationē redistis, ita perseuerate currētes, & ad quietē supernæ vocationis tēdite, benè cōuersantes, via enim qua illuc iter agere debetis, Christus est. Oportet igitur cum Iesu Christo Deo vero superascēdere crucē qui est cōstitutus nobis sermo solidus & viuus. Vnde & Spiritus dicit, Christus est verbū & vox Dei. Cæterū verbū significat istud rectū lignū, in quo crucifigor. Et quia vox propriè corporis est quod lineamēta recipit, quæ diuinitati nō imputātur naturalia crucis, humanā prętēdere noscūtur naturā quæ immutationis errorē, in primo homine passa est, sed per Deū & hominē, verā intelligētiā recuperauit. Ipsa namq; disciplinæ clauis in medio astricta est, cōuersione videlicet, & cōuersatione, atq; cū fide pœnitentia hominis. Et hæc dicēs alacri vultu & facie serena, sic exclamauit, in orationē erūpens: Ista mihi tu Domine Iesu Christe verba vitæ nota fecisti, & reuelāti tibi, quę dixerā de ligno à me prædicato, gratias ago: Nō corde cui sæpè indecēs quidquā subripit, non labiis istis carni affixis, nec lingua per quā verū vel falsū procedit, neq; verbo articulata & materiali natura producto: sed illa voce gratias tibi ago, rex bone, quæ per silētiū intelligitur, quæ non in manifesto auditur, quæ nō per organa corruptibilis oris percipitur, quæ neque est è terra, nec in terra dimittitur, quæ in libris materialib⁹ nū scribitur, nec quēquā materialiter mouet, neq; materialis existit. Illo inquam spiritu Domine Iesu Christe, Domine & magister meus gratias ago tibi, quo te credo, quo te intelligo, quo te diligo, quo te teneo, & voce qua te alloquor, qua te interpello, qua tu tono & modesto tātū spiritui intelligibili es. Tu mihi Domine, Pater, & amicabilis auctor, & perfector salutis. Tu desideriū, tu refrigeriū, tu satietas. Tu mihi omnia es, & omnia mihi in te sūt: mihi totū es, & totum quod est, tu mihi es. Tu es mihi omnia. In te viuimus, mouemur & sumus. Et ideo, te vt omnia habere debemus, vt tu des nobis illa quæ promisisti, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascēderunt, quæ præparasti his qui diligūt te. hæc custodi seruis tuis, hæc tribue atq; largire, quia tu es pastor ęternus & summè bonus, verus filius Dei. Tibi cōmēdo oues, quas tradidisti mihi. Tu eas in ouile tuū aggrega, & cōserua, quia tu ostiū, ouile, & ostiarius. Tu pascua & ęterna refectio. Tibi gloria cū Patre & Spiritu sācto, nunc, & in omnia sæcula sæculorū. Et mox vt omnis plebs magna voce, Amē, reddidit, Petrus Spiritū tradidit. Statimq; Marcellus nullius expectauit sententiam, sed vidēs quia beatus expirauit Apostolus, propriis manibus deposuit sanctum corpus de cruce, & lauit illud lacte & vino optimo. Terēnsq; mastiches, & aloës minas mille quingentas, & myrrhæ ac folij atque stactes, cum cæteris varijs aromatibus alias minas mille quingentas, cōdiuit eum diligētissimè. Melle quoque Attico nouum repleuit sarcophagum, & in eo corpus aromatibus perlitum collocauit. In ipsa autē nocte, cùm Marcellus ad sepulchrum ipsius vigilaret, & ardenti eius desiderio fleret

B. Petri patientis oratio.

B. Petri patientis oratio.

Corpus D. Petri mortuum, lacte & vino lauatur.

(ſtatuerat enim in vita ſua non ſeparari à doctoris ſui amantiſſimi ſepulchro) venit ad eum beatus Petrus. Quẽ videns Marcellus & contremiſcẽs, illi velociter aſſurrexit, ſtetitque ante eum. Cui ait beatus Apoſtolus Frater Marcelle, non audiuiſti vocem Domini dicentis, Relinque mortuos ſepelire mortuos ſuos. Et Marcellus ait: Chare magiſter, audiui. Tunc Petrus ad eum: Noli ergo quaſi mortuus mortuum videaris ſepeliſſe, flere: ſed tanquam viuus viuenti & gaudenti meliùs cũ lætare. Relinque mortuos ſepelire mortuos ſuos. Tu autem, vt per me didiciſti, vade annuncia regnum Dei. Quod cum gratia multa, cunctis fratribus Marcellus indicauit, & ſuffragijs ſancti Petri ex omni parte fides credentium à B Deo patre confirmata eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in ſanctificatione Sancti Spiritus, Nero autem comperiens beatum Petrum obiiſſe, quem arctare, non interficere iuſſerat, miſit vt comprehenderetur Agrippa Præfectus, quoniam non cum ſua ſententia Petrum interfecerat, quam diſponebat per varia punire ſupplicia. Querebatur enim ſe ipſius præſtigijs deſolatum à Simone ſuæ ſalutis Præſule, & dolebat pro tanti

Demortui Petri ſuffragia credentium fidem confirmant.

A caſu amici, qui ſibi & reipublicæ (vt fatebatur) commoda præſtabat innumera. Agrippa verò interuenientibus amicis, obtinuit vt Præfectura carens, priuatus & contemptus in domo propria degeret: ſicque furorem Cæſaris declinauit. Sed vltionem diuini iudicij non euaſit: quam mox terribiliter expertus, interijt. Denique conuertit crudeliſſimus Nero animum ad perſecutionem eorum, quos didicit beato Petro familiariùs adhæſiſſe, vt vel eorum pœnis de Petro ſatiaretur. Beatus verò Apoſtolus fratribus hoc per reuelationem innotuit, & qualiter feram beſtiam declinarent, inſinuauit. Nero ſiquidem per viſum, vidit ſibi ſanctum aſtare Petrum, & diriſſimè à quodam, iuſſu ipſius flagellatus, audiuit: Contine manus impiiſſime à ſeruis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quos nunc tenere non poteris. Vnde parum pauefactus quieuit. Erant quoque fratres ſimul lætantes, & exultantes in Domino, confortati ſæpè viſione beati Petri Apoſtoli, glorificantes Deum Patrem omnipotentem, & Dominum Ieſum Chriſtum cum Sancto Spiritu. Cui eſt gloria, virtus, & adoratio in ſæcula ſæculorum, Amen.

Agrippa miſere moritur.

DE PASSIONE B. PAVLI, AD ECCLESIAS ORIENTALES, LINI LIBER SECVNDVS.



CVM veniſſet Romam Lucas à Galatia, & Titus à Dalmatia, expectauerunt Paulum in vrbe. Quos cùm adueniens Paulus vidiſſet, lætatus eſt valdè, & conduxit ſibi extra vrbẽ horreũ publicũ, vbi cũ his & alijs fratrib⁹ de verbo vitæ tractaret. Cœpit interea colligere multitudinẽ maximã, adiiciebantúrq; per eum fidei multæ animæ operãte Dei gratia, ita vt per totam vrbẽ ſonus prædicationis & ſanctitatis ipſius fieret, & exiret fama per vniuerſam regionẽ de illo. Iam enim admodũ innotuerat orbi Romano ſignis & prodigijs, & doctrina multa, atq; mirabili ſanctitate. Cõcurſus quoque multus de domo Cæſaris fiebat ad eũ, credẽtium in Dominũ Ieſum Chriſtũ, & augmẽtabatur quotidie † fidelibus gaudiũ magnum & exultatio. Sed & inſtitutor * imperatoris adeò eſt illi amicitia copulatus, videns in eo diuinã ſcientiã, vt ſe à colloquio illius tẽperare vix poſſet, quo minus ſi ore ad os illũ alloqui nõ valeret, frequentibus datis & acceptis epiſtolis, ipſius dulcedine & amicabili colloquio atq; cõſilio frueretur, & ſic eius doctrina augẽte Spiritu S. multiplicabatur, & diligebatur, vt licitè iam doceret, & à multis libẽtiſſimè audiretur. Diſputabat ſiquidem cum Ethnicorũ philoſophis, & reuincebat eos: vnde & plurimi eius magiſterio manus dabãt. Nã & ſcripta illius quidã magiſter Cæſaris coram illo relegit, & in cũctis admirabilẽ reddidit: Senatus etiam de illo alta nõ mediocriter ſentiebat. Quadã deniq; die, cùm Paulus doctrinæ inſeruiẽs circa veſperã in cœnaculo editiori turbas alloqueretur, quidã Patroclus delicioſus & Pincerna regis, ipſius ſe ſubducẽs aſpectibus, abiit ad horreũ vbi Paulus hoſpitabatur, vt audiret documenta vitæ perpetuæ. Inuitatus enim ad hoc & animo inductus iam fuerat à cõſodalibus ſuis, & Cæſaris amiciſſimis, qui ex eius familiari obſequio Pauli monita ſectabãtur. Sed cùm præ multitudine populi ad eũ introire nõ poſſet, aſcẽdit ad feneſtrã excelſiorem, & ſecus eam ſedit, vt verbũ Dei cõmodiùs poſſet audire. Deſiderabat enim feruenti animo Pauli ſermonibus refici. Sed cùm Paulus in lõgum protraxiſſet ſermonẽ, & iuuenis ſomno grauaretur, Diaboli inuidia dolẽtis ſuper dilectione Dei & ipſius Apoſtoli, quã ſtudioſus adoleſcens habebat, fecit iuuenẽ pauliſper dormitare, cadẽſq; de feneſtra valde excelſa cœnaculi, ſpiritũ exhalauit: Quod cũ mox Neroni reuertẽti à balneo, fuiſſet nunciatũ, cũ multa frequentia dilectũ ſibi iuuenẽ requirebat, cõtriſtatúſq; eſt vſq; ad animã ſuper morte Patrocli, ſta-

† Quotidie non habetur in impreſſione Venetica.

* Seneca. Falsò itaque Senecæ ad Paulum inſcriptas epiſtolas calumniatur Eraſmus, cum eundem inter Eccleſiaſticos numeret Hieron y. & occultè Chriſtianũ ſignificat Tertull. in Apol.

C tuitq; aliũ pro eo ad vini officiũ, vt ei porrigeret poculũ. Paulus verò nõ multò poſt cognoſcẽs per ſpiritum quod geſtũ erat, dixit ad plebem: Viri fratres, inuenit malignus locum vt nos tentaret, ſed Dominus Ieſus Chriſtus more ſolito eius nequitiam conuertet ad ſuam gloriã. Ite igitur foras, & inuenietis iuuenẽ Cæſaris delicatũ, ex alto cecidiſſe, & iã iacere exanimẽ: quẽ leuãtes ad me huc deferre ſatagite. Illi ergo cito gradu pergentes, cõfeſtim iuuenem mortuum detulerũt. Mirabãtur autem turbæ, quomodo Paulus rẽ geſtã ex ordine cognouiſſet, ſibi nemine nunciãte. Dixit itaq; Paulus ad turbas: Nũc fides vera apparebit erga Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtũ. Tẽpos eſt enim, vt ſemen vitæ æternæ in bonã terrã deueniẽs, centuplica D ſatione fructificet. Accedite ergo plena fide ad Dominũ Deũ noſtrũ, & deprecemur illũ vt reſtituatur anima eius in iſtud iuuenile cadauer, viuátq; melius quã vixiſſet. Et cùm ingemuiſſent vniuerſi, procumbentes orationi, ait Paulus: Adoleſcẽs Patrocle, ſurge, & narra quanta fecerit tibi Deus. Ad quã vocẽ mox Patroclus tanquã de ſomno ſurrexit, & cœpit glorificare Deũ, qui dedit poteſtatẽ talẽ hominibus. Dimiſitq; illũ Paulus cũ cæteris qui erant ex domo Cæſaris, & ibãt lætantes & gaudẽtes omnes in Domino, qui facit voluntatẽ timẽtium ſe, & deprecationes eorũ exaudit. Cũmq; lamentaretur Nero Patroclũ, & immẽſitate abſorberetur triſtitiæ, dixerũt circumſtantes ad Cæſarẽ. Nõ Domine magnanimitas tua grauetur moleſtia ſuper morte adoleſcentis: nã viuit & adeſt pro foriE bus. Cæſar verò cũ audiſſet Patroclũ viuere, quem paulò antè didicerat mortuũ, expauit corde, & recuſabat eum introire, & aſtare cũ ſuo cunſpectui. Sed cũ perſuaſum ei fuiſſet ab amicis, quã plurimis, iuſſit eũ introire. Et vidẽs eũ ſanũ, nullãq; ſigna mortis habentẽ, obſtupuit, & ait ad eũ: Patrocle viuis? At ille reſpondit: Cæſar, viuo. Nero dixit: Quis te fecit viuere? Cui Patroclus exhilaratus corde & accẽſus calore fidei, dixit: Dominus meus Ieſus Chriſtus, rex omniũ ſæculorũ. Et Nero cũ turbatus de nomine virtutis Dei, dixit ad iuuenẽ: Ille ergo debet regnare in ſæcula, & reſoluere omnia regna mũdi: Et Patroclus ait: Etiam Cæſar, deſtruet omnia regna quæ ſub cœlo ſunt, & vniuerſa quæ ſub cœlo ſunt ſeruient ei: quia ipſe eſt ſolus Rex regum, & Dominus dominantium. Nero autem dedit ei alapam, dicens: Ergo militas illi regi? Et Patroclus exultans, ait: Etiam. Nam excitauit me à mortuis. Tunc Barnabas, & Iuſtus, & quidam Paulus, & Arion Cappadox, & Feſtus Galata, qui erant miniſtri Cæſaris, & ei iugiter aſſiſtebant, dixerunt Neroni: Cur Cæ-

Paulus ſuſcitat Patroclum. ſuſcitauit & Eutichẽ ſimili lapſu mortuum. Act. 20.

Edictũ Neronis de Christianis. Euseb. lib. 2. cap. 14. Niceph. lib. 2. cap. 17. Hegesipp lib. 3. c. 2.

sar recta sapientem, & prudentissimè respondentẽ pertcuis iuuenem? Nam & nos illi militamus regi inuicto Iesu Christo Domino nostro. Nero autem cùm audisset vno sensu, eudémque sermone dicere illos inuictũ regem Iesum, reclusit eos in carcere, vt nimiũ illos torqueret, quos antea nimium amauerat. Et iussit inquiri regis illius famulos, posuítque edictũ, vt sicubi fuissent inuenti, sine interrogatione omnes Christi milites, per tormenta varia punirentur. Vnde multa scrutatione à ministris reipublicæ, & apotbecæ malignitatis fautoribus serui Dei quæsiti & inuẽti quàm plurimi, perducti sunt ad præsentiam Cæsaris. Inter quos & Paulus, consuetudinarias sibi pro Christi nomine gestans cathenas, ductus est vinctus. In quem omnes simul vincti à Deo intendebant, vt sine alicuius indicio facilè potuerit Nero cognoscere ipsum Paulũ magni regis militibus præsidere. Intelligénsque ipsum ducem seruorũ Christi magistrum, ait ad eum: O homo nescio cuius Regis seruus mihi autem vinctus, quid visum est introire latenter regnũ Romanorũ, & mihi subtrahere, illi autem colligere de meæ militiæ principatu? Paulus verò repletus Spiritu sancto, cõstanter in aures omniũ qui poterant adesse, dixit ad Cæsarẽ: Nero, nõ solùm de tuo angulo colligimus milites, sed etiã de toto orbe terrarũ. Hoc enim præceptũ mihi est, vt neminem ex omni gente militare volẽtem æterno regi meo, repellam: potens est enim Dominus cũctis larga manu secũdum cuiusque meritõ, dona ditissima dispensare. Si enim & tibi visum fuerit in illũ credere, & ei fideliter obtemperare, nõ te pœnitebit. Cęterũ nob putare, quòd diuitiæ huius seculi, splẽdor aut gloria, saluare te debeãt, sed si subiectus illi fueris, in perpetuũ saluus eris. Cùm autem venerit iudicare viuos & mortuos, dissoluet mũdi huius figurã per ignem, & ante mundi constitutionẽ parata, & à sæculis abscõdita, militibus suis dona quæ nunquam deficient, & quæ omnem excludent indigentiam, largietur. Hæc audiens Nero &

Nero cremat Christianos quòd mundum dicerent igne dissoluendum.

ira succensus, quia mundi figurã per ignem Apostolus dixerat resoluendam, iussit omnes Christi milites igne cõcremari: Paulum autẽ senatuscõsulto tanquam maiestatis reum, capite secundum Romanas leges truncari. Tradidítque eum Longino, & Megisto Præfectis, atque Acesto Centurioni, vt illum extra vrbem ducẽtes, & populo spectaculum de eius occasione præbẽtes, decollari præciperẽt. Quibus Paulus sine intermissione verbum prædicabat salutis. Ministros etiã & apparitores per omnẽ ciuitatẽ & circa regionẽ cũ velocitate. Nero Diaboli ex agitatus operatione, direxerat, qui sũma diligẽtia perscrutarẽtur latitãtes, & manifestatos simul interficerẽt Christianos. Vnde tã multiplex occisa est turba Christianorũ, vt populus Romanus palatiũ vi irrumperet, & seditionẽ contra Cæsarẽ excitare moliẽs, proclamaret: Pone modũ Cæsar iniustissimæ iussioni, tempera irrationabilem furorẽ, sufficiat sæuitiæ, quod crudelitatis metas trãscẽdis. Nostrates homines sunt quos perdis, Romanum tuentur imperiũ. Aufers Cæsar Romanã virtutem, quæ militum tantorũ frequentia, terribilis cunctis gẽtibus existebat. Tũc Nero clamure populi expauescẽs, aliud edictũ proposuit, vt nemo auderet cõtingere Christianos, nec quicquã eis molestiæ inferre, donec relatio plenissimæ cognitionis ex delatione cuiusque referretur ad Cæsarem. Quapropter Paulus iterũ eius aspectibus oblatus est. Nero autem vt eum vidit, vehementissimè exclamauit, dicẽs: Tollite maleficũ, decollate impostorẽ, nolite sinere viuere criminatorẽ, perdite sensuũ alienatorẽ, auferte de superficie terræ mentiũ immutatorẽ. Ad quẽ Paulus ait: Nero, tempore modico patiar, sed viuam in perpetuũ cum Deo meo, & Rege æterno Iesu Christo, qui venturus est iudicare orbẽ terræ in flagratione ignis. Nero itaque dixit Megisto, Longino, Acesto: Auferte ab illo celeriùs caput, & sic sibi de vita æterna blãdiatur, sentiátque me regem inuictum, qui eum vicerit, & occidẽdo deuici. Paulus verò ait: Vt scias, Nero, post decollationem meo regi inuicto æternaliter viuere, in-

Nicephor. ad scribit contigisse post Christũ passum anno 37. li. 2. cap. 36.

A autẽ victũ, qui putas te vincere, cùm mihi abscissum fuerit caput, viuus tibi apparebo, & cognoscere poteris quia mors & vita famulãtur Domino meo Iesu Christo, cuius est omne regnũ, & cui voluerit dabit illi, & omnis victoria est illius, & quem vult vincere, facit magnificè triũphare, & ipse solus inuictus est Rex in æternũ. Et his dictis, ductus est Paulus ad suppliciũ. Cùm autem duceretur, Lõginus & Megistus atque Acestus dixerũt ad eũ: Dic nobis Paule, vbi est rex ille, & vbi apparuerit vobis & qualiter cognouistis, & quid vobis cõtulit, aut quid vobis cõferret boni, quòd sic ardẽtissimè eũ diligitis vos Christiani, vt nullo pacto religioni nostræ velitis cõmodare assensum, ac viuatis, ac bonis huius vitæ fruamini, sed potiùs omni delectamẽto iucundius, pro illo mori variis tormẽtis ducatis? Magnus enim iste videtur error,
B iucũdam odisse hanc vitã, & tuto desiderio pœnas amplecti & mortẽ. Paulus verò ait: O viri cordati atque sensu bono vigẽtes, relinquite tenebras ignorãtiæ & erroris, quarũ caligine obnubilatur intelligẽtiæ vestræ nobilitas, ne verũ quod in vobis latet videre possitis, conuertite mẽtis oculos ad æternã & veram lucẽ, vt valeatis priùs vosipsos cognoscere, & sic ad cognitionẽ regis illius cũ lætitia peruenire, atque ab igne, vniuerso orbi superuenturo, salui & illæsi permanere. Non enim (sicut vos putatis) alicui terreno regi militamus, sed Deo viuo, regi cœlorũ, & omniũ sæculorũ; qui propter iniquitates, quæ fiunt in hoc mũdo, veniet iudex, & iudicabit illum per ignẽ. Fœlix autẽ erit homo, qui crediderit in eũ. Habebit enim vitã æternã, & viuet in omnia sæcula sæ-
C culorum: & infœlicissimus ille, quo nõ infœlicior vllus, qui cõtemnens diuitias bonitatis & longanimitatis eius non cõuertetur ad eũ, nam peribit in æternum. Propter hoc namque de cœlo in terrã descẽdit qui cœlũ & terrã fecit: & ad hoc factus ipse est homo qui fecit hominem, vt homo cõuersus ab iniquitate sua, relinquẽs vana, & simulachra muta quæ nefãdissimè pro Deo colit, seruiat ei qui fecit illũ, & adoret eũ quem tremũt Angeli & omnes cœlorum potestates adorãt. Quod cùm factũ fuerit, faciat illũ verũ adoratorem atq; cultorẽ suum, cõsortem & sociũ suorũ Angelorum spirituũ videlicet sanctorũ ac beatorũ. Nec immeritò, quia spiritus est Deus, & eum qui illũ in spiritu & veritate colit & adorat, sancti Spiritus sociũ faciet: illũ verò qui in eum credere recusauerit, sociũ & complicẽ reddet iniquorũ dæmoniorum, in
D tormẽto æterni incendij, ad cõcremationem, atq; ignẽ perpetuũ transmittet illũ refugam: hic est ignis venturus, per quẽ Deus est iudicaturus orbẽ. Quapropter viri sapiẽtes, apud se prudentia vestra diiudicet, quis fecit mũdum, quoniã sine factore non prodit, perpẽdite qui fecit hominẽ, quia vt diuina testãtur oracula, nõ ipse se fecit: attendite, quia simulachra vana non sunt dij, sed hominũ factura, & dæmonia in eisdem facturis latẽtia: quæ licet in hoc cõcordari videantur, quia vnanimiter perditionẽ humani generis cupiũt, sibi tamẽ inuicẽ variis modis indubitantissimè dissidẽt: non est enim impiis pax dicit Dominus. In causa namque est cur homines festinãt perdere, & sibi socios in pœnis habere, quia sciunt in cœlestẽ habitationẽ homines ascẽsuros per Dei
E gratiã, vnde ipsi spiritus ceciderũt per superbiam suam. Viri vrbani sensu, cognoscite, quia diuinitatis nomen per plures nequaquã diuiditur, quoniã vnus Deus, à quo sunt omnia, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem sunt omnia, & vnus Spiritus sanctus, in quo cõsistunt vniuersa, cui fideliter obtemperãt omnia, & nõ est schisma in diuinitate, quia caret pluralitate. Attendite ciues Romani, vnde discordia nata fuerit, & qua ratione accrescẽs, sic longè latéq; miserabiliter adoleuerit, & cur iã multiplicia non numina, sed miserabilia emerserunt deorũ portẽta. Videlicet quia multi cœperũt velle fieri principes ac tyrãni, & dominatores non vitiorum, sed hominum suæ naturæ cõsortium. Vnde in ignorantiæ tempestate demersi, & in barathrum elationis suæ deiecti, vnusquisque potestatis suæ Deũ aut mutuauit aut

Quorsum Christus de cœlo descẽderit.

Gentiles comites dæmoniorum.

A Trinitate pendent omnia.

De cultu idolorũ & eius origi-

ac vide quæ annotauimus ad calcem lib. de idololatr. Tertul. Cõuersio ducenciũ Paulum ad supplicium.

statuit, nã ad tantã miseri homines peruenerũt dementiã, vt sic miserrimos homines sibi deos cõstituerent, quib⁹ similes fieri vellent, vt mortẽ pessimam deuitarent. Sed & quidem eorum, quoniam non probauerunt habere Deum in notitia, traditi sunt in voluptates suas, vt exercerent illa opera, quæ leges Romanæ puniunt cum execratione, & impletum est in illis quod dictum est verbis sanctissimis: Similes illis, inquit, fiant qui faciunt ea: fecerunt enim sibi deos miseros, & facti sunt ipsi miseri, atque ad tantam sunt insaniam deuoluti, vt truneo ligneo dicant: Deus noster tu es, & lapidi, adiuua nos, stipitémque fabrefactũ adorãt qui eius sunt astutiis calefacti. Adhæc, multæ audientiũ turbæ eleuãtes vocẽ cum planctu dixerũt: Errauimus, peccauim⁹, iniquè egimus, doctor salutis & æternæ vitæ ac veritatis ostẽsor, propitiare nobis, vt eruamur à laqueis peccatorũ, & possim⁹ euadere ignẽ quo exuretur mũdus, & quisque cruciabitur infœlix ac pessimus. Tunc Paulus ait: O viri fratres, quorũ dominus cor suo spiritu tetigit: state fideliter in fide: nã ministrã æternæ salutis aderũt, à quib⁹ baptizabimini, & bene perseuerãtes in charitate Domini nostri Iesu Christi, salui eritis in æternũ. Lõginus quoque, & Megistus, & Acestus secretiùs alloquẽtes Apostolũ, dixerũt. Rogamus te Domine, fac nos ascribi in militia regis æterni, vt possimus venturũ ignẽ euadere, & regni perpetui participes fieri, & dimittemus te: vt possis quocũque decreueris pergere, & erimus tui itineris comites, & vsque ad mortẽ tibi parẽtes. Quibus Paulus ait: Fratres mei, nõ sum profugus, sed miles legitimus regis mei: si enim scirẽ quòd morerer, nõ potiùs ad vitã & gloriã per hanc mortẽ peruenirẽ, nõ solùm facerem quæ rogatis, sed ego hoc à vobis deposcerẽ, nunc autem non in vacuũ per multas tribulationes cucurri, nec sine causa pati cupio. Nam restat mihi corona victoriæ, quam reddet mihi cui credidi, & de qua certus existo: quoniam ad ipsum vado, & cum ipso veniam, cùm veniet in claritate sua, & patris & sanctorum Angelorum iudicare orbem terrarum. Propterea mortem istam contemno, & vestram petitionem (vt abscedam) non audiam, neque faciam. Illi verò flentes, dixerent ei: Quid ergo acturi sumus? Quomodo te punito viuemus? & ad illum, in quem nos credere persuades, peruenire iam vltra valebimus? Et cum hæc inter se loquerentur, & populus multus voces in altum tolleret, misit Nero Parthenium quendam, & Pheretam milites, vt viderent si iam Paulus esset occisus. Qui aduenientes reppererunt eum adhue viuentem & diutissimè populum alloquẽtem. Quos Paulus ad se aduocãs, ait illis: Viri Fratres, credite in Deum viuum, qui me & omnes qui in eũ credunt à mortuis suscitabit. At illi respondentes dixerunt: Ad Cæsarem priùs ibimus, omnia renũciantes: & cùm peractum fuerit pro quo missi sumus, & cùm mortuus fueris, & resurrexeris vt dicis, tunc credemus tuo Regi. Tu autem explica moras quibus iussionem differs, & vade ad destinatum locũ vbi sententiam meritò dictatã suscipias. Paulus quoque dixit eis: Commoratione mea in carne plus vos indigetis, si credere vultis, quàm ego, qui ad vitam per mortem vado: sed & iam pergamus exultantes in nomine Domini Iesu Christi. Cùmque ad locum pergerent passionis, comitantibus populorum turbis innumeris, venit ad portã vrbis Romæ vbi habuit obuiam nobilissimã matronam nomine [1] Plautillam, Apostolorum feruentissimã dilectricem, & religiosis diuinæ cultricem: quæ flens, eius se cœpit orationibus cõmendare. Ad quam Paulus ait: Vade Plautilla æternæ salutis filia, cõmoda mihi pannum quo caput tegis, & secede paululùm in partem propter plebis impedimenta: me hic expectãs donec reuertar ad te, & tibi restituam beneficium, ligabo enim mihi oculos vice sudarij, & tuæ dilectioni, amoris mei pro Christi nomine pignus, ad illum pergens relinquam. Quæ festinato pannum porrexit, & ei, vt ipse Apostolus iusserat, obediuit. Insultabãt autẽ Parthenius & Pheretas dicẽtes: Quid credis impostori & mago? cur perdis pannũ optimũ nõ tãtum per eũ in sęculo lucratura? Paulus verò dixit ad eã, etiã filia prę-

Spes Sanctorum.

1. Commodat Plautilla D. Paulo sudariũ.

A stolare aduentũ meum, & signa mortis meæ in panniculo tibi afferam cum Christo victurus. Interea Lõginus, Megistus, & Acestus dum instarent obnixiùs pro salute sua, inquirentes modũ qualiter ad verã vitã possent pertingere, audierũt a beato Apostolo: Fratres & Filij mei, mox vt ego fuero decollatus, vos & cæteri ministri interfectionis meæ à loco in quo me Dominus vocare dignabitur recesseritis, viri fideles rapient & sepelient cor meũ: [2] vos autem notate locum sepulchri mei, & cras valdè diluculo illuc venietis, ibique inuenietis duos viros orantes, Titũ & Lucã. Quibus dicetis qua de causa vos misi, & illi vobis dabunt signa salutis in Domino. Nolite igitur dubitare exequi quod vobis est imperatũ: quoniã statim vt credentes sacro fonte fueritis intincti, & diuinorum mysteriorũ viuificatione sacrati, ab omnibus peccatorum cõtagiis, & ab B hoc etiã quod reformidatis, in me scelere perpetrato incũctanter purgati eritis, ac super niuem dealbari, ac in serie Christi militum ascripti, & cælestis regni efficiemini cohæredes. Et his dictis peruenit ad passionis locum, vbi ad orientẽ versus, tensis in cœlum manibus, diutissimẽ cũ lacrymis Hebraicè orauit, & gratias egit Deo. Cúmque patrio sermone cõsummasset orationẽ, vale dicẽs fratrib⁹ benedixit eos. Et ligãs sibi de Plautillæ maphorte oculos in terra vtrumq; genu fixit, & collum tetẽdit. Spiculator verò in altum brachia eleuãs, cum tota vi percussit, & caput eius abscidit. Quod postquã à corpore præcisũ fuit, nomen Domini nostri Iesu Christi Hebraicè clara voce personuit, statímque de corpore eius vnda lactis in vestimẽta militis exiliuit. & postcà sanguis defluxit, vitta verò qua sibi ligauerat oculos, eùm eam quidam rapere vellẽt, C non comparuit, tãta etiam odoris suauitas flagrauit, & lucis immensitas in momẽto illius decollationis cælitus ibi emicuit, vt mortalium oculi splẽdorem illum sufferre, & humana lingua narrare nequiuerit odorem. Videntes autem omnes qui aderant, gratiã Dei in beato Apostolo, admirati sunt valdè, laudãtes & confitentes per multam moram Dominum Iesum Christum æternum & inuictum regem, quem prædicauerat magnificus doctor & magister gentium Paulus. Reuertẽtes verò qui iussi fuerant accelerare interfectionẽ eius, peruenerunt ad portam ciuitatis, vbi inuenerunt Plautillã, laudãtem & glorificantẽ Dominũ in omnibus quæ audiuit & vidit per sanctum eius Apostolũ. Et interrogauerunt eam cum irrisione cur caput suum non operiret de maphorte quam D præstiterat Paulo. Quæ accẽsa calore fidei, cum magnanimitate respondit: O vani & miseri, qui credere nescitis quæ oculis videtis, & manib⁹ attrectatis. Verè enim habeo eundẽ quem illi porrexerã pannũ, de infusione sanguinis sui preciosum. Nã de cœlo veniẽs innumerabiliũ candidatorũ caterua comitatus, illum mihi veracissimus retulit. Et rependẽs gratiã pro benignitate in eum habita, dixit: Tu mihi Plautilla in terris obsequiũ præstitisti, ego tibi quã primũ ad regna pergenti, officiosissimè obsequar. In proximo namque pro te reuertar, & tibi regis inuicti gloriã demõstrabo. Et extrahẽs Plautilla pannũ à sinu, roseo perfusum sanguine, illis ostẽdit. Qui nimio pauore correpti, gressũ concito perrexerũt ad Cæsarem, quæ viderãt & audierãt nunciantes. At ille cum audisset, miratus est valdè, & ingenti stupore attonitus; cœpit de E his quæ nunciata sunt ei, cũ philosophis & amicis, atque ministris reipublicæ, seu & cum his quos habere poterat ex senatu conquirere, atque cõfabulationis sermonẽ cũ timore & tremore atque cõfusione sensus habere. Dum hæc inuicẽ mirarentur, & secũ quærerẽt, venit Paulus circa horã nonã ianuis clausis, stetítque ante Cæsarẽ, & ait: O Cæsar Nero, ecce ego Paulus regis æterni & inuicti miles, vel nũc crede miser, quia nõ sum mortuus, sed viuo Deo meo! Tibi autẽ, nõ post multũ temporis mala inenarrabilia imminẽt, & suppliciũ maximũ, téque æternos manet interitus, eò quòd inter cætera flagitia tua pessima, multũ sanguinis iustorũ effudisti iniustè. Et hæc dicẽs, repẽtè disparuit. Nero autẽ his auditis, vltra quã dici possit timore perculsus, & veluti amẽs effectus, igno-

1. Scribit Gregorius in registro quod & notauit Petrus de Bonagine in legenda Sanctorum, corpora D. Petri & Pauli fuisse in puteũ proiecta: vnde cum ossa fideliũ deuotione requirerentur nec discerni posset quænã essent alterutrius, vox audita est è cœlis: maiora sũt piscatoris, minora prædicatoris. Obiit autẽ vterque secundũ Nicephor lib. 2. cap. 36. anno post salutiferam Christi passionem 37. & 30. Neronis secũdũ Sophr. Paulus orat Hebraicè.

Mafors hic pro sudario & strophiolo sumitur non autem pro amictu humilitatis contegẽte colla atque humeros, vti exponit Cassia lib. de habitu monachi. cap. 7. Idem de B. Ignatio tradũt Ecclesiasticæ hist. scriptores.

Idipsum testatur Greg. Turonensis ca. 19. lib. 1. de miracul.

S. Paulus post mortẽ pro fidelibus se oraturum pollicetur.

Paulus tertio à mor-

raba: quid agendum illi esset. Suadentibus ergo amicis, iussit Patroclū & Barnabam, & eos qui vincti erāt cum illis, solui, atque quò vellent liberos abire. Longinus denique, Megistus, atque Acestus, sicut eis constituerat Apostolus, primo mane venientes ad sepulchrum eius, viderunt duos viros orantes, & in medio eorum stantem Paulum. Qui pertimescentes in visu admirabili, horruerunt, & reformidauerunt accedere propiùs. Titus autē & Lucas ab extasi orationis in se reuersi, videntes præfectos atque Centurionem, qui ministri necis Pauli fuerāt ad se properantes, humano terrore correpti in fugā conuersi sunt, & Paulus euanuit ex oculis eorum. Illi verò post eos clamauerunt dicentes: Non vt suspicamini beati Dei homines ideo venimus, vt vos persequamur ad mortem, sed vt credentes, nos per aquam baptismatis ad vitam transferatis æternā, sicut nobis verus doctor promisit Paulus, quem paulò ante, in medio vestri stantem & orantem conspeximus. Hæc autem audientes ab eis Titus & Lucas, steterunt cū multa lætitia & spirituali gaudio imponentes eis mox manus, & dantes signaculum sanctificationis perpetuæ: sicque ieiunio vsque ad vesperam præcurrente baptizati sunt in nomine Domini nostri Iesu Christi. Cui cum Patre in vnitate Spiritus sancti, est honor, & gloria, virtus, & imperium in omnia sæcula sæculorum. Amen

te sua die Neroni apparuit. Niceph. li. 2. cap. 34 & Tertul. in Apolog. sed tamen obscuré.

Apparitiones B. Pauli.

Titus, Lucas.

S. SVLPICII SEVERI, BITVRICENSIS ARCHIEPISCOPI OPERA QVOTQVOT EXTANT.

DE S. SVLPICIO, BITVRICENSI ARCHIEPISCOPO; EX APOLOGIA GVIBERTI ABBATIS GEMBLACENSIS, QVÆ (manu, exarata) Louanij, in Valle Martiniana adseruatur.

Sulpicius Seuerus, vt patet ex gestis quæ in Monasterio Maiori posita legi; recepto intra cuis secreta Beato Martino, cellam patris per quinquennium, hæreditate videlicet paterna, obtinuit: Quem, quamuis admodum renitentem, Bituricensis Clerus inde extrahens, Archiepiscopum sibi sublimauit. Quòd autem à Pelagianis seductus, in aliquo à regula orthodoxæ fidei exorbitauerit; nusquam omnino, nisi in solo Gennadio legi: qui, nescio vtrùm hoc alicubi & ipse legerit, an ex sola fama, quæ facta infectáque loquitur, didicerit. Illud tamen fideliter credo; hunc eius errorem, gloriam sanctitatis eius non obscurasse, cùm Auctor idem qui refert deceptum, testetur & correctum, quod profectò eò magis mirum, quod cùm esset clarus genere, sublimis dignitate, Episcopus officio, & per hæc pluribus se debens; publicum desereret, secretum peteret, & carcerali latebra se damnans, simúlque vigiliis, fame & frigoribus carnem macerans in spiritu humilitatis & animo contrito Deo satisfaceret, &c. Deinde multis interiectis; *Si huic assertioni meæ non credatur; credatur toti sanctæ Maioris monasterij multitudini, quæ sacra Depositionis eius solemnia festiuo quotannis celebrat officio: cui celebritati, ipse quoque apud eos degens, & semel atque iterum interfui, & hanc cum cæteris fratribus nonnulla deuotione XV. Kal. Februarij, vt agitur, percolui. Gratias tibi ago, doctrix viarum, Dei omnipotens sapientia quæ in eo vicisti malitiam; dilapsúmque in foueam, & in vinculis peccati positum non dereliquisti; sed in fraude circumuenientium ei assistens, à peccatoribus gratiæ tuæ aduersariis liberasti eum, tantáque sublimasti gratia, vt inter filios eiusdem gratiæ computetur, & inter Sanctos sors illius sit.*

In dubium nuper reuocant Posseuinus in Apparatu sacro & Episcopatum Bituricensem Seueri & sanctitatem eiusdem. At vt interim omittamus Episcopatum, quem in ancipiti quibusdam coniecturis Baronius tom. 5. annal. posuit, de sanctitate tamen Seueri Sulpitij, cuius tam illustre elogium extat in Rom. martyrologio 29. Ianuarij, ambigere, nescio quam tutum. Demus in martyrologio aliquot reperiri lapsus historicos, & in Seueri Episcopatu nutare fidem; at in cooptando ipsum in sanctorum numerum, qui sanctus non fuerit, nimis grande erratum haberetur, nec vnquam Baronius textum martyrologij per suos annales emendari voluit, namque authoritas ipsi in publicis Ecclesiæ tabulis? Sed notas suas in martyrologium vt ipsemet disertissime profitetur.

S. SVLPICII SEVERI BITVRICENSIS ARCHIEPISCOPI; SACRÆ HISTORIÆ, LIBER I.

Res mundi exordio sacris litteris editas breuiter constringere, & cùm distinctione temporū vsque ad nostrā memoriam carptim dicere aggressus sum; multis id à me studiosè efflagitantibus, qui diuina compendiosa lectione cognoscere properabāt. Quorum ego voluntatem secutus, non peperci labori meo, quin ea quæ permultis voluminibus perscripta continebantur, duobus libellis concluderem; ita breuitati studēs, vt penè nihil gestis subduxerim. Visum autem mihi est non absurdum, cùm vsque ad Christi crucem, Apostolorúmque actus per sacram historiam cucurrissem, etiam post gesta conuertere; Excidium Hierosolymæ, vexationésque populi Christiani, & mox pacis tempora, ac rursum Ecclesiarum intestinis periculis turbata omnia locuturus. Cæterum illud non pigebit fateri; me, sicuti ratio exegit, ad distinguenda tempora continuandámque seriem, visum esse historicis ethnicis, atque ex his quæ ad supplementum cognitionis deerant vsurpasse, vt & imperitos docerem, & literatos conuincerem. Veruntamē ea quæ de sacris voluminibus breuiata digessimus, legentibus non ita auctor accesserim, vt prætermissis illis vnde hæc deriuata sunt, appetantur: nisi cùm illa quis familiariter nouerit, hîc recognoscat quæ ibi legerit. Etenim vniuersa diuinarum rerum mysteria, nō nisi ex ipsis fontibus hauriri queunt. Nunc initium narrandi faciam.

Mundus à Domino cōstitutus est, abhinc annos iam penè sex millia, sicut processu voluminis istius digeremus; quanquā inter se parum consentiāt, qui rationē tēporum inuestigatā ediderūt: Quod cùm vel Dei nutu, vel vitio vetustatis eueniat; calumnia carêre debebit. Mūdo autem condito, homo factus est: viro, Adam; mulieri, Eua nomen fuit. Sed constituti in paradiso, cùm interdictam sibi arborē degustassent, in nostram, velut exules, terrā eiecti sunt. Deinde ex his, Cain atque Abel nascūtur; sed Cain impius, fratrē interemit; Filium Enoch habuit, à quo primū ciuitas cōdita est, authoris nomine vocata. Ex hoc, Irad; atque ex eo Mamaël nascitur. Hic, Mathusalem filiū habuit: isque, Lamech genuit; à quo iuuenis quidā occisus traditur, nec tamen nomē refertur occisi; quod quidē futuro mysterio fuisse prætermissum, à prudentibus æstimatur. Igitur Adam, post necem filij minoris, Seth filium procreauit, cùm iam tricesimum & ducentesimū annum ætatis impleсset. Vixit autem annos D. CCCCXXX. Seth verò, Enos; Enos, Cainan; Cainan, Malaleel; Malaleel, Iared, Iared, Enoch genuit, qui ob iustitiā trāslatus à Deo traditur. Huius filius, Mathusala dictus est, qui Lamech genuit; ex quo, Noë natus, iustitia egregius, & præ cæteris mortalibus Domino charus acceptúsq;. Qua tēpestate, cùm iam humanū genus abūdaret; Angeli, quibus cælum sedes erat, speciosarum forma virginum capti illicitas cupiditates appetierunt: ac naturæ suæ originísque degeneres, relictis superioribus, quo-

Mundi exordium Chronologi parum inter se cōsentiunt, & cur.

Gen. 1.

Gen. 5.

Gen. 4. 23.

Gen. 6.

Noë.

Cum terrenis ipsum ... cū quibusdā aliis antiquis

scriptum habetur communem, Angelos amore mulierũ lapsos se cum illis concubitu miscuisse. Vide D. Thom. 1. p. q. 51. art. 3. ad 6. Cuiusque enim ter pretes. & Sixtum Senen. lib. 5. Biblioth. annotat. 77.

rum incolæ erãt, matrimoniis se mortalibus miscuerunt. Hi paulatim mores noxios conferentes, humanã corrupêre progeniẽ, ex quorũ coitu Gigantes editi esse dicuntur, cùm diuersæ inter se naturæ permixtio monstra gigneret. Quibus rebus offensus Deus, maximéque malitia hominũ, quæ vltra modũ processerat, delere penitus humanũ genus decreuerat. Sed Noë, virũ iustũ, vita innocẽtẽ destinatæ exemit sẽtẽtiæ. Idẽ admonitus à Domino, diluuiũ terris imminere, arcã immensæ magnitudinis ex lignis cõtexuit: ac bitumine illitã, impenetrabilẽ aquis reddidit, qua ille cũ vxore, ac filiis trib⁹ & totidẽ nuribus est clausus: volucrũ etiã paria, itidẽq; diuersi generis bestiarũ, eodẽ claustro recepta: reliqua omnia diluuio absũpta.

Gen. 7.
Diluuium.
Gen. 8.

Igitur Noë, cũ iã imbrẽ destitisse, ac quieto in salo arcam circũferri intelligeret, ratus id quod erat, aquas decedere, coruũ primũ explorãdæ rei gratia, eóq; nõ reuertente (vt ego cõiicio, cadaueribus detẽto) emisit colũbã: quæ cùm cõsistẽdi locũ nõ reperisset, reuersa est. Rursũ remissa, foliũ oliuæ retulit, manifestũ indiciũ, nudari cacumina arborũ. tertiò demũ emissa, nõ rediit: vnde animaduersũ, aquas destitisse, ita Noë arcã egressus est. id gestũ à mundi exordio: post annos (vt ego cõperio) MDCC. duos & quadraginta. Ac primũ Noë arã Domino statuit, hostiásq; ex volucrib⁹ immolauit. mox a Domino cũ filiis benedicitur: præceptũq; accepit, ne sãguine vesceretur, aut sãguinem hominis effunderet: quia mũdi primordia, mandati istius liber Cain maculauerat.

Gen. 9.

Gen. 10.
Noë filij.

Igitur vacuo tũ sæculo, ex filiis Noë Sẽ fuit, tres enim habuit: Sem, Chã, Iaphet. Sed Chã, quod sopitũ vino patrẽ riserat, maledictum à patre meruit. Huius Filius, Chus nomine, Nembrod gigãtem genuit: à quo Babylõ ciuitas cõstructa traditur. Pleraque etiã oppida ea tẽpestate cõdita memorantur, quæ nominatim persequi animus nõ fuit.

Gen. 11.
Babylon.

Sed cum multiplicaretur humanũ genus, diuersáq; loca atque insulas mortales habitarẽt, vna tãtũ omnes lingua vtebãtur: donec se in vnũ, dispergẽda per totũ orbẽ, multitudo contraxit, his more humani ingenij cõsilium fuit, insigni aliquo opere famã quærere, priusquã à se inuicẽ deducerẽtur. Ita turrim facere aggressi, quæ cœlo accederet, nutu Dei, vt officia operantiũ præpedirẽtur, inaudito sermonis genere, multa diuerso, neq; vlli inuicẽ intellecto linguarũ ritu loquebãtur: quò prorsus dispersi sũt, cũ alter alterũ velut alienigenam facilè relinquebat. Sed filiis Noë ita diuisus orbis fuit, vt Sẽ interientẽ, Iaphet occidentẽ, Cham medius cõtineretur.

Gen. 12.

Ita vsq; Abraham ducta successio, nihil sanè insigne aut memorabile in se habuit. Abrahã autẽ patre Thara natus est, post diluuiũ anno millesimo & septuagesimo. Abrahã vxor Sara dicta est, primũq; eis in regione Chaldæorũ habitatio fuit. Inde apud Charas vnà cum patre diuersatus est. Qua tẽpestate admonitus à Domino, domũ, patriã, ac patrem relinquẽs, assumpto Loth, fratris filio in terrã Chananæorũ profectus, in loco cui Sichem nomẽ est, consedit. Mox annonæ inopia Aegyptũ concessit: ac rursũ reuersus Loth, præ multitudine familiæ à patruo digressus, vt laxiorib⁹ iã vacuæ regionis spatiis vteretur, in Sodomis cõsedit, id oppidũ infame incolis, viris in viros irruentibus, atq; ob id inuisũ Domino fuisse traditur.

Gen. 14.

Ea tẽpestate reges vicinarũ gentium in armis erant: cũ antea nullũ inter mortales certame fuisset. Sed aduersũ hos, qui bello vicinos tentabant, reges Sodomorũ, Gomorrhæorũ, vicinarũq; regionum in præliũ erumpunt: primoq; impetu fusi victoriã concessere. Tũ à victoribus Sodoma direpta, præde hostibus fuit. ductúsque Loth in captiuitatẽ. Quod cũ Abrahã cõperisset, properè armatis seruis suis, numero trecentis decẽ & octo, reges victoria feroces, eamque præda armisque in fugam cõpulit. Tum à Melchisedech sacerdote benedictus est, eidẽ que decimas prædæ dedit. Reliqua his, quibus erepta erãt reddidit.

Lothcaptus & liberatus.

Per idẽ tẽpus Abrahæ Dominus locutus est, multiplicandũq; semẽ eius, sicut arenas maris stellásq; cœli, spopondit: peregrinũq; eius semẽ prædictum futurũ, ac posteros in hostili solo per quadringẽtos annos laturos seruitiũ, postea libertati restituẽdos.

Gen. 15.
Abrahæ promissa.

Gene. 17.

Tunc et, atque vxori eius, adiectione vnius litteræ nomen immutatũ: ita nunc ex Abrã Abraham: ex Sarai, Sara dicitur. Cuius quidẽ rei non inane mysterium, non est huius operis exponere. Eodẽ tempore Abrahæ lex circumcisionis imposita est.

Circũcisio
Gen. 16.
Gen. 17.

Erat ei autem ex ancilla filius Ismael: & cùm ipse esset annorũ centum, vxor autem eius nonaginta, futurũ eis filium Isaac, Dominus pollicetur, qui cùm duobus angelis ad eũ venerat. Inde Sodomam missi angeli, Loth in porta sedentẽ repererunt. Quos cùm ille, homines existimans, hospitio receptos, cœnatósq; domi haberet: iuuentus improbo ex oppido, nouos hospites ad stuprum flagitabãt. Loth pro hospitibus filias offerens, nõ acquiescentibus, quibus illicita potiùs desiderio erant, ipse ad stuprum trahebatur. Quem Angeli properè ab iniuria vindicantes, luminibus impudicorum cæcitatem effuderunt.

Gen. 19.

Ibidem & Sap. 19.

Tũ Loth ab hospitibus edoctus, perdendum oppidum, properè cum vxore & filiabus est egressus, interdictũ tamen eis est, ne retrorsum cõspicerent. Sed mulier parũ dicto audiens (humano malo, quo ægriùs vetitis abstinetur) reflexit oculos, statimq; in molẽ cõuersa traditur. At Sodoma diuinis ignibus cõflagrauit.

Ibidem, & Sap. 10.

Loth autẽ filiæ existimantes humanũ genus interiisse, cõcubitũ inebriati patris appetiuerũt: vnde Moab & Ammõ nati sũt.

Sodomæ conflagratio.

Per idẽ tẽpus ferè, cũ Abrahã esset etiã centũ annorũ, Isaac filius natus est. Tũ ancillã, de qua Abrahã filium susceperat, Sara expulit: quæ habitasse in deserto vnà cũ filio, & præsidio Domini defensa traditur.

Ibidem & Gen. 21.

Nõ multũ post, Dominus Abrahæ fidẽ tẽtãs, immolandũ sibi a patre filium Isaac poscit. Quem ille nõ cunctatus offerre, cùm aræ puerũ superposuisset, gladiũq; educeret, vox missa de cœlo est, puero vt parceret: victimæ aries præstò fuit. Consummatóq; sacrificio, Abrahæ Dominus locutus est, promittẽs ea quæ iã spoponderat.

Isaac immolatio.

At Sara, cùm septimum & vicesimum supra centesimum annum ageret, decessit: corpus cura viri sepultũ in Hebrõ, Chananæorũ oppido, etenim illic Abrahã cõmorabatur.

Gen. 23.

Gen. 24.

Tũ Abrahã Isaac filiũ iuuenilis ætatis videns, siquidẽ tum quadragesimũ annũ ætatis agebat, seruo suo imperauit, vt vxorẽ ei quæreret: ex ea tamen tribu atque terra, de qua ipsẽ oriundus videbatur: modò vt inuẽntam puellã in regione Chananæorũ deduceret, nec putaret eũ caussa cõiugis in solũ patriũ rediturũ. Atq; vt ea strenuè mãdata exequerẽtur, cõtacto domini femore, sacramẽtũ dedit.

Isaac nuptiæ.

Ita seruus profectus in Mesopotamiã, ad oppidum Nachor, Abrahæ fratris, deuenit: secesśitq; in domũ Bathuelis Syri, Nachor patre geniti. Huius filiã, Rebeccam, speciosã virginẽ cõspicatus, poposcit, atq; ad dominũ adduxit. Post id, Abrahã accepit vxorẽ Cethuram nomine, quæ in Paralipomenis cõcubina dicitur: suscepitq; ex ea filios. sed Isaac Sara edito, substãtiam tradidit: his autem quos ex cõcubinis susceperat, dona distribuit, atq; ita ab Isaac separati sunt. Abrahã diẽ functus est, impletis annis cẽtũ & quinq; & septuaginta: corpus sepulchro Saræ vxoris appositũ.

Gen. 25.
Philip. 1.

At Rebecca diu sterilis, assiduis mariti ad Dominũ precibus, à die matrimonij vicesimo ferè anno geminos edidit: qui in matris aluo exultasset sæpius, traditur, dictũq; responso Domini est, duos in his populos prænũtiari, & maiorẽ minori subdẽdũ esse principi. Sed priùs editus, aspersetis, Esau vocatus: minori Iacob nomẽ fuit.

Rebeccæ raptus.

Ibidem & Rom. 9.

Ea tẽpestate grauis annonæ inopia terra incesserat; Qua necessitate Isaac in Geraris ad regẽ Abimelech cessit, admonitus à Domino, ne in Aegyptũ descẽderet: eidẽq; vniuersæ terræ illius possessio promittitur, ibiq; benedicitur, multiplicatúsq; pecore atq; omni substãtia, agẽte inuidia ab incolis pellitur: pulsus, apud puteũ iuramẽti cõcedit.

Gen. 26.

Igitur annis grauior, luminib⁹ obductis, cũ Esao filiũ benedicere pararet, cõsilio Rebeccæ matris, Iacob se benedicẽdũ pro fratre obtulit. Ita Iacob adorãdus principib⁹ & gẽtib⁹ fratri præponitur. Queis rebus Esau accẽsus, fratri necẽ moliebatur. Quo metu Iacob, hortãte matre, in Mesopotamiã cõfugit: admonitus à Patre, vt ex domo Labã, fratris Rebeccæ, vxorẽ acciperet. Tãta illis cura fuit, cùm in alienis terris consisterent, genus tamen intra familiã suam ducere. Ita Iacob profectus in

Iacob benedictio.
Gen. 27.

Gene. 28.

Mesopotamiam, per soporem Dominum vidisse traditur: atq; ob id locum somnij sacratum habēs, lapidem ex eo sumpsit, vouitq; si rebus prosperis reuertisset, titulum sibi domus Domini futurū, decimásq; omnium quæ acquisita sibi forent, Domino daturum. Inde se ad Laban fratrem Matris contulit: quem ille sororis filium agnitum, in hospitium benignè recepit.

Gen. 29.
Iac. nuptiæ
Iac. filij.
Gen. 30.

Erāt Labā duæ filiæ, Lia & Rachel: sed Lia oculis deformior, Rachel pulchra fuisse traditur. Cuius specie Iacob captus, amore virginis cōflagrabat: eāq; sibi in matrimonio à patre postulās, septē annorū seruitio se mancipauit. Sed impleto tempore, Lia ei supponitur: ac rursū septē annos in seruitio subditur, atq; ei Rachel traditur. Sed hanc diu sterilē, Liam fœcundā fuisse accepimus. Filiorū quos ex Lia Iacob habuit, hæc sunt nomina: Rubē, Simeō, Leui, Iudas, Isachar, Zabulon, Dina. Ex ancilla verò Liæ, Gad & Aser. Ex ancilla B Rachel, Dā & Nephthalim nati sūt. At Rachel desperato iā partu, Ioseph edidit. Tū Iacob redire ad patrē cupiens, cū ei Laban socer partem pecorū mercedē seruitij dedisset, ob quæ parū sibi cū æquū gener Iacob ratus, dolū ab eo suspectus, clā profectus est, vicesimoprimo ferè anno quā aduenerat.

Gen. 31.

Rachel, viro inscio, patris idola furto abstulit. Qua iniuria Labā generū persecutus, non repertis idolis, pace facta regressus est: multū obtestatus generū, ne vxores filiabus suis superinduceret.

Gen. 32.
Gen. 33

Inde digressus Iacob, vidisse Angelos, & castra Domini traditur. Sed cum per regionē Edon, quā Esau frater incolebat, iter destinaret, missis priùs legatis & munerib⁹ suspectū sibi fratrem explorauit. Tū ille obuiā fratri processit: nec tamē Iacob se vltrà fratri credidit. Sed pridie, quā inter se fratres cōuenirēt, Dominus humana specie asūpta, colluctatus cū Iacob refertur.

Iac lucta cū angelo.

Et cū aduersus Dominū præualuisset, tamē nō esse mortalē, nō ignorauit: benedici sibi ab eo flagitabat. Tū à Deo illi immutatū nomē est, vt ex Iacob, Israel diceretur. Sed cū ille vicissim à Domino nomen Domini quæreret, Nō esse quærēdum, quia admirabile esset, respōsū est. Ex colluctatione autē, latitudo femoris Iacob obtorpuit. Igitur Israel declinās fratris domū, praemouit agmē in Salē Sicimorū oppidū: atq; ibi loco pretio accepto, tabernaculū statuit sibi.

Gen 34.

Huic oppido Emor, Chemorens princeps, præerat, huius filius Sichē, Dinā filiam Iacob ex Lia genitā, stupro subdidit.

Vitio violatæ Dinæ.

Quo cōperto, Simeon & Leui, Dinæ fratres, omnes in oppido sexus virilis dolo peremerūt, ac impigrè sororis vlti sūt iniuriā: oppidum à filiis Iacob direptū, prædáq; omnis est abducta.

Gen. 35.

Id factū ægrè admodū tulisse Iacob traditur. Mox à Domino monitus, Bethel petiit, ibíque altare Domino statuit. Inde in parte turris Gaber tabernaculū fixit.

Gen 36.

Rachel ex partu obiit, puer Bēiamin vocatus est. Isaac decessit annos natus cētū & octoginta. At Esau potēs diuitiis erat, vxorib⁹ sibi etiā è Chananæorū gente asūptis: cuius progeniē in hoc tā præciso opere inferēdā nō putaui. Si quis studiosior erit, ad origines reuertatur. Post excessum patris, Iacob in solo eo, in quo Isaac vixerat, commorabatur, filij eius aliquādū ab eo, pascui gratia, cū gregib⁹ secesserāt:

Gen. 37.

Ioseph tamē, ac Bēiamin paruus, domi resederāt. Charus admodū Ioseph patri, ōbq; id inuisus fratrib⁹. simul, quia frequētib⁹ eius somniis maiorē cū omnib⁹ futurū portēdi videbatur.

Ioseph venditus.

Igitur ad inspiciendos greges, reuisēdósq; fratres à patre missus, opportunus iniuriæ fuit. Nāq; viso fratre, cōsiliū necis eius ceperūt. Sed obsistēte Rubē, cui a tāto facinore abhorrebat animus, in lacū demissus: mox suadēte Iuda, deductū ad mercatores cōsiliū negotiatorib⁹ cū, qui tum Aegyptū petebāt, vēdiderūt, atq; ab his Putiphari præposito Pharaonis traditus est.

Gen 38.

Per idē tēpus Iudas Iacob filius, Sué Chananeā in matrimonium asūpsit. Ex qua tres filios sustulit, Heth, Onā, Selā. Sed Heth, Thamar connubio sociatur.

Thamar incestus & partus.

Quo mortuo, Onam fratris vxorē accepit. Qui, quia spermata in terrā effūderet, extinctus à Domino refertur. Tū Thamar meretricio habitu asūpto, socero mista est, éxq; eo geminos edidit. In partu autē illo mirabile fuit, quod cū prodeūti puero ad dignoscēdum, qui priùs nasceretur, obstetrix manū eius cocco illigasset, re- A ductus in aluū matris puer, postero die editus est. Nomē infātib⁹ Phares & Zara indītū.

Gen 39.

At Ioseph, cum benignè à curatore regio, qui eū pretio acceperat, haberetur, domūq; eius & familiā procuraret, decorus ipse insigni specie, vxoris Domini oculos in se conuerterat. Cūq; amore ipsius deperiret, appetitū sæpiùs, nec acquiescētē sibi, falso scelere infamat: ac viro queritur, stuprū sibi intentatū. Ita Ioseph in carcerē est cōiectus. Erāt in eadē custodia ministri regis duo, qui cū sōnia sua ad Ioseph retulissēt, futura ex sōnio cōiectās, vnū eorū pœnas capite luiturū, aliū absoluēdū pronūtiauit. Atq; ita accidit. Igitur post bienniū, sōniū regi obiectū est.

Gen 40.
Gen. 41.

Quod cū a prudētib⁹ Aegyptiorū nō posset absolui, minister regis ille carcere exēptus, regē admonet, Ioseph esse mirū sōniorū interpretē. Ita Ioseph soluitur, interpretatúsq; est regi sōniū: septē annis proximis maximā frugū vbertatē futurā, cōsequētibus inopiā. B Quo metu rex perculsus, vidēs diuinū in Ioseph spiritū, rei eū annonariæ præfecit, æquato secū imperio.

Ioseph Ægypto præfectus.

Tū Ioseph abūdātib⁹ per totā Aegyptū frumentis, magnā copiā cōgessit: multiplicatísq; horreis, aduersus futurā famem cōsuluerat. Ea tēpestate spes atq; salus Aegypti in illo sita erat. Per idē tempus verò duos ex Aseneth filios genuit, Manassē & Ephrē. Ipse autē, cū sūmā à rege potestatē accepit, erat annorū xxx. Nā a fratrib⁹, septemdecim annos natus, venūdatus est. Interea rebus in Aegypto aduersus famē bene cōpositis, orbem terræ grauis frumēti inopia quatiebat. Qua necessitate cōpulsus Iacob, filios in Aegyptū misit, Bēiamin tātū secū domi retento.

Gen. 42.

Igitur Ioseph rerū potentem, penes quem annonæ arbitriū erat, fratres adeunt, & more regio adorant. Quibus ille visis, callidè C agnitionē dissimulās, hostiliter eos venisse, & subdolè loca explorare, arguebat. Augebatur autē, quòd Beniamin fratrē nō videbat. Res ergo in id deducta, vt præsentiam eius pollicerētur: nimirū vt ex eo quæreretur, an isti explorādi caussa Ægyptū intrasset. Ad promissi autē fidem Simeō obses traditur: ipsis frumētū gratis datum. Rursū igitur reuertentes, Beniamin, vt conuenerat, deduxerunt. Tum se cognoscendum Ioseph fratribus præbuit, nō sine pudore malè merentium.

Ios à fratribus agnitus.
Gen. 45.

Ita eos oneratos frumento, multisque donatos, domum remisit: præmonens, quinq; adhuc annos famem futuram: cum patre atq; omni progenie ac familia ad se commigrarent.

Gen. 46.

Igitur Iacob in Ægyptū descēdit, Ægyptiis admodum lætātib⁹, gaudēte rege, benignè à filio susceptus. Id gestū D anno ætatis Iacob cētesimo & tricesimo: à diluuio autē, anno M.CCC. & LX. Cæterū ab eo tēpore, quo Abraham in terra Chananæorū cōsedit, in id quod Iacob Ægyptū ingressus est, referuntur anni CCXV. Igitur Iacob septimo & decimo anno, quo Aegypto aduenerat, vrgente morbo, Ioseph filiū obtestatur, corpus sepulchro suo redderet.

Gen. 47.
Gen. 48.

Tū Ioseph patri benedicēdos filios suos obtulit: quib⁹ benedictis, cū tamē benedictionis merito maiori minorē præposuisset, filios omnes benedictione lustrauit. Decessit autē annos natus CXLVII.

Gen. 49.

Funus magnificè curatū: corpus in sepulchro maiorū Ioseph cōdidit. Fratres post patris obitū pro cōsciētia pauentes, benignè habuit.

Gen. 50.
Gen. 51.

Decessit autē Ioseph ipse ætatis anno decimo & centesimo. Hebræi igitur, qui in Aegyptū deuenerāt, incredibile memoratu est, quā citò numero aucti sint, multiplicatáq; progenie Aegyptū repleuerint.

Seruitus Aegypt.

E Sed defūcto rege, qui eos ob meritū Ioseph benignè souebat, succedentiū regū imperio deprimebātur. Nā & opus durū ædificandarum ciuitatū eis impositū: & quia iā multitudo abūdās metuebatur, ne quādoq; libertatem armis vindicarēt, paruulos recēs editos aquis mergere edicto regio cogebantur.

Exo. 2.

Nec dissimulare cruētū imperiū licebat. Qua tempestate filia Pharaonis infāté in flumine repertū, nutriēdū pro filio curauit: nomē puero Moyses dedit.

Nu 23.
Moyses.

Moyses hic, cū viriles annos ageret, cōspicatus Hebræū ab Aegyptio pulsari, permotus dolore, fratrē ab iniuria vindicās, Aegyptiū calce perculsū interemit. Mox suppliciū è facto metuēs, in terrā Madiā profugit: & apud Iethro Sacerdotē regionis illius diuersatus, filiā eius Sephorā in matrimoniū ac-

Iob patientia.

cepit, éxque ei duos filios Gersõ & Eliezer sustulit. Hoc tractu tẽporũ Iob fuit, legẽ naturæ, & agnitionẽ Dei, & omnẽ iustitiã cõplexus, prædiues opib⁹ atq; eò illustrior, quòd his neque integris corruptus, neque amissis deprauatus est. Nã cùm per Diabolũ exutus bonis, filiis etiam esset orbatus, ad extremũ diris vlceribus affectus, non potuit vinci, vt præ doloris impatientia aliqua in parte peccaret, Mercedẽ deniq; diuini testimonij coosecutus, sanitati redditus, omnia quæ amiserat, in duplum recepit. At Hebræi multiplicato seruitutis malo pressi, querelis in cœlũ cõuersi, spẽ auxilij à Deo expectabãt. Tũ Moysi pascẽti oues, repẽtè rub⁹ ardere visa flãmis tamen, quod erat mirabilius, innoxiis. Qua nouitate obstupefactus, rubo propius accessit, statímque ad eum istiusmodi ferè verbis Deus locutus est: Dominũ se esse Abrahã, Isaac & Iacob: quorũ progeniẽ, Aegyptiorũ dominatione depressã, ereptã malis cupiat, iter ergo susciperet ad regẽ Aegypti, ducẽq; se populi in libertatẽ restituẽdi præstaret. Cũctãtẽ potestate cõfirmat, virtutẽ ei signorũ faciẽdorum impertiẽs. Ita Moyses in Aegyptũ profectus, signis priùs apud suos editis, assũpto fratre Aarõ, regẽ adit: missũ se à Deo prodit, verbísq; se Dei dicere, populũ Hebræũ vti dimitteret. At ille negãs se dominum nosse, parẽre imperio abnuebat. Cũq; Moyses in testimoniũ mãdatorũ Dei ex virga dracone fecisset, mox aquas omnes in sãguinẽ cõuertisset, totãq; terrã ranis oppleuisset: facientib⁹ similia Chaldæis, magicas esse artes, quęcũq; per Moysẽ fierẽt, potius quã Dei virtutẽ, pronũtiabat, donec superductis cinyphib⁹ terra oppleta est, Chaldęis fatẽtib⁹ maiestate diuina ista fieri. Tũ rex malo coact⁹, aduocato ad se Moyse & Aarõ, dat populo discedẽdi potestatẽ, modò vt superductã cladẽ auerterẽt. Sed vbi clades exẽpta est, impoẽs sui animi⁹ in se reuersus, exire, vt cõuenerat, Israelitas non patiebatur. Ad extremũ, decẽ plagis corporis & regni sui contusus & euictus est. Sed priùs quàm Aegypto populus est egressus, mãdatis Domini instruitur: vt is adimẽ tẽporũ, mẽsem illũ, qui tũc erat, primũ omniũ mẽsiũ esse cognosceret: Sacrificiũ autẽ diei illius in solẽnitatẽ cõsequentiũ sæculorũ ita esse celebrandũ, vt quarta decima die mensis agn⁹ immaculatus anniculus victima cæderetur, & eiusdẽ sãguine postes illinirẽtur, carnẽ penitus excẽdam. os autẽ nõ cõterẽdũ septẽ diebus fermento abstinerent, azymis vterentur, ritũq; hũc posteris traderẽt. Ita populus egressus, diues suis copiis, & Aegypti spoliis cumulatior: cuius numerus, ex quinque & septuaginta Hebræis, qui primũ in Aegyptũ descẽderãt, ad millia virorum sexcenta peruenerat. ab eo autẽ, quo primũ Abrahã terrã Chananæorũ accesserat, anno tricesimo & quadringentesimo, à diluuio autẽ, mille quingẽtis quinq, & septuaginta. Igitur properè egressis, colũna nubis interdiu, noctu colũna ignis præferebatur. Sed cũ ob interiectũ signũ Rubri maris, præter terrã Philistiim via duceret, ne postea Hebræis eremũ aspernantibus redeũdi in Aegyptũ continentibus terris noto itinere facultas pãderetur, nutu Dei auersi, in Rubrũ mare illati sunt, castráq; ibi cunctantes constituerũt. Quod vbi regi nuntiatum est, Hebræũ populum viæ errore in obiectũ mare deuenisse, nullũ ei esse exitum obsistẽte elemento, furens animi, quo angebatur, tot hominũ millia regno suo & potestate decedere, exercitũ properè educit. Iámque eminus arma signáque & protentæ patẽtibus latè campis acies visebãtur: cùm Hebræis metu trepidis, & cœlum aspectãtibus, Moyses à Deo monitus, percussum virga mare diuidit. Ita populo, cedẽtibus in latera aquis, velut in continẽti, iter peruium fuit. Nec cũctatus Rex Aegyptius cedẽtes insequi, mare quà patebat, ingressus: mox coẽuntibus aquis, cum omni exercitu deletus est. Tunc Moyses incolumitate suorũ, exitio hostiũ, vtrãtéque exultans, cãticum Domino cecinit: idémque omnis turba viriles ac muliebris sexus fecit: Sed ingressus eremũ, cùm iã per triduum iter agerent, aquę penuria vrgebat, repertáq; ob amaritudinem vsui non erat. Ac cum primũ impotentis populi contumacia apparuit, iámque in Moysẽ ferebatur: cùm edoctus à Deo, lignum

Iob. 2.
Iob. 42.
Exo. 3. Deus Moysi apparet.
Exo. 4.
Plagæ Aegyptiæ. Exo. 8.
Exo. 9.
Exo. 10.
Exo. 11.
Exo. 12.
Pascha.
Exo. 13. Sap. 10. & 18.
Psal. 77. & 104. Transitus Rubri maris.
Exo 14.
Exo. 39.
Iudith. 5.
Psal. 75. Exo. 15. Sap. 10.
Amara aqua dulcessit. Exo 15

A aquis intulit, cuius hæc vis fuit, vt dulcẽ saporem fluentis redderet. Exin promotum agmen, apud Elim, duodecim fontibus aquarũ & septuaginta arborũ palmarum repertis, cõsedit. Rursũ populus famem cõquerẽs, Moysẽ increpabat, Aegypti seruitiũ cũ saturitate ventris desiderãs, tũ grex coturnicũ supernè missus, castra oppleuit. Postero autẽ die animaduerrunt, qui extra castra processerant, paruis quibusdã siliquis oppletum solũ: quarũ species in modum coriãdri seminis, glaciali albedine erat, vt crebrò hibernis mẽsib⁹ superductis pruinis tegi terrã videmus. Tũ per Moysẽ populus admonetur, panẽ hũc eis munere missũ Dei: vnũquemq; in id paratis vasculis, tãtũ vsurpare debere, quãtum in diẽ vnũ pro numero singulis satis esset: sexto tamẽ die quia sabbato colligi nõ liceret, duplũ præsumerẽt. Verũ populus, vt sẽper parũ dicto audiens, B more humani ingenij, non refrenauit cupiditatem, ex recõditis in posterũ quoq; diẽ cõsulẽs. Sed reposita, fœtore diro in vermes efferuescebant: cũ die sexto in sabbatũ reseruata, integra permanerẽt. Hoc Hebræi per XL. annos cibo sunt vsi: cuius sapor melli proximus, nomẽ Manna traditur. In testimoniũ autem diuini muneris, reseruasse Moyses gomor plenũ in vase aureo dicitur. Inde progressus populus, cùm aquæ penuria ictaretur, ęgrè ab exitio ducis temperabat. Tũ Moyses, mãdãte Domino, apud locũ cui Oreb nomẽ est, virga petrã percutiẽs, largè aquæ copiã fecit. Sed vbi Raphidim peruẽtũ, Amalechitæ populũ incursionib⁹ vastabãt. Moyses suis in prælium eductis, cũ Iesũ bellãtibus præfecisset, assũpto Aarõ, & vt spectator pugnæ simul simul precãdi Dominũ gratia mõtem cõscendit. Sed cũ dubio euẽtu acies concurrissent Moysi C precibus victor Iesus, hostes in noctẽ cecidit. Per idẽ tẽpus, Iethro Moysi socer, cũ filia Sephora, quæ Moysi nupta, proficiscẽte in Aegyptũ viro domi resederat, liberisq; eius, cognitis reb⁹ quæ per Moysẽ gerebãtur, ad eũ venit. Huius cõsilio Moyses ordines populi distribuit, tribunos cẽturionesq; & decuriones præficiens, necessariũ disciplinæ ritũ posteris tradidit: Iethro in patriã regressus. Exin ad Sinã mõtẽ peruentum, ibi Moyses à Domino monetur, populus vt sanctificaretur, auditurus Dei voces: idq; sollicitè curarũ. Sed vbi Deus mõti insistit, validis tubarũ clangoribus aër quatiebatur, crassáq; nubes crebris cũ fulminibus aduolebãtur. Sed Moyses & Aarõ in mõtis cacumine Dominũ propè, populus circa ima montis constitit. Ita lex lata, multiplex & copiosa, Dei verbis, & D sæpe repetita: cuius si quis erit curiosior, fontem ipsum adeat nos eam breuiter perstringimus. Non erũt, inquit, tibi Dij alieni præter me: Non facies tibi idolum: Nõ sumes nomen Dei tui in vanum: Sabbato nullum opus facies: Honorifica patrem tuum, & matrem tuam: Nõ occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non falsum testimonium dices aduersus proximum tuum: Non concupisces quidquam proximi tui.

His à Deo dictis, cũ tubæ circumstreperent, lampades inardescerẽt, montem fumus obtegeret, populus præ timore inhorruit, verba Dei non sustinens: poposcitque à Moyse, vt ipsi tãtùm loqueretur Dominus, atque ita audita ad populum referret. Edicta autem Dei ad Moysen istiusmodi sunt. Hebræus puer pecunia emptus, sex annis seruiet, post hæc liber erit: sponte autẽ permanẽtis in ser- E uitute, auris forabitur. Qui hominem occiderit, capite pœnas luet: Qui imprudẽs, ritè exul erit. Qui patrem, matremve pulsauerit, cõuitiũq; eis dixerit, capitali supplicio afficietur. Si quis Hebræum subreptum vendiderit, morti dabitur. Si quis seruum proprium, seruãve percusserit, éxq; eo ictu obierit, reus iudicio fiet. Si quis partũ non deformatũ mulieri excusserit, neci dabitur. Si quis seruo oculũ aut dẽtẽ extorserit, seruus vindicta liberabitur. Taurus si hominẽ occiderit, lapidabitur. Si Dominus sciens bestiæ vitiũ, nõ cõsuluerit, & ipse lapidabitur: aut pretio se redimat, in quantũ accusator poposcerit. Si seruũ Taurus occiderit, in triginta drachmis pecunia Domino numerabitur Si quis defossum lacũ non cooperuerit, pecúsque in lacum ceciderit, pretium pecudis Domino dabit. Si Tau-

Coturnices & Manna. Exo. 16. Ibidem & Num. 11. Psal. 77.
Exo 17.
Aqua è petra.
Amalechitæ cæsi.
Iethro. Exo. 18.
Exod 19. Lex à Deo lata.
Exo 20.
Exo. 21.
Politia Moysis.

rus alterius Taurum occiderit, pecus venumdabitur, pretiúmq; domini partietur, peremptū etiā diuident. Quòd si Dominus vitiū Tauri sciēs, nō cōsuluerit, taurū dabit. Si quis vitulū subripuerit, quinque restituet. Si ouē subripuerit, quadrupli pœna erit. Si viua penes abactorē pecora reperiētur, dupla restituet. (Exo. 22.) Nocturnū furē occidi licet, diurnū non licet. Si cuius pecora alterius sata depauerint, Dominus pecoris enersa restituet. Si depositum perierit, is penes quem depositū fuit, iurabit nihil se dolo egisse. Fur inuentus duplū dabit. Commēdatū pecus a bestia interceptū, non restituerit. Si quis virginem nōdum desponsatā corruperit, dotabit puellā, & ita eam vxorem accipiet. Si pater puellæ nuptias recusauerit, dotē raptor dabit. Si quis se pecudi miscuerit, morti dabitur. Sacrificās idolis, pereat. (Exo. 22.) Viduā & orphanū non premēdos: Pauperem debitorem nō perurgendum: (B) Nec vsuram poscēdā: Vestimentum pauperis pro pignore non accipiendū: Principem populi nō increpandum: Primogenita omnia Domino offerenda. Carnem à fera captam non edendam. Coitiones in testimoniū falsum, aut in quacunque malitia, non esse faciendas. Inimici pecus errans non præteribis, sed reduces. Si animal inimici succubuisse oneri inueneris, erigere debebis. Innocentē & iustum non occides. (Exo. 23.) Non iustificabis impium pro muneribus. Munera nō accipienda. Aduenam benignè habendum. Sex diebus opus faciendum: Sabbato requiescendum. Fructus septimi anni non metendos, sed pauperibus & egenis relinquēdos. Hæc ferè Moyses ad populum verba Dei retulit: altariúque ex duodecim lapidibus sub monte cōstituit. (Exod. 24.) Ac rursum montē, in quo Dominus consistebat, conscendit: adhibito secum Aaron, Nabad, & Abiud, senioribúsque natu septuaginta. (C) Sed hi non volētes Dominum intueri, locum tamen in quo Dominus stabat, viderūt: cuius mirabilis forma, & claritudo eximia refertur. Moyses autem accersitus à Domino, interiorē nubem, quæ circum Dominum steterat, ingressus, quadraginta diebus totidémq; noctibus ibi mansisse traditur. (Exo. 25. 26. 27. 28. 29. 30.) Quo tempore super ædificando tabernaculo atq; arca, reliquísque sacrificandi edoctus verbis Dei est: quæ ego, quia prolixa admodum videbantur, inserenda huic tam præciso operi nō putaui. (Exo. 32.) Sed immoratione diutius Moyse, quippe qui XL. dies apud Dominum duceret, populus desperato eius reditu, Aaron compulit simulachra facere. (Vituli aurei adoratio.) Tunc ex metallis conflatis vituli caput extitit. Cui cùm populus, Domini immemor, hostias obtulisset, vinóque se & ventri dedisset, (D) despectans hæc iusto dolore Deus, improbum populū, nisi à Moyse fuisset exoratus, delēsset. Sed regressus Moyses, cùm duas ex lapide tabulas manu Domini scriptas detulisset, populúmque luxui & sacrilegio deditum deprehendisset, tabulas confregit: indignam esse gentem existimans, cui lex Domini traderetur. multis tamē increpitis, Leuitas ad se aggregauit, eisdémque præcepit, vt districtis gladiis populū cæderent. Quo impetu XXIII. millia virorum perēpta traduntur. (Exod. 33.) Tum Moyses tabernaculum extra castra constituit: quod quoties fuisset ingressus, columna nubis astare pro foribus videbatur, corámque ad Moysen Dominus loquebatur. Poscente autem Moyse, vt Dominum in maiestate propria videret: respōsum, Formā Dei mortalibus oculis perspici non posse, (Exod. 34.) posteriora tamen eius videre concessum: (E) Tabulæque, quas Moyses priùs confregerat, refectæ. Sed in hoc colloquio Dei, XL. diebus diuersatus apud Dominum Moyses traditur. Cúmque de monte descenderet, tabulas præferens, tanta claritudine facies eius renidebat, vt intueri eum populus non valeret. (Exo. 35.) Sed cùm mandata Dei relaturus esset, vultum velamēto obtexit atque ita ad populum verbis Domini locutus est. (Exod. 36.) Hoc in loco, tabernaculi interiorúmque eius ædificatio refertur. Quo cōsummato, nubes supernè decidit, atque ita tabernaculum obumbrauit, vt ipsum Moysen aditu excluderet. Hæc ferè duobus libris, Genesi atque Exodo, continētur. Exin Leuiticus liber sequitur, in quo litandi præcepta traduntur: mandata etiam latæ superiùs legis addūtur, plena omnia sacerdotalibus institutis. Quę

(A) si quis cognoscere volet, perfectiùs inde capiet. nos enim susceptri operis modum custodientes, solam historiā persequimur. Igitur Leui tribu in Sacerdotium segregata, reliquæ tribus dinumeratæ, repertáque hominum DC. & III. M. (Num. 12.) Cùm ergo populus mannæ cibo, vt suprà retulimus, vteretur, tot tantísque beneficiis Dei, vt semper, ingratus, viles quibus in Aegypto assueuerat, dapes desiderabat. (Exod. 3.) Tum Dominus mirā etiam copiam coturnicum castris intulit: quas cùm auidè diriperent, primoribus labiis admotis carnibus, interibant. (Exo. 11.) Magnáque eo die clades in castris fuit, adeò vt XX. & III. virorum millia periisse tradantur. (Coturnices lethales. Num. 11.) Ita populus eo, quem desiderabat, cibo punitus est. (Num. 13.) Inde promotum agmen, & in Pharan ventum est: edoctúsque a Domino Moyses, vicinam esse terrā, cuius possessionem eis promiserat Dominus: exploratoribus in eā missis, renuntiatur, (Exploratores seditiosi.) (B) fœlicem omni copia esse regionē: sed gentes validas, & munita ingētibus muris oppida. (Num. 14.) Quod vbi populo compertum, magna mentes omnium formido incesserat: eóque mali ventum, vt spreto Moysi imperio, ducem sibi constituere pararent, cuius ductu in Aegyptum reuerterentur. Tunc Iesus & Chaleb, qui inter exploratores terræ fuerant, conscissis vestibus flētes, populum obtestātur, ne exploratoribus credant, formidolosa referētibus: se quoque vna cum his fuisse, nihil metuendū in solo illo reperisse: promissis illos Dei cōfidere oportere, hostes prædæ potiùs quam exitio fore. Sed gēs indomita, sanis consiliis malè renitēs, in perniciem eorū ferebatur. Quo iratus commotus Dominus, partem populi hostibus cædēdum obiecit. Exploratoribus interfectis ad vulgi formidinem, (Num. 16.) secuta est eorum contumacia, (C) qui se Dathan & Abiron ducibus aduersum Moysen & Aaron erigere conati sunt. Sed eos viuos hiatu suo terra absorbuit. Nec multo post, totius populi in Moysen & Aaron orta seditio est, adeo vt in tabernaculū (quod erat nefas, nisi sacerdotibus, introire) irrumperent. (Seditiones alia ues.) Tum verò catervatim in eos grassata mors est, momentóque omnes interiissent, nisi Moysi precibus placatus Dominus, cladē auertisset. Numerus tamen peremptorum, septingenti & XIIII. millia fuit. Nec multo post, ob aquæ penuriam, vt iam sæpiùs, populi exorta seditio est. (Num. 20.) Tūc Moyses à Domino monitus, vt petram virga feriret, familiari sibi experimento (siquidem id iam antè fecisset) semel atq; iterum petram percussit, atque ita aqua effluxit. In quo quidem notatus à Domino Moyses refertur, quòd per diffi- (Moysi diffidentia.) (D) dentiam non nisi iterato ictu aquam eduxerit. Denique ob hoc peccatum, promissam sibi terram non ingressus est, sicut inferiùs ostēdam. Igitur Moyses ex eo loco promouens, cùm præter Edom agmen educere pararet, missis ad regem legatis, transeundi copiam poposcit, ob ius sanguinis bello abstinendum ratus. etenim gens illa Esau progenies erat. Sed rex supplices aspernatus, transitum negauit, paratus armis contendere. Tum Moyses in Or montem iter conuertit, vetita via abstinens, ne quam inter consanguineos causam belli præberet. In eo quoque cursu regem gentis Chananæorum deleuit. (Victi reges & populi.) Seon quoque regem Amorrhæorum perculit, omniúmque eorum oppidis potitus est. (Num. 21. Ibidem & Deu. 3. 29.) Basan etiam & Balac reges deuicit, & castra super Iordanem haud longè ab Hiericho molitus est. (E) Tunc aduersus Madianitas certatū, victiq; & subacti sunt. Moyses mortuus est, cùm XL. in deserto annos populo præfuisset. (Moysis mors.) Cæterū Hebræi ob hāc causā tanto tēpore in eremo fuisse traduntur, donec omnes qui verbis Dei nō crediderāt, interirēt. (Deut. 27.) Excepto enim Iesu & Chaleb, nemo vltra XX. annos natus, Ægypto profectus, Iordanem trāsiit. Ipse Moyses, vt terrā promissā videret tātū nec cōtingeret, peccato eius adscribitur: quòd eò tēpore, quo saxū ferire & aquā producere præceptus est, post tot virtutū suarū experimēta dubitauerit. (Mosis sepulchrum ignotum. Ibidem & Deut. 3.) Decessit autē anno ætatis vicesimo & cētesimo de sepulchri loco parū cōpertū.

Moyse mortuo, summa rerū penes Iesum Naue filium erat. (Moysi succedit Iosue. Iosue. 2.) Etenim illum sibi Moyses successorem constituerat, virū virtutib9 suis simillimum. Principio autem suscepti imperij, dimissis per castra nūtiis, populū certiorem facit,

vti

vti frumentum pararent: tridúoq; proximo iter pronū-
tiat. Sed Iordanis flumen validiſſimum, trāſitum prohi-
bebat: quia neque nauium copia pro tempore erat, neq;
va ſari flumus poterat, qui tum pleno alueo ferebatur.
Igitur arcā præferri à Sacerdotibus, eoſdémque aduerſo
Ioſue 3. flumine conſiſtere iubet. Quo facto inciſus Iordanis tra-
Hiericho. ditur: ita per ſiccum copia traductæ. Erat in his locis
oppidum nomine Hiericho, muris validiſſimis munitū,
neq; expugnationi neq; obſidioni facile. Sed Ieſus Do-
mino fretus, non armis aut viribus vrbem aggreſſus, ferri
arcam Dei circa muros iubet: Sacerdoteſque præire ar-
cam, & tuba canere. Sed cùm arca ſepties circumlata eſ-
ſet, muri ac turres conciderunt: direptum oppidum atq;
Ioſue 6. inceſum. Tū Ieſu dominiū traditur. *Inde aduerſus Geth
Geth captū. ductus exercitus: locatiſque à tergo vrbis inſidiis, Ieſus
metū ſimulans, terga hoſti dedit. Quo viſo, qui in oppi-
do erant, patētibus portis cedētibus inſtare. Ita hi qui in
inſidiis fuerāt, vacuā vrbē cœpere: cæſiq; omnes, abſque
vllius effugio: Rex captus, ſummóq; ſupplicio affectus.
Quod vbi vicinarū gentiū regibus cōpertum eſt, in bel-
Ioſue 9. lū conſpirant, Hebræos armis depellere. Verùm Gabao-
nitæ gens valida, ex vrbe opulenta, vltrò ſe Hebræis de-
derunt, iuſſa facturos pollicentes: receptiq; in fidē, vt li-
gna & aquam conueherēt imperatū. Sed regibus proxi-
matū vrbiū dedito corū, iras cōciuerat. Itaq; admotis co-
piis, oppidū eorū Gabaoth nomine obſidione circumſi-
Ioſue 10. ſtunt. Igitur oppidani arctis rebus ſuis, nūtios ad Ieſum
mittunt, obſeſſis vti ſuccurreret. Ita ille maturato itine-
re inopinātibus ſuperuenit, cæſáq; ad internecionē mul-
ta hoſtiū millia, cùm dies cædētes deficeret, nóxq; victis
C futura præſidio videretur, merito fidei dux Hebreus no-
ctem auerit; dies perſeuerauit: ita nullū hoſtibus effugiū
Reges V. capti. fuit. Quinq; reges capti, interfecti ſunt. Eodē impetu vi-
cinæ quoq; vrbes imperio adiectæ regéſq; earū perem-
Ioſue 11. pti. Verùm quia omnia hæc in ordinē perſequi non fuit
Ioſue 12. conſilium, dū breuitati ſtudemus, id modò annotandum
curauimus, xx. & nouem regna imperio Hebræorū ſub-
Ioſue 13. iecta: quorū terra per vndecim tribus viritim diſtributa
eſt. Leuitis enim in Sacerdotium aſſumptis, nulla portio
data, quò liberiùs ſeruirent Deo. Equidē hoc exemplum
non tacitus præterierim, legendúmq; miniſtris Eccleſia-
Leuitarum diuitię cum noſtro ſæculo comparatæ. rum libenter ingeſſerim. Etenim præcepti huius non ſo-
lùm immemores, ſed etiā ignari mihi videtur: tanta hoc
tempore animos eorū habēdi cupido veluti tabes inceſ-
D ſiſtenter inhiant poſſeſſionibus, prædia excolūt, auro incubāt,
emunt venduntq;, quæſtui per omnia ſtudent. At ſi qui
melioris propoſiti videtur, neq; poſſidentes, neq; nego-
tiantes, quod eſt multo turpius, ſedentes munera expe-
ctant, atque omne vitę decus mercede corruptū habent,
dum quaſi venalē præ ſe ferunt ſanctitatem. Sed longiùs
quàm volui egreſſus ſum, dū me tēporum noſtrorū pi-
get, tædétque. Ad inceptum redeo. Igitur, vt ſuprà dixi,
diuiſo per tribus captiuo ſolo, pace ſumma Hebræi per-
fruebantur, finitimis bello territis, tot victoriis nobiles
Ioſue 24. armis nemine audente tentare. Eodem tractu Ieſus mor-
Ioſue mors. tuus eſt, anno ætatis decimo & cēteſimo. De imperij au-
tē eius tēpore parū definio. Frequēs tamē opinio eſt, xx.
& vii. annis cū Hebræis præfuiſſe. Quod ſi ita eſt, à mūdi
exordio in exceſſum eius anni ſunt iii. dccclxxx. & iiii.
E Ieſu mortuo, populus ſine duce agebat. Sed cùm aduer-
ſus Chananæos bellandum eſſet, dux belli Iudas aſſum-
Iud 1. ptus eſt. Huius ductu res proſperè geſtæ domi militiæq;
Iudices Iſraelitici. ſummū otiū: populus aut ſubactis, aut per deditionē ac-
ceptis gentibus, imperitabat. Inde, vt ſemper fieri ſecun-
dis rebus ſolet, morū diſciplinæq; immemor, matrimo-
nia ex victis aſſumere, paulatimq; externos mores trahe-
re, ac mox profano ritu idolis ſacrificare occœpit. Adeò
cuncta cum externis ſocietas pernicioſa eſt. quæ Deus
longè antè proſpiciēs, ſalubri Hebræos reſponſo inſtitu-
xerat, deuictas gentes vt internecioni darēt. Sed plebs cu-
Iud. 2. pida dominādi, imperare victis cū pernicie malebat. Igi-
tur cùm relicto Deo idola colerent, deſtituti diuino au-
xilio, à rege Meſopotamiæ deuicti, & ſubacti, viii. annis

A captiuitatē pependerūt: donec Gothoniel duce in liber-
tatē reſtituti, per quinquaginta annos reū potiti ſunt.
Ruſùmq; corrupti longæ pacis malo, idolis litauerunt. Iud. 3.
Móxq; aderat pœna peccātibus. ab Eglo enim rege Moa- Ibidem.
bitarum deuicti, duodeuiginti annis ſeruierunt, donec
inſtinctu Dei, Adon regem hoſtium dolo interemit, cō-
tractoq; tumultuario exercitu libertatem armis vindica-
uit. Idem per lxxx. annos in pace Hebręis præfuit. Huic
Semigar ſucceſſit: hicq; aduerſus Allophylos cōgreſſus,
ſecundum euētu prælium fecit. Ruſùmq; Hebræos ſe-
ctantes idola, rex Chananæorum Iabin nomine ſubiu-
gauit, grauiſſimámq; in eos per xx. annos dominationē
exercuit: donec priſtinū Debbora mulier ſtatum reddi-
dit. Adeò nihil ſpei in eorum ducibus erat, vt muliebri Iud 4.
auxilio defenderentur. Quanquam hæc in typum Eccle-
ſiæ forma præmiſſa ſit, cuius auxilio captiuitas depulſa.
B Sub hac duce, vel iudice, xl. annis Hebræi fuerunt. Rur-
ſumq; ob peccata Madianitis traditi, duro imperio ha- Iud. 6.
bebantur, afflictiq; malo ſeruitutis diuinum auxiliū im-
plorauerunt. Ita ſemper in ſecundis rebus immemores
cœleſtium beneficiorum, idolis ſupplicabāt: in aduerſis,
Deo. Vnde cùm reputare in animo ſoleo, populum tot
beneficiis Dei obligatū, tot cladibus, cùm peccaret, coër-
citum, expertúmq; & miſericordiam, & ſeueritatem Dei,
nequaquam emendatum: & cùm ſemper veniam erroris
acciperet, ſemper peccaſſe poſt veniam: nihil mirum vi-
deri poteſt, Chriſtum ab his nō eſſe receptum, cùm iam
inde ab initio toties in Domino rebelles deprehendan-
tur: magiſque mirum eſt, illis ſemper peccantibus, nun-
quam Dei, ſi quando eum implorauerunt, defuiſſe cle-
C mentiam. Igitur cum eis, vt ſuprà retulimus, Madianitæ
dominarentur, conuerſi ad Dominum, miſericordiam
ſolitam flagitantes, impetrauerunt. Erat in Hebræis Ge-
deon quidam nomine, vir iuſtus, & charus Domino, ac- Gedeon Iudex.
ceptuſq; huic Angelus de campo meſſis domum reuer-
tenti aſtitit: Dominus, inquit, tecum, potens in virtute.
At ille voce humili, non eſſe in ſe Dominum ingemiſce-
bat, ſiquidem populum captiuitas premeret: virtutúmq;
Domini, qui eos de terra Ægypti eduxerat, flens recor-
dabatur. Tum Angelus: Vade, inquit, in hoc ſpiritu, quo
locutus es, & populum de captiuitate eripe. Ille vero ab-
nuere, ſe infractis ſuorum viribus, cùm ipſe minimus
eſſet, tantum onus ſuſcipere: perſtare contrà Angelus,
Ne dubitaret poſſe fieri quæ Dominus loquebatur. Per-
D fecto igitur ſacrificio, dirutáq; ara, quam Baal idolo Ma-
dianitæ ſacrauerant, ad ſuos profectus, caſtra caſtris ho-
ſtium contulit. Sed Madianitis etiam gens Amalech ſe
coniunxerat. Gedeon verò non amplius quam ad trigin-
ta & ii. millia exercitum parauerat. Sed priuſquam con-
fligeret, Deus ad eum locutus eſt, nimiam eſſe hanc mul-
titudinem, quam in prælīū vellet educere: Hebræos pro
ſolita perfidia euentum pugnæ non Deo, ſed virtuti ſuæ
daturos, itaq; daret volētibus diſcedēdi poteſtatē, quod Iud. 7.
vbi populo diuulgatū, xx. & ii. à caſtris receſſerūt. Sed ex
x. millibus, quæ reſederant, admonitus, à Domino, non
amplius quàm trecentos tenuit: reliquos ab armis dimi-
ſit. Ita media vigilia caſtra hoſtium ingreſſus, iuſſis omni-
bus tuba canere, magnū terrorē iniecit: neq; cuiquam re-
E ſiſtendi animus fuit, turpi fuga quò quiſque potuit dila-
pſis. Sed occurrētibus omni ex parte Hebræis, paſſim fu-
gientes cadunt. Reges Gedeon perſecutus vltra Iordanē,
cōprehenſos neci dedit. Ea pugna centū & xx. ex hoſti-
bus cæſa, xv. capta traduntur. Tunc conſenſu omniū Ge- Iud. 8.
deoni, vt princeps populi eſſet, delatū. Quod ille aſperna-
tus, communi iure cum ciuibus viuere, quàm præeſſe
ſuis, maluit. Depulſa igitur captiuitate, quæ ſeptem an-
nos populum continuerat, pax per xl. annos fuit. Sed
defuncto Gedeone, filius eius Abimelech, ex concubina
ortus, fratribus interemptis, peſſimis quibuſq; conſen-
tientibus, & maximè Sichimorum principibus operam
ei nauantibus, regnum occupauit. Iiſque diſcordiis ciui-
libus exercitus, cùm ſuos bello premeret, turrim quan-
dam, in quam ſe amiſſo oppido fugientes receperant,

expugnare aggressus, dum incautiùs subit, saxo à muliere ictus periit, cùm triennio imperium tenuisset. Huic successit Thola, qui duobus & xx. annis regno potitus est. *Iud.10.* Post hunc Iair fuit, qui cùm æquè viginti & duos annos principatum obtinuisset, populus relicto Domino idolis se mancipauit. Obque id Israëlitæ subacti sunt ab Allophylis & Ammonitis, duóque de xx. annis sub eorum imperio fuerunt. Quo tempore eis Dominum inuocantibus, diuinum scilicet responsum redditum est: Simulachra potiùs inuocarent, se non vltrà misericordiam ingratis præstiturum. *Iud.11.* *Ieptha dux.* At illi flentes culpam fateri, & precari veniam, abiectísque idolis Deum implorantes, negatam licet misericordiam impetrauerunt. Igitur Ieptha duce ad libertatem armis vindicandam frequentes conueniunt: missis priùs ad Ammon regem legatis, vt finibus suis contentus, bello abstineret. At ille B prælium non abnuens, aciem instruxit. Tum Ieptha, priusquàm signum pugnæ daretur, vouisse dicitur, si prosperè pugnasset, eum qui sibi primus reuertenti obuius fuisset, hostiam Deo dandum. Ita victis hostibus, cùm domum rediret, filia ei obuiam fit, quæ patrem exceptura victorem cum tympanis & choris læta processerat. Tum Ieptha consternatus dolore, conscissis vestibus, indicat filiæ voti necessitatem. At illa, non fœminea constantia, mori non recusans, duos tantùm tamẽ menses vitę spatium petit, vt æquales suas priùs videret. Quibus actis, vltrò ad patrem rediit, votúmq; Domino reddidit. Ieptha principatum sex annis tenuit. huic Esebon successit. *Iud.12.* & tranquillis rebus exacto imperio, anno septimo decessit. Póstque eum Allon Zabulonites annis x. itémque Abdon annis viii. rerum potiti, pacis tempore nihil, quod historia loqueretur, ediderunt. C Rursum Israëlitæ ad idola conuersi, diuino destituti præsidio, subiecti Allophylis, per xl. captiuitatis annos pœnas perfidiæ pependerunt. *Iud.13.* Ea tempestate Sampson natus traditur. Huius mater diu sterilis, Angelum vidit: dictúmque ei est, vt vino & sicera atque immundis abstineret, fore vt puerum ederet libertatis vindicem, & hostium vltorem. *Sampson.* Ita mulier enixa puerum, Sampson nomen ei indidit. Is intonso capite, miræ virtutis fuisse traditur: *Iud.14.* adeò vt leonem in via obuium manu discerperet. Vxorem ex Allophylis habuit: quæ cùm absente viro in alterius matrimonium conuenisset, dolore ereptæ coniugis perniciem genti molitus est: *Iud.15.* fretus Domino, & viribus, palam victores clade afficiebat. ccc. D siquidem vulpibus captis, ardentes lampades earum illigauit caudis, atque eas agris hostium immisit. At tum fortè maturis messibus, facile incendium fuit, vineæque & oliuarum arbores exustæ. Grandi Allophylorum exitio abreptæ vxoris iniuriam vltus videbatur. Quo dolore Allophyli permoti, mulierem tanti mali causam cum domo & patre incendio consumpserunt. Sed Sampson parum se vindicatum ratus, vrgere omnibus incommodis profanam gentem non desinebat. Tum compulsi Iudæi, vinctum eum Allophylis tradiderunt. Sed traditus, ruptis vinculis, arrepto osse asini, quod casus telum dederat, mille ex hostibus prostrauit. Ingrauescente autem æstu, cùm siti affectus esset, inuocato Domino, ex osse quod manu tenebat, aqua fluxit. Ea tempestate Sampson Hebræis præerat. *Iud.16.* E Allophylis vnius virtute domitis. Igitur insidiantes vitæ eius, nec palam eum tentare audentes, vxorem eius, quam ille postea acceperat, pecunia corrumpunt, vt virtutem viri vi proderet. Illa eum blandimento muliebri aggressa, diu eludẽtem, & multum cunctantem perpulit, vt indicaret, in crinibus capitis virtutem suam subsistere. Mox dormienti insidiata, crinem eius abstulit, atque ita eum Allophylis tradidit. Nam sæpè priùs traditum, comprehẽdere nequiuerant. Tum illi effossis oculis, vinctum compedibus in carcerem coniecerunt. Sed spatio temporis abscissus crinis crescere, & cum eo virtus redire occœperat. Iámque Sampson conscius recepti roboris, tẽpus modò iustæ vltionis *Ibidem.* opperiebatur. Erat Allophylis moris cùm dies festos agerent,

A Sampson quasi in pompam publicam producere, capto insultantes. Ita die quodam cùm publicum epulũ in honorem idoli dedissent, Sampson exhiberi iubent. Templum autem in quo omnis populus, omnésque Allophylorum principes epulabantur, duabus subnixum columnis miræ magnitudinis erat. Productus Sampson, inter columnas statuitur. Tum ille tempore arrepto, inuocato priùs Domino, columnas disiecit: ruináq; omnis ruina domus obruta, ipse cum hostibus non multus occubuit, cùm xx. annis Hebræis præfuisset. Huic Simmichar successit, de quo nihil amplius scriptura prodidit. nam neque finem imperij eius reperi, & fuisse populum sine duce inuenio. Ideò cum aduersus Beniamin tribum ciuile bellum fuit, Iudas temporarius dux belli assumptus est. Sed plerique qui de temporibus scripserunt, annum vnum imperio eius annotauerunt. B Plerīq; ita eum prætererũt, vt post Sampson Heli Sacerdotem subiunxerint, nos eam rem, vt parum compertam, in medio relinquemus. Per hæc tempora ciuile, vt diximus, bellum exarserat. Causa autem motus hæc fuit. *Iud.19.* Leuites quidam cum concubina iter faciens, vrgente nocte compulsus in oppido Gabaa, quod ab Beniamitis incolebatur, secesserat. *Bellum ciuile in Beniamitas.* Cùm eum senex quidam hospitio benignè recepisset, iuuenes ex oppido hospitem circumsistunt, stupro eum subdere parantes. Multum à sene increpiti, ægréque exhortati, vicario demum concubinæ eius corpore in ludibrium accepto, aduenæ pepercerunt: illusámque nocte tota, postero die reddiderunt. Sed illa stupri iniuria, an verecundiæ, parum definio, viso viro animam efflauit. C Tum Leuita in testimonium dirí facinoris membra eius in duodecim dissecta partes, per duodecim tribus misit, quo promptiùs omnes facti inuidia commoueret. *Iud.20.* Quod vbi omnibus compertũ, vndecim reliquæ tribus aduersum Beniamin in bellum conspirãt. Huic bello Iudas, vt diximus, dux fuit. Sed duobus prælijs malè pugnatum: tertio demum Beniamitæ victi, cæsique ad internecionem. Ita paucorum scelus publico exitio punitum. Hæc quoque Iudicum volumine continentur. *Regum lib.* Regum libri sequuntur: sed mihi annorum ordinem & seriem temporum persequenti, parum cõtinuata videtur historia. Nam cum post Sampson iudicem Semigar fuerit, paulóque pòst historia consignet populum sine iudicibus egisse, Heli etiam Sacerdos libris regnorũ fuisse refertur. sed cùm quot anni inter Heli & Sampson D fuerint, minimè scriptura prodiderit; video medij quiddam fuisse temporis, quod laboret ambiguo. Cæterùm à die mortis Iesu, vsque in id tempus quo Sampson defunctus est, numerãtur anni cccc. & xix. A mundi autem exordio anni iiii. ccc. & iii. Quanquam ab hac supputatione nostra cæteros discordare, non nesciam. Sed mihi conscius sum, me nõ incuriosè latentem annorum ordinem protulisse, donec in hæc tẽpora incidi, de quibus dubitare me fateor: nunc reliqua exequar. Igitur, vt suprà retuli, Hebræi sine iudice aut duce vllo, proprio arbitrio agebantur. *Heli Sacerdos.* Heli Sacerdos erat: sub hoc Samuel natus est. *1.Reg.2.* Huic pater Elchana, mater Anna. hæc diu sterilis, cùm conceptum à Deo peteret, vouisse traditur, si puer nasceretur, sacrandum Domino. *1.Reg.10.* Ita enixum puerũ Heli Sacerdoti tradidit. *1.Reg.4.* E Mox cùm adolesisset, Dominus ad eum locutus est. Heli Sacerdoti iram denuntiat, ob vitam filiorum, qui Sacerdotium patris in quæstum verterant, munera à sacrificantibus exigentes, quanquam plerumque eos pater increpasse referatur. *1.Reg.4.* Sed lenior obiurgatio nõ satisfecerat disciplinæ. Igitur Allophylis in Iudæam irruentibus, obuiam itum. Sed victi Hebræi, parãt aciem restituere: arcam Domini secum in pugnam efferunt, & cum ea filij Sacerdotis prodeunt: quia ipse annis grauior, luminibus obductis satisfacere officio nequiuerat. Sed vbi arca in conspectum hostium deducta est, maiestate quadam præsentis Domini territi, fugam parabant. *Arca Domini capta.* Assumptáq; rursum constantia, & non sine Domino mutatis animis totis viribus cõcurrunt. Victi Hebræi, arca capitur, filij Sacerdotis cadunt. *1.Reg.5.* Heli delato ad

se mali nuntio, consternatus, animam expirauit, cùm per annos xx. Sacerdotium administrasset. Victores secundo prælio Allophyli, arcam Dei, quæ in potestatem venerat, eorum oppido Azoto, in templum Dagon intulerunt. Sed simulachrum dæmoni dicatum, vbi arca illata est, corruit. Cumque idolum loco restituissent, nocte insecuta discerptum est. Inde mures per omnem regionẽ exorti, noxiis morsibus multa hominum millia letho dabant. Quo malo compulsi Azotij, ad declinandam calamitatem, arcam Dei ad Gethæos transtulerunt. Qui cùm simili clade afficerentur, in oppidum Ascalonensium arcam transuexerunt.

1. Reg. 6.

His vero, aduocatis gentis eius primoribus, consilium fuit, arcam Domini Hebræis reddere. Ita ex sententia principum, augurúmque & Sacerdotum, imposita vehiculo, multis cum muneribus remittitur. Illud mirabile, quòd cùm oneri boues fœminas subiecissent, vitulósque earum domi retinuissent, iter nullo duce in Iudæam pecudes direxerunt, non reuocante affecto fœtus relicti. Cuius rei miraculo reguli Allophylorum vsque in fines Hebræorum arcam secuti, religiosum officium præstiterunt. Iudæi autem, vbi referri arcam viderunt, certatim ex oppido Bethsamis cum gaudio obuiam ruere, festinare, exultare, grates Domino referre. Mox Leuitæ, quorum hoc negotium erat, sacrificium Deo celebrant: bouésq; eas, quæ arcam adduxerãt, immolant. Sed in oppido, quod suprà diximus, teneri arca non potuit. Itaq; passim Dei nutu per totã vrbem sæuitum. Arca in Cariathiarim oppidum translata est, ibique per viginti annos fuit.

1. Reg. 7.
Samuel Sacerdos.

Ea tempestate Samuël Sacerdos Hebræis præerat, quietis à bello rebus populus in otio degebat. Pax deinde Allophylorum irruptione turbata, trepidantibus cunctis ob conscientiam peccati. Samuël, cæsa priùs hostia, Domino fretus, suos in prælium deduxit: primóque impetu fusis hostibus, victoria penes Hebræos stetit. Sed hostili metu remoto, secundis tranquillisq; rebus, corruptis consiliis, more vulgi, cui præsentia fastidio, infirera desiderio sunt, regiũ nomen (cunctis ferè liberis gentibus semper inuisum) populus desiderabat, planéque non sine exẽplo amentiæ præoptabat libertatem seruitio mutare.

1. Reg. 8.
1. Reg. 9.

Igitur frequentes Samuëlem circumsistunt, vt quia iam ipse senuisset, regem eis constitueret. At ille placidè, salubri oratione ab insana voluntate detorquere plebem, dominationem regiam & superba imperia exponere, libertatem extollere, seruitutem detestari: postremò, diuinam eis iram denuntiare, liquidem homines mente corrupti, Deum Regem habentes, regem sibi ex hominibus flagitarent. His atque aliis istiusmodi frustra dictis, cùm populus in sententia perseueraret, Dominum consulit, qui permotus vecordia insanæ gentis, nihil aduersum se petentibus negandum respondit.

1. Reg. 10.
Saul Rex.

Igitur Saul Sacerdotali priùs à Samuële vnguento perfusus, rex constitutus est. Hic ex tribu Beniamin, Cis patre ortus, modestus animi, forma excellenti erat: vt meritò dignitas corporis dignitati regiæ cõueniret. Sed principio regni huius aliquanta ab eo pars populi desciuerat, parere imperio abnuens, séque Ammonitis coniunxerat. Verùm hos Saul impigrè vltus est: victísque hostes, & venia Hebræis data. Tum Saul iteratò à Samuële vnctus traditur.

1. Reg. 11.

Inde, Allophylorum irruptione atrox bellum exortum: locum exercitui ad conueniendum Saul in Gilgal constituerat. Et cùm per septem dies Samuëlem opperitus esset, vt sacrificium Domino fieret: tardante illo, cùm populus dilaberetur, illicita præsumptione rex ad vicem Sacerdotis holocaustum obtulit: multúmque à Samuële increpitus, sera peccatum pœnitentia fatebatur.

1. Reg. 12.

Igitur ex peccato regis metus omnem exercitum peruaserat. castra hostium haud longè sita, præsens periculum ostendebant: neque cuiquam exeundi in prælium animus, plores lachrymas & latebras petiuerant. Nam præter imbecillitatem animorum, qui alienum à se Dominum delicto regis arbitrabantur, in maxima ferramentorum inopia exercitus erat: adeò vt præter Saul & Ionatham filium eius, nemo gladium aut lanceam habuisse tradatur.

1. Reg. 13.

Nam Allophyli superiore bello victores vsum Hebræis ademerant, neq; cuiquam conficiendi teli bellici, aut rustici ferramenti potestas fuerat.

1. Reg. 14.

Igitur Ionatha audaci consilio, solo armigero suo comite, castra hostium ingressus, viginti ferè ex hostibus interemptis, vniuersum exercitum terrore perculerat. Tum verò nutu Dei in fugam versi, non imperia exequi, non ordines obseruare, omne præsidium in pedibus habere. Quod vbi Saul animaduertit, suis properè eductis, fugientes persecutus, victoria potitus est. Eo die rex edixisse traditur, ne quis, nisi confectis hostibus, cibum caperet. Sed Ionatha interdictionis eius inscius, fauo reperto, tincto spiculo, mel degustauerat. Sed vbi regi ex Domini ira compertũ est, morte affici filium iussit. Sed populi auxilio ab exitio vindicatus est.

1. Reg. 15.

Ea tempestate Samuël à Domino monitus, regem adit, verbis Domini nuntians, vti genti Amalech, quæ olim Hebræos ex Ægypto venientes transitu prohibuerat, bellum inferret: addito interdicto, ne quid ex spoliis deuictorum concupisceret. Ita in fines hostium ductus exercitus, rex captus, gens subacta. Saul victus prædæ magnitudine, præcepti diuini immemor, capta seruari & ferri iubet. Quo facto offensus Dominus, Samuëlem alloquitur: pœnitere se, quod Saul regem constitueret. Dictum Sacerdos regi refert.

1. Reg. 16.
Dauid in regem vngitur.

Mox à Domino monitus, Dauid regali vnguento perlinit, paruum etiamnum puerum, sub patre agentem, pastorem ouium, assuetum sæpiùs cithara canere: ob quod postea à Saule assumptus, inter ministros regios habebatur. Qua tempestate, Allophylis atque Hebræis bello flagrantibus, cùm ex aduerso acies constitissent, Goliath quidam ex Allophylis, vir miræ magnitudinis & roboris suorum ordines prætergressus, ferocibus verbis probra in hostes iaciens, singularem pugnam ciebat. Tum rex magna præmia, & filiæ nuptias despondit, si quis prouocantis spolia retulisset.

1. Reg. 17.

Sed nemo ex tanto agmine aggredi audebat. Igitur Dauid etiamnum puer, pugnæ se obtulit: reiectísque armis, quibus infirma ætas grauabatur, virga tantùm & quinque lapidibus sumptis, in prælium processit, primóque ictu, misso funda lapide, Allophylum perculit, caput victi & spolia abstulit, gladium postea in templum posuit.

Goliath sternitur.

Allophyli autem omnes in fugam versi, victoriam concessere. Sed è prælio reuersis, multus circa Dauid fauor, inuidiam regis accenderat.

1. Reg. 18.

Timens autem tam charum omnibus cum inuidia & pernicie necare, sub specie honoris obiectare eum periculis statuit. Ac primùm tribunum eum fecerat, vt rem bellicam curaret. Inde, cùm ei filiam spopondisset, fidem fregit, eámque alteri tradidit. Mox filia regis natu minor, Melchol nomine, amore Dauid flagrare cœperat. Igitur nuptiarum eius istiusmodi conditionem proponit: si centum præputia Dauid ex hostibus retulisset, regiam virginem matrimonio illius cessuram. Sperabat enim, iuuenem periculosa audentem, facilè periturum. Sed longè aliter, ac ratus erat, euenit. Nam vt proposuerat, impigrè Dauid centum præputia ex Allophylis retulit: atque ita regis filiam in matrimonium accepit.

Alias Michol.
Dauid nuptiæ.
Bonos semper mali infectantur.

1. Reg. 19.

Crescebat indies in eum regis odium, stimulante inuidia: quia bonos semper mali insectantur. Igitur ministris & Ionathæ filio imperauit, vitæ eius vt insidias pararent. Sed Ionathæ charus acceptúsque iam inde à principio Dauid fuerat. Itaque rex increpitus à filio, cruentum imperium repressit. Sed non diu mali boni sunt. Nam cùm spiritu erroris Saul affligeretur, eíque Dauid assisteret, cithara laborantem deliniens, lancea eum ferire conatus est, nisi ille lethalem ictum properè declinasset.

Saul Dauidi insidiatur.

Exinde iam non occultè, sed palàm ei necem parabat: nec vlterà se Dauid regi credidit. Ac primùm fugiens, ad Samuëlem se contulit: inde ab Abimelech, postremò ad regem Moab confugit. Mox per Gad Prophetam monitus, in terram Iudæ regressus, vitæ periculum adit.

1. Reg. 21.

Ea tempestate Saul Abimelech Sacer-

dotem interemit, quòd Dauid recepisset : & eum ex mi- A
2.Reg.24. nistris regis nemo in Sacerdotem manus inferre aude-
ret, Doeg Syrus cruentum ministerium executus est.
Post id Dauid desertum petiit : illuc quoque eum Saul
persecutus est, sed mani opera eius exitium moliebatur,
quem Dominus protegebat. Erat in deserto spelunca,
vasto recessu patens. In huius interiora Dauid se con-
iecerat. Saul nesciens, in primo speluncæ aditu reficien-
di corporis gratia successerat : ibique somno captus re-
David diploidem Sauli aufert. quiescebat. Quod vbi Dauid animaduertit, hortanti-
bus cunctis, vt opportunitate vteretur, abstinuit regis
exitio: diploidem tamen eius abstulit. Mox egressus, tu-
to eminus loco à tergo regem allocutus est, sua in illum
commemorans beneficia, vt sæpe pro regno eius caput
periculis obiectasset : vtque postremò præsenti tempo-
re à Domino sibi traditum, interimere noluisset. Ad
hæc, culpam Saul fateri, veniam precari, lachrymas fun- B
dere, pietatem Dauid extollere, malitiam suam incusare,
regem eum & filium appellans. Tantum ex feroci illo
animo mutatum, crederes nihil vltrà aduersum gene-
rum ausurum. Sed Dauid qui penitus ingenium mali
spectatum haberet & cognitum, nihil regi credendum
ratus, intra eremum se continebat. Saul vecors animi,
quia comprehendendi generum potestas non erat, fi-
liam suam Melchol Dauid, vt suprà retulimus, nuptam,
1.Reg.25. Faltim cuidam in matrimonium dedit. Dauid ad Allo-
phylos confugit. Ea tempestate Samuël diem functus
est. Saul Allophylis bellum inferentibus, Dominum
1.Reg.28. consulit, nullúmque est ei responsum redditum. Tum
per mulierem, cuius viscera spiritus erroris impleuerat,
Samuelem euocatum consulit. Dictum ei ab eo est, po- C
stero illum die cum filio victum ab Allophylis, in præ-
lio casurum. Igitur Allophyli castris in hostili solo po-
sitis, postero die aciem instruunt, Dauid tamen ex castris
remisso : quia parum crediderant sibi illum, aduersum
1.Reg.31. Saulis mors. suos, fidum fore. Sed conserto prælio, Hebræi fusi, filij
regis cadunt : Saul equo delapsus, ne viuus in potesta-
1.Para.10. tem hostium veniret, gladio suo incubuit. De ætate im-
perij eius parum certa comperimus, nisi quòd in acti-
bus Apostolorum XL. annos regnasse dictus est. Quan-
quam ego arbitror, tum à Paulo, cuius illa prædicatio
refertur, etiam Samuëlis annos sub regis istius ætate nu-
Act.13. meratos. Plerique tamen qui de temporibus scripse-
runt, XXX. eum annos regnasse annotauerunt : cui opi-
nioni nequaquam accedimus. nam ea tempestate, qua
Domini arca in Cariathiarim oppidum trãslata est, nec-
dum regnare Saul cœperat: refertur autem, per Dauid
regem ex illo oppido arcam sublatam, cùm per XX. an-
nos ibi constitisset. Ergo, cùm intra id tempus Saul re-
gnauerit atque decesserit, paruo admodum spatio te-
nuit imperium. Eadem nobis de temporibus Samuëlis
caligo, vt qui cum Heli Sacerdote natus, admodum se-
nex Sacerdotio functus referatur. A nonnullis tamen
qui de temporibus scripsere, (quia verè nihil de eius an-
nis sacra historia signauit) LXX. annis præfuisse populo
refertur. Sed vnde hæc auctoritas fuerit assumpta, non
reperi. Nos in tanta erroris copia, Chronicorum anno-
tationem secuti, quia eam ex Apostolorum actibus (sicut
superiùs memorauimus) profectam arbitramur, Samuë-
lem & Saulem XL. annos principatum egisse referimus. E
Saul perempto, Dauid in terra Allophylorum perlato
ad se mortis eius nuntio, miro pietatis exemplo fleuisse
traditur. Tum Chebron Iudææ oppidum petiit. Ibi
2.Reg.2. rursum regali vnguento illitus, rex appellatus est. Sed
Abner, qui magister militiæ Saul regis fuerat, spreto Da-
2.Reg.2. Dauid Rex. uid, Isbaal regis sui filium regem cõstituit. Crebris dein-
2.Reg.3. de prælijs inter duces regum concursum : pulsus Abner
sæpius : fratrem tamen Ioab, qui ex parte Dauid exerci-
tui præerat, fugiens peremit. Quo dolore postea
Ioab, cùm se Abner Dauid regi dedisset, iugulari eum
præcepit, non sine dolore regis, cuius fidem cruen-
tauerat. Per idem tempus omnes ferè natu maiores
2.Reg.5. Hebræorum publico consensu regnum ei totius gentis

A detulerunt. nam per septem annos in Chebron tan-
tum regnauerat. Ita tertiò rex vngitur, annorum cir-
citer XXX. Allophylos in regnum irruentes, secundis
prælijs repulit. Ea tempestate arcam Domini, quæ in 2.Reg.6.
Cariathiarim oppido, vt suprà retulimus, erat, in Sion
transtulit. Cúmque ædificare Domino templum in 2.Reg.7.
animo haberet, diuinum ei responsum redditum, se-
mini illius id reseruari. Bello deinde Allophylos do-
muit. Moabitas subiugauit, Syriam subegit, stipen- 2.Reg.8.
diúmque ei imposuit. Auri atque æris ex præda im-
mensum pondus retulit. Bellum deinde aduersum Am-
monitas ex iniuria Chanum regis eorum exortum. Sy- 2.Reg.10.
ris denuò rebellantibus, qui cum Ammonitis in bel-
lum coniurauerant, Dauid summam rerum Ioab prin-
cipi militiæ permiserat : ipse à bello remotus, intra
Hierusalem commorabatur. Qua tempestate Bersa- 2.Reg.11.
B ben quandam, miræ fœminam pulchritudinis, stu-
pro compertum habuit. Hæc viri cuiusdam vxor, qui
tum in castris erat, fuisse traditur. Hunc Dauid in- David adulterium & cædes.
quo pugnæ loco obiectum hostibus, interficiendum
curauit. Ita mulierem in matrimonio viduam, sed iam
ex stupro grauidam, numero vxorum aggregauit. Tum
per Nathan Prophetam grauiter increpitus, licet agni-
to errore, castigationem Domini non effugit. Namque
filium ex furtiuo illo concubitu editum, paucos post
dies amisit : multáque in domum familiámque eius exe-
cranda acciderunt. Ad extremum Absalon filius eius ar- 2.Reg.15. Absalonis mors.
ma impia aduersus patrem sustulit, regno eum depel-
lere cupiens. Aduersus hunc Ioab acie conflixit : ad-
monitus à rege, vt victo parceret. Sed ille spreto im- 2.Reg.18.
C perio, parricidalis conatus ferro vltus est. Flebilis ea
victoria fuisse regi traditur : Tanta in eo pietas erat, vt 2.Reg.20.
etiam parricidæ filio ignosci voluerit. Vix hoc bel-
lum extinctum videbatur : aliud rursum exortum, Sa-
bæa quodam duce, qui pessimum quemque ad arma in- 2.Reg.21.
citauerat. Sed properè motus omnis morte ducis re-
pressus. Crebra deinde aduersus Allophylos Dauid
prælia secundo euentu habuit : cunctísque bello do-
mitis, & tam externis quàm domesticis motibus com-
pressis, florentissimum regnum in pace habebat. Tum
eum subita cupido incessit, ad metiendas imperij vires 2.Reg.24.
populum censere. Ita à Ioab militiæ magistro decies Census populi castigatus.
centena & trecenta ciuium millia dinumerata. Huius
enim facti mox piguit, pœnituitque, veniam à Domino
D petens, cur in id animos extulisset, vt regni sui poten-
tiam ex suorum potiùs multitudine, quàm ex fauore
diuino æstimaret. Itaque missus ad eum Angelus, tri-
nam ei pœnam denuntiat, dátque arbitrium vnam eli-
gendi. Sed proposita triennij fame, trium mensium
fuga, morte tridui : fugam & famem detestatus, mor-
tem elegit. momentóque temporis LXX. millia virorum
interiere. Tum Dauid videns Angelum, cuius dexte-
ra populus prosternebatur, veniam precari, séque vi-
uum pro omnibus pœnæ obijcere : se dignum exitio,
quia ipse peccasset. Ita aduersum plebis supplicium:
Dauid in loco, in quo Angelum viderat, aram Domi- 3.Reg.1.
no statuit. Mox annis & morbo infractior, Salomo- Dauid mortuo Salomon succedit.
nem filium ex Bersabee Vriæ vxore susceptum, suc-
cessorem regni constituit. Is regali vnguento per Sadoc
E Sacerdotem vnctus, patre adhuc incolumi, rex appella- 3.Reg.2.
tus. Dauid, cùm regnasset annos XL. defunctus est. Salo- 3.Reg.3.
mon initio regni vrbem muro circumdedit. Huic per
soporem astare Dominus visus est, petendi quæ vellet
tribuens optionem. Sed ille non aliud sibi quàm sapien-
tiam dari poposcit, reliqua omnia parui æstimans. Ita
somno excitatus, cùm ante sacrarium Domini constitis-
set, indultæ sibi à Domino sapientiæ documentum de- Salomonis sapientia.
dit. Namque duæ mulieres vna in domo diuersantes,
cùm eodem tempore pueros edidissent, atque ex his al-
ter post diem tertiũ nocte obiisset, mater defuncti som-
no alterius insidiata, mortuum suum supposuit, viuen-
tem abstulit. Inde inter eas de puero altercatio, postre- 3.Reg.3.
mò res ad regem delata : difficilis iudicij absolutio inter

negantes, vbi testis deerat. Tum Salomon diuinæ sapientiæ munere petitum puerum, corpúsque eius diuidi inter ambigentes iubet. Cumque vna earum iudicio acquieuisset, alia verò cedere potiùs puero quàm discerpi eum mallet, Salomon ex affectu fœminæ hanc verè matrem esse coniectans, puerum illi adiudicauit, non sine circunstantium admiratione: siquidem latentem veritatem prudentia protulisset. (3.Reg 4.) Ita in admirationem ingenij prudentiæque eius reges vicinarum gentium amicitiam ab eo, fœdúsque petiêre, parati imperata facere. Queis opibus cõfisus, templum Domino immensi operis facere aggressus, paratis per triennium impendiis, quarto ferè imperij anno primum fundamentum iecit: à profectione Hebræorum ex Ægypto anno ferè octauo, & octogesimo & quingentesimo. Licet libro Regnorum tertio, cccc xl. fuisse referantur: quod nequaquam conuenit. Siquidem per seriem superiùs comprehensam facilius fuerit, vt minus fortassis annorum, quàm amplius, annotarim. ♁ Sed nun dubito, librariorum potiùs negligentia, præsertim tot iam sæculis intercedentibus, veritatem fuisse corruptam, quàm vt Propheta errauerit. sicot in hoc ipso nostro opusculo futurum credimus, vt describentium incuria, quæ non incuriosè à nobis sunt digesta, vitietur. (Templum Salomonis. 3 Reg 5. 3.Reg 6. 3 Reg 7. 3.Reg 8. 3 Reg 9. 3.Reg.10.) Igitur Salomon cœptum templi opus vicesimo anno expleuit. Celebrato deinde ibidem sacrificio, dictáque oratione, qua populum templúmque benedixit, Dominus ad eum locutus est, denuntiãos fore, si quando peccassent, ac Dominum reliquissent, templum illud solo æquandum. Quod iampridem impletum videmus, & mox connexum rerum ordinem exponemus. Interea Salomon florens opibus, omnium qui vnquam fuerant regum ditissimus: quique semper ordo rerum est, ab opibus in luxum & vitia delapsus, cùm aduersum interdictum Dei ex alienigenis coniugia sumpsisset, etiam septingentas vxores & trecentas concubinas haberet, idola eis ritu gẽtium suarum, quibus litarent, constituit. (3.Reg.11.) Quibus rebus auersus Dominus, grauiter increpito pœnam denuntiauit, fore vt regnum ex parte maiore ademptum filio, seruo illius traderetur. Idque ita accidit. (3.Reg.12. Roboam.) Defuncto Salomone anno imperij quadragesimo, cum Roboam filius anno ætatis sexto & decimo regnum patrium tenere cœpisset, pars populi ab eo offensa discedit. Etenim cùm laxari sibi stipendium poposcisset, quod Salomon grauissimum imposuerat, repudiatis precibus supplicum, fauorem vniuersæ plebis auerterat. Itaque consensu omnium, imperium ad Hieroboam defertur. (Hieroboã imperat X. trib.) Is medio genere ortus, aliquandiu Salomoni seruitutem pependerat. Sed cùm ei responso Achiæ Prophetæ regnum Hebræorum annuntiatum comperisset, necare eum clàm destinauerat. Quo ille metu in Ægyptum confugit: ibique vxore accepta, ex stirpe regia, cognita demum Salomonis morte, in solum patrium regressus, voluntate populi, vt suprà retulimus, sumpsit imperium. Penes Roboam tamen duæ tribus Iudæ & Beniamin, resederant: ex his ad trecenta millia parauit exercitum. Cumque acies promouerentur, verbis Dei populus admonetur, prælio abstineret: ex suo nutu Hieroboam regnum accepisse. Ita spreto regis imperio, exercitus dilapsus: Hieroboam imperium inualuerat. Sed cùm Hierosolymam Roboam obtineret, vbi templo à Salomone facto populus sacrificare Domino consueuerat: veritus Hieroboã, ne ab eo plebem religio auerteret, statuit animos eius superstitione occupare. (3.Reg.13.) Itaque vaccam auream in Bethel, alteram apud Dan constituit, quibus populus litaret: sacerdotésque, omissa Leui tribu, ex plebe instituit. Inuisum Domino flagitium, expostulatio consecuta. Crebra deinde inter reges prælia, dubio euentu regnum obtinebant. (3.Reg. 14.) Roboam septimo & decimo imperij anno

♁ *1. Reg 6. v. 1. in omnibus Hebrais, Græcis & Latinis exemplaribus apertè dicitur: Quadringentesimo & octuagesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, qui numerus verissime & incorrupti subsistit. Vide Canum lib. 11. de locis cap. 5. ad 12. arg.*

A exacto, vita functus est. In huius locum Abiud filios regnum Hierosolymæ sex annos tenuit: quáuis in Chronicis triennio regnasse referatur. Huic Asab filius successit, à Dauid quintus ferè; quippe abnepos eius: fuit religiosus Domini cultor. namque deletis aris lucisq; idolorum, vestigia paternæ perfidiæ sustulit. Fœdus cum rege Syriæ firmauit: eius auxilio Hieroboæ regnũ, quod tum à filio tenebatur, multa clade affecit: ac sæpè victis hostibus prædam ex victoria retulit. Post vnum & quadragesimum annum, æger pedibus decessit. Huic triplex peccatum adscribitur: vnum, quòd societate regis Syriæ nimium confisus sit: alterum, quòd Prophetam Domini, hoc ipsum increpantem, in vincula coniecit: tertiũ, quia in pedum dolore remedium non à Domino, sed à medicis sperauerit. Sed initio regni huius, Hieroboam rex de- (3.Reg 17.)
B cem tribuũ defunctus est: regnum Nadab filio reliquit. (2.Para 12.) Is malis operibus, & tam suis quàm maternis meritis inuisus Domino, non vltra biennium regno potitus est: priuatáque imperio indigna progenies Banachiæ filium successorem habuit, æquè à Domino alienissimum. Hq; sexto & vicesimo imperij anno defunctus est: regnum ad Helam filium deuolutum, nec vltra biennium retentum. (3.Reg.16.) namque eum Zambri princeps equitum epulantem interfecit, regnúmq; occupauit: vir perinde in Dominum atque homines impius. Ab hoc pars populi secessit, Thamni eidem regium nomen delatum. Sed Iambri ante hunc septem annos, & cum eodem duodecim regnauit. At in parte tribus Iudæ Asab mortuo, Iosaphat filius eius regnare cœpit, vir religiosis virtutibus (2.Par. 3.)
C merito clarus. Is cum Iambri pacem habuit. Defunctus est autem, cùm regnasset annos v. & xx. Huius imperij (3.Reg 16.) tempore Achab Iambri filius, rex decem tribuum fuit, vltra omnes in Dominum impius. Nãmque Iezabel filia Basæ regis ex Sidone in matrimonio accepta, Baal idolo aram lucósque constituit, & prophetas Domini intercinit. (Iezabel vxor Achab. Helias cœlũ claudit.) Quo tempore Helias Propheta oratione cœlum conclusit, ne pluuiam terræ daret: idque regi denuntiauit, vt se impius causam mali esse cognosceret. (3.Reg.17. 3.Reg 18. 3.Reg.19.) Igitur suspensis cœlo aquis, cùm loca omnia adusta solis ardoribus nec victum hominibus, non pabulum iumentis darent, ipse se intra periculum famis Propheta concluserat. Ea tempestate cùm eremum petisset, coruis cibum ministrantibus, vixit. Aquam torrens proximus, donec aruit, dedit. Inde admonitus à Domino, Sareptæ oppi-
D dum petit: ad mulierem viduam diuertit. Cumque ab ea esuriens cibum peteret, illa causari, non esse sibi nisi pusillum farris, & pusillum olei: quo absumpto, vnà cum filius mortem expectaret. Sed cùm Helias verbis Dei polliceretur, nec hydriam farre, nec vas oleo esse minuendum, mulier poscenti fidem non cunctata Prophetæ, credere, promissorum fidem consecuta est. Siquidem diuinis incrementis tantum accresceret, quantum quotidie detrahebat. Eodem tempore, eiusdem viduæ filium mortuum Helias in vitam reduxit. Tum iussu Domini regem adiit, exprobratóque ei sacrilegio, poposcit ad se omnem populum congregari. Qui cum properè conuenisset, accitis idolorum ac lucorum sacerdotibus cccc. ferè & L. inter eos inde orta est altercatio,
E Helia Dominum prædicante, illi superstitiones suas asserebant. Postremò, placuit fieri periculum, vt si cuius cæsam hostiam missus cœlo ignis absumeret, rata esset religio, quæ virtutem edidisset. Ita Sacerdotes occiso vitulo, Baal idolum inuocare cœperunt: frustráque consumptis inuocationibus, imbecillitatem domini sui tacitè fatebantur. Tum fortè Helias irridens eos: Ne fortè, inquit, dormiat, clamate vehementiùs, vt somno quo tenetur, euigilet. Enimuerò miseri trepidantes mussitare, & tamen quidnam Helias facturus esset, expectare. At ille cæsum vitulum imposuit, cùm priùs sacrarium aqua oppleisset: inuocatóque Domino, expectantibus cunctis, ignis cœlo delapsus aquam cum hostia absumpsit. Tum verò populus solo stratus, Dominum fateri, idola execrari: postremò, Heliæ iussu (Hel. sacrilegos sacerdotes occidit.)

prosani Sacerdotes comprehensi, deductique ad torrentem, necati sunt. Redeuntem inde regem propheta prosecutus est. Sed cùm ei Iezabel regis vxor vitæ periculum pararet, ad remotiora secessit. Ibi eum Dominus allocutus est, septem millia virorum esse adhuc pronuntians, qui se idolis non dedissent. Mirum id Heliæ fuit, qui solum se à sacrilegio immunem esse crediderat. Ea tempestate Achab rex Samariæ vineam Naboth adhærentem sibi, concupiuit.

3.Reg 21.

Quam cùm ille ei vendere noluisset, dolis Iezabel interfectus est. Ita Achab vinea potitus est, cùm tamen Naboth mortem doluisse referatur. Mox per Heliam verbo Domini increpitus, agnitóque crimine cilicio indutus, egisse pœnitentiam traditur. Quo facto, imminentem pœnam auertit.

Achab. de Syris victoria.

Namque rex Syriæ magno cum exercito, duobus & triginta regibus in societatem belli ascitis, fines Samariæ ingressus, eum rege vrbem obsidere cœpit. B Actis deinde obsessorum rebus, dat belli conditiones, si aurum & argentum & fœminas tradidissent, fore vti vitæ eorum parceret. Sed tam iniustis conditionibus extrema perpeti satius visum. Et cum iam omnium desperata esset salus, Propheta à Domino missus, regem adit, hortator vt in prælium exeat: cunctantem multis confirmat. Ita eruptione facta, fusi hostes, copiosáque præda reperta. Sed post annum reparatis viribus, Syrus in Samariam regressus, acceptam cladem vltum ire copiẽs, rursum victus est. Eo prælio cxx. millia Syrorum interiẽre: Regi venia data, regnum ei & pristinus status concessus. Tum Achab verbis Dei à propheta increpitus, cur abusus diuino munere, hosti sibi tradito pepercisset. Igitur Syrus post triennium, bellum Hebræis intulit. Aduersum hunc Achab, pseudoprophetarum impulsu, in prælium descendit, spreto Michæa propheta, & in vincula coniecto, quòd ei exitiabilem fore pugnam denuntiasset: Ita eo prælio Achab interfectus,

3.Reg.22.

Ochoziæ filio imperium reliquit. Is æger corpore, cùm ex ministris, qui idolum pro salute eius consulerẽt,

4.Reg.1.

misisset: Helias à Deo monitus, obuiam se eis obtulit, increpitósque renuntiare regi iubet, mortem eius consecuturam. Tum rex comprehendi eum, ac deduci ad se iubet: sed missi, cœlesti igne absumpti. Rex, vt propheta prædixerat, obiit. successit autem Iotam ei, frater eius: ísque duodecim annis imperio potitus est. At in parte duarum tribuum Iosaphat rege defuncto, Ioram filius regnum tenuit annos duodeuiginti. Is Achab filiam D vxorem habuit, socero quàm patri propior. Post hunc

4 Reg.2. Helisæus.

Ochozias filius imperium adeptus est. Hoc regnante, Helias translatus refertur. Eodem tempore Helisæus discipulus eius, multis signis potens extitit: quæ omnia notiora sunt, quàm vt nostro stylo egeant. Ab eo est viduæ filius resuscitatus.

4 Reg.3. 4 Reg.4. 4 Reg.5. 4 Reg.6.

Syrus lepra purgatus. Famis tempore, omnium rerum copia fugatis hostibus inuecta, in vsum trium exercituum aquæ præbitæ: de exiguo olei immodicis incrementis solutum mulieris debitum, & ipsi sufficiens viuendi substantia data. Huius temporibus, vt diximus, Ochozias duarum tribuum erat rex: decem verò Ioram, vt suprà retulimus, imperabat.

4.Reg.9.

Interque eos fœdus ictum. Nam & aduersus Syros iunctis viribus bellarunt: & aduersum Iehu, qui per prophetam in regem decem tribuum vnctus fuerat, pariter in prælium egressi, eadem pugna interiere.

4.Reg.11.

Sed regnum Ioram Iehu tenuit, posito Ochozia in Iudæa rege. Qui vno anno regnauit: mater eius Gotholia imperium occupauit, adempto nepoti imperio, etiam tum paruo puero, cui Ioas nomen fuit. Sed huic ab auia præreptum imperium, post octo fere annos, per Sacerdotem & populum depulsa auia redditum. Hic initio regni obseruantissimus diuini cultus fuit, magnisque sumptibus templum exornauit, post adulatione principum deprauatus, adoratúsque ab eis, Dei iram meruit.

4.Reg.12.

Namque ei Azahel Rex Syriæ bellum intulit: inclinatísque rebus suis, auro Templi, pacem redemit. Nec tamen ea potitus est, facta insidia à suis interfectus, anno imperij quadra- A gesimo. Huic Amasias filius successit. At in parte decem tribuum defuncto Iehu, Ioachas filius eius regnauit, inuisus Deo, malis operibus ob quæ regnũ eius Syris prædæ fuit, donec Dei misericordia depulsis hostibus, pristinum habere statum cœperunt.

Amasias 4.Reg 13.

Ioachas diẽ functus, Ioæ filio reliquit regnum. Is Amasiæ Regi duarũ tribuum ciuile bellum intulit, victoriáq; potitus, multã prædam in regnũ suũ conuertit. Idq; ob Amasiæ delictũ accidisse traditur. Siquidẽ Idumæorũ fines victor ingressus, idola gentis eius assumpserat.

2 Par.25. 4. Reg.14. §

Hic nouem annos regnasse scribitur, quantùm in libris Regnorum reperi. Sed in Paralipomenis, atque etiam in Chronicis, nouem & viginti annos imperium tenuisse annotatum est: ea nimirum id persuadente ratione, quæ in his Regnorum libris facilè perspici potest. Ioram enim Rex decem tribuum octauo B anno imperij Amasiæ traditur regnare cœpisse, vnúmq; & quadraginta annos imperium tenuisse: regnante demùm Ozia Amaziæ filio, quarto imperij eius anno defunctus est. Qua ratione viginti & nouem annos Regi Amasiæ effecit. Itaque nos hoc ipsum secuti, quia rationem temporum persequi placet, Chronicorum auctoritati accessimus. Igitur Amasiæ, Ozias filius successit, nã in parte decem tribuum Ioas diẽ functus, Ioram filio locum fecerat: póstq; hunc Zacharias eius filius regnauit.

2.Par.26. Ozias Rex 4.Reg.14.

Horũ nos regum, omniúmq; qui in parte decẽ tribuum Samariæ præfuerunt, annotanda esse tempora non putauimus: quia breuitati studentes superflua omisimus, & ad cognitionem temporum, eius potissimùm partis annos credimus persequendos, quæ in captiuitatem posteriùs abducta, prolixius tempus in regno habuit. C Igitur Ozias regnum Iudæ adeptus, præcipuam curam Domini cognoscendi habuit, Zacharia Propheta plurimùm vsus.

Zacharias Esaiæ 1.

Esaias etiam sub hoc primùm prophetasse traditur, quo merito prosperis euentibus aduersus finitimos bella gessit, Arabas etiã deuicit. Iámq; Ægyptũ terrore nominis sui concusserat, elatúsq; secũdis rebus, illicita præsumens, incensum Deo obtulit: quod solis facere Sacerdotibus fas erat. Itaq; cùm per Azariam Sacerdotem increpitus eo loco decedere cogeretur, atq; in iram exarsisset, lepra oppletus decessit. Quo morbo affectus, vita functus est, cùm regnasset annos duos & quinquaginta.

4.Reg.15. 2.Par.26.

Regnum inde Ioathæ filio datum: ísque admodum sanctus fuisse traditur, prosperéque imperium administrauit: gentem Ammonitarum bello victam, stipendium D præstare coëgit: regnauit autem annis xvi. Eidémque Achaz filius successit.

4.Reg.15. 2.Par.28.

Celebris circa hæc tempora Niniuitarum fides traditur. Id oppidũ olim ab Assur, Sem filio conditum, caput regni Assyriorum fuit: frequens tum incolentiũ multitudine, alios virorũ millia c. & xx. atque, vt in magno populo, abundans vitiis.

4.Reg 16.

Queis Deus motus, Ionam Prophetam ex Iudæa ire præcepit, ac denuntiare vrbi excidium, sicut olim Sodoma & Gomorrha diuinis ignibus cõflagrassent.

Ion.1.

Verùm Propheta prædicationis istius ministerium detrectans, non contumacia, sed præscientia, qua videbat Dominum pœnitentia populi placandum, nauim, quæ longè diuersa regione Tharsos petebat, conscendit. Sed vbi in altũ processum, nautæ sæuitia maris compulsi, quisnã esset mali caussa, sorte explorauẽre. Cùm super Ionã sors decidisset, tan- E quã piaculũ tẽpestatis in profundum proiectus est: exceptúsq; à ceto, marino mõstro, ac deuoratus, post triduũ ferè Niniuitarũ littoribus eiectus, iussa prædicat, vrbem scilicet ob peccata populi triduò peiturã.

Ion.3. Ionas Niniuitas conuertit.

Igitur nõ dissimulanter, vt olim Sodomis, audita est vox Prophetæ: ac statim iussu Regis, exẽplóq;, populus vniuersus, non & recens nati, cibo potúque abstinere iubentur: iumẽtis itidem & diuersi generis animalia cõpulsa fame ac siti, lamentantium speciẽ cum hominibus præbebant. Ita imminens malum auersum. Ionæ apud Deum conquerẽti, quòd fides dictis nõ affuisset: responsum, pœnitentibus

Ion.4.

§ *Deprauatis vsus videtur exemplaribus S. Seuerus: nam Amasiam 29. annos regnasse, disertè habetur expressum 4. Reg.14.v.2. in Latinis, Hebraicis, & Græcis 70. Codicibus.*

veniam negari non posse. At in Samaria Zachariam re- A
gem admodum impium, quem superiùs regnasse me-
morauimus, Sella quidam interemit, regnúmq; occupa-
uit: idémque Manæ insidiis, exemplo facti sui perit. Ma-
na ereptum Sellæ imperium tenuit, filióque Pache reli-
4.Reg.15. quit. Eundem verò, Pache quidam eiusdem nominis in-
teremit, regnúmque occupauit. Mox ab Osee perem-
ptus, eodem scelere quo assumpserat, imperium amisit.
Hic vltra omnes reges superiores impius, pœnam sibi,
perpetuámque genti captiuitatem à Deo meruit. Nam-
que ei Salmanassar Rex Assyriorum intulit bellum, vi-
ctúmque tributarium sibi effecit. Sed cùm occultis con-
siliis rebellionem pararet, regémque Æthiopum, qui
tum Ægyptum obtinebat, in auxilium accerseret, idque
Salmanassar comperisset, perpetuis eum vinculis in car-
cerem coniecit, vrbémque excidit populum vniuersum B
in regnum suum abduxit, Assyriis in hostili solo ad cu-
stodiam positis: exinde ea pars Samaria appellata, quòd
lingua Assyriorum custodes Samaritas vocant, ex qui-
4.Reg.16. bus plerique diuinas cæremonias receperunt, reliquis in
errore gentilitatis perseuerantibus. Hoc bello Thobias
in captiuitatem ductus est. At in parte duarum tribuum
Rex Achas ob impietatem inuisus Deo, cùm finitimo-
rum bellis sæpe premeretur, deos gentium colere decre-
uit, nimirum quia eorum illæ auxilio victores frequen-
tibus præliis extitissent. Ita in hoc nefariæ mentis pia-
culo diem functus est, cùm xvi. annis in regno fuisset.
Ezechias Rex. Huic Ezechias filius successit, multum paterni dissimilis
ingenij. Namque initio regni, populum Sacerdotésque
4.Reg.18. ad Dei cultum cohortatus, multis disseruit, vt si frequen-
2.Par.29. ter castigati à Domino, sæpiùs essent misericordiam C
consecuti: vt postremum decem tribus, in captiuitatem
nuper abductæ, sacrilegij pœnas dissoluerent: curandum
eis sedulò, ne eadem pati mereantur. Ita conuersis ad re-
4.Reg.18. ligionem omnium animis, Leuitas Sacerdotésque om-
nes ad celebranda secundùm legem sacrificia ordinauit.
celebraríque Pascha instituit, quod iam pridem fuerat
2.Par.30. omissum. Cúmque dies festus adesset, dimissis per om-
nem terram nuntiis, conuentûs diem edixit: vt si quis
post abductionem decem tribuum in Samaria resedis-
sent, ad solenne sacrum conuenirent. Ita frequentissimo
conuentu dies facer publica lætitia exactus, longo pòst
interuallo religione legitima per Ezechiam restituta. Pa-
ri deinde industria, quà diuina curauerat, rem bellicam
2.Par.32. administrauit, Allophilósque frequentibus præliis con- D
tudit: donec ei Sennacherib Rex Assyriorum bellum in-
Esa.36. tulit, magno cum exercitu fines eius ingressus, latéque
agris vastatis, nullo obsistente, vrbis obsidionem vrge-
bat. Ezechias enim multitudine inferior, non ausus ma-
num conserere, muris se tuebatur. Rex Assyrius portis
assultans, minitari excidium, deditionem imperare, Eze-
chiam frustra Deo confidere, se Dei nutu potiùs arma
suppressisse: victorem omnium gentium, euersorem Sa-
mariæ, effugi non posse, ni matura deditione sibimet
Esa.37. consuluissent. In hoc rerum statu Ezechias Deo fretus
Esaiam Prophetam consulit: eiúsque responso edoce-
tur, nihil ex hoste periculi fore, diuinum autem auxi-
lium non defuturum. Nec multo pòst Tirhaca Rex
Æthiopum regnum Assyriorum inuadit. Quo nuntio E
Sennacherib ad sua tuenda conuersus, fremens & clami-
tans, victori sibi victoriam eripi, bellum omisit: missis
ad Ezechiam litteris, cum verborum contumeliis de-
nuntians, se paulo pòst rebus domi compositis ad exci-
dium Iudææ maturè rediturum. Sed nihil his Ezechias
Sennacherib ab Angelo cæsus. motus, orasse Dominum traditur, ne hanc tantam ho-
minis insolentiam inultam sineret. Ita eadem nocte An-
gelus castra Assyriorum aggressus, multa hominum mil-
lia letho dedit, Rex trepidus in oppidum Niniuen con-
fugit, ibique à filiis interfectus, dignum se exitum tulit.
Per idem tempus Ezechias, æger corpore, morbo incu-
Esaias. buerat. Cúmque Esaias ei verbum Domini annuntiasset,
4.Reg.20. vitæ eius finem adesse: flesse rex traditur, ita xv. annos
Esa.38. prorogari sibi ad vitam meruit. Quibus peractis, nono
A & vicesimo imperij anno decessit: regnum Manassæ fi-
lio reliquit. Is a patre multum degenerans, relicto Do-
mino, culturas impias exercuit: ob quod in potestatem
Assyriorum traditus, malo coactus agnouit errorem:
populúmque adhortatus est, vt relictis idolis Domi-
num colerent. Nihil sanè dignum memoria gessit, re-
gnauit autem annos v. & l. Amon deinde filius eius re- 4.Reg.21.
gnum adeptus est, nec vltra biennium eo potitus est: pa-
ternæ impietatis hæres, Domini negligens, suorum in-
sidiis circumuentus, perit. Ad Iosiam filium imperium
deuolutum. Is admodum religiosus fuisse traditur, 4.Reg.22. Iosias Rex.
summâque curà, diuina administrasse, Helchia Sacerdo-
te vsus bene. Is cùm in Templo librum verbi Dei scri- 4.Reg.23.
ptum, repertum à sacerdote legisset, quo continebatur,
Hebræam gentem ob crebras impietates & sacrilegia
B delendam, piis ad Deum precibus fletúque iugi immi-
nentem cladem auertit. Quod vbi indultum sibi per Ol-
dam prophetissam comperit, nihilo certa, vtpote obli-
gatus diuinis beneficiis, cultum Dei exercuit. Igitur va-
sa omnia, anteriorum regum superstitionibus Idolis
consecrata, cremauit. Namque eò profani ritus inua-
luerant, vt Soli ac Lunę diuinos honores darent, eadém-
que etiam ex metallis sacraria ædificarent. Quibus Io-
sias in puluerem redactis, Sacerdotes quoque profana-
rum ædium interfecit. Sed ne sepulchris quidem im-
piorum pepercit: quod olim prædictum à Propheta im-
pletum animaduersum est. Huius octauo & decimo im-
perij anno Pascha celebratum. Post triennium ferè, ad-
uersus Nechao regem Ægypti, qui bellum Assyriis infe-
rebat, in prælium egressus, priusquàm inter se acies con-
C currerent, sagitta ictus est. Exque eo vulnere in vrbem Ibidem.
relatus decessit, cùm regnasset annos i. & xx. Ioachas
infidelius eius regnum adeptus, tribus mensibus te-
nuit, captiuitati ob impietatem destinatus; namque eum
Nechao Rex Ægypti vinctum, captúmque abduxit. Nec Ibidem.
multò pòst in vinculis diem functus est. Iudæis stipen-
dium annuum imperatum. Rex eis Eliachim arbitrio vi-
ctoris datus, qui postea immutato nomine Ioachim vo- 4.Reg.24.
citatus est. Hic Ioachæ, fratris Iosiæ filius fuit, fratri
quàm patri propior, sacrilegio inuisus Deo. Igitur cùm
Regi Ægyptio pareret, quippe cui tributum penderet:
Nabuchodonosor Rex Babylonius Iudæam terram oc-
cupauit armis, & per triennium iure belli victor posse-
dit, etenim cedente iam Rege Ægypti, determinatisque
D inter eos imperij finibus, conuenerat Iudæos ad Baby-
lonem pertinere. Ita cùm Ioachim exactis in Regno an-
nis vndecim, filio eiusdem nominis locum fecisset, iisque
Regis Babylonij in se iram concitasset, Deo nimirum
agente, cui constitutum erat Iudæam gentem captiuita-
ti & internecioni dare. Nabuchodonosor Hierosoly- Hierosolyma ac templum vastatum.
mam cum exercitu ingressus, vrbem murósque ac Tem-
plum solo strauit: auri immensum modum & sacra or-
namenta vel publica, vel priuata, puberésque omnes vi-
rilis ac muliebris sexus transtulit: relictis, quorum im-
becillitas aut ætas fastidio victoribus fuit, quæ turba in-
utilis seruitio, exercendis colendísque agris, ne incul-
tum esset solum, deputata. Eisdémque Rex Sedechias 4.Reg.25.
præpositus, ademptis viribus, inani tantùm vmbra re-
E gij nominis concessa. Sed Ioachas tribus mensibus tem-
pus imperij habuit. Is cum populo Babyloniam transla-
tus, & in carcerem coniectus est: tricesimum post an-
num emissus, atque à Rege in amicitiam receptus, men-
sáque & consiliis participatus, non sine solatio depulsæ
calamitatis decessit. Interea Sedechias Rex turbæ inuti-
lis, quanquam sine viribus, infido ingenio, & Dei imme-
mor, qui non intelligeret captiuitatem ob delicta gentis
illatam: postremis denique malis dedituς, Regis ani-
mum offendit. Ita ei post nouem annos Nabuchodono- Hier.39.
sor bellum intulit; compulsúmque intra muros cõfuge- Hier.52.
re, triennio obsedit. Qua tempestate Hieremiam Pro- Hieremias à suis afflictus.
phetam, qui iam sæpiùs imminere vrbi captiuitatem
pronuntiauerat, consulit, si quid spei forsitan superesset.
Sed ille, cœlestis iræ non ignarus, eadem sæpius interro-

gatus, respondit, ipsi Regi specialem pœnam denuntians. Tùm verò Sedechias in iram excitatus, trudi Prophetam in carcerem iubet: móxque eum crudelis facti piguit. Sed obsistentibus Iudæorum principibus, quibus iam inde à principio moris fuerat bonos premere, absoluere innocentem non est ausus. Iisdem cogentibus, in lacum immensi profundi, cœnóque ac sordibus, atque ex eo exitiabili fœtore horridum, demissus est, vt ne simplici quidem morte expiraret. Sed rex, licet impius, aliquanto tamen Sacerdotibus mitior, educi Prophetam de lacu, & carceris custodiæ reddi iubet. Interea obsessos vis hostium & penuria vrgebat: consumptísque omnibus quæ mandi poterant, fames inualuerat. Ita defessis media defensoribus, oppidum captum, incensúmque, Rex, vt Propheta dixerat, effossis oculis, Babyloniam translatus: Hieremias misericordia hostili carcere exemptus. Cùm eum Nabuzardan princeps Regius captiuum cum cæteris duceret, delata sibi optione ab eo, verùm in solo patrio deserto, desolatóque subsistere, an secum abire in summis honoribus vellet, residere in patria maluit. Nabuchodonosor abducto populo, residuis quos belli conditio, vel prædæ fastidium relinqui à victoribus fecerat, Godoliam eiusdem gentis præposuit, absque vllo insigni regio, aut imperij nomine: quia præesse paucis & calamitosis, nulla dignitas erat.

4. Reg. 25. 2. Par. 36.

Captiuitas Babylonica.

S. SEVERI SVLPITII, BITVRICENSIS ARCHIEPISC. SACRAE HISTORIAE; LIB. II.

Captiuitatis tempora Prophetarum vaticiniis atque actibus illustrata sunt. Maximè itaque Danielis egregiam ad conseruandam legem, perseuerantiam, & in absolutione Susannæ diuinum consilium, cæteráque ab eo gesta ordine persequemor. Hic sub Rege Ioachim captus deductusque Babyloniam, paruus admodum puer: postea ob elegantiam vultus inter ministros regios assumptus, vnàque cum eo Ananias, Misaël, & Azarias. Sed cùm eos Rex delicatioribus cibis curari præcepisset, idque Asphanæ eunucho negotij dedisset, Daniel paternarum traditionum memor, ne ex mensa Regis Gentilium cibis participaret, poposcit ab Eunucho, vt leguminibus tantùm vteretur. Caussante Asphane, ne dissimulatum imperium Regis, consecutura macies proderet: Daniel Domino fretus, pollicetur maioris decoris sibi vultus ex leguminibus, quàm ex cibis regiis fore. Fidésque dictis affuit, ita vt nimimè eorum vultus comparabiles haberentur, qui imperialibus impendiis procurabantur. Igitur à Rege in honore & gratia adhibiti, prudentia & disciplina, breui omnibus Regiis proximis antelati. Per dierum tempus Susanna quædam Ioachim nupta, spectatæ fœminæ pulchritudinis, à duobus Presbyteris appetita, cùm impudicis non acquieuisset falso crimine incessitur: iisdem Presbyteris deferentibus, in remotis locis adolescentem cum ea deprehensum, sed illum iuuenili alacritate, senum manus effugisse. Ita Presbyteris fides habita, iudicio populi Susanna damnatur. Quæ cùm secundum legem ad supplicium duceretur, Daniel tum annos natus xii. increpitis Iudæis, quòd innocentem morti dedissent, reducere eam in iudicium, caussámque denuò audiri postulat. Enimuerò multitudo Iudæorum, quæ tum aderat, non sine Domino, existimans puerum contemptæ ætatulæ in hanc constantiam prorupisse, fauente accommodato, in concilium reuertitur. Initur denuò iudicium: Danieli, vt inter maiores natu resideret, delatum. Igitur separari accusatores iubet: vnúmque ex eis interrogat, sub cuius generis arbore adulteram deprehendisset: ex varietate responsi, falsitas deprehensa: Susanna absoluta: Presbyteri, qui innocenti periculum creauerant, capite damnati. Ea tempestate Nabuchodonosor somnium vidit, mysterio futurorum mirabile. Cuius interpretationem, cùm per se non posset euoluere, accitis ad interpretandum Chaldæis, qui magicis artibus, extísque hostiarum scire occulta, & futura præcinere videbantur: mox veritus ne more hominum non vera, sed placita Regi ex somnio coniectarent, visa suppri-mit, poposcítque ab eis, vt si vera in his diuinatio esset, somnium ipsum sibi dicerent: tum demum interpretationi eorum crediturum, si prius enuntiando somnium, artis periculum fecissent. Illi verò tantam molem abnuentes, non esse id humanæ opis confitebantur. Rex motus, quòd falsa diuinandi professione homines erroribus illuderent, cùm astricti præsenti negotio nihil scire confiterentur: ita edicto Regis in eos animaduersum, palámque omnes huius artis interficiebantur. Quod vbi Danieli compertum, Regis proximum appellat: enuntiationem somnij, interpretationémque eius pollicetur. Res ad Regem defertur: Daniel accersitur, iam reuelato sibi per Dominum mysterio, visio Regis refertur, solutióque. Sed res postulant, vt Regis somnium, & interpretationem Prophetæ, & consequentium finem exponamus. Viderat Rex per soporem, imaginem capite aureo, brachiísque argenteis, ventre & femoribus æreis, cruribus ferreis, quæ in pedes partim ferreos, partim fictiles desinebat. Sed ferrum atque testa inter confusum coïre non poterat, ad extremum, imaginem lapis sine manibus abscisus proterebat: redactáque omnia in puluerem, vento ablata. Igitur secundum Prophetæ interpretationem imago visa, figuram mundi gerit. Caput aureum, Chaldæorum imperium est: siquidem id primum, & opulentissimum fuisse accepimus. Pectus & brachia argentea, secundum regnum annuntiant. Cyrus enim, victis Chaldæis atque Medis, imperium ad Persas contulit. In ventre æreo, tertium regnum portendi pronuntiatur, idque impletum videmus. Siquidem Alexander ereptum Persis imperium, Macedoniæ vindicauit. Crura ferrea, imperium quartum: idque Romanum intelligitur, omnibus antè regnis validissimum. Pedes verò partim ferrei, partim fictiles, diuidendum esse Romanum regnum, ita vt nunquam inter se coëat, præfigurant: quod æquè impletum est. Siquidem iam non ab vno imperatore, sed etiam à pluribus semperque inter se armis aut studiis dissentientibus, res Romana administratur. Denique commisceri testam atque ferrum nunquam inter se coëuntem materiam, commixtiones humani generis futuræ à se inuicem dissidentes, significantur. Siquidem Romanum solum ab exteris gentibus aut rebellibus occupatum, aut dedentibus semper pacis specie traditum constat: exercitibúsque nostris, vrbibus atque prouinciis permixtas barbaras nationes, & præcipuè Iudæos inter nos degere, nec tamen in mores nostros transire videamus. Atque hæc esse ut postrema tempora Prophetæ annuntiat. In lapide verò sine manibus absciso, qui aurum, argentum, & ferrum testámque comminuit, Christi figuram esse. Is enim non conditione humana editus (siquidem non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est) mundum istum, in quo sunt regna terrarum, in nihilum rediget, regnúmque aliud incorruptum atque perpetuum, id est, futurum seculum, quod sanctis paratum est, confirmabit. De quo vno adhuc quorundam fides in ambiguo est: Non credendum de futuris, cùm de præteritis conuincantur. Igitur Daniel multis à rege muneribus donatur, præfectus Babyloniæ, atque omni imperio, in summis honoribus habebatur. Eius suffragio Ananias, Azarias, & Misaël ad summam æquè dignitatem & potestatem prouecti. Eodem ferè tempore, præclara Ezechielis Prophetia extitit, reuelato ei futurorum & resurrectionis mysterio. Extat liber magni operis, & cum cura legendus. At in Iudæa, cui post excidium Hierosolymæ Godoliam præpositum, suprà memorauimus, ægrè ferentes Iudæi, principem sibi ex stirpe non regia, arbitrio victoris datum: Ismael quodam duce & concita-

Dan. 1.

Danielis continentia.

Dan. 13. Susanna à Daniele liberata.

Dan. 2.

Daniel Regis somnium interpretatur.

IV mundi imperia.

Ioan. 1.

Ezech. 1.

4. Reg. 25.

Seditio relictorum in Iudæa.

tore nefandæ coniurationis, dispositis, eum, in conuiuio insidiis, peremerunt. At hi qui extra noxam fuerant, vltum ire facinus cupientes, properè aduersùm Ismaël arma capiunt. Sed ille quia cognouit exitium sibi imminere, relicto exercitu quem contraxerat, non amplius quàm octo comitantibus, ad Ammonitas confugit. Igitur populum vniuersum metus peruaserat, ne paucorum scelus omnium exitio rex Babylonius vltum iret, nam præter Godoliam, multos ex Chaldæis cum eo interfecerant. Itaque consilium ineunt fugiendi in Ægyptum. Sed priùs Hieremiam frequentes adeunt, sciscitantes diuinum responsum. At ille verbis Dei vniuersos hortari, in solo patrio manerent: si id fecissent, Dei præsidio tuendos, nullúmque à Babyloniis periculum fore: sin Ægyptum peterent, omnes ibi ferro ac fame, diuersóque mortis genere perituros. Sed plebs assueto malo insolens parendi salubribus consiliis, & diuino imperio, profecta est in Ægyptum. Quid de ea postea actum, sacris litteris siletur: nobis nihil compertum.

Dan. 3.

Hoc tractu temporum Nabuchodonosor elatus rebus secundis, statuam sibi auream immensæ magnitudinis posuit, adorarique eam vt sacram effigiem præcepit. Quod cùm certatim ab omnibus, deprauatis adulatione omnium animis fieret, Ananias, Azarias & Misael profano officio abstinuerunt, non ignorantes honorem hunc soli Deo debitum. Igitur rei ex edicto regis constituuntur: propositáque eis conditio pœnarum, ardens caminus, vt præsenti metu adorare statuam cogerentur. Verùm illi deuorari ignibus, quàm piaculum committere, maluerunt. Itaque vincti pedibus, in medias flammas coniiciuntur. Sed ministros infandi operis, dum promptiùs damnatos in ignem propellunt, flamma absorbuit: Hebræos (mirum dictu & incredibile non visentibus) ignis non attigit, cùm aspectantibus deambulantes in camino psalmum Deo dicere cernerentur. Visúsque cum his inter ignem quartus specie Angeli, quem Nabuchodonosor propiùs intuitus, filium Dei se vidisse confessus est. Tum rex haud dubius, diuinam in re præsenti fuisse virtutem, missis per omne regnum suum edictis, facti miraculum promulgauit, confessus, soli Deo honorem deferendum.

Ananias cũ suis in caminum cõiectus.

Dan. 4.

Nec multo pòst, rex obiecto sibi somnio, mox voce etiam cœlo emissa admonitus, potestate regia abiecta, atque ab omni conuersatione humana remotus, herbis tantùm vitam sustinens, egisse pœnitentiam traditur, seruatum ei nutu Dei imperium, donec impleto tempore, agnito demùm Deo, post septem annos, & regno, & statui pristino restitutus est: Hic post defunctum, vt suprà diximus, Sedechiam, quem captiuum Babylonem transtulit, regnasse traditur annos vi. & xx. quanquam id non in Sacra historia scriptum inuenerim. Sed fortè accidit, vt, dum multa euoluerem, annotationem hanc interpolato per ætatem libello, sine auctoris nomine, reperirem, in quo regum Babyloniorum tempora continebantur: quam prætereundam non putaui, siquidem & Chronicis consentiret: & ita illius nobis ratio quadraret, vt per ordinem regum, quorum tempora continebat, vsque in primum Cyri regis annum, lxx. annos, (tot enim per Sacram historiam à captiuitate vsque ad Cyrum fuisse referuntur) impleret. Post Nabuchodonosor filius eius regnum est adeptus, quem in Chronicis Euilmerodach fuisse vocitatum reperi. Hic duodecimo imperij anno diem functus, fratri minori, qui Balthasar dictus est, locum fecit.

Dan. 5.

Is cùm quarto & decimo anno publicum epulum principibus ac præfectis suis daret, sacra vasa quæ per Nabuchodonosor de templo Hierosolymæ ablata, ac in regales vsus vsurpata, sed recondita in thesauris habebantur, proferri imperauit. Cùm his per luxum ac licentiam regalis conuiuij promiscuè omnis virilis ac muliebris sexus, vxores, concubinæque eius vterentur, subitò rex in pariete conspicit digitos scribentes: cernebantúrque inuersim ductæ literæ. Sed qui posset scripta legere, non reperiebatur. Igitur rex perterritus, magos & Chaldæos aduocat. Quibus mussitantibus, nec quidquam respondentibus, regina regem admonet, esse quendam Hebræum Daniel nomine, qui olim Nabuchodonosor occulti mysterij somnium reuelasset, iam tum ob illustrem sapientiam summis honoribus donatum.

Balthasar sacris vasis abutentis punitio.

Dan. 4.

Itaque accitus Daniel, perlegit, interpretatúsque, ob delictum regis, qui sacra Deo vasa temerasset, ipsi exitium imminere, regnumque eius Medis ac Persis datum, quod mox consecutum est, nam eadem nocte Balthasar interiit, regnumque eius Darius natione Medus occupauit: Danielem illustri opinione compertum, vniuerso imperio præposuit, secutus superiorum regum iudicium. Nam & Nabuchodonosor eum regno præfecerat, & Balthasar veste purpurea & torque aureo donatum, tertium regni principem constituerat.

Darius rex. Dan. 5. Hier. 50.

Igitur hi qui vnà cum eo rerum potentes erant, exagitati inuidia quòd eis alienigena captiuæ gentis fuisset æquatus, regem deprauatum adulatione compellunt, vt sibi diebus proximis triginta diuini honores darentur: neque cuiquam liceret Dominum, nisi regem precari. Facilè id Dario persuasum, stultitia regum animum, qui sibi diuina vindicant. Igitur Daniel non rudis, neque inscius, Deo preces, non homini deferendas, reus constituitur, edicto regis non paruisse. Multumque abnuente Dario, cui charus acceptusque semper fuerat, principes peruicere, vt in lacum demitteretur. Sed obiecto bestiis, nullũ periculum fuit. Quod cùm Rex comperisset, accusatores deputari leonibus præcepit: qui non simili exemplo perfuncti sunt; nam continuo deuorati, ferarum famem expleuerunt. Daniel clarus antè, clarior haberi cœpit. Rex antiquato edicto suo, nouum proposuit: relictis erroribus ac superstitionibus, Deum Danielis colendum.

Dan. 6. Daniel leonibus obiicitur.

Dan. 7. 8. 9. & 10.

Extant etiam visiones eius, quibus consequentium seculorum ordinem reuelauit: annorum etiam numerum complexus, intra quem Christum, sicut factum est, descensurum ad terras pronuntiauit, venturúmque Antichristum manifestè expuluit. Quod si quis studiosior erit, rectius ibi quæsitum reperiet: nobis propositum est, rerum tantùm ordinem contexere. Darius duodeuiginti annos regnasse traditur.

Cyrus rex.

Qua tempestate Astyages Medis imperabat. Hunc Cyrus ex filia nepos eius, regno expulit, Persarum vsus armis: vnde summa imperij ad Persas translata est. Babylonij quoque in potestatem ditionémque eius concessere. Igitur initio regni, propositis publicè edictis, dat potestatem Iudæis, in solum patrium redeundi: sacra etiam vasa quæ Nabuchodonosor de Templo Hierosolymæ abstulerat, reddidit.

Esdr. 1. 2.

Hier. 25.

Itaque pauci rum in Iudæam regressi: cæteris redeundi animus, an facultas defuerit, parum comperimus.

2 Par 30. Lib. 1. Æneid.

Erat ea tempestate apud Babylonios Beli antiquissimi regis, cuius etiam Virgilius meminit, ex ære simulachrum, quod superstitione hominum consecratum, Cyrus quoque adorare erat solitus, antistitum eius dolo illusus, qui vesci effigiem illam atque potare affirmabant: cùm diurnam penitarionem, quæ idolo inferebant, clàm ipsi absumerent. Igitur Cyrus cùm Daniele familiariter vteretur, quærit ab eo, cur simulachrum non adoraret, cùm manifestum viuentis Dei esset indicium, absumentis ea quæ inferebantur? Daniel ridens hominis errorem, negat id posse fieri, vt æs illud, id est, bruta materies, cibo vteretur, aut potu.

Beli idolũ Daniel comminuit.

Accersiri ergo Rex Sacerdotes iubet: nam ferè ad septuaginta erant; adhibitóque terrore eos increpitat, quis impensa consumeret: cùm Daniel, vir prudentia insignis, minimè id ab insensibili simulachro posse fieri contenderet. Tum illi confisi parato dolo, inferre, & obsignari à rege Templum deposcunt, vti, niti omnia postero die absumpta deprehenderentur, morte pœnas persoluerent: dum eadem conditio Danieli maneret. Itaque signo Regis Templum obsignatur, cùm priùs Daniel Sacerdotibus inscius, pauimentum cinere aspersisset, vt intrantium occultos aditus vestigia proderent. Igitur postero die Rex Templum ingressus, animaduertit absumpta, quæ idolo apponi iusserat. Tum Daniel occultam fraudem

vestigiis prodentibus reserat: Sacerdotes cum vxoribus & filiis, sub fosso foramine ingressos, ea quæ idolo apposita fuerant, deuorasse. Ita omnes iussu Regis interfecti, Templum ac simulachrum Danieli in potestatem datum, atque arbitrio eius diruturn. Interea Iudæi, quos [Esdr. 6. 2. Par. 36.] ex permissu Cyri in patriam regressos supra memorauimus, vrbem ac Templum restituere aggressi, vt pauci atque inopes, parum proficiebant: donec centesimo ferè anno, Artaxerxe Rege Persis imperitante, per eos qui locis præerant, ab ædificando sunt deterriti. Etenim tum Syria atque omnis Iudæa sub Persarum imperio per magistratus ac præsides regebatur. Igitur his consilium fuit, regi Artaxerxi scribere non oportere Iudæis restituendæ vrbis suæ copiam dari, ne pro contumaci ingenio, resumptis viribus, aliis gentibus imperare soliti, non paterentur sub alieno imperio degere. Ita comprobato, à Rege Præsidum consilio, prohibita vrbis [3. Esd. 6.] ædificatio, vsque in secundum Darij regis annum dilata est. Sed hoc tractu temporum qui reges Persis imperauerunt, inseremus, quo faciliùs annorum series in ordinem contexta prodatur. [Persarum reges.] Post Darium, Medum, quem duodeuiginti annos regnasse significauimus, Cyrus vno & triginta annis rerum potitus est Scythis bellum inferens, in prælio occidit: secundo anno postquam Tarquinius Superbus Romæ regnare cœperat, Cyro Cambyses filius eius successit, regnauitque annos nouem. Hic cùm Ægyptum atque Æthiopiam bello premeret & subegisset, victórque in Persas reuerteretur, casu seipsum vulnerauit, ex eoque ictu periit. Post huius mortem magi duo fratres, natione Medi, menses septem Persarum regnum obtinuerunt. Ad hos interficiendos septem nobilissimi Persæ coniurauerunt: quorum princeps fuit Darius Hystaspis filius, natus ex fratre patruële Cyri, omniumque consensu regnum ei delatum: regnauit annos sex & triginta. Hic ante quadriennium quam decederet, apud Marathonem pugnauit, celeberrimo Græcis Romanisque historiis prælio. Id gestum post Romam conditam anno ferè ducentesimo & sexagesimo, Macherino & Augurino consulibus abhinc annos, si tamen inuestigatio Romanorum Consulum non fefellit, o. ccc. lxxx. & viii. Omne enim tempus in Stiliconé consulē direxi. Post Darium Xerxes fuit, isque vno & viginti annis regnasse traditur: quanquam in plerisque exemplaribus viginti & quinque annos imperij eius fuisse reperi. Huic successit Artaxerxes, cuius supra mentionem fecimus. Hic cùm inhiberi ædificationem vrbis Iudææ, Templique iussisset, suspensum opus vsque in secundum Darij regis annum pependit. Sed vt vsque ad eum temporum ordo connexus sit, Artaxerxes regnauit annos vnum & quadraginta, Xerxes duobus mensibus. Pòstque eum Sucdianus septem mensibus fuit. Darius deinde, sub quo Templum est restitutum, regnum adeptus est, cui Ochus tum nomen erat. Hic cùm ex Hebræis tres adolescentes spectatæ fidei, corporis custodes haberet, vnúsque ex his prudentiæ documento admirationem regis in se conuertisset, delata sibi optione petendi si quid animo concepisset, ingemiscens patriæ suinas, copiam restituendæ vrbis poposcit; meruítque à rege, vt sub regulis ac præsidibus imperaret, vt ædificationem sacræ ædis præbitis impēdiis maturarent. Ita [Restauratio Templi Hierosol.] Templum quadriennio consummatum, sexto pòst annum, quàm Darius regnare cœperat: idque Iudæis satis visum; & quia magnæ molis erat vrbem restituere, diffisi viribus, opus multi laboris incipere non ausi, Templo continebantur. Per idem tempus Esdras Scriba Legis post viginti ferè annos quàm templum fuerat consum- [Esdras.] matum, defuncto iam Dario, qui vnum de viginti annis rerum fuerat potitus, permissu Artaxerxis secundi, non illius qui inter duos Xerxes fuit, sed huius qui Dario Ocho successerat, Babylonia profectus, multique cum secum, Hierosolymam peruenere. Vasa quoque diuersi operis, & dona, quæ rex templo Dei miserat, cum duo- [Lex restituta Iudæis.] decim Leuitis. Vix enim hic numerus ex illa tribu repertus traditur. Is cùm deprehendisset Iudæos gentilium connubiis permistos, multis increpitos, renuntiare istiusmodi matrimoniis, ac filios ex his susceptos extrudi iubet, omnésque dicto paruēre. Purgatus populus veteris legis ritum agebat. Cæterùm Esdram nihil super [1 Esdr. 9.] reficienda vrbe egisse comperio: credo potiorem curam ratus, plebem corruptis moribus reformare. Erat [2. Esdr. 1.] ea tempestate apud Babyloniam Nehemias, minister regius, gente Iudæus, Artaxerxi merito obsequiorum charissimus. Is Iudæos percontatus, quis patriæ vrbis status esset, vbi comperit, in iisdem ruinis iacere patriam, totis sensibus conturbatus, cum gemitu multisque lacrymis orasse ad Deum traditur, delicta gentis suæ reputans misericordiámque diuinam efflagitans. Igitur cùm [Nehemias vrbē Hier. munit.] eum rex inter epulas mœstum extra solitum animaduertisset, poposcit ab eo, caussam dolorum vt exponeret. Tum ille aduersa gentis suæ, & ruinam ciuitatis deflere, quæ iam per annos ferè ducentos & quinquaginta solo strata, malorum testimonium, spectaculum inimicis præberet: daret sibi eundi, & restituendæ eius potestatē. Paruit Rex piis precibus: statímque eum cum præsidio [2. Esdr. 2.] equitum, quo tutius iter ageret, dimisit: datis ad prætores epistolis, vt necessaria præberent. Is cùm Hierosolymam peruenisset, viritim populos opus vrbis distri- [2. Esdr. 3.] buit, & certatim iussa omnes exequebant: iámque ad medium machinæ processerant, cùm flagrante inuidia gentium, vicinæ vrbes conspirant opera interrumpere, & Iudæos ab ædificando deterrere. Sed Nehemias disposi- [2. Esdr. 4. & 6.] tis aduersum incursantes præsidiis, nihil territus, cœpta explicuit: consummatóque, & valuis portarum perfectis, per familias construendis interiùs domibus vrbem dimensus est. Censuitque populum minimè vrbi parem. Neque enim amplius quàm ad quinquaginta millia promiscui sexus atque ordinis reperta. Tantum ex illo quondam immani numero frequentibus bellis absumptum, aut captiuitate detentum. Nam olim hæ duæ tribus, quarum hoc residuum fuit, cùm ab his decem tribus separatæ sunt, ccc. & xx. millia virorum armauerant. Adeò ob peccatum internecioni & captiuitati datæ, ad hanc vsque paucitatem deuenerant. Sed hæc, vt dixi, plebs duarum tribuum fuit: decem verò priùs ductæ, per Parthos, Medos, Indos, atque Æthiopes dispersæ, nunquam in solum patrium sunt regressæ: hodiéque barbararum gentium imperiis continentur. Sed consummatio restitutæ vrbis, xxx. & ii. imperij Artaxerxis anno refertur. A quo tempore vsque ad Christi crucem, id est, Fusium Geminium & Rebellium Consules, anni ccxc. & viii. Cæterùm, à restitutione Templi vsque in euersionem quæ sub Vespasiano consule Augusto, per Titum Cæsarem consummata est, anni cccc. lxxa. & iii. Prædictum id olim est à Daniele, qui ab instaura- [Dan. 9.] tione templi vsque in euersionē lx. & ix. hebdomadas futuras pronuntiauerat. A die autem captiuitatis Iudæorum, vsque in tempus restitutæ ciuitatis, fuerunt anni ccLx. Hoc temporum tractu, Hester atque Iudith fuisse arbitramur. Quarum quidem actus, quibus potissimùm regibus connectam, non facilè perspexerim. Nam cùm Hester sub Artaxerxe rege referatur, (porrò duos huius nominis Persarum reges fuisse reperi) multa cunctatio est, cuius hæc temporibus applicetur. Mihi tamen visum est, huic Artaxerxi, sub quo Hierosolyma est restituta, Hester historiam connectere, quæ antè non fuit verisimilis: nam si sub priore Artaxerxe fuisset, qui ea tempora complexus est, nonnullam tam illustris fœminæ mentionem retulisset, maximè cùm ab illo Artaxerxe inhibitam Templi ædificationem, sicut suprà memorauimus, constet: neque Hester pastura fuerit tum, si in illius matrimonio tum fuisset. Nunc gesta edisseram. Erat ea tempestate regi in matri- [Esther. 1.] monio Vastis quædam, miræ fœmina pulchritudinis. Cuius cùm formam omnibus prædicaret, die quodam cùm publicum conuiuium daba, adesse reginam demonstrandæ pulchritudinis gratia iubet. Illa verò stulto

rege consultior, pudens virorum oculis spectaculum corporis præbere, nulla abnuit. Qua contumelia barbarus animus permotus, vxorem matrimonio ac regia depellit. Igitur cùm in locum eius puella regis coniugio quæreretur, reperta est Hester cæteras specie vincere. Hæc Iudæa, ex tribu Beniamin, vtroque parente orba, à Mardochæo patruele fratre educta. Cùm ad regales nuptias duceretur, mandante educatore, genus ac patriam occultauit: admonita, ne paternarum traditionum immemor, & si in matrimonium alienigenæ captiua succederet, gentilium cibis participaret. Igitur inuecta regi, breui, vt fit, vi pulchritudinis totùm eius animum facilè cepit: adeò vt eam æquatam imperio, insigni regio, veste purpurea donaret. Qua tempestate Mardochæus inter proximos regis erat, pro virili portione negotiorum familiarium curator. Is compositas à duobus spadonibus regi insidias prodiderat: atque ex eo charior, summísque honoribus donatus. Erat ea tempestate regi Haman quidam perfamiliaris: quem æquatum sibi, adorari more regum præceperat. Id Mardochæus vnus ex omnibus facere fastidiens, odia Persæ in se grauiter accenderat. Igitur Haman ad perniciem Hebræi animum intendens, regem adiit: affirmátque, esse in regno eius hominum genus, prauis superstitionibus Deo, hominibúsque inuisum, externis legibus viuens, dignum exitio. Rectum esse, omnes huius gentis internecioni dare: exque eorum bonis immensas opes pollicetur. Facilè id barbaro persuasum. Edictum emittitur, Iudæos necandos. Missique continuò, qui per omne regnum ab India vsque Æthiopiam edictum promulgarent. Id vbi Mardochæo compertum, conscissis vestibus sacco obuolutus: conspersúsque cinere pergit ad reginam, ibique eiulatu multo, cuncta questibus replet: Facinus indignum, immeritam gentem perire, neque vllam pereundi caussam dari. Hester lamentantis voce excitata rem, vt erat, cognoscit. Tum verò anceps consilij, quia adeundi regem potestas non erat (etenim more Persarum, reginæ introire ad regem, nisi accersitæ, non licet: nec tamen, cùm fuerit regi libitum, sed statuto tempore admittitur) & fortè tum ita euenerat, vt diebus triginta proximis separata à conspectu regis Hester haberetur: igitur audendum aliquid pro ciuibus rata, etsi certa pestis adesset, pulchro in negotio occumbere parat: inuocato prius Domino, aulam regis ingreditur. At barbarus re insolita perculsus, paulatim blandimento muliebri delinitus: postremò ad cœnam regina perducitur, vnáque cum illo Haman ille regi charus, & Iudææ gentis infestus. Igitur cum iam post epulas multis poculis conuiuium calere cœpisset, Hester genibus regis aduoluitur, gentis suæ perniciem deprecatur. Rex verò nihil se petenti, siquid vltrà peteret, negaturum pollicetur. Tum Hester arrepto tempore, Haman mortem flagitat, in vltionem gentis, quam perditam cupierat. Sed rex amici memor, paulisper cunctatur, deliberandique gratia modicum secessit. Deinde regressus, vidit Haman reginæ genua complexum: succensus ira, & appetitam reginam clamitans, morte eum affici iubet. Et tum regi compertum erat, pœnam crucis per Haman Mardochæo paratam. Ita Haman eidem cruci affigitur, omniáque bona tios Mardochæo data, Iudæíque sunt absoluti. Artaxerxes regnauit annos duos, & sexaginta, eidémque Ochus successit. Huic rerum ordini rectè Iudith actus confertam; traditur enim, post captiuitatem fuisse; sed quis eo tempore Persis regnauerit, historia diuina non edidit; regem tamen, sub quo illa gesta sint, Nabuchodonosor nuncupat, non vtique eum qui Hierosolymam ceperit. Sed nullum hoc nomine post captiuitatem apud Persas regnasse reperio, nisi si ob impatientiam & pariles conatus qui eum ille rex Nabuchodonosor à Iudæis vocitatus est. Plerique tamen Cambysen, Cyri regis filium, putant esse: quod victor Ægyptum atque Æthiopiam penetrauerit. Sed huic opinioni eadem Sacra historia re- [illegible] duodecimo regis illius anno Iudith fuisse

Esther. 2. Esther & Mardochæus.

Esther. 3.

Esther. 4.

Esther. 5.

Esther. 7.

Haman sua è cruce suspenditur.

Esther. 8.

A signatur. Porrò, Cambyses non vltra nouem annos rerum potitus est. Vnde, si in historia opinari licet, sub Ocho rege, qui post Artaxerxem secundus fuit, hæc gesta crediderim: idque vel ex hoc coniicio, quòd idem Ochus (vt in secularibus quibusdam scriptis legi) natura immitis, cupidúsque bellorum traditur. Nam & arma finitimis intulit, & Ægyptum, quæ ante multos annos desciuerat, bello recuperauit. Quo tempore etiam sacra eorum, & Apim in Deum receptum, irrisisse traditur: quòd postea Baguas, spado eius, natione Ægyptius, indignatus, contumeliam gentis morte regis vltus est. Meminit autem huius Baguæ historia diuina; nam cùm Holofernes, iussu regis aduersus Iudæos duxerat exercitum, Baguam in iisdem castris fuisse memorauit. Vnde non immeritò in argumentum nostræ opinionis adduxerim, vt rex ille Nabuchodonosor nuncupatus, Ochus fuerit, B sub quo Baguam fuisse mundiales historici prodiderût. Ceterùm illud nemini mirum esse oportebit, quòd scriptores secularium litterarum, nihil ex his quæ sacris voluminibus scripta sunt, attigerunt: Dei Spiritu præualente, vt intaminata ab ore corrupto, & falsis vera miscente, intra sua tantùm mysteria contineretur historia, quæ separata à mundi negotiis, & sacris tantùm vocibus proferenda, permisceri cum aliis velut æquali sorte non debuit. Etenim erat indignissimum, vt alia agentibus, aut alia quærentibus, hæc quoque cum reliquis miscerentur. Sed pergam ad cætera, ac per Iudith gesta, vt potero, paucis absoluam. Igitur reuersis, vt supra memorauimus, in solum patrium Iudæis, necdum composito rerum aut vrbis statu, Rex Persarum Medis bellum C infert, atque aduersus regem eorum Arphaxat nomine, acie confligit, secundo euentu, perempto rege, gentem imperio adiungit. Idem reliquis nationibus facit, præmisso Holoferne, quem principem militiæ delegerat, cum millibus peditum centum & viginti, equitum duodecim. Is Cilicia & Arabia bello vastatis multas vrbes aut vi capit, aut metu in deditionem compellit. Iámque Damascum admotus exercitus, magno Iudæos terrore perculerat. Sed impares ad resistendum, neque ad deditionem acquiescentibus animis, expertis quippe vsque antè captiuitatis mala, ad templum frequentes concurrunt. Ibi communi gemitu, permistóque vlulatu, diuinum auxilium implorant: satis se Domino ob peccata vel crimina dedisse pœnarum: reliquis saltem seruitio D nuper exemptis, parceret. Interea Holofernes Moabitis in deditionem acceptis, atq; aduersum Iudæos in societatem belli assumptis, cùm ab eorum principibus inquireret, quibusnam viribus freti Hebræi, deditioni animos non dedissent: Accitor quidam comperta edisserit, Iudæos Dei cultores, pio à patribus ritu institutos, olim in Ægypto pependisse seruitium: inde diuino munere eductos, ac siccatum mare pedibus emensos; postremò, omnibus gentibus deuictis, habitatas à maioribus terras recepisse. Exin, vario rerum statu floruisse: aut concidisse, atque iterum malis emersisse: secundum merita, iratum aut placatum Deum vicissitudine expertos, dum peccantes incursionibus hostium aut captiuitatibus coercentur, propitio numine semper inuicti. Cæterum, si præsenti tempore absque peccato sint, nullo modo eos E posse superari: sin aliter se habeant, facilè vincendos. Ad hæc Holofernes ferox multis victoriis, nihil sibi inuictum ratus, ita accensus, cui ex peccato potissimum Iudæorum pendere illius victoria putaretur, propelli Accitor in castra Hebræorum iubet, vt cum his periret, quo vinci non posse affirmauerat. At tum Iudæi montes perijuerant. Ita quibus id negotij datum, ima montium successere, ibique vinctum Accitor reliquerunt. Quod vbi Iudæi animaduerterunt, exemptum vinculis in collem perducunt. Caussas rei quærentibus, gesta exponit, receptúsque parem exitum operiebatur. Is post victoriam circumcisus, Iudæus factus est. Igitur Holofernes difficultate locorum comperta, quia adiri præcelsa non poterant montes militibus circumdat, & sum-

Niceph. in Chronol.

Iudith. 2.

Iudith. 1. Ochus rex Pers.

Iudith. 2.

Iudith 3.

Achioris de Iudæis testimonium. Iudith. 6.

Iudith. 6.

Alias Achior.

ma cura Hebræos aquationibus prohibet: eóque maturiùs obsidionem sensêre. Itaque victi penuria aquæ, ad Oziam principem concurrunt, proni omnes ad deditionem. Ille vero opperiendum paulisper, & diuinum auxilium expectandum, respondens: decimoquinto die deditionis tempus constituit. *Iudith 4.* Quod vbi Iudith compertum, quæ viro vidua, prædiues opibus insignis specie, sed moribus quam vultu illustrior, tum in castris erat, arctis suorum rebus etiam certo sibi exitio audendum aliquid & tentandum rata, caput comit, vultu expolitur, comite ancilla castra hostium ingreditur. Statimque ad Holofernem deducta, perditas res suorum memorat, se transfugio vitæ consuluisse. Deinde à duce poscit liberũ extra castra nocturno tempore egressum, orandi gratia. mandatum id vigilibus, portarúmque custodibus. Sed vbi per triduum egrediẽdi ac redeundi consuetudinem sibi, barbaris fidem fecit, Holofernem cupido incessit, dediticiæ corpore abuti. Etenim forma excellenti, Persam facilè permouerat. Ita ad ducis tentorium per Baguam eunuchum deducunt, initióque conuiuij barbarus multo se vino obruit. *Holofern. à Iudith capite diminuitur.* Tum remotis ministris, priusquàm vim mulieri inferret, somno captus est. Iudith tempore arrepto, caput hostis desecat, *Iudit. 13. 14.* secúmque aufert. Et cùm secundùm consuetudinem castris egredi crederetur, incolumis ad suos regressa est. Postero die Hebræi, caput Holofernis de superioribus ostentantes, eruptione facta, ad castra hostium pergunt. Tum verò barbari signum pugnæ poscentes, tabernaculum ducis frequentes assistunt. Vbi truncum corpus repertum, fœda formidine in fugam versi, *Iudit. 15. 16.* terga hostibus præbuerunt. Iudæi fugientes persecuti, cæsísque multis millibus, castris ac præda potiti. Iudith, summis laudibus celebrata, centum & quinque annos vixisse traditur. Hæc, Ocho rege, vt opinamur, gesta sunt, anno imperij eius duodecimo. A tempore Hierosolymæ restitutæ, vsque in id bellum, fuerunt anni duo & viginti. Ceterũ Ochus viginti & tres annos regnauit. Fuit autẽ vltra omnes cruêtus, & plusquàm barbaro animo. Hũc Bagua spado ægrotantem veneno sustulit. Post eũ Artaxerxes, filius eius, triennio imperium tenuit; Darius annos quatuor. Aduersum hunc Alexander Macedo *Alexander Magnus.* acie conflixit. Eo victo. Persis imperium ademptum: quod ab initio Cyri steterat annos ducentos & quinquaginta. Alexander victor ferè omnium gentium, adiisse Hierosolymæ templum dicitur, ac dona intulisse: edixitque per omne imperium, quod sui iuris effecerat, vt Iudæis ibidem degentibus liberum esset in patriam reuerti. Exacto duodecimo imperij anno, septimo posteaquàm Darium deuicerat, apud Babyloniam defunctus est. *Hieron. in Dan. 11. Vide item Berosum,* Regnum amici eius, qui simul cum illo maxima illa bella gesserant, partiti sunt. Inde aliquanto tempore sine vsurpatione regali susceptas partes procurauerunt Arrideo, quondam Philippo Alexandri fratre regnante, cui per umbratilo verbo datum imperium videbatur: res autem penes eos erat, qui sibi exercitum & prouincias distribuerant. Nec verò hic rerum status diu mansit, omnésque se reges appellari maluerunt. Primus in Syria post Alexandrum Seleucus Rex fuit, subiecta eidem Perside ac Babylone. Qua tempestate Iudæi annuum *Seleuco Iudæi stipendium pendunt.* stipendium trecenta argenti talenta regi dabant: nec tamen per externos magistratus, sed per Sacerdotes suos regebantur, patrióque ritu viuebant. Donec plerique eorum longa rursum pace corrupti, miscere omnia seditionibus, & turbare cœperunt, affectantes summum sacerdotium libidine, auaritia, & dominandi cupidine. Namque primùm sub rege Seleuco, Antiochi magni *Onias sacerdos.* filio Oniam sacerdotem, virum sanctũ atque integrum, Simon quidam falsis apud regem criminibus insimulatum, exquirere nequiuerat. Interiecto deinde tempore, Iason frater Oniæ, Antiochum regem, qui Seleuco fratri successerat, adit, augmentum stipendij pollicens, si sibi summum sacerdotium traderetur. Et quanquam insolitum, neque antè permissum cuiquam erat per pe-

A tuo sacerdotio perfungi: solicitus tamen regis animus, atque æger auaritia, facilè superatus est. Ita depulso Onia, Iasoni sacerdotium est mandatum. Is fœdè admodum ciues, patriámque lacerauit. Dein cùm per *Sacerdotiũ venale.* Menelaum quendam, Simonis illius fratrem, promissam regi pecuniam misisset, patefacta semel ambitioni via, iisdem artibus quibus Iason prius, Menelaus quoque sacerdotium obtinuerat. Nec multo pòst, cum is promissum argenti modum non reddidisset, loco pellitur: Lysimachus substituitur. Inde inter Iasonem & Menelaum fœda fuere certamina, donec Iason profugus patria excessit. His initus corruptis moribus, eò vsque processum, vt plerique populorum ab Antiocho poscerent, permitti sibi more gentium viuere. Quod cùm rex petentibus annuisset, certatim pessimus quisque delubra extruere, idolis supplicare, legem profanare ocB cœperat. Interea Antiochus rediens ab Alexandria (namque tum bellum regi Ægyptio intulerat, quod iussu senatus & populi Romani deposuit, Paulo & Crasso consulib.) Hierosolymam adiit, cùm discordantem superstitionibus susceptis populum reperisset, legem Dei destruens: & his fauens, qui impia sequebantur, omnia templi ornamenta detraxit, ac multa cæde vastauit. Id gestum ab excessu Alexandri anno centesimo vno & quinquagesimo, Paulo, vt diximus, Crassóque consulibus, post quinquennium ferè quàm Antiochus regnare cœperat. Sed vt temporum ordo cõsertus sit, ac liqueat euidentiùs, quis hic fuerit Antiochus, *Reges in Syria post Alexandrũ.* regum qui post Alexandrum in Syria fuerunt, & nomina & tempora enumerabimus. Defuncto, vt suprà retuC limus, rege Alexandro, ab amicis eius regnum omne diuisum, ac regio nomine aliquandiu administratum est. Seleucus post nouem annos in Syria rex est appellatus, regnauitque annos duos & triginta. Post eum Antiochus, filius eius, annos vnum de viginti. Inde Antiochus, Antiochi filius, qui & Theus cognominatus est, annos quindecim; post hunc Seleucus filius, cognomine Callinicus, annos vnum & viginti. Item Seleucus filius Callinici, annos tres. Hoc defuncto, Antiochus frater Callinici, Asiam & Syriam tenuit annos septem & triginta. Hic est Antiochus aduersus quem Scipio Africani frater bellauit: quo bello victus, & imperij parte mulctatus est. Hic duos filios habuit, Seleucum & Antiochum, quem obsidem Romanis dederat. Ita AnD tiocho magno mortuo, Seleucus eius filius natu minor regnum adeptus est: sub quo Oniam Sacerdotem à Simone insimulatum diximus. Tum Antiochus à Ro- *Antiochi Epiphanis tyrannis. 1. Mach. 1.* manis dimissus, datisque in locum eius obses Demetrius Seleuci Regis, qui eo tempore regnabat, Filius. Seleuco mortuo, anno imperij duodecimo regnum frater Antiochus, qui Romæ obses fuerat, occupauit. Is post quinquennium, quàm regnare cœperat, vt suprà docuimus, Hierosolymã depopulatus est. Etenim graue Romanis stipẽdium pensitans, ipse immẽsis sumptibus penè necessario cogebatur pecunias raptu quærere, neque vllam prædandi occasionem omittere. Post biennium deinde, pari rursum clade affectis Iudæis, ne fortè frequentibus malis compulsi bellum sumerent, præsidium arci imposuit. Inde sacram legem euertere aggresE sus, mittit edictum, vt omnes relictis maiorum suorum traditionibus, Gentilium ritu viuerent. Nec defuêre, qui profano imperio volentes parêrent. Tum verò fœdum spectaculum, per vniuersam vrbem palàm in plateis Diis litabatur: sacra etiam Legis & Prophetarum volumina igni incremata. Ea tempestate *Mathathias sacerdos & dux.* Mathathias oppido, Ioannis filius Sacerdos erat; hic cùm à regiis cogeretur edicto parêre, egregia constantia, profana contemnens, Hebræum publicè profanantem in ore omnium iugulauit. Tum demum reperto duce, facta secessio est. Mathathias oppido egressus, multis ad eum confluentibus, speciem iusti exercitus effecerat: queis omnibus destinatum erat aduersus profanum imperiũ se armis tueri, & in bello potiùs occum-

bere

bere, quàm impias cæremonias exercere. Interea Antiochus per Græcas quoque vrbes, quæ in illius imperio erant repertos Iudæos sacrificare cogebat, inauditisque cruciatibus reluctantes afficiebat. Qua tempestate illustris illa passio septem Fratrum, matrisque fuit: qui omnes, cùm legem Dei & instituta maiorum violare supplicijs cogerentur, mori maluerunt. Ad extremum pœnas mortésq; eorum comitata mater est.

1. Mac. 2.

2. Mac. 7.

Iudas Machab.

1. Mac. 3.

Interea Mathathias moritur: & vicarium exercitui, quem parauerat ducem, Iudam filium substituit. Huius ductu, aduersus regios, frequentibus prælijs prosperè pugnatum. Nam primùm Apollonium ducem hostium, qui magnis copijs in conflictum descenderat, cum omni exercitu delent. Quod cùm Seron quidam, qui tum Syriæ præerat, comperisset, multiplicatis legionibus Iudam aggressus, ferox quia numero præstabat, vbi in certamen descensum, fusus ac fugatus, octingentis fermè amissis in Syriam regressus est.

B

Id vbi compertum est Antiocho, ira & dolore succensus (quippe angebatur duces suos cum magnis exercitibus deuictos) auxilium per omne regnum contrahit, donatiuum militibus exhaustis penitus thesauris largitur. Etenim tum præcipuè grauiter pecuniæ inopia affectus erat. Nam deficientibus Iudæis ab eo, qui et vltra trecenta argenti talenta annua pensitauerant, præterea Græcis vrbibus multisque regionibus persecutionis malo turbatis, ne Gentilibus quidem pepercerat: quos deserere inueteratas superstitiones, & ad vnum ritum deducere tentauerat: illis quidem, quibus nihil sancti erat, facilè relinquentibus: sed tamen omnibus metu ac clade affectis, vectigalia cessauerant.

C

Quibus rebus æstuans (etenim ipse olim omnibus regibus opulentior, suomet scelere inopiam persenserat) copias cum Lysia partitur, eique Syriam, & bellum aduersus Iudæos committit: ipse in Persas ad cogenda vectigalia profectus. Igitur Lysias duces belli delegit, Ptolemæum, Gorgiam, Dorionem, & Nicanorem: his XL. millia peditum, septem equitum data. Ac primo impetu magnum Iudæis terrorem intulerant. Tum Iudas cunctis desperantibus suos adhortatus, forti animo descenderent in prælium: Deo fretis, nihil inuictum fore: sæpe antea à paucioribus aduersum plures bene pugnatum. Ieiunio indicto, celebratóque sacrificio, in aciem descensum, fusæ hostium copiæ: Iudas castris potitus, multúmque ibi auri & Tyriarum opum repertum.

D

Namque ex Syria negotiatores nihil de victoria dubitantes, regium exercitum secuti, spe captiuos mercandi, prædæ fuere. Hæc vbi Lysiæ ex nuntijs comperta, maiore cura copias parat: annóque pòst immani exercitu Iudæos aggreditur; victus denuo Antiochiam se recepit. Iudas pulsis hostibus Hierosolymam regressus, purgare Templum & restituere, animum intendit: quod euersum ab Antiocho, profanatúmque à gentibus, fœdam sui speciem præbebat.

1. Mac. 4.

Sed Syris arcem tenentibus, quæ contigua Templo, & loci natura superior atque inexpugnabilis erat, adiri subiecta non poterant, crebris eruptionibus prohibentibus. Aduersum hos Iudas validissimam suorum aciem obiecit. Ita opus sacræ Ædis curatum. Templúmque muro circundatum, constitutique qui perpetuum præsidium armati agitarent. At Lysias multiplicato exercitu in Iudæam regressus, rursum vincitur, magna clade exercitus & auxiliorum, quæ ei à ciuitatibus missa in bellum conspirauerant.

E

1. Mac. 5.

Interea Antiochus, quem in Persidem profectum suprà memorauimus, oppidum Elimú, regionis illius opulentissimum, Fanúmque ibi situm multo auro refertum, diripere conatus, confluente vndique ad defensionem loci multitudine, fugatus: insuper nuntium accepit, res vel à Lysia, vel à Lysimacho improsperè gestas. Ita ex mœrore animi, corporis morbo incubuit. Sed cùm internis doloribus angeretur, reminiscens malorum, quibus populum Dei vexauerat, meritò sibi illa accidisse confitebatur. Deinde post paucos dies moritur, & cùm regnasset annos vndecim, Antiocho filio regnum reliquit, cui Eupator nomen fuit.

1. Mac. 6.

Antiochus Eupator.

Ea tempestate Iudas, Syros in arce positos obsidebat. Qui cùm fame atque inopia afficerentur, missis ad regem nuntijs, præsidium implorãt. Ita Eupator cum centum millibus, & equitum viginti millibus, suis subsidio venit: præeuntibus aciem cum ingenti terrore elephãtis. Tum Iudas laxata obsidione, regi obuiam tendit, primóque prælio Syros fundit, Rex petit pacem: qua, infido ingenio malè vsus, perfidiam cõsecuta victo. Nam Demetrius Seleuci filius, quem Romanis obsidem datũ supra memorauimus, vt audiuit Antiochum decessisse, petijt, vt se in regnum remitterent. Quod cùm ei negatum fuisset, clàm Roma profugit, in Syriam venit, regnúmque occupauit, Antiocho filio, qui annum vnum & menses sex regnauerat, interfecto.

1 Mac. 7.

Hoc regnante, primum Iudæi à populo Romano amicitiam fœdúsque petiêre: benignéque excepta legatio: decreto Senatus, socij atque amici appellati.

1. Mac. 8.

Interim Demetrius aduersus Iudam per duces suos bellum gerebat. Ac primùm per Bacchidem quendam & Alcimum Iudæum ductus exercitus: pòst Nicanor bello præpositus, in prælio occubuit. Tum Bacchides & Alcimus resumptis viribus, auctisq; copijs, aduersum Iudam confligunt, in ea pugna victores Syri, cruente admodum victoria sunt vsi, Hebræi in locũ Iudæ Ionathã, fratrẽ eius, deligũt.

Ionathas Sacerdos & dux.

1. Mac. 9.

Interea Alcimus cùm fœdè Hierosolymã vastasset, moritur. Bacchides socio destitutus, ad regẽ redit. Dein post biennium rursus Bacchides bellum Iudæis intulit, victus pacem petit. Quæ propositis conditionibus data, si perfugas captiuosque & omnia bello rapta redderet.

1. Mac. 10.

Dum hæc intra Iudæam geruntur, adolescens quidam Rhodi educatus,

C

nomine Alexãder, Antiochi se esse Filiũ dictitans (quod falsum erat) adiutus opibus Ptolemæi regis Alexandri, in Syriam cum exercitu venit: Demetrium bello superatum occidit, cùm regnasset annos XII. Hic Alexander, priusquàm aduersus Demetrium cõfligeret, fœdus cum Ionatha fecerat, eumque veste purpurea & insignibus regijs donauerat; ob quod eum Ionatha auxilijs iuuerat: victóque Demetrio, primus omnium congratulatum occurrerat. Neque postea Alexander datam fidem violauit.

Alexander Rex.

Ita quinquẽnio, quo rerum potitus est, res Iudæorum tranquillæ fuerunt. Igitur Demetrij filius, qui post mortem Patris Cretam confugerat, hortante Lasthene Cretensium duce, regnum patrium bello repetens, impar viribus, Ptolemæum Philometorem regem Ægypti,

D

Alexandri socerum, iam tum genero infestum, vt sibi sit auxilio, implorat. Ille verò non tam supplicis precibus, quàm ipse Syriæ occupandæ illectus, copias cum eo iungit: ac filiam Alexandro nuptam, dat Demetrio. Aduersus hos Alexander acie confligit; eo prælio vincitur Ptolemæus, cadit Alexander. Vincitur Ptolemæus, & paulò pòst interficitur, cùm regnasset annos V. vel, vt in plerisque auctoribus reperi, nouem.

Demetrius Rex.

1 Mac. 11. & seq cap.

Demetrius regnum adeptus, Ionathan benignè habuit, fœdus cum eo fecit, Iudæus legibus suis reddidit. Interea Tryphon, qui partium Alexandri fuerat, præfectus Syriæ regno, eum bello prohibiturus, contra Ionathan in prælium descendit, terribilis XL. millium exercitu Tryphon, vbi se imparem cernit, pacem simulat: receptúmque in amicitiam, inuitatúmque Ptolemaidem, interfecit.

E

Simon Sacerdos & dux.

Post Ionathan, summa rerum ad Simonem Fratrem defertur. Is funus Fratris magnificè curauit: septémque illas Pyramidas nobilissimi operis extruxit, in quibus & Fratrum & Patris ossa condidit. Tum Demetrius, refecto cum Iudæis fœdere, contemplatione cladis à Tryphone illatæ (nam post Ionathæ necem vrbes eorum atq; agros bello vastauerat) annua eius vectigalia in perpetuum remittit. Etenim vsq; ad id tempus, regibus Syriæ, nisi cum armis restiterent, stipendium pensitauerant. Id gestum Demetrij Regis anno secundo, quod ideò signauimus, quia vsque in hũc annum per tempora Asianorum regum cucurrimus, vt ratio temporum digesta luceret: Nunc autem per tempora eorum qui Iudæis vel pontifices vel reges fuerunt, vsquè ad Christi natiuitatem rerum ordinem

digeremus. Igitur post Iooathan, Simon frater eius, vt supra dictum est, Hebræis præfuit iure pontificis, id enim ei cum à suis, tum à populo Romano honoris delatum. Hic cùm secundo Demetrij Regis anno ciuibus præesse cœpisset: post octo annos insidiis Ptolemæi circumuentus occubuit. Huic Ioannes Filius successit; qui cùm aduersum Hyrcanos, gentem validissimam, egregiè pugnasset, Hyrcani cognomen accepit. Mortuus est, annos v i. & x x. rerum potitus. Post hunc Aristobulus pontifex substitutus, primus omnium post captiuitatem regium nomen assumpsit, capitíque diadema imposuit. Exacto anno, diem functus est. Alexander deinde, filius eius, Rex pariter & pontifex fuit: regnauit annos v i i. & viginti. in cuius actibus nihil, præter crudelitatem, memoria dignum reperi. Hic, cùm Aristobulum & Hyrcanum paruos filios reliquisset, Solina siue Alexandra vxor eius regnum per nouem annos tenuit. Post huius obitum fœda inter fratres de regno certamina. Ac primum Hyrcanus imperium obtinebat: mox ab Aristobulo fratre pulsus, confugit ad Pompeium: qui tum Mithridatico bello confecto, pacatáque Armenia & Ponto, victor omnium gentium, quas adierat, vltrorsum pergere, & vicina quæque Romano imperio adiungere cupiens, caussas belli & materiam vincendi quærebat. Igitur Hyrcanum libens excepit. ductúque eius Iudæos aggreditur: vrbe capta, atque arce, templo pepercit: Aristobulum victum Romam mittit, Hyrcano ius pontificatus restituit: impositóque Iudæis stipêdio, procuratorem eis Antipatrum quendam Ascalonitam præposuit. Hyrcanus quatuor & triginta annos rerum potitus, dum aduersum Parthos bella gerit, capitur. Tum Herodes alienigena, Antipatri Ascalonitæ Filius, regnũ Iudææ à Senatu & populo Romano petiit, accepítque. Hunc primum Iudæi externum regem cœperũt habere. Etenim iam aduentante Christo, necesse erat, secundùm vaticinia Prophetarum, suis eos ducibus priuari, ne quid vltra Christum expectarent.

Ioan. Hyrcan. fac. Niceph in Chronol. Idem lib. 1. c. 6. hist. Ecclesiast. Aristobulus Rex & Pôt. Alexander Rex & Pôt. Alexandra Regina. Iol. lib. 14. Cap. 24. Niceph. lib. 1 c 6. hist. Ecclesiast. Iuf. lib. 21. Pompeius Iudæos vincit. Cic. pro L. Flacco. Antipater Iudææ procurator. Herodes Rex. Niceph lib 1. cap. 9. hist. Eccles. Euseb. lib. 1. cap. 13. Hist. Eccl.

Christus natus.

Sub hoc Herode, anno imperij eius tertio & x x x. Christus natus est, Sabino & Rufino consulibus. v i i i. Kalend. Ianuarias. Verùm hæc, quæ Euangeliis ac deinceps Apostolorum Actibus continentur, attingere non ausus, ne quid forma præcisi operis rerum dignitatibus diminueret, reliqua exsequar. Herodes post Natiuitatem Domini regnauit annos i i i i. Nam omne imperij eius tempus, v i i. & x x x. anni fuerunt. Post quem Archelaus Tetrarcha annis i x. Herodes annis. x x. & i i i i.

Idem lib. 1 cap. 5. & 10. Christus crucifixus. Nero Imp. scelera Persecutio Christianorum. 1.

Hoc regnante, anno regni octauo & decimo, Dominus crucifixus est, Fusio Geminio & Rebellio Geminio consulibus. A quo tempore vsque in Sulicônem consulem, sunt anni c c c. l x x i i. Apostolorum Actus Lucas edidit, vsque in tempus quo Paulus Romam deductus est, Nerone imperante: qui non dicam regum, sed omnium hominum, & vel immanium bestiarum sordidissimus, dignus exstitit, qui persecutionem in Christianos primus inciperet: nescio an & postremus expleret; siquidem opinione multorum receptum sit, ipsum Antichristum venturum; huius vita, vt pleniùs exponerem, res admonebat, nisi non esset huius operis tam vasta ingredi: id tantùm annotasse contẽtus sum, hũc per omnia fœdissima & crudelissima eò processisse, vt matrẽ interficeret: post etiam Pythagoræ cuidam in modum solennium coniugiorum nuberet, inditúmque Imperatori flammeum, dos & genialis thorus, & faces nuptiales: cũcta denique quæ vel in fœminis non sine verecũdia conspiciuntur, spectata. Reliqua verò eius, incertum pigeat an pudeat magis disserere. Hic primus Christianum nomen tollere aggressus est, quippe semper inimica virtutibus vitia sunt, & optimi quique ab improbis quasi exprobrantes aspiciuntur. Namque eo tempore diuina apud vrbem religio inualuerat, Petro ibi Episcopatum gerente: & Paulo posteaquàm ab iniusto † præsidis iudicio Cæsarem appellauerat, Romam deducto ad quem

Caute lege, non enim Nero futurus est verus Antichristus in mũdi fine venturus. Videlicet de Antichristo P. Thomæ Malvenda Theol. Dominicani. l. 2. c. 2.

Petrus ac Paulus Romæ.

† Præsidis. Optatus li.

A tum audiendum plures conueniebant: qui veritate intellecta, virtutibúsque Apostolorum, quas tum crebrò ediderant, permoti, ad cultum Dei sese conferebant. Etenim tum illustris illa aduersus Simonem, Petri ac Pauli congressio fuit. Qui cum magicis artibus, vt se Deum probaret, duobus suffultus dæmonis euolasset, orationibus Apostolorum fugatis dæmonibus, delapsus in terram, populo inspectante disruptus est. Interea abundante iam Christianorum multitudine, accidit vt Roma incendio conflagraret, Nerone apud Antium constituto. Sed opinio omnium, inuidiam incendij in Principem retorquebat, credebatúrque Imperator gloriam innouandæ vrbis quæsisse. Neque vlla re Nero efficiebat, quin ab eo iussum incendium putaretur. Igitur vertit inuidiam in Christianos, actæque in innoxios crudelissimę B quæstiones: quin & nouæ mortes excogitatæ, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirẽt. Multi crucibus affixi, aut flamma vsti. Plerique in id reseruati, vt cùm defecisset dies, in vsum nocturni luminis vrerentur. Hoc initio in Christianos sæuiri cœptum. Post etiam datis legibus religio vetabatur: palámque edictis propositis, Christianum esse non licebat. Tum Paulus ac Petrus capitis damnati: quorum vni, ceruix gladio desecta: Petrus in crucem sublatus est. Dum hæc Romæ geruntur, Iudæi, præsidis sui Festi Flori iniurias non ferentes, rebellare cœperunt. Aduersus eos Vespasianus proconsulari imperio à Nerone missus, multis grauibúsque prælijs deuictos, coëgit intra muros Hierosolymæ confugere. Interim Nero iam etiam sibi pro conscientia scelerum inuisus, humanis rebus eximitur: incertum an C ipse sibi mortem consciuerit. Certè corpus illius inventum. Vnde creditur, etiam si se gladio ipse transfixerit, curato vulnere eius seruatus, secundum illud quod de eo scriptum est: Vt plaga mortis eius curata est, sub seculi fine mittendus: vt mysterium iniquitatis exerceat. Igitur post excessum Neronis, Galba imperium rapuit: mox Otho, Galba interfecto, occupauit. Tunc Vitellius in Galliis, fretus exercitibus quibus præerat, vrbem ingressus, Othone interfecto, summam rerum vsurpauit: quæ postea quam ad Vespasianũ delata licet malo exemplo, bono tamen affectu Reip. ab improbis vindicandæ, cùm Hierosolymarum obsideret, sumit imperium: &, vt mos est, diademate capiti imposito, ab exercitu Imperator consalutatus, Titum Filium Cæsarem facit; eidem D pars copiarum, & obsidendæ Hierosolymæ negotium datum. Vespasianus Romam profectus, summo fauore senatus & populi receptus, cùm se Vitellius interfecisset, imperium confirmauit. Interea Iudæi obsidione clausi, quia nulla neque pacis neque deditionis copia dabatur, ad extremum fame interibant, passimque viæ oppleri cadaueribus cœpere, victo iam officio inhumandi: quin omnia nefanda insuper ausi, ne humanis quidem corporibus pepercerunt, nisi quæ eiusmodi alimentis tabes præripuerat: Igitur defessis defensoribus irrupere Romani. Ac tum fortè in diem Paschæ omnis ex agris alijsque Iudææ oppidis multitudo conuenerat: nimirum ita Deo placitum, vt eo tempore, quo Dominum cruci affixerat, gens impia internecioni daretur. Pharisæi aliquantisper pro templo acerrimè restiterunt: doE nec obstinatis ad mortem animis, vltrò in subiectis ignibus intulerunt. Numerus peremptorum ad vndecies centena millia refertur: capta verò C. millia, ac venundata. Fertur Titus adhibito consilio priùs deliberasse, an templum tanti operis euerteret. Etenim nonnullis videbatur, Ædem sacratam, vltra omnia mortalia illustrem, nõ debere deleri: quæ seruata modestiæ Romanæ testimonium, diruta perennem crudelitatis notam præberet. At contrà alij, & Titus ipse, euertendum templum in primis censebant, quo pleniùs Iudæorum & Christianorum religio tolleretur. Quippe has religiones, licet contrarias sibi, iisdem tamen auctoribus profectas, & Christianos ex Iudæis extitisse: radice sublata, stirpem facilè perituram. Ita Dei nutu, accensis omnium

2. in Parm. Simō Magus, Romæ Aug. 10 ser. de Sanctis.

Corn. Tacitus lib. 15.

Anno Christi. 68. Dionys. 1. Cor. Epist. Euseb. li. 2. c. 3 & 36. Hist. Eccl. Niceph. l. 2. cap. 35.

Vespasianus Imp.

Ioseph lib. 7. cap. 7. & 8. de bello Iud.

Hierosolyma vastata.

[Margin: Templi euersio an. Christi. 71.]

animis, templum dirutum, abhinc annos trecentos triginta & vnum. Atque hæc vltima templi euersio, & postrema Iudæorum captiuitas, qua extorres patria, per orbem terrarum dispersi cernuntur: quotidie mundo, testimonio sunt, non ob aliud eos, quàm ob illatas Christo impias manus, fuisse punitos; nam sæpè alias cùm propter peccata captiuitatibus traderentur, nunquam tamen vltra septuaginta annos seruitutis pœnam pependerunt. Interiecto deinde tempore, Domitianus Vespasiani filius, persecutus est Christianos. Quo tempore Ioannem Apostolum atque Euangelistam, in Pathmon insulam relegauit: vbi ille arcanis sibi mysteriis reuelatis, librum sacræ Apocalypsis (qui quidem à plerisque aut stultè aut impiè non recipitur) conscriptum edidit. Non multo deinde interuallo, tertia persecutio per Traianum fuit; qui cùm tormentis & quæstionibus nihil in Christianis morte aut pœna dignum reperisset, sæuiri in eos vltrà vetuit. Sub Hadriano deinde Iudæi rebellare voluerunt, Syriam ac Palæstinam diripere conati: multóque exercitu subacti sunt. Qua tempestate Hadrianus existimans se Christianam fidem loci iniuria perempturum, & in templo ac loco Dominicæ passionis dæmonum simulachra constituit: &, quia Christiani ex Iudæis potissimum putabantur (namque tum Hierosolymæ non nisi ex circuncisione habebat Ecclesia Sacerdotem) militum cohortem custodias in perpetuum agitare iussit, quæ Iudæos omnes Hierosolymæ aditu arceret. Quod quidem Christianæ fidei proficiebat: quia tum pene omnes Christum Deum sub legis obseruatione credebant. Nimirum id Domino ordinante dispositum, vt legis seruitus à libertate fidei atque Ecclesiæ tolleretur. Ita tum primùm Marcus ex gentibus, apud Hierosolymam Episcopus fuit. Quarta sub Hadriano persecutio numeratur, quam tamē postea exerceri prohibuit: iniustum esse pronuntians, vt quisquam sine crimine reus constitueretur. Post Hadrianum Antonino Pio imperante, pax Ecclesiis fuit. Sub Aurelio deinde Antonini filio, persecutio quinta agitata. Ac tum primum intra Gallias Martyria visa, serius trans Alpes Dei religione suscepta. Sexta deinde, Seuero imperante, Christianorum vexatio fuit. Quo tempore Leonidas, Origenis pater, sacrum in martyrio sanguinem fudit. Interiectis deinde annis v i i i. & x x x. pax Christianis fuit: nisi quod medio tempore, Maximinus nonnullarum Ecclesiarum clericos vexauit. Mox Decio imperante, iam tum septima persecutione sæuitum in Christianos. Inde Valerianus octauus sanctorum hostis fuit. Post eum, interiectis annis ferè quinquaginta, Diocletiano & Maximiano imperantibus, acerbissima persecutio exorta, quæ per x. continuos annos plebem Dei depopulata est; qua tempestate omnis ferè sacro Martyrum cruore orbis infectus est: quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multóque auidiùs tùm martyria gloriosis mortibus quærebantur, quàm nunc Episcopatus prauis ambitionibus appetuntur. Nullis vnquam magis bellis mundus exhaustus est: neque maiore vnquam triumpho vicimus, quàm cùm decem annorum stragibus vinci non potuimus. Extant etiam mandatæ litteris præclaræ eius temporis Martyrum passiones, quas connectendas non putaui, ne modum operis excederem. Sed finis persecutionis illius fuit, abhinc annos ix. & l x x x. à quo tempore Christiani Imperatores esse cœperunt. Namque tum Constantinus rerum potiebatur, qui primus omnium Romanorum principum Christianus fuit. Sanè tum Licinius, quia aduersum Constantinum de imperio certauit, milites suos litare præceperat: abnuentes, à militia reiiciebat. Sed id inter persecutiones non computatur: adeò res remotis negotij fuit, quàm vt ad Ecclesiarum vulnera perueniret. Exinde tranquillis rebus pace perfruimur: neque vlterius persecutionem fore credimus, nisi eam quam sub fine iam seculi Antichristus exercebit. Etenim sacris vocibus, x. plagis mundum afficiendum, pronuntiatum est: ita cùm iam ix. fuerint,

[Margin notes, left column: Pruden. in Apotheosi. Persec. Christian. ii. anno 51. — Euseb. lib. 3 Eccles. Hist. cap. 15. 17. & 18. ibid. cap. 23. 32. Niceph. lib. 3. c. 16. & 17. Hist. Eccl. — Persecutio Christi. iii. an. 103. — Euseb. lib. 4 cap. 6. Eccles. Hist. Oros. lib. 7. cap. 13. Niceph. lib. 3 cap 24. Euseb li. 2. — Persecutio Christi. iiii anno. 20 &c. Euseb lib. 8 c. 2. 3. 4. 5 6. 7. 8 & 9. — Persec. v. anno 168. — Persec. vi. anno. 200. — Persec. vii. anno 51. — Persec viii. anno. 258. — Persec ix. anno. 303. — Constantinus Imper. primus Christianus anno. 307. — Persec 10. futuræ.]

A quæ superest, vltima erit. Hoc temporum tractu mirum est quantum inualuerit religio Christiana. Tum siquidem Hierosolyma horrens ruinis, frequentissimis ac magnificentissimis Ecclesiis est adornata. Nam Helena, Mater principis Constantini, quæ Augusta cum filio conregnabat, cùm Hierosolymam agnoscere concupisceret, reperta ibi Idola ac Templa proruit: mox vsa regni viribus, Basilicam in loco Dominicæ passionis & Resurrectionis & Ascensionis constituit. Illud mirum, quòd locus ille in quo postremùm institerant diuina vestigia cùm in cœlum Dominus nube sublatus est, continuari pauimento cum reliqua stratorum parte non potuit. Siquidem quæcunque applicabantur, insolens humana suscipere terra respueret, excussis in ora apponentium sæpe marmoribus; quinetiam calcati Deo pulueris adeo perenne documentum est, vt vestigia impressa cernantur. B Et cùm quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non sentiat: & eadem adhuc sui speciem, velut impressis signata vestigiis, terra custodit. Eiusdem reginæ beneficio crux Domini tùm reperta: quæ neque in principio obsistentibus Iudæis potuerat consecrari, & postea dirutæ ciuitatis oppressa ruderibus, non nisi tam fideliter requirenti meruit ostendi. Igitur Helena primum de loco passionis certior facta, admota militari manu, atque omnium prouincialium multitudine in studia reginæ certantium, effodi terram, & contigua quæque ac vastissima ruinarum purgari iubet: mox pretium fidei & laboris tres pariter cruces, sic vt olim Domino ac latronibus duobus fixæ fuerant, repeviuntur. C Hic vero maior dignoscendi patibuli, in quo Dominus pependerat, difficultas omnium animos mentésque turbauerat, ne errore mortalium, forsitan pro cruce Domini, latronis patibulum consecrarent. Capiunt deinde consilium, vt aliquem recens mortuum crucibus admouerent. Nec mora quasi Dei nutu funeris extincti solennibus exequiis deferebatur, concursúque omnium feretro corpus eripitur. Duabus priùs frustra crucibus admotis, vbi Christi patibulo attactum est, dictu mirabile, trepidantibus cunctis, funus excussum, & inter spectatores suos astitit: Crux reperta, dignóque ambitu consecrata.

His per Helenam gestis, principe Christiano libertatem atque exemplum fidei mundus acceperat: sed longè atrocius periculum cunctis Ecclesiis illa pace generatum; D namque tum hæresis Arrij prorupit, totumque orbem inuecto errore turbauerat. Etenim duobus Arriis, acerrimis perfidiæ huius auctoribus, Imperator etiam deprauatur: dúmque sibi religionis officium videtur implere, vim persecutionis exercuit: actique in exilium Episcopi, sæuitum in clericos, animaduersum in laicos, qui se ab Arrianorum communione secreuerant. Quæ autem Arriani prædicabant, erant huiuscemodi: Patrem Domini instituendi orbis caussa genuisse Filium: eo pro potestate sui ex nihilo, in substantiam nouam atque alteram, factum Dominum nouum alterúmque, fuisse item, tempus quo filius non fuisset. Igitur huius mali caussa Synodus apud Nicæam ex toto orbe contrahitur, ecc. siquidem & duodeuiginti Episcopis congregatis, fides plena conscribitur: hæresis Arriana damnatur, E Imperator decretum Episcopale complectitur. Arriani nihil contra sanam fidem tractare ausi, se quoque tanquam acquiescentes, nec aliud sentientes, Ecclesiis miscuerunt: manebat tamen in pectoribus eorum insitum in catholicos viros odium: & aduersus quos de fide disceptare non poterant, eos subornatis accusatoribus, fictisque criminibus appetebant. Itaque primùm Athanasium Alexandriæ Episcopum, iurisconsultum, qui apud Nicænam synodum Diaconus adfuerat, aggrediuntur, absentémque condemnant. Etenim ad crimina quæ falsi testes congesserant, aggregabant, quòd Marcellum atque Photinum, hæreticos sacerdotes, Synodi iudicio condemnatos, prauo studio recepisset. Sed de Photino dubium non erat, merito fuisse damnatum: in Mar-

[Margin notes, right column: Anno Christi 315. — Ambros in orat. de obitu The. — Crux Domini inuenta. — Paulinus ad Seuerū nostrum c. 11. Rufi. cap. 8. Hist Eccles. Niceph. lib 8. c. 29. Simeon Metaphr. in vita Helenæ. Cassiodorus lib 2. — Arrianorū hæresis. Arrij. 2. — Epiph contra Arrian. Synodus Nicæna. an. 325. — D. Athanasius iuriscōsultus. Synodus Antiochena anno. 341. & anno. 345]

A cello nihil tum damnatione dignum repertum videbatur: maximéque ei studium partium innocentium accesserat, quòd eosdem illos iudices, à quibus fuerat condemnatus, hæreticos esse nemo dubitabat. Cæterùm Arriani non hos potiùs quàm Athanasium, remouere cupiebant. Itaque Imperatorem vsque compellunt, vt Athanasius exulatum ad Gallias mitteretur. Mox in Ægypto octoginta Episcopi congregati, Athanasium iniustè condemnatum esse pronuntiant. Res ad Constantinum refertur, iubet ex toto orbe apud Sardicam Episcopos congregari: atque omne iudicium quo Athanasius damnatus fuerat, retractari. Inter hæc Constantinus moritur: Synodus congregata iam Constantino Imperatore, Athanasium absoluit: Marcellus quoque Episcopatui redditur. Nam de Photino Episcopo Smyrnēsi non est rescissa sententia, quia etiam nostrorum iudicio hæreticus probabatur. B Et tamen hoc ipsum Marcellum grauabat, quia Photinus auditor eius fuisse in adolescentia videbatur. Verùmtamen ad Athanasij absolutionem etiam illud accesserat, quod Vrsatius & Valens, principes Arrianorum, cùm post Synodum Sardicensem viderētur à communione secreti, coram positi, à Iulio Romanæ vrbis Episcopo veniam poposcerūt, quod innoxium condemnassent: meritóque eum sententia cōcilij Sardicensis absolutum professi sunt. Interiecto deinde tempore Athanasius, cùm Marcellum parum sanæ fidei esse penitus comperisset, à communione suspendit, habuítque ille hanc verecundiam, vt tanti viri iudicio notatus, sponte concederet. Cæterùm antea innocens, postea deprauatus, videri poterat iam tum nocens fuisse, cùm de eo fuerat iudicatum. C Nacti ergo Arriani istiusmodi occasionem, conspirant penitus, Sardicensis Synodi decreta subuertere. Etenim eis color quidam suppetere videbatur, quod tam iniustè fuisset pro Athanasio iudicatum, quàm Marcellus fuerat absolutus, qui nunc etiam Athanasij iudicio hæreticus esse probaretur. Namque Marcellus Sabellianæ hæresis assertor extiterat: Photinus verò nouam hęresim iam antè protulerat, à Sabellio quidē in vnione dissentiens, sed initium Christi ex Maria prædicabat. Igitur Arriani astuto consilio miscent innoxium criminosis, damnatiónémque Photini & Marcelli & Athanasij eadem sententia comprehēdunt: illud nimirum apud Imperatorum animos præstruentes, vt non putarentur de Athanasio perperam iudicasse, qui de Marcello atque Photino vera sensissent. D Verumtamen ea tempestate Arriani perfidiam suam occultabant, non ausi palàm erroris sui dogmata prædicare, Catholicos se gerebant, nihil sibi priùs agendum rati, quàm vt Athanasium Ecclesia submouerent, qui semper eis velut murus obstiterat: quo remoto, reliquos in libidinem suam cessuros sperabant. Sed pars Episcoporum, quæ Arrium sequebatur, damnationem Athanasij cupitam accepit: pars coacti metu & factione, in studia partium concesserant: pauci, quibus fides chara, & veritas potior erat, iniustum iudicium non receperunt, inter quos Paulinus Episcopus Treuerorum, oblata sibi Epistola ita subscripsisse traditur: se in Photini atque Marcelli damnationem præbere consensum, de Athanasio non probare. E Tum verò Arriani, vbi dolo parum processerant, vi agere decernunt. Nam quodlibet audere atque agere facile erat, Regis amicitia subnixis, quem sibi prauis adulationibus deuinxerant. Quinetiam ea consensione multorum inexpugnabiles erant, nam omnes ferè duarum Panoniarum Episcopi, multique Orientalium, ac tota Asia in perfidia eorum coniurauerant. Sed Principes mali istius habebantur, à Singiduno Vrsatius, Valēs à Mursia, ab Heraclia Theodorus, Stephanus Antiochenus, Acatius à Cæsarea, Menophanes ab Epheso, Georgius à Laodicea, Narcissus à Neapoli. Hi ita Palatium occupauerant, vt nihil sine eorum nutu ageret Imperator obnoxius quidem omnibus, sed præcipuè Valenti deditus. Nam eo tempore quo apud Morsam contra Magnentium armis certatum, Constantius descēdere in conspectum pugnæ non ausus, in basilica martyrum extra oppidum sita, Valente tum eius loci Episcopo in solatium assumpto, diuersatus est. Cæterùm Valens callidè per suos disposuerat, vt quis prælij fuisset euentus, primus cognosceret: vel gratiam regis captans, si prior bonum nuntium detulisset: vel vitæ consulens, antè capturus fugiendi spatium, si quid contra accidisset. Itaque paucis, qui circa regem erant, metu trepidis, Imperatore anxio, primus nuntiat hostes fugere. Cùm ille indicem ipsum intromitti posceret, Valens vt reuerentiam sui adderet, Angelum sibi fuisse nuntium respondit. Facilis ad credendum Imperator, palàm postea dicere est solitus, se Valentis meritis, non virtute exercitus vicisse. Ab hoc initio illecti principis, extulere animos Arriani, potestate Regis vsuri, vbi auctoritate sua parum valuissent. Igitur cùm sententiam eorum, quam de Athanasio dederant, nostri non reciperent, edictum ab Imperatore proponitur, vt qui in damnationem Athanasij non subscriberent, in exilium pellerentur. Cæterum à nostris tum apud Arelatem ac Biteras oppida Galliarum, Episcoporum concilia fuere. Petebatur, vt priusquam in Athanasium subscribere cogerentur, de fide potiùs disceptarent: & tùm demum de re cognoscendum, cùm de persona iudicium constitisset. Sed Valens, sociíque eius, priùs Athanasij damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non ausi. Ab hoc partius conflictu agitur in exsilium Paulinus. Interea Mediolanum conuenitur, vbi tum aderat Imperator, eadem illa contentio nihil inuicem relaxabat. Tum Eusebius Vercellentium, & Lucifer à Caranalis Sardiniæ Episcopi relegati. Ceterùm Dionysius Mediolanensium Sacerdos, in Athanasij damnationem se consentire subscripsit, dummodo de fide inter Episcopos quæreretur. Sed Valens & Vrsatius, cæteríque, metu plebis, quæ Catholicam fidem egregio studio conseruabat, non ausi piacula profiteri, intra palatium congregantur. Illinc Epistolam sub Imperatoris nomine emittunt, omni prauitate refertam: eo nimirum consilio, vt si ea æquis auribus populus recepisset, publica auctoritate cupita proferrent, sin aliter fuisset excepta, inuidia esset in rege, & ipsa venialis: quia etiam tum catechumenus, Sacramentum fidei meritò videretur potuisse nescire. Igitur lectam in Ecclesia Epistolam populum auersatur. Dionysius quia non esset assensus, vrbe pellitur: statímque eius in locum Episcopus subrogatur. Liberius quoque vrbis Romæ, & Hilarius Pictauorum Episcopus, dantur exsilio. Rhodanium quoque & Dosanum antistitem (qui naturâ lenior, non tam suis viribus, quàm Hilarij societate non cesserat) Arrianis eadem conditio implicuit: cùm tamen homines parati essent Athanasium à communione suspendere, modò vt de fide inter Episcopos quæreretur. Sed Arrianis optimum visum præstantissimos viros à certamine submouere. Ita pulsi in exsilium quos suprà memorauimus, abhinc annos quinque & quadraginta, Arbetione & Lolliano consulibus. Sed Liberius paulo pòst vrbi redditur ob seditiones Romanas. Cæterùm exsules satis constant totius orbis studiis celebratos pecuniásque eis in sumptum affatim congestas, legationibus quoque eos plebis Catholicæ ex omnibus ferè prouinciis frequentatos. Interea Arriani non occultè, vt antea, sed palàm ac publicè hæresis piacula prædicabant: quinetiam Synodum Nicęnam pro se interpretantes, quam vnius litteræ adiectione corruperant, caligině quadam iniecerant veritati. Nam vbi ὁμοούσιον erat scriptum, quod vnius est substantiæ: illi ὁμοιούσιον, quod est similis substantiæ, scriptum esse dicebant, concedentes similitudinem dum adimerent vnitatem, quia multum ab vnitate similitudo distaret: vt verbi gratiâ, pictura humani corporis esset homini similis, nec tamen haberet hominis veritatem: sed quidam ex his vltra processerant, Anomœousiam, id est, dissimilem substantiam confirmātes. Eoque his certaminibus processum, vt istiusmodi piaculis, orbis terrarum implicaretur, nam Italiam, Il-

Socr. lib. 3. c. 8 Hist. Trip. Theod. lib. 1. c. 30. hist. Eccl. anno. 348.

Socr lib. 5. cap. 8 Epiph. lib. 3. cap. 8. Epiph. lib. 3 tom. 1. cōtra Phot.

Trip. Hist. lib. 4. c. 34.

Photini error. Epiph lib. 3. tom. 1. contra Marcel.

Cōspiratio Arrianorū in Athanasium.

Constantij Arrianis addictissimi.

Principes Arrianorū. Sozom. l. 5. hist. Tripar. cap. 14.

Anno Christi. 353.

Valēs Arriani Episcopi techna.

Conc Arelatense & Biterrense.

An. 354.

Sozō. hist. Trip. l. 5. c. 15. & 16.

Rufi. lib. Eccles. l. 1. cap. 10.

Proscriptio Episcoporum ab Arrianis. Hist. tripart. li. 5. cap. 17.

Anno Christi 355.

Anno. 357.

Conc. Nicæni deprauatio.

Socr. lib. 5. cap. 9. Trip. histor. Isidor. de viris illustribus.

lyricum, atque Orientem Valens & Vrsatius, cæterique, quorum nomina edidimus, infecerāt. Gallias nostras Saturninus Arelatēsium Episcopus, homo impotens & factiosus, premebat. Osiū quoque ab Hispania in eandem perfidiam concessisse opinio fuit: quod eo mirum atque incredibile videtur, quia omni fere ætatis suæ tempore constantissimus nostrarum partium, & Nicæna Synodus auctore illo confecta habebatur: nisi fatiscente æuo (etenim maior centenario fuit, vt S. Hilarius in epistolis refert) delirauerit, quibus rebus perturbato orbe terrarum, & morbo quodam Ecclesiis languentibus, segnior quidem, sed non minùs grauis cura principem exercebat: quòd licet Arriani, quibus fauebat, superiores viderētur, necdum tamen de fide inter Episcopos conueniret. Igitur apud Ariminum, vrbem Italiæ, Synodum congregari iubet: idque Tauro præfecto imperat, vt collectos in

Trip. hist. li. 5. cap. 16. Conc. Ariminense. anno. 359.

B vnum non antè dimitteret, quàm in vnam fidem cōsensissent, promisso eidem consulatu, si rem effectui tradidisset. Ita missis per Illyricum, Italiam, Africam, Hispanias, Galliásque magistris Officialibus, acciti aut coacti quadringenti & aliquāto amplius Occidentales Episcopi, Ariminum conuenēre: quibus omnibus annonas & cellaria dare Imperator præceperat. Sed id nostris, id est, Aquitanis, Gallis, ac Britannis indecens visum: repudiatis fiscalibus, propriis sumptibus viuere maluerūt. Tres tantùm ex Britannia, inopia proprij, publico vsi sunt, cùm oblatam à cæteris collationem respuissent: sanctius

Diuitiæ Episcoporum eo seculo.

putantes fiscum grauare, quam singulos. Hoc ego Gaudium Episcopum nostrum, quasi obtrectantem referre solitum audiui, sed longè aliter senserim: laudique attribuo Episcopis, tam pauperes fuisse, vt nihil proprium

C haberent, neque ab aliis potiùs quam fisco sumerent, vbi neminem grauabant, ita in vtroque egregium exemplum. De reliquis nihil memoria dignum traditur, sed redeo ad ordinem. Posteaquam omnes, vt suprà dictū, in vnum collecti sunt, fit partium successio. Ecclesiam nostri obtinent, Arriani iam Edentium de industria vacantem, orationis loco cepēre: sed hi non amplius quàm octoginta. Reliqui nostrarum partium erant. Igitur frequentibus conciliis nihil actum, nostris in fide manentibus, illis de perfidia non cedentibus. Ad postremum placuit, decem legatos mitti ad Imperatorem, vt quæ esset

Hist. Trip. lib. 5 c. 20.

partium fides & sententia cognosceret, sciretque pacem cum hæreticis esse non posse. Idem Arriani faciunt, mittuntque numero pari legatos, qui aduersum nostros co-

D ram Imperatore confligerent: sed ex parte nostrorum leguntur homines adolescētes, parum docti, & parū cauti: ab Arrianis autem missi, senes, callidi, & ingenio valentes, veterno perfidiæ imbuti, qui apud Regem facilè superiores extiterunt. Sed nostris mandatum, ne quo modo cum Arrianis communionem inirent, omniáque integra Synodo reseruarent. Interim in Oriente exemplo Occidentalium, Imperator iubet cunctos ferè Episcopos apud Seleuciam Isauriæ oppidum congregari.

Synod. Seleuciana in Oriente anno eodem Socr. li. 5 c. 34. Tri. hist.

Qua tempestate Hilarius, quartum iam exilij annum in Phrygia agens, inter reliquos Episcopos, per vicarium ac præsidem data euectionis copia adesse compellitur, cùm tamen nihil de eo specialiter mandasset Imperator,

Anno Christi. 359.

E iudices tantùm generalem iussionem secuti, qua omnes Episcopos ad concilium cogere iubebantur, hunc quoque inter reliquos volentes misere: vt ego coniicio, Dei nutu ita gestum, vt vir diuinarum rerum instructissimus cùm de fide disceptandum erat, interesset. Is vbi Seleuciam venit, magno cum fauore exceptus, omnium in se animos & studia conuerterat, ac primùm quæsitum ab eo, quæ esse Gallorum fides: quia tum Arrianis praua de nobis vulgantibus, suspecti ab Orientalibus habebamur, Trionymam solitarij Dei vnionem secundum Sabellium credidisse, sed exposita fide sua, iuxta ea quæ Nicææ erant à patribus conscripta Occidentalibus perhibuit testimonium. Ita absolutis omnium animis, intra conscientiam communionis, nec non etiam in societatem receptus, concilioque ascitus est. Agi deinde cœ-

Hilarius exul.

A ptum: repertique præter hæresis auctores, atque ab Ecclesiæ corpore auulsi. In eo numero fuere, Georgius ab Alexādria, Acacius, Eudoxius, Vranius, Leontius, Theodosius, Euagrius, Theodolus. Sed confecta Synodo, decreta ad Imperatorem legatio, quæ gesta insinuarent; damnati quoque ad regem profecti, satis freti sociorum viribus, & principis societate. Interea legatos Ariminensis concilij ex parte nostrorum compellit Imperator, vniri hæreticorum communioni: eisdémque conscriptam ab improbis fidem tradit, verbis fallentibus inuolutam, quæ Catholicam disciplinam, perfidia latente, loqueretur. Namque Vsiæ verbum tāquam ambiguum, & temerè à Patribus vsurpatum, neque ex auctoritate scripturarum profectum, sub specie falsæ rationis abolebat, ne vnius cum patre substantiæ filius crederetur. Eadem fides similem patri filium fatebatur. Sed interiùs adeiat fraus parata, vt esset similis, non esset æqualis. Ita dimissis legatis, præfecto mandatum, vt Synodum non antè laxaret, quàm conscriptæ fidei consensisse se omnes subscriptionibus profiterentur. Ac si qui pertinaciùs obsisterent, dummodo is numerus intra quindecim esset, in exilium pellerentur. Sed regressis legatis, licet vim regiam deprecantibus, negata communio. Enimuerò compertis quæ decreta erant, maior rerum & consiliorum perturbatiò: dein paulatim pleríque nostrorum partim imbecillitate ingenij, partim tædio peregrinationis euicti, dedere se aduersariis iam post reditum legatorum superioribus, & Ecclesiam (nostris inde detrusis) obtinentibus, factáque semel inclinatione animorum, cateruatim in partem alteram conces-

Socr. Trip. hist. l. 5 c. 34 & seq.

C sum: donec ad viginti vsque nostrorum numerus imminutus est. Sed hi quanto pauciores, tanto validiores erant. Constantissimúsque inter eos habebatur, noster Fægadius, & Seruatio Tungrorum Episcopus; hos, quia minis & terroribus non cesserant, Taurus precibus aggreditur, ac lacrymans obtestatur, meliora vt consulerent. Clausos intra vnam vrbem Episcopos iam septimum mensem agere: iniuria hiemis & inopia confectis, nullam spem reuersionis dari: quis tandem esset finis? sequerentur plurium exemplum, auctoritatem saltem ex numero sumerent. Et enimuerò Fægadius paratum se exilio, atque ad omne supplicium, in quod deposceretur, profiteri, se ab Arrianis conceptam fidem recepturum. Ita in hoc certamine aliquot dies tracti, vbi

D parum ad pacem proficiebant, paulatim & ipse intractior, ad extremum proposita conditione euincitur. Namque Valens & Vrsatius affirmantes, præsentem fidem Catholica ratione conceptam, ab Orientalibus Imperatore auctore prolatam, cum piaculo repudiari, vt quis discordiarum finis foret, si quæ Orientalibus placuisset, Occidentalibus displiceret? Postremò si quid minùs plenè præsenti fide editum videretur, ipsi adderent, quæ addenda putarent: præbituros se, in his quæ essent adiecta, consensum. Fauorabilis professio pronis omnium animis excepta: nec vltra nostri repugnare ausi, iam quoquo modo finem rebus imponere cupientes. Dein conceptæ à Fægadio & Seruatione professiones, edi cœpere: in queis primùm Arrius totáque eius perfidia: cæterum non etiam patri æqualis, &

Arrianorū de Occidētalibus victoria.

E sine initio, sine tempore Dei filius pronuntiatur. Tum Valens tanquam nostros adiuuans, subiecit sententiam, cui inerat occultus dolus, filium Dei non esse creaturam, sicut cæteras creaturas, fefellitque audientes fraus professionis. Etenim his verbis quibus similis esse cæteris creaturis filius negabatur, creatura tamen, potior tantum cæteris, pronuntiabatur. Ita neutra pars vicisse se penitus, aut victam putare poterat: quia fides ipsa pro Arrianis, professiones verò postea adiectæ pro nostris erant: præter illam quam Valens subiunxerat, quæ tum non intellecta, serò demum animaduersa est. Hoc verò modo concilium dimissum, bono initio, fœdo exitu est consummatum. Igitur Arriani rebus nimium prosperè & secundùm vota fluentibus,

Sozom. lib. 5. cap. 35. Trip. hist.

Constantinopolim ad Imperatorem concurrunt: ibi repertos Seleuciensis Synodi legatos, vi regia compellunt, exemplo Occidentalium, prauam illam fidem recipere. Plerique abnuentes iniuriosa custodia ac fame vexati, captiuam conscientiam dedere. Multi constantiùs

Ibid. cap. 36. & 37.

retinentes, adem pro episcopatu in exilium detrusi, atque in eorum locum alij dati. Ita optimis Sacerdotibus aut metu territis, aut exilio deductis, perfidiæ paucorum cuncti concesserant. Aderat ibi tum Hilarius à Seleucia legatos secutus, nullis certis de se mandatis oppetiens Imperatoris voluntatem: si forsitan redire ad exilium iuberetur. Is vbi extremum fidei periculum animaduertit, Occidentalibus deceptis, Orientales per scelus vinci: tribus libellis publicè datis audientiam regis poposcit, vt de fide coram aduersarijs disceptaret. Id verò Ariani maximopere abnuere. Postremo quasi discordiæ seminarium & perturbator Orientis, redire ad Gallias iubetur, B absque exilij indulgentia. Verùm vbi permensus est orbem penè terrarum malo perfidiæ infectum, dubius animi & magna curarum mole æstuans, cùm plerisque videretur non ineundam cum his communionem, qui Ariminensem Synodum recepissent, optimum factu arbitrati, reuocare cunctos ad emendationem & pœnitentiam, frequentibus intra Gallias concilijs atque omnibus ferè Episcopis de errore profitentibus, apud Ariminum gesta condemnant, & in statum pristinum Ecclesiarum fidem reformant. Resistebat sanis consilijs Saturninus Arelatensium Episcopus, vir sanè pessimus, & ingenio malo prauóque: verumtamen præter hæresis infamiam, multis atque infandis criminibus conuictus, Ecclesia eiectus est. Ita partium vires, amisso duce infractæ. Paternus etiam à Petrocoris æquè vecors, nec detrectans perfidiam profiteri, sacerdotio pulsus: cæteris

Trip. hist. li. 6 cap. 24.

venia data. Illud apud omnes constitit, vnius Hilarij beneficio Gallias nostras piaculo hæresis liberatas. Cæterùm Lucifer tum Antiochiæ longè diuersa sententia fuit. Nam in tantum eos qui Arimini fuerant condemnauit, vt se etiam ab eorum communione secreuerit, qui eos sub satisfactione vel pœnitentia recepissent. Id rectè, an perperam constituerit, dicere non ausim. Paulinus & Rhodanius in Phrygia defuncti. Hilarius sexto anno postquam redierat, in patria obiit.

Gnosticorũ hæresis.

Sequuntur tempora ætatis nostræ grauia & periculosa, quibus non vsitato malo pollutæ Ecclesiæ, & perturbata omnia. Namque tum primum infamis illa Gnosticorum hæresis intra Hispanias deprehensa, superstitio exitiabilis arcanis occultata secretis. Origo istius mali, oriens ab Ægyptiis. Sed quibus ibi initiis coaluerit, haud facilè est disserere. Primus eam intra Hispanias Marcus quidam intulit, Ægypto profectus, Memphis

Priscillian⁹.

ortus, huius auditores fuere, Agape quædam non ignobilis mulier, & rhetor Helpidios. Ab his Priscillianus est institutus, familia nobilis, prędiues opibus, acer, inquies, facundus, multa lectione eruditus, disserendi ac disputandi promptissimus: felix profectò, si non prauo studio corrupisset optimum ingenium: prorsus multa in eo animi & corporis bona cerneres, vigilare multum, famem ac sitim ferre poterat, habendi minimè cupidus, vtendi parcissimus, sed idem vanissimus, & plus iusto inflatior profanarum rerum scientia. Quin & magicas ar-

Leo Papa epi. 93. ad Tur.

E tes ab adolescentia eum exercuisse creditum est. Is vbi doctrinam exitiabilem aggressus est, multos nobilium, pluresque populares auctoritate persuadendi, & arte blandiendi allicuit in societatem. Ad hoc mulieres nouarum rerum cupidæ fluxa fide, & ad omnia curioso ingenio, cateruatim ad eum confluebant. Quippe humilitatis speciem ore & habitu prætendens, honorem sui & reuerentiam cunctis iniecerat. Iámque paulatim perfidiæ istius tabes, pleráque Hispaniæ peruaserat; quin & nonnulli Episcoporum deprauati, inter quos Instantius & Saluianus Priscillianum non solum consensione, sed sub quadam etiam coniuratione susceperant. Quo Adyginus Episcopus Cordubensis ex vicino agens comper-

A to, ad Idacium emeritæ ætatis Sacerdotem refert. Is verò sine modo, & vltra quam oportuit, Instantium sociósque eius lacessens, facem quandam nascenti incendio subdidit: vt exasperauerit malos potiùs, quàm compresserit. Igitur post multa inter eos, & digna memoratu certamina, apud Cæsaraugustam Synodus congregatur: cui tum etiã Aquitani Episcopi interfuere. Verùm hęretici

Synodus Cęsaraugustana.

cõmittere se iudicio non ausi, in absentes tum lata sententia, damnatíque Instantius & Saluianus Episcopus Helpidius & Priscillianus laici. Additum etiam, vt si quis damnatos in communionem recepisset, sciret in se eandem sententiam promendam. Atque id Ithacio Sossubensi Episcopo negotium datum, vt decretum Episcoporum in omnium notitiam deferret, maximéq; Iginum extra communionem faceret: qui cùm primus omnium insectari palàm hæreticos cœpisset, postea turpiter deB prauatus, in communionem eos recepisset. Interim Instantius & Saluianus damnati iudicio Sacerdotum, Priscillianum etiam laicum, sed principem malorum omnium, vnà secum Cæsaraugustana Synodo notatum, ad confirmandas vires suas Episcopum in Labilensi oppido constituunt: rati nimirum, si hominem acrem & callidum sacerdotali auctoritate armassent, tutiores fore sese. Tum verò Idacius atque Ithacius acriùs instare arbitrantes posse inter initia malum comprimi: sed parum sanis consilijs sæculares iudices adeunt, vt eorum decretis atque executionibus, hæretici vrbibus pellerentur. Igitur post multa & fœda Idacio supplicante, elicitur à Gratiano tum Imperatore rescriptum, quo vniuersi hæretici excedere non Ecclesiis tantùm aut vrbibus, sed exC tra omnes terras propelli iubebantur. Quo comperto, Gnostici diffisi rebus suis, non ausi iudicio certare, sponte cessere, qui Episcopi videbantur: cæteros metus dispersit. At tum Instantius, Saluianus & Priscillianus Romam profecti, vt apud Damasum vrbis ea tempestate Episcopum obiecta purgarent. Sed iter eis præter interiorem Aquitaniam fuit: vbi tum ab imperitis magnificè suscepti, sparsere perfidiæ semina, maximéque Elusanam plebem, sanè tum bonam & religioni studentem, prauis prædicationibus peruertêre, à Burdigala per Delphinum repulsi, tamen in agro Euchrociæ aliquantisper morati, infecêre nonnullos suis erroribus. Inde iter cœptum ingressi, turpi sanè, pudibundoque comitatu, cum vxoribus atque alienis etiam fœminis, in queis erat D Euchrocia, ac filia eius Procula: de qua fuit in sermone hominum, Priscilliani stupro grauidam, partum sibi graminibus abegisse. Hi vbi Romam peruenêre, Damaso se purgare cupientes, ne in conspectum quidem eius admissi sunt. Regressi Mediolanum, æquè aduersantem sibi Ambrosium repererunt. Tum vertêre consilia, vt

D. Ambrosius aduersatur Priscillianistas.

quia duobus Episcopis, quorum ea tempestate summa auctoritas erat, non illuserant, largiendo & ambiendo ab Imperatore cupita extorquerent, ita corrupto Macedonio, tum Magistro officiorum, rescriptum eliciunt, quo calcatis quæ priùs decreta erant, restitui Ecclesiis iubebantur. Hoc freti Instantius & Priscillianus, repetiuere Hispanias. Nam Saluianus in vrbe obierat: Ac tum sine vllo certamine Ecclesias, quibus præfuerant, recepere. Verùm Ithacio ad resistendum non animus, E sed facultas defuit: quia hæretici corrupto Voluentio proconsule, vires suas confirmauerant. Quin etiam Ithacius ab his quasi perturbator Ecclesiarum reus postulatus, iussúsque per atrocem executionem deduci, trepidus profugit ad Gallias: ibi Gregorium præfectum adiit.

Qui compertis quæ gesta erant, rapi ad se turbarum auctores iubet, ac de omnibus ad Imperatorem refert, vt hæreticis viam ambiendi præcluderet. Sed id frustra fuit: quia per libidinem & potentiam paucorum, cuncta ibi venalia erant. Igitur hæretici suis artibus, grandi pecunia Macedonio data, obtinent, vt Imperiali auctoritate præfecto erepta cognitio, Hispaniarum vicario. Nam iam proconsulem habere desierant: missique

à Magistro officiales, qui Ithacium tum Treueris agentem ad Hispanias retraherent. Quos ille callidè frustratur: ac postea per Pritannium Episcopum defensus, illusit. Iam rumor incesserat Clementem Maximum intra Britannias sumpsisse imperium, ac breui in Gallias erupturum. Ita tum Ithacius statuit, licet rebus dubiis, noui Imperatoris aduentum expectare: interim sibi nihil agitandum. Igitur vbi Maximus oppidum Treuerorum victor ingressus est, ingerit preces plenas in Priscillianum ac socios eius inuidiæ atq; criminum. Quibus permotus Imperator, datis ad præfectum Galliarum atque ad vicarium Hispaniarum litteris, omnes omnino quos labes illa inuoluerat, deduci ad Synodum Burdigalensem iubet. Ita deducti Instantius & Priscillianus: quorum Instantius prior iussus caussam dicere, postquàm se parum expurgabat, indignus esse Episcopatu pronuntiatus est. Priscillianus verò, ne ab Episcopis audiretur, ad principem prouocauit, permissúmque id nostrorum inconstantia: quia aut sententiam in refragantem ferre debuerant, aut si hi ipsi suspecti habebātur, aliis Episcopis audientiam reseruare, non caussam Imperatori de tam manifestis criminibus permittere. Ita omnes quos caussa inuoluerat, ad regem deducti. Secuti etiam accusatores, Idacius & Ithacius Episcopi: quorum studium in expugnandis hæreticis non reprehenderem, si nō studio vincēdi plus quàm oportuit certassent. Ac mea quidem sententia est, mihi tā reos quàm accusatores displicere. Certè Ithaciū nihil pensi, nihil sancti habuisse definio, fuit enim audax, loquax, impudens, sumptuosus, vētri & gulæ plurimum impertiens. Hic stultitiæ eò vsque processerat, vt omnes etiam sanctos viros, quibus aut studium inerat lectionis, aut propositum erat certare ieiuniis, tanquam Priscilliani socios aut discipulos, in crimen arcesseret. Ausus etiam miser est, ea tempestate Martino Episcopo, viro planè Apostolis conferendo, palàm obiectare hæresis infamiam. Namque tum Martinus apud Treueros constitutus, non desinebat increpare Ithacium, vt ab accusatione desisteret: Maximum orare vt sanguine infælicium abstineret: satis supérque sufficere, vt Episcopali sententia hæretici iudicati Ecclesiis pellerentur: nouum esse & inauditum nefas, vt caussam Ecclesiæ, iudex sæculi iudicaret. Denique quoad vsque Martinus Treueris fuit, dilata cognitio est, & mox discessurus, egregia auctoritate à Maximo elicuit sponsionem, nihil cruentum in reos constituendum. Sed postea Imperator per Magnum & Rufum Episcopos deprauatus, & à mitioribus consiliis deflexus, caussam Præfecto Euodio permisit, viro acri & seuero. Qui Priscillianum gemino iudicio auditum, conuictúmque maleficij, nec diffitentem obscœnis se studuisse doctrinis, nocturnos etiam turpium feminarum egisse conuentus, nudúmque orare solitum: nocentem pronuntiauit, redegitque in custodiam, donec ad principem referret. Gestis ad palatium delatis, censuit Imperator, Priscillianum, sociósq; eius capitis damnari oportere. Cæterùm Ithacius videns, quàm inuidiosum sibi apud Episcopos foret, si accusator, etiam postremis rerum capitalium iudiciis astitisset (etenim iterari iudicium necesse erat) subtrahit se cognitioni, frustra, callido iam scelere perfecto. At tum per Maximum accusator apponitur Patricius quidam, fisci patronus. Ita eo insistente, Priscillianus capitis damnatus est, vnáque cum eo Felicissimus & Armenius, qui nuper à Catholicis, clerici Priscillianum secuti, desciuerant. Latronianus quoq;, & Euchrocia, gladio perempti. Instantius, quem superiùs ab Episcopis damnatum diximus, in Sylinam insulam quæ vltra Britanniam sita est, deportatus. Itum deinde in reliquos sequentibus iudiciis, damnatique Asarinus & Aurelius Diaconus, gladio. Tiberianus, ademptis bonis, in Sylinam insulam datus. Tertullus, Potamius & Ioannes, tanquam viliores personæ, & digni misericordia, quia ante quæstionem se ac socios prodidissent, temporario exilio intra Gallias relegati. Hoc ferè modo homines luce indignissimi, pessimo exemplo necati, aut exiliis mulctati: quod initio iure iudiciorum & egregio publico defensum, postea Ithacius iurgiis solitus, ad postremum conuictus, in eos retorquebat, quorum id mandato & consiliis effecerat: solus tamen omnium Episcopatu detrusus Nardacius, licet minùs nocens, spontè se Episcopatu abdicauerat. Sapienter id, & verecundè, nisi postea amissum locum repetere tentasset. Cæterùm Priscilliano occiso, non solùm non repressa est hæresis, quæ illo auctore proruperat, sed confirmata latiùs propagata est, námque sectatores eius, qui eum priùs vt sanctum honorauerant, postea vt Martyrem colere cœperunt. Peremptorum corpora ad Hispanias relata, magnisque obsequiis celebrata eorum funera. Quin & iurare per Priscillianum summa religio putabatur, ac inter nostros perpetuum discordiarum bellum exarserat: quod iam per quindecim annos fœdis dissensionibus agitatum, nullo modo sopiri poterat. Et nunc cùm maximè discordiis Episcoporum turbari aut misceri omnia cernerentur, cunctáque per eos odio aut gratia, metu, inconstantia, inuidia, factione, libidine, auaritia, arrogantia, somno, desidia essent deprauata. postremò plures aduersum paucos bene consulentes, insanis consiliis & pertinacibus studiis certabant: inter hæc plebs Dei, & optimus quisque probro atque ludibrio habebatur.

Maximus imperator Galliarum.

Ithacius accusator.

Vide Dialogum. 4.

Hæretici à Maximo capitis dānati.

Anno Christi 387.

S. SVLPICII SEVERI BITVRIC. ARCHIEP. AD DESIDERIVM, IN lib. suum de vita B. Martini, Præfatio.

SEVERVS, *Desiderio fratri charissimo, salutem. Ego quidem frater vnanimis libellum quem de vita S. Martini scripseram, scheda sua premere, & intra domesticos parietes cohibere decreueram: quia vt sum natura infirmus, iudicia humana vitabam, ne (quod fore arbitror) sermo incultior legentibus displiceret, omniúmque reprehensione dignissimus iudicarer, qui materiam disertis meritò scriptoribus reseruandam, impudens occupassem: sed petenti tibi sæpius, negare non potui. Quid enim esset, quod non amori tuo, vel cum detrimento mei pudoris impenderem? Veruntamen ea tibi fiducia libellum edidi, qua nulli à te prodendum reor, quia id spopondisti. Sed vereor, ne tu ei ianua sis futurus: & emissus semel, non queat reuocari. Quod si acciderit, & ab aliquibus eum legi videris: bona id venia à lectoribus postulabis, vt res potius quàm verba perpendant: & æquo animo ferant, si aures eorum vitiosus forsitan sermo perculerit: quia regnum Dei non in eloquentia, sed in fide constat. Meminerint etiam salutem sæculo non ab oratoribus, sed à piscatoribus prædicatam: cùm vtique, si vtile fuisset, id quoque Dominus præstare potuisset. Ego enim cum primum animum ad scribendum appuli, quia nefas putarem tanti viri latére virtutes, haud me ipse dedicet, vt solœcismis nō erubescerem, quia nec magnam istarum vnquam rerum scientiam contigissem: & si quid ex his studiis olim fortasse libassem, totum id desuetudine tanti temporis perdidissem. Sed tamen ne nos maneat tā molesta defensio, suppresso, si tibi videtur, nomine, libellus edatur. Quod vt fieri valeat, titulum frontis rade, vt muta sit pagina: & quod sufficit, loquatur materiam, non loquatur auctorem.*

SVLPICII SEVERI DE B. MARTINI VITA; LIBER.

PLERIQVE *mortales studio gloriæ sæcularis inaniter dediti, exinde perennem (vt putabant) memoriam nominis sui quæsiuerunt, si vitas clarorum virorum stylo illustrassent. Quæ res vtique non perennem quidem, sed aliquantulum tamen conceptæ spei fructum afferebat: quia & sui memoriam, licet incassum, propagabant: & propositis magnorum virorum exemplis, non parua æmulatio legentibus excitabatur. sed tamen nihil ad beatam illam æternámque vitam hæc eorum cura pertinuit. Quid enim aut ipsis occasura cum sæculo scriptorum suorum gloria profuit? aut quid posteritas emolumenti tulit, le-*

Prologus.

gendo Hectorem pugnantem, aut Socratem Philosophantem? cùm eos non solùm imitari stultitia sit, sed non acerrimè etiam impugnare, dementia: quippe qui humanam vitam præsentibus tantùm actibus æstimantes, spes suas fabulis, animas suas sepulchris dederint. Siquidem ad solam hominum memoriam se perpetuandos crediderunt: cùm hominis officium sit perennem potius vitam, quàm perennem memoriam quærere, non scribendo, aut pugnando, vel philosophando, sed piè, sanctè, religiosèque viuendo. Qui quidem error humanus, litteris traditus, in tantum valuit, vt multos planè æmulos vel inanis philosophiæ, vel stultæ illius virtutis inuenerit. Vnde facturus mihi operæpretium videor, si vitam sanctissimi viri, exemplo aliis mox futuram, perscripsero: quo vtique ad veram sapientiam, & cælestem militiam, diuinámque virtutem legentes incitabuntur. In quo ita nostri quoque rationem commodi ducimus, vt non inanem ab hominibus memoriam, sed æternum à Deo præmium expectemus: quia etsi ipsi non ita viximus, vt aliis exemplo esse possimus: dedimus tamen operam, ne is lateret, qui esset imitandus. Igitur S. Martini vitam scribere exordiar, vt quæ vel ante Episcopatum, vel in Episcopatu gesserit, quamuis nequaquam ad omnia illius potuerim peruenire: adeò ea, in quibus ipse tantum sibi conscius fuit, nesciuntur: quia laudem ab hominibus non requirens, quantum in ipso fuit, omnes virtutes suas latere voluisset. Quanquam etiam ex his quæ comperta nobis erant, plura omisimus, quia sufficere credidimus, si tantùm excellentiora notarentur. Simul & legentibus consulendum fuit, ne quod his pareret copia congesta fastidium. Obsecro autem eos qui lecturi sunt, vt fidem dictis adhibeant: neque me quidquam nisi compertum & probatum scripsisse, arbitrentur: alioquin tacere, quàm falsa dicere maluissem.

Libri argumentum.

Exordium vitæ S. Martini à S. Seuero conscriptæ, esse in annorum numeris deprauatum non culpa auctoris, sed librariorum, multis argumentis ostenditur in notis ad Roman. martyrologium 11. Nouemb. & tom. 3. Annal. Eccles. anno Christi 351. cap. 17. & seqq. quo lectorem amandamus.

Cap. 1.

IGITVR Martinus Sabariæ Pannoniarum oppido oriundus fuit, sed intra Italiam Ticini altus est, parentibus secundum sæculi dignitatem non infimis, Gentilibus tamen. Pater eius miles primùm, post tribunus militum fuit. Ipse armatam militiam in adolescentia secutus, inter scholares alas sub rege Constantio, deinde sub Iuliano Cæsare militauit: non tamen sponte: quia à primis ferè annis diuinam potiùs seruitutem, sacra illustris pueri spirauit infantia. Nam cùm esset annorum decem, inuitis parentibus ad Ecclesiam confugit, séque Catechumenum fieri postulauit. Mox mirum in modum totus in Dei opere conuersus, cùm esset annorum duodecim, eremum concupiuit: fecissétque votis satis, si ætatis infirmitas non obstitisset. animus tamen aut circa Monasteria, aut circa Ecclesiam semper intentus, meditabatur adhuc in ætate puerili, quod postea deuotus impleuit: sed cùm edictum esset à regibus, vt veteranorum filij ad militiam scriberentur, prodente Patre, qui felicibus eius actibus inuidebat, cùm esset annorum quindecim, captus & cathenatus, Sacramentis militaribus implicatus est, vno tantum seruo comite contentus: cui tamen versa vice dominus seruiebat, adeò vt plerumque ei & calceamenta detraheret, & ipse detergeret: cibum vnà caperent, hic tamen sæpius ministraret. Triennium ferè ante baptisma in armis fuit, integer tamen ab iis vitiis, quibus illud hominum genus implicari solet. Multa illi circa commilitones benignitas, mira charitas: patientia verò atque humilitas vltra humanum modum. Nam frugalitatem in eo laudare non est necesse, quia ita vsus est, vt iam illo tempore non miles, sed Monachus putaretur. Quibus rebus ita sibi omnes commilitones suos deuinxerat, vt eum miro affectu venerarentur. Necdum tamen regeneratus in Christo, agebat quendam bonis operibus baptismatis candidatum: assistere scilicet laborantibus, opem ferre miseris, alere egentes, vestire nudos, nihil sibi ex militiæ stipendiis præter quotidianum victum reseruans;

B. Martini militia.

iam tum Euangelij non surdus auditor, de crastino non cogitabat.

Cap. 2.

Quodam itaq; tempore, cùm iam nihil præter arma & simplicem militiæ vestem haberet, media hieme, quæ solita asperior inhorruerat, adeò vt plerósq; vis algoris extingueret, obuium habet in porta Ambianensium ciuitatis pauperem nudum: qui cùm prætereuntes, vt sui misererentur, oraret, omnésq; miserū præterirent: intellexit vir Deo plenus, sibi illum, aliis misericordiā non præstātibus, reseruari. Quid tamen ageret? nihil præter chlamydem, qua indutus erat, habebat: iam enim reliqua in opus simile consumpserat, arrepto itaq; ferro, quo accinctus erat, mediam diuidit, partémque eius pauperi tribuit, reliqua rursus induitur. Interea de circumstantibus ridere nonnulli, quia deformis esset, & truncatus habitu videretur: multi tamen, quibus erat mens sanior, altiùs gemere, quòd nihil simile fecissent: cùm vtique plus habentes, vestire pauperē sine sua nuditate potuissent. Nocte igitur insecuta, cùm se sopori dedisset, vidit Christū chlamydis suæ, qua pauperem texerat, parte vestitū. Intueri diligentissimè Dominum, vestémq; quam dederat, iubetur agnoscere. mox ad Angelorum circumstantium multitudinem, audit Iesum clara voce dicentem: Martinus adhuc Catechumenus, hac me veste contexit. Verè memor Dominus dictorum suorum (qui antè prædixerat: Quamdiu fecistis hæc vni ex minimis istis, mihi fecistis) se in paupere professus est fuisse vestitum: & ad confirmandum tam boni operis testimonium, in eodem se habitu quam pauper acceperat, est dignatus ostendere. Quo viso, vir beatus non in gloriam est elatus humanam, sed bonitatem Dei in suo opere cognoscens, cùm esset annorum duodeuiginti, ad baptismum conuolauit. Nec tamen statim militiæ renuntiauit, tribuni sui precibus euictus, cui contubernium familiare præstabat, etenim transacto tribunatus sui tempore, renuntiaturum se sæculo pollicebatur. Qua Martinus expectatione suspensus, per biennium ferè, posteaquàm est baptisma consecutus, solo licet nomine, militauit.

Pauperem vestit apud Ambianenses.

Martino apparet Christus.

Quo tempore baptizatus est.

Cap. 3.

Interea irruētibus intra Gallias Barbaris, Iulianus Cæsar, coacto in vnū exercitu apud Vangionū ciuitatē, donatiuū cœpit erogare militibus: vt est cōsuetudinis, singuli citabantur, donec ad Martinum ventum est. Tū verò opportunū tēpus existimans, quo peteret missionē, (neque enim integrum sibi fore arbitrabatur, si donatiuum nō militaturus acciperet:) Hactenus, inquit ad Cæsarē, militaui tibi: patere vt nunc militē Deo: donatiuum tuū, militaturus accipiat: Christi ego miles sum, pugnare mihi non licet. Tum verò aduersus hanc vocem tyrannus infremuit: dicens, eum metu pugnæ quę postera die erat futura, non religionis gratia, detrectare militiā. At Martinus intrepidus, immo illatu sibi terrore cōstantior: Si hoc, inquit, ignauiæ ascribitur, non fidei, crastina die ante aciem inermis adstabo: & in nomine Domini Iesu, signo crucis, non clypeo protectus, aut galea, hostium cuneos penetrabo securus. Retrudi ergo in custodiam iubetur, facturus fidem dictis, vt inermis Barbaris obiiceretur. Postea die hostes, legatos de pace miserunt, sua omnia seséque dedentes. Vnde quis dubitet, hanc verè beati viri fuisse victoriam, cui præstitum sit, ne inermis ad prælium mitteretur. Et quamuis pius Dominus seruare militem suum, licet inter hostium gladios & tela potuisset: tamen ne vel aliorum morte sancti violarentur obtutus, exemit pugnæ necessitatem. Neq; enim aliam pro milite suo Christus debuit præstare victoriam, quàm vt subactis sine sanguine hostibus, nemo moreretur.

Anno Christi 356.

Militiam mundi deserit vt Christum sequatur.

Exinde relicta militia, sanctum Hilarium Pictauæ Episcopum ciuitatis, cuius tunc in Dei rebus spectata & cognita fides habebatur, expetiuit: & aliquamdiu apud eum commoratus est. Tentauit autem idem Hilarius, imposito Diaconij officio, sibi eum arctiùs implicare, & ministerio vincire diuino, sed cùm sæpissimè restitisset, indignum se esse vociferans: intellexit vir altioris inge-

Cap. 4. Ad B. Hilarium festinat.

nij, hoc eum modo posse constringi, si id ei officij imponeret, in quo quidam locus iniuriæ videretur. Itaque exorcistam eum esse præcepit. Quam ille ordinationem, ne despexisse tanquam humiliorem videretur, non repudiauit. Nec multò pòst admonitus per soporem, vt patriam parentésque, quos adhuc gentilitas detinebat, religiosa sollicitudine visitaret, ex voluptate sancti Hilarij

Parentes B. Martini Gentiles.

profectus est, multísque ab eo adstrictus precibus & lachrymis vt rediret, mœstus (vt ferunt) peregrinationem illam aggressus est, contestatus fratres, multa se aduersa passurum. Quod postea probauit euentus. Ac primùm

A latronibus capitur.

interet Alpes deuia secutus, incidit in latrones. Cúmque vnus securim eleuatam in caput eius librasset, ictumque ferientis dextera sustinuit alter: vinctis tamè post tergum manibus, vni seruandus & spoliandus traditur. Qui cùm eum ad remotiora duxisset, percontari ab eo cœpit, quisnam esset? Respondit, Christianum se esse. Quærebat etiam ab eo, an timeret. Tum vero constantissimè profitetur, nunquam se fuisse tam securum, quia sciret misericordiam Domini maximè in tentationibus affuturam: se magis illi condolere, qui Christi misericordia,

Latronem conuertit ad fidem.

vtpote latrocinia exercens, esset indignus. Ingressúsque Euangelicam disputationem, verbum Dei latroni prædicabat. Quid longiùs morer? Latro credidit, prosecutúsque Martinum viæ reddidit, orans vt pro se Dominum precaretur. idémque postea religiosam agens vitam visus est, vt hæc quæ supra retulimus, ab ipso audita dicantur. Igitur Martinus inde progressus, cùm Mediolanum prætergressus, diabolus in itinere, humana specie assumpta

Diabolus occurrit illi.

se ei obuium tulit, Quò tenderet, quærens. Cúmque id à Martino responsi accepisset, se quò Dominus vocaret, intendere: ait ad eum, Quocunque ieris, vel quæcunque tentaueris, diabolus tibi aduersabitur. Tunc ei prophetica voce respondit: Dominus mihi adiutor est, non timebo quid faciat mihi homo. Statímque è conspectu eius inimicus euanuit. Itaque vt animo ac mente conceperat, matrem Gentilitatis absoluit errore, patre in malis perseuerante: plures tamen suo saluauit exemplo.

Arrianis resistens virgis cæditur.

Deinde cùm hæresis Arriana per totum orbem & maximè intra Illyricum pullulasset, cùm aduersus perfidiam Sacerdotum solus penè acerrimè pugnaret, multísque supplicijs esset affectus (nam & publicè virgis cæsus est, & ad extremum de ciuitate exire compulsus) Italiam repetens, cùm intra Gallias quoque discessu sancti Hilarij, quem ad exilium hæreticorum vis coëgerat, turbatam

Monasteriũ Mediolani statuit.

Ecclesiam comperisset, Mediolani sibi Monasterium statuit. ibi quoque eum Auxentius, auctor & Princeps Arrianorum, grauissimè insectatus est: multísque affectum iniurijs, de ciuitate exturbauit. Cedendum itaque tempori arbitratus, ad insulam Gallinariam nomine secessit: comite quodam Presbytero, magnarum virtutum viro.

Radicibus & helleboro vescitur.

Hic aliquandiu radicibus vixit herbarum: quo tempore helleborum, venenatum, vt ferunt, gramen, in cibum

Anno Christi ferè 360. aut 361.

sumpsit. Sed cùm vim veneni in se grassantis vicina iam morte sensisset, imminens periculum oratione repulit, statímque omnis dolor fugatus est. Nec multò pòst cùm S. Hilario comperisset Regis pœnitentia potestatem indultam fuisse redeundi, Romæ ei tentauit occurrere, profectúsque ad vrbem est.

Cap. 5.

Cùm iam Hilarius præterisset, ita eum est vestigijs prosecutus: cúmque ab eo gratissimè fuisset susceptus haud longè sibi ab oppido Monasterium collocauit. quo tempore se ei quidam catechumenus iunxit, cupiens sanctissimi viri institui disciplinis: paucísque interpositis diebus languore correptus, vi febrium laborabat, ac tum Martinus fortè discesserat: & cum per triduum defuisset, regressus corpus exanime inuenit: ita subita mors fuerat, vt absque baptismate humanis rebus excederet. corpus in medio positum tristi mœrentium fratrum frequentabatur officio, cùm Martinus flens & eiulans accurrit. tum verò sanctum Spiritum tota mente concipiens, egredi cellulam, in qua corpus iacebat, cæteros iubet, ac foribus obseratis, super exanimata defuncti fra-

A tris membra prosternitur: & cùm aliquandiu orationi incubuisset, sensissétque per Spiritum Domini adesse virtutem, erectus paululum, & in defuncti ora defixus, orationis suæ ac misericordiæ Domini intrepidus expectabat euentum: vixque duarum ferè horarum spatium

Catechumenum sibi sociũ in vitam reuocat.

intercesserat, cùm vidit defunctum paulatim membris omnibus commoueri, & laxatis in visum videndi palpitare luminibus. Tum verò magna ad Dominum voce conuersus gratias agens, cellulam clamore complet. Quo strepitu audito, qui pro foribus astiterant, statim irruũt. Mirum spectaculum, quòd videbant viuere, quem mortuum reliquissent. Ita redditus vitæ, statim baptisma consecutus, plures postea vixit annos: primúsque apud nos Martini virtutum vel materia, vel testimonium fuit. Idem tamen referre erat solitus, se corpore exutum

B ad tribunal Iudicis ductum, deputatúmque obscuris locis & vulgaribus turbis tristem excepisse sententiam: tum per duos Angelos iudici fuisse suggestum, hũc esse pro quo Martinus oraret: ita per eosdem angelus se iussum reduci, & Martino redditum, vitæque pristinæ restitutum. Ab hoc primo tempore beati viri nomen enituit, vt qui sanctus iam ab omnibus habebatur, potens etiam & verè Apostolicus haberetur.

Cap. 6.

Nec multo post, dum agrum Lupicini cuiusdam honorati secundùm sæculum viri præteriret: clamore & luctu turbæ plangentis excipitur. ad quam sollicitus cùm astitisset, & quis esset hic fletus, inquireret: indicatur vnum è familia seruulum laqueo sibi vitam extorsisse: quo cognito, cellulam, in qua corpus iacebat, ingreditur: exclusísque omnibus turbis, superstratus corpori,

Suffocatus à mortuis suscitatur.

C aliquantisper orauit: mox viuescente vultu, marcescentibus oculis in hora illa defunctus erigitur: lentóque conamine eursus assurgere, apprehensa beati viri dextera, in pedes constitit: atque ita cum eo vsque ad vestibulum domus turba omni inspectante, processit.

Cap. 7.

Sub idem ferè tempus ad Episcopatum Turonicæ Ecclesiæ petebatur: sed cùm erui à Monasterio suo facilè non posset, Ruricius quidam, vnus è ciuibus, vxoris languore simulato, ad genua illius prouolutus, vt egrederetur obtinuit. Ita dispositis iam in itinere ciuium turbis,

D. Martinus tractus ad Turonen. Episcopatum.

sed quadam custodia ad ciuitatem vsque deducitur, mirum in modum incredibilis multitudo non solum ex illo oppido, sed etiam ex vicinis vrbibus ad suffragia ferenda conuenerat. Vna omnium voluntas, eadem vota,

D eadémque sententia Martinum Episcopatu esse dignissimum, fœlicem fore tali Ecclesiam Sacerdote. pauci tamen & nonnulli ex Episcopis, qui ad constituendum Antistitem fuerant euocati, impiè repugnabant dicentes: Scilicet contemptibilem esse personam, indignum esse Episcopatu, hominem vultu despicabilem, veste sordidum, crine deformem. Ita à populo sententiæ sanioris hæc illorum irrisa demētia est, qui illustrem virum dum vituperare cupiunt, prædicabant. Nec verò aliud his facere licuit, quàm quod populus, Domino volente cogebat, inter Episcopos tamen qui affuerant, præcipuè Defensor quidam nomine, dicitur restitisse: vnde animaduersum est, grauiter illum lectione prophetica tunc notatum. Nam cùm fortuitò lector, cui legendi eo die of-

E ficium erat, interclusus à populo defuisset, turbatis ministris, dum expectatur qui non aderat, vnus è circumstantibus sumpto psalterio, quem primum versum inuenit, arripuit. Psalmus autem hic erat: Ex ore infantium

Psal. 8. a. 3.

& lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos vt destruas inimicum & defensorem. quo lecto clamor populi tollitur, pars diuersa confunditur. Atque ita habitum est, diuino nutu Psalmum hunc lectum fuisse, vt testimonium operis sui Defensor audiret, quia ex ore infantium atque lactentium in Martino Domini laude perfecta, & ostensus pariter & destructus est inimicus.

Episcopus Turonen. quomodo vixerit.

Iam verò sumpto Episcopato, qualem se, quantúmque præstiterit, non est nostræ facultatis euoluere. Idem enim constantissimè perseuerabat, qui priùs fuerat. Eadem in corde eius humilitas, eadem in vestitu eius vili-

tas erat: atque ita plenus auctoritatis & gratiæ, implebat Episcopi dignitatem, vt non tamen propositum monachi, virtutémque desereret. Aliquandiu ergo adhærente ad Ecclesiam cellula vsus est: deinde cùm inquietudinem frequentantium ferre non posset, duobus ferè extra ciuitatem milibus Monasterium sibi statuit. Qui locus tam secretus & remotus erat, vt eremi solitudinem non desideraret. Ex vno enim latere, præcisa montis excelsa rupe ambiebatur: reliquam planiciem Liger fluuius reducto paululum sinu clauserat: vna tantum eadémque arcta admodum via adiri poterat: ipse ex lignis contextam cellulam habebat. Multi quidem è fratribus in eundem modum, plerique saxo superiecti montis cauato, receptacula sibi fecerant. Discipuli verò octoginta erant, qui ad exemplum beati magistri instituebantur.

Monasterium construit apud Ligerim.

Monasticæ vitæ ratio.

Nemo ibi quidquam proprium habebat: omnia in medio conferebantur. Non emere, aut vendere (vt plerisque Monachis moris est) quidquam licebat. Ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur: cui tamen operi minor ætas deputabatur: maiores orationi vacabant. Rarus cuiquam extra cellulam fuit egressus, nisi cùm ad locum orationis conueniebant. Cibum vnà omnes post horam ieiunij accipiebant. vinum nemo nouerat, nisi quem infirmitas coëgisset. Plerique camelorum setis vestiebantur. mollior ibi habitus pro crimine erat. quod eo magis sit mirum necesse est, quòd multi inter eos nobiles habebantur, qui longè aliter educati, ad hanc se humilitatem & patientiam coëgerant: pluresque ex his postea Episcopos vidimus. Quæ enim esset ciuitas, aut Ecclesia, quæ non se de Martini Monasterio cuperet habere Sacerdotes.

Cap. 8.

Sed vt reliquas virtutes eius, quas in Episcopatu egit, aggrediar, erat haud longè ab oppido proximus Monasterij locus, quem falsa hominum opinio, velut consepultis ibi martyribus sacrauerat. nam & altare ibi à superioribus Episcopis constitutum habebatur. sed Martinus non temerè adhibens incertis fidem, ab his qui maiores natu erant Presbyteris, vel clericis, flagitabat sibi nomen martyris, vel tempora passionis ostendi: grandi se scrupulo permoueri, quòd nihil certi constans sibi maiorum memoria tradidisset. Cùm aliquandiu ergo in loco illo se abstinuisset, nec derogans religioni, quia incertus erat: nec auctoritatem suam vulgo accommodans, ne superstitio conualesceret: quodam die paucis secum adhibitis fratribus, ad locum pergit. Deinde super sepulchrum ipsum astans, orauit ad Dominum, vt quis esset, vel cuius meriti sepultus, ostenderet. Tum conuersus ad læuam, vidit propè assistere vmbram sordidam, trucem: imperat, nomen meritúmque vt loqueretur: nomen edicit, de crimine confitetur, latronem se fuisse, ob scelera percussum, vulgi errore celebratum, sibi nihil cum Martyribus esse commune: cùm illos gloria, se pœna retineret. Mirum in modum vocem loquentis, qui aderant, audiebant, personam tamen nō videbant. Tum Martinus, quid vidisset, exposuit: iussitque ex eo loco, altare quod ibi fuerat, submoueri: atque ita populum superstitionis illius absoluit errore.

Aram latroni consecratam demolitur.

Cap. 9.

Accidit autem in sequenti tempore, dum iter ageret, vt Gentilis cuiusdam corpus, quod ad sepulchrum cum superstitioso funere deferebatur, obuium haberet: conspicatúsque eminus venientium turbam, quidnam id esset ignarus, paululum stetit: nam ferè quingentorum passuum interuallum erat, vt difficile fuerit dignoscere quid videret, tamen quia rusticam manum cerneret, & agente vento linteamina corpori superiecta volitarent, profanos sacrificiorum ritus agi credidit: quia esset hæc Gallorum rusticis consuetudo simulachra dæmonum candido tecta velamine, misera per agros suos circumferre dementia. Eleuato ergo in aduersum signo crucis, imperat turbæ, non moueri loco, onúsque deponere: hic verò mirum in modum videres miseros primùm velut saxa riguisse: dein, cùm promouere se summo conamine niterentur, vltrà accedere non valentes, ridiculam in vertiginem rotabantur: donec victi pondere, corporis onus deponunt attoniti & semet inuicem aspectantes, quidnam sibi accidisset taciti cogitabant. Sed beatus vir cùm comperisset, exequiarum esse illam frequentiam non sacrorum, eleuata rursum manu, dat eis abeundi & tollendi corporis potestatem. Ita eos & cùm voluit, stare compulit: & cùm libuit, abire permisit.

Baiulos resistere cogit, redditque sui impotes.

Cap. 10.

Item, dum in vico quodam Templum antiquissimum diruisset, & arborem pinum quæ Fano erat proxima, esset aggressus excidere, tum verò Antistes loci illius, cæteráque Gentilium turba cœpit obsistere. & cùm iidem illi dum Templum euerteretur, imperante Domino quieuissent, succindi arborem nō patiebantur. ille eos sedulò commonere, nihil esse religionis in stipite: Deū potiùs, cui seruiret ipse, sequerentur: arborem illā excindi oportere, quia esset dæmoni dedicata. Tum ex illis vnus qui erat audacior cæteris: Si habes, inquit, aliquam de Deo tuo quem dicis te colere, fiduciam, nosmetipsi succidemus hanc arborem, tu ruentem excipe: & si tecum est tuus, vt dicis, Dominus euades. Tum ille intrepidè confisus in Domino, facturum se pollicetur. Hic verò ad istiusmodi conditionem, omnis illa Gentilium turba consensit: faciléinque arboris suæ habuere iacturam, si inimicum sacrorum suorum, casu illius obruissent. Itaque cùm vnam in partem pinus illa esset acclinis, vt non esset dubium quam in partem succisa corrueret, eo loco vinctus statuitur pro arbitrio rusticorum, quò arborem esse casuram nemo dubitabat. Succidere igitur ipsi suam pinum cum ingenti gaudio lætitiáque cœperunt. aderat eminus turba mirantium. iámque paulatim nutare pinus, & ruinam suam casura minitari. Pallebant eminùs Monachi, & periculo iam propiore conterriti, spem omnem fidémque perdiderant, solam Martini mortem expectantes. At ille confisus in Domino, intrepidus opperiens, cùm iam fragorem sui pinus concidens edidisset, iam cadenti, iam super se ruenti, eleuata obuiam manu, signum salutis opponit. tum verò turbinis modo (retroactam putares) diuersam in partem ruit: adeò, vt rusticos qui tuto loco steterant, penè prostrauerit. Tum verò in cœlum clamore sublato, Gentiles stupere miraculo, monachi flere præ gaudio, Christi nomen in commune ab omnibus prædicari: satísque constitit eo die salutem illi venisse regioni. Nam nemo ferè ex immani illa multitudine Gentilium fuit, qui nō impositione manus desiderata, Dominum Iesum, relicto impietatis errore, crediderit. Et verè ante Martinum pauci admodum immò penè nulli in illis regionibus Christi nomen receperant: quod adeò virtutibus illius, exemplóq; conualuit, vt iam ibi nullus locus sit, qui non aut Ecclesiis frequentissimis, aut monasteriis sit repletus. Nam vbi fana destruxerat, statim ibi aut Ecclesias, aut monasteria construebat.

Fana Gentilium diruit.

Ruentem arborem excipiens liberatur.

Ædificantur Templa Deo.

Cap. 11.

Nec minorem sub idem ferè tempus eodem in opere virtutem edidit. Nam cùm in vico quodam, fano antiquissimo & celeberrimo ignem immisisset, in proximam, immò adhærentem domum agente vento, flammarum globi ferebantur. Quod vbi Martinus aduertit, rapido cursu tectum domus scandit, obuium se aduenientibus flammis inferens: tùm vero mirum in modum cerneres contra vim venti ignem retorqueri, vt compugnantium inter se elementorum quidam conflictus videretur. ita virtute Martini ibi tantum ignis est operatus, vbi iussus est.

Aduentu B. Martini ignis extinguitur.

Cap. 12.

In vico autem, cui Leprosum nomen est, cùm idem templum opulentissimum superstitione religionis voluisset euertere, restitit ei multitudo Gentilium, adeò vt non absque iniuria sit repulsus. Itaque secessit ad proxima loca, ibique per triduum cilicio tectus & cinere, ieiunans semper atque orans, precabatur à Domino: vt quia Templum illud euertere humana manu nō potuisset, virtus illud diuina dirueret. Tum subitò ei duo Angeli hastati atque scutati instar militiæ cœlestis se obtulerunt, dicentes, missus se à Domino, vt rusticam multi-

Ab Angelis iuuatur in diruendo fano.

tudinem fugarent, præsidiúmque Martino ferrent, ne quis, dum Templum dirueretur, obsisteret: rediret ergo, & opus cœptum deuotus impleret. Ita regressus ad vicum, inspectantibus Gentilium turbis, & quiescentibus, dum profanam ædem vsque ad fundamentum dirueret, aras omnes atque simulachra redegit in puluerem. quo viso, rustici cùm se intelligerent diuino nutu obstupefactos atque perterritos, ne Episcopo repugnarent, omnes ferè in Iesum Dominum crediderunt, clamantes palàm & confitentes, Deum Martini colendum, & idola negligenda quæ sibi adesse non possent.

Cap. 13.

Gladio ferienti se subiicit.

QVID etiam in pago Heduorum gestum sit, referam: Vbi dum Templum itidem euerteret, furens Gentilium rusticorum in eum irruit multitudo. Cúmque vnus audacior cæteris, stricto eum gladio peteret, reiecto pallio nudam ceruicem percussori præbuit. Nec cunctatus ferire Gentilis, sed cùm dexteram altius extulisset, resupinus ruit: cósternatúsq; diuino metu, veniam precabatur.

Cap. 14.

Nec dissimile huic fuit illud, cùm eum idola destruentem, cultro quidam ferire voluisset, in ipso ictu ferrum ei de manibus excussum, non comparuit. Plerumque autem contradicentibus sibi rusticis, ne fana eorũ destrueret, ita prædicatione sancta Gentilium animos mitigabat, vt luce eis veritatis ostensa, ipsi sua Templa subuerterent. Curationum verò tam potens in eo gratia erat, vt nullus ferè ad eum ægrotus accesserit, qui non continuò receperit sanitatem: quod vel ex consequenti liquebit exemplo.

Cap. 15.

TREVERIS, puella quædam dira paralysis ægritudine tenebatur, ita vt iam per multum tempus nullo ad humanos vsus corporis officio fungeretur, & omni ex parte præmortua, vix tenui spiritu palpitabat. Tristes ad solam funeris expectationem adsistebant propinqui: cùm subitò nuntiatur ad ciuitatem illam venisse Martinum. Quod vbi pater puellæ comperit, cucurrit exanimis pro filia rogaturus. Et fortè Martinus iam Ecclesiam fuerat ingressus. Ibi inspectante populo, multisque aliis Episcopis præsentibus, eiulans senex, genua eius amplectitur, dicens: Filia mea moritur misero genere lãguoris: & quod ipsa est morte crudelius, solo spiritu viuit, iam carne præmortua. rogo vt eam adeas, atque benedicas: confido enim quòd per te reddenda sit sanitati. Qua ille voce confusus obstupuit, & refugit dicens, hoc suæ non esse virtutis, senem errare iudicio, non esse se dignum per quem Dominus signum virtutis ostenderet. **D** Perstare vehementiùs flens pater, & orare vt exanimem visitaret. Postremò à circumstantibus Episcopis ire cõpulsus, descendit ad domum puellæ. Ingens turba pro foribus expectabat, quidnam Dei seruus esset facturus. Ac primum, quæ erant illius familiaria in istiusmodi rebus arma, solo prostratus orauit. Deinde ægram intuens, dari sibi oleum postulat: quòd cum benedixisset, in os puellæ vim sancti liquoris infudit, statímque vox reddita est. Tunc paulatim singula contactu eius cœperunt membra viuiscere, donec firmatis gressibus, populo teste surrexit.

Oleo sanat filiam.

Cap. 16.

EODEM tempore Tetradij cuiusdam Proconsularis viri seruus dæmonio correptus, dolendo exitu cruciabatur. Rogatus ergo Martinus, vt ei manum imponeret, **E** deduci eum ad se iubet: sed nequam spiritus nullo proferri modo ex cella in qua erat, potuit, ita in aduenientes rabidis dentibus sæuiebat. Tum Tetradius ad genua beati viri aduoluitur, orans vt ad domum in qua dæmoniacus habebatur, ipse descenderet. Tum verò Martinus negare se profani & Gentilis domum adire posse. Nam Tetradius eodem tempore adhuc Gentilitatis errore implicitus tenebatur. Spondet se igitur, si de puero dæmon fuisset exactus, Christianum fore. Ita Martinus imposita manu puero, immundum ab eo spiritum eiecit. quo viso Tetradius in Dominum Iesum credidit: statímque catechumenus factus, nec multò pòst baptizatus est, sempérque Martinum salutis suæ auctorem miro coluit affectu.

Dæmoniacum curat.

Cap. 17.

A PER idem tempus in eodẽ oppido ingressus patrisfamilias cuiusdam domum, in limine ipso restitit, dicens: Horribile in atrio domus dæmonium se videre. Cui cùm, vt discederet, imperaret, quendam è familia, qui in interiore parte ædiũ morabatur, arripuit: sæuire dẽtibus misset cœpit, & obuios quoscunque laniare. Commota domus, familia turbata, populus in fugam versus. Martinus se furenti obiecit, ac primum stare ei imperat. Sed cùm dentibus fremeret, hiantiq; ore morsum minaretur, digitos ei Martinus in os intulit: Si habes, inquit, aliquid potestatis, hos deuora. Tum verò, ac si candens ferrum faucibus accepisset, longè reductis dentibus digitos beati viri vitabat attingere: & cùm fugere de obsesso corpore pœnis & cruciatibus cogeretur, nec tamen exire ei per os liceret, fœda relinquens vestigia, fluxu ventris ege**B**stus est.

Curat item alterum.

Cap. 18.

INTEREA cùm de motu atque impetu Barbarorum subita ciuitatem fama turbasset, dæmoniacum ad se exhiberi iubet: imperat, vt an verus esset hic nuntius, fateretur. Tunc confessus est, sedecim dæmones fuisse, qui rumorem hunc per populum disseminassent, vt hoc saltem metu, ex illo Martinus oppido fugaretur: barbaros nihil minus quàm irruptionem cogitare. Ita cùm hæc immundus spiritus media in Ecclesia fateretur, metu & turbatione præsenti ciuitas liberata est.

Dæmonem interrogat.

Cap. 19.

Osculo Leprosum sanat.

APVD Parisios verò, dum portam ciuitatis illius magnis secum turbis euntibus introiret: Leprosum miserabili facie horrentibus cunctis osculatus est, atque benedixit, statímque omni malo emundatus est. Postero die **C** ad Ecclesiam veniens nitenti cute, gratias pro sanitate quam receperat, agebat. Sed nec hoc prætereundum est, quòd fimbriæ vestimenti eius, ciliciòque detractæ, crebras super infirmantibus egere virtutes. Nam aut digitis illigatæ aut collo inditæ, persæpe ab ægrotantibus morbos effugauerunt.

Cap. 20.

Epistola eiusdem, curat quartanam.

ARBORIVS autem, vir præfectorius, sancti admodũ & fidelis ingenij, cùm filia eius grauissimis quartanæ febribus vreretur, Epistolam Martini, quæ casu ad eum delata fuerat, pectori puellæ in ipso accessu ardoris inseruit, statimq; fugata febris est. Quæ res apud Arboriũ in tantum valuit, vt statim puellã Deo voueret, & perpetuæ virginitati dicâret: profectúsq; ad Martinũ, puellam ei, præsens virtutum eius testimonium, quæ per absentem licèt curata esset, obtulit: neq; ab alio eam, quàm à Martino, habitu virginitatis imposito, passus est consecrari.

Cap. 21.

Oculum sanat tactu penicilli.

PAVLINVS verò, vir magni postmodum futurus exempli, cùm oculum grauiter dolere cœpisset, & iam pupillam eius crassior nubes superducta texisset, oculum ei Martinus penicullo contigit, pristinámque ei sanitatem sublato omni dolore restituit.

Cap. 22.

Ipse casu vulneratus ab Angelo curatur.

IPSE autem cùm casu quodam esset de cœnaculo deuolutus, & per confragosos scalæ gradus decidens, multis vulneribus esset affectus, cùm exanimis iaceret in cellula, & immodicis doloribus cruciaretur, nocte ei Angelus visus est eluere vulnera, & salubri vnguine contusi corporis membra contingere: atque ita postero die restitutus est sanitati, vt nihil vnquam pertulisse incommodi putaretur. Sed quia longum est ire per singula, sufficiant hæc vel pauca de plurimis: satísque sit nos & in excellentibus non subtrahere veritatem, & in multis vitare fastidium.

Cap. 23.

ATQVE vt minora tantis inseram (quamuis, vt est nostrorum ætas temporum, quibus iam deprauata omnia atque corrupta sunt, penè præcipuum fuit, adulationi Regiæ Sacerdotalem non cessisse constantiam) cùm ad Imperatorem Maximum, ferocis ingenij virum, & bellorum ciuilium victoria elatum, plures ex diuersis partibus Episcopi conuenissent, & fœda circa principem, omnium adulatio notaretur, séque degeneri inconstantia, Regiæ clientelæ Sacerdotalis dignitas subdidisset, in solo Martino Apostolica auctoritas permanebat. Nam etsi pro aliquibus supplicandum Regi fuit, imperauit potiùs quàm rogauit: & à conuiuio eius frequenter ro-

[illegible] ...licens, se mensæ eius participem esse nō [illegible] ... imperatores, vnum regno, alterum vita [illegible] ... Postremò cùm Maximus se non sponte sumpsisse imperium affirmaret, sed impositam sibi à militibus diuino nutu regni necessitatem armis defendisse, & non alienam ab eo Dei voluntatem videri, penes quem tam incredibili euentu victoria fuisset, nullumque ex aduersariis nisi in acie occubuisse: tandem victus vel ratione vel precibus, ad conuiuium venit: mirum in modum gaudente Rege, quòd id impetrasset. Conuiuæ autem aderant veluti ad diem festum euocati, summi atque illustres viri, præfectus, idémque consul Euodius, vir quo nihil vnquam iustius fuit, comites duo summa potestate præditi, frater Regis & patruus: medius inter hos Martini presbyter accubuerat: ipse autem sellula iuxta regem posita consederat. Ad medium ferè conuiuium (vt moris est) pateram Regi minister obtulit: ille sancto admodum Episcopo potiùs dari iubet, expectans atque ambiens vt ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus vbi ebibit pateram Presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem, qui post se biberet: nec integrum sibi fore, si aut regem ipsum, aut eos qui à Rege erant proximi, Presbytero prætulisset. Quod factum Imperator, omnésque qui tūc aderant, ita admirati sunt, vt hoc ipsum eis in quo contempti fuerant placeret: celeberrimúmque per omne palatium fuit, fecisse Martinum in regis prandio, quod in infimorum iudicum conuiuiis Episcoporum nemo fecisset, eidémque Maximo longè antè prædixit futurum, vt si ad Italiam pergeret, quò ire cupiebat, bellum Valentiniano Imperatori inferens, sciret se primo quidem impetu futurum esse victorem, sed paruo pòst tempore esse periturum. Quod quidem ita vidimos. Nam primo aduentu eius, Valentinianus in fugam versus est: deinde post annum ferè resumptis viribus, captum intra Aquileiæ muros Maximum interfecit.

Anno Christi 386.

Dignitas Sacerdotalis Regia dignior.

Cap. 24. Angelorũ colloquio sæpe est vsus.

Constat autem etiam Angelos ab eo plerumque visos, ita vt conserto inuicem apud eum sermone loquerentur. Diabolum verò iam conspicabilem & subiectũ oculis habebat, vt siue se in propria substantia contineret, siue in diuersas figuras spiritualéſq; nequitias transtulisset, qualibet ab eo sub imagine videretur. Quod cùm diabolus sciret se effugere non posse, conuiciis eum vrgebat frequenter, quia fallere nũ posset insidiis. Quodam autem tempore cornu bouis cruentum in manu tenens, cum ingenti fremitu cellulam eius irrupit, cruentámque ostentans dexteram, & admisso recens scelere congaudens: Vbi est, inquit, Martine virtus tua? vnum de tuis modò interfeci. Tunc ille conuocans fratres, refert quid diabolus indicasset: sollicitos esse præcepit per cellulas singulorum, quisnam hoc casu fuisset affectus. Neminem quidem deesse de monachis, sed vnum rusticum mercede conductum, vt vehiculo ligna deferret, misse ad siluam nuntiant. Iubet igitur aliquos ire ei obuiam. Itaque haud longè à monasterio iam penè exanimis inuenitur. extremum tamen spiritum trahens, indicat fratribus casum mortis & vulneris: iunctis scilicet bobus dum dissoluta arctiùs lora constringit, bouem sibi excusso capite inter inguina cornu infixisse. nec multò pòst vitam reddidit. Videris quo iudicio Domini, diabolo data fuerit hæc potestas. In Martino illud mirabile erat, quòd non solùm hoc quod suprà retulimus, sed multa istiusmodi, quoties accidissent, lõgè antè præuidebat, & sibi nuntiata fratribus indicabat. Frequenter autem diabolus, dum mille nocendi artibus sanctum virum conabatur illudere, visibilem se ei formis diuersissimis ingerebat. nam interdum in Iouis personam, plerumque Mercurij, persæpe etiam se Veneris ac Mineruæ transfiguratum vultibus offerebat, aduersus quem semper intrepidus, signo se crucis & orationis auxilio protegebat. Audiebantur etiam plerumque conuicia, quibus illum turba dæmonum proteruis vocibus increpabat. sed omnia falsa & vana cognoscens, nõ mouebatur obiectis. Testabantur etiam aliqui ex fratribus, audisse se dæmonem proteruis Martinum vocibus increpantem, cur intra monasteriũ aliquos ex fratribus, qui olim baptismum diuersis erroribus perdidissent, conuersos postea recepisset, exponentem crimina singulorum: Martinum diabolo repugnantem respondisse constanter, antiqua delicta melioris vitæ conuersatione purgari: & per misericordiam Domini absoluendos esse peccatis, qui peccare desinerent. contradicente diabolo, non pertinere ad veniam criminosos, & semel lapsis nullam à Domino clementiam præstari: tunc in hanc vocem fertur exclamasse Martinus: Si tu ipse, ô miserabilis, ab hominum insectatione desisteres, & te factorum tuorum vel hoc tempore, cùm dies iudicij in proximo est, pœniteret, ego tibi verè confisus in Domino, Christi misericordiam pollicerer. O quàm sancta de Domini pietate præsumptio, in qua etsi auctoritatem præstare non potuit, ostendit affectum. Et quia de diabolo, eiusdémque artibus sermo exortus est, non abs re videtur, licet extrinsecus referre quod gestum est: quia & quædam in eo Martini virtutum portio est, & res digna miraculo rectè memoriæ mandabitur, in exemplum cauenti, si quid deinceps vspiam tale contigerit.

Diaboli variæ formæ, & illusiones.

Cap. 25.

Clarvs quidam nomine, adolescens nobilissimus, mox Presbyter, nunc fœlici beatus excessu, cum relictis omnibus se ad Martinum contulisset, breui tempore ad summum fidei virtutúmque omnium culmen conuit. Itaque cùm haud longè sibi ab Episcopi monasterio tabernaculum constituisset, multique apud eum fratres commorarentur, iuuenis quidam ad eum Anatolius nomine, sub professione monachi omnem humilitatem atque innocentiam mentitus accessit, habitauitque aliquandiu in commune cum cæteris. Dein procedenti tempore, Angelos apud se loqui solere dicebat. cùm fidẽ nullus adhiberet, signis quibusdam plerosque ad credẽdum cohortabatur. Postremò eousque processit, vt inter se ac Deum Angelos discurrere prædicaret: iámque se vnum ex Prophetis haberi volebat: Clarus tamẽ nequaquam ad credendum cogi poterat. ille ei iram Domini & præsentes plagas, cur sancto non crederet, comminari. Postremò in hanc vocem erupisse fertur: Ecce hac nocte vestem mihi candidam Dominus de cœlo dabit, qua indutus in medio vestrũm diuersabor: Idque vobis signum erit, me Dei esse virtutem, qui Dei veste donatus sim. Tum verò grandis omnium ad hanc professionem expectatio. Itaque ad mediam ferè noctem fremitu insultantium commoueri omne monasterium loco visum est. cellulam autem, in qua idem adolescens continebatur, crebris cerneres micare luminibus, fremitúsque in ea discurrentium, & murmur quoddam multarum vocum audiebatur. Deinde facto silentio egressus, vnum de fratribus, Sabbatium nomine ad se vocat, tunicámq; ei, qua erat indutus, ostendit. Obstupefactus ille conuocat cæteros. ipse etiam Clarus accurrit: adhibitóque lumine, vestem omnes diligenter inspiciunt. erat autem summa mollitie, candore eximio, micanti purpura, nec tamen cuius esset generis aut velleris, poterat agnosci. curiosiùs tamen oculis aut digitis attrectata, non aliud quàm vestis videbatur. Interea Clarus fratres admonet, orationi instare, vt manifestiùs eis Dominus quidnam esset ostenderet. Itaque reliquum noctis hymnis psalmisque consumitur. At vbi illuxit dies, apprehensum dextera trahere ad Martinum volebat, bene conscius, illudi illum diaboli arte non posse. Tum verò renitiac reclamare miser cœpit, interdictúmque sibi esse dicebat, ne se Martino ostenderet. Cúmque inuitum ire compellerent, inter trahẽtium manus vestis euanuit. Vnde quis dubitet hanc etiam Martini fuisse virtutem, vt phantasiam suam diabolus, cùm erat Martini oculis ingerenda, dissimulare diutiùs, aut tegere non posset? Animaduersum est tamen eodem ferè tempore fuisse in Hispaniis iuuenem, qui cùm sibi multis signis auctoritatem parauisset, eousq; elatus est, vt se Heliam profiteretur. Quod cùm

Cellã eius irrumpit diabolus.

Anatolij mentita sanctitas.

Sabbatius monachus.

Pseudo-Helias Hispanus.

cùm plerique temerè credidissent, addidit, vt se Christum esse diceret: in quo etiam adeo illusit, vt eum quidam Episcopus nomine Rufus, vt Dominum adoraret: propter quod eum postea ab Episcopatu deiectum vidimus. Plerique etiam nobis è fratribus retulerunt, eodem tempore in Oriente quendam extitisse, qui se Ioannem esse iactitaret; ex quo conijcere possumus, istiusmodi pseudoprophetis existentibus, Antichristi aduentum imminere, qui iam in istis mysterium iniquitatis operatur. Neque enim prætereundum videtur, quanta Martinum sub iisdem diebus diabolus arte tentauerit. Quodam enim die præmissa præ se, & circumtectus ipse luce purpurea, quo faciliùs claritate adsumpti fulgoris illuderet, veste etiam Regia indutus, diademate ex gemmis auróque redimitus, calceis auro illitis, sereno ore, læta facie, vt nihil minus quàm diabolus putaretur, oranti in cellula astitit. Cúmque Martinus primo aspectu eius fuisset hebetatus, diu multúmque silentium ambo tenuerunt.

Pseudo-Ioannes.

Diaboli artes contra B. Martinum.

B Tunc prior diabolus: Agnosce, inquit, Martine, quem cernis. Christus ego sum: descensurus ad terram priùs, me manifestare tibi volui. Ad hæc cùm Martinus taceret, nec quidquam respōsi referret, iterare ausus est diabolus professionis audaciā: Martine quid dubitas credere, cùm videas? Christus ego sum. Tum ille, reuelāte sibi spiritu, vt intelligeret diabolum esse, non Deum: Non se, inquit, Iesus Dominus purpuratum & diademate renitentem venturum esse prædixit. Ego Christum, nisi in eo habitu, formáque qua passus est, nisi Crucis stigmata proferentem, venisse non credam. Ad hanc ille vocem statim vt fumus euanuit, & cellulam tanto fœtore compleuit, vt indubia indicia relinqueret, diabolum se fuisse. Hoc ita gestum, vt suprà retulimus, ex ipsius Martini ore cognoui, ne quis fortè existimet fabulosum.

Christi apparentis imago.

Cap. 26. Nam cum olim audita fide eius, vita atque virtutibus, desiderio illius æstuaremus, gratam nobis ad eum videndum peregrinationem suscepimus; simul quia iam ardebat animus vitam illius scribere: partim ab ipso, inquantum ille interrogari potuit, sciscitati sumus: partim ab his qui interfuerant, vel sciebāt, cognouimus. Quo quidem tempore credi non potest, qua me humilitate, qua benignitate susceperit: congratulatus plurimum, & gauisus in Domino, quòd tanti esset habitus à nobis, quem peregrinatione suscepta expeteremus. Miserum me (penè non audeo confiteri) cùm me sancto conuiuio suo dignatus est adhibere: aquam manibus nostris ipse obtulit, ad vesperam autem ipse nobis pedes abluit, nec tenui ad hoc aut contraire constantia fuit: ita auctoritate illius oppressus sum, vt nefas putarem si non acquieuissem. Sermo autem illius non alius apud nos fuit, quàm mundi huius illecebras & sæculi onera relinquenda, vt Dominum Iesum liberi expeditíque sequeremur: præstantissimúmque nobis præsentium temporum illustris viri Paulini, cuius suprà mentionem fecimus, exemplum ingerebat: qui summis opibus abiectis, Christum secutus, solus penè his temporibus Euangelica præcepta complesset: illum nobis sequendum, illum clamabat imitandum: beatúmque esse præsens seculum, tantæ fidei virtutísque documento, cùm secundùm sententiam Domini diues & possidens multa, vendēdo omnia & dando pauperibus, quod erat factu impossibile, possibile fecisset exemplo. Iam verò in verbis & confabulatione eius quanta grauitas, quanta dignitas erat? quàm alacer, quàm efficax, & quàm in exsoluendis scripturarum quæstionibus promptus & facilis? Et quia multos ad hanc partem incredulos scio, quippe quos viderim, me ipso etiam referēte, non credere: Iesum testor, spémque communem me ex nullius vnquam ore tantum scientiæ, tantum ingenij tam boni, & tam puri sermonis audisse. Quanquam in Martini virtutibus quantula est ista laudatio? nisi quod mirum est, homini illiterato ne hanc quidem gratiam defuisse. Sed iam finem liber postulat, sermo claudendus est: non quòd omnia quæ de Martino fuerāt dicenda, defecerint, sed quia nos, vt inertes poëtæ, extremo

Auctoris cum Martino cōgressus, & conuictus.

Paulini perfectio ad imitandum proposita.

A in opere negligētes, victi materiæ mole succumbimus. Nam etsi facta illius explicari verbis vtcunque potuerunt, interiorem vitam illius, & quotidianā conuersationem, & animum cœlo semper intentum nulla vnquam (verè profiteor) explicabit oratio, illam scilicet perseuerantiam, & temperamentum in abstinētia, & ieiunijs, potentiam in vigilijs & orationibus: noctésque ab eo perinde ac dies actas, nullúmque vacuum ab opere Dei tempus, quo vel otio indulserit, vel negotio: Sed nec cibo aut somno quidem, nisi inquantum naturæ necessitas cogebat. Verè fatebor, non si ipse, vt aiunt, ab inferis Homerus emergeret, posset exponere: adeò omnia maiora in Martino sūt, quàm vt verbis concipi queāt. Nunquam hora vlla momentúmque præteriit, quo non aut orationi incumberet, aut insisteret lectioni. Quanquam etiam inter legēdum,

Eius facta explicari non posse.

B aut si quid aliud fortè agebat, nunquam animum ab oratione laxabat. Nimirum vt fabris ferrarijs moris est, qui inter operandum pro quodam laboris leuamine incudē suam feriunt: ita Martinus etiam dum aliud agere videretur, semper orabat. O verè beatus, in quo dolus non fuit: neminem iudicans, neminem condemnans, nulli malum pro malo reddens! Tantā quippe aduersus omnes iniurias patientiam adsumpserat, vt cùm esset summus Sacerdos, impunè etiam ab infimis clericis læderetur: nec propter id eos aut loco vnquam amouerit, aut à sua, quantùm in ipso fuit, charitate repulerit. Nemo vnquam illum vidit iratum, nemo commotum, nemo mœrentem, nemo ridētem: vnus idémque semper, cœlestem quodammodo lætitiam vultu præferens, extra naturam

D. Martini patientia.

C hominis videbatur. Nunquam in illius ore nisi Christus, nunquam in illius corde nisi pietas, nisi pax, nisi misericordia inerat. Plerunque etiam pro eorum qui obtrectatores illius videbantur, solebat flere peccatis, qui remotum & quietum venenatis linguis & vipereo ore carpebant. Et verè nonnullos experti sumus inuidos virtutibus vitæque eius, qui in illo oderant quod in se non videbant, & quod imitari non valebant. Atqui, ô nefas dolendum & ingemiscendum! non alij fuere insectatores eius, licèt pauci admodum, non alij tamen quàm Episcopi ferebantur. Nec verò quenquam nominare necesse est, licet nosmetipsos plerique circum latrent; sufficit, vt si quis ex his hæc legerit, & agnouerit, erubescat; nā si irascitur, de se ipse dictum fatebitur, cùm fortasse nos de

D alio senserimus. Non refugimus autem, vt si qui eiusmodi sunt, nos quoque cū tali viro oderint. Illud facilè confido, omnibus sanctis opusculum istud gratum fore; de cætero si quis hæc infideliter legerit, ipse peccabit. Ego mihi conscius sum, me rerum fide, & amore Christi impulsum, vt hæc scriberem manifesta exposuisse, vera dixisse: paratúmque, vt spero, habebit à Deo præmium, nō quicunque legerit, sed quicunque crediderit.

S. SVLPITII SEVERI BITVRICEN. ARCHIEPISC. EPISTOLAE.

Ad Eusebium Presbyterum, contra æmulos virtutum B. Martini, Epist. 1.

E Hesterna die cùm ad me plerique monachi venissent, inter fabulas iuges, longúmque sermonem, mentio incidit libelli mei quem de vita B. viri Martini edidi, studioséque eum à multis legi, libentissimè audiebam. Interea indicatur mihi, dixisse quendam malo spiritu instigatum, cur Martinus qui mortuos suscitasset, flammas domibus depulisset, ipse nuper adustus incendio, periculosæ fuisset obnoxius passioni. O istum, quisquis est, miserum! Iudæorum in verbis eius perfidiam & dicta cognoscimus, qui in cruce positum Dominum his verbis increpabant: Alios saluos fecit, seipsum saluum facere non potest. Verè planè iste quicūque est, si illis temporibus natus esset, & in Dominum hac voce dicere potuisset, qui simili sanctum Domini blasphemat exemplo. Quid ergo, quisquis Matth. 27.

L

A es, Martinus ideò non potens, ideò non sanctus, quia est periclitatus incendio! O beatum, & per omnia similem Apostolis, etiam in his conuitiis, virum! Nempe hoc & de Paulo Gentiles illi, cùm eum vipera momordisset, sensisse referuntur: Hic homo debet homicida esse, quem saluum factum de mari, fata viuere non sinunt. (Act. 28.) At ille, excussa vipera in ignem, nihil mali patiebatur. Illi autem subitò casurum, & repentè moriturum eum putabant: sed cùm viderent nihil mali contingere ei, conuertentes se dicebāt eum Deum esse. Alioquin, vel horū exemplo, omnium mortaliū infœlicissime perfidiam tuam coarguere ipse debueras: vt si tibi scandalum mouerat, quòd Martinus flamma ignis videbatur attactus, hūc rursum attactum ad merita illius & virtutem referres, quòd circumseptus ignibus non perisset. Agnosce miser, agnosce quod nescis; omnes ferè sanctos magis insignes periculorum suorum fuisse virtutibus. (Matth. 14.) B Video quidem Petrum fide potentem, rerum obstante natura mare pedibus supergressum, & instabiles aquas corporeo pressisse vestigio, sed non ideo minor mihi videtur Gētium prædicator, (2. Cor. 11. Act. 27.) quem fluctus absorbuit, & post triduum totidémque noctes, emergētem è profundo vnda restituit: atque haud scio, an penè plus fuerit vixisse in profundo, an supra maris profunda trāsisse. Sed hæc tu, vt arbitror, legeras, aut stultè non lecta non audieras. Neque enim absq; diuino consilio istiusmodi exemplum beatus Euangelista sacris literis protulisset, nisi vt ex his humana mens erudiretur naufragiorum atque serpentium casus, &, sicut Apostolus refert, (2. Cor. 11.) qui nuditate, fame, latronúmque periculis gloriatur, omnia hęc sanctis hominibus, atque omnibus ad perpetiendum quidem esse communia: sed C his tolerandis atque vincendis præcipuam semper iustorum fuisse virtutem, dum per omnia tentamenta patientes semper inuicti, tantò fortiùs vincerent, quanto grauiùs pertulissent. Vnde hoc, quod ad Martini infirmitatem vocatur, plenum est dignitatis & gloriæ: siquidem periculosissimo casu tētatus, euicerit. Cæterùm id omissum à me in libello illo quem de vita illius scripsimus, nemo miretur: cùm ibidem sim professus, me nō omnia illius facta complexum: quia si persequi vniuersa voluissem, immensum volumen legentibus edidissem. Neque sunt tam parua quæ gessit, vt omnia potuerint comprehendi. Sed tamen hoc de quo quæstio incidit, latère non patiar, & rem omnem, vt gesta est, referam, ne fortè D inconsultum hoc quod ad vituperationem beati viri poterat opponi, prætermisisse videamur. Cùm ad diœcesim quandam pro solenni consuetudine (sicut Episcopis visitare Ecclesias suas moris est) media ferè hieme venisset, mansionem ei in secretario Ecclesiæ clerici parauerunt, multumque ignem scabro iam & pertenui pauimento subdiderunt, lectúmque ei plurimo stramine extruxerūt. Dein cùm se Martinus cubitum collocasset, insuetam mollitiem strati malè blandientis horrescit: quippe qui nuda humo, vno tantum cilicio superiecto, cubare consueuerat. Itaque quasi acceptā permotus iniuriā, stramētum omne proiecit. Casu super fornaculam, partem paleæ illius quam remouerat, aggessit. Ipse, vt erat moris, nuda humo, lassitudine itineris vrgente requieuit. Ad mediam ferè noctem, per interruptū, vt suprà diximus, pauimentum ignis æstuans, arescentes paleas apprehendit. E Martinus somno excitus, re inopinata, ancipiti periculo & maximè (vt referebat) diabolo insidiante atque vrgente præuentus, tardiùs quàm debuit ad orationis confugit auxilium. (E mediis flammis liberatur.) Nam erumpere foras cupiēs, cùm pessulo quem ostio obdiderat diu multúmque luctatus, grauissimum circa se sensit incēdium, adeò vt vestem qua indutus erat, ignis absumpserit. Tandem in se reuersus, nō in fuga, sed in Domino esse præsidium: scutum fidei & orationis arripiens, media flammis totus ad Dominum conuersus, incubuit. Tum verò diuinitus igne submoto, innoxio sibi orbe flammarum, orabat. Monachi autem, qui pro foribus erant, crepitante & colluctante incendij sono, obseratas effringunt fores:

A dimotóque igne, mediis flammis Martinum auferunt, cùm iam penitus esse consumptus tam diuturno incendio putaretur. Cæterùm (vt verbis meis Dominus est testis) mihi ipse referebat, & sine gemitu fatebatur, in hoc se diaboli arte deceptum, vt excussus è somno consilium nō haberet, quo per fidem & orationem periculo repugnaret: denique tam diu circa se sæuisse ignem, quamdiu erumpere ostium turbatus mente tentauerit. Vbi verò auxilium crucis & orationis arma repetisset, medias cessisse flammas: séque tunc sensisse rorātes, quas malè esset expertus vrentes. (In Deo præsidium collocat.) Vnde intelligat quisquis hæc legerit, tentatum quidem illo Martinū periculo, sed probatum.

S. SVLPITII SEVERI BITVRICEN. ARCHIEPISC. AD AVRELIVM DIAconum, Epist. II.

B

De obitu, & apparitione B. Martini.

SVlpicius Seuerus Aurelio diacono, Salutem. Posteaquam à me manè digressus es, eram residēs solus in cellula, subieràtque me illa, quæ sæpiùs cogitatio, spes futurorum, præsentiúmque fastidium, iudicij metus, formido pœnarum, & quod cōsequens erat, atque vnde cogitatio tota descenderat, peccatorum meorum recordatio tristem me confectúmque reddiderat. Deinde cùm fatigata angore animi in lectulo membra posuissem, vt plerunque ex mœstitudine solet, somnus obrepsit: qui vt semper matutinis horis leuior incertúsque, ita suspēsus & dubius per mē- C bra diffunditur: vt quod in alto sopore non euenit, penè vigilans dormire te sentias. Cùm repentè sanctum Martinum Episcopum videre mihi videor, prætextum toga candida, vultu igneo, stellātibus oculis, crine purpureo: (In somno apparet B. Martinus Sulpitio.) atq; ita mihi in ea habitudine corporis, formáque quam noueram, videbatur vt quod eloqui nobis penè difficile est, non posset aspici, cùm posset agnosci. Arridénsque mihi paululum, libellum quem de vita illius scripseram, dextra præferebat. Ego sancta genua eius amplexus, benedictionem pro consuetudine flagitabam: superpositámque capiti meo manum tactu blādissimo sentiebam, cùm inter benedictionis verba solennia familiare illud suo crucis nomen iteraret, mox in eum luminibus intētis, cùm exsatiari vultu illius cōspectúque non possem, D subitò mihi in sublime sublatus eripitur: donec emensa aëris istius vastitate, cùm tamen rapida nube subuectum acie sequeremur oculorum, patenti cœlo receptus, videri vltrà non potuit. Nec multo pòst Presbyterum sanctum Clarum, discipulum illius, qui nuper excesserat, video eandem, quam magistrum, viam scandere. (Clarus discipulus eiusdem.) Ego impudens sequi cupiens, dum altos gressus molior & connitor, euigilo somnóque excitatus, congratulari cœperam visioni, cùm ad me puer familiaris ingreditur, solito tristior vultu loquentis pariter & dolentis. Quid tu tam tristis loqui gestis? Duo, inquit, monachi modò à Turonis adfuerunt: Dominum Martinum obisse nontiant. (Mors B. Martini nunciatur.) Cōcidi fateor, obortísque lacrymis fleui vbertimè, quin etiam dum hæc ad te frater scribimus, fluunt lacrymæ, nec vllum impatiētissimi doloris admitto solatium. E Te verò, vbi hoc nūtiatum est, participem esse volui luctûs mei, qui eras socius amoris. Veni ergo ad me statim, vt pariter lugeamus, quem pariter amamus: quanquam sciam virum illum non esse lugendum, qui post euictum triumphatúmque seculum, nunc demum reddita est corona iustitiæ. Sed tamen ego nō possum mihi imperare, quin doleam. Præmisi quidem patronū, sed solatium vitæ præsentis amisi: & si rationē vllam dolor admitteret, gaudere deberem. Est enim ille, vt est consertus Apostolis ac Prophetis, & quod pace sanctorum omnium dixerim, in illo iustorum grege nulli secundus, vt spero, credo, confido, illis potissimùm, qui stolas suas in sanguine agni lauerunt, aggregatus: agnum ducem ab omni integer labe comitatur. Nam licet ei ratio temporis non

Cur gloria Martyris tribuēda sit B. Martino.

poterit præstare Martyrium, gloria tamen Martyris non carebit, quia voto atque virtutibus & potuit esse Martyr, & voluit. Quòd si ei Neronianis Decianísque temporibus, in illa quæ tunc extitit, dimicare congressione licuisset, testor Deum cœli atque terræ, sponte equuleum ascendisset, vltrò se ignibus intulisset: Hebræísque pueris æquandus, inter flammarum globos media licet, hymnum Domini, in fornace cantasset.

Esaias serra dissectus.

Quòd si Esaïanum illud supplicium persecutori fortè placuisset, nunquam profectò impar Prophetæ, serris & laminis dissecari membra timuisset, ac si præcisis rupibus, abruptísque montibus agere fælicem furor impius maluisset, perhibeo confisum testimoniū veritatis, sponte cecidisset.

D. Paulus gladio occisus.

Si verò gentium doctoris exemplo, gladio deputatus inter alias, vt sæpe prouenit, victimas duceretur, primus omnium carnificē compulso, palmam sanguinis occupasset. Iam verò aduersus omnes pœnas atque supplicia, quibus pleruoque humana cessit infirmitas, ita à confessione Domini non recedens, immobilis stetisset, vt lætus vlceribus congaudénsque cruciatibus quælibet inter tormenta risisset. Sed quanquam ista non tulerit, impleuit tamen etiam sine cruore Martyrium, nam quas ille pro spe æternitatis humanorum dolorum non pertulit passiones, fame, vigiliis, nuditate, ieiuniis, opprobriis inuidorum, insectationibus improborum, cura proborum, cura pro infirmantibus, solicitudine pro periclitantibus? Quo enim ille dolente non doluit? quo scandalizante non vstus est? quo pereunte non gemuit, præter illa quotidiana illius aduersum humanæ spiritalísque nequitiæ diuersa certamina, dum in eo variis tentationibus appetito, semper exsuperat fortitudo vincendi, patientia expectandi, æquanimitas sustinendi? O verè ineffabilem virum, pietate, misericordia, charitate, quæ quotidie etiam in sanctis viris seculo frigente frigescit: in illo tamen vsque ad finem aucta, indies perseuerauit, quo ego illius bono vel specialiter fruitus sum, cùm me indignum & non merentem vnicè diligebat. En rursus lacrymæ fluunt, imóque de pectore gemitus erumpit: in quo mihi, post hæc, homine similis requies, in cuius erit charitate solatium? Me miserum, me infœlicem, potero ne vnquam, si diutiùs vixero, non dolere, quòd Martino superstes sum? Erit mihi posthæc vita iocunda, erit dies aut hora sine lacrymis: aut tecum, frater dilectissime, potero illius mentionem habere sine fletu: aut vnquam loquens apud te aliud quàm de illo loqui potero? Sed quid te in lacrymas fletúsque commoueo? ecce nunc consolatum esse te cupio, qui me consolari ipse non possum: non deerit nobis ille, mihi crede, non deerit, intererit de se sermocinantibus, adstabit orantibus: quódque iam hodie præstare dignatus est, videndum se in gloria sua sæpe præbebit, & assidua sicut antè paululum fecit, benedictione nos proteget. Inde secundùm ordinem visionis, qua cœlum, sequentibus se, patere monstrauit, quò sequēdus esset edocuit: quò spes nostra tendenda, quò animus dirigendus, instruxit. Quid tamen fiet frater? quod mihi ipse sum conscius, conscendere arduum illud, ac penetrare non potero, ita sarcina molesta me prægrauat, & peccati mole depressum, negato in astra conscensu, sæua miserabilem ducit in tartara. Spes tamen superest, illa sola, illa postrema, vt quod per nos obtinere non possumus, saltem pro nobis orante Martino mereamur. Sed quid te frater diutius occupo Epistola tam loquaci, demorórque venturum? simul iam pagina impleta non recipit. Mihi tamen hæc fuit ratio, sermonem istum longiùs proferendi, vt quia doloris nuntium Epistola deferebat, eadem tibi ex quadam nostri confabulatione præstaret charta solatium.

S. SVLPICII SEVERI BITVRICEN. ARCHIEP. AD BASSVLAM SOCRVM suam, Epist. III.

Quomodo B. Martinus ex hac vita mortali ad immortalem transierit.

Dulcissimè, & familiariss. expostulat Seuerus cū Bassula de diuulgatione Epistolæ superioris, deinde narrat obitum D. Martini.

SVlpitius Seuerus Bassulæ parenti venerabili salutem. Si parentes vocari in ius liceret, te planè expilationis furtique ream, ad Prætoris tribunal iusto loro traheremus. Quid enim non conquerar, quam à te patior iniuriam? Nullam mihi domi chartulam, nullum libellum, nullam Epistolam reliquisti: ita furaris omnia, ita vniuersa diuulgas. Si quid ad amicum familiariter scripsi, si quid fortè dum ludimus, quod velim tamen occultum esse, dictaui: omnia ad te priùs penè quàm fuerint scripta aut dictata, perueniunt, nimirum obæratos habes notarios meos, per quos tibi nostræ ineptiæ publicantur. Nec tamen aduersum eos possum moueri, si tibi parent, qui in ius nostrum ex tua potissimùm liberalitate venerunt, séque adhuc tuos magis quàm meos esse meminerunt. Tu sola es rea, tu sola culpabilis, quæ & mihi insidiaris, & illos fraude circumuenis, vt sine delicto vllo familiariter scripta, aut negligenter emissa illucubrata tibi penitus atque impolita tradantur. Nam vt de reliquis taceam, rogo quemadmodum tam citò ad te Epistola illa potuit peruenire, quam nuper ad Aurelium Diaconum scripseramus? Ego enim Tholosæ positus, tu Treueris constituta, & tam longè à patria filio inquietante diuulsa, qua tandem familiarem illam Epistolam occasione furata es? Namque accepi litteras tuas, quibus scribis, in eadem Epistola qua de obitu Domini Martini fecerim mentionem, ipsum beati viri transitum exponere debuissem. Quasi verò ego illam Epistolam aut legendam alij, præterquàm ipsi ad quem missa videtur, ediderim: aut ego tāto sim operi destinatus, vt omnia quæ de Martino cognosci oportet, me potissimùm scribente notescant. Itaque si qua de obitu sancti Episcopi audire desideras ab illis potiùs qui interfuêre, cognosce: ego tibi statui nihil scribere, ne vbique me publices, tamen si das fidem, nulli te esse lecturam, paucis tuæ satisfaciam voluntati, itaque præstabo te his quæ mihi sunt comperta, participem.

MARTINVS igitur obitum suum longè ante præsciuit, dixítque fratribus dissolutionem sui corporis imminere. Interea caussa extitit, qua Cōdatensem diœcesim visitaret: nam clericis inter se Ecclesię illius discordantibus, pacem cupiens reformare: licet finem dierum suorum non ignoraret, proficisci tamen istiusmodi ob caussam non recusauit: bonam hanc virtutum suarum consummationem existimans, si pacem Ecclesiæ redditam reliquisset. Ita profectus cum suo illo, vt semper frequētissimo discipulorum sanctissimóque comitatu, Mergos in flumine conspicatur, piscium prædam sequi, & rapacem ingluuiem assiduis vrgere capturis. Forma, inquit, hæc dęmonum est, insidiantur incautis, capiunt nescientes: captos deuorant, exsaturatique non queunt deuoratis. Imperat deinde potenti virtute verborum, vt eum cui innatabant gurgitem relinquentes, aridas peterent, desertásque regiones: eo nimirum circa aues illas vsus imperio quo dæmones fugare consueuerat. Ita grege facto omnes in vnum illæ volucres congregatæ, relicto flumine, montes syluásque petierunt, non sine admiratione multorum, qui tantam in Martino virtutem viderent, vt etiam auibus imperaret. Aliquandiu ergo in vico illo, vel in Ecclesia ad quam ierat, commoratus, pace inter clericos restituta, cùm iam regredi ad monasterium cogitaret, viribus corporis cœpit repentè destitui: conuocatísque discipulis, indicat se iam resolui. Tum verò mœror & luctus omnium, vox vna plangentium: Cur nos pater deseris? aut cui nos desolatos relinquis? inuadent gregem tuum lupi rapaces: & quis eos à morsibus

Dies obitus præuisus à B. Martino.

Imperat auibus.

Visitat diœcesim Condatensem.

Virg. 4. Æneid. vers. 349.

A nostris, percusso pastore, prohibebit? Scimus quidem desiderare te Christum: sed salua tibi sunt tua præmia, nec dilata minuentur: nostri potiùs miserere, quos deseris. Túc ille motus his fletibus, vt totus semper in Domino misericordiæ visceribus affluebat, lacrymasse perhibetur: conuersúsque ad Dominum, hac tantùm flentibus voce respódit: Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: fiat voluntas tua. Nimirum inter spem amorémque positus, dubitauit penè quid mallet: quia nec hos deserere, nec à Christo volebat diutiùs separari: nihil tamen in voto suo ponens, aut voluntati relinquens, totum se Domini arbitrio potestatique cómittens. Nónne tibi his paucissimis verbis dicere videtur? Grauis quidem est Domine corporeæ pugna militiæ, & iam satis est quòd hucusq; certaui, sed si adhuc in eodem labore pro castris tuorum stare me præcipis, nó recuso, B nec fatiscétem causabor ætatem. Munia tua deuotus implebo, sub signis tuis quoad ipse tu iusseris, militabo: & quamuis optata sit seni missio post laboré, est tamen animus victor annorú, & cedere nescius senectuti, ac si iam parcis ætati, bonum est mihi Domine voluntas tua: hos verò, quibus timeo, ipse custodies. O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum! qui in nullam se partem pronior inclinauerat, nec mori timuit, nec viuere recusauit. Itaque cùm iam per aliquot dies vi febriú teneretur, non tamé à Dei opere cessabat: pernox in orationibus & vigiliis, fatiscétes artus seruire spiritui cogebat, nobili illo strato suo, in cinere & cilicio recubans. Et cùm à discipulis rogaretur, vt salté vilia sibi sineret stramenta supponi: Non decet, inquit, filij, Christianum nisi C in cinere mori. Ego si aliud vobis exéplum relinquo, ipse peccaui. Oculis igitur ac manibus in cœlum semper intentus, inuictum ab oratione spiritum non relaxabat, & cùm à Presbyteris qui tum ad eum confluxerant, rogaretur, vt corpusculum lateris mutatione releuaret: Sinite, inquit, sinite me, fratres, cœlum potiùs respicere, quã terram, vt suo iam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur. Hæc locutus, diabolum vidit propè assistere: Quid hic, inquit, astas cruēta bestia? nihil in me, funeste, reperies; Abrahæ me sinus recipit. Cum hac ergo voce flagitatum diuinis operibus spiritum cœlo reddidit: testatique nobis sunt qui affuerant, iam exanimo corpore glorificati hominis vidisse se gloriam. Vultus luce clarior renitebat, cùm membra cætera ne tenuis quidem D macula fuscaret, in aliis etiam, & in illo tantum artubus non pudendis, septennis quodammodo pueri gratia videbatur. Quis istum vnquam cilicio tectum, quis cineribus crederet inuolutum? ita vitro purior, lacte cãdidior, iam in quadam futuræ resurrectionis gloria & natura demutatæ carnis, ostẽsus est. Iam verò in obsequium funeris, credi non potest, quãta hominum multitudo conuenerit, tota ciuitas obuiam corpori ruit, cuncti ex agris atque vicis, multíque ex vicinis etiam vrbibus affuerũt. O quantus luctus omnium! quanta præcipuè mœrentium lamenta monachorum, qui eo die ferè ad duo millia conuenisse dicuntur, specialis Martini gloria, cuius exemplo in Domini seruitutem stirps tanta fructificauerat. Agebat nimirũ ante se pastor extinctus greges suos, sanctæ illius multitudinis pallidas turbas, agmina palliata, & aut emeritorum laborum senes, aut iuratos Christi E in Sacramenta tyrunes. Tum virginum chorus, fletu abstinens præ pudore, cùm lætandũ potiùs illi esse sentiret, quem iam suo Dominus gremio confouerat, quàm sancto dissimulabat gaudio quod dolebat: siquidem fides flere prohiberet, gemitum extorqueret affectus. Etenim tam erat sancta de illius gloria exultatio, quàm pia de morte confusio. Ignosceres flentibus, gratularere gaudentibus: quia & pium est gaudere Martino, & pium est flere Martinum: dum vnusquisque & sibi præstat vt doleat, & illi debet vt gaudeat. Hoc igitur beati viri corpus vsque ad locum sepulchri, hymnis canora cœlestibus turba prosequitur. Comparetur, si placet, secularis illa pompa, non dicam funeris, sed triumphi: quid simile

Nec mori recusat nec viuendo laborare.

Quo in statu mori cóueniat Christianis.

Alloquitur diabolum moriturus. Obitus B. Martini.

Exequiarũ honor.

A Martini exequiis conferetur? Ducant illi præ curribus suis vinctos, post terga captiuos: Martini corpus, hi qui mundum ductu illius vicerant, prosequantur. Illos confusis plausibus populorum honoret insania, Martino diuinis plauditur Psalmis, Martinus hymnis cœlestibus honoratur; illi post triumphos suos in tartara sæua truduntur, Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur; Martinus hîc pauper & modicus, cœlum diues ingreditur: illinc nos, vt spero, custodiens, me hæc scribentem respicit, te legentem.

Martinus legentem respicit.

S. SVLPICII SEVERI BITVRICEN. ARCHIEP. DIALOGI TRES.

B *Meminerit Lector libros istos Dialogorum Seueri ob aliquot errores in eis repertos, fuisse à S. Gelasio I. in Romano concilio septuaginta Episcoporum in classem apocryphorum reiectos, atque ob id caute legendos. insecutus illos Seuerus errorem de mille annis Christi regno in terris post resurrectionem. Vt S. Hieronymus refert in 36. Ezechiel. Vide Baronium tom. 5. annal. anno Christi 402. cap. 31. quo etiam non semel alibi. Hos Dialogos erroris arguit.*

De virtutibus Monachorum Orientalium; Dialogus I.

PRAEFATIO.

CVm in vnum locum ego & Gallus noster cóuenissemus; vir mihi & propter Martini memoriam (ex illius enim discipulis erat) & propter sua merita charissimus: interuenit nobis C Postumianus meus; nostrî caussa, ab Oriente, quò se ante triennium patriam relinquens contulerat, regressus. Complexi hominem amantissimum, exosculatíque genua & pedes eius; cùm vno atque altero spatio quasi obstupefacti, inuicem flẽtes gaudio, deambulassemus, iactis in terram ciliciis consedimus. Tum prior Postumianus me intuens: Cùm essem, in remotis Ægypti, libuit vt ad mare vsque procederem; nauim illîc onerariam offendi, quæ cum mercibus Narbonam petens, soluere parabat. Eadem nocte astare in somnis mihi visus es, & iniecta me manu trahere vt nauim illam conscenderem. Mox tenebras rumpente diluculo, cùm eo loco, in quo quieueram, surrexissem, somnium meum ipse mecum reputans, tanto tui desiderio subitò correptus sum, vt nihil D cunctatus, nauim conscẽderem: tricesimo die Massiliam appulsus, inde huc decimo peruenerim. Adeò prospera nauigatio piæ adfuit voluntati. Tu modò, propter quem tot maria transnauigauimus, tantum terræ transcurrimus, complectendum, perfruendúmque te, remotis omnibus, trade. Ego verò, inquam, etiam cùm tu in Ægypto morareris, totus tecum semper animo & cogitatione versabar: méque de te dies ac noctes cogitantem, totum tua charitas possidebat: nedum modò me tibi æstimes puncto temporis defuturum, quò minus amore tuo pendens, te intuear, te audiam, tecum loquar: nullo penitus in secretum nostrum, quod nobis hæc remotior cellola præstat, admisso. Nam huius nostri, vt arbitror, Galli præsentiam non molestè feres: quia hoc aduentu E tuo, vt vides, perinde atque ego, ipse triumphat gaudio. Rectè planè, inquit Postumianus, in societate nostra Gallus iste retinebitur: quia etsi mihi parum cognitus est, pro eo tamen quòd tibi est charissimus, non potest mihi non esse charus, maximè cùm ex Martini sit disciplina. Neque grauabor quamlibet copiosè vobiscum, vt poscitis, fabulari: quippe cùm huc propter hoc venerim, vt me huius Sulpicij mei (me autem vtraque manu complectebatur) desiderio etiam verbosus impenderem. Enimuerò, inquam, satis probasti, quantum pius amor possit, qui nostrî caussa tot maria, tantúmque terrarum emensus, à summo (vt ita dicam) solis egressu, vsque in eius occidua venisti. Age ergo, quia & secreti inter nos, nec occupati sumus, & sermoni tuo vacare debemus, edisseras nobis velim

omnem peregrinationis tuæ historiã, qualiter in Oriente fides Christi floreat, quæ sit sanctorum quies, quæ instituta monachorum, quantisq; signis ac virtutibus in seruis suis Christus operetur. Nam certè, quia in his regionibus, inter ista quæ viuimus, ipsa nobis vita fastidio est: libenter ex te audiemus, si vel in eremo viuere Christianis licet. Ad hæc Postumianus: Faciam, inquit, vt desiderare te video. Sed quæso prius ex te audiam, an isti omnes quos hîc reliqueram Sacerdotes, tales sint, quales eos antequàm proficiscerer, noueramus. Tum ego: Absit, te, inquam, ista quærere, quæ aut vna mecum, vt puto, nosti: aut si ignoras, non audire sit melius. Illud reticere non possum, non solùm illos de quibus interrogas, nihil meliores quàm noueras factos: sed vnum illum nostri quondam amantem, in quo respirare ab istorum insectationibus solebamus, asperiorem nobis fuisse, quàm debuit. Nec verò quidquam in illum inclementiùs dicam, quia & amicum colui, & tunc etiam amaui cùm putabatur inimicus. Me autem hæc tacitis cogitationibus reuoluentem, admodum dolor iste compunxit, penè nos sapientis & religiosi viri amicitia destitutos, illum quondam tam amicum nobis, tam amarum in nos esse potuisse. Verum hæc quæ mœroris plena sunt, relinquamus: te potiùs, vt dudum spoponderas, audiamus. Ita, inquit, fiat, Postumianus. Quod cùm dixisset, paululum omnes conticuimus. dein cilicium cui insedebat, ad me propiùs admouit, atque ita exorsus est.

Cap. 1. § Die nauigatum Narbona in Africam.

Ante hoc trienniũ, quo tẽpore tibi Sulpici hinc abiẽs valedixi, vbi Narbona nauim soluimus, quinto die portũ Africæ intrauimus: adeò prospera, Dei nutu, nauigatio fuit. libuit animo adire Carthaginẽ, loca visitare sanctorum, & præcipuè ad sepulchrũ Cypriani Martyris adorare. Quintodecimo die ad portum regressi, prouectiq; in altum, Alexandriam petentes, reluctante Austro, penè in Syrtes illati sumus: quod prouidi nautæ cauentes, iactis nauim anchoris sistunt.

Insula incognita.

Sub oculis autem terra continens erat, in quam scaphis egressi: cùm vacua ab humano cultu omnia cerneremus, ego studiosiùs explorandorum locorum gratia longiùs processi, tribus ferè milibus à littore paruum tugurium inter arenas conspicio: cuius tectum, sicut Sallustius ait, quasi è carina nauis erat, contiguum terræ, satis firmis tabulis constratum, non quod ibi vis imbrium vlla timeatur: fuisse autem illic pluuiam, nequando quidem auditum est: sed quòd ventorum ea vis est, vt si quando vel clementiori cœlo aliquantulus spirare flatus cœperit, maius in illis terris, quàm in vllo mari naufragiũ sit. Nulla ibi semina, germina nulla proueniũt: quippe instabili loco arentibus arenis, ad omnẽ motum ventorum cedentibus. Verùm vbi auersa quædam à mari promontoria ventis resistunt, terra aliquantulum solidior, herbam rarã atq; hispidam gignit, ea ouibus est pabulũ satis vtile. incolæ lacte viuunt: qui solertiores sunt, vel, vt ita dixerim, ditiores, hordeaceo pane vtuntur. ea ibi sola messis est, quæ celeritate prouentus, per naturam solis siue aëris ventorum casus euadere solet.

Maturitas frugum mirabilis.

Quippe fertur à die iacti seminis, tricesimo die maturescere. Cõsistere autem ibi homines non alia ratio facit, quàm quòd omnes tributo liberi sunt. extrema siquidem Cyrenorum ora est, Deserto illi contigua, quod inter Ægyptum & Africam interiacet, per quod olim Cato Cæsarem fugiẽs, duxit exercitum. Ergo vt ad tugurium illud, quod eminus conspexeram, pertendi, inuenio senem in veste pellicea, molam manu vertentem. Consolatus accepit nos benignè, eiectos nos in illud littus exponimus, ne statim repetere cursum possimus, maris mollitie adtineri: egressos in terram (vt est mos humani ingenij) naturam locorum, cultúmque habitantium voluisse cognoscere: Christianos nos esse: id præcipuè quærere, an essent aliqui inter illas solitudines Christiani. Tum verò ille flens gaudio, ad genua nostra prouoluitur: iterũ nos ac sæpiùs exosculatos inuitat ad orationem: deinde impositis in terram veruecum pellibus facit nos discumbere. Apponit prandium sanè locupletissimum, dimidium panem hordeaceum. Eramus autẽ nos quatuor, ipse erat quintus.

Prandium opimum quinque conuiuarũ.

Fasciculum etiam herbæ intulit, cuius nomen excidit, quę mẽtæ similis, exuberans foliis, saporem mellis præstabat: huius prædulci admodum suauitate delectati atque exsatiati sumus. Ad hæc subridens ego, ad Gallum meum; Quid, inquam, Galle, placétne tibi prandium, fasciculus herbarum, & panis dimidius viris quinque? Tum ille, sicut est verecundissimus aliquantulum erubescens: dum fatigationem meam accepit: Facis, inquit, Sulpici tuo more, qui nullam occasionem, si qua tibi porrecta fuerit, omittis, quin nos edacitatis fatiges. sed facis inhumanè, qui nos Gallos homines, cogis exemplo Angelorum viuere, quanquam ego studio manducandi, etiam Angelos manducare credam.

Gallorum & Orientalium vita dissimilis.

Nam illum dimidium hordeaceum timeo vel solus attingere, sed contentus si hoc Cyrenensis ille, cui vel necessitas, vel natura est esurire: vel postremò isti, quibus crebrò marina iactatio mediam cibi fecerat. nos procul à mari absumus, & quod tibi sæpe testatus sum, Galli sumus. Sed pergas hic potiùs explicare sui Cyrenensis historiam. Enimuero, Postumianus ait, cauebo posthac cuiusquam abstinentiam prædicare, ne Gallos nostros arduum penitus offendat exemplum. Statueram autem etiam cœnam Cyrenensis illius, vel cõsequentia (septem enim diebus apud ipsum fuimus) referre conuiuia. sed supersedendum est, ne Gallus se æstimet fatigari. Cæterum postero die cùm aliqui ex incolis ad nos visendos confluere cœpissent, cognoscimus illum hospitem nostrum esse Presbyterum, quod summa nos dissimulatione cælauerat. Deinde cum ipso ad Ecclesiam processimus, quæ ferè duobus milibus aberat, à conspectu nostro interiectu montis exclusa. Erat autem vilibus texta virgultis, non multo ambitiosior quàm nostri hospitis tabernaculum, in quo nisi incuruus quis non poterat consistere.

Gens sine dolo.

Cùm hominum mores quæreremus, illud præclarum animaduertimus, nihil eos neque emere, neque vendere, quid sit fraus aut furtum, nesciunt. Aurum atque argentum, quæ prima mortales putant, neque habent, neque habere cupiunt. Nam cùm § ego Presbytero illi decem nummos aureos obtulissem, refugit, altiore consilio protestatus, Ecclesiam auro non strui, sed potiùs destrui: aliquantulum ei vestimentorum indulsimus. Quod cùm ille benignè accepisset, reuocantibus nos ad mare nautis, discessimus.

Cap. 2.

Prosperosque cursu, septimo die Alexandriam peruenimus, vbi fœda inter Episcopos atque Monachos certamina gerebantur, ex ea occasione, quia congregati in vnum sæpiùs Sacerdotes frequentibus decreuisse Synodis videbantur, ne quis Origenis libros legeret, aut haberet: qui tractator sacrarum scripturarum peritissimus habebatur.

Concertatio Sacerdotum de Origenis scriptis.

Sed Episcopi quædam in libris ipsius insaniùs scripta memorabant, quæ assertores eius defendere non ausi, ab hæreticis potiùs fraudulenter inserta dicebant: & ideo non propter illa quæ in reprehensionem meritò vocarentur, etiam reliqua esse damnanda, cùm legentium fides facilè possit habere discrimen, ne falsata sequeretur, & tamen Catholicè disputata retineret. Non esse autem mirum, si in libris neotericis & recens scriptis fraus hæretica fuisset operata, quæ in quibusdam locis non timuisset incidere Euangelicam veritatem. Aduersum hæc Episcopi obstinatiùs renitentes, pro potestate cogebant, secta etiam vniuersa cum prauis & cum ipso auctore damnare: quia satis superque sufficerent libri quos Ecclesia recepisset, respuendam esse penitus lectionem quæ plus esset nocitura insipientibus, quàm profutura sapientibus. Mihi autem ex illius libris quædam curiosiùs indaganti, admodum multa placuerunt: sed nonnulla deprehendi in quibus illum prauè sensisse non dubium est, quæ defensores eius falsata contendunt. Ego miror vnum eundémque hominem tam

S. Seueri de Origene iudicium.

§ *Non satis circumspectè presbyter ille, ita loquutus est, nam etsi dignitas & maiestas Ecclesiæ non metatur auro, aurum tamen ad ornamentum Ecclesiæ piè & religiosè adhiberi nullum orthodoxorum infitias ibit.*

diuersum à se esse potuisse, vt in ea parte qua probatur, neminem post Apostolos habeat æqualem: in ea verò quæ iure reprehenditur, nemo deformius doceatur errasse. Nam cùm ab Episcopis excerpta in libris illius multa legerentur quæ contra Catholicam fidem scripta constaret, locus ille vel maximam parabat inuidiam, in quo editum legebatur, quia Dominus Iesus sicut pro redemptione hominis in carne venisset, & crucem pro hominis salute perpessus, mortem pro hominis æternitate gustasset, ita esset eodem ordine passionis etiam diabolum redempturus: quia hoc bonitati illius pietatique congrueret, vt qui perditum hominem reformasset, prolapsum quoque Angelum liberaret. Cùm hæc atque alia istiusmodi ab Episcopis proderentur, ex studiis partium, orta est seditio. Quæ cùm reprimi Sacerdotum auctoritate

A

non posset, sæuo exemplo ad regendam Ecclesiæ disciplinam præfectus assumitur: cuius terrore dispersi Fratres, ac per diuersas oras monachi sunt fugati, ita vt propositis edictis in nulla consistere sede sinerentur. Illud me admodum permouebat, quòd Hieronymus vir maximè Catholicus, & sacræ legis peritissimus, Origenem secutus primo tempore putabatur, quem nunc idem præcipuè, vel omnia illius scripta damnaret. nec verò ausus sum de quoquam temerè iudicare: præstantissimi tamen viri & doctissimi ferebantur in hoc certamine dissidere. Sed tamen siue illud error est, vt ego sentio: siue hæresis, vt putatur: non solùm reprimi non potuit multis animaduersionibus Sacerdotum, sed nequaquam tam latè se potuisset effundere, nisi contentione creuisset. Huiusmodi ergo

B

Hæreses dissensionibus crescunt.

turbatione cùm veni Alexandriam, fluctuabat, me quidem Episcopus illius Ciuitatis benignè admodum, & melius quàm opinabar excepit, & secum tenere tentauit. Sed non fuit animus ibi consistere, vbi recens fraternæ cladis feruebat inuidia. nam etsi fortasse videantur parêre Episcopis debuisse, non ob hanc tamen caussam multitudinem tantam sub Christi confessione viuentem, præsertim ab Episcopis oportuisset affligi.

C

Cap. 3.

IGITVR inde digressus, Bethleem oppidum petij, quod ab Hierosolymis sex milibus disparatur, ab Alexandria autem sedecim mansionibus abest. Ecclesiam loci illius Hieronymus Presbyter regit: nam parochia est Episcopi qui Hierosolymam tenet. mihi iam pridem Hieronymus superiore illa mea peregrinatione compertus, facilè obtinuerat vt nullum mihi expetendum rectiùs arbi-

B. Hieron. in Bethleē rexit Ecclesiam. Laus B. Hieronymi.

D

traret. Vir enim præter fidei meritum, dotémque virtutum, non solùm Latinis atque Græcis, sed & Hebræis etiam ita litteris institutus est, vt se illi in omni scientia nemo audeat comparare. Miror autem, si non & vobis per multa quæ scripsit opera compertus est, cùm per totum orbem legatur. Nobis verò, Gallus inquit, nimium nimiùmq; compertus est: nam ante hoc quinquennium, quendam illius libellum legi in quo tota nostrorum natio monachorum ab eo vehementissimè vexatur & carpitur. Vnde interdum Belgicus noster valdè irasci solet, quòd dixerit nos vsque ad vomitum solere satiari. Ego autem illi viro ignosco, atque ita sentio; de Orientalibus illum potiùs monachis, quàm de Occidentalibus disputasse. Nam edacitas, in Græcis gula est; in Gallis, natura.

Græcorum & Gallorū vitia dispar.

E

Tum ego: Scholasticè, inquam, Galle defendis gentem tuam: sed quæso te; liber iste, nunquid hoc solum vitium damnat in monachis? Immò verò, inquit, nihil penitus omisit quod non carperet, laceraret, exponeret: præcipuè auaritiam, nec minus vanitatem insectatus est. Multa de superbia, non pauca de superstitione disseruit: verè fatebor; pinxisse mihi videtur vitia multorum. Cæterùm de familiaritatibus virginum & monachorum, atque etiam clericorum; quàm vera, quàm fortia disputauit? vnde à quibusdam, quos nominare nolo, dicitur non amari. Nā sicut Belgicus noster irascitur: edacitatis nimiæ nos notatos: ita illi fremere dicuntur, cùm in illo opusculo scriptum legunt; Cælibem spernit virgo germanum fratrem, quærit extraneum. Ad hæc ego: Nimium, inquam, Galle progrederis: caue ne & te aliquis qui hæc fortassis

Epistola est ad Eustochium de custodia virginitatis.

A

agnoscit, exaudiat; téque vnà cum Hieronymo incipiat non amare. Nam quia scholasticus es; non immeritò, te versu Comici illius admonebo; *Obsequium, amicos; veritas, odium parit.* Tua nobis potiùs, vt cœperas Postumiane, reperatur Orientalis oratio. Ego, inquit, vt dicere institueram, apud Hieronymum sex mensibus fui: cui iugis aduersùs malos pugna, perpetuúmque certamen. Conciuit odia perditorum, oderunt eum hæretici: quia eos impugnare non desinit: oderunt Clerici, quia vitam eorum insectatur, & crimina. Sed planè eum boni omnes admirantur, & diligunt: nam qui eum hæreticum esse arbitrantur, insaniunt. Verè dixerim, Catholica hominis scientia, sana doctrina est. Totus semper in lectione, totus in libris est: non die, non nocte requiescit: aut legit aliquid semper, aut scribit. quod nisi mihi fuisset fixum

Terent. in Andr. sce. 1.

B

animo, & promissum, Deo teste, propositam eremum adire, vel exigui temporis punctum à tanto viro discedere noluissem. Huic ergo traditis atque commissis omnibus meis, omníque familia quæ me contra voluntatem animi mei secuta tenebat implicitum; exoneratus quodammodo graui fasce ac penitus liber regressus Alexandriam, visitatis ibi fratribus, ad superiorem inde Thebaïda, id est, ad Ægypti extrema contendi. Ibi enim vastè patentis eremi solitudines, plurimùm ferebantur habere monachorum.

LONGVM est, si omnia cupiam referre, quæ vidi: tamen pauca perstringam è pluribus. † Haud longè ab eremo contigua Nilo, multa sunt monasteria: habitant vno loco plerunque centeni: quibus summum ius est, sub Ab-

Varia Monasteria in Ægypto. † Cap. 4.

C

batis imperio viuere, nihil arbitrio suo agere, per omnia ad nutum illius potestatémque pendêre. Ex his, si qui maiorem virtutem mente conceperint, vt acturi solitariam vitam se ad eremum conferant; non nisi permittente Abbate discedunt. Hæc illorum prima virtus est, parêre alieno imperio. Transgressus ad eremum; Abbatis illius ordinatione, panis vel quilibet cibus alius ministratur. † Casu per illos dies quibus illò adueneram; cuidam qui nuper ad eremum secesserat, neque ampliùs ab hoc monasterio quàm sex milibus tabernaculum sibi constituerat, panem Abbas per duos pueros miserat, quorum maior habebat ætatis annos quindecim, minor duodennis erat. His ergo inde redeuntibus, Aspis miræ magnitudinis fit obuiam: cuius occursu nihil perterriti, vbi ante pedes eorum venit; quasi incantata carminibus, cœrula colla de-

† Cap 5.

D

posuit: minor è pueris, manu adprehensam ac pallio inuolutam ferre cœpit: deinde monasterium quasi victor ingressus, in occursum fratrum, inspectantibus cunctis, captiuam bestiam, resoluto pallio, non sine iactantiæ tumore deposuit. Sed cùm infantium fidem atque virtutem cæteri prædicarent; Abbas ille, altiore consilio, ne infirma ætas insolesceret, virgis vtrumq; compescuit, multum obiurgatos, cur ipsi quod per eos Dominus operatus fuerat, prodidissent: opus illud non suæ fidei, sed diuinæ fuisse virtutis: discerent potiùs, Deo in humilitate seruire, non in signis & virtutibus gloriari; quia melior esset infirmitatis conscientia, virtutum vanitate. Hoc vbi ille monachus audiuit, & periclitatos infantulos Serpentis occursu, & ipsos insuper multa verbera victo Serpen-

Aspidem puer illæsus defert.

Cæduntur ab Abbate.

E

te meruisse; Abbatem obsecrat ne sibi postbæc panis vllus, aut cibus aliquis mitteretur. Iámque octauus dies fuerat emensus, quo se homo Christi intra periculum famis ipse concluserat; arebant membra ieiunio, sed deficere mens cœlo intenta non poterat: corpus inedia fatiscebat, fides firma durabat. Cùm interim admonitus Abbas ille per spiritum, vt discipulum visitaret; pia sollicitudine cognoscere cupiens, qua vitæ substantia vir fidelis aleretur, qui ministrari sibi panem ab homine noluisset; ad requirendum eum ipse proficiscitur. Ille vbi eminus senem venire cōspexit, occurrit; agit gratias, ducit ad cellulam. cùm ingressi pariter ambo, conspiciunt palmiciam sportam calido pane congestam, foribus affixam de poste pendêre. Ac primum calidi panis odor sentitur; tacta verò ac si ante paululum focis esset ereptus, ostendi-

Deus pascit eos.

tur; Ægyptij tamen panis forma non cernitur. Obstupefacti ambo, munus cœleste cognoscunt. Cùm ille hoc Abbatis aduentui præstitum fateretur, Abbas verò illius fidei ac virtuti id potiùs adscribere; ita ambo cœlestem panem cum multa exultatione fregerunt. Quod cùm fes, ad monasterium pòst regressus, fratribus retulisset; tantus omnium incenderat ardor animos, vt certatim ad eremum & sacras solitudines ire properarent: miseros se fatentes, qui diutiùs in congregatione multorum, vbi humana esset patienda conuersatio, resedissent.

Cap. 6. Perseuerãtia in proposito.

IN hoc monasterio duos ego senes vidi, qui iam per quadraginta annos ibi degere, ita vt nunquam inde discessetint, ferebantur; quorum prætereunda mihi commemoratio non videtur: siquidem id de eorum virtutibus, & Abbatis ipsius testimonio, & omnium fratrum audierim sermone celebrari, quòd vnum eorum sol nunquam vidisset epulantem, alterum vidisset iratum nunquam. Ad hæc Gallus, me intuens: O si vester ille (nolo nomen edicere) nunc adesset, vellem admodum istud audiret exemplum: quem in multorum sæpe personis nimium experti sumus, vehementer irasci: sed tamen, quia inimicis suis, quantum audio, nuper ignouit, si istud audiret, magis, magisque proposito confirmaret exemplo, præclaram esse virtutem, iracundia non moueri. Nec verò inficiabor iustas illi ob caussas iratum fuisse: sed vbi durior pugna, ibi gloriosior est corona; vnde quendam, si agnoscis, censeo iure laudandum, quod cùm eum libertus deseruerit ingratus, miseratus est potiùs, quàm insectatus abeuntem. Sed neque illi irascitur, à quo videtur abductus. Ego autem, nisi istud vincendæ iracundiæ Postumianus prodidisset exemplum, grauiter irascerer discessione fugitiui: sed quia irasci non licet, tota istorum commemoratio, quæ nos compungit, abolenda est. Te, inquam, Postumiane, te potiùs audiamus. Faciam, inquit, Galle, quod præcipis, quatenus tam studiosos audiendi esse vos video. Sed mementote quia non sine fœnore istum apud vos depono sermonem; libens præsto quod poscitis, dummodo paulò pòst quod poposcero, non negetis. Nos verò, inquam, nihil habemus in quo tibi mutuum vel sine fœnore restituere possimus: sed tamẽ quidquid petieris, imperato, dummodo vt cœperas, desideriis nostris satisfacias; valdè enim nos delectat tua oratio. Nihil, inquit Postumianus, vestra studia fraudabo: & quia Eremitæ vnius incipientis, agnouistis virtutem; referam adhuc vobis pauca de plurimis.

Cap. 7.

ERGO vbi prima Eremi ingressus sum, duodecim ferè à Nilo milibus, (habebam autem vnum è fratribus, ducem, locorum peritum) peruenimus ad quendam senem monachum sub radice montis habitantem: ibi, quod in illis locis rarissimum est, puteus erat. bouem vnum habebat, cuius hic erat totus labor, impulsa rotali machina aquam producere; nam ferè mille aut amplius pedum, profundum putei ferebatur. Hortus illic erat multis oleribus copiosus: id quidem contra naturam eremi; vbi omnia arentia, exusta solis ardoribus, nullius vnquam seminis vel exiguam radicem ferunt; Verum hoc, Sancto illi labor cum pecore communis, & propria præstabat industria. Frequens enim irrigatio aquarum, tantam pinguedinem arenis dabat, vt mirum in modum virêre atque fructificare horti illius olera viderémus. Ex iis igitur vnà cum Domino bos ille viuebat: nobis quoque ex ea copia, cœnam sanctus dedit. Ibi vidi, quod vos Galli fortè non credittis, ollam cum oleribus quæ nobis in cœnam præparabatur, sine igne feruêre. Tanta vis Solis est, vt quibuslibet coquis etiam ad Gallorum pulmenta sufficiat. Post cœnam autem iam inclinante vespera, inuitat nos ad arborem palmam, cuius interdum pomis vti solebat, quæ ferè duobus milibus aberat. Nam hæ tantum in eremo arbores, licet raro, habentur tamen: quod vtrùm solers antiquitas procurauerit; an solis natura gignat, ignoro: nisi Deus præscius habitandam quandoque à sanctis eremum, hæc seruis suis parauerit. Ex maiore

Hortus fertilis in loco sterilissimo.

Olla in Ægypto feruet ardore Solis.

A enim parte, qui intra illa secreta consistunt, cùm alia ibi germina nulla succedunt, istarum arborum pomis aluntur. Ergo vbi ad illam ad quam nos humanitatis nostri hospitis ducebat arborem peruenimus; leonem ibi offendimus; quo viso, ego & ille dux meus intremuimus; sanctus verò ille incunctanter accessit; nos, licet trepidi, secuti sumus. Fera paululum (cerneres imperatam à Deo,) modesta discessit, & constitit dum ille adtigua ramis humilioribus poma decerperet; cùmque plenam palmulis manum obtulisset, accurrit bestia, accepitque tam liberè quàm vllum animal domesticum; & cùm comedisset, abscessit. nos hæc intuentes & adhuc trementes; facilè potuimus expendere, quanta in illo fidei virtus, & quanta in nobis esset infirmitas.

Leo Anachoretæ conuiua.

Cap. 8.

Lupa astat cœnanti Eremitæ.

ALIVM æquè singularem virum vidimus, paruo tugurio, in quo non nisi vnus recipi posset, habitantem. B de hoc illud ferebatur, quòd Lupa ei solita erat adstare cœnanti: nec facilè vnquam bestia falleretur, quin illi ad legitimam horam refectionis occurreret, & tandiu pro foribus expectaret, donec ille panem qui cœnulæ superfuisset, offerret: illam, manum eius lambere solitam; atq; ita quasi impleto officio, & præstita consolatione discedere. Sed fortè accidit, vt sanctus ille dum fratrem qui ad eum venerat deducit abeuntem, diutiùs abesset; & non nisi sub nocte remearet: Interim bestia ad consuetudinarium illud cœnæ tempus occurrit. vacuam cellulam, cùm familiarem patronum abesse sentiret, ingressa, curiosiùs explorans vbi nam esset habitator: casu, contigua, cum panibus quinque, palmicia sportella pendebat; ex his vnum præsumit, & deuorat: deinde perpetrato scelere C discedit. Regressus eremita, vidit sportulam dissolutam, non constante panum numero, damnum rei familiaris intelligit, ac prope limen panis absumpti fragmenta cognoscit. Sed non erat incerta suspicio, quæ furtum persona fecisset. Ergo cùm sequentibus diebus secundùm consuetudinem bestia non venisset, ormitum audacis facti conscia, ad eum venire dissimulans cui fecisset iniuriam, ægrè patiebatur eremita, se alumnæ solatio destitutum. Postremo illius oratione reuocata, septimum post diem affuit, vt solebat antè, cœnanti. Sed vt facilè cerneres verecundiam pœnitentis, non ausa propiùs accedere, deiectis in terram profundo pudore luminibus, quod palam licebat intelligi, quamdam veniam precabatur: quam illius confusionem eremita miseratus, iubet D eam propiùs accedere, ac manu blanda caput triste permulcet. Dein pane duplicato ream suam refecit: ita indulgentiam consecuta, officij consuetudinem deposito mœrore reparauit. Intuemini quæso Christi etiam in hac parte virtutem, cui sapit omne quod brutum est, cui mite est omne quod sæuit. Lupa præstat officium, lupa furti crimen agnoscit, lupa conscio pudore confunditur: vocata adest caput præbet, & habet sensum indultæ sibi veniæ, sicut pudorem gessit erratí. Tua hæc virtus Christe, tua sunt hæc Christe miracula. Etenim quæ in tuo nomine operantur serui tui, tua sunt: & in hoc ingemiscimus, quòd maiestatem tuam feræ sentiunt homines, non verentur.

Bestia sceleris sui cõscia.

NE cui autem hoc incredibile fortè videatur, maiora memorabo. Fides Christi adest, me nihil fingere, neque E incertis auctoribus vulgata narrare: sed quæ mihi per fideles viros comperta sunt, explicabo.

Cap. 9. Anachoretarum domicilia & viuendi ratio.

HABITANT plerique in eremo sine vllis tabernaculis quos Anachoretas vocant: viuunt herbarum radicibus, nullo vnquam certo loco consistunt, ne ab hominibus frequententur, quas nox coëgerit sedes habent. Ad quendam igitur hoc ritu atque hac lege viuentem, duo ex Nitria Monachi, licet longa & diuersa regione, tamen quia olim ipsis in monasterij conuersatione charus & familiaris fuisset, auditis eius virtutibus, tenderunt: quem diu multúmque quæsitum, tandem mense septimo repererunt extremo illo deserto quod est Memphis contiguum, demorantem: quas ille solitudines iam per annos duodecim dicebatur habitare.

Qui licet omnium hominum vitaret occursus, tamen agnitos non refugit, séq; charissimis per triduum nõ negauit. Quarto die aliquantulum progressus, cùm prosequeretur abeuntes, leænam miræ magnitudinis ad se venire conspiciunt. bestia licet tribus repertis, non incerta quẽ peteret, Anachoretæ pedibus aduoluitur, & cum fletu quodã & lamentatione procúbens indicabat gementis pariter & rogantis affectũ. mouit omnes, & præcipuè illũ qui se intellexerat expetitum. præcedentẽ sequuntur: nam pergens & subinde restans, subinde respectans, facilè poterat intelligi, id eã velle, vt quò illa ducebat, Anachoreta sequeretur. Quid multis? Ad speluncam bestiæ peruenitur, vbi illa adultos iam quinq; catulos malè fera nutriebat: qui, vt clausis luminibus ex aluo matris exierant, cæcitate perpetua tenebantur: quos singulos de rupe prolatos, ante Anachoretæ pedes mater exposuit. Tũ demũ sanctus animaduertit quid bestia postularet, inuocatóq; Dei nomine contrectauit manu lumina clausa catulorũ: ac statim cæcitate depulsa, apertis oculis bestiarũ diu negata lux patuit. Ita fratres illi, Anachoreta quẽ desiderabant visitato, cum admodum fructuosa laboris sui mercede redierunt: qui in testimonium tãtæ virtutis admissi, fidẽ sancti, gloriã Christi, quæ per ipsos esset testificanda, vidissent. Mira dicturus sum. Leænam post dies quinque ad auctorem tanti beneficij reuertisse, eidémq; inusitatæ feræ pellem pro munere detulisse: qua plerunque sanctus ille quasi amiculo circumtectus, non dedignatus est munus per bestiam sumere, cuius alium potiùs interpretabatur auctorem.

Leæna Anachoretæ supplicat, & visum catulis suis impetrat.

Leænę gratitudo.

Cap 10.

Erat etiam alterius Anachoretæ in illis regionibus nomen illustre, qui in ea parte deserti quæ Syenis iungitur, habitabat. hic cùm primùm se ad eremum contulisset, & herbis herbarúmq; radicibus quas prædulces interdum & saporis eximij fert arena, victurus: ignarus germinis eligendi, noxia plerumq; carpebat. nec erat facilè vim radicum sapore discernere: quia omnia æquè dulcia: sed pleraque occultiore natura virus lethale conbibebant. Cùm ergo edentem vis interna torqueret, & immensis doloribus vitalia vniuersa quaterentur, ac frequens vomitus cruciatus non ferendis ipsam animæ sedem stomacho iam fatiscente dissolueret, omnia penitus quæ essent edẽda formidans, septimum in ieiunijs diem spiritu deficiente ducebat. Tum ad eum fera, cui Ibicis est nomen, accessit. huic propiùs astanti, fasciculum herbarum, quem collectum pridie attingere non audebat, obiecit. Sed fera, quæ virulenta erant, ore discutiens: quę innoxia nouerat, eligebat. ita vir sanctus eius exemplo quid edere, quid respuere deberet, edoctus, & periculum famis euasit, & herbarum venena vitauit.

Fera decet signo vsum bonarum herbarum & radicum.

Cap. 11.

Sed longum est de omnibus qui eremum incolunt, comperta nobis vel audita memorare. Annum integrũ & septem ferè menses intra solitudines constitutus exegi, magis virtutis admirator alienæ, quàm quòd ipse tam arduum atque difficile potuerim tenere propositum. Sæpius tamen cum sene illo, qui puteum & bouem habebat habitaui.

Duo Beati Antonij monasteria adij, quæ hodie ab eius discipulis incoluntur. Ad eum etiam locum, in quo beatissimus Paulus primus eremita est diuersatus, accessi. Rubrum mare vidi: iugum Sinai montis ascendi, cuius summum cacumen cœlo penè contiguum, nequaquam adiri potest. Inter huius recessus Anachoreta esse aliquis ferebatur, quem diu multúmque quæsitum videre non potui, qui ferè iam ante quinquaginta annos à conuersatione humana remotus, nullo vestis vsu, setis corporis sui tectus, nuditatem suam diuino munere vestiebat. Hic quoties eum religiosi viri adire voluerunt, cursu auia petens, congressus vitabat humanos, vni tantummodo ferebatur se ante quinquennium præbuisse, qui credo potenti fide id obtinere promeruit: cui inter multa colloquia percunctanti, cur homines tantopere vitaret, respondisse perhibetur: Eum qui ab hominibus frequentaretur, non posse ab Angelis frequentari. Vnde non immeritò recepta opinione multorum fama vulgauerat, sanctum illum ab Angelis visitari.

Anachoreta in Sinai monte degit nudus.

Cap. 12.

Ego autem à Sinai monte digressus, ad Nilum flumen regressus sum, cuius ripas frequentibus monasterijs consertas vtraque ex parte lustraui. Plerumque vidi, vt dudum dixeram, vno in loco habitare centenos: sed & bina & terna millia in iisdem viculis degere constabat. Nec sanè ibi minorem putetis diuersantium in multitudine monachorum esse virtutem, quàm eorum esse cognoscitis, qui se ab humanis cœtibus remouerunt. Præcipua, vt iam dixeram, ibi virtus, & prima, est obedientia: neque aliter adueniens ad monasterium Abbatis suscipitur, quàm qui tentatus priùs fuerit & probatus, nullum vnquam recusaturus quamlibet arduum ac difficile indignúmque toleratu, Abbatis imperium.

Monachorum Orientalium virtus prima obedientia.

Cap. 13.

Dvo vobis referam incredibilis obedientiæ admodum magna miracula, licet suppetant plura recolenti: sed ad excitandam virtutum æmulationem, cui pauca non sufficiunt, multa non proderunt. Ergo cùm quidam sæculi actibus abdicatis, monasterium magnæ dispositionis ingressurus, cœpisset rogare: Abbas ei cœpit multa proponere, graues esse istius disciplinæ labores, sua vero dura imperia quæ nullius facilè valeret implere patientia: aliud potiùs monasterium, vbi facilioribus legibus viueretur, expeteret: non tentaret aggredi, quod implere non posset. Ille verò nihil his terroribus permoueri, sed magis ita omnem obedientiam polliceri, vt si eum Abbas in ignem ire præciperet, non recusaret intrare, quam illius professionem vbi magister accepit, non cunctatur probare profitentem. Casu clibanus prope ardebat, qui multo igne succensus, coquendis panibus parabatur: exundabat abruptis flamma fornacibus, & tota camini illius concaua totis habenis regnabat incendium. hoc igitur aduenam illum iubet magister intrare: nec distulit parère præcepto, medias flammas nihil cunctatus ingreditur: quæ mox tam audaci fide victæ, velut illis quondam Hebræis pueris, cessere venienti. Superata natura est, fugit incendium: & qui putabatur arsurus, velut frigido rore perfusus se ipse miratus est. Sed quid mirum, si suum Christe tyronem ignis ille non attigit, vt nec Abbatem pigeret dura mandasse, nec discipulum pœniteret imperio paruisse? qui eo die quo aduenerat, dum tentaretur infirmus, perfectus inuentus est: meritò fœlix, meritò gloriosus, probatus obedientia, glorificatus est passione.

Obedientię exempla.

Abbas initiandum igne explorat.

Illæsus ab igne egreditur.

In eodem autem monasterio factum id quod dicturus sum, recenti memoria ferebatur. Quidam itidem ad eundem Abbatem recipiendus aduenerat, cùm prima ei lex obedientiæ poneretur, ac perpetem polliceretur ad omnia, vel extrema patientiam: casu Abbas storacinam virgam iampridem aridam manu gerebat. hanc solo fixit, atque illi aduenæ id operis imponit, vt tamdiu virgulæ aquam irriguam ministraret, donec, quod contra omnem naturam erat, lignum aridum in solo arente viuisceret. Subiectur aduena duræ legis imperio, aquam proprijs humeris quotidie conuehebat, quæ à Nilo flumine per duo ferè millia petebatur, iámque emenso anni spacio, labor non cessabat operantis, & de fructu operis spes esse non poterat: tamen obedientiæ virtus in labore durabat. Sequens quoque annus vanum laborem iam affecti fratris eludit. Tertio demum succedentium temporum labente curriculo, cùm neque noctu neque interdiu aquarius ille cessaret operator, virga floruit. Ego ipsam ex illa virgula arbusculam, quæ hodie intra atrium monasterij est ramis virentibus, vidi: quæque quasi in testimonium manens, quantum obedientia meruit, & quantum fides possit, ostendit. Sed me dies antè deficiet, quàm diuersa miracula, quæ mihi de virtutibus Sanctorum sunt comperta, consummem.

Monachi miranda patientia, & obedientia.

Virga arida floruit.

Dvo vobis adhuc præclara memorabo, quorum vnum egregium erit aduersus inflationem miseræ vanitatis exemplum: alterum aduersus fallam iustitiam non mediocre documentum. Quidam ergo Sanctus fugando-

rum de corporibus obsessis dæmonum incredibili præditur potestate, inaudita per singulos dies signa faciebat. non solùm enim præsens, neque verbo tantùm, sed absens quoque interdum cilicij sui fimbriis, aut Epistolis missis corpora obsessa curabat. Hic ergò mirum in modum frequentabatur à populis ex toto ad eum orbe venientibus. Taceo de minoribus: Præfecti Comitésque, ac diuersarum Iudices potestatum pro foribus illius sæpe iacuerunt. Episcopi quoque sanctissimi, Sacerdotali auctoritate deposita, contingi se ab eo, atque benedici humiliter postulantes, sanctificatos se ac diuino munere illustratos, quoties manum illius vestémque contigerant, non immeritò crediderunt. Hic ferebatur omni potu in perpetuum penitus abstinere, ac pro cibo (tibi Sulpici in aurem loquar, ne Gallus hoc audiat) septem tantùm caricis sustentari. Interea sancto viro, vt ex virtute honor, ita ex honore vanitas cœpit obrepere, quod malum ille vbi primùm potuit in se sentire grassari, diu multúmque discutere conatus est: sed repelli pœnitus vel tacita conscientia vanitas, perseuerante virtute, non potuit. Vbique nomen eius dæmones fatebantur: excludere à se confluentium populos nõ valebat. Virus interim latens serpebat in pectore, & cuius nutu ex aliorum corporibus dæmones fugabantur, seipsum occultis cogitationibus vanitatis purgare nõ poterat. Totis igitur precibus conuersus ad Dominum fertur orasse, vt permissa in se mẽsibus quinq; diaboli potestate, similis his fieret, quos ipse curauerat. Quid multis morer? ille præpotens, ille qui signis atque virtutibus toto Oriente vulgatus, ille ad cuius limina populi antè confluxerant, ad cuius fores summæ istius sæculi se prostrauerant potestates, correptus à dæmone est, tentus in vinculis, omnia illa quæ energumeni solẽt ferre, perpessus. Quinto demum mense purgatus est non tantùm dæmone, sed quod illi erat vtilius atq; optatius, vanitate. Sed mihi ista replicanti; nostra infœlicitas, nostra occurrit infirmitas. Quia enim nostrûm est, quem si vnus homũculus humilis salutauerit, aut fatuis atq; adulantibus verbis fœmina vna laudauerit, nõ continuò elatus sit superbia, nõ statim inflatus sit vanitate? vt etiamsi non habeat conscientiam sanctitatis, tamen quia vel stultorum adulatione, aut forcassis errore sanctus esse dicatur, sanctissimum se putabit. Iam verò si ei munera crebra mittantur; Dei se munificentia asserit honorari, cui dormienti atque resoluto necessaria conferantur. Quòd si vel de modico ei aliqua virtutis signa succederẽt; angelum se putaret. Cæterùm cùm neq; opere neq; victute cõspicuus sit; si quis Clericus fuerit effectus, dilatat cõtinuò fimbrias suas, gaudet salutationibus, inflatur occursationibus: ipse etiam vbique discurrit. Et qui antè pedibus aut asello ire consueuerat; spumante equo superbus inuehitur: parua priùs ac vili cellula contentus habitare; erigit celsa laquearia, construit multa conclauia, sculpit ostia, pingit armaria, vestem respuit grossiorem, indumentũ molle desiderat. Atq; hæc; charis viduis, ac familiaribus mandat tributa virginibus: illa, vt byrrum rigentem; hæc, vt fluentem texat lacernam. Verùm hæc describenda mordaciùs, beato viro Hieronymo relinquamus: ad propositum reuertamur. Tu verò, inquit, Gallus meus, nescio quid Hieronymo reliqueris disputandum; ita breuiter vniuersa nostrorũ instituta cõplexus es, vt pauca hæc tua verba, si æquanimiter acceperint & patienter expenderint, multũ eis arbitrer profutura, vt nõ indigeãt libris post hęc Hieronymi coërceri. Sed tu illa potiùs euolue quæ cœperas; & illud quod aduersus falsam iustitiã dicturũ te esse promiseras, prode documẽtum. nam vt verè tibi fatear, nullo perniciosius malo intra Gallias laboramus. Ita faciam (Postumianus inquit) nec te diutiùs teneho suspensum.

Perpetua potus abstinentia.

Dæmonum celeberrimus fugator à dæmone possessus aptus.

Galli, falsa de se Iustitiæ opinione laborãt.

Cap. 15.

Adolescens quidam ex Asia prædiues opibus, genere clarus, habens vxorem & filium paruulum, cùm in Ægypto Tribunus esset, & frequentibus aduersum Blemmyas expeditionibus quædam Eremi contigisset, sanctorum etiam tabernacula complura vidisset, à beato viro Ioanne, verbum salutis accepit. Nec moratus inutilem militiam cum vano illo honore contemnere; eremum constanter ingressus, breui tempore in omni genere virtutũ perfectus emicuit: potẽs ieiuniis, humilitate cõspicuus, fide firmus; facilè se antiquis Monachis studio virtutis æquauerat: cùm interim subiit eum cogitatio iniecta per diabolum, quòd rectius esset vt rediret ad patriã, filiúmque vnicum ac domum totam cum vxore saluaret: quod vtique esset acceptius Deo, quàm si solum se sæculo eripere contentus, salutem suorum non sine impietate negligeret. Istiusmodi ergo falsæ iustitiæ colore superatus; post quadriennium ferè cellulam suam atque propositum Eremita deseruit. Sed vbi ad proximum Monasterium quod à multis fratribus habitabatur, accessit; caussam discessionis atque consilium quærentibus, confitetur. Renitentibus cunctis, & præcipuè loci illius Abbate renitente; malo animo fixa sententia non potuit auelli. Igitur infœlici se obstinatione proripiens, cum dolore omnium digressus à fratribus; vix è conspectu abscesserat, impletus à dæmone cruentásque spumas ore prouoluẽs, suis dentibus se ipse lacerabat: deinde ad idẽ monasterium, fratrum humeris reportatus, cùm coërceri in eo immondus Spiritus non valeret, necessitate cogente, ferreis nexibus alligatur, pedes cum manibus vinciuntur: non immerita pœna fugitiuo; vt quem nõ cohibuerat fides, cathenæ cohiberent. Post biennium demum oratione sanctorum ab immundo spiritu liberatus, ad eremum vnde discesserat, mox regressus; & ipse correctus & aliis pòst futurus exemplo, ne quem aut falsæ iustitiæ vmbra decipiat, aut incerta mobilitas inutili leuitate compellat semel cœpta deserere. Hæc vos de virtutibus Domini, quas in seruis suis vel imitanda operatus est vel timenda, scire sufficiat. Sed quia satisfeci vestris auribus, immò etiam verbosior fui fortasse, quàm debui; tu modò (ad me autem loquebatur) debitum fœnus exolue, vt te de Martino tuo, vt es solitus, plura referentem, tam pridem in hoc desiderus meis æstuantibus, audiamus. Quid? inquam: tibi, de Martino meo liber ille non sufficit quem ipse tu nosti, me de illius vita atq; virtutibus edidisse.

Inconstantia ob amorem mundanorum.

Adolescens nobilis pœnitentia ductus eremũ repetit.

Hactenus Postumianus.

Agnosco id quidem, Postumianus inquit; neque vnquam à dextera mea liber ille discedit: nam si agnoscis (aperit librum, qui sub veste latebat) En ipsum. hic mihi, inquit, terræ ac mari comes, hic in peregrinatione tota socius & consolator fuit. Sed referam tibi planè, quo liber iste penetrauerit: & quàm nullus ferè in orbe terrarũ locus sit, vbi non materia tam fœlicis historiæ peruulgata teneatur. Primus eũ Romanæ vrbi, vir studiosissimus tui, Paulinus inuexit. deinde cùm tota certatim vrbe raperetur, exultantes librarios vidi: quòd nihil ab his quæstuosius haberetur: siquidem nihil illo promptius, nihil carius venderetur. Hic nauigationis meæ cursus, longè antè progressus: cùm ad Africam venissem, iam per totã Carthaginem legebatur. solus cum Cyrenensis ille presbyter non habebat: sed me largiente descripsit. Nã quid ego de Alexandria loquar, vbi penè omnibus magis quàm tibi notus est? hic Ægyptũ, Nitriam, Thebaïdam, ac tota Memphitica regna transiuit. Hunc ego in eremo à quodam sene legi vidi: cui cùm me familiarem tuum esse dixissem, & ab illo & à multis fratribus hęc mihi iniuncta legatio est, vt si vnquam terras istas te incolumi contigissem, ea te supplere compellerem, quæ in illo tuo libro de virtutibus beati viri professus es præterisse. Age ergo, quia non illa à te audire desidero, quæ scripta sufficiunt, illa quæ tum vel propter legentium, vt credo, fastidium præteristi, multis id vnà mecum à te poscentibus explicentur. Equidẽ Postumiane, inquã, cùm te iamdudum de sanctorum virtutibus intentus audirem, tacitis ad Martinum meum cogitationibus recurrebam, merito perspiciens omnia illa quæ singuli diuersa fecissent, per vnum istum facilè completa. Nam cùm excelsa retuleris (quod mihi dixisse liceat pace sanctorum) nihil à te penitus audiui, in quo Martinus esset inferior.

Cap. 16.

Libri de vita B. Martini, laus & celebritas.

De quo supra cap. 2

Cap. 17. Omnia singulorum Monachorum insignia in vno sunt B. Martino.

Sed sicut nullius vnquam cum illius viri meritis profiteor cōferendam esse virtutem, ita & illud animaduerti decet, iniquam illum cum eremitis, vel etiam anachoretis, conditione conferri. illi enim ab omni impedimento liberi, cœlo tantùm, atque angelis testibus planè admirabilia docentur operati. Iste in medio cœtu & conuersatione populorum, inter clericos dissidentes, inter Episcopos sæuientes, cùm ferè quotidianis scandalis hinc atque inde premeretur, inexpugnabili tamen aduersus omnia virtute fundatus stetit: & tanta operatus est, quāta ne illi quidem, quos antè audiuimus esse in eremo vel fuisse, fecerunt. Ac si illi paria fecissent, quis iudex tam esset iniustus, vt non istum esse potiorem meritò iudicaret? Puta enim istum fuisse militem, qui pugnauerit in iniquo loco, & tamen victor euaserit: illos autem æquè compone militibus, sed qui ex æquo loco, aut etiam de superiore certauerint. Quid ergo? etsi omnium vna victoria est, non potest esse par gloria. Et tamen cùm præclara retuleris, à nemine retulisti mortuum suscitatum: quo vno vtique te necesse est confiteri Martino neminem conferendum.

Idem incōparabilis declaratur.

Nam si admirandum est, quòd illum Ægyptium flamma non attigit, hic quoque sæpiùs imperauit incendiis. Si reuoluas, quòd Anachoretis feritas bestiarum victa succubuit: hic familiariter & rabiem bestiarum, & serpentium venena compescuit. Quòd si illum conferas, qui immundis spiritibus obsessos verbi imperio, ac etiam fimbriarum virtute curabat: ne in hac quidem parte inferiorem fuisse Martinū multa documenta sunt. Si etiam ad illum recurras, qui fetis suis pro veste contectus, putabatur ab Angelis visitari: cum isto Angeli quotidie loquebantur. Iam verò C aduersus vanitatem atque iactantiam ita inuictum spiritum gessit, vt illa vitia fortiùs nemo contempserit, cùm quidem immundis spiritibus adflatos absens plerumq; curauerit: nec solùm Comitibus, aut Præfectis, sed ipsis etiam Regibus imperaret. minimum id quidem in illis virtutibus: sed credas velim, nō solùm vanitati, sed caussis etiam atque occasionibus vanitatis, neminem fortiùs repugnasse. Parua quidem, sed non prætereunda dicturus sum: quia & ille laudandus est, qui summa præditus potestate, tam religiosam ad reuerentiam beati viri ustēderit voluntatem. Memini Vincentium Præfectum, virum egregium, & quo nullus sit intra Gallias omni virtutum genere præstantior, dum Turônos præteriret, à Martino sæpiùs poposcisse, vt ei conuiuium in suo Monasterio daret: in quo quidem exemplum B. Ambrosij D Episcopi præferebat: qui eo tempore Consules & Præfectos subinde pascere ferebatur: sed virum altioris ingenij, ne qua ex hoc vanitas atque inflatio obreperet, noluisse. Ergo fatearis necesse est, in Martino omnium illorum quos enumerasti, fuisse virtutes: Martini autem in illis omnibus non fuisse. Quid tu, inquit Postumianus, ita mecum? quasi non eadem tecum sententia semper senserim.

Cap. 18.

Ego vero quoad viuam & sapiam Ægypti Monachos, semper prædicabo, laudabo Anachoretas, mirabor Eremitas: Martinum semper excipiam: non illi ego quēquam audebo Monachorum, certè non Episcoporum quempiam comparare. Hoc Ægyptus fatetur, hoc Syria, hoc Æthiops comperit, hoc Indus audiuit, hoc Parthus & Persa nouerunt: nec ignorat Armenia, Bosphorus exclusa cognouit, & postremò si quis aut Fortunatas insulas, aut glacialem frequentat Oceanum. Quo miserior est regio ista nostra, quæ tantum virum cum in proximo habuerit, nosse non meruit. Nec tamen huic crimini miscebo populares: soli illum clerici, soli nesciūt Sacerdotes, nec immeritò. Nosse illum inuidi noluerūt: quia si virtutes illius nossent, suorū vitia cognouissent. Horreo dicere, quod nuper audiui, infœlicem dixisse nescio quem, te in illo libro tuo plura mentitum. Non est hominis vox ista, sed diaboli: nec Martino in hac parte detrahitur, sed fidei Euangelij derogatur. Nam cùm Dominus ipse testatus sit istiusmodi opera, quæ Marti- A nus impleuit, ab omnibus fidelibus esse facienda: qui Martinum non credit ista fecisse, non credit Christum ita dixisse. Sed infœlices, degeneres, somnolenti, quæ ipsi facere non possunt, facta ab illo erubescunt: & malunt illius negare virtutes, quàm suā inertiam confiteri.

Cap. 19.

Verum nobis ad alia properantibus omnis istorum memoria relinquatur: tu potiùs, vt iamdudum desidero, residua Martini opera contexe. At ego, inquam, arbitror rectiùs istud à Gallo esse poscendum, quippe qui plura nouerit (neq; enim ignorare potuit magistri facta discipulus) & qui non immeritò istam vicem nō solùm Martino, sed etiam nobis debeat: vt quia ego iam librum editum, ac tu hactenus Orientalium gesta memorasti, istam demum necessarij sermonis historiam Gallus euoluat: quia, vt dixi, & nobis debet loquendi vicem, & Martino B suo credo præstabit, vt non grauatè illius facta commemoret.

Cap. 20.

Ego planè, inquit Gallus, licet impar sim tanto oneri, tamen relatis superiùs à Postumiano obedientiæ cogor exemplis, vt munus istud quod imponitis, non recusem. Sed dum cogito me hominē Gallum inter Aquitanos verba facturum, vereor ne offendat vestras nimiū vrbanas aures sermo rusticior. Audietis me tamen vt Gurdonicum hominem, nihil cum fuco aut cothurno loquentem. Nam si mihi tribuitis Martini me esse discipulum: illud etiam concedite, vt mihi liceat exemplo illius inanes sermonum phaleras & verborum ornamenta contemnere. Tu verò, inquit Postumianus, vel Celticè, aut si mauis Gallicè loquere, dummodo iam Martinum loquaris. Ego autem profiteor, quia etiamsi mutus esses, non defutura tibi verba, quibus Martinum facun- C do ore loquereris: sicut Zachariæ in Ioannis nomine lingua resoluta est. Cæterùm cùm sis scholasticus, hoc ipsū quasi scholasticus artificiosè facis, vt excuses imperitiā, quia exuperas eloquentia: sed neque monachum tam astutum, neque Gallum decet esse tam callidum. Verùm aggredere potiùs, & quod te manet explica: nimiū enim dudum alias res agentes consumimus tempus: & iam solis occidui vmbra prolixior monet, non multum diei, vicina nocte, superesse. Deinde cùm paululum omnes conticuissemus, Gallus ita cœpit: Cauendum mihi imprimis esse arbitror, ne ea de Martini virtutibus repetam, quæ in libro suo Sulpicius iste memorauit. Vnde prima illius inter militandum gesta prætereo: neque ea attingam, quæ laicus egit, at Monachus; nec verò audita D ab aliis potiùs quàm quæ vidi ipse, dicturus sum.

Luc. 1.

S. SVLPICII SEVERI, BITVRIC. ARCHIEPISC. DIALOGVS III. DE virtutibus B. Martini.



Qvo primo igitur tempore, relictis scholis beato me viro iunxi, paucos post dies euntem ad Ecclesiam sequebamur. Interim ei seminudus hibernis mensibus pauper occurrit, orans sibi vestimentum dari. Tunc ille, accersito Archidiacono, iussit algentem sine dilatione vesti- E ri: deinde Secretarium ingressus, cùm solus, vt erat illi consuetudo, resideret (hanc enim sibi etiam in Ecclesia solitudinem permissa clericis libertate præstabat) cùm quidam in alio Secretario Presbyteri sederent, vel salutationibus vacantes, vel audiendis negotiis occupati, Martinum verò vsque in eam horam qua solennia populo agi cōsuetudo deposceret, sua solitudo cohibebat. Illud nō prætereibo, quòd in secretario sedens, nunquam cathedra vsus est. nā in Ecclesia nemo vnquā illum sedere cōspexit: sicut quendā nuper (testor Dominum) nō sine meo pudore vidi, sublimi solio quasi regio Tribunali, celsa sede residentē. Sedebat autē Martinus in sellula rusticana, vt est in vsibus seruulorū, quas nos rustici Galli tripetias, vos scholastici, aut certè tu qui de Græcia ve-

D. Martinus nudos vestit.

nis, tripodas nuncupatis. Hoc ergo secretum beati viri pauper ille captatum, cùm ei Archidiaconus dare tunicam distulisset, irrupit, dissimulatum se à clerico querés, algere deplorans. Nec mora, sanctus, paupere non vidénte, intra amphibalum sibi tunicam latenter eduxit, pauperémque contectum discedere iubet. Dein paulò pòst Archidiaconus ingressus, admonet, pro consuetudine expectare in Ecclesia populum illum ad agenda solennia debere procedere. Cui ille respondens ait, pauperé priùs (de se autem dicebat) oportere vestiri: se ad Ecclesiam nó posse procedere, nisi vestem pauper acciperet. Diaconus verò nihil intelligens, quia extrinsecus indutum amphibalo, veste nudum interius non videbat, postremò pauperem non comparere caussatur. Mihi, inquit, vestis quę præparata est, deferatur: pauper nó deerit vestiendus. Arctatus demum clericus, necessitate compulsus, iámque B felle commoto, à proximis tabernis bigerrigam vestem, breuémq; atq; hispidam, quinq; comparatam argenteis rapit, atq; ante Martini pedes iratus exponit. En, inquit, vestem, sed pauper hîc non est. Ille nihil motus, iubet eum paululum stare pro foribus, secretus vtique procurans, dum sibi vestem nudus imponeret: totis viribus elaborans, vt posset occultum esse quod fecerat. Sed quando in sanctis viris latent ista, quæ cunctis, velint, nolint, cuncta produntur.

Cap. 2.
Globus ignis in capite eius micat.

CVM hac igitur oblaturus sacrificium Deo veste procedit. Quo quidem die (mira dicturus sum) cùm iam altarium, sicut est solenne, benediceret, globum ignis de capite illius vidimus emicare, ita vt in sublime contendens, longius collum crinémque flamma produceret. C Hoc, licet celeberrimo factũ die, in magna populi multitudine viderimus, vna tantum de virginibus, & vnus de Presbyteris, tres tantùm videre de Monachis: cæteri cur non viderint, non potest nostri esse iudicij.

Cap. 3.

PAR idẽ ferè tẽpus, cùm Euantius, auunculus meus, vir licet sæculi negotiis occupatus, tamen admodũ Christianus, grauissima ægritudine extremo mortis periculo cœpisset vrgeri, Martinũ euocauit, nec cũctatus ille properauit: priùs tamẽ quàm medium viæ spatium vir beatus euolueret, virtutẽ aduenĩẽtis sensit ægrotus: receptáque cõtinuò sanitate, veniẽtibus nobis obuiã ipse processit. Altera die redire cupientem, magna prece detinuit: cùm interim vnũ è familia puerũ lethali ictu serpẽs perculit: quẽ iam exanimem vi veneni ipse Euantius suis humeris illatũ ante pedes sancti viri, nihil illi impossibile con- D fisus, exposuit: iámq; se malũ serpẽtis per omnia mẽbra diffuderat. Cerneres omnibus venis inflatã cutem, & ad vtris instar tensa vitalia. Martinus porrecta manu, vniuersa pueri mẽbra pertractans, digitũ prope istũ vulnusculũ, quo bestia virus insudcrat, fixit. Tum verò (mira dicturus sum) vidimus venenũ ex omni parte reuocatũ, ad Martini digitũ concurrisse: deinde per illud vlceris foramen exiguũ, ita virus stipasse cũ sanguine, vt solet ex vberibus caprarũ aut ouiũ, pastorũ manu pressis, longa linea copiosi lactis effluere. Puer surrexit incolumis: nos obstupefacti tãtę rei miraculo, id quod ipsa cogebat veritas fatebamur, nõ esse sub cœlo qui Martinũ possit imitari.

Veneno mortuus reuiuiscit.

Cap. 4.

CONSEQVENTI itidem tempore iter cum eo dum diœceses visitat, agebamus, nobis nescio qua necessitate remorantibus, aliquantulum ille processerat. Interim per E aggerem publicum plena militantibus viris fiscalis rheda veniebat: sed vbi Martinum in veste hispida, nigro pẽdulo pallio circumtectum, contigua de latere iumenta viderunt, paululum in partem alteram pauefacta hæserunt. Deinde funibus implicatis, protentos illos, quibus, vt sæpe vidistis, misera illa animalia conglobantur, ordines miscuerunt: dúmque ægrè expediuntur, moram fecere properantibus. qua permoti iniuria militantes, præcipitatis in terram saltibus se dederunt: dein Martinum flagris ac fustibus vrgere cœperũt: cùm quidem ille mutus & incredibili patientia præbens terga cædentibus, maiorem insaniam infœlicibus commoueret: magis ex hoc furentes, quòd ille quasi non sentiens verbera illata

Martini vestis.

B. Martinus à militibus cæditur.

A contemneret. Nos illicò consecuti, fœdè cruentum, atq; vniuersa corporis parte laniatum, cùm exanimis in terram procubuisset, inuenimus: statímque eum asello suo imposuimus, ac locum cædis illius execrantes, raptim abire properauimus. Interea illi regressi ad rhedam suã, furore satiato, agi quò ire cœperant iumenta præcipiũt. Quæ cùm omnia solo fixa, ac si ænea signa, riguissent: tollentibus altiùs vocem magistris, flagris hinc atque inde resonantibus, nihil penitus mouebantur. Consurgũt deinde omnes pariter in verbera: consumit Gallicas mularum pœna mastigias. Tota rapitur silua de proximo: trabibus iumenta tunduntur, sed nihil penitus sæuę manus agebant: vno atque eodem in loco stabãt fixa simulachra. Quid agerent infælices homines, nesciebãt. Nec iam vltra dissimulare poterant, quin, quamlibet brutis pectoribus agnoscerent, diuino numine se teneri. Tandem ergo in se regressi, cœperunt quærere, quis ille esset quem in eodem loco antè paululum cecidissent: cùm percunctantes cognoscunt ex viantibus, Martinum à se tam crudeliter verberatum. Tunc verò apparere omnibus caussa manifesta, nec ignorare iam poterant quin ob illius viri iniuriam tenerentur. Igitur omnes rapidis nos passibus consequuntur, conscio facti ac meriti pudore confusi, flentes, & puluere quo se ipsi fœdauerant, caput atque ora conspersi, ante Martini se genua prouoluunt, veniam precantes, & vt eos abire sineret, postulantes: satis se vel sola conscientia dedisse pœnarum: satísque intellexisse, quàm eosdem ipsos viuos absorbere terra potuisset, vel ipsi potius amissis sensibus in immobilem saxorum naturam rigescere debuissent, sicut affixa locis C quibus steterant iumenta vidissent: orare se atque obsecrare, vt indulgeret sceleri veniam, & copiam præstaret abeundi. Senserat etiam, priusquàm accurrerent, vir beatus, illos teneri: nobísque id antè iam dixerat: veniam tam clementer indulsit, eosdémque abire permisit animalibus restitutis.

Dant pœnas sui delicti.

Veniam rogant, & impetrant.

ILLVD autem animaduerti sæpe Sulpici, Martinum tibi dicere solitum, nequaquam sibi in Episcopatu eam virtutum gratiam suppetisse, quam priùs se habuisse meminisset: quod si verum est, immo quia verum est, conijcere possumus, quãta fuerunt illa quæ Monachus operatus est, & quæ teste nullo solus exercuit, cùm tanta illum in Episcopatu signa fecisse, sub oculis omnium viderimus? Multa quidẽ illius gesta priùs innotuere mun- D do, neq; potuere cœlari: sed innumerabilia esse dicuntur, quæ dum iactantiã vitat, occultauit, neq; in hominũ notitiam passus est peruenire: quippe qui humanam substãtiam supergressus, virtutis suæ conscientia mundi gloriam calcans, cœlo teste frueretur. Quod verum esse vel ex his quæ comperta nobis sunt, nec latere potuerunt, possumus æstimare: siquidem ante Episcopatum duos mortuos vitæ restituerit, quod liber tuus pleniùs est locutus: in Episcopatu verò, quod prætermisisse te miror, vnũ tantummodo suscitauerit: cuius rei ego testis sum, si tamen nihil de minùs idoneo teste dubitatis, idipsum autem vobis, qualiter gestum sit, explicabo. Fuerat caussa nescio quæ, quà Carnotum oppidum petebamus, interea dum vicum quendam habitantium multitudine frequentissimum præterimus, obuiam nobis immanis E turba processit, quæ erat tota Gentilium: nam nemo in illo vico nouerat Christum. Verùm ad famam tanti viri campos omnes latè patentes confluentium multitudo contexerat. Sensit hic Martinus operandum, & annunciante sibi spiritu totus infremuit: nec mortale sonans verbum Dei Gentilibus prædicabat: sæpiùs ingemiscẽs, cur tanta Dominum Saluatorem turba nesciret. Interea sicut nos incredibilis circumdederat multitudo, mulier quædam cuius filius paulò antè defecerat, corpus exanimum beato viro protensis manibus cœpit offerre, dicẽs: Scimus quia amicus Dei es, restitue mihi filium meum, quia vnicus est mihi, iunxit se cætera multitudo, & matris precibus acclamat. Tum Martinus videns pro expectantium salute, vt postea nobis ipse dicebat, confe-

Cap. 5.
Antè potiora, quam in Episcopatu edidit.

qui se posse virtutem, defuncti corpus propriis manibus accepit: & cùm inspectantibus cunctis, genua flexisset, vbi consummata oratione surrexit, viuificatum paruulum matri restituit. Tum verò multitudo omnis in cœlum clamore sublato, Christum Dominum fateri: postremò cuncti cateruatim ad genua beati viri ruere cœperunt, fideliter postulantes, vt eos faceret Christianos: nec cunctatus in medio vt erat campo, cunctos imposita vniuersis manu catechumenos fecit, cùm quidem ad nos conuersus diceret, non irrationabiliter in campo catechumenos fieri, vbi solerent martyres consecrari. Vicisti, inquit Postumianus, Galle, vicisti: nō vtique me, qui Martini sum potiùs adsertor, & qui hæc omnia de illo viro & sciui semper, & credidi: sed Eremitas omnes, anachoretásque vicisti. Nemo enim illorum, sicut Martinus hic vester, immò noster, mortibus imperauit, meritóque hunc iste Sulpicius Apostolis comparat & Prophetis; quem per omnia illis esse consimilem, fidei virtus, ac virtutum opera testantur. Sed perge quæso, quanquam nihil magnificentius audire possimus, perge tamen Galle, quod etiam nunc de Martino superest sermonis euoluere, nam etiam minima illius & quotidiana, animus festinat agnoscere: quia minima illius, aliorum maximis maiora esse, nulli dubium est. Ita faciam, Gallus inquit: Verùm id quod dicturus sum, ipse non vidi: priùs enim gesta res est quàm me illi viro iungerem. Sed factum celebre est, fidelium fratrum qui interfuerant, sermone vulgatum.

Filiū mortuum vitæ & matri restituit.

Cap. 6.

Anno Christi 368. aut paucis sequentibus Impera. vxor Arriana Martinū aula arcet.

EODEM ferè tempore, quo primùm Episcopatus datus est, fuit necessitas adire comitatum. Valentinianus tum maior rerum potiebatur; is cùm Martinum ea petere cognouisset, quæ præstare nolebat; iussit eum palatij foribus arceri, etenim ad animum illius immitem ac superbum vxor accesserat Arriana, quæ totum illum à sancto viro, ne ei debitam reuerentiam præstaret, auerterat. Itaque Martinus, vbi semel atque iterum superbum principem frustra adire tentauit, recurrit ad nota præsidia: cilicio obuoluitur, cinere conspergitur, cibo potúque abstinet, orationes diebus noctibúsque perpetuat. Septimo verò die astitit ei Angelus: iubet eum ad palatium ire securum, regias fores quamlibet clausas sponte reserādas, Imperatoris spiritum superbum molliendum. Igitur istiusmodi præsentis Angeli confirmatus alloquio, & fretus auxilio, palatium petit. Patent limina, nullus obsistit: postremò vsque ad regem nemine prohibente peruenit. Qui cùm venientem eminus videret, infrendens cur fuisset admissus, nequaquam assurgere est dignatus astanti, donec regiam sellam ignis operiret, ipsúmque regem ea parte corporis qua sedebat, adflaret incendium. Ita solio suo superbus excutitur, & Martino inuitus assurgit: multúmque complexus, quem spernere ante decreuerat, virtutem sensisse diuinam emendatior fatebatur: nec expectatis Martini precibus, priùs omnia præstitit, quam rogaretur. Colloquio illum atque conuiuio frequenter adsciuit: postremò abeunti multa munera obtulit, quæ vir beatus, vt semper paupertatis suæ custos, cuncta reiecit. Et quia palatium semel ingressi sumus, licet diuersis in palatio temporibus gesta connectam. Nequaquam enim prætermittendum videtur, circa Martini admirationem, reginæ fidelis exemplum.

Correctus Valentinianus ei assurgit.

Idem munera respuit.

Cap. 7.

MAXIMVS Imperator tempus. gubernabat, vir omni vitæ merito prædicandus, si ei vel diadema non legitimè, tumultuante milite, impositum repudiare, vel armis ciuilibus abstinere licuisset, sed magnum imperium nec sine periculo renui, nec sine armis potuit teneri. Hic Martinum sæpiùs euocatum, receptúmque intra palatium, venerabiliter honorabat, totus illi cum eo sermo de præsentibus, de futuris, de fidelium gloria, de æternitate sanctorum, cùm interim diebus ac noctibus de ore Martini regina pendebat, Euangelico illo non inferior exemplo, pedes sancti fletu rigabat, crine tergebat. Martinus, quem nulla vnquam fœmina contigisset, istius assiduitatem, immò potiùs seruitutem non poterat euadere: non illa opes regni, non imperij dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat: diuelli à Martini pedibus solo strata non poterat: postremò à viro suo poposcit, deinde Martinum vterque compellunt, vt ei remotis omnibus ministris, præberet sola conuiuium: nec potuit vir beatus obstinatiùs reluctari. Componitur castus reginæ manibus apparatus: sellulam ipsa consternit, mensam admouet, aquam manibus subministrat: cibum quem ipsa coxerat, apponit, ipsa illo sedente, eminus secundùm famulantium disciplinam solo fixa consistit immobilis, per omnia ministrantis modestiam, & humilitatem exhibens seruientis: miscuit ipsa bibituro, & ipsa porrexit. Finita cœnula, fragmenta panis assumpti, micásque collegit, satis fideliter illas reliquias imperialibus epulis anteponens. Beata mulier, tantæ pietatis affectu illi meritò comparanda, quæ venit à finibus terræ, audire Solomonem: siquidem simplicem sequamur historiam: sed si fides reginarum est conferenda (quod mihi liceat separata mysterij maiestate dixisse) illa expetiit audire sapientem: ista non tantùm audisse contenta, sed & meruit seruire sapiēti. Ad hæc Postumianus: Iamdudum, inquit, Galle audiens te loquentem, vehementer admiror reginæ fidem: sed illud vbi est, quòd nulla vnquam fœmina ferebatur propiùs astitisse Martino? Ecce ista regina non solùm astitit, sed etiam ministrauit. Et vereor ne isto aliquantulum se tueantur exemplo, qui libenter fœminis inseruiunt. Tū Gallus: Quid tu, inquit, non vides quod solent docere Grammatici, locum, tempus, personam? Propone enim tibi ante oculos captum in palatio Imperatoris precibus ambiri, reginæ fide cogi, temporis necessitate constringi, vt clausos carcere liberaret, exilijs datos restitueret, bona adempta redimeret. Hæc quanti putes constare Episcopo debuisse, vt pro his omnibus non aliquantulum de rigore propositi relaxaret? Veruntamen quia occasione huius exempli malè vsuros esse aliquos arbitraris, illi verò fœlices erunt, si à disciplina exēpli istius viri nō recedant. Videant enim, quia Martino semel tantū in vita sua iam septuagenario, nō vidua libera, nō virgo lasciuiens, sed sub viro viuens, ipso viro pariter supplicante, regina seruiuit & ministrauit: hæc edenti astitit non cū epulante discubuit: nec ausa est participari conuiuio, sed deferebat obsequiū. Disce igitur disciplinam: seruiat tibi matrona, non imperet: & seruiat, non recumbat, sicut Martha illa ministrauit Domino, nec tamen est ascita conuiuio: immo prælata est ministranti, quæ verbū potiùs audiebat. Sed in Martino ista regina vtrumq; cōpleuit: & ministrauit, vt Martha, & audiuit vt Maria. Quòd si quis hoc vti voluerit exemplo, per omnia teneat exemplum: talis caussa sit, talísque persona, tale obsequium, tale conuiuium, & in omni vita semel tantum. Præclarè, inquit Postumianus, nostros istos, vt Martini non egrediantur exemplum, tua constringit oratio: sed profiteor tibi, quia hęc surdis auribus audientur. Nā si Martini sequeremur vias, nunquā caussas de osculo diceremus, & vniuersis sæuæ opinionis opprobriis careremus. Verùm sicut tu soles dicere, cùm edacitatis argueris, Galli sumus: ita nos in hac parte nunquam vel Martini exēplo, vel tuis disputationibus corrigendi fatemur. Veruntamen hæc nobis iamdudū agentibus, quid tu tam obstinatè Sulpici taces? Ego, inquam, non solummodò taceo; sed olim de istis tacere disposui. Nam quia quandam viduam vagam, nitidulam, sumptuosam obiurgauerim lasciuiùs victitantem: itidémq; virginem adolescenti cuidam mihi charo indecentiùs adhærentem, cùm quidem ipsam frequenter audissem, alios etiam qui talia agerent increpantem: tanta mihi omnium fœminarum, cunctorúmque Monachorum odia concitauit, vt aduersum me vtræq; legiones iurata bella susceperint. Vnde quæso taceatis, ne etiam hoc quod vos loquimini, ad meam referatur inuidiam: tota vobis istorum mentio relinquatur: ad Martinum potiùs reuertamur; Tu Galle, vt aggressus es, cœptum opus explica.

Maximi vxor Martini prandēti famula.

Luc. 10.

Osculari mulierem dedecet.

explica. Tum ille: Iam quidem vobis, inquit, tanta narraui, vt satisfacere studiis vestris meus sermo debuerit: sed quia voluntati vestræ non obsecundare nefas mihi est, quantum adhuc diei superest, loquar. Nam certè dum stramen illud, quod in lectos nostros parari, aspicio, subuenit in memoriam etiam de stramine in quo Martinus iacuerat, factam esse virtutem. Res ita gesta est.

Claudiomachus vicus est in confinio Biturigûm atque Turonûm: Ecclesia ibi est celebris religione sanctorum, nec minùs gloriosa sacrarum Virginum multitudo; prætereuntes ergo Martinus, in secretario Ecclesiæ habuit mansionem. Post discessum illius, cunctæ in secretarium illud virgines irruerunt, adlambunt singula loca, vbi aut sederat vir beatus, aut steterat: stramentum etiam in quo quieuerat, partiunt. Vna earum post dies paucos B partem straminis, quam sibi pro benedictione collegerat energumeno, quem spiritus erroris agitabat, de ceruice suspendit. Nec mora, dicto citiùs eiecto dæmone, persona purgata est.

Energumenus stramine, in quo Martinus cubuerat, curatur.

PER idem ferè tempus Martino à Treueris reuertenti fit obuiam vacca quam dæmon agitabat: quæ relicto grege suo, in homines ferebatur, & iam multos noxiè petulca confoderat, verùm vbi nobis cœpit esse contigua, hi qui eam eminus sequebantur, prædicere magna voce cœperunt, vt caueremus. Sed postquàm ad nos toruis furibunda luminibus propiùs accessit, Martinus eleuata obuiam manu, pecudem consistere iubet: quæ mox ad verbum illius stare cœpit immobilis. Cùm interea videt Martinus, dorso illius dæmonem supersedentem, quem increpans: Discede, inquit, funeste, de C pecode, & innoxium animal agitare desiste. Paruit nequam spiritus, & recessit. Nec defuit sensus in bucula, quin se intellegeret liberatam: ante pedes sancti recepta quiete prosternitur: deinde iubente Martino, gregem suum petit, séque agmini cæterarum, oue placidior, immiscuit. Hoc illud fuit tempus, quo inter medias flammas positus, non sensit incendium, quod mihi non arbitror esse referendum, quia hoc pleniùs iste Sulpicius, licet in libro suo præteritum, in Epistola tamen postea, quam ad Eusebium, tunc Presbyterum, modò Episcopum, fecit, exposuit: quam tu Postumiane, aut, credo, legisti: aut si incognita tibi est, cùm libuerit in promptu ex illo armario habes, nos ab illo omissa referimus.

Vacca à dæmone vexata liberatur.

Sulpicij ad Eusebium Epistola.

QVONDAM autem tempore, dum diœceses circuiret, venantium agmen incurrimus. Canes leporem sequebantur, iámque multo spatio victa bestiola, cùm vndique campis latè patentibus nullum esset effugium, mortem imminentem iam iámque capienda crebris flexibus differebat, cuius periculum vir beatus pia mente miseratus, imperat canibus vt desisterent sequi, & sinerent abire fugientem, qui continuò ad primum sermonis imperium constiterunt: crederes vinctos, immò potiùs affixos in suis hærere vestigiis, ita lepusculus persecutoribus alligatis, incolumis euasit. Operæpretium autem est etiam familiaria illius verba, spiritali sale condita, memorare.

Ad imperium B. Martini canes prædam deserunt.

OVEM recens tonsam fortè conspexerat: Euangelicum, inquit, mandatum ista compleuit: duas habuit tunicas, vnam earum largita est non habenti: ita ergo & vos facere debetis. Item cum bubulcum algentem, ac penè nudum in pellicea veste vidisset, En, inquit, Adam eiectus de Paradiso, in veste pellicea sues pascit: sed nos illo vetere deposito, qui adhuc in isto manet, nouum Adam potiùs induamus. Boues ex parte prata depauerant, porci etiam nonnulla suffoderant: pars cætera quæ manebat illæsa, diuersis floribus quasi picta vernabat. Speciem, inquit, gerit pars illa coniugij quæ pecore depasta, etsi non penitus gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem: illa verò quam porci, pecora immunda, foderunt, fornicationis imaginem fœdam prætendit: cæterum illa portio, quæ nullam sensit

Eiusdem ioci spiritales.

Genes. 3.

A iniuriam, gloriam virginitatis ostendit, herbis fæcunda luxuriat, fœni in ea fructus exuberat, & vltra omnem speciem distincta floribus, quasi gemmis micantibus ornata radiat: beata species & Deo digna, nihil enim virginitati est comparandum. Ita & illi qui coniugia fornicationi comparant, vehementer errant: & illi qui coniugia virginitati æquanda æstimant, miseri penitus & stulti sunt. Verùm hæc à sapientibus tenenda distinctio est, vt coniugium pertineat ad veniam, virginitas spectet ad gloriam, fornicatio deputetur ad pœnam, nisi satisfactione purgetur.

Distinctio virginitatis, coniugij, & fornicationis.

MILES quidam cingulum in Ecclesia, Monachum professus, abiecerat: cellulam sibi eminus in remoto, quasi Eremita victurus, erexerat, interea astutus inimicus vanis cogitationibus brutum pectus agitabat: vt coniugem suam, quam Martinus in Monasterio puellarum esse præceperat, voluntate mutata secum potiùs vellet habitare. Adit ergo Martinum fortis Eremita: quid haberet animi confitetur: ille verò vehementer abnuere, fœminam viro rursus, iam Monacho, non marito incongrua ratione misceri: postremò cùm miles instaret, affirmans nihil hoc proposito esse nociturum, se solo coniugis vti velle solatio: porrò, ne rursus se in sua vitia reuoluerent, non esse metuendum: se esse militem Christi, illam quoque in eadem eiusdem militiæ sacramenta iurasse: pateretur Episcopus sanctos, & sexum fidei merito nescientes, pariter militare. Tum Martinus (verba vobis ipsa dicturus sum) dic mihi, inquit, si vnquam in bello fuisti, si in acie con- C stitisti? At ille respondens, Frequenter, inquit, in acie steti, & bello frequenter interfui. Ad hæc Martinus: Dic mihi ergo, nunquid & in illa acie, quæ armata in prælio parabatur, aut cùm iam aduersus hostilem exercitum collato comminus pede, districto ense pugnabas, vllam fœminam stare aut pugnare vidisti? Tunc demum miles confusus erubuit, gratias agens, errori suo se non fuisse permissum: nec aspera increpatione verborum, sed vera & rationabili secùndùm personam militis comparatione correctum. Martinus autem conuersus ad nos: sicut eum frequens fratrum turba vallauerat: Mulier, inquit, virorum castra non adeat, acies militum separata consistat: procul fœmina in suo degens tabernaculo sit remota, contemptibilem enim reddit exercitum si virorum cohortibus turba fœminea misceatur. Miles D in acie, miles pugnet in campo: mulier se intra murorum munimenta contineat, habet & illa gloriam suam, si pudicitiam viro absente seruauerit: cuius hæc prima virtus, & consummata victoria est, non videri.

Miles Monachus factus vxorē repetēs verbo Mart. reuocatur.

ILLVD verò Sulpici meminisse te credo, quo affectu nobis, cùm & coràm adesses, illam virginem prædicaret, quæ ita se penitus ab omnium virorum oculis remouisset, vt ne ipsum quidem ad se Martinum, cùm eam ille officij caussa visitare vellet, admiserit. Nam cùm præter agellum illius præteriret, in quo se iam ante complures annos pudica cohibebat, audita fide illius atque virtute, diuertit, vt tam illustris meriti puellam religioso officio Episcopus honoraret. Nos consequentes, gauisuram illam virginem putabamus: siquidem hoc in testimonium virtutis suæ esse habituram, ad E quam tanti nominis Sacerdos, deposito propositi rigore venisset. Verùm illa fortissimi vincula propositi, ne Martini quidem contemplatione laxauit. Ita vir beatus accepta per aliam fœminam excusatione laudabili, ab illius foribus, quæ videndam se salutandámque non dederat, lætus abscessit. O virginem gloriosam, quæ ne à Martino quidem passa est se videri: ô Martinum beatum, qui illam repulsam non ad contumeliam suam duxit: sed magnificans illius cum exultatione virtutem, insuetato in his duntaxat regionibus gaudebat exemplo. Ergo cùm haud longè ab illa villula nos manere nox imminens coëgisset, xenium beato viro eadem illa virgo transmisit: fecítque Martinus quod antea non fecerat: nullius enim ille vnquam xenium, nullius munus acce-

Virgo quædam visitātem non admisit.

M

pit: nihil verò ex his quæ virgo venerabilis miserat, refutauit, dicens: Benedictionem illius à Sacerdote minimè respuendam, quæ esset multis Sacerdotibus præferenda. Audiant quæso virgines istud exemplum, vt forea suas, si eas mali obsidere voluerint, etiam bonis claudant: & ne ad se improbis sit liber accessus, non vereantur excludere etiam Sacerdotes. Totus hoc mundus audiat: videri se à Martino virgo non passa est: non vtique illa quemcunque à se repulit Sacerdotem, sed in eius viri conspectum puella non venit, quem videre salus videntium fuit. Quis autem hoc alius præter Martinum Sacerdos, non ad suam iniuriam retulisset? quos aduersum sanctam virginem motûs, quantásque iras mente concepisset? hæreticam iudicasset, & anathematizandam esse decreuisset. Quàm verò illi beatæ animæ illas virgines prætulisset, quæ crebris occursibus vbique se præbent obuias Sacerdoti, quæ conuiuia sumptuosa disponunt, quæ vnà pariter accumbunt. Sed quò me ducit oratio? paululum iste liberior sermo reprimendus est, ne in aliquorum forsitan incurrat offensam. Etenim infidelibus obiurgationis verba non proderunt, fidelibus autem satisfaciet exemplum: verùm ego ita virtutem huius virginis prædicabo, vt tamen nihil illis quæ ad Martinum videndum ex longinquis regionibus sæpe venerunt, arbitrer derogandum: siquidem hoc beatum virum frequenter affectu etiam Angeli frequentârint.

Eiusdem laus.

Caetarum id quod dicturus sum Postumiane, hôc, tibi (me autem intuebatur) teste, rectè perhibeo. Quodam die ego & iste Sulpicius pro foribus illius excubantes, iam per aliquot horas cum silentio sedebamus, ingenti horrore & tremore, ac si ante Angeli Tabernaculum mandatas excubias duceremus: cùm quidem clauso cellulæ suæ ostio, nos ibi esse nesciret. Interim colloquentium murmur audiuimus, & mox horrore quodam circumfundimur, ac obstupefacti nec ignorare potuimus, nescio quid fuisse diuinum. Post duas ferè horas ad nos Martinus egreditur: ac tùm eum iste Sulpicius (sicut apud eum nemo familiariùs loquebatur) cœpit orare, vt perquirentibus indicaret, quid illud diuini fuisset horroris, quod fatebamur, nos ambo sensisse, vel cum quibus fuisset in cellula collocutus: tenuem enim nos licet, & vix intellectum sermocinantium sonum pro foribus audisse. Tum ille diu multùmque cunctatus (sed nihil erat, quod ei Sulpicius non extorqueret inuito) incredibiliora fortè dicturus sum, sed Christo teste non mentior, nisi quisquam est tam sacrilegus, vt Martinum æstimet fuisse mentitum. Dicam, inquit, vobis, sed vos quæso nulli dicatis: Agnes, Tecla, & Maria mecum fuerunt: referebat autem nobis vultum atque habitum singularum. Nec verò illo tantùm die, sed frequenter se ab eis confessus est visitari: Petrum etiam & Paulum Apostolos videri à se sæpiùs, non negauit. Iam verò dæmones prout ad eum quisque venisset, suis nominibus increpabat. Mercurium maximè patiebatur infestum: Iouem brutum atque hebetem esse dicebat. Hęc plerisque in eodem etiam Monasterio constitutis incredibilia videbantur: necdum ego confidam omnes, qui hæc audient, credituros: nam nisi inæstimabilem vitam atque virtutem Martinus egisset, nequaquam apud nos tanta gloria præditus haberetur: quanquam minimè mirum, si in operibus Martini infirmitas humana dubitauerit rem minimam dicturus sum, sed tamen dicam cùm multos, hodiéque videamus, nec Euangeliis quidem credidisse. A Martino autem sæpe Angelos visos familiariter, & sensimus, & experti sumus.

B. Mariæ, Petri & Pauli, & aliorum sanctorum cõspectu & colloquio fruitur.

Apud Nemausum Episcoporum Synodus habebatur: ad quam quidam ire noluerat, sed quid gestum esset, scire cupiebat. Casu cum eo iste Sulpicius nauigabat, sed procul, vt semper, à cæteris in remota nauis parte residebat. Ibi ei Angelus, quid gestum esset in Synodo nunciauit. Nos postea tempus habiti Concilij sollicitè requirentes, satis compertum habuimus, ipsum diem fuisse conuentûs, & ea ibi ab Episcopis fuisse decreta, quæ Martino Angelus nuntiârat.

Acta Synod. didicit ab Angelo.

Caetarum cùm ab eo de fine sæculi quæreremus, ait nobis, Neronem & Antichristum priùs esse venturos: Neronem in Occidentali plaga regibus subactis decem imperaturum: persecutionem autem ab eo hactenus exercendam, vt idola gentium coli cogat. Ab Antichristo verò Orientale imperium esse capiendum: qui quidem sedem & caput regni Hierosolymam esset habiturus: ab illo vrbem & templum esse reparandum. Illius eam persecutionem futuram esse, vt Christum Dominum cogat negari, se potiùs Christum esse confitemans: omnésque secúdùm legem circumcidi iubeat, & ipsum deniq; Neronem ab Antichristo esse perimendum: atq; sub illius potestate vniuersum orbem, cunctásque gentes esse redigendas: donec aduentu Christi impius opprimatur. Non esse autem dubium, quin Antichristus malo spiritu conceptus, esset etiam in annis puerilibus constitutus, ætate legitima sumpturus imperium. Quòd autem hæc ab illo audiuimus, annus octauus est. Vos autem æstimate, quo in præcipitio consistunt quæ futura sunt. Hæc cùm maximè Gallus, necdum explicitis quæ statuerat referre, loqueretur, puer familiaris ingressus est nuncians, Refrigerium Presbyterum stare pro foribus. Dubitare cœpimus, vtrùm Gallum adhuc esset melius audire, an exoptatissimo nobis viro, qui officij caussa ad nos veniebat, occurrere. Tum Gallus: Etiamsi non ob aduentum sanctissimi Sacerdotis relinquenda nobis hæc esset oratio, nox ipsa cogebat, hucusq; protractum finire sermonem. Verùm quia de Martini virtutibus nequaquam explicari vniuersa potuerunt, hæc vos hodie audisse sufficiat, cras reliqua dicemus. Ita pariter accepta Galli sponsione, surreximus.

Cuncta ista quæ hîc de Nerone & Antichristo dissertis ex ore, vt ait, S. Martini, referuntur, sunt enim manifestè falsa, nec vnquã à S. Martino asserta. Vide lib. de Antichristo F. Thomæ Maluenda Theologi dominicani lib. 2. cap. 2.

S. SVLPICII SEVERI, BITVRIC. ARCHIEPISC. DIALOGVS III. DE virtutib. & miraculis S. Martini.

Lvcescit ô Galle, surgendum est: nam vt vides & Postumianus instat, & hic Presbyter qui hesterno auditorio est admissus, expectat, vt quæ de Martino nostro in hodiernum diem explicanda distuleras, debitæ sponsionis euoluas. Non ignarus quidem iste omnium quæcunque memoranda sunt, sed dulcis & grata cognitio est, etiam nota relegenti: siquidem natura ita comparatum sit, vt meliore quia conscientia se nosse gaudeat quæ multorum testimoniis non esse incerta, cognoscat. Nam & hic à prima adolescentia Martinum secutus, nouit quidem omnia, sed libenter cognita recognoscit. fatebor enim tibi Galle, Martini mihi sæpiùs auditas esse virtutes: quippe qui de eo etiam literis multa mandauerim, sed per gestorum admirationem semper mihi noua sunt: quæ de illo licet audita sæpiùs reuoluuntur: proinde auditum nobis. Refrigerium auditorem eo impensiùs gratulamur, quo propriùs Postumianus iste qui hęc Orienti inferre festinat, quasi sub testibus consignatam abs te accepturus est veritatem. Hæc me loquête, Gallo iam ad narrandum parato irruit turba Monachorum: Euagrius Presbyter, Aper, Sebastianus, Agricola: & pòst paululũ ingreditur presbyter noster Eterius, cum Callipione Diacono, & Amatore Subdiacono. Postremus Aurelius Presbyter dulcissimus meus, longiore via veniens, anhelus cucurrit. Quid vos, inquam, tam subitò & tam insperati, iam ex diuersis regionibus, tam manè concurristis? Nos, inquiunt, hesternò cognouimus, Gallum istum per totum diem, Martini narrasse virtutes: & reliqua in hodiernum diem, quia nox oppresserat, distulisse: propterea maturauimus frequens auditorium facere, tantam materiam locuturo. Interea nuntiatur, multos secularium stare pro foribus, nec ingredi audentes, sed vt admitterêtur orantes. Tũ aper: Nequaquã istos, inquit nobis admisceri cõuenit: quia ad audiendũ curiositate potiùs quàm religione venerunt. Confusus ego illorum

Duo genera auditorũ notãtur.

vice, quos non admittendos esse censebat: ægrè tamen obtinui, vt Eucherium ex Vicariis, & Celsum admitterent consularem: cæteri sunt repulsi. Tum Gallum media in sede componimus: qui cùm diu nobili sua verecundia silentium tenuisset, tandem ita exorsus est. Conuenistis, inquit, ad me audiendum, & sancti & diserti, sed religiosas potiùs, quàm doctas aures, vti arbitror, attulistis audituri me, fide testis non oratoris copia locuturum. Quæ autem hesternò dicta sunt, non reuoluam: illa qui non audierunt ex scriptis recognoscent. Noua Postumianus expectat, nuntiaturus Orienti, ne se in comparatione Martini præferat Occidenti; ac primùm gestit animus, quod Refrigerius in aurem suggerit, explicari.

RES in Carnotena gesta est ciuitate. Paterfamiliâs duodecennam ab vtero mutam puellam Martino cœpit offerre, poscens vt linguam ligatam meritis suis sanctus absolueret. Ille cedēs Episcopis qui iam fortè latus illius ambiebant, Valentiniano atque Victricio, imparem se esse tantæ moli, sed illis quasi sanctioribus nihil impossibile fatebatur. At illi pias preces vnà cum patre, supplici voce iungentes, orare Martinum vt sperata præstaret, nec cunctatus vltrà (verumque præclarum, & ostendendo humilitatem, nec differendo pietatem) iubet circumstantis populi multitudinem submoueri: Episcopis tantùm & puellæ patre assistentibus in orationem suo illo more prosternitur; dein pusillum olei cum exorcismi præfatione benedicit, atque ita in os puellæ sāctificatum liquorem, cùm & linguam illius digitis teneret, infudit. Nec fefellit sanctum virtutis euentus. Patris nomen interrogat: mox illa respondit; proclamat pater cum gaudio pariter & lacrymis, Martini genua complexus, & hanc primam se filiæ audisse vocem cunctis stupentibus fatebatur. At ne cuiquam id incredibile fortè videatur, perhibeat vobis præsens Euagrius testimonium veritatis; nam res ipso præsente tum gesta est.

B. Martini benedictione oleum crescit.

PARVM illud est quod nuper Harpagio Presbytero referente cognoui, sed non prætermittendum videtur, Auitiani comitis vxorem misisse Martino oleum, quod ad diuersas morborum causas necessarium (sicut est consuetudo) benediceret; ampullulam vitream istiusmodi fuisse, vt rotunda in ventrem cresceret: ore producto, sed oris extantis concauum non repletum: quia ita moris sit vascula illa compleri, vt pars vmbonibus obstruendis libera relinquatur. Testabatur Presbyter, vidisse se oleum sub Martini benedictione creuisse, quoad exundante copia supernè deflueret: eandémque dum ad matremfamiliâs vasculum referretur, seruasse virtutem. Nam inter manus pueri portantis ita semper exundasse oleum, vt omne illius vestimentum copia superfusi liquoris operiret: matronam itaque ad summum labrum plenum vasculum recepisse, vt Presbyter hodie fatetur, obdendi pessuli quo claudi diligentiùs seruanda consueuerunt, in vitro illo spatium non fuisse. Mirum & illud quod huic (me autem intuebatur) memini contigisse. Vas vitreum cum oleo quod Martinus benedixerat, in fenestra paululum editiore deposuit: puer familiaris incautior linteum superpositum, ampullam ibi esse ignarus, attraxit: vas super constratum marmore pauimentum decidit, cunctis metu exterritis ne benedictio deperisset, ampulla perinde incolumis est reperta, ac si super plumas mollissimas decidisset. Quæ res non potiùs ad casum, quàm ad Martini est referenda virtutem, cuius benedictio perire non potuit.

Vas vitreū lapsū non frangitur.

QVID illud, quod factum est à quodam, cuius nomen quia præsens est, & prodi se vetuit, supprimetur: cui quidem tempori hic etiam Saturninus interfuit. Canis nobis importunior oblatrabat. In nomine, inquit, Martini iubeo te obmutescere: cani hæsit latratus in gutture: linguam vt abscissam putares, obmutuit; ita parum est, ipsum Martinum fecisse virtutes. Credite mihi, quia etiam alij in nomine eius multa fecerunt.

Canis obmutescit solo eius nomine.

AVITIANI quondam comitis noueratis barbaram nimis, & vltra omnes cruentam feritatem: hic rapido spiritu ingressus Turonum ciuitatem, sequentibus eum miserabili facie ordinibus catenatis, diuersa perdendis parari iubet genera pœnarum, disponens postera die attonita ciuitate ad opus tam triste procedere. Quod vbi Martino compertum est, solus paulo ante mediam noctem ad prætorium bestiæ illius tendit. Sed cùm profundæ noctis silentio quiescentibus cunctis, nullus foribus obseratis pateret ingressus, ante limina cruenta prosternitur. Interea Auitianus graui somno sepultus, Angelo ingruente percellitur: Seruus, inquit, Dei ad tua limina iacet, & tu quiescis? Qua ille voce percepta, lecto suo turbatus excutitur: conuocatísque seruis trepidus exclamat, Martinum esse pro foribus; irent protinus, claustra reserarent, ne Dei seruus pateretur iniuriam. Sed illi, vt est omnium natura seruorum, vix prima limina egressi, irridentes Dominum suum, quòd somno fuisset illusus, negant quēquam esse pro foribus: ex suomet ingenio coniectantes, neminem nocte posse vigilare: nedum illi crediderant, in illo noctis horrore iacere ante aliena limina Sacerdotem: idq; Auitiano facilè persuasum, rursum soluitur in soporem: sed mox vi maiore concussus, exclamat Martinum stare pro foribus, sibi ideo nullam quietem animi corporísque permitti. Tardātibus seruis, ipse vsque ad limina exteriora progreditur, ibi Martinum vt senserat deprehendit. Percussus miser tantæ manifestatione virtutis: Quid, inquit, mihi hoc Domine fecisti? nihil loqui te necesse est, scio quid desideres, video quid requiras: discede quàm ocyus, ne me ob iniuriam tuam cœlestis ira cōsumat: satis soluerim hucusque pœnarum. Crede, quia non leuiter apud me actum est, vt ipse procederem. Post discessum autem sancti, aduocat officiales suos, iubet omnes custodias relaxari: & mox ipse proficiscitur: ita fugato Auitiano, læta est ciuitas. Hæc cum multis Auitiano referente, comperta sunt: tum nuper Refrigerius Presbyter, quem coram videtis ab Euagrio fideli viro, ex tribunis, sub inuocatione diuinæ maiestatis audiuit, qui sibi hoc ab ipso Auitiano relatum esse iurabat. Cæterum nolo miremini, me hodie facere quod hesterno non feci, & ad singulas quasque virtutes nomina testium personásque subnectam: ad quas si quis fuerit incredulus, quia adhuc in corpore sunt, recurrat. Exigit id infidelitas plurimorum, qui in aliquibus, quæ hesterno memorata sunt, nutare dicuntur. Accipiant ergo testes adhuc incolumes atque viuentes, quibus quia de fide nostra dubitant, magis credant. Sed si adeò infideles sunt, profiteor quia nec illis sunt credituri. Miror autem quenquam, qui vel tenuem sensum religionis habeat, tantum piaculi velle committere, vt putet quenquam de Martino posse mentiri. Facessat à quoquam qui sub Deo viuit, ista suspicio: neque enim Martinus hoc indiget vt mendaciis asseratur: sed tamen totius sermonis fidem apud te Christe depromimus, nos nec alia dixisse, nec alia dicturos, quàm quæ aut ipsi vidimus, aut quæ manifestis auctoribus, vel plerumque ipso referente, cognouimus. Cæterùm etsi dialogi speciem, quo ad releuandum fastidium lectio variaretur, assumpsimus, nos piè præstare profitemur historiæ veritatem. Hæc me extrinsecus inserere, nonnullorum incredulitas, non sine meo dolore compulerit. Sed redeat ad nostrum sermo concessum: in quo cùm me tam studiosè audiri videam, fatear necesse est Aprum fecisse constanter, qui repulit infideles: eos tantùm iudicans audire debere, qui crederent.

Auitianus a scelere perpetrando reuocatur.

EFFEROR siquidem creditis, spiritu, & præ dolore totus insanio: non credent Martini virtutibus Christiani, quas dæmones fatebantur? Monasterium beati viri duobus à ciuitate erat millibus disparatum: sed si quoties venturus ad Ecclesiam, pedem extra cellulæ suæ limen cancellar, videres per totam Ecclesiam Energumēnos rugientes, & quasi adueniente iudice agmina damnanda, vt aduentum trepidare Episcopi Clericis qui venturum esse nescirent, dæmoniorum gemitus indicaret. Vidi quendam appropiante Martino in aëra ta-

Ad uenientem procul præsentiūt Energumeni.

ptum manibus extensis in sublime suspendi, vt nequaquàm solum pedibus attingeret. Si quando autem exorcizandorum dæmonum Martinus operam recepisset, neminem manibus attrectabat, sermonibus increpabat, sicut plerumque per clericos rotatur turbo verborum: sed admotis Energumenis, cæteros iubebat abscedere, ac foribus obseratis in medio Ecclesiæ cilicio circumtectus, cinere respersus, solo stratus orabat. Tum verò cerneres miseros diuerso exitu perurgeri, hos sublatis in sublime pedibus quasi de nube pendere, nec tamen vestes defluere super faciem, ne faceret verecundiam nudata pars corporum. At in parte alia videres sine interrogatione vexatos & sua crimina confitentes: nomina etiam nullo interrogante prodebant. Ille se Iouem, iste Mercurium fatebatur. Postremò cunctos diaboli ministros cum ipso cerneres auctore cruciari: vt iam in Martino illud fateamur impletum, quod scriptum est: Quoniam Sancti de Angelis iudicabunt.

Modus exorcizandi B. Martini.

PAGVM quendam in Senonico annis singulis grando vastabat: compulsi extremis malis incolæ à Martino auxilium poposcerunt, missa per Auspicium præfectorium virum satis fida legatione, cuius agros specialiter grauior quàm cæterorum adsueuerat procella populari. Sed facta ibi oratione, Martinus ita vniuersam penitus liberauit ab ingruenti peste regionem, vt per viginti annos, quibus postea man[illegible]in corpore, grandinem in illis locis nemo pertulerit. Quod ne fortuitum esse, & non potiùs Martino præstitum putaretur, eo anno quo ille defunctus est, rursus incubuit rediuiua tempestas: adeò sensit & mundus viri fidelis excessum, vt cuius vita iure gaudebat, etiam eiusdem mortem lugeret.

Pagum Senonensis Diœcesis annua grādine liberat

CAETERVM si ad hæc probanda quæ diximus, testes etiam infirmior auditor exegerit, non vnum ego hominem, sed multa millia produeam: & totam in testimonium virtutis expertam Senonum aduocabo regionem. Et tamen tu Refrigeri Presbyter, credo meministi, nuper nobis super hoc cum Romulo Auspicij illius filio, bonorato & religioso viro, fuisse sermonem: qui hęc nobis tanquam incomperta referebat: & cum futuris prouentibus, per assidua damna trepidaret vt ipse vidisti, magno secum mœrore lugebat, Martinum non in hæc tempora reseruatum.

SED vt ad Auitianum recurram, qui cum in omnibus locis cunctisque vrbibus ederet crudelitatis suæ infanda monumenta, Turonis tantùm innocens erat. Et illa bestia, quæ humano sanguine & infœlicium mortibus alebatur, mitem se atque tranquillum beato viro præsente præstabat. Memini quadam die ad eum venisse Martinum: qui vbi secretarium eius ingressus est, vidit post tergum ipsius dæmonem miræ magnitudinis assidentem: quem eminus (vt verbo, quia ita necesse est, parum Latino loquamur) exsufflans, Auitianus se exsufflari existimans, Quid me, inquit, sancte sic aspicis? Tum Martinus: Non te, inquit, sed eum qui ceruici tuæ teter incubuit. Ita recessit diabolus, & reliquit familiare subsellium: satisque cōstat, ab illo die Auitianum mitiorem fuisse: seu quòd intellexerit, egisse se semper assidentis sibi diaboli voluntatem: seu quòd immundus spiritus ab illius consessu per Martinum fugatus, priuatus est potestate grassandi, cum erubesceret minister auctorem, nec ministrum auctor vrgeret.

Auitianus Turonis soli mitis.

IN vico autem Ambatiensi, id est, castello illo veteri quod nunc frequens habitatur à fratribus, idolum nouerans grandi opere constructum: politissimis saxis moles turrita surrexerat, æquat in conum sublime procedens, superstitionem loci, operis dignitate seruabat. Huius destructionem Marcello, ibidem consistenti Presbytero vir beatus sæpe mandauerat. Post aliquantum tempus regressus, increpat Presbyterum, cur adhuc idoli structura consisteret. Ille caussatus vix militari manu & vi publicæ multitudinis, tantam molem posse subuerti, nedum id facile putaret per imbecilles Clericos, aut infirmos monachos quiuisse curari. Tum Martinus recurrens ad nota subsidia, noctem totam in orationibus peruigilat, manè orta tempestas, ædem idoli vsque ad fundamentum prouoluit. Verùm hæc Marcello teste dicta sint.

Oratione destruitur templum idolorum

ALIAM eius non dissimilem, in simili opere virtutem Refrigerio adstipulante perbibeo. Columnam immensæ molis, cui idolum superstabat, parabat euertere: sed nulla erat facultas qua id daretur effectui. Tum ad orationem suo more conuertitur. Visam, certum est, parilem quodammodo columnam ruere de cœlo, quæ impacta idolo totam illam inexpugnabilem molem soluit in puluerem: parum scilicet, si inuisibiliter cœli virtutibus vteretur, nisi ipsæ virtutes visibiliter seruire Martino humanis etiam oculis cernerentur.

IDEM autem Refrigerius mihi testis est, mulierem profluuio sanguinis laborantem, cùm Martini vestem (exemplo mulieris illius Euangelicæ) contigisset, sub momento temporis fuisse sanatam.

Mulier profluuio sanguinis sanatur attactu vestis.

SERPENS flumen secabat, & ripæ in qua constiteramus adnatabat: In nomine, inquit, Domini iubeo te redire. Mox se mala bestia ad verbum sancti retorsit, & in vlteriorem ripam nobis expectantibus transmeauit: quod cùm omnes non sine miraculo cerneremus, altiùs ingemiscens ait: Serpentes me audiunt, & homines non audiunt.

PISCEM Paschæ diebus edere consuetus, paulò ante horam refectionis interrogat, an haberetur in promptu. Tum Cato Diaconus, ad quem Monasterij administratio pertinebat, ductus ipse piscari, negat per totum diem sibi vllam cessisse capturam: sed neque alios piscatores qui vendere solebant, quidquam agere quiuisse. Vade inquit, mitte linum tuum, captura proueniet. Contigua flumini, vt Sulpicius iste descripsit, habebamus habitacula, processimus cuncti, vtpote feriatis diebus, videre piscantem: omnium spebus intentis, non incassum futura tentamina, quibus piscis, Martino auctore, Martini vsibus quæreretur. Ad primum iactum, reti permodico immanem esocem, Diaconus extraxit, & ad Monasterium lætus accurrens, nimirum, vt dixit Poëta, nescio quis (vtimur enim versu scholastico, quia inter scolasticos fabulamur) Captiuúmque suem mirantibus intulit Argis. Verè Christi iste Discipulus, gestarum à Saluatore virtutum, quas in exemplum Sanctis suis edidit, æmulator, Christum quoque in se monstrabat operantem, qui sanctum suum vsquequâque glorificās diuersarum munera gratiarum in vnum hominem conferebat.

Captura piscis ad Christi similitudinem.

TESTATVR Arborius Ex-præfectus, vidisse se Martini manum sacrificium offerētis, vestitam quodammodo nobilissimis gemmis, luce micare purpurea, & ad motum dextræ collisarum inter se fragorem audisse gemmarum.

VENIAM ad illud, quod propter notam temporum semper occultauit, sed nos celare non potuit: in quo illud est miraculi, quòd facie ad faciem cum eo est Angelus collocutus. Maximus Imperator, aliàs sanè bonus, deprauatus consiliis Sacerdotum, post Priscilliani necem, Ithacium Episcopum Priscilliani accusatorem, cæterósque illius socios, quos nominari non est necesse vi regia tuebatur, ne quis ei crimini daret, opera illius, cuiuscunque modi hominem fuisse damnatum. Interea Martinus multis grauibúsque laborantium caussis ad comitatum ire compulsus, procellam ipsam totius tempestatis incurrit. Congregati apud Treueros Episcopi tenebantur, qui quotidie communicantes Ithacio communem sibi causam fecerant. His vbi nuntiatum est inopinantibus adesse Martinum, totis animis labefacti, mussitare & trepidare cœperunt. Et iam pridie Imperator ex eorum sententia decreuerat, Tribunos summa potestate armatos ad Hispanias mittere, qui hæreticos inquirerent, deprehensis vitam & bona adimerent. Nec dubium erat, quin Sanctorum etiam maximam turbam tempestas ista depopulatura esset, paruo discrimine inter hominum genera: etenim tum solis oculis iudicabatur,

Angelus cū D. Martino collocutus.

Hæretici pallore æstimabātur.

cùm quis pallore potiùs aut veste, quàm fide hæreticus æstimaretur. Hæc nequaquam placitura Martino, Episcopi sentiebant: sed malè conscijs illa vel molestissima erat cura, ne se ab eorum communione adueniens abstineret, non defuturis qui tanti viri constantiam præmissa auctoritate sequerentur. Ineunt cum Imperatore consilium, vt missis obuiam magisterij officialibus, vrbem illam propiùs vetaretur accedere, nisi secum pace Episcoporum ibi consistentium adfore fateretur; quos ille callidè frustratus, profitetur se cùm pace Christi esse venturum. Postremo ingressus nocturno tempore adiit Ecclesiam tantùm orationis gratiâ: postridie palatium petiit, præter multas quas euoluere longum est, has principales petitiones habebat: pro Narsete comite, & Leucadio præside, quorum ambo Gratiani partium fuerant, pertinacioribus studiis, quæ non est huius temporis explicare, iram victoris emeriti. Illa præcipua cura, ne Tribuni cum iure gladiorum ad Hispanias mitterentur: pia enim erat solicitudo Martino, vt nō solum Christianos, qui sub illa erant occasione vexandi, sed ipsos etiam hæreticos liberaret. Verùm primo die, atque altero, suspendit hominem callidus Imperator, siue vt rei pondus imponeret, siue quia nimis sibi implacabilis erat, seu quia (vt plerique tum arbitrabantur) auaritia repugnabat: siquidem in bona eorum inhiauerat. Fertur enim ille vir multis bonísque actibus præditus, aduersus auaritiam parum consuluisse: nisi fortasse regni necessitate, quippe exhausto superioribus principibus ærario, penè semper in expeditione atque procinctu bellorum ciuilium constitutus, facilè excusabitur, quibuslibet occasionibus subsidia imperio parauisse. Interea Episcopi, quorum communionem Martinus non inibat, trepidi ad regem concurrunt, prædamnatos se conquerentes, actum esse de suo omnium statu, si Theognisti pertinaciam, qui eos solus palàm lata sententia condemnauerat, Martini armaret auctoritas; non oportuisse hominem recipi mœnibus: illum iam non defensorem hæreticorum esse, sed vindicem: nihil actum morte Priscilliani, si Martinus exerceat illius vltionem. Postremò prostrati, cum fletu & lamētatione potestatem regiam implorant, vt vtatur aduersus vnum hominem vi sua. Nec multum aberat, quin cogeretur imperator Martinum cum hæreticorum sorte miscere: sed ille licet Episcopis nimio fauore esset obnoxius, non erat nescius Martinum fide, sanctitate & virtute cunctis præstare mortalibus: alia longè via Sanctum vincere parat. Ac primò secretò accersitum, blandè appellat, hæreticos iure damnatos more iudiciorum publicorum, potiùs quàm insectationibus Sacerdotum: non esse caussam, qua Ithacij, cæterorúmque patris eius communionem putaret esse damnandam. Theognistum odio potius, quàm caussa fecisse dissidium: eundémque tamen solum esse, qui se à communione interim separarit: à reliquis nihil nouatum. Quin etiam ante paucos dies habita Synodus, Ithacium pronuntiauerat culpa nō teneri. Quibus cùm Martinus parum moueretur, rex ira accenditur, ac se de conspectu eius abripuit; & mox percussores his, pro quibus Martinus rogauerat, dirigūtur. Quod vbi Martino compertum iam noctis tempore est, palatium irrupit: spondet si parceretur, se communicaturum, dummodo vt & Tribuni iam in excidium Ecclesiarum ad Hispanias missi retraherentur. Nec mora intercessit, Maximus indulget omnia: postridie Felicis Episcopi ordinatio parabatur, sanctissimi sanè viri, & planè digni qui meliore tempore Sacerdos fieret. Hiιius diei communionem Martinus iniit, satius æstimans ad horam cedere, quàm his non consulere, quorum ceruicibus gladius imminebat. Veruntamen summa vi Episcopis nitentibus, vt communionem illam subscriptione firmaret, extorqueri non potuit. Postero die se inde proripiens, cùm reuertens in via mœstus ingemisceret, se vel ad horam noxiæ communioni fuisse permixtum: haud longè à vico, cui nomen est Andethanna, qua vastas solitudines syluarum secreta patiuntur, progressis paulum comitibus, ille subsedit, caussam doloris & facti accusante ac defendente inuicem cogitatione peruoluens: astitit ei repente Angelus: Meritò, inquit, Martine compungeris, sed aliter exire nequisti: repara virtutem, resume constantiam, ne iam non periculum gloriæ, sed salutis incurreris. Itaque ab illo tempore satis cauit, cum illa Ithacianæ partis communione misceri. Cæterùm cùm quosdam ex energumenis tardius quàm solebat, & gratia minore curaret, subinde nobis cum lacrymis fatebatur, se propter communionis illius malum, cui se vel puncto temporis, necessitate, non spiritu miscuisset, detrimentum sentire virtutis. Sedecim postea vixit annos, nullam Synodum adiit, ab omnibus Episcoporum conuentibus se remouit.

Martinus ab Imperatore tentatus.

Vt Maximū exuret, prudēter communionem eludit. Mar. Synodo & damnationi Ithacianę nō subscribit.

Angelus mærentem solatur.

SED planè, vt experti sumus, imminutam ad tempus gratiam multiplici mercede reparauit. Vidi prætereà ad pseudothyrum Monasterij ipsius adductum Energumenum, & priùs quàm ad limen attingeret, fuisse curatum.

Absentis virtus.

TESTANTEM quendam nuper audiui, cùm in Tyrrheno mari, cursu illo quo Romam tenditur, nauigaret, subitò turbinibus, extremum vitæ omnium fuisse discrimen. In quo cùm quidam Ægyptius negotiator necdum Christianus, magna voce clamauerit, Deus Martini eripe nos: mox tempestatem fuisse sedatam, séque optatum cursum cum summa placidi æquoris quiete tenuisse.

Nominati virtus.

LYCONTIVS ex vicariis vir fidelis, cùm familiam illius lues extrema vexaret, & inauditæ calamitatis exemplo per totam domum corpora ægra procumberent, Martini per litteras implorauit auxilium. Quo tempore vir beatus rem esse promisit difficilè impetrari; nam spiritu sentiebat, domum illam diuino numine verberari: tamen non priùs destitit septem totos dies, totidémque noctes orando, & ieiunando continuans, quàm id quod exorandum receperat, impetraret. Mox ad eum Lycontius, diuina expertus beneficia peruolauit, nuntians simul & agens gratias, domum suam omni periculo liberatam. Centum etiam argēti libras obtulit, quas vir beatus nec respuit, nec recepit. Sed priusquam pondus illud Monasterij limen attingeret, redimendis id captiuis cōtinuò deputauit, cùm ei suggereretur à fratribus, vt aliquid ex eo in sumptum Monasterij reseruaret, omnibus enim angustum esse victum, multis deesse vestitū: Nos, inquit, Ecclesia & pascat & vestiat, dummodo nihil nostris vsibus quæsisse videamur.

Toti familiæ pestiferam luem auertit.

SVCCVRRVNT hoc loco illius viri magna miracula, quæ faciliùs admirari possumus, quàm referre. Agnoscitis profectò quod dico multa fuit illius quæ non queunt explicari. Veluti istud est, quod nescio an ita, vt gestum est, à nobis possit exponi. Quidam è fratribus (nomen non ignoratis: sed celanda persona est, ne sancto viro verecundiam fecerimus) quidam ergo cùm ad fornaculam illius carbonum copiam repetisset, & admota sibi sellula diuaricatis pedibus super ignem illum nudato inguine resideret, continuò Martinus factam sacro tegmini sensit iniuriam, magna voce proclamans: Quis, inquit, nudato inguine nostrum incestat habitaculum? Hoc vbi ille frater audiuit, & ex conscientia quòd increpabatur, agnouit: continuò ad nos cucurrit exanimis, pudorem suum non sine Martini virtute confessus.

Fornaculæ iniuria.

QVODAM itidem die dum in area, quæ parua admodum tabernaculum illius ambiebat in illo suo (quod nostis omnes) sedili ligneo resedisset, vidit duos dæmones in excelsa illa quæ monasterio supereminet, rupe consistere, inde alacres ac lætos vocem istiusmodi adhortationis emittere: Heia te Brictio, Heia te Brictio. Credo cernebant miserum eminus propinquātem, conscij quantam illi rabiem spiritus suscitassent. Nec mora, Brictio furibundus irrupit, ibi plenus insaniæ, euomit in Martinum mille conuicia: obiurgatus enim pridiè ab eo fuerat, cur qui nihil vnquam ante clericatum (quippe qui in monasterio ab ipso Martino enutritus) habuis-

set, equos aleret, mancipia compararet. Nam iam illo tempore arguebatur à multis, non solùm pueros barbaros, sed etiam puellas scitis vultibus coëmisse. Quibus rebus infœlicissimos insano felle commotus, &, vt credo, præcipoè dæmonum illorum agitatus instinctu, Martinum ita aggressus est, vt via manibus temperaret: cùm quidem sanctus vultu placido, mente tranquilla infœlicis amentiam per mitia verba cohiberet; sed ita in eo nequam spiritus redũdabat, vt ne sua quidem illi, quamuis vana admodum mens subesset, trementibus labiis, incestóque vultu, decolor præ furore, rotabat verba peccati, se asserens sanctiosem: quippe qui à primis annis in monasterio inter sacras Ecclesiæ disciplinas ipso Martino educante creuisset: Martinum verò & à principio, quod ipse diffiteri non posset, militiæ actibus sorduisse, & nunc per inanes superstitiones & phantasmata visionum ridicula prorsus inter deliramenta senuisse. Hæc cum multa, atq; alia etiam quæ reticere melius est, acerbiora vomuisset, egressus tãdem furore satiato quasi qui se penitus vindicasset, rapidus ea qua parte venerat, securi ebat, cùm interea, credo per Martini orationes, fugatis ab illius corde dæmonibus, reductus in pœnitentiam, mox reuertitur, atque ad Martini se genua prosternit, veniam poscens, fatetur errorem, nec sine dæmone se fuisse tandem sanior confitetur. Non erat apud Martinum labor iste difficilis, vt ignosceret supplicãti. Tunc & ipsi, & nobis omnibus sanctus exposuit qualiter illum à dæmonibus vidisset agitari, se conuitiis non moueri, quæ magis illi à quo essent effusa, nocuissent. Exinde cùm idem Brictio multis apud eum magnisque criminibus persæpè premeretur, cogi non potuit vt eum à Presbyterio submoueret, ne suam persequi videretur iniuriam: illud sæpe cõmemorans, si Christus Iudam passus est, cur ego non patiar Brictionem? At hæc Postumianus: Audiat, inquit, istud exemplum noster iste de proximo: qui cùm sit sapiens, immemor præsentium, immemor futurorum, si fuerit offensus, insanit in sus se non habens potestate: sæuit in clericos, grassatur in laicos, totúmque terrarum orbem in suam commouet vltionem: in qua per triennium iugiter dimicatione consistens, nec tempore, nec ratione sedatur. Dolenda hominis & miseranda conditio, etiam si hac sola insanabilis mali peste premeretur. Verùm ista ei patientiæ & tranquillitatis exempla referre sæpiùs Galle debueras, vt sciret irasci, & sciret ignoscere: qui si istum ipsum breuiter incertum sermonem meum in se prolatum fortè cognouerit, sciat non magis ore inimici, quam amici animo me locutum: quia si fieri posset, optarem vt Martino potiùs Episcopo, quàm Phalari tyranno similis diceretur. Sed istum cuius commemoratio parum suauis est, transeamus, & ad Martinum nostrum Galle redeamus. Tum ego, cùm iam adesse vesperum occiduo sole sentissem, Dies, inquam, abiit, Postumiane: surgendum est, simul tam studiosis auditoribus cœna debetur.

Brictionis côtumeliæ in D. Martinum.

Concludit narrationẽ gestorum.

De Martino autem expectare non debes vt vlla sit meta referendi: latiùs ille diffunditur, quàm vt vllo valeat sermone concludi. Ita interim de illo viro portabis Orienti. Sed dum recursis, diuersásque regiones, loca, portus, insulas, vrbésque prætérlegis, Martini nomen & gloriam sparge per populos. In primis momento non præterire Campaniam, etsi maximè cursus indeuio sit, non tamen tibi tanti sint, vel magnarum morarum vlla dispendia, quin illic adeas illustrem virum, ac toto laudatum orbe, Paulinum: illi, quæso te, primùm sermonis nostri, quem vel hesterno consecimus, vel hodie diximus, volumen euolue. Illi omnia referes, illi cuncta recitabis, vt mox per illum sacra, viri laudes Roma cognoscat: sicut primum illum nostrum libellum non per Italiam tantùm, sed per totam etiam diffudit Illyricum. Ille Martini non inuidus gloriarum, sanctarúmque in Christo virtutum piissimus æstimator, non abnuet præsulem nostrum cum suo Felice comparare; inde si fortè ad Africam transfretabis, referes audita Carthagini: licet iampridem, vt ipse dixisti, virum nouerit, tamen nunc præcipuè de eo plura cognoscat, ne solum ibi Cyprianum martyrem suum, quamuis sancto illius sanguine consecrata miretur. Iam si ad læuam, Achaiæ sinum paululum deuexus intraueris, sciat Corinthus, sciant Athenæ, non sapientiorem in Academia Platonem, nec Socratem in carcere fortiorem. Fœlicem quidem Græciam, quæ meruit audire Apostolum prædicantem: sed nequaquam à Christo Gallias derelictas, quibus donauerit habere Martinum. Cùm verò ad Ægyptum vsque perueneris, quanquam illa suorum sanctorũ numero & virtutibus sit superba, tamen non dedignetur audire: quia illi, vel vniuersæ Asiæ, in solo Martino Europa non cesseris.

Sacra Roma.

Caeterum cùm Hierosolymam inde petiturus, ventis cursuum vela commiseris, negotium tibi nostri doloris iniungo, vt si vnquam illustris illius Ptolemaïdis littus accesseris, solicitus inquiras vbi sit consepultus noster ille Pomponius: nec fastidias visitare ossa peregrina. Multas illic lacrymas, tam ex affectu tuo, quàm ex nostris funde visceribus: ac, licet inani munere, solũ ipsum flore purpureo & suauè redolẽtibus sparge graminibus: dices tamen illi, sed non asperè, non acerbè, compatientis alloquio, non exprobrantis elogio. Quòd si vel te quondam, vel me semper audire voluisset, & Martinum magis quàm illum quem nominare nolo, fuisset imitatus, nunquam à me tam crudeliter disparatus, ignoti pulueris regione tegeretur, naufragi sorte prædonis, passus in medio mari mortem, & vix in extremo nactus littore sepulturam. Videant hoc opus suum, quicunque ex illius abscessu mihi nocere voluerunt: videant gloriam suam, & vel nunc aduersum me grassari desinant vindicati. Hęc cùm maximè flebili voce gemeremus, omnium lacrymis per nostra lamenta commotis, cum magna quidem Martini admiratione, sed non minore ex nostris fletibus dolore discessum est.

Lacrymæ ad Pôponij sepulchrũ.

DE Q. IVLIO HILARIONE ET EIVS CHRONOLOGIA, PER M. D. L. B.

Diu multúmque dubitaui, num Authori huic locum in hac Bibliotheca darem: primùm quidem obscurus adhuc neque vlli scriptorum Ecclesiasticorum Cathalogo cognitus, deinde quòd in subducendis temporum summis & rationibus, fides non prorsum indubitatæ author esse videatur; ac postremò quòd Danielis Hebdomadas, magis vt Iudæi quàm vt Christiani volunt, Christi aduentu & ætate non definiat omnino; & ad Chilyastarum etiam delyria sub operis finem delyrasse possit videri. Sed cùm magno vsui futurum sperem, in designanda constituendáque Chronologia (qua non aliud omnium historiarum memoriam variè magis ab historicis describitur (fateor, mihi religio fuit, scriptorem elegantem vix dum in hac Bibliotheca natum, atque Pithoei beneficio; tam citò proscribere, vel (quod non leuius) mille annis antiquiorem, velut de ponte deiicere ex hac Bibliotheca. Proinde amplectere (ô Lector) hoc Pithoei donum, quod ante annos ducentos eleganter quidem scilicet non accuratè satis vt opinor, exscripsit Ruodolfus presbyter, vt testatur frontis codicis adscriptum hoc elogium: Hunc librum Ruodolfus lucratus est S. Bonifacio, anno Domini 1360, *Pithoeus verò pluribus locis recognouit: vt proinde non vno tantùm, sed altero nomine etiam, quod Q. Iulium Hilarionem, Scriptorem antiquum eúmque castigatum & ornatum tibi donat; Pithoeo sis deuinctus.*

QVINTI IVLII HILARIONIS SCRIPTORIS PER ANTIQVI, CHRONOLOGIA, SIVE DE MVNDI DVRATIONE, LIBELLVS.

Attentio, confert plurimum ad discendum. Eccl. 6.
† Eligere.

QVANTOCVMQVE tempore, in diuinis legibus, cuiuscumque timentis Deum intentus fuerit animus; tantò, eligere † quæ vera sunt discet, vt discendo sapiens efficiatur: quia dux oculorum cordis est ei, in Lege, virtus Dei Patris & sapientia Christus. Ee quasi patefactis ianuis cœli, † ore proprio Dei, audierit; exultat, in Lege aliquid † verè sapienter addiscens † vnde, sapientia Dei, hominem silere non patitur, compellitur (ipsa veritate cogente) loqui, vt alios sapientes efficiat. Sapientiæ verò † qui iunctus inuidere non † potuit quapropter Sapiens vult (per sapientiam Dei à qua sapiens effectus est) derelicta inuidentia per quam mors dominatur & regnat, omnes homines in mundo sapientes existere. Prædictum enim in Lege esse scit; quòd *multitudo Sapientum, sanitas est Orbis terrarum.* Igitur cùm ex Lege coram fratribus Sapientia duce Tractatus foret opponeretúrque ab iisdem, mundi initium finémque eius penitus à nobis sciri non posse: quòd alij affirmant plus xx. millia annorum habere iam mundum, alij, initium & finem dare et nolentes; alij (initium concedentes) æternum fore voluerunt. Ad hæc ego aio: Adstruere hoc per artem, philosophiam mundi, & inanem deceptionem; verborum pompam opinionísque, magis quàm vanitatem amauêre, & sunt amatores. Nam si nos imperio Dei (quod fidele est) audiamus; accipiamus necesse est, quicquid nobis diuina. Lex fideliter enarrauit quod annuente Domino (si permittitis) vobis simpliciter enarrabitur. Sunt enim qui æstimant annos, in Lege, inaniter aut superfluè, quasi non necessariè fuisse conscriptos; nescientes parum habere fidei, tales, qui quod Lex Dei insinuat, verum esse non credunt. At illi: Magna (inquiunt) vis est, aliquid de Lege proferre scripróque mandare! Verè; inquam: Nam vt ipsi scitis, olim de ratione Paschæ numeróque annorum mundi hortantibus vobis scripta fecisse me; sed idcircò silui aliquanto tempore, ne à nobis opuscula ipsa condimentis sapientiæ alienæ, irrationabiliter conderentur. Vnde digestis meliùs rebus, de die sacratissimo Paschæ iam libellum præmisimus: in quo, & qui sit mensis primus, legaliter demonstrauimus; de hinc etiam, cursum annorum à fabrica mundi, in hoc opusculo, suo quoque ordine, supputando notamus. In his igitur promissis, satis gauisi Fratres faciunt quæ diligentiùs sanximus. D Etenim, de hac re non æquè sed variè scripsêre quamplurimi; vt Lectoris animus in ancipiti remanens, quid verius sit, scire non possit. Faciam vt vultis, vt & ipse promisi; Domino scilicet, Deo Christo monstrante: Quapropter partes omnes & regulas annorum adfabrè diligentiúsque persequar; vt expositio ipsa, legentibus, quasi gradientibus, delectabilis via, æqua & plana videatur. Post præteritorum quidem Descriptorum varias compositiones (præsertim qui iam præiudicatæ opinionis habentur) dicere aliquid, nefas aut superbum est sed dicam, necesse est enim ratione cogente, quamuis superbum credo non esse si posteriore tempore, à quoquam, melius quid de Lege proferatur. Hoc & S. Apostulus Paulus, pacem consulens, restatur & dicit, *& si alij melius reuelatum fuerit sedenti, prior taceat*: E Et vtique Apostolus, de quacunque disputatione Legis, hoc dixit; De qua re, quia qualiter senserit, ita vt senserit & benè, melius possit admitti. Nunc de annorum integro numero ratio vertitur; vbi non potest quis pro perfecto numero imperfectum ponere, aut ipsum perfectum transcendere numerum; & quod minus fuerit & plus à perfecto numero, astruere verum. Igitur iam veniamus ad causam, & suo ordine cuncta narremus; intelligatúrque quo in loco hanc volentes assequi rationem, † aut plenè dixerim. Cùm ergo hic mundus Creatore Deo constitueretur, videretque omnia suo iussu ex nihilo apparuisse; maturè cœlum cum ornamentis suis (id est, Solem & Lunam & stellas, propter vices & signa temporum, luce radiantes) terram, cum perfectione omnium seminum virore plenam, diuersis coloribus flores habentem diuina pictura; Maria, conclusione riparum ac montium, ne transcendant (quasi vallatione quadam) obsessa, istinc etiam primu prolatum motum habentia in se, & omnem animam viuam. Post hanc igitur per- B fectionem mundi; placuit omnipotenti Deo instituere hominem quem præ cæteris animalibus aliquid esse omnipotens Deus voluit: Nam illa, iussu & verbo suo creauit; hunc sacris manibus finxit, quem liberum dominiúmque super vniuersa sua præfecit. Illa, vt ab hoc regerentur; hic, vt sapiens animal, rationale & astutum, sese gubernaret in mundo. Ex istins námque tempore posteriorúmque, omnium generationes (currendo) ostendimus vsque ad nostram ætatem; quot anni sint ex quo factus est iste in quo degimus mundus, sed qui iam secundùm Euangelicam vocem in fine est constitutus: à die VIII. Cal. April. originem eius † mundi tenentes quo inchoatum & factum esse, in libello Paschali, ratione currente iam expoluimus; & v. dies, sine homine fuisse mundum; & die sexto finctum & viuificatum, per Dei C flatum, esse narrauimus. A primoplast (Adæ scilicet natiuitate, vsque ad diluuium factum sub Noë, anni sunt † IIMCCLVII. qui sic per generationes singulas fideliter comprobantur. Adam anno CCXXX. genuit Seth Seth CC. V. genuit Enos. Enos anno CLXX genuit Cainam. Cainam anno CLXX. genuit Malelehel. Malelehel anno CLXV. genuit Iareth. Iareth anno CLXII genuit Enoh. Enoh anno CLXV genuit Matusalam. Matusalam anno. CLXXXII genuit Lamech. Hic primos Matusalæ annos quos Scriptorum error fecit, nullus vidit, nullus inspexit, nullus diligenti inquisitione correxit; CLXVII. annos eum vixisse † & genuit Lamech; post, vixisse DCCCII. annos, quod verum esse non potest; quia DCCCII. vsque trans diluuium, XIIII. annos plus esse monstratur. Diluuium D enim nemo euasit, nemo præter arcam viuendo transcendit. Igitur Matusalam vixit annos. CLXXXII, & sic genuit Lamech; & post hoc, vixit ann. DCCLXXXVII: sic enim diuinæ Scripturæ fides vera demonstrat, quæ Matusalam ante diluuium & vixisse & mortuum esse narrauit. Lamech anno CLXXXVIII. genuit Noë: Sexcentesimo námque anno Noë, factum & consummatum est diluuium. A Diluuij autem tempore vsque ad † LX. annum Abrahæ, quo de terra sua ad peregrinationem profectus est, anni sunt mil. XII. Ita per ordinem, Secundæ generationes, à Sem filio Noë, ostenduntur. Sed quia anni Sem, † LXXVIII. in consummatione Diluuij completi sunt; II. scilicet anni ad rationem summæ quam post Diluuium designauimus, necessarij sunt: ipse enim Sem biennio post diluuium, fuit annorum C. & sic genuit Ar- E fexat; quos annos II. Descriptores huius rationis in numerum annorum non posuerunt, quomodò eos minimè præuiderunt. Ergo post diluuium, Sem vixit annos, II; & genuit Arfexat. Arfexat autem, anno CXXXV. genuit Salam. Salā anno CXXX genuit Eber. Eber, anno CXXXIIII.

Sap. 7.
† Fortè, ex ore.
† Fortè, vera sapientia.
† Aliàs, sed.
† For. quia.
† Aliàs, potest ea propter.
Sap. 2.
Sap. 26.
Variæ, de mundi duratione, opiniones.
1. Cor. 14.
Numeri in Scriptura, nullo modo mutari possunt.

† Fortè, melius haud plenè dixerimus.
Gen. 2.
† Fortè, modo.
† Meliùs. II M CCXX. VII eò enim reddit. Gen. 5.
† Fortè. melius, cum genuit.
† Meliùs LXX.
† Melius, XCIIII.

genuit Falech. Falech ann. cxxx. genuit Ragau, Ragau anno cxxxii. genuit Seruc. Seruc, anno cxxx. genuit Nahor. Nahor ann. lxxviiii. genuit Thara. Thara autem, ann. lxx. genuit Abram. Abram, ann. lxx. de terra sua profectus est (vt diximus) in Carram. A peregrinatione Abrahæ, vsque ad profectionem filiorum Israël ex Ægypto ad hæremum, anni sunt ccccxxx. † Sie deinde, à nobis, certiùs declarantur. Abraham xxx. annos peregrinatus est, & accepit promissionis filium Isaac: qui cùm verbum Domini desiderasset audire, quando † possit semen eius hæreditate terram Canaan, parato sacrificio ad vesperam Dominus ei locutus est, concludens simul & designans quòd adhuc semen eius peregrinaturum esset in terra Canaan, & in seruitute Ægyptiorum annis cccc, sicut in libro Geneseos Scriptura diuina ipsi Abrahæ testatur: *sciens scies quomodò peregrinum erit semen tuum in terra non sua & in seruitutem redigentur & dominabuntur eorum annis cccc. Gentem autẽ cui seruierint ego iudicabo.* Et ideò sapientissimus legislator Moyses, auctore Deo nostro, securus ita ait: *Habitatio autem filiorum Israel qua habitauerunt in terra Ægypti & in terra Canaan, ipsi & patres eorum, anni ccccxxx.* Hoc videlicet minùs attendentes Disputatores annorum; in Ægypto solùm annos cccc. & non ipsos ccccxxx. Filios Israël fuisse, frustrà memorati sunt. Nam vt plenius sic meliùs ccccxxx. annos per Semen Abrahæ, ab Isaac nato vsque ad de Ægypto egressos (nõ in terra Ægypti solùm, sed in terra Chanaan) esse completos; generationes eorum percurrendo, monstramus. Isaac anno suo, lx genuit Iacob. Iacob cùm esset annorum cxxx. introiuit in Ægyptum cum filiis & nepotibus suis omniq; progenie sua, inter quos nepotes, fuit Caath filius Leui, qui est auus Moy. Ergo Amram in Ægypto natus est, & Amram genuit Moysen anno lxxx. suo idẽ Moyses exiuit de Ægypto cum filiis Israël; ac per hoc in terra Chanaan ab Isaac nato vsque ad Iacob ingressum in Ægyptum, habitauerunt annis cxl. & in Ægypto fecerunt annos, ccx. Satis est ad declarationem annorum istorum de quibus hæsitauerunt quamplurimi qui de iis fuerant locuti. Et ideò, à fabrica mundi vsque ad profectionem filiorum Israël de Ægypto; anni sunt, iii. † dcxlvi. In eremo, fuerunt anno xl. deinde mortuo Moyse, Iesus filius Naue, per Iordanis alueum, sicco pede ad terram promissionis transtulit populum, & eis fauente diuinitate, debellans asperas gentes, iudicauit vt iustus. Sub Iudicibus autem, fuerunt inibi captiuitatis tempora, à Iesu Naue vsque ad Samuëlem Prophetam qui vnxit Saül regem, per annos ii. lxi. Sed vt, & nostrã summam integrè fore collectam; & in Actibus Apostolorum, Apostolum Paulum rectè posuisse, à legentibus cognoscatur, quòd ita à Iesu Naue diuisa patribus nostris terra Chanaan, dedit eis Iudices Dominus Deus per ann. cccct. vsque ad Samuëlem Prophetam. Apostolus enim Paulus aliter agens in Actibus Apostolorum, & aliud persuadens; non & captiuitatis, sed sola in quibus iudices habuerunt & dominati sunt, tempora nominauit. Et dedit eis Iudices; ait. In captiuitatem enim pro peccatis traditi, non suos Iudices habuerunt, sed ab exteris premebantur. Nam nec ipse Apostolus Paulus contra fidem scripturæ libri Iudicum venire posset, si quantitatem temporũ percurrere voluisset. A Deo datos populo iudices nominauit, fidem Domini Christi insinuare volens: nam vsque ad Dauid; verba ad populum fecit, vt ex eius semine venisse Christum narraret; in quo credentes (si vellent) habituros dimissa peccatorum prædicauit. Hæc denique tempora Iudicum, sic ostenduntur. Iesus Naue cum senioribus iudicauit ann. xxxi. Post hæc peccantes, traditi sunt Chusan-rasathaim Regi Mesopotamiæ, annis octo, & excitauit illis Dominus, ad auxilium, Gothoniel: qui occiso Cusarsamoth, iudicauit Israël, ann. l. Post hunc, peccantes, seruierunt Eglon Regi Moab, ann. xviij. Aoth, occidit Eglon & iudicauit Aoth, ann. lxxx. Isto mortuo peccauit populus, & seruierunt Iabin regi Chananeorum, ano. xx. Contra quem

Dominus suscitauit Deboram, quo occiso Iabis iudicauit ann. xl. Peccantes iterũ traditi sunt Madianitis, ano. 7 Super hos surrexit Gedeon, & iudicauit populũ ann. xl. Post ipsũ, filius eius iudicauit ann. iij. Post hũc, Tola iudicauit ann. 22. Mortuo Tola; electus est à populo Iabir; & ipse iudicauit populum ann. 22. Post eius exitum peccauit populus, & traditi sunt Ammanitis, an. 18. & à pressura clamantes ad Dominum, excitauit illis Iepte, & iudicauit ann. 6. Et Sebon iudicauit ann. 7. Peccauit deinde populus; & traditi sunt Allophilis, ann. 40. Iterum conuersi ad Dominum; excitauit illis Samson, qui victis Allophilis iudicauit ann. 20. Mortuo eo iudicauit Semergar † ann. 1. Post hunc fuit populus in pace, & nõ eis erat Rector; sed vnusquisque quod ei placebat, faciebat, & ipsi sibi fuerunt Iudices per ann. 30. Transactis igitur annis istis; iudicauit Heli Sacerdos, ann. 20. Huic successit Samuel etiam ipse Dei Sacerdos; & iudicauit annis 40. Vsquequo vnxit Saul regem. Fiunt ergo omnes anni vt diximus 561. Nam qui putant, de his annis aliud Apostolum narrauisse; diligentiùs aduertant, non aduertisse eos qui annorum historiam descripsêre, quia sequestrata sola Iudicum tempora (vt fecit Apostolus) sine annis captiuitatis sunt anni cxj. Sunt ergo anni omnes à fabrica mundi vsque ad Samuelem qui vnxit Saul regem iiii. m. ccc. Successerunt deinde tempora Regum. Habuerũt etiam reges per ann. 514. à Saul vsque ad Sedechiam; cui, Nabuchodonosor oculos auferens, eum in pistrino necauit. Sic deinde comprobantur anni Regum. Saul regnauit annis 40. Dauid regnauit annis 40. & mensibus 3. Salomon ann. 40. Roboam, ann. 17. Abia ann. 3. Asa ann. 41. Iosaphat ann. 25. Ioram ann. 8. Ochosias ann. 1. † Godolias ann. 6. Ioas ann. 40. Amasias annos 29. Ozias 52. Ioatham ann. 17. Achas annis 15. Ezechias annis 29. Manasses annis 53. Amos annis 2. Iosias annis 31. Ioachas, mẽses 3. Ioachim ann. 11. Ioachim mẽses 3 & dies 10. Sedechias annis 11. Sunt ergo vt diximus ann. Regum 514.

A fabrica scilicet mundi, vsque ad Sedecbiam; quando Hierusalem euersa est, & populus in Babylonem transmigratus est; ann. sunt iiii. m. d. ccc. xiiij. Post vndecimũ ergo annum Sedechię; Hierusalem euersa à Rege Nabochodonosor; Iudaïcus populus in captiuitatem Babyloniæ transmigratus est. Quæ captiuitas, 70. anno. tenuit: qui anni, quomodò consummati sunt; luce clariùs demonstrantur, cùm huc ad hebdomadas Danielis venerimus; vt hæ hebdomades, à quo tempore & vbi completæ sint, diligentissimè comprobantur. Daniel enim in decima visione sua; cùm totus attenta mente pendula sollicitudine, in oratione ad Deum fuisset intentus; scire volens si status Hierusalem & populus eius, post captiuitatem Babyloniæ, ab hostibus nihil mali ampliùs pateretur; apparuit ei Angelus Dei dicens: *Daniel modò prodii ad ostendendum tibi sensum; exiuit enim Domini præceptum, & veni vt demonstrem tibi: Vir enim concupiscens es tu; Recogita igitur in præceptum, & intellige Visionem; septuaginta Hebdomadæ incisæ sunt in populum tuum, & in ciuitatem Hierusalem.*

Designat igitur Angelus Daniëlo, & summam in septuaginta hebdomadibus; & rursum suo ordine partitur eas, quando & quomodò compleantur. Ac de eodẽ, Angelus sic prosequitur dicens: *Ad oblitteranda quæ acceperunt, & consummanda peccata, & exorandas iniustitias, & abolenda delicta, & æquitatem sempiternam excogitandam, & vt concludatur Visio & Prophetia, & vt vngatur Sanctum Sanctorum; Et tu quiesce & intellige † de prouentu sanctorum, siue præceptum respondendum & ædificandam vrbem Hierusalem, vsque ad Christum ducem, hebdomadas 7:* quæ hebdomadæ sunt 40. & 9. anni: qui anni, ad corpus 70. annorum captiuitatis Hierusalem, pertinent. Anno enim primo Darij regis, qui regnauit ad regnum Chaldæorum, qui etiam Baltasar regem occidit; Daniel vidit Visionem: & fuit at. annus Captiuitatis Hierusalem. 18. enim annis vixit Nabuchodonosor, posteà quàm prædatus est. Sedechiam & Hierusalem; & filius eius Baltasar,

Marginal notes (left): † Fortè, qui sic. — Gen. 21. — † Fortè, posset. — Gen. 15. 43. — Gal. 3. Exod. 12. 40. — Genes. 25. — Genes. 46. Num. 26. Exod. 2. — Deut. 3. Ios. 1. — † meliùs iii. m. — Act. 13. — Iud. 3. cap. — Israël. Iud. 4.

Marginal notes (right): Iud. 5. — Iud. 6. — Iud. 8. — Iud. 9. — Iud. 10. — Iud. 12. — Iud. 15. 24. — † Aliàs Sãgar Iudic. 5. 31. — † Meliùs. Gotholia, mater Ochosiæ. 4. Reg. 11. — Dan. 9. — † Clariùs vt vulgata, ab exitu sermonis vt iterum ædificetur Hierusalẽ, &c.

regnauit annis 3. in quo anno tertio occisus est, & suscepit regnum Darius. Cuius anno primo, Danielo ab Angelo dicitur de hebdomadibus 70. quas cùm partiretur; 7. hebdomadæ, primò, ab eodem Angelo nominatæ sunt: qui (vt dictum est) sunt anni 49. qui iunguntur ad 21. captiuitatis, quando Daniel vidit visionem; & efficiuntur anni septuaginta, qui completi sunt in Babylonia vt impleretur visio & Prophetia Hieremiæ. Post quos annos Cyrus rex Persarum iubet populos ire ad Hierusalem, primo anno regni sui; vt ædificari posset Hierusalem, & vngeretur Sanctum sanctorum quod fuit in Templo Dei sacratissimum. Reuertuntur igitur populi de Babylonia, habentes secum ducem Zorobabel, de quo mentio facta est ab Angelo ad Danielum; *vsque ad Christum ducem, hebdomadæ septem.* Omnis enim Rex populi Dei, in diuina lege, Christus appellatus est. Nam & Zacharias Propheta, regem futurum eum, ad populum sic loquitur dicens: *Manus Zorobabel fundauerũt domum istam, & manus eius consummabunt eam, & cognosces quòd Dominus omnipotens, misit me ad te; quia, quis spreuit te in diebus pusillis? & gaudebunt in te, & videbunt in manu Zorobabel lapidem stanneum*; quod hodiè Imperatores, in manu dextera, veluti populum ferre videntur. Repetit Angelus, & ait Danielo † 62. hebdomadas Dominum; hoc est; in quibus restituto templo & ciuitate Hierusalem, in Oblationibus suis Domino seruierunt. Quæ hebdomadæ 62. sunt anni 434. qui anni completi sunt temporibus Machabæorum, anno 141. regni Græcorum; Isto namque tempore, Antiochus, Græcis, superba mente regnabat. Et quamuis ordo iste annorum diuinæ legis, à constitutione mundi sufficiat sibi, tamen vt lectoris animo satisfacere videamur, etiam per reges Persarum currentes, de historijs publicarum literarum, ostendimus à Cyro 62. hebdomadas isto tempore Machabæorum fuisse impletas. Cyrus namque Persis regnauit annis 30. Artaxerses regnauit annis, 9. Argus regnauit mensibus 9. Darius regnauit ann. 36. Artaxerses secundus regnauit ann. 19. mensibus 2. Sotidanus mensibus 7. Xerses filius maior, regnauit ann. 20. Artaxerses regnauit. 72. Artabus regnauit mensibus 7. Darius Nothus regnauit ann. 29. Olus regnauit ann. 22. Arses regnauit ann. xvij. Darius regnauit ann. 6. Hunc interfecit Alexander Magnus Macedo; à cuius tempore, historia Machabæorum, Græcorum annos diuina narratione percurrit. Fit igitur omnis summa annorum Regum Persarũ, cclxiij: & ab Alexandro Macedone vsque ad Antiochi tempora, id est, vsque 141. annum regni Græcorum; completæ sunt (vt diximus) hebdomadæ 62; hoc est, anni 434. *Post 62. hebdomadas* (ait Angelus) disperdetur vnctio & Sancta. Ergo post 7. & 62. hebdomadas vna hebdomada superest, quam faciunt anni 75. ad conclusionem summæ 70. hebdomadarum. In hac scilicet hebdomada, Gentium malitia excreuit, sicut iam ab Angelo fuerat dictũ; vt etiam in dimidio hebdomadis eiusdem, ab Antiocho rege Græcorum auferetur sacrificium de loco sancto; & Sanctum ipsum pollutum est fœminino aspectamento, & Abominatio desolationis facta est super altare, & statua Iouis quem Olympium vocant, illic conlocata. Iste etiam Antiochus mente peruersa Antichristi imaginem portans; vnam plebem, vnumque sacrilegum populum, sub regno suo efficere conabatur. Nam & Apostaticis hominibus ædificare in Hierusalem, gymnasium; id est, studium; concessit: & vbi non nisi ad exorandum se sanctáque sacrificia sibi offerenda, Deus omnipotens, templum sibi conlocare præcepit; ille, ea spectaculis idolorum, polluere concupiuit. Cùm igitur 7. & 62. hebdomadæ completæ fuissent, in prima ista hebdomade (vt superiùs dictum est) libros legis comburi, sacrificari simulachris, & immunda manducare, genti Iudæorum indixit; & fuit vsque in quinta &, vigesima die mensis 9. anni. 148. reg. Grecorum: in quo anno, completant hebdomadæ omnes 70. quas decurrens designauit Angelus Danielo, de turbatione ciuitatis Hierusalem & populi euersione; de qua te etiam ipse Daniel, ad Dominum concupiscens requirebat: Ea hinc vsque in 174. annum regni Græcorum, quo tempore Lucius Licinius Lucullus qui fuit Consul Romanorum, de societate & amicitijs ad Symonem fratrem Iudæ Machabæi literas dedit; anni sunt 26. Ex istius namque Consulatu, annos iam Consules, requirentes; inuenimus vsque ad passionem Domini nostri Iesu Christi, vsque ad annum 16. imperij Tiberij Cæsaris, 179. annos esse completos: ac, per hoc, à fabrica mundi vsque ad passionem Christi saluatoris nostri anni sunt v. M. DXXX. Proinde ad conclusionem vi. milium annorum debentur anni, 470. Necesse est enim vt quomodo filij Israël, à pollicitatione Domini Dei facta ad Abraham, post 470. annos promissionis terram accipere; Sic etiam nos Christiani, post totidem annos, primam resurrectionem habebimus. Populus enim Iudaïcus, in omnibus figuram nostram portat; *in quos fines seculorum concurrerunt.* Ergo à passione Domini Christi (ex quo tempore) fide in se credentibus, resurrectionem pollicitus est Dei filius) anni compleantur necesse est 470. vt concludatur summa vj MM, annorum. Septimo & millesimo anno incipiente, fide vera credentes liberabuntur è mundo; tunc enim erit resurrectio prima omnium sanctorum. De 400. verò & 70. annis à passione Domini, in Consulatu Cæsaris & Attici, die 9. calendas Aprilis, anni transierunt 369. Restant itaque anni 101. vt consummantur anni vj. qui anni vj. non antè complentur nisi priùs prope vltimum Reges decem exierint in mundum; & filiam Babyloniæ quæ nunc obtinet, de medio mundi tulerint. Ad quos subitò exiet vnus potens super eos; qui est, in Apocalypsi, Draco nominatus; & obtinebit Reges decem, & ex eis aliquos perdet? alij sub eius ditione remanebunt. Tunc reuelabitur ille impius filius perditionis, qui elatus est aduersus omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedens ostendat se tanquam ipse Deus. Hic erit proprius Antichristus. Huic potentissimus ille Draco cui decem cesserunt Reges, tradet vim & potestatem suam; & mirabuntur vniuersi Mortales: Et erunt Antichristi tempora (quæ tempora, mortalia sint necesse est) qualia cùm Antiochus sub regno suo vnum populum in Apostasia facere conabatur; cui (quia tempus non fuit) non talia euenerunt, qualia tentabit efficere Antichristus. Dum venerit; ad perditionem Infidelium veniet: cuius tempus, graue ac nefandum erit; quem solus Dominus Christus interficiet Spiritu oris sui, & euacuabit præsentia aduentus sui. Superato igitur & interfecto Antichristo, summa completa annorum vj. MM. fiet resurrectio omnium Sanctorum adhuc superstite mundo, decurrentibus etiam annis mille, in quibus Draco ille antiquus, Diabolus & Satanas, ligatus in abysso, sequestratus erit ne seducat quemquam, donec consumentur anni tres; qui anni tres, his adnumerabuntur qui sub signo Antichristi remanebunt, & hi omnes nubent & nubentur, & morientur: super hos, & plagæ illæ descriptæ in Apocalypsi aduenient, & partibus subinde ceditur hic mundus. Nã sanctis Dei, in resurrectione vnus erit dies; & tantùm erit prolongatus in lucem dies iste Sanctorũ, quãtùm impijs illis in mundo erit pœna viuentibus, mille numerabũtur anni. Iste est dies 7. & Sabbatus æternus & verus, cuius imaginẽ & figurã tenet Sabbatus iste tẽporalis in Moysi lege cõscriptus. Sicut enim populo Iudaico dictũ est; Sex dies operate opera Mundi, septimo autẽ die, qui appellatus est Sabbatum, requiesce ab operibus tuis: sic sanctis omnibus qui fuere ab initio mũdi, & nũc in Christo vera fide credentibus; transactis sci. sex diebus id est (sex milium annorum) in quibus eis labor & cruciatus fuit; venit dies septimus & Sabbatus verus. Quapropter omnem animam præmonuit Dominus Christus in Euangelio ad credendum in se ante esse currendũ nõ eo tẽpore quo & pœna æterna impijs & mercedes bona sanctis reddatur necesse est pro meritis singulorum. *Rogate,* inquit, *ne fiat fuga vestra, hieme aut Sabbato.*

[illegible] 49. [illegible]

† Melius, post 62. hebdomadas occidendũ Dominum.

1. Cor. 10. 11.

Post septimum & millesimum annum soluetur Satanas de carcere suo, & exiet seducere gentes Gog & Magog; & congregans eas ad castra sanctorum quasi pugnatoras, & descendet ignis de cœlo, & consummabuntur omnes homines, & tunc erit secunda Resurrectio omni carni, & iudicabuntur omnes iudicio Dei iusto pro eo quod non crediderunt sed sibi placuerunt in iustitijs.

A Et post hoc, auferetur cœlum hoc & terra ista; & ciuitas illa quæ in Apocalypsi descripta est, parata de cœlo descendet cum diuitijs Dei, in qua iusti habitabunt; & erit cœlum nouum & terra noua, & vtraque in perpetuitate manebunt, impij in ambustione æterna, Iusti autem cum Deo in vita æterna. Amen.

IN CHRISTI NOMINE INCIPIT CHRONOLOGIA TRIPARTITA, EX BEATO NICEPHORO CONSTANTINOPOLITANO IN LATINVM *olim conuersa per Anastasium sedis Apostolicæ Bibliothecarium, & ante aliquot annos per Iohannem Camerarium; nunc verò ad fidem Anastasiani exemplaris emendata, & Notis illustrata per Antonium Contium.*

Cum consensu omnium auctor huius chronologiæ S. Nicephorus Constantinopolitanus Episcopus asseratur, quem ex certissimis auctoribus diem obijsse anno Domini 808 in annal. Eccles. tom. 10. refertur, necessario dicendum Theodorum Cassiteram, Antonium, Ioannem Syncellum, Methodium, Ignatium Eunuchum, qui post Nicephorum Episcopi Constantinopolitani inferius in hac chronologia recensentur, non à S. Nicephoro, sed ab Anastasio Bibliothecario huius chronologiæ interprete, qui tempore Ignatij viuebat, adiectos fuisse.

CAPVT I.

Annus mundi.

230 ADAM Ætatis anno ducentesimo trigesimo genuit Seth, & postea vixit annis septingentis.

435 Seth natus annos ducentos & quinque, genuit Enos.

625 Enos natus annos centum nonaginta, genuit Cainam.

795 Cainam natus annos centum septuaginta, genuit Malaleel.

960 Malaleel natus annos centum sexaginta quinque, genuit Iared.

1122 Iared nat⁹ annos centũ sexaginta duos, genuit Enoch.

1287 Enoch natus annos centum sexaginta quinque, genuit Matusala.

1474 Matusala natus annos centum octoginta septem, genuit Lamech.

1662 Lamech nat⁹ annos cẽtũ octoginta octo, genuit Noé.

2162 Noé natus annos quingentos, genuit Sem, Cham, Iaphet.

2262 Et vixit ad diluuium vsque, annis centum.

Diluuium. Anno sexcentesimo ætatis Noé factum est diluuium,

Anni vniuersi ab Adam vsque ad diluuium, secundum septuaginta, sunt bis mille ducenti quadraginta * duo. Quem numerum, testimonium veritatis & veterum Ecclesiarum omnium traditiones comprobant.

* sic Camerarius & alij sed legendũ est 2262 vt in notis demonstrabo.

Anton. Contij ad superius caput, Notæ.

*CVm sine vlla capitum distinctione scriptus & editus esset Nicephorus, nos commodioris doctrinæ causa in certa capita distinximus secundum vulgatam potissimum ætatum mundi diuisionem ab origine ad diluuium, à diluuio ad Abraham, ab Abraham ad exitum de Ægypto, & ita deinceps distinctis temporibus vsque ad Christum & sequentia Imperatorum tempora. Illud imprimis tenendum est, Catholicam Ecclesiam Orientalem pariter & Occidentalem constanti & perpetua traditione in computatione temporum sequi longiorem & maiorem annorum numerum, qui in editione septuaginta Interpretum reperitur, non autem minorem qui in Hebraicis voluminibus deprehenditur. Nam tametsi paulatim post Hieronymi tempora Ecclesia Occidentalis relicta vetere septuaginta editione qua semper sola vsa fuerat, editione præfati sanctissimi viri vti cœperit: Psalterium tamen & chronographiam ex illa vetere septuaginta interpretum editione mordicus retinuit. vt testantur Beda, Isidorus, auctor Fasciculi temporum, Hugo, & alij passim auctores. Sed & * argumentum huius rei euidentissimum præbent Tabulæ quæ quotannis in Ecclesijs Cathedralibus Franciæ cum Cereo paschali publicè proponuntur. Quare satis mirari non possum hominum*

Cereus Paschalis.

B *nostri temporis, & eorum qui Chronologias scripserunt, vanitatem ac nouandi studium, qui omnem Septuaginta Editionis auctoritatem longissimè reijciunt, & nihil nisi quod in Hebræis codicibus hodie legatur, rectum putant; & hac præiudicata opinione freti, nihil in libris Græcorum edendis aut transferendis nõ deprauant, vt ipsimet confessi sunt qui alterius Nicephori historiã Ecclesiasticam & alios eiusmodi libros transtulerunt. Quibus omnibus explicata hac à nobis chronologia dabitur resipiscendi locus, & mecum fateri cogentur hanc esse certam & vulgatam totius Græcæ Ecclesiæ computationem, quæ ad vnguem ei congruit quæ in græcorum Horologio & Ciclo Paschali ibidem descripto notatur, & quam Cedrenus, Zonaras, Nicetas, sexta generalis Synodus sequuntur, & (vt vno verbo vtar) omnes Græci: qui cùm frequentiùs per annos mundi, tempora computent quàm per annos Christi; sine fructu ab his leguntur qui hanc Chronologiam ignorant.*

C *His præmissis superest vt totam hanc chronologiæ partem suprascriptam ad editionem græcam Septuaginta, quæ hodiè typis multifariam ditata extat, & veterem Latinam eorundem Septuaginta quæ non extat, sed passim ab Augustino, Hieronymo & veteribus, in eorum libris citatur, expendamus. Sciendum igitur in primis est, eam per omnia tam Græcæ quàm Latinæ veteri translationi conuenire, excepto illo articulo de Mathusala quem Nicephorus ait natum annos centum octoginta septem genuisse Lamech, nam D. Augustinus lib. xv. ciuitat. Dei cap. 10. & 11. & Hieronymus in quæstionibus in Genesim, Isidorus item, & Nouatianus Scotus, & Beda, annos duntaxat centum sexaginta septem ei tribui asseuerant in editione lxx. Interpretum, à qua cõputatione Complutensis Græca editio duobus minus annis deficit, annos scilicet ei dans centum sexaginta quinque. Sed Aldina Græca editio ex qua postea processit & Germanica, centum octo-*

Nouatianus Scotus.

D *ginta septem annos habet, ac proinde ad amussim Nicephorianæ computationi congruit. Nam Germanica editio Græcolatina mirum est quanta oscitantia & negligentia ne dicam inscitia & barbarie contaminata sit vt quæ in Græca colũna, consentiat Aldinæ, in Latina, Complutensi. Si quis autem in tanta diuersitate & Librariorum (vt ita dicam) ludibrio percontetur quid integrius putem. placet sola Aldina hoc loco editio. Nam probabile est Græcos patres intellecta Augustini & Hieronymi & aliorum hac de re censura (qui omnes hunc articulum mendosè apud lxx editum & ad Hebraicam lectionem emendandam arbitrati sunt) hoc loco pro centum sexaginta septem, emendare non dubitasse, centum octoginta septem: vt & Iosephi Græca editio & Epiphanij in Pœnarium præfatio (licet miserè innumeris passim corruptus sit) & præsens Nicephori editio testantur. Nihil igitur hic in isto articulo apud Nicephorum emendandum esse censeo:*

E *ita enim fiet vt vitetur illa absurditas qua alioquin videretur Mathusala post diluuium mortuus, vt latius tractat D. Hieronymus in Hebraicis quæstionibus in Genesim. Sed his ita constitutis, implacabilis exoritur pugna inter summam totius illius computationis & singulos numeros: ita enim non conuenict summa annorum, 2242. quam colligit Nicephorus, sed ex collectione sin-*

Mathusala an mortuus sit diluuio.

* *Contius dum nimio studio septuaginta interpretum translationis chronologiam tuetur, non videt se incaute Hebraicis fontis, & vulgata editionis chronologiam labefactare. quæ cum illa septuaginta interpretum perspicuè pugnat. & Patres corruptelam 70. interpretum exemplarium ingenue profitentur. Vide lib. de Antichristo P. Thomæ Maluenda Theologi Dominicani lib. 2. cap. 14. 15. 16.*

gulorũ numerorũ conficietur summa annorũ bis mille ducentorũ sexaginta duorum. Verum ita quoque summam Nicephorianam emendandam censeo, neque nouum est vt potior habeatur singulorum numerorum ratio, & ex eis summa emendetur non ex summa singuli numeri. Sic etiam legi in manuscripta hac Chronologia apud Anastasium bibliothecariũ notauit, & indicauit nobis doctissimus Pytheus, alias quoque numerorũ varietates suggessit, sed eas tantùm addere visum est, quæ probabili aliqua ratione nituntur, ne ancipitem Lectorem teneremus: atque indicij moram, ei ex tanta varietate iniiceremus.

DE DIVERSA COMPVTAtione secundum Hebræos.

Hebræi codices qui & Latinè à D. Hieronymo editi sunt & à plerisque postea recentibus, Sancto Pagnino & aliis ex integro translati, ab Adam vsque ad diluuium annos numerant. (B) 1656. quam solam esse veram computationem contendunt hodie quotquot ex literatis Hebræas literas vel summo digito attigerunt, quibus Hieronymus forte suffragetur, suscepti semel laboris & propositi quo post tot Græcas interpretes, ipse vltimus ex Hebræo in Latinum Canonicam scripturam transferre instituerit, tenax: sed ei non suffragatur Augustinus qui ideò editionem & translationem Græcam septuaginta non putat vitiosam quod certam habeat varietatis suæ constantiam. Qui à Iudaica & Hebraica litera stant, aiunt falsos fuisse septuaginta duos interpretes, quod quinto capite Geneseos, pro centum ductos semper legerint: & Hieronymum quoque huius sententiæ esse astruunt in Hebraicis quæstionibus in Genesim. Sed nec Latina Ecclesia nec Græca id vnquam sibi persuadere potuit, ideo septuaginta interpretes vtraque Ecclesia hucusque sequitur: Latina quidem meros putat, Græca verò, ea adhibita vnius loci emendatione quam commemorauimus.

August. de ciuitate Dei lib. 15. c. 10. 11.

CAPVT II.

A. diluuio. x POst diluuium anno secundo, Sem filius Noë natus annos centum, genuit Arphaxad.

137 Arphaxat natus annos cxxxv. genuit Cainam.
297 Cainam natus annos cxxx. genuit Sala.
397 Sala natus annos cxxx. genuit Heber.
531 Hebet natus annos cxxxiij. genuit Phalec.
661 Phalec natus annos cxxx. genuit Rhagau.

Diebus autem Phalec dispertita fuit terra, ideo & nomẽ Phalec Hebraica lingua partitionem significat (Et hic ante patrem suum moritur.) Et tempore huius, illa turris substructio cœpta: & ex vno antiquo sermone, variæ (D) voces deductæ & diuersarum linguarum sua cuique gẽti attributa fuit, vt sacræ literæ docent.

Hæc ex lib. 1. Paralipomen. ca. 1. inferuntur. hoc addebatur in Anastasiana editione.

Rhagan, natus annos cxxxij. genuit Seruch.
793 *In manuscrip. Anastasij. cxxxv. sed vitiosè vt puto.*
929 Seruch natus annos cxxx. genuit Nachor.
1002 Nachor natus annos lxxix, genuit Tharra.
1072 Tharra natus annos lxx. genuit Abraham.

Abrahę natiuitas. Vniuersi ab Adam vsque ad Abraham anni secundum lxx. sunt ter mille trecenti viginti quatuor. A diluuio autem vsque ad Abraham, anni mille octoginta duo.

ANTONII CONTII NOTÆ ad superius caput.

PEr omnia conuenit superior computatio Græcæ editioni vulgatæ & Latinæ septuaginta veterum translationi qua veteres vsi sunt. Sola summa annorum tam à diluuio ad Abraham quàm ab Adam ad Abraham specialibus numeris non cõgruit, sed pars quo antea iure summas ita emendare non verebor: vt ab Adam vsque ad Abraham legantur anni ter mille trecenti triginta quatuor: à diluuio verò vsque ad Abraham anni mille septuaginta duo. In hac sanè computatione tanquam omnium certissima adquiescit hodie tota Orientalis Græcorum Ecclesia, videtúrque ea computatio menti D. Augustini congruere, vt intelligetur ex libro eius de Ciuitate Dei cap. x. & ca. xvi. Nam cùm huic computationi septuaginta interpretum suffragetur diuini Lucæ Euangelistæ genealogia à Christo ad Adamum replicata: nefas duxit tam Græca quàm Latina Ecclesia, Hebraicam sequi numerationem ac non potius eam amplecti quæ ex Euangelio auctoritatem accipit. Sunt nunc noui pseudochristiani & Hebraisent molestissimi qui Iudaica obstinatione & nuda literarum atque apicum auctoritate freti, aduersus diuinam septuaginta interpretum translationem, & cum translatione cunctam Prophetiam & Hebraicorum mendorum emendationem quotidie blasphemant. Nos in hac Nicephoriana Chronographia ad quiescemus, ac ne quis desperatione aut defatigatione diligentiæ in omnes omnino auctores inquirendi, id nos potius sumpsisse putet, quam post infinitam propè lectionem & opinionum varietatem certiorem veri fidem elegisse: Septem diuersas annorum ab Adam ad Abraham varietates in breuem canonem subduxi.

ANNI AB ADAM VSQVE AD ABRAHAM.

1. *Secundum vulgatam editionem S. Hieronymi ex Hebræo.* 1948
2. *Secundum Iudæos qui ad complendum quadragesimum nonum iubileum & quinquagesimum inchoandum, duos amplius annos addunt, vt ait Eusebius.* 1950
3. *Secũdum editionem Hebraicam, sola illi inserta ex Lucæ Euãgelio Cainã generatione cum suis 130. annis vt Marianus maluit.* 2178
4. *Secundum meram editionem septuaginta, nec eo quod diximus modo emendatam.* 3314
5. *Secundum editionem septuaginta ab Origene sub obelis asteriscisque editam vbi expungitur Cainam.* 3184
6. *Secũdum propriam opinionem sancti Augustini, viginti quidem amplius annos Matusala cùm genuit Lamech, addenti: sed Lamecho postea cum genuit Noam, sex annos detrahenti.* 3328
7. *Secundum Aidinam septuaginta interpretum editionem quam Nicephorus hic confirmat esse rectè emendatam, & omnis Græcorum Ecclesia.* 3334

CAP. III.

(C) ABraham agens annum lxxv. dignatus fuit oraculo diuino & facta ipsi promissione.

A qua vsque ad iter ex Ægypto cuius dux fuit Moyses, sunt anni cccccxxx. quemadmodum & Apostolus testatur inquiens.

Testamentum Dei, lex post annos quadringentos triginta lata, non facit irritum vt aboleat promissionem. Et ipse in Exodo concordat Moyses cum ait, habitatio autem filiorum Israël, qua habitauerunt in Ægypto & in terra Chanaam ipsi & patres eorum anni quadringenti trigenta. Hi autem per partes ita colliguntur.

Galat. 3. Exod cap. 12. si vertit Hieronym. in Chronic. Eusebiana al. Caath. enim natus anno 60. sed mendosè.

Abraham natus annos centum, genuit Isaac.
Isaac natus annos lx. genuit Iacob.
Iacob natus annos lxxxvij. genuit Leui.
(D) Leui natus annos xlv. genuit Caath.
Caath natus annos lxiij genuit Amram.
Amram natus annos lxx genuit Moysen.
Moyses natus annos lxxx. eduxit populũ ex Ægypto.

Colliguntur vniuersi à primo anno Abraham ad iter ex Ægypto anni quingenti quinque.

A diluuio verò anni mille quingẽti octoginta septem.

Ab Adam verò secundum septuaginta, ter mille octingenti viginti nonem. Secundum alios, ter mille sexcenti nonaginta octo.

NOTÆ.

EX singulis numeris cuique personæ adscriptis (qui & in editione tam Hebraica quàm septuaginta hoc loco non discrepãt, (E) rectè colligitur summa quingentorum quinque annorum: sed singulæ annorum particulares summæ singulis attributæ, ex disertis scripturæ verbis non ita confirmentur, vt hæ quas subiiciam, quibúsque sum vsus in Chronicis Canonibus Codice Iustinianeo à me adiectis. Abraham natus annos 100. genuit Isaac, vt disertè dicitur Genes. cap. 21. Isaac natus annos 60. genuit Iacob, vt etiam disertè dicitur Genes. cap. 25. Iacob natus annos 91. genuit Ioseph: quod tametsi disertis verbis in Genesi non scribitur, tamen necessaria subductione ex iis quæ ibi disertè astruuntur colligitur hoc modo. Ioseph cùm Pharaonis somnium aperit est annorum triginta, vt ibi dicitur cap. 41. Idem Ioseph cùm per fratres patrem accersit, est annorum triginta nouem, erat quippe tum annus secundus fertilitatis, & consequenter nonus ab exposito somnio. Genes. 45. porrò eodem illo anno secundo fertilitatis, Iacob delatus in Ægyptum Pharaoni respondet se

Ætas Iosep.

annum agere centesimum tricesimum. Genes. cap. 47. Subducamus igitur illos 39. annis Ioseph de ætate Iacob, restabunt vnus & nonaginta anni quos agebat Iacob cùm genuit Ioseph. Ioseph vixit annos centum decem, Genes. cap. vltimo. Post mortem Ioseph Israelitæ dura seruitute oppreßi sunt ab Ægyptiis per annos centum quadraginta quatuor, quod non directa sed subductitia ratione ex sacra scriptura probatur. Exodi cap. 12. dicitur Israel habitasse in Ægypto, & in terra Canaam (quod rectè addunt supplendo septuaginta interpretes) annos ccccxxx. Subduc ergo ex hac summa annos 361. quos à natiuitate Abrahæ vsque ad mortem Ioseph computauimus, restabunt anni 144. quibus Israelitas Ægyptiis seruiuisse consequens est.

His præcognitis summas collectiones iam ex superioribus mendis deprauatas ita emendabimus. Ab Adam vsque ad exitum de Ægypto anni 3859. A diluuio vsque ad exitũ de Ægypto. 1577.

Illa autem verba Nicephori postrema. Secundum alios ter mille sexcenti nonaginta octo, sic apud Anastasium legi indicatum est, anni 3829. vt scilicet eorum computationem intelligat qui nihil ad annos supra ascriptos Matusalæ addunt, qui tamen etiam decem annis à Nicephoro deficient, si etiam ita emendetur. Sed eorum computationem non magni facit Nicephorus.

Nunc inuitus (vt ingenuè fatear) facio vt recentiorum quorundam theologorum nouam & à veteribus haud scio an tentatam, dissentionem, attingam, inter quos est Augustinus Steuchius & huius temporis doctißimus & religiosißimus quidam theologus, cuius in mentem id venire potuisse vehementer miror. Aiunt igitur omnes, qui hodie tẽporum rationem so è Bibliis subducere aiũt asserere Israelitas mansisse in Aegypto annos duntaxat 210. quos nostram Chronologiam Lutetiæ cum Codice Iustiniani excusam non legisse probabile est (cõtempsisse enim non puto, ne quid addam amplius. Nam eos mansisse in Aegypto annos 140. ibidem vti & hoc loco scripsimus. Scribunt autem atque adfirmant Israelitas in Aegypto mansisse annis 430. persuasi auctoritate Genes. 17. vbi prædicitur Abrahæ semen 400. annis seruiturum, non vt illi cicant, in Ægypto, sed in terra non sua & eos qui minus tempus adscribunt, sequi commentum Rabinorum. Equidem sanctè affirmare ausim nihil me vel tantillum Rabinis credere (qui vtinam idem de se affirment,) sed & iis argumẽtis duci quæ Eusebius, Nicephorus, Paulus ad Galatas cap. 3. Moses Exod. 12. ex fide septuaginta interpretum protulerũt, assentientibus illis patribus Græcis & Latinis omnibus. Sanè illorum opinio (verè dico opinionem, non sententiam) consistere non potest, quia tres tantùm generationes in Aegypto fuerunt, nẽpe Caath qui vixit an. 133. Exod. 6. Amram qui vixit ibidem annis 137. Gen. 6 & Moses qui 80. fuit annorum cùm eduxit populum: vnde constat annos 430. confici non posse, nec in re tam euidenti maiorem probationem requiri, legant Bedam nobiscum sentientem libro de natura rerum.

CAP. 4.

Num. cap. 14. Psal. 98. POst hæc præfuit populo Moyses in deserto annis quadraginta.

Iesus naue annis viginti septem.

al. xxvij. apud Anastasium sed mendosè.

Seniores annis xxxiij.

Alienigenæ, seu (vt habet Anastasius) Philistiim; annis viij.

Gothoniel ex tribu Ioda primus iudex, annis xl.

Iudicum. 4. Alienigenæ (seu Philistiim) annis xviij.

Post quos, Aod ex tribu Ephrain, annis lxxx.

Alienigenæ, annis xx.

Debora & Barac, annis xl.

Madiani annis vij.

Gedeon annis xl.

Abimelech annis tribus.

Thola annis xxiij.

Iaer vel Iair annis xxij.

Iudic. 10. Ammonitæ annis xviij.

Iephthe annis sex.

Esebon annis vij.

hunc vocat Isidorus Abessam: Clemens verò 1. stromat. Abatthan.

Ailon (al. Eglon annis decem.

A *Eusebius testatur hunc non haberi apud lxx interpretes: at qui hodie habetur in editione Aldina complutensi &c. Sed dicimus vulgatam hodie editionem Græcam non esse illam meram editionem septuaginta interpretum, sed interpolatam ex aliis iuxta Theodetionis & Origenis editionem qui hunc sub obelo addidit.*

Labdon (al. Abdon) annis octo.

Alienigenæ annis xl.

seu Philistiim. vt in Anastasij libro. Iudic. 12.

Samson annis xx.

Heli Sacerdos annis xl. Iudic. 13. & 15.

Samuel & Saul annis xl. 1 Reg. c. 4.

Dauid regnauit annis xl.

Vniuersi ab exitu Israël ex Ægypto ad Dauid vsque, & vnà cum huius regni tempore, sunt anni sexcenti triginta.

B

Ant. Contij Notæ.

SVperior computatio tota confirmatur disertis, libris Iudicum, verbis; siue Hebræos Codices, & ex his conuersos sequare, siue Græcos, & ex his etiam conuersos; exceptis duntaxat 27. illis annis, quos Iosuæ, & 33. qui senioribus tribuuntur hoc loco à Nicephoro. Seniorum quidem gubernationi aliquod tempus longum tribuendum esse innuit scriptura, dum ait, post mortem Iesu, seniores vixisse longo tempore, qui viderant omnia opera Domini magna quæ fecerat cum Israël, donec suscitauit Dominus Iudices qui liberarent eos. Iudic. 2. cap. Et quod 1. cap. eiusdem libri Iudicum dicitur, Tribum Iuda bellum administrasse ex oraculo Dei, videntur intelligendi illi seniores Tribus Iudæ; vt Caleb, &c. Cæterùm C *collectionis sũma 630. annorũ, rectè ex singulis summis collecta est.*

Et hactenus quidem, aut nihil aut nõ multum discrepat à Græcorum Chronographia, Latinæ Ecclesiæ traditio & computatio; Sed in hac annorum computatione ab exitu de Ægypto vsque ad Salomonis regni annum primum vehementer dissentit: Sequitur enim Eusebij cõputationem, quam Augustinus, Orosius, Isidorus, Beda, & omnes Latini patres amplexi sunt, & plerique etiã Græci, quæ computatio Eusebiana, nostra hac Nicephoriana, quam explicandam suscepimus, multò est breuior. In causa hæc sunt: primùm, nullum tempus separatim tribuit Eusebius seniorum gubernationi; Deinde, Ailon cum suis decem annis in totum expunxit quòd is in septuaginta Interpretum editione deesset; Editione, inquam, illa mera quæ in Cæsariensi bibliotheca extabat: nam is postea additus est in vulgata editione, quæ, vt pluribus locis docet D *Hieronymus, non est mera interpretum septuaginta: postremò annos omnes quibus Israelitæ seruiuisse scribuntur Alienigenis, in præfato Iudicum libro confundit cum sequentium Iudicum annis, nec separatim recenset, potiorem habens hac de re Iudæorum traditionem, quæ (vt testatur ipse) asserit illos annos contineri in sequẽtium Iudicum annis, nec debere separatim computari.*

Sed credibile est Græcos Patres procedente posteà tempore (quod omnia vel reuelat, vel in melius commutandi occasionem affert) maluisse numerare illos annos per se ac separatim, quia periculosum sit contra diserta Scripturæ verba repugnantem illis Iudaicam traditionem potius admittere, ac præterea Ailon expungere qui habeatur in Hebræis codicibus, & nullum tempus seniorum gubernationi tribuere: vnde tamen illos 33. annos illis tribuendos præcisè collegerint ingenuè fateor, nõdum mihi liquere. Eusebiũ mouit idẽ quo Iudæos vt suã traditionem obtruderẽt quia 3. libro regnorum. E *c. 6. in principio scriptum est his verbis. Et factũ est in octogesimo & quadringentesimo anno egreßionis filiorum Israel de terra Ægypti anno quarto in secundo mense regnante rege Salomone super Israel & ædificauit domum Domino, sic enim & in Hebræo & in Græco habetur editionis Complutensis, & ita in vtrisque codicibus legit Eusebius, perperã igitur in aldina & Germanica editione habẽtur anni dũtaxat ccccl. mouit, inquam, Iudæos & Eusebium hæc libri regũ auctoritas, quæ si vera est, illa libri iudicũ auctoritas corruet, nisi ita annos in eo sigillatim numeratos breuemus, & annos seruitutis cum annis Iudicum confundamus. Non est meum tantam componere cõtrouersiam, si quid tamen mihi iuris esset quod mihi non arrogo sed totum me iudicio Ecclesiæ permitto dicerem illum fortè locum libri Regum non de priore exitu de Ægypto, sed de postremo accipi posse, nam nec Psalmus 113.*

In exitu

In exitu Israel de Ægypto, de priore exitu accipitur, cùm ibi dicitur Iordanem conuersum fuisse retrorsum, sed pro Nicephoro & his qui maiorem libri Iudicum numerum sequuntur, multa etiam dici in contrarium possunt, quod ex summa quadam annorum collectione non sunt speciales numeri corrigendi aut confundendi, quia plus valent multa specialia & distinctè scripta quàm vna & sola summa vniuersim collecta, in qua facilius labi potuerunt librarij. denique non oportet vim facere verbis, fieri autem vis videtur per illam Iudaicam traditionem, præterea vt illa auctoritate libri tertij Regum pugnant, ita nos sancti Apostoli traditione tuebimur scribentis actorum 13. à morte Moysis vsque ad Samuelem annos esse quadringētos quinquaginta, quæ verba nefarij quidam emendare conati sunt, quos indignos qui nominentur existimo. Cæterum ne quis putet, ita Eusebium minorem illum numerum mordicus sequi voluisse, vt hunc maiorem omnino reijceret, verba eiusdem adscribam, quibus videtur cuique liberam electionem alterutrius permittere: sic igitur in præfatione Chronicorum canonum, ait interprete Hieronymo à Moyse vsque ad Salomonem & primam templi ædificationem anni sunt quadringenti septuaginta nouem secundum minorem numerum, tamen quem tertius Regnorum liber continet. Nam iuxta volumen Iudicum supputantur anni sexcenti, hæc Eusebius. hunc ergo maiorem numerum libri Iudicum, sequitur hoc loco Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, vt & Clemens Stromateus in stromatibus, ac denique tota Græca Ecclesia & synodus sexta in Trullo cum Canone tertio Decretorum suorū numerat annū tunc decurrentē sexies millesimū centesimum nonagesimū nonū, qui numerus constare non poterit, nisi & maiorē numerum editionis septuaginta, & longiorem quoq; supputationē libri Iudicum sequamur. Sed & horologium Græcorū Venetiis impressum anno 1535. eandē prorsus rationem & supputationē sequitur cyclo Paschali ibidē adnexo: qui igitur Græcorum Ecclesiasticas res, consilia, leges, basilica, historias, cum fructu & ratione temporum legere volunt, hanc Chronologiam quasi ducem sequantur necesse est. Ne quid tamen à nobis desiderari possit, Eusebianam quoque illam minorem supputationem subiecimus; quam scilicet D. Augustinus, Orosius, Isidorus, Beda, Fasciculus temporum, computus Ecclesiasticus; tota denique Latinorum Ecclesia in qua sumus, alteri videtur prætulisse.

Secundum Eusebium.

Moses præfuit in deserto annis	40.
Josue naue annis	7.
Othoniel annis (·.·) (·.·)	40
Aod annis	588
Debbora annis	80.
Gedeon annis (·.·)	40.
Abimelech annis	40.
Thola annis	3.
Iair annis	23.
Iephthe annis	67.
Elon omittitur ab Eusebio vt antè monui.	
Eusebon annis	1.
Labdon annis	8.
Samson annis	20.
Helo annis	40
Samuel & Saul annis	40.
Dauid annis	40.
Salomon ante templi ædificationem annis	4

Summa Anni 480. ab origine mundi 4300.

Porrò si hos sexcentos triginta annos quot colligit Nicephorus addiderimus annis 3839. quos ab Adam vsque ad exitum de Ægypto collegeramus, fient anni ab Adam vsque ad initium regni Salomonis 4469.

Vt numerantur in Chrono. Parisiis impressa 1567. in duos libros distincta.

Inde ei quos Eusebius & ex recentioribus nostri temporis plerique, imò & vniuersi, præsertim Latini totā computationē libri Iudicū mirè deprauāt suis traditionibus & violentis atque absurdis interpretationibus, quæ enim absurditas est à morte Iosue vsque ad mortē primi Iudicis Othonielis annos duntaxat 40. numerare, cùm dicat Scriptura, 1. & 2. Iudicū seruisse se Israelē Domino cunctis diebus Iosue & Seniorū qui longo vixerūt tēpore post Iosue, & nouerāt omnia opera Domini, donec surrexit noua generatio quæ nō nouerat opera Domini quæ fecerat, & quæ generatio fecit malū

& seruit Baalim, traditaque est in manus diripientium donec suscitatus est Othoniel qui eos liberaret? Ne plura, nō absque summa ratione credendum est Græcos Patres, & ex his Clementem Stromateum, & hunc Nicephorum secutos esse eam numerationem quæ ex verbis minimè violatis elici potest, quam nec Eusebius in præfatione Chronicorum damnare ausus est, sed in æquilibrio cum alia breuiore sustinuit.

CAP. 5.

SAlomon regnauit annis xl.
Roboam annis xvij.
Abia annis iij.
Asa annis xlj.
al. xl. apud Anastasium sed perperam.
Iosaphat annis xxv. His temporibus floruerunt Prophetæ Micheas, Elias, Helisæus.
Rex Ioram annis viij.
Ochozias anno vno; Gotholia mater Ochoziæ, annis vij.
Ioas annis xl.
Amasias annis xxix.
Azarias qui & Ozias annis lij. His temporibus floruerunt Prophetæ; Osee, Amos, Esaias, Ionas, Ioel. *sic ex Anastasio restituimus.*
Rex Ioathan annis xvj.
Achas annis xvj.
Ezechias annis xxix.
Manasses annis lv. Sub hoc anno xij. conditor Byzantium, quæ post Constantinopolis dicta est.
Amos annis xij.
Sic 70. sed in Hebra. Codicibus dicitur duobus tantum annis regnasse: Apud Anastasium etiam scribitur Amon, *rectiùs quàm* Amos.

Iosias annis xxxj. & inter regnum ἀναρχία annis xxx. secundum lxx. secundum Hebræos l. His temporibus floruerunt Prophetæ Hieremias, Sophonias & Baruch.

Anastasius habet cessatio principatus.

Rex Iachaz vel Ioachaz menses tres.

Et paucos dies Theodoretus.

Vt est apud Anastasium rectè hunc Selim vocat Hieremias.

Eliacim annos xij. Regnauit hic annos xj. & paucos menses, & eius regni anno tertio facta est & secunda captiuitas.

Rectiùs apud Anastasium legitur xj. vt 4. reg. Cap. 23. in fine. Pharao Nechao hunc ex Eliacim vocauit Ioachim nomine mutato Theodoret.

Iechonias menses tres.

Qui & Ioachim dictus est sub quo 2. captiuitas accidit.

Sedechias annis xj. Hunc oculis effossis Nabuchodonosor captiuum abduxit, & templum inflammatur post menses quinque à Nabuzarda, cùm stetisset, ex quo conditum fuerat, annis quadringentis viginti quatuor. *hæc tertia fuit captiuitas.*

Apud Anastasium annis quadringentis triginta quatuor.

Vniuersi ab initio regni Salomonis vsque ad captiuitatem sunt anni quadringenti quadraginta quinque.

Ant. Contij nota, in superius quintum caput Nicephori.

DE superiore supputatione regnorum cuiusque regis inter omnes editiones, Græcas, & Hebraicas & hunc nostrum Chronographum optimè conuenit si paucula tantùm notas quas margini addidi obseruemus; Azariam & Oziam eundem esse ex collatione libri Regnorum cum libro Paralipomenon. Ioacim seu Eliacim regnasse annos xj. vt dicitur 4 Regum cap. 23. in fi. Amon regnasse annis xij. ex auctoritate & mera editione Septuaginta Interpretum vt refert Eusebius, cui in ea re fides habenda est: vt qui meram editionē eiusmodi habuerit, vt iam anteà monuimus. Hebræa autē editio & vulgata Græca quæ hodie Compluti & apud Aldum & alios excusa extat, duos tantū annos ei tribuūt. Quod de Anarchia dicit Nicephorus, id tempus indicat quo contra legem & per vim à rege Ægypti mutata est, & turbata series re-

gnandi primámque captiuitatem significat, quæ facta est tempore Ioachas seu Ioacim filij Iosiæ, cuius meminit Theodoretus in Danielem cap. 9. vbi tres captiuitates fuisse docet, quod tempus cum sequenti confundi debet, non autem separatim censeri: alioqui nec summa collectionis vniuersa conueniret, nec vllus historicus aut Chronographus. Si igitur hos 445 annos addamus annis ab origine vsq; ad Salomonem 4469 fiunt anni 4914. ab Adam vsque ad captiuitatem Iudæorum Babylonicam. A

CAP. 6.

POst captiuitatem autem Iudæorum abductorum Babylona, & solitudinem loci anni sequuntur septuaginta. Hi complentur anno secundo Darij regis Persarum, qui populum illum captiuitate liberauit, & instaurauit templum Hierosolymitanum. B

NOTÆ.

HOc breuissimum caput nullam habet difficultatem aut computationis varietatem, probatúrque disertis Zachariæ Prophetæ verbis. Hic septuagesimus annus est (inquit) &c. Si ergo supra collectæ summæ addas 70. annos, fient anni ab Adam vsque ad reductam captiuitatem. 4984

Cæterum si quis partes huius temporis diligentiùs digestas per annos Chaldæorum seu Babyloniorum principum & postea Medorum & Persarum subtiliùs intelligere cupit, euoluat diligenter ea quæ doctissimè in Danielem scripsit Theodoretus, vbi Iosephum refutat & tres captiuitates fuisse docet: primam, anno 1. Nabuchodonosoris, in qua abductus est Daniel, 3. anno Eliachim regis Iudæ: eamque finem sumpsisse sub Cyro Persa, secundam anno nono, Nabuchodonosoris quæ finita est sub Dario Histaspis, Tertiam anno decimo nono Nabuchodonosoris, quæ desiit sub Artaxerxe filio Xerxis: omnes autem durasse annis lxx. Sed receptior opinio est quam & hic auctor sequitur, vltimam transmigrationem & desolationem finem accepisse sub Dario Histaspis filio. C

CAP. 7.

PRimus rex Persarum fuit Cyrus annis xxx.

Cambises annis viij.

Darius filius Hystaspis annis xxxvj.

Hystaris legit Anastasius bibliothecarius, & legit annos xxxvij

Huius anno secundo, (vt modò dictum est) renouatum fuit templum Hierosolymitanum, Restant igitur anni Darij xxxiiij. D

Xerxes Darij filius regnauit annis xxviij.

Anastasius legit xxiiij Euseb. verò & Isidorus xxj.

Artabanes mensibus vij.

Artaxerxes longimanus annis xlj. huius tempore aiunt accidisse ea quæ de Esther & Mardochæo leguntur.

Xerxes alter mensibus duobus.

Sogdianus mensibus vij.

Darius annis xix.

Nothus, addit Anastasius.

Artaxerxes Memnon Darij & Parisatidis filius annis xl.

Artaxerxes qui & Ochus annis xxij.

Alias xxvi. apud Euseb. Isidorum & Anastasij huius libelli interpretem. E

Arses Ochi annis iiij.

Darius Arsamis annis vj. Hoc sublato & deleto Imperio Persarum, *Alexander Macedo* regnauit annis vj. potitus rerum ante Darij interitum annis xij. Mortuus fuit Babylone annos natus xxxv. vel vt alij tradiderunt xxxvj. Rex igitur fuit annis xvij.

Octodecim legit Anastasius.

Subegit Barbaricas nationes numero xxij. & Græciæ ciuitates xij. *tribus Anastasius.*

Mortuus (vt diximus) in Perside, florente Imperio.

Vniuersi ab Adam vsque ad mortem Alexandri, anni quinquies mille centum septuaginta septem.

NOTÆ.

A Captiuitate reducta incipit sacra Scriptura numerare tempora per annos externorum principum, quos etiam hoc capite complexus est Nicephorus. Cæterùm quàm inter se dissentiant Græci auctores de singulorum horum monarcharum annis, nulli non est incertum. Sed Nicephorum probatiores sequutum fuisse credendum est, neq; enim ferè ab Eusebio & Isidoro dissentit, & libris Esdræ & Nehemiæ. Summa autem annorum à reducta captiuitate (quam prætermisit Nicephorus) est annorum ccc. Ab origine verò Mundi; id est ab ipso Adamo vsq; ad mortem Alexandri magni, annorum quinque millium centum octoginta quinque.

CAP. 8.

POst mortem Alexandri magni primus rex Alexandriæ in Ægypto fuit Ptolemæus Lagi filius annis xl.

Ptolemæus Philadelphus annis xxxxviij. Hoc regnante sacri libri Hebræorum in linguam Græcam traducti fuerunt, & repositi in bibliotheca Alexandrina pontificatus Eleazaris.

Ptolemæus Euergeta annis xxv.

Ptolemæus Philopator annis xvii.

Ptolemæus Epiphanes annis xxvi.

Illustris vertit Anastasius.

Huius temporibus ea gesta sunt quæ de Machabæis leguntur.

Ptolemæus Philometor annis xxxv.

Ptolemæus minor annis xxix.

Iunior vertit Anastasius.

Ptolemæus Physcon annis xvi. mens. vi.

Hunc & Soterem vocat Euseb.

Ptolemæus Alexander annis x.

Ptolemæus frater huius annis viii.

Ptolemæus cognomento Dionysius, annis xxx.

Ptolem. qui & Dionysius Anastasius legit.

Cleopatra Ptolemæi filia annis xxii.

Huius anno tertio primus occupauit regnum Romæ C. Iulius Cæsar, à quo omnes deinceps Imperatores Romani Cæsares appellati fuerunt.

Hic regnauit annis iiii. mensibus vii.

Post Iulium regnauit Romæ Cæsar Augustus Octauianus annis lvi. mens. vi.

Ab hoc deinceps Antiocheni annos suos numerant.

Hic anno Imperij sui decimo quinto sublata Cleopatra euertit regnum Ptolemæorum, qui illud in Ægypto tenuerant annis ccxcvii.

Summa à morte Alexandri vsque ad Christum natum anno 42. Augusti. 223.

NOTÆ.

SVperiores computationes quot annis quisque successorum Alexandri in Ægypto regnauerit Eusebio, Isidoro, & cæteris Chronographis mirè consentiunt. Sed collectio totius summæ non conuenit; quot autem anni intersint inter mortem Alexandri & Christi natiuitatem, sequenti capite adnotabimus esse 323 quorq; ab Adam ad Christum Dominum Deum nostrum.

CAP. 9.

COlliguntur itaque vniuersi ab Adam vsque ad initium Imperij Augusti secundum exquisitos temporum descriptores, anni quinquies mille quadringenti quinquaginta septem. *Legendum octo.* Quippe Augustus (vt est dictum) Imperium tenuit annis lvi. mens. vi. Anno autem xlii. ipsius natus fuit secundum carnem ex sancta & Deipara virgine Maria Dominus noster Iesus Christus, Deus Æternus, in oppido Iudeæ Bethleem ante diem viii. Kalend. Ianuarij, qui est Choeac vicesimus nonus, idémque Decembris vicesimus quintus.

Is est quartus mensis Ægyptiorum, incipiens à quinto Kalend. Decembris, vt docet Beda de natura rerum. Cap. II.

Cyrinus legit Anastas.

Cyrenius tum à senatu missus sensum egit patrimoniorum & incolarum. Fiunt igitur vniuersi ab Adam ad Domini nostri Iesu Christi in carne administrationem, id est ἐνσάρκου οἰκονομίας exquisitissima ratione, anni quinquies mille quingenti.

Ad superius 9. Cap. Notæ.

IN summis totius collectionis & superiori capite mendum est. Sunt igitur à morte Alexandri vsque ad natum Christum id est quadragesimum secundum Augusti annum Anni ccc.xxiij. Ab Adam verò vsque ad Christum anni 5508. si omnes speciales & vniuersas summas priùs expositas & à nobis restitutas in vnam collegerimus. Alter Nicephorus lib.1. Ecclesiasticæ historiæ c.10. & c.vlt. ait anno mundi 5505 natum fuisse Christum. Cedrenus verò anno mundi 5506. alter tribus, alter verò duobus tantùm annis ab hac nostra deficiente. B *Sed hæc quam collegimus exactissima est & vsu à Græca Ecclesia recepta, vt ostendit canon tertius Synodi in Trullo sextæ vniuersalis, & horologium Græcorum Venetiis impressum anno Christi 1535. quem annum in magno Ciclo Paschali ibi subiecto facit annum mundi 7044. à quibus si 1536 ademeris, annos scilicet Christi, restabunt anni 5508. anni scilicet mundi vsque ad Christum natum.*

Sed & nunc vertentem annum Christi 1571. facit annos mundi 7079. & eius tempora & festa mobilia præcipua sic tradit. Græca enim addere visum est addita interpretatione Latina, quia paucis Latinorum & nostratium ea res videtur cognita.

ἔτος ζοθ. Ἰνδικτιῶνος ιδʹ. ἡλίου κύκλος κ. σελήνης κύκλος ια. Παραμονὴ τῆς Χριστοῦ γεννήσεως, ἡμέρα κυριακῇ κρεοφάγια, ἡμέραι ϛ. τὸ τριῴδιον ἄρχεται φεβρουαρίου. δʹ. ἡ νομικὴ φεβρουαρίου ... φάσκα ἀπριλλίου, ιϐ. χριστιανῶν πάσχα. ἀπριλλίου ... κυριακῇ τῶν ἁγίων πάντων ἰουνίου, ι. ἡ νηστεία τῶν ἁγίων ἀποστόλων ἡμέραι, ζ. C

Id est.

Anno (mundi) vij. lxxix, id est septies millesimo septuagesimo nono, Indictio xiiij. solis cycli xxiij. nostri Latini computant duntaxat xij. Phengarij id est Lunæ cycli. xi.

Annus Incarnationis Christi 1571.

Vigilia (siue expectatio) Christi natalium die Dominica. Creophagia seu tempus edendarum carnium dies lvi. Apocrea seu dies abstinentiæ à carnibus xviij. Februarij. Triodion incipit Februario, die quarta. Legale Pascha, April. xij. die Christianorum Pascha April. xv. die Dominica sanctorum omnium, Iunio x. die Ieiunium sanctorum Apostolorum dies xvij.

Breuis superiorum explicatio.

φεγγάριον vulgari sermone Græco hodie dicitur, quæ olim. σελήνη.

Quod attinet ad indictionem, eadem est cum Latina traditione. Sed solis cycli & phangarij id est Lunæ seu aurei numeri & decem nouennalis numerus cum Latino computo Ecclesiastico non conueniunt, computat enim cycli solaris annum xij. Lunaris verò decimum quartum, si quis autem rationē inueniendi cycli vtriusque tam Lunaris quàm solaris ex Græcorum traditione scire cupit, videat quæ hac de re notat Balsamon ad 76. Can. Carthaginē sem. D *Vigilia Christi natalium die Dominica) Sciendum est igitur Græcos atque etiam Latinam Ecclesiam annum incipere à vigilia Natalis Domini, si modò Nicolao de Cusa seu Cusano credimus, qui ab Ecclesiæ computatione separat vulgarem Italicam quæ gentilium Romanorum morem à Kalendis Ianuariis annum inchoandi abijcere non potuit: cùm ergo illa prima sit totius huius anni Dominica, facillimum erit hoc initio posito cæteras totius anni ferias ar.inore. Non enim literis vt Latini suas Dominicas & ferias per totum annum distinctas habent.* E

Creophagia dies lvi.) Creophagia vocant illud interuallum quod est à Natali Domini vsque ad feriam secundam post Dominicam in sexagesima, quia vsque ad eam duntaxat diem carnibus vescuntur Græci Christiani.

Apocrea) sic vocant Dominicam in sexagesima, quia tunc incipiunt abstinere à carnibus. Nam incidit ea Dominica in xviij. Februarij.

Triodion) sic appellant primam sedem Dominicorum & festorum mobilium totius anni, quæ semper incipit à Dominica præcedente Dominicam septuagesimæ, quam vocant Dominicam Pharisæi & Telones seu publicani.

Legale Pascha) sic scribendum esse Hebraicum verbum ait Na- A *zianzenus in panegyrico de Pascha. Sed vulgò obtinuisse vt quasi à passione deduceretur, Pascho pronuntiatur. Sed ad differentiam Iudaici & Christiani Paschalis diuersè scribitur & pronunciatur hoc verbum.*

Biblio. tom. 7.

Dominica sanctorum omnium Iunio x. die) Ea est Dominica Trinitatis apud Latinos quæ festa omnia mobilia antiqua claudit, & ideo post festa Christi multiplicia celebrant Græci festum omnium sanctorum.

Ieiunium SS. Apostolorum (dies xvij.) puto illos dies feriales & pro festos intelligi qui sunt inter festum omnium sanctorum & festum sanctorum Apostolorum quod celebrant Græci, vt ex eorum Menologio claret, die 30. Id est vltima Iunij. Verùm de his hactenus, Nunc ad Nicephorum redeamus.

CAP. 10.

POst Augustum tertius Imperator fuit. Romanorum Tiberius anni xxiij. Huius Imperij anno xv. inchoauit salutiferam & Euangelicam doctrinam Dominus noster Iesus Christus.

Anno autem (eiusdem) xviij. passus fuit Hierosolymis pro nobis passionem salutarem ante octauum diem Kalendarum Aprilis phamenoth xxix. Id est Martij xxv.

Sic restitui ex Anastasio bibliothecario: is est 7. mensis Ægyptiorum qui incipit ex 5. Kal. Martias.

Sunt igitur ab Adam vsque ad salutarem passionem & resurrectionem Domini & Dei Saluatoris nostri Iesu Christi anni quinquies mille quingenti triginta tres.

NOTÆ.

Tiberio tribuit annos xxiij. vt Eusebius & Ausonius sin quo alius illo versu eruditissimo. Et ter septenis geminos Nero Claudius addit. Tertullianus aduersus Iudæos dat ei annos xxij. menses vij. Sed Tacitus in fine. 5. lib. & Sext. Aurelius victor non quidem impressus sed manuscriptus ei xxiij. annos tribuunt, quibus lubenter assentimur. Summa annorum mundi vsque ad resurrectionem ex superioribus colligenda est annorum 5540.

CAPVT 11.

IVlius igitur Cæsar (vt dictum est) præfuit regno occupato Romæ an. iiij Mens. vij. Huic successit Octauianus, cuius anni sunt lvj. menses vj Tertius Imperator regnauit Tiberius priuignus Octauij annis xxiij.) — Inclusa desunt apud Anastasium bibliothecarium rectè. quia iā supra posita fuere.

Post Tiberium Caius annis iij. Menses. x. *Interfectus fuit in palatio.*

Claudius an. xiij. Mens. j. sublatus veneno.

Nero annis xiij. Mens. viij. fugit, seque ipsum viuus interfecit. *Sic legendum & in Græco, κατέσφαξεν,* Hoc Neroe persecutionem primo commouente, Petros & Paulus Romæ martyres facti sunt. Et Iacobus frater Domini, quem vocabant omnes iustum, à Iudæis Hierosolymis lapidibus est obrutus.

Galba hic perperam omissus est, qui imperauit Menses vj.

Otho Menses tres seipsum occidit.

Vitellius Menses viij.

Vespasianus annis ix. mens. xj. diebus xxij. decessit in hortis Sallustianis. Huius Imperij anno secundo capta est vrbs Hierosolyma à filio ipsius Tito ann. post Christi assumptionem xxxv. *Ex ann. sigillatim positis colliguntur ann. xxxix. vt & Eusebius colligit.*

Titus ann. duobus, mensibus duobus, necatus in palatio.

Domitianus annis xv. menses v. Hoc persecutionem commouente Ioanni Apostolo Pathmus insula ad incolendum assignatur. Qui post mortem Domitiani inde reuersus Ephesum ibi mansit vsque ad Imperium Traiani.

Nerua annum vnum menses iiij.

Traianus annis xix. menses vj. Huius tempore Deifer Ignatius Romæ fit martyr obiectus bestiis. — Sic vertit Anastasius perperam alij Diuus.

In Bebeis Anastasius habet. Legendum videtur Annus veteras cum eo an xj. Eusebius sed victor xviij. haretici vertit Anast. alii prauis mini. scriptor legit Anast. Euseb. vj. alij v. victor vj. hoc legit. Anastasius. Intellige cum Philip. filio.

Adrianus annis xxj. Decessit ad Baias aqua intercutem effusa. Hic Hierosolymis deletis, vt ibi instauratæ Æliæ nomen indidit.

Titus Antonius cognomento Pius cum filiis Aurel. Vero & Lucio annis xxij.mens.iij.

Marcus Aurelius filius huius annis xix.mensibus duobus. Huius tempore Iustinus Philosophus martyr factus. Antonius Verus annis xij.

Commodus annis xiij.

Ælius Pertinax menses vj.cæsus in Palatio.

Seuerus annis xviij. Huius Imperij tempore, Leonides Origenis καὶ φρονος pater martyr factus est. Et floruit Hyppolytus Rom. historicus & Gregorius θαυματουργὸς thaumaturgus, id est, mirabilium effector, & Clemens Alexandrinus.

Antoninus Seueri filius annis vij. cæsus inter Carras & Edessam.

Macrinus annum vnum Cæsus,(ab exercitu.)

Antonius Gabalus annis iiij.Cæsus Romæ.

Alexander Mameæ Filius annis xiij.Cæsus apud Moguntiacum.

Maximinus annis iij.Cæsus ad Aquileiam.

Gordianus an.vj.suspendio vitam finiit in Africa.

Philippus annis vij Cæsus in hortis Tiberianis.

Decius annum vnum menses tres periit in foro. Huius tempore fit martyr Antiochiæ Sanctus Babylas & alij per diuersas prouincias,& septem pueri Ephesi.

Gallus & Volusianus anno j.mensibus iiij.

Eusebius & cæteri & Aurelius victor tribuunt eis annos duos,& quidem præterea mens.iiij.

Sex Victor & Euseb. anno xv.

Valerianus & Galienus annis xij. Valerianus cæsus in Perside,Galienus Mediolani.

Claudius anno 1. Mens.ix.mortuus Sirmij.

Aurelianus an.v.M.vj.Cæsus in nouo Castello.

Carcere habet Anastasius ἐν καινῷ φρουρίῳ scripserat Nicephorus.

Tacitus Mens.vj.cæsus in Ponto. Quo tempore sanctus Charito confessionem exhibuit.

Probus annis vj.mens.iiij.cæsus Sirmij.

Carus vna cum filiis Carino & Numeriano an.ij.Carus quidem mortuus in Mesopotamia, Carinus autem mortuus in Thraciæ oppido Numeria. *Hic videtur deesse aliquid nempe Numerianus quomodo perierit.*

Diocletianus & Maximianus ann.xx.Huius tempore martyr fit S. Petrus Alexandriæ Episcopus, & alij multi per totam prouinciam. *videtur hic deesse Galerius, Constantius, Maxentius, qui inter Diocletianum & Constantinum regnauerunt.*

Constantinus Magnus annis xxxj.

Anno Imperij huius xx. coacta fuit Synodus sancta prima cccxviij. patrum Niceæ in Bithynia anno post Christum in carne natum cccxviij.post venerabilem autem passionem & gloriosam resurrectionem, cclxxxv. *legendum esse pro xx. decimo legit Anastasius, idem tradit & Harmen.in Chronologia.*

Fiunt igitur vniuersi ab Adam vsque ad mortem Constantini Magni anni quinquies mille octingenti triginta sex.

AD SVPERIOREM IMPERATORVM NOTITIAM BREVES NOTAE.

Qvanquam pleraque iam ad marginem notauimus, placet tamen & alia breuiter perstringere, non omnia accurato exequi infinitum esset, & vix hac in re quisquam, vt se dicis torqueat reperiat τὸ ἀκριβὲς; ita inter se in annis, mensibus, & diebus dissentiunt auctores Latini & Græci, prophani & Christiani. Qua in dissensione sedanda aut rectiore via eligenda, nihil potius reor quam vna cum Imperatorum annis, Consules quoque & eorum catalogum à Cassiodoro & aliis compositum coniungere, quod & nos in nostra Chronologia quàm diligentissimè potuimus sumus executi: ad quam, lectorem curiosum remittam libens. De Tiberij annis xxiij. conuenit inter omnes, & ita apud

A *Sex. Aurelium Victorem manuscriptum quo optimo vtor, scriptum est.non vt in impressis libris xxiiij. Itaque quoties auctores in testimonium adduco, sciant lectores me hos potissimum vti quos habeo cum optimis & multis manuscriptis collatos. Nam in libris impressis nihil fere sanum reperio in temporum & annorum notis,& hoc mendo mendosiores semper sunt Græci quàm Latini, propter Græcarum notarum similitudinem & subtilitatem. Vers. Auson Et ter septenis geminos Nero Claudius addit. Caio Imperatori tribuit Nicephorus annos iij. mens. x. Sed Aurelius Victor, Eusebius Harmenopulus in Chronologia Imperatorum manuscripta,iiij.annos ei dant integros.notus est versiculus Ausonio imputatus. Tertia sunt hyemis crassantia tempora Gai. Claudio hic dantur anni xiij. mensis vnus, sed ab Eusebio (manuscriptum semper intelligo, nam miserè & deprauatissimè est impressus) dantur anni xiij.menses vij.dies xxviij. ab Harmeno-*
B *pulo anni xiij.menses viij dies nouem. Neroni quoque hic dantur anni xiij.mens. viij. ab Eusebio verò anni xiij. mens. vij.dies xxviij. (non vt in impresso habetur, anni xiiij. mens. viij. dies xxviij.quo decipiuntur omnes.) Sed Aurel.Victor Claudio rotundè annos xiiij. tribuit. Neroni xiij. verùm Ausonij versiculus (quod genus probationis in hac re est efficacissimum quia extra mendi suspicionem est positum) vtrique rotundè tribuit an.xiiij. Claudius hebdomadem duplicem trahit & Nero ditto.*

Galba etiam hic per erratum potiùs librarij quàm Nicephori omissus est, qui imperauit menses vij. Otho tres. Vitellius octo, quos sic perstringit Ausonius: Galba senex Otho lasciue & formose Vitelli tertia vos latio regnantes nescit æstas. Interitus dignos vita properante probrosa. Idem & rotundè decem annos tribuit Vespasiano,vt & Sex Aurelius Victor implet fatalem de-
C *cadem sibi Vespasianus, ostensus terris Titus est breuitate bienni. quibus addo deficientem versum de Domitiano. Lustra tria hinc perimunt & iusta pericula fratrem. sed anni xv. addit, Nicephorus,(post Eusebium)mens.quinque. Sequentium anni conueniunt fere cum Eusebiana Chronologia manuscripta, quod de genere mortis cuiusque Imperatoris breuiter aspergit nec probare nec refutare cordi est. Nihil hoc ad Chronologiam quam tantum exequimur & quadam margini obiter aspersimus,inter Gordianum & Philippos. Quidam inter quos est Harmenopulus interserunt Pompeianum seu Pupienum & Balbinum cum tribus annis, vt & Æmilianum inter Gallum & Valerianum,& postea Sillanum & Quintilium & Florianum, sed eorum anni vel superioribus vel sequentibus tribuuntur. Quod ait hic auctor Decium in foro periisse, sic accipio in foro Flaminij cum Eusebio. Quod ait cæsum in nouo castello in Græco erat ἐν καινῷ φρουρίῳ, vertitq;*
D *Anastasius, in nouo carcere, quod magis placet. Quod ad Diocletianum attinet cui xx. anni tribuuntur ea communior est sententia Eusebij & aliorum, tametsi Victor xxv.annos ei tribuat. inter Diocletianum quoque & Constantium Eusebius interserit Galerium, eique duos alios annos separatim tribuit, quem quidam hic vel Nicephori vel librarij errore omissum querantur; sed nihil hic lacuna agnosco, quia Cassiodorus in descriptione consulum ait annos Constantij & Galerij attribuit Constantino Constantij filio & xx. tantùm annorum consules adscribit. Ait xx. anno Constantini congregatam fuisse primam vniuersalem Synodum Nicenam, sed in manuscripto Anastasij scriptum est id euenisse anno x.vt & in Chronologia Harmenopuli. Sed in Græca inscriptione seu Titulo eiusdem Synodi notatur celebrata fuisse Paulino & Iuliano Consulibus, qui videtur esse annus xv.Constantini. Ibidem*
E *computatur annus ab Alexandro 636.sunt autem ab Alexandro vsque ad 42. annum Augusti. quando natus est Christus anni 325. quos si à 636. subtraxeris, restabunt anni 313. qui sunt anni Christi quibus ea synodus celebrata est, at Nicephorus hoc loco cōputat anni 318. vt & sinopsis Græca consiliorum qui erat annus mundi 5826.sic enim legendum in Græco ͵ε,ω,κ,ς & consequenter anno a Christi resurrectione 285. vt hic rectè collectum est. Si legamus hic anno 10. Constantini factam synodum Nicænam & fuisse tum annum Christi 318. rectè conuenies summa collectio ab Adam ad mortem Constantini,vt sit annorum 5836.*

Quia autem quo Imperij Constantini anno Nicæna synodus coacta sit dissentiunt auctores causa requirenda est.Nam Nicephorus hoc loco 20 anno factam,vt est impressis in Germania aut 10. vt est in manuscripto exemplari Anastasij, Eusebius verò lib.4. de vita Constantini cap. 47. vicesimo anno factam ait, quando

vicennalia eius acta fuerunt: idem tamen in Chronicis à Hieronymo translatis decimotertio anno eiusdem celebratam notat Cassiodorus 18. atq; alij alio. Causam igitur hãc esse arbitror quod variè annos Imperij Constantini numerant plerique, quidam à depositione purpuræ per Diocletianum, nihil temporis ascribentes Constantio aut Galerio aut Maxentio, quidam post mortem Constãtij, quidã post omnes collegas Imperij deiectos. Itaq; ob tantam incertitudinem in ipso Synodi Titulo quoto an. Imperij eius acta sit non est inscriptũ, sed quibus consulibus & quo à morte Alexandri anno, qua computatione tum vtebatur vniuersa Græcia & Ægyptus.

CAP. 12.

MOritur autẽ Constantinus cũm regnasset (vt aiũt) annos xxxj. natus annos lxv. relictis filiis tribus Constante, Constantino, & Constantio, quorum Constans veteris Romæ, Constantinus nouæ, Constantius B Antiochiæ regnum tenuit. Confecit consulatus duos.

Decem legit Anastasius rectè. Nam ex fastis agnoscimus Constantium decem consulatus inisse.

addit Euf. mens. v. dies aiij. — Sed filij post Constantinum regnarunt annis xxiiij.

Iulianus an. duobus. Interfectus in Perside.

Iouianus menses viiij.

Valentinianus Magnus & Valens frater annis x. mensibus ix. Valentis Imperio factus martyr fuit S. Duroth. obiectus in venatione feris ab Arrianis.

Legit Anastasius Iunior rectè. — Gratianus & Valentinianus minor Valentiniani filij & cum his.

Theodosius Magnus annis xvj. consul. iij. Secundo anno Imperij huius coacta fuit secunda synodus Constantinopoli. cl. sanctorum patrum. C

Arcadius & Honorius filij ipsius anni xiij. mens. iij.

aij Anastas. — Theodosius minor annis xlij. mens. vj. sub hoc celebrata fuit Synodus tertia Ephesi patrum sanctorum ducentorum, & altera insidiatoria, cui præfuit Impius Dioscorus.

Anastasius vocat latrocinalem rectè, nam in Græco est λῃστρικὴ.

Videtur emendandũ v. Iunior legit Anastas. rectè. Diebus xiiij. Ana. addit Anastas. Sic & Sigebertus manuscriptus. — Martianus & Valentinianus ann. xxv. sub quo Chalcedone quarta sancta Synodus celebrata fuit sanctorum patrum. DCXXX.

Leo magnus annis xvj.

Leo paruus cum patre annum vnum moritur.

Zeno an. xvij. cum tyranno Basilico annis duobus.

Anastasius annis xxvij. mens. iij. D

Iustinus Thrax an. ix. mens. iij.

Iustinianus magnus annis xxxviij. dies vij. sub quo sancta Cõstantinopolitana Synodus (quinta) celebratur.

Iustinus Iustiniani fratris filius ann. xij Mens. 11. Dieb. xx. (Septimo anno huius Imperij completus fuit cyclus vnus sancti paschatos annorũ 532. Ex quo crucifixus fuerat Dominus noster Iesus Christus indictione vj. Anno à condito mundo, sexies millesimo sexagesimo quinto.

AD CAP. XII. NOTÆ.

QVæ de annis Constantini & filiorum eius scribit, ea cum Eusebio &c. conueniunt, vt & ea quæ de Iuliano & Iouiano. Sed in Valentiniano & sequentibus est dissensio. hic enim Valentiniano & Valenti anno 10. men. 9. dantur, apud Hieronymum verò qui suppleuit hac parte Eusebium anni 14.

Gratianus & Valentinianus & Theodos. ann. 15. Prosper Gratiano cum Valentiniano fratre dat annos 5. & Theodosio postea annos 11. qua computatio in idem recidit.

Arcad. & Honor. an. 13.) Prosper habet an. 32. sed postea vbi Nicephorus dat Theodosio minori annos 42. dat ipse Prosper duntaxat 27. ita quatuor annis Prosper superat Nicephorum Sane Sigebertus 13. annos tribuit vt & Nicephorus. & Honorio cum fratruele post eius mortẽ tribuit annos 14. & post eius mortem Theodosio soli annis tres, & postea eidem Theodosio cum Valentiniano an. 54. qui omnes anni collecti faciunt annos 54. quæ summa cum Nicephoro consentit.

Martianus & Valentinianus annis 25.) Sigebertus Martiano A *annos sex, & Valentiniano cum eo annos quinq; tribuit, & Leoni annos sexdecim post mortem Martiani: post mortem vero Valentiniani Maximo & Auito annos duos & eius successori Maioriano annos quatuor: deinde, eius successori Seuero annos similiter quatuor: eius itẽ successori Anthemio similiter an. quatuor deinde Olybrio mens. 7. Lucerio & Nepoti, & Oresti, Augustulo & Odoacri sibi inuicem succedentibus annos reliquos attribuit vsque ad completum 16. annum imperij Leonis. Itaque existimo hic subesse mendum apud Nicephorum & pro 25. legendum 5. vel 8. Nam Harmenopulus eis duntaxat annos 7. tribuit vt & Beda.*

Zeno ann. 17.) Sigebertus ex chronico Idacij Episcopi anno 19. tribuit, sed postea Anastasio tantum 25. cũ ei det Nicephorus 27. annos, itaq; res eodem recidit. Idem Sigebertus annos 10. rotundè tribuit Iustino seniori. Nicephorus verò & Harmenopulus annos 9. mens. 3.

B *Iustinianus an. 28. dies 7.) reuera autem imperauit an. 38. menses 8. Idcirco Harmenopulus & Beda & plerique alij ei rotundè tribuunt annos 39.*

Sub quo sancta Constant. Synodus celebratur) Id ad annum eius 24. quidam referunt, vt Sigebert. & alij.

Septimo anno huius Imperij completus fuit cyclus vnus sancti Paschatos annorum 531. ex quo crucifixus fuerat dominus Iesus Christus indict. 6. Maxima est hac in re Latinorum & Græcorum dissensio. Sigebertus ait anno quinto Imperij.

Iustiniani impletum fuisse hunc cyclum quem vocat Magnum annum à Christi natiuitate annorum quingẽtorum triginta triũ. Ab hoc etiam anno Dionysium Abbatem orsum esse cyclum suũ cyclorum quinque decemnouennalium. Et quia secundus (inquit) annus operis concordare debet in ratione compoti primo anno natiuitatis Christi, debet tricesimus quintus annus cycli Dionysij concordare in ratione compoti 33. anno natiuitatis Christi scilicet vt 14. luna. Aprilis occurrat 9. Kalend. April. in quinta feria, Passio Christi octauo Kal. Aprilis in sexta feria, resurrectio 6. Kalend. Aprilis in Dominica die. Sed quia non ita occurrit, sed Lu. 14. Aprilis occurrit anno 12. Kal. Aprilis in prima feria, Dominica verò dies Paschæ in v. Kal. Aprilis Ideò improbatur, quia repugnat Euangelicæ veritati Hæc Sigebertus. Beda quoq; de natura rerum ita scribit, sub Iustiniano, Dionysius Pascales scribit cyclos incipiens ab anno Dominicæ Incarnationis 532. qui est annus Diocletiani 248. Post consulatum Lampadij & Orestis, quo anno Codex Iustinianus orbi est promulgatus. Victor quoque Capuanus Episcopus librum de Pascha scribens victorij arguit errores. Hæc Beda. Sed omnia huiusmodi aduersus Dionysium obiecta consident, si vt hic legit Nicephorus illos annos 532. illosq; Dionysij circulos D *non à Christi Incarnatione, sed passione cõputemus. Et ex horologio Græcorum cui adscriptus est Paschalis cyclus constat Græcos absq; vllo errore dies Paschalis lunæ ad hoc vsq; tempus felicissimè numerasse. Sed diligentior huius rei tractatio non est huius instituti proprium, atque maioris temporis desiderat laborem.*

Quidam verò anno 5. alij sexto. Iustiniani id eum fecisse notãt: Verba Sigeberti.

CAPVT 13.

TIBERIVS annis v.

Mauricius annis xx. mens. iiii. cæsus.

Drest apud Anast.

Phocas annis viii. cæsus.

Tyrannum Græci vocant vt Zonar. &c.

Heraclius annis xxxi. vna cum filio. Imperij huius an- E no tertio. Persa Chosroës plurima loca occupauit Imperij Romani.

Romaniæ Anastas.

Hierosolyma diripuit & inflammauit venerabilia loca & magnam multitudinem captiuam abduxit cum Patriarcha Zacharia & pretiosis lignis in Persidem. Anno xii. ipsius Chosroës Persa occisus, & renocata captiuitas, & viuifica Crux sua in loca cùm instaurata essent reposita fuit. Tum deinde Sarraceni omnia vastare cœperunt anno mundi sexies millesimo centesimo xxvi. indictione vii. — τιμίου ξύλου. Anast. 6164.

Constantinus filius huius an. xxviii. Hic occisus fuit in Sicilia, cuius tempore magna pars Imperij à Sarracenis vastata fuit. — Al. xxix Anast. Hic vocatur Constantinus Pogonatus.

Constans Nepos Heraclij annis xvij. cuius tempore

Byzantium à Sarracenis deuastatum fuit. *Sic Anastasius. Germanica editio habet obsessum.* Et vi. Synodus xiii. ann. ipsius celebrata Constantinopoli. Hic fortiter se gessit aduersus Sarracenos represso impetu illorum & valde ipsis perterrefactis.

Iustinus filius huius annis x.

Hic vocatur Iustinianus minor filius Constantini & Rhinotmelus dictus.

Ichnomacus dictus.

Leontius annis iii. *hunc Sig Leonem vocat.*

Tiberius qui & Absimerus annis viii.

Iustinianus 2. annis xi. emendand. annis vi.

Philippicus qui & Bardanes annis ii.

Anastasius qui & Arthemius annis ii.

Theodosius anno vno, sic Diaconus, sed Zonaras dat ei biennium.

Leo Isaurus annis xxv. M. iii. D. xiiii.

Constantinus fil. eius annis xxxiiij. mens. ij. D. xxv.

Leo Chazares annis v.

Constantinus filius eius cum matre sua Irene an. x. M. ii. D. ii. Horum anno octauo celebrata fuit Nicææ secunda Synodus sanctorum patrum. cccl.

Constantinus (solus) ann. vi. mens. ix. Dieb. viii.

Irene mater ipsius annis v. M. ii. D. xii.

Nicephorus annis viii. M. ix. cæsus in Burgatia.

Mens. 8. Anastas.

Stauratius filius huius mens. ii.

Michael gener ipsius anno i. M. ix. D. xi.

Leo Armenes annis vii. mens. v. D. xv. cæsus in palatio in templo sanctiss. Deiparæ.

Michael alter annis viii. mens. ix. D. ix.

Alius Anastas.

Theophilus huius filius annis xii. mens. iii. D. x.

Vnde eius addit Anastasius.

Theodora vna cum filio Michaële annis xiiij. M. i. Dieb. xxv. *xx Anast.*

Hæc Amplius adduntur ab Anastasio.

Michaël solus annis xi. mens. i. Diebus ix. occisus est in palatio S. Mamantis.

GENEALOGIA VALENTINIANI MAGNI.

Valentinianus gignit Gratianum : & Valentinianum Imperatores , & Gallam vxorem Theodosij Magni, Theodosius maior genuit Arcadium & Honorium Imperatores, & Placidiam vxorem Constantij. De Arcadio nati sunt Theodosius minor & Pulcheria quæ fuit vxor Martiani Imperatoris. De prædicto Constantio & Placidia natus est Valentinianus tertius. Mater Theodosij Iunioris illa fuit Eudoxia quæ Ioan. Chrysostomum exulauit. Vxor autem ipsius Theodosij Eudocia dicta est.

AD SVPERIVS XIII. CAP. NOTAE.

Quia totum hoc vltimum caput miserè deprauatum, mutilum & mendosum est eorum etiam testimonio qui primi in vulgus edidere, paulo diligentius hæc pars ex aliis auctoribus retractanda est.

Tiberius ann. v.) Sigebertus manuscriptus annos vi. Hugonis chronica manuscripta annos vij. Harmenopulus verò in manuscripto Imperatorum notitia annos 4 ei tribuit Idem Iustino eius decessori tribuit annos 15. cui hic Nicephorus tantum 12. & Zonaras 13. Sed hanc rem ita consiliat Nicephorus Calistus in fi. lib. 17. Eccles. histo. vt Iustinus quidem solus annis 11. mensibus decem cum dimidio, cum Tiberio verò quam sibi successorem vivus assumpsit & collegam annis tribus vno minus mense. De huius quoque Tiberij annis totam quæ subest perplexitatem idem auctor ita definit lib. 18. Eccl hist. c. Tiberium solum imperasse annis 4. cum Iustino autem decessore annis tribus, sic Paulus Diaconus ei tribuit annos 7 Euagrius 4. lib. 5. cap. 21. Zonaras annos 3. mens. 10. dies 8 Cedrenus 4.

Hic in monumentis publicis phœniceis literis inscribitur Tiberius Constantinus.

Mauricius ann. 20. mens. 4.) hic in publicis instrumentis scribebatur Mauritius qui & Tiberius & 20. annos regnauit Zonara auctore & Chronologia Harmenop. scripta manu & Niceph. hist. Eccl. lib 18. Sigebertus & Hugo 21. annos ei dant: Cedrenus verò annos 20. mens. 3. dies 2.

Phocas ann. 8.) sic Nicephorus Callistus lib. 18. Eccl. hist. cap. vlt. & Zonaras, Cedrenus, Sigebertus & alij.

Heraclius an. 31. vna cum filio) Sigebertus an. 30. Paulus Diaconus ann. 31. vt & Nicepho. & Zonaras & Harmenop. notitia manuscripta.

Constantinus filius huius an. 28.) Mirum in modum hoc loco deprauata creduntur Nicephoriana, sic ergo aliunde supplēda sunt Heraclio turpissima ob incesti pœnam morte extincto suī sedat Cōstantinus eius filius imperans ann. 1. quem veneno extinguit Nouerca eadémq; consobrina ἐξαδέλφη & pro eo imperat cum filio, Heraclona. Vix annum integrum, Zonara teste. at Hugo vtrisq; tribuit biennium Paulus diaconus lib. 18. in fin. Constantino Mauricij filio menses 4. Martinæ & Heraclonæ annum vnum, quem sequitur Sigebertus, & Cedrenus Constantino menses. 4. Martinæ & Heraclonæ menses duntaxat sex tribuit, omnibus non integrum annum. Senatus eiectis Martina & Heraclona, cui & nasus abscissus est, Constantem Constantini veneno sublati filium Heraclij nepotem imperio præficit, cui præfuit an. 27. secundum Zonaram, Paulum Diaconum, & Cedrenum. His ita digestis animaduertere cœpi non adeò deprauata hæc esse Nicephoriana immò nullo modo esse deprauata, si modò hunc Constantinum quem facit Nicephorus imperasse an. 28. intelligamus eundē esse qui & Constans ab aliis appellatur. Nam & hunc Constantem fuisse quoq; appellatum Constantinum scribit Sigebertus, in eo tantum mendum erit, quòd quem nepotem dicere debuit, filium appellauit, quo mēdo sublato cōsentiet Nicephorus cum notitia Harmenopuli manuscripta, quæ prætermisso Constantini Martina & Heraclonæ vix integro an. vnum amplius an. Constantino huic. 1. Constanti tribuit, nempe annos 28. hunc autem esse Constantinum quem plerique Constantem vocant; id etiam maximum argumentum est, quòd in Sicilia occisum hunc scribit Nicephorus hoc loco, quod Constanti huic conuenire ex Zonara discere licet, & ex Paulo Diacono lib. 19 qui huic tribuit duntaxat ann. 27. cùm scilicet Martinæ & eius priuigno filióque iam tribuisset annum vnum.

Constans nepos Heraclij an. xvij. hîc videtur emendandum Cōstantinus. Certum est enim hic agi de Constantino Pogonato Constantis filio orthodoxo, sub quo facta est 6 Synodus anno eius xiij. vt hic adnotatur, & Zonaras totidem 17. annos ei tribuit, vt & Diaconus, qui an. eius xij. factam Synodum eiusmodi ait, cæteri autem & Græci anno 13.

Iustinus filius huius an. x.) Et hîc emendandum videtur, Iustinianus. Is autem intelligendus qui Rhinotmetus à præciso postea naso dictus est.

Tiber qui & Absimar an. viij) vij. duntaxat ei tribuunt Cedrenus, Diaconus, Hugo, Zonaras, & Sigebertus, sicq; hoc loco emendandum videtur.

Iustinianus secundo. an. xi.) sex duntaxat annos ei adscribit Hugo. Sigebertus vero septem, Cedrenus sex, vt & Græcus Theophanes, Harmenopulus verò septem: ergo perperam hic legitur xi. & emendandum est vi. Anno huius iterati imperij secundo scribit Theophanes Græcus auctor vt citatur à compilatoribus postremæ editionis conciliorum, factos fuisse canones sextæ Synodi generalis in Trullo. Sanè illius Synodi præfatio ad Iustinianum hunc Constantini Pogonati filium manifestè innuit sub eo factam esse eam Synodum, annum quoque qui ea facta est appellat ea Synodus canone annum à mundo condito 6199. Indictione quarta, quem annum ita colligo. Anno Iustini iunioris 7. impletus fuit cyclus Paschalis 532 à passione Christi erat ergo annus Christi 565. additis quippe 33. an. quibus vixerat ante passionē & consequenter an. mūdi 6073. his adde reliquos 5. Iustini an. Tiberij 5. Mauritij 20. Phocæ 8. Heraclij 31. Constanti, Martinæ, Heraclonæ, Constantis 27. Constantini Pogonati 17. huius Iustiniani primi imperij an. 10. Leoncij 3. Absimari 7 fiunt an. 6205. sex scil. amplius quàm oporteret. Sed Iustino forte 4. Tiberio 3. & sequentibus aliquot anni videntur detrahendi.

Philippicus, qui & Bardanes an. xi.) legendum ii. duobus secundum Diaconum Sigebertum Harmenopulum & c. Hugo ei adscribit an. & 6. men. Leo Isaurus) hic & Conon Syrigena & Iconomachus nuncupatus est, ei dantur hic anni 25. ab Harmenopulo

verò 24. men. 8. d. 25. à Diacono ann. 24. m. 2. d. 22. rectiùs quam alij omnes.

Constantinus filius eius ann. xxxiiij. men. 11. d. xxv.) Hic Copronymus dictus est, fuitque catulus Leone patre crudelior, & Iconomachus nequissimus, cui tribuit Harmenopulus ann. 34. mens. 3. Copronymus ideo dictus, quod dum baptizatur a Patriarcha Germano cacans in sancto lauachro magnum dedit præsagium quod futurus esset Ecclesiæ Dei in scandalum. Sigebertus ei tribuit ann. 35. Zonaras 34. men. 3. Diaconus ann. 35. m. 2. d. 26.

Leo ChaZaZes an. 5.) hic erat filius Constantini Copronymi ex fœmina ChaZaZa.

Constantinus filius eius cum matre Irene an. x. m. d. 11. ann. 10 præterea edidit Sigebertus item Harm. Horum anno octauo celebrata fuit Nicææ secunda Synodus) idem Cedrenus & Paulus Diaconus. Sigebertus ait hanc Synodum anno septimo illorum inchoatam. In eius Synodi Græco Titulo notatur factam esse anno mundi 6296. indictione. xi. in Diegesi vero conciliorum Lutetiæ editaaano mundi 6295. Christi. 794. Nam quod in editione Nomocanonis Hernetii legitur in eius titulo facta anno mundi 6195. mendosum est & emendandum 6296.

Constantinus solus ann. vi. &c. & Irene mater ipsius ann. v &c.) hæc indubitata sunt.

Nicephorus an. 8. m. 6.) Cedrenus huic & filio Stauratio adscribit annos nouem, hic auxilio Eunuchorum ad imperium est prouectus, vt alij sæpe apud Romanos & Græcos & pleròsque Barbaros, longum esset numerare quot mala publicis imperiorum rebus ab Eunuchis acciderint. Summum & maximum illud fuit quòd vnius Ætij Eunuchi pactæ tam inter Carolum Magnum & Irenam Constantinopolitanam imperatricem nuptiæ sint disturbatæ, ac proinde vtriusque imperij occidentis & orientis reconciliatio & consolidatio. Scitum est illud Chrysiorij quod recitat Cedrenus cuidã ex principibus insusurratum ὅτι ἐχθρὸν ἔχεις τὸν ... hunc Nicephorum Seleucenum vocat Harmenopulus, & addit ὁ ἀπὸ ... sed legendum ὁ ἀπὸ γενικοῦ. Id est generalis seu ex genesi logotheta ad imperium euectus.

Michael gener ipsius) in cognomento Rancabes ῥαγκαβὲ, Nicephori annum vnum imperat secundum Harmenopulum, vel duos secundum Sigebertum & Diaconum an. 1. men 9. d. 11. secundum hunc Nicephorum. (quod de Leone Armenio & secundo Michaele subditur congruit cæteris auctoribus.) Secundi Michaelis legatos ait Sigebertus inter cætera munera Ludouico imperatori & Francorum Regi detulisse libros Dionysii Areopagitæ de hierarchia, & petente Ludouico de Græco in Latinum fuisse translatos & Parisiis in ipso sacri Martyris festo tum gaudio susceptos, secuto repentè miraculo sanationis 19. ægrotorum. Annum hunc Michaelis 8. quem facit à Christo 829. & à mundo condito 4788. scribit impletum esse nouum magnum annum ab initio mundi qui est annorum 532. quod etiam ratio diuisionis ostendit.

Nam Zonaras ei similiter tribuit an. viij. & 9. mens. sed Cedrenus an. 9. mẽs. 8.

Theophilus huius filius ann. xij. m. 111.) idem scribit Zonaras. Idem & Cedrenus, sed ei annos quindecim tribuit Sigebertus.

Theodora vna cum filio Michaele anno. xiiij. m. 1.) Sigebertus ait Michaelem & Theodoram imperasse annis xi. & postea Michaelem solum anno xiij. fit summa annorum 24. Nicephorus verò ei cum matre anno: 11. & soli 11. tribuit. fit summa annorum 25. consentit cum Nicephoro Cedrenus. In hoc igitur Michaele desinit Nicephorus, quem eo tempore vixisse coniicere licet. Sanè narrat Cedrenus hunc ad Michaelum Balbum Theophili patrem Epistolam pro sacrarum imaginum instauratione scripsisse. Huic Michaeli successit Basilius Macedo regnans ann. 19. secundum Harmenopulum & Cedrenum & Zonaram, qui anno præterea vno cum Michaele eam imperasse scribunt. Sigebertus ei 17. an. adscribit. Hic constituerat leges & iura Romana repurgare, sed quod instituerat, & filius eius Leo imperator cognomento Philosophus præstitit, & libros sexaginta Basilicorum, & multas præterea Nouellas orbi promulgauit.

CAPUT XIIII.

COlligontur anni hoc modo, vt sequitur.

Ab Adam vsque ad diluuium anni bis mille ducenti quadraginta duo.

A diluuio vsque ad turrim Nembroth anni quingenti viginti quinque.

A turri vsque ad, διχοτομήματα dimidiationes.

Abraham anni quadringenti viginti quinque.

A dimidiationibus vsque ad finem Abraham anno LXXVI.

Vniuersi anni ter mille ducenti sexaginta octo.

Ab Abraham vsque ad egressionem Israëlitarum anni quadringenti triginta.

Ab egressione vsque ad ædificationem templi Domini anni septingenti quinquaginta septem.

Ab ædificatione templi vsque ad captiuitatem anni quadringenti viginti quinque.

Vniuersi anni quater mille octingenti octoginta.

A captiuitate vsque ad Alexandrum anni trecenti decem & octo.

Ab Alexandro vsque ad Christum anni trecenti tres.

Vniuersi anni quinquies mille quingenti.

A Christo vsque ad Constantinum magnum anni trecenti decem & octo.

A Constantino vsque ad Theophilum, indictione quinta anni quingenti triginta.

Vniuersi anni sexies mille trecenti quinquaginta.

AD SVPERIVS CAPVT XIIII.

NOTAE.

SVperuacuum reor plura de hac summa collectione (Græci συντόμην χρονικὸν vocant) disserere aut commentari, cùm nihil in ea collectione ferè veri aut superioribus specialibus computationibus coharentis, aut consentanei habeatur. Posse & alia huiusmodi farinæ multa superaddere synoptica chronica & inter Græcorum Suidæ. Sed quid erit pretij, cum & Suidas æquè sit deprauatus, & ex Nicephoro ad verbum videatur exscripsisse vsque ad Michaelem sequentia verò vel ex se vel aliis recentioribus addidisse; vnde quasi annum conditæ turris Nembrotæ discere potuerunt qui profectò ex canonicis libris elici non potest, nec Hebraicis, nec Græcis aut Latinis. Cætera etiam sunt aliter collecta quam superiùs colligi debere demonstratum sit.

Sic ergo colligere cœpimus prima, & addere debemus extrema.

Ab Adam vsque ad Christi Natiuitatem anni 5508.

A Christi Domini natiuitate vsque ad salutiferam eius passionem, resurrectionem, & in cœlos ascensum anni 33.

A Christi ascensu vsque ad septimum Iustini iunioris annum anni 532. id est vnus magnus Paschatos cyclus.

A septimo Iustini anno vsque ad decimum tertium Theophili imperatoris annum quo fuit indictio quinta, quam nominat Nicephorus (quia Cedrenus ait eum imperium cepisse initio indictionis octauæ) sunt anni vniuersi. 273. vniuersi à Christo nato ann. 828.

Ergo vniuersi à condito mundo vsque ad vltimum annum Theophili anni 6336.

Sigebet ita 843.

Perperam igitur hic colligitur in Nicephori deprauata scriptura summa annorum. 6350.

TRIPARTITÆ CHRONOLOGIÆ

PARS SECVNDA.

AVGVSTÆ CAP. XV.

THeodora & Helene vxores Constantij patris Constantini Magni. Fausta vxor Constantini magni. Eusebia Constantij. Helena magni Constantini filia vxor Iuliani τοῦ παραβάτου præuaricatoris Karita (seu Kartto) Iouiniani, Seuera & Iusta vxores Valẽtiniani Magni, Dominica Valentis, Galla & Placilla Theodosij magni, Eudoxia Arcadij, Eudocia Theodosij Iunioris. Pulcheria Martiani, Verina Leonis Magni, Ariadne Zenonis,

al. Iustina.

Eadem Ariadne Anastasij, Eufemia Iustini primi, Theodora Iustiniani Magni, Sophia Iustini, Anastasia Tiberij, Constantina Mauritij, Leontia Phocæ, Flauia Eudocia, & Martina Heraclij, Heracleone Constantini, Iustiniani, Leontij, Absimari, Philippici, Theodosij, Iustiniani. Arrhemij Maria Leonis primi Isauri Irene Chazara Constantini Maria Eudocia Irene Athenca Leonis secundi qui Chazares, Maria & Theodore Constantini, Thebano Staucatij, Procapia Michaelij, Theodosia Leonis, Tecla & Eufrosyne Michaëlis, Theodora Theophili, Eudocia Michaëlij, Eudocia Basilij.

Videtur legendum ex alijs locis quę contuli quæ & Eudocia. al. Teophanio.

Ad suprascriptum Augostatum catalogum quanta potuimus fide à nobis emaculatum nihil adnotandum arbitratus sum hanc otiosis curam lubenter transmittens, possunt autem ex Cedreno, Zonara, & alijs tam horum quàm sequentium imperatorum coniuges addisci. B Ex Suetonio verò Spartiano Capitolino Lampridio, &c. superiorum Augustorum coniuges, vt Liuia Augusti, Plotina Traiani, Sabina Hadriani, Faustina D. Pij. & alia Faustina D. Marci.

REGES DECEM TRIBVVM ISRAEL in Samaria à temporibus Roboam filij Salomonis vsque ad traductionem in Assyrios tribuum decem sub Ezechia rege Iudaea.

CAP. 16.

1 IEROBOAM seruus Salomonis, vngitur ab Achia Propheta: quòd Dominus ipsius Salomon declinasset ad alienigenas vxores, & externas ceremonias illatum.

2 . . . filius ipsius: annis. 2.

3 Baia: hic deleuit domum Hieroboam. annis 24.

4 Hela filius illius, sub quo IEV Propheta: annis. 2.

5 Zamri seruus eius, qui illum interfecit: mensibus, 7.

6 Amri: annis 12.

7 Achab filius eius: sub quo Elias Propheta clausit cœlum, & interfecit Sacerdotes Baal annis 22.

8 Ochosias filius huius: annis 2.

9 Iotam frater eius, quem occidit Ieu secundum verbum Domini: subque hoc Propheta fuit Helissæus. annis 12.

10 Ieu: vnctus à discipulo Helissæi ad exitium domus Achab, secundum Prophetiam Eliæ. ann. 28.

11 Ioachaz: quem afflixit vastans regnum ipsius Azael, Rex Syriæ. annis 17.

12 Ioas: sub quo Helissæus Propheta victoriam de Syris prædixit & miracula edidit, annis 16.

13 Hieroboam: sub quo Ionas Propheta, annis 14.

14 Zacharias: in quo completa fuit prophetia Helisæi, promiserat enim Deus per hunc Ieu, duraturos ab ipso reges Israeliticos in quartam progeniem; huius sunt mens. 6.

15 Sellum, interfector Zachariæ: mens. 1.

16 Manahem: ann. 10.

17 Phaceas filius Manahemi ann. 2.

18 Phacea filius Romeliæ: ann. 20.

Sub quo fuerunt Esaias & Naum Prophetæ.

19 Oseæ filius Elæ interfector Phaceæ: annis 9.

Huius tempore Salmanasser Assyriorum Rex cepit totam Samariam, & regem ipsius & totum Israël, exceptis duabus Iuda tribubus & Beniamin: cum esset Rex Hierosolymis Ezechias. Introduxit autem in terram illam Chutæos, vt vocantur: collocauitque in Samaria, & vrbibus à se vastatis atque captis. Hi suis dijs seruiebant: & ideò Deus iratus, immisit eis Leones, à quibus illi deuorabantur.

Hac re & caussa cognita Rex Assyriorum misit Israëlitas ad eos, cum Sacerdotibus qui ipsos docerent legem & venerationem Dei æterni. Admiserunt autem tantummodò scripta Moysis: & colentes Deum æternum, non reliquerunt idola.

A Horum posteri sunt Samaritæ in hodiernum diem, solum Pentateuchos conseruantes, & fugientes consuetudinem Iudæorum.

PONTIFICES IN ISRAEL.

1 AARON ab Abrahamo septimus, reliquit filios duos, Eleazar & Ithamar.

2 Eleazar, sub quo decessit Moyses, & est diuisa terræ possessio per Iosuam, & tabernaculum testimonij fixum in deserto.

3 Phinees Eleazari F. cum omnibus senioribus populum iudicans Abiu. Bechi, Ozi.

4 Heli, ex Ithamar.

5 Achitoph, sub quo Samuel.

B 6 Abiathar, cum Dauide.

7 Zadoc, ex domo Eleazari.

8 Achimas, Azariæ F. filij Amariæ.

9 Azarias, ob ardentem affectionem amoris erga Deum, qui est scilicet ζῆλος θεοῦ, interfectus.

10 Azaria, qui prohibuit Oziam ingressu in loca sacra.

11 Vrias fidelis Esaiæ.

12 Sommas, prauus & libidinosus, tempore Ezechiæ regis.

13 Eliacim, Sellum F.

14 Chelcias, sub Iosia rege optimo.

15 Sareas tempore eo quo Iudæi captiui abducti sunt Babylona à Nabuchodonosore.

16 Iossedech, quem Iezeciel Saduc nominat. Hic fuit Babylone inter captiuos.

C 17 Iesus, filius eius: qui rediit in patriam, & templum instaorauit cum Zorobabel.

18 Ioacim, Iesu F.

19 Eliasib, filius Ioacim.

20 Iodae, Eliasibi F. sub quo Neemias instaurauit Hierosolyma, & muros refecit.

21 Ionas.

22 Iaddo, tempore Alexandri Regis Macedonum.

23 Onias.

24 Simon, Dei amans.

25 Eleazar, frater Simonis: sub quo translatæ fuerunt sacræ scripturæ, tempore Ptolemæi regis.

26 Manasse.

27 Onias, Simonis F.

D 28 Simon Oniæ F. cuius meminit Iesus Sirach F. in sapientia sua.

29 Simonis filij tres: Onias, Iason, Menelaus. Hi aduersari sibi mutuò, sese euerterunt. Horumque temporibus illa facinora designauit Antiochus; sublato Menelao.

30 Alcimus alienigena, constitutus Menelai loco ab Antiocho.

31 Iudas Maccabæus, & Ionathas, & Simon cum fratribus.

32 Ioannes, qui & Hyrcanus, Simonis F.

33 Aristobulus, Hyrcani F. qui post Alexandram matrem necatam, diadema sibi imposuit.

34 Iohannes, qui & Iannæus & Alexander.

35 Hyrcanus, quem Aristobulus frater eius expulit: Pompeius verò Imperator confugientem ad se Hyrcanum E restituit. Quo tempore subiecti fuerunt Romanorum ditioni Iudæi. Ac Aristobulus quidem vinctus Romam mittitur à Pompeio: Hyrcanus autem capitur à Parthis: Antigonus verò filius Aristobuli & ipse interficitur.

36 Ananelus Alienigena, quem constituit Herodes.

37 Aristobulus, Hyrcani F. gener Ananeli, sublatus ab Herode.

38 Ananelus, iterum ab Herode constitutus.

39 Simon, Boeth F. socer Herodis.

40 Matthias, Theophili F.

41 Ioazar, filius socrus Herodis: sub quo natus est Christus.

42 Eleazar.

43 Iesus, Osiæ F.
44 Ioazar.
45 Ananus: sub quod Christi manifesta doctrina & miracula sunt inchoata. Hunc Ananum Gratus præses Rom. dignitate & munere priuauit, constituto illius loco Ismaëlo.
46 Eleazar, Anani F.
47 Simon.
48 Caypbas, & Ioseph, gener Anani. Ananus autem magistratus erat Pontificum sub præsidibus Romanis à quibus & muneris illius principatus côferebatur. Cayphás igitur Pontifex fuit anno eo in quem incidit passio Christi. Hunc remouit Vitellius, prætor Romanus.
49 Ionathas, Anani F.
50 Theophilus, frater eius.
51 Simon.
52 Ionatas, Anani F. iterum.
53 Matthias.
54 Achonæus, qui & Iosephus.
55 Ananias, quem vinctum Quadratus misit Romam.
56 Ismaëlus.
57 Iusephus, constitutus à Nerone.
58 Ananias, qui sustulit Iacobum fratrem Domini, cui Paulus dixit: Percutiet te Deus, paries albate. Hunc Agrippa secunda remouit. In Hierosolymorum autem obsidione à ciuibus occiditur.
59 Iesus Damnæi F.
60 Iesus, Gamalieli F.
61 Matthias, sub quo inchoatur bellum aduersus Romanus.
62 Phinees: qui productus fuit à Romanis, in quorum manus deuenerat, populantibus Hierosolyma Ciuus tempore Titus vrbem cœpit, & incendit templum.

NICEPHORI, NOMINA PATRIARcharum Hierosolymis post Christi Iesu in cœlis ascensionem.

1 IAcobus, frater Domini: anni 26.
2 Simeon Cleophæ fratris ipsius F. & Martyr annis 23.
3 Iustus, annis 6.
4 Zacharias, annis 4
5 Thobias, annis 4.
6 Beniamin, annis 2.
7 Ioannes, annis 2. (∴)
8 Matthæus, annis 2.
9 Philippus, annis 1.
10 Seneca, annis 4.
11 Iustus, annis 4.
12 Leui, annis 4. (∴)
13 Ephraim, annis 2.
14 Ioseph, annis 2.
15 Iudas, annis 2.
16 Marcus, annis 8.
17 Cassianus, annis 8.
18 Publius, annis 5
19 Maximus, annis 4.
20 Iulianus, annis 2.
21 Gaianus, annis 3 (∴)
22 Symmachus, annis 2.
23 Caius, annis 3.
24 Iulianus, annis 4
25 Elias, annis 2.
26 Capito, annis 4.
27 Maximus, annis 4.
28 Antonius, annis 5.
29 Valens, annis 3
30 Dolichianus, annis 2. (∴)
31 Narcissus, annis 4.
32 Dius, annis 8.
33 Germanion, annis 4.

A 34 Gordias, annis 5.
35 Narcissus iterum Martyr, annis 10.
36 Alexander, Martyr, annis 15.
37 Mazabenes, annis 24.
38 Hymneus, annis 23.
39 Zabdas, annis 10.
40 Hermon, annis 9.
Hactenus Imperatores alieni à Christiana religione & Christiani, afflicti fuerunt.

NICEPHORI, POSTQVAM CHRISTIANI fuerunt imperatores, Episcoporum Hierosolymis nomina.

41 MAcarius, qui in Synodo † fuit, annis 20.
† Quia sæpè vocatus ab Acacij Cæsariensis synodo non comparuisset, prouocauit vero ad maius Tribunal, & eius prouo-
B *cationi suffragatus est Constantius Imperator: Nicetas in Thesauro Lib. 5. cap. 15.*
42 Maximus, annis 6.
43 Cyrillus, expulsus ab Arrianis: loco huius, constituuntur tres; † Arsenius, Heraclius, & Hilarius. Et rursum reuocatus tempore Gratiani, in secunda Synodo, inuentus fuit Constantinopoli, annis 61.
† Erennium legit Nicetas in Thesauro, Lib. 5. cap. 21.
44 Ioannes, annis 16.
45 Paulinus, annis 20.
46 Iuuenalis, qui fuit in duabus Synodis, Ephesi & Chalcedone, annis 38.
47 Theod. † expulsus à Marciano, & rursum Iuuen. an.
† Existimo hunc esse Theodulum de Bethleem quem Sedis Apo-
C *stolicæ Legati, in locum Polychronij Episcopi, certas quidem ob causas, sed ob Symoniacas Ordinationes maximè damnati, quasi Ioarium Episcopum dimiserunt. Polychronius vero Sedi suæ magno cum honore est restitutus à S. A. Valentiniano septimum, & Auieno Coss. quod fame & egestate obsessis Hierosolymitanis Clericis & Plebibus, etiaque illi a Summo Pont. assignata erant Vsufructuaria Prædia erogasset. Sedis verò Polychronium Hierosolymis, Anno. 7. Menses 6. & requieuit in pace. Vide Historiam damnationis Polychronij illius Conciliorum, Tom. 1.*
48 Anastasius, annis 18.
49 Martyrius, annis 8.
50 Salustius, cuius tempore separauit se Episcopus Romæ propter † Edictum Zenonis de coniunctione annis 8.
† Scriptum illud ab instituenda concordia, Græcis Henoticon, di-
D *ctum, Acacius Episcopus Constantinop. hæreticus ex animi sui sententia condiderat Data vero pecunia, corrupit missos a Fœlice P. M. Legatos, ita vt contra mandata sua ei communicarent, quâ de re illis adempta est à Fœlice sua dignitas. & literis ad eum scriptis damnatus Acacius, qui vicissim Fœlicis nomen ex albo sustulit Cedr. ad Zonaræ Ann. To. 3. in vita Basilici Imp.*
51 Elias, expulsus ab Anastasio Imperatore, annis.
Huius Eliæ meminit Pratum spirituale, Cap. 35.
52 Ioannes, annis 11.
53 Petrus, tempore Iustiniani Imperatoris, annis 20.
54 Macarius expulsus, annis 2.
55 Eustochius, annis 1.
56 Macarius iterum, annis 4.
57 Ioannes, annis.
E 58 Amos, annis 8.
59 Isaacius, annis 8.
60 Zacharias ante vrbem captam annis 24.
† Capta vrbe translatus est cum residuo populi tam vrbis quam regionis vniuersæ, à Cosdroe, in Persiam Guill. Tyri Arch. Hist. belli sacri, lib. 1. cap. 2.
61 Modestus, annis 1.
† Hic vrbe deiectus à Cosdroë Persa Imperatoris Mauricij genero in socero vltionem; Ecclesias, datis ab Heraclio Imp. sumptib. necessariis reformauit Guill. Tyr. Hist belli sacri, 1. Lib. c. 1.
62 Sophronius, annis.
† Hic, locum veteris & à Vespasiano diruti Templi Salomonis cùm indicasset, Homar filius Carab, tertius à Mahomete erroris & regni successor, illud restituit ex integro & quale Regum Lati-

norum temporibus, Hierosolymis visebatur, Guill. Tyr. Hist. belli sacri. 8 Lib. c. 2. & ab eo describitur. Lib. 8. c. 3. A

ORISTVS *auunculus Hequen Caliphæ. Qui ne vt Christianus & Christiana matre progenitus malè audiret apud suos, Per Ramulen. Præsidem, Hiarot nomine, Ecclesiam Dominicæ Resurrectionis à Maximo Patriarcha, tempore Constantini ædificatam, funditus deiecit. Guill Tyr. 1. Lib. cap. 4. Fœdus cum Romano Imp. Constantinop. initum dissoluit idem Calipha Hequen. Eius verò successor Daber, illud renouauit. Guill. Tyr. 1. l. c. 6. Scribit tamen idem Archiepiscopus. Tyr. 1. lib. cap. 6. Nicephorum Patriarcham Hierosol. sumptibus à Constantino Monomacho, Imp. Constantinop. ministratis, Ecclesiam Dominicæ Resurrectionis restituisse, Anno D. 1048. annis. 51. ante vrbis liberationem, & 37. postquam diruta fuerat Ecclesia.*

NICEPHORI, EXPOSITIO NOMINVM *Episcoporum Romanorum, post Christum & Apostolos.* B

1 PEtrus Apostolus annis 2.
2 Linus, annis 12.
3 Anacletus, annis 2.
4 Clemens, annis 9.
5 Euatestus, annis 9.
6 Alexander, annis 12.
7 Xystus, annis 9.
8 Telephorus Martyr, annis 10.
9 Hyginus, annit 4.
10 Piut, annis 15.
11 Anicetus, annis 2.
12 Sotericus, annis 9.
13 Eleuthericus, annis 15.
14 Victor, qui in Synodo quæ fuit celebrata in Palæstina, die Paschatos, annis 12.
15 Zephyrinus, annis 19.
16 Callistus, annis 8.
17 Vrbanos, annis 7.
18 Pontiaoos, annis 3.
19 Anteros, mense vno.
20 Flauint, Martyr sub Decio, annis 15.
21 Cornelius, qui remouit Nouatum, euersorem pœnitentiæ, annis 3.
22 Lucianus, annit 2.
23 Stephanus, annis 9.
24 Xystus, annis 2.
25 Dionysius, annis 8.
26 Felix confessor sub Valeriano, annis 5.
27 Eutychianus, mens. 8.
28 Caiur, annis 15.
29 Marcellinus, ann. 2. Hactenus Imperatores alieni fuere à religione Christiana, & infesti hanc colentibus. Sub Christianis autem Imperatoribus Romani Episcopi fuere:
30 Eusebius, ann. 1.
31 Miltiades, annis 4.
32 Siluester, cuiur tempore Nicena Synodus celebratur, annis 28.
33 Marcus annis 12.
34 Iulius, annis 15.
35 Liberius, exterminatus à Constantio Ariano, an. 6.
36 Felix, ann. 1.
37 Siricius, annis 15.
38 Anastasiur, annis 3.
39 Innocentius, annis 15.
40 Zosimus, annis 8.
41 Bonifacius, annis 4.
42 Celestinur, sub quo Ephesina Synodus, an. 21.
43 Xystus, annis 8.
44 Leon, sub quo Calcedonia Synodus, annis 21.
45 Hilarion, annis 6.
46 Simplicios, cuius sunt Epistolæ scriptæ ad Antiochenos, contra Martiom Nestorianum, an. 14.
47 Felix, qui separauit se ob edictum Zenonia de coniunctione.
48 Gelasius, annis 5.
49 Anastasius, annis 1.
50 Symmachus & cum hoc Laurentius. annis. 14.
51 Hormisdas, qui Iustiniani tẽporibus Chalcedoniam Synodum to sacros codices retulit, annis 10.
52 Ioannes, annis 3.
53 Agapetus, ann. 1.
54 Silnerius, annis 2.
55 Vigilius, annis 5.
56 Pelagius, annis 8.
57 Ioannes, annis 5.
58 Benedictur, annis 4.
59 Pelagius alter, annis 10.
60 Gregorius, annis 13.
B 61 Sabinianus, ann. 1.
62 Bonifacius mens. 8.
63 Bonifacios alter, annis 7.

NICEPHORI CATALOGVS EPISCOPORVM *Byzantij post Christum & Apostolos.*

1 ANdrear Apostolus preco Byzantij fuit Euangelij. Extruxit ædem, in qua precibus piis imploraretur Deus vltra regionem Argyropolis: & ordinauit Episcopum vrbis illius Stachyn, cuius meminit Apostolus in Epistola scripta ad Rom.
2 Stachys, annis 16.
3 Onesimos, annis 14.
4 Polycarpus, annis 18.
5 Plutarchus, annis 16.
C 6 Sedecion, annit 9.
7 Diogenes, annis 15.
8 Eleutherius, annis 7.
9 Felix, annis 5.
10 Polycarpus, annis 17.
11 Athenodorus, annis. 4. Hic extruxit alteram ædem in topothesia, cui nomen Olea, ibique conuentus habebat Ecclesiasticos.
12 Euzoius, annis 16,
13 Laurentius, annis 11. mens. 6.
14 Alypius, annis. 13. mens. 6.
15 Pertinax, vir consularis Senatus Romani. ann. 19. mens. 10. diebus 5. Hic aliam ædem extruxit in loco maritimo, cui nomen Ficus: eam appellauit Irenen,
D 16 Olympianus, annis 11.
17 Marcus, annis 13.
18 Cyriacus, annis 16.
19 Castinus, annis 7. Hic Byzantij, in loco cui nomen Petrium ædem ad precer extruxit, sanctæ Euphemiæ titulo, quæ tunc Martyr facta fuit.
20 Titus, annis 35. mens. 6.
21 Domitius, frater Probi Imper. annis. 24. M. 6.
22 Probus, filius huius Domitij, annis 12. Hi omnes fuerunt Episcopi Byzantij, antequam declararetur Imp. Constantiuus Magnus Byzantij, propter bellum contra Licinium, ob Metrophanem Episcopum.
23 Metrophanes, filius Domitij paulò antè nominati & frater Probi Episcopi, & filius fratris Probi
E Imperatoris, annis 10. Cùm ob decrepitam ætatem in Synodo Nicæna, considêre non posset; eius vicem, Alexander presbyter suppleuit: Nicetas, Thesauri lib. 5 cap. 6.
24 Aleyander, vixit an. 98. & Episcopus fuit an. 63.
25 Paulus Confessor, an. 3. eiectus à Constantio.
26 Eusebius, Arrianus declaratus: qui priùs fuerat Berythi, deinde Nicomediæ, annis 12.
27 Macedonius, Presbiter Ecclesiæ Constantinopoli, oppugnator sancti Spiritus, an. 12. Vide Nicetam in Thesauro. lib. 5. cap. 6.
28 Eudoxiur Arrianus, qui priùs fuerat Germaniciæ, deinde Antiochiæ, an. 10.
29 Demophilus Arrianus, qui priùs fuerat Berrhœæ in Thracia, an. 11. M. 5.

30 Euagrius, manibus impositis factus ab Eusthatio Antiochiæ, & statim exterminatus à Valente.

31 Gregorius Nazianzeni præfuit Ecclesiæ, an. 12. & redit ad vitam priuatam.

32 Nectarius axtomaticus, à patribus centum quinquaginta, simul baptizatur, & ordinatur Episcopus, annis 16. M. 3.

33 Ioannes, presbyter Antiochiæ, cognomento Chrysostomus, annis 5. M. 6.

34 Ioanne exterminato, Arsacius presbyter frater Nectarij, annis 2.

35 Atticus, presbyter Constantinopolita annis 20.

36 Sisinnius, presbyter eiusdem Ecclesiæ, an. 2.

37 Nestorius, denegator hominis Christi, cum Deum negaret esse: Presbyter Antiochiæ, annis 3. M. 2. Hoc Oasin in exilium acto.

38 Maximianus, presb. Constantinopolita. an. 2. M. 5.

39 Proclus, à Sisinnio factus Episcopus Cyzici: vbi non receptus, cum alterum legissent Cyziceni, priuatis studiis operam dedit. Mortuo autem Maximiano, solium est sortitus Principis vrbis. Hic ab Imperatore Theodosio minore impetrauit, vt liceret Pityunte Constantinopolim transferre reliquias Ioannis Chrysostomi, annis 12. M. 3.

Zonaras Annalium to. 3. eum nominat Proculū, & Chrysostomi discipulum fuisse. ait.

40 Flauianus, presbyter Constantinopolita. an. 1. M. 10. Hoc deiecto à Dioscoro, in illa insidiosa Synodo Ephesi.

41 Sufficitur Anatolius presbyter, & à responsis Dioscori, annis 8. M. 8.

42 Gēnadius presbyter Constantinopolita. an. 13. M. 2.

43 Acacius presbyter, curator alendis Orbis hæreticus, annis 17. M. 9. damnatus à Fœlice P. M. ob cōceptum ab illo Henoticum, tempore Zenonis Imp.

44 Phrabitas, presbyter S. Theclæ Sycis an. 3. D. 17.

45 Euphemius presbyter Constantinopolita. & curator pauperibus alendis in noua vrbe, an. 6. M. 6. Hoc expulso ab Imperatore Anastasio

46 Macedonius, presbyter Constantinopolita. & vasorum custos, an 6.

47 Timotheus, presbyter Constantinopolita. & custos vasorum, an. 6.

48 Ioannes, Cappadox presbyter, & Syncellus illius ann. 1. M. 10.

49 Epiphanius, presbyter Constantinopolita. sub Iustiniano, an. 16. M. 3.

50 Anthimus Trapezunti Episcopus, mens. 10. Hoc remoto, congregata Synodo aduersus Seuerum.

51 Menas presbyter, & præfectus hospitio Sampsorum, an. 16. M. 6.

52 Eutychius presbyter, & Monachus in Monasterio Amasiæ annis 12. M. 2. Hoc eiecto à Iustiniano, Imperij ipsius anno 38. eo quod non reciperet edictum ipsius de corpore Christi experte omnis labefactionis.

53 Ioannes presbyter Antiochiæ, ex numero Scholasticorum, an. 12. M. 7.

54 Eutychius, iterum sub Iustiniano restitutus, confecit an. 4. M 6.

55 Ioannes Diaconus Constantinopoli. Ieiunator temporibus Tyberij, an. 13. M. 5.

56 Cyriacus presbyter Ecclesiæ einsdem, & œconomus, an. 11.

57 Thomas, Diaconus Ecclesiæ einsdem, & Sacellarius, an. 3. M. 5.

58 Sergius Diaconus Ecclesiæ eiusdem, an. 8. M. 7. D. 21.

59 Pyrus, preshyter einsdem Ecclesiæ, Monachus, & monasteriorum magister, & præcipuus Chrysopoli. Orta autem seditione contra ipsum, secessit, an. 2. M. 9. D. 9.

60 Paulus, presbyter eiusdem Ecclesiæ, & œconomus ann. 2. D. 16. Pyrrus restiturus M. 4. D. 23.

61 Petrus, curator accipiendis hospitibus in eadem Ecclesia, ann. 12. M. 7.

A 62 Thomas, Diaconus eiusdem Ecclesiæ, & cartarum custos. an. 2. M. 7.

63 Ioannes presbyter, & custos vasorum magnæ Ecclesiæ, an. 5. M. 9.

64 Constantinus, Diaconus Ecclesiæ eiusdem, custos vasorum & œconomus, ann. 1. M. 11. D. 7.

65 Theodorus, presbyter eiusdem Ecclesiæ, Syncellus & custos vasorum, an. 2. M. 3.

66 Georgius presbyter Syncellus & vasorum custos, ann. 3. M. 3. Theodorus restitutus an. 2. M. 10.

67 Paulus & laicis à secretis.

68 Callinicus, presbyter & custos vasorum Blachernis, an. 12. exterminatus † à Iustiniano Rhinotmeto. † Orbatus oculis.

69 Cyrus presbyter & Monachus, ex Trogesso Amastridos, an. 6. expulsus à Philippico.

B 70 Ioannes Diaconus & cartarum custos in Oeconomio, an. 3.

71 Germanus Episcopus Cyzici & confessor, an. 15. eiicitur ab impio Leonte Isauro.

72 Anastasius, presbyter & Syncellus, an. 24.

73 Constantinus, monachus & Episcopus Syllæi, an. 12. Huic caput amputatum.

74 Nicetas, presbyter sanctorum Apostolorum, & monasteriorum magister, Eunuchus. an 14, M 4.

† *Hic aliud nihil sciebat quàm edere ac bibere. Glycas, Annal. 4. par. obiurgatus aliquando ab vno quodam astantium quòd pro Matthæum pronunciasset, Matthaum respondit, se vehementer odisse quæ geminos & ternos haberent sonos. ynoa.*

75 Paulus Cyprius Diaconus, Orthodoxus & Confessor an. 5 M. 6.

C 76 Tarasius, à secretis, ann. 21. D. 2.

77 Nicephorus, à secretis, monachus factus, expulsus ab impio Leone Armenio, an.

† *Deportatus in Proconesum, quod adduci non potuisset, vt probaret Imaginum oppugnationem: Id autem multo ante præsenserat, visus sibi, tributis & spinis manum coniugi cùm Leonis capiti diadema primum imponeret. Vide Glyc. Ann. p. 3.*

78 Theodotus Cassiteras, an. 15.

79 Antonius, ex Syllæo, an. 12.

80 Ioannes presbyter & Syncellus, insidiatus sibi ipsi annis 9.

81 Methodius confessor, an. 4 M. 3.

82 Ignatius Eunuchus, an. 11. M. 5.

† *Hic Michaelis Rangabæ, seu Balbi, Constantinopolitani Imperat filius fuit ex Procopia Nicephori Imp. filia: Nicetas primum nominatus, & à Leone Armenio Imperatore excilus cum ipsa vitæ mutatione, diuersum etiam nomen sibi adsciuit. Glyc. Annal. 4 par. pulsus per Bardam Cæsarem sub Michaele tumulento Imper. restitutus in sedē suæ, pulso Photio, per Basilium Macedon Imperat. ynoa.*

D

83 *Photius (cum hasce res inferas reliquisset diuinus Ignatius) à Basilio Macedone Imperatore secundum in pontificia sede collocatus excellens: Summum illud solium recepit, qua autem ratione, Vide Glyc. Annal. p. 4. Cùm ante solium vertere coactus fuisset à Samona Imperatoris cubiculario, substitutus fuit eius loco Euthymius vir admirandus.*

84 *Post Photium Stephanus, Leonis Philippi, frater Zonar. Annal. to. 3.*

85 *Stephano defuncto successit Antonius cognomento Catuleas.*

E 86 *Post hunc mysticus Nicolaus Patriarcha est designatus, à quo initiatus est sacro baptismate Constantinus Leonis Philosophi filius anno Pontificat. deportatus à Leone Philosopho Imperatore, in Galacrenxum monasterium, quod condiderat, idque quod nulla ratione, exorare potuisset, vt Samonam Agarenum, qui ad suos transfugerat rursum reciperet eximerétque censura: pulso deinde per Alexium Imperatorem Euthymio, sua sedi restitutus, & Constantino Leonis filio Imperij administrator scripto est ordinatus.*

87. EVTHYMIVS *vir admirandus.*

Nicolai loco designatus est Syngelus Euthymius vir sacer, qui modis omnibus obstitit ne Imperator tertias, & quartas nuptias, lege lata confirmaret: Huic pro sic gesto abrogata dignitate, multis etiam contumeliis affectus est à Nicolai sectatoribus, & pulsus in

cualium ab Alexio Imperatore. Restitutus verò Nicolaus sedem tenuit annis 13 Et aliquantò post, scilicet Iulio mense ad concordiam redierunt Metropolitæ & Clerici, Nicolai, & Euthymij causa hactenus disiuncti. Cedrenus, in Romano Lacapeno.

88 *Post Nicolaum, Stephanus Metropolita Amasenus, Sedem principis verbis per triennium occupauit.*

89 TRYPHO *Monachus hic cùm effluxisset præscriptum à Romano Lacapeno Imperatore, tempus quo solium administrare deberet, donec Imperatoris filius Theophilactus, ad iustam ætatem peruenisset: deceptus à Theophane Cæsariensi Pont. cùm in pura charta subscripsisset, loco motus est. Glyc.*

90 THEOPHILACTVS *Romani Lacapeni, Imp filius Eunuchus, ætatis anno 16. contra Canones gubernacula Ecclesiæ vsurpauit, equorum supra omnem modum amator vitam vixit insolentem. Aqua verò intereunte ex equitatione correptus cùm sedisset ann. 23. viuendi finem fecit.*

91 *Substitutus est in eius locum Polyeuctus, solitaria vitæ sectator, & inde vsque à puero de parentum voluntate castratus: vir omnino venerandus, eloquentia & virtute præstans, Nicephoro Phocæ & Ioanni Zimiscæ restitit.* Zonaras.

92 *Polyeucto successit Basilius Monachus, Scamandrenus, qui cùm post quadriennium suæ designationis, ob quadam obiecta crimina per Concilium loco motus esset.*

93 ANTONIVS *Studites Patriarcha, est designatus qui cum renunciasset sacerdotio, quod per sex annos tenuerat, ac paulò pòst obiisset, & vacasset Ecclesia 4. annis cum dimidio designatus est.*

94 NICOLAVS *Chrysoberges, qui cùm Pontificatum annos 12. & menses octo ornasset. defuncto successit.*

95 SISINNIVS *Magister, vir ab ineunte ætate in literis versatus. Quo & ipso (cum triennium Ecclesiam rexisset) mortuo eligitur Patriarcha.*

96 SERGIVS *qui Manuelis Monasterio præerat Patriarchæ Photio genere coniunctus. Cum autem ad annos 20, Ecclesiam pauisset, mortem obiit, & in eius locum suffectus est.*

97 EVSTATHIVS *sacerdotum aulæ Palatinæ princeps: qui cùm orthodoxorum Ecclesiæ 8. annis præfuisset, moritur paulò antè Basilium Porphyro genitum Imperatorem.*

98 *Eique succedit Alexius, Solitarius è mansione Studiana in Patriarcharum solium translatus. Acceptis 90 auri libris & totidem Clero donatis matrimonium Michaëlis Im. cum Zoë Imperatrice Romani Argyropoli vidua confirmauit, Penè excidit Patriarchatu, fraude Ioannis Orphanotrophi, fratris Michaelis Paphlagonis Imp. Zonara. & Glyc.*

99 *Alexio mortuo cum Sedem illam tenuisset quiete 18. annis Monomachus Imperator auri centenarios 25. è Monasterio Alexij ab illo in thesauros relatos abstulit. Ei verò successit Michaëlus cognomēto Cerularius vitæ solitariæ sectator: Eius, mortui manus Crucis in modum sic conformata, vt solebat esse cùm populo pacem denuntiaret, immobilis nec mutata mansit. Zonaras in vita Isaaci Comneni.*

100 CONSTANTINVS *Præses, & Protouestiarius cognomento Lichudes, liberalis & magnificus, & solers Ecclesia per annos 4. & menses 6 gubernata in aliam vitam migrauit.* Glyc & Zona.

101 IOANNES *Xyphilinus, Monachus propter eloquentiam, prudentiam, doctrinam, & virtutem omnino admirandus, oriundus Trapezunte, vitam in Olympo religiosis exercitiis agebat, vnde tanquam inter alios, eximius vi ad Patriarchatum pertractus est, & pauit Ecclesiam annis 11. mensibus* 7. Zon. & Glyc.

102 COSMAS, *ineruditus ille quidem, sed omnis generis virtutibus ortus (quâ de causa etiam in maximo precio ab Imper. habebatur.) Nicephorum Botoniatem, insignibus imperij redamiuit. Eius verò successores Alexij Comneni, cùm imperandi rationem probare non posset, desperaretque de emendatione, tolle (inquit, ministro suo) librum hunc Psalmorum, & me sequere. His dictis, ex Ecclesia sanctissimus Patriarcha discessit: Eius verò in locum suffectus est, cùm fidelem populum, annos 5. & menses 9. pauisset* Zon. & Glyc.

103 EVSTRATIVS, *spado simplici vir ingenio, & dignus qui in angulo lateret. Verùm & ille post triennium administrati Pontificatus, ob ignotam quandam causam, nolens deturbatur euectio vicissim ad Patriarchici solij sublimitatem. Glyc.*

104 NICOLAO *Monacho, cognomento Grammatico, qui in studio virtutis ætate acta, literarum non rudis erat, licet non exquisitè peritus: Ecclesia per annos 27. gubernata, obiit senex admodum.* Glyc.

105 LEO *Stypiota.*

106 MICHAEL *Aciti, Monasterij Monachus virtute celebris, Imperatorem Manuelem, à quo vnctus erat, vicissim vngit sacram ædem ingressum. Oxites cognominatus, summa Sede vltro cessit, & in Oxiam Insulam rediit, in qua vitæ inopis, & simplicis institutum à puero amplexus fuerat Nicetas in annal.*

107 COSMAS *patria Æginetа, ex numero Diaconorum, licet eruditissimus, virtutem tamen choro illustrior, Imperatricis vterum execratus est. Nicetas.*

108 THEODOSIVS *principem sedem imperante Manuele curabat, & ornabat. Sedi suæ restitutus natus patre Armenio, sponte secessit in insulam Terebinthum Nicetas.*

109 CAMATERO *Basilio, Oecumenicus patriarchatus ab Andronico delatus, vel potiùs venditus syngrapho quam promiserat se quicquid ei libuisset facturum, deiecto per Isaacium Angelum imperatorem.*

110 NICETAS *Mūdanus Ecclesiæ maximæ Sacellarius successit, quem natu maximum in sacra sede expirare non est passus Imp. sed delirium, & leuitatem & senium causatus, expulit.*

111 LEONTIVS *verò Monachus quidem pastor designatus est, sed hunc Dei genetricem † priusquam annus elaberetur etiam repudiauit Imperator, &c.*

† Dei genitricē honorē appellat Nicetas, quòd imperator constitiſset, hunc designandū Patriarchā, & locum in quo habitaret, a Dei genitrice sibi fuisse cōmonstratū.

112 DOSITHEVS *verò Hierosolymitanus ad Oecumenicum Patriarchatum euectus est: quod vt faceret Isaac Imperator, Balsamonem Antiochenum decepit.*

Paulò post hæc tempora, capta à Gallis & Venetis vrbe Constantinopolitana, & electo Veneto Patriarcha, apertè nimium desciuerunt Græci à Communione Sedis Apostolicæ: Proinde in describendo illo Patriarcharum Cathalogo vltra progredi nolui.

NVMERATI A NICEPHORO EPISCOPI ALEXANDRINI *in Ægypto.*

1 Marcus Euangelista, annis 2.
2 Annianus, an. 22.
3 Abilius, annis 12.
4 Cerdo, annis 15.
5 Primos, annis 12.
6 Iustinus, annis 10.
7 Eumenes, annis 13.
8 Marcianus, annis 10.
9 Celadion, annis 10.
10 Agrippinus, annis 14.
11 Iulianus, annis 15.
12 Demetrius, annis 10.
13 Heracleas, annis 46.
14 Dionysius expulsus Imperat. Valeriano, ann. 17.
15 Maximianus, anois 8.
16 Theonas, annis 19.
17 Petrus Martyr, an. 11. Hactenus ex diuersis gentibus, & non Christiani Imperatores fuerunt vsque ad Constantinum Magnum. Post Constantinum autem M. Alexandrini Episcopi ita numerantur.
18 Achilas, ann. 1.
19 Alexander, qui fuit in prima Synodo, annis 23.
20 Athanasius, sæpè expulsus ab Arrianis: cui primùm eiecto, suffecerunt Arriani suæ quendam factionis Gregorium.
21 Hic expulsus est à Constantio, & rursum factus Athanasius Episcopus.
22 Georgius Cappadox, deiecto denuò Athanasio, annis Athanasius tertiò, itémque quarto Episcopus factus Vniuersi anni huius, sunt 46.
23 Petrus, expulsus à Valente, anno 1.
24 Lucius Arrianus, annis 5.
25 Petrus iterum, anno 1.
26 Timotheus, qui secundæ synodo adfuit, an. 8.
27 Theophilus, annis 28.
28 Cyrillus, qui Ephesi in priore synodo fuit constata

contra

contra impium Nestorium, annis 32.
29 Dioscorus, in synodo posteriore Ephesi insidiosa & praua, annis 5. Remouetur seu deturbatur à 4. Synodo, coacta Chalcedone.
30 Proterius Orthodoxus, occisus in lacu sacro seu diuino, annis 6.
31 Timotheus Ælurus, annis 2.
32 Timotheus Albus, annis 15.
33 Petrus Mongus, anno 1.
34 Ioannes expulsus, annis 3.
35 Petrus iterum annis 6.
36 Athanasius hæreticus, annis 7.
37 Ioannes, annis 9.
38 Ioannes alius, annis 11.
39 Dioscorus, annis 3.
40 Timotheus, tempore Iustiniani Imperatoris.
41 †Gaianus, anno 1. († De Gaiano, & 6 sequentibus deinceps Alexandrinis Episcopis, vide Leontium, lib. de Sectis, Act.)
42 Theodosius annis 2.
43 Paulus, annis 2.
44 Zoilus, annis 7.
45 Apollinaris, annis 19.
46 Ioannes, annis 11.
47 Eulogius, annis 27.
48 Theodorus Scribon, annis 2.
49 Ioannes Cyprius, nominatus Misericors, annis 10.
50 Georgius, annis 14.
51 Cyrus, annis 10.
52 Petrus annis 10.

EPISCOPI ANTIOCHIÆ, NVMERATI ET NOMINATI à Nicephoro.

1 PEtrus Apostolus, annis 2.
2 Euodius, annis 23.
3 Ignatius, Deo plenus, Martyr factus Traiani temporibus, annis 4.
4 Heron annis 20.
5 Cornelius, annis 13.
6 Herodes annis 6.
7 Theophilus, annis 13.
8 Maximianus, annis 13.
9 Serapion, annis 25.
10 Asclepiades, annis 9.
11 Philetus, annis 8.
12 Zebinus, annis 6.
13 Babylas, martyr factus temporibus Decij, annis 13.
14 Fabius, annis 9.
15 Demetrianus, annis 4.
16 Paulus Samosatensis, annis 8.
17 Domnus, annis 2.
18 Timæus, annis 10.
19 Cyrillus, annis 15.

A 20 Tyrannus, annis 13.
Hactenus alieni Imperatores fuere à Christiana doctrina, & hanc colentibus infesti. Postquam autem esse Imperatores Christiani cœperunt, hi nominantur.
21 Vitalis, annis 6.
22 Philogonius, annis 5.
23 Paulus, annis 5.
24 Eustathius, qui fuit in prima synodo Nicæna primarius. Idem eicitur ab Arrianis, annis 18.
Post quem præsederunt Arriani.
25 Eulalius, annis 3.
26 Euphronius, annis 8.
27 Phacellus, tempore cuius celebrantur Encænia Ecclesiæ magnæ Antiochiæ, annis 12.
28 Stephanus, annis 3.
29 Leontius, annis 8. de hoc Leontio Eunuco; vide Nicetam, in Thesauro, lib. 5. cap. 30.
B
30 Eudoxius, annis 2.
31 Ananius, annis 4: Nicetas, illum, Adrianum vel Anianum nominat; Thesauri lib. 5. cap. 18.
32 Meletius confessor, expulsus a Valente, annis 25.
33 Euzoius Arrianus, annis.
34 Meletius rursum, cum affuisset in conuentu secundæ synodi Constantinopoli.
35 Flauianus, annis 20.
36 Porphyrius, annis
37 Alexander annis
Theodotus, annis 4.
38 Ioannes, qui fuit in tertia synodo Ephesi, annis 18.
39 Domnus, in altera synodo Ephesi insidiosa, annis 8.
40 Maximus præsens in synodo Chalcedone, quæ numeratur hic expulsus fuit ob lapsum annis 4.
41 Basilius, annis 2.
C 42 Acacius, quo præsidente vrbs corruit, anno 1.
43 Martyrius, annis 13.
44 Iulianus, annis 15.
45 Petrus Fullo eiectus à Zenone, annis 3.
46 Ioannes, eiectus post menses tres.
47 Stephanus annis 3.
48 Stephanus alius, anno 1.
49 Calandion, annis 4.
50 Petrus Fullo rursum,
51 Palladius, annis 10.
52 Flauianus, expulsus ab Anastasio Imperatore, an. 7.
53 Paulus eiusdem tempore, annis 3.
54 Euphrasius, oppressus ruina vrbis, annis 5.
55 Euphraimius, tempore Iustiniani, annis 18. (Euagrius, Historiæ lib. 6 cap. vltimo restitutum ait Anno. 23.)
56 Domnus, annis 14.
57 Anastasius, annis 11.
58 Gregorius, annis 24.
59 Anastasius iterum, annis 6.
60 Anastasius alius, annis 9.

ADONIS VIENNENSIS CHRONICON.

SEX MVNDI ÆTATES, DE QVIBVS Adonis Chronica tractant.

PRIMA *ætas ab origine mundi ad diluuium vsque peruenit.*
SECVNDA *ætas à diluuio ad Abrahami natiuitatem.*
TERTIA *ab Abraham ad Dauidem vsque.*
QVARTA *à Dauidis regno ad Transmigrationem Hebræorum in Babyloniam.*
QVINTA *ab eadem captiuitate ad Christum seruatorem nostrum.*
SEXTA *ætas à Christo ad mundi finem,*

ADONIS *Viennensis Archiepiscopus, vita, moribus & doctrina celeberrimus, scripsit commentarios de sex mundi ætatibus, seu Chronicon ab origine mundi ad sua vsque tempora, id est, ad regnum Ludouici Francorum regis cognomento Balbi anno Domini 879. vt apparet ex fine chronici. Eum inter sanctos cooptatum habet Rom. Martyrologium 16. Decembris.*

CHRONICORVM ADONIS ARCHIEPISCOPI VIENNENSIS BREVIARIVM.

Chronograph. Iul. Africanus. Eusebius.

BREVES temporum per generationes & regna, primus ex nostris Iulius Africanus sub Imperatore Marco Aurelio Antonino simplicis historiæ stilo elicuit. Deinde Eusebius Cæsariensis, atque sanctæ memoriæ Hieronymus presbyter, Chronicorum canonum multiplicem ediderunt historiam, regnis simul ac temporibus ordinatam. Post hos alij atque alij, inter quos præcipuè, Victor Turonensis Ecclesiæ Episcopus, recensitis prædictorum historiis, gesta sequentium ætatum, vsque ad consulatum Iustini iunioris expleuit. Horum nos temporum summam, ab exordio mundi vsque ad Imperatoris Lotharij ac Ludouici fratris eius, ac Ludouici, & Caroli regum principatum, quanta potuimus breuitate notauimus, adiicientes è latere descendentem lineam temporum, cuius indicio summa præteriti sæculi cognoscatur. Quædam etiam ex diuinis libris ad eruditionem legentium, vbi opportunum duximus, subnotantes: vt ex breui lector plura colligere possit.

Victor Turonensis.

Creatio.

Sex diebus, rerum creaturam Deus formauit. Primo die, condidit lucem. Secundo firmamentum cœli medio librauit aquarum, ipsis aquis ac terra cum cœlo superiore ac virtutibus, quæ in ea conditorem laudarent, ante horum sex dierum exordium creatis. Tertio, congregatis in suum locum aquis, quæ cuncta contexerant, aridam iussit apparere. Quarto, sidera in firmamento cœli posuit, qui nunc quantum coniectura æquinoctij colligitur XII. Calendarum Aprilium vocatur. Quinto, natatilia, & volatilia animantia creauit. Sexto, animalia terrestria, & ipsum hominem Adam formauit: de cuius latere dormientis, matrem omnium viuentium Euam produxit: qui nunc, quantum credibile videtur, decimus Calendarum Aprilium dies appellatur. Vnde meritò creditur, si non verior sententia vicerit, eodem decimo Calendarum Aprilium die, Dominum fuisse crucifixum. Dicebat enim vna eadémque non solum Hebdomadis, sed & mensis die, secundum Adam pro generis humani salute viuifica morte sopitum, de productis è latere suo cœlestibus sacramentis sponsam sibi Ecclesiam sanctificare: quo videlicet die primum Adam humani generis patrem ipse creauerat: eíque de latere costam tollens, mulierem ædificauerat, cuius adiutorio genus humanum propagaret.

Adam creatus quo Christus passus est die.

230 Adam annorum centum triginta, genuit Seth: cui superuixit annis octingētis. Verùm septuaginta interpretes, ante natū Seth, posuerūt annos ducentos & triginta; postea, septingētos. Seth interpretatur resurrectio, quia

Seth.

A in eo resuscitatum est semen iustum, quod est stirpis filiorum Dei: & quia significauit resurrectionem Christi à mortuis: cuius mortem illatam à Iudæis significauit Abel, qui dicitur luctus, à fratre Cain occisus.

Seth annorum centum quinque genuit Enos: cui superuixit annis DCCCVII. Porrò Septuaginta ante natum Enos, annos CCV. postea posuêre, DCCVII. Enos interpretatur homo, de quo benedicitur. Iste cœpit inuocare nomen Domini: quia hominum est proprium vt suæ conditionis memores inuocent conditoris auxilium, vt filij resurrectionis esse lætentur. 235

Enos anno nonagesimo genuit Cainā: cui superuixit annos DCCCXV. Septuaginta ante natum Cainam centum nonaginta annos: postea DCCXV. posuêre. Cuius nomen interpretatur, natura Dei. 325

Enos.

Cainam annorum septuaginta genuit Malalcel: post B cuius ortum vixit annos DCCCXL. Septuaginta ante natum Malaleel, centum septuaginta: postea dixere, DCCXL. Qui interpretatur, quis est Dominus Deus, vel ex vita Deus. 295

Cainan.

Malaleel anno sexagesimoquinto, genuit Iared: cui superuixit annos octiogentos triginta. Septuaginta ante natum Iared autem centum sexagintaquinque postea posuêre DCXXX. Interpretatur autem, descendens, siue roborans. 460

Malaleel.

Iared annorum centum sexaginta duorum genuit Enoch, cui superuixit annos DCCC. In hac generatione nusquam vtrique codices discrepant. Enoch translatus est à Deo: quíque etiam nonnulla scripsisse, Iuda apostolo idipsum attestante, fertur. Sed ob antiquitatem suspectæ fidei, à patribus refutata sunt, vt sunt illa quæ sub eius nomine proferuntur de Gigantibus fabulæ, † quòd C non habuerint homines patres. 622

Iared. Enoch.

† De scriptis Enoch, vide Sixti Senens. Bibliothecam lib. 2.

Enoch annorum sexagintaquinque genuit Mathusalem: post cuius ortum ambulauit cum Deo, trecentis annis. Septuaginta ante natum Mathusalem posuêre centum quinquaginta quinque annos, postea ducentos. Enoch, qui interpretatur dedicatio, septima generatione translatus, ciuitatem electorum insinuat, quæ in sexta huius seculi ætate pro Deo laborans, in septima sabbati futuri gloriam dedicationis expectat. At quia reprobi sola præsenti sunt felicitate contenti, Cain ciuitatem quam statuit, non in septima generatione, sed in primogenito Enoch filio consecrat. 684

Mathusalem annorum centum octogintaseptē genuit Lamech, cui superuixit annos septingentos octogintaduos, id est, vsq; ad diluuium. Septuaginta ante natū Lamech, centum sexagintaseptem annos ponunt: postea, octingentos duos: qui numerus, vt lector facillimè 874

Mathusale. Lamech.

videbit, iuxta Hebraïcam veritatem viginti annis: iuxta vetò Septuaginta auctoritatem, quatuordecim annis tempora diluuij transiit. Et quomodo verum est, quòd octo tantùm animæ in archa saluæ factæ sunt? Sed in Hebræorum & in Samaritanorum libris ita scriptum reperitur, Et vixit Mathusala centum octogintaseptem annis, & genuit Lamech: & vixit Mathusala, postquam genuit Lamech, DCCLXXXII. annos, & genuit filios & filias. Et fuerunt omnes dies Mathusalæ, anni DCCCCLXIX. & mortuus est. Et vixit Lamech centum octoginta duos annos, & genuit Noë. A die ergo natiuitatis Mathusalæ vsque ad diem ortus Noë, sunt anni trecenti sexaginta nouem. His adde sexcentos annos Noë: quia in sexcentesimo vitæ eius anno diluuium factum est: atque ita fit vt DCCCCLXIX. anno

Diluuium quando.

874 vitæ suæ Mathusalam ortuus sit, eo anno quo cœpit esse diluuium. Mathusala annorum centum octogintaseptem, genuit Lamech: hac generatione gigantes nati sunt, hácque ætate Iubal ex genere Cain artem musicam repetit: cuius etiam frater Tubal Cain, æris ferriq; inuentor fuit.

Musica, æris & ferri inuentio.

1056 Lamech annorum centum octogintaduorum, genuit Noë: cui superuixit annos septingentos quinq;. Septuaginta ponunt annos ante natum Noë, centum octogintanoue. Et postea, DLXV. In hac sola generatione summa vniuersitatis discrepat, quia trigintaquatuor annis plus vixisse Lamech in Hebræis quàm in Septuaginta translatorum codicibus inuenitur: & quia hoc potuit accidere errore scriptoris, potius ei linguæ creditur, vnde est in aliam per interpretes facta translatio.

1556 Noë diuino oraculo iubente, anno ætatis suæ D. archam ædificare cœpit. His temporibus, vt refert Iosephus, scientes illi homines, quòd aut aquis aut igne perire poterant, in duabus columnis ex latere & lapide factis, studia sua conscripserunt, ne delerentur memoria quæ sapienter inuenerant. Quarum lapidea columna fertur in diluuio durasse, & hactenus in Syria permanere. Noë anno sexcentesimo venit diluuium mense secundo decimaseptima die mensis. Cuius archam Iosephus sedisse refert in montibus Armeniæ, qui vocantur Ararat. Hæc prima ætas seculi, secundum Hebraicam translationem, continet annos mille sexcentos quinquaginta sex. Secundum septuaginta editionem, bis mille ducentos quadragintaduos.

Noë. Ioseph. anti.1. Columnæ latericiæ.

In hac prima ætate, sacræ literæ continent præter veritatem historicam, & omnis creaturæ conditionem, quòd virtute Spiritus sancti creatura per inobediētiam peccati labe fœdata sanctificatis aquis esset ad perpetuã gratiam abluenda: sicque lux pietatis, à nocte impietatis, misericordi iustáque diuisione esset dirimenda. Et in formatione Adam, & de costa lateris eius, mulieris Euæ, sacramentum Christi & Ecclesiæ. Et in contempto mãdato, omnibus transgressoribus præceptorum Dei perpetuam mortem iusto iudicio inferri. Et in serpentem diabolum prolatam sententiam in eis manere qui eius fecerint voluntatem, & in maledicto mulieris, originale peccatum sequi, & transgressorum filios sub peccato nasci, & prædictam pœnam peccati in labore sudoris & doloris, quam radix humani generis Adam per propagationem in ramos ex radice damnata venientes transfudit.

Oros. lib. 1. c. 3.

In Cain & Abel duorum populorum, figuram Iudæorum & Christianorum, vbi sacrificium maioris respuitur, & minoris placitum absumitur: electorum multitudinem, ad veram & æternam dedicationem transferendam, & homicidæ filios, viæ suæ ordinem corrumpentes, & iusto & manifesto iudicio omnipotentis Dei intercipiendos.

Cain & Abel figura Iudæorum & Christianorum.

1657 Secunda seculi ætate, prima huius die, quæ est vicesimaseptima mensis secundi, egressus est Noe de archa, in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquã. Quod commemorans in epistola sua B. Petrus Apostolus statim exponere curauit: Quod & vos nunc similis

Exitus arcæ.

A formæ saluos fecit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio per Deum: per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei, in aqua diluuij, baptismum: in archa & his quæ continebat, Ecclesiam & fideles eius: in octonario animarum numero, mysterium dominicæ resurrectionis, in cuius fide baptizamur, docens esse figurata.

Fuerunt autem Noe filij tres, Sem, Cham, & Iaphet: es quibus septuaginta duæ linguæ sunt, id est, de Sem, XXVII. de Cham, XXX. de Iaphet, XV.

Linguæ septuaginta duæ.

Sem centesimo anno genuit Arphaxad, biennio post diluuium, à quo Chaldæi. Superuixit autem Sem nato Arphaxad, D. annis, id est, vsque ad L. annum natiuitatis Iacob. 1658

Arphaxad annorum CXXXV. genuit Sale. Hic Septua- 694

B ginta interpretes vnam generationem plusquam Hebraica veritas, posuerunt, dicētes, Quod Arphaxad cùm esset annorum CXXXV. genuit Cainan: qui cùm CXXX. annorum fuerit, ipse genuit Sale. Quorum translationem Euangelista Lucas hoc loco videtur esse sequutus. Vixit autem Arphaxad post natum Sale, quadringentis tribus annis: cui tamen septuaginta post natum Cainam adscribũt annos CCCCXXX. & Cainan post natum Sale, CCCXXXVIII. Ab Arphaxad, Samaritæ vel Indi.

Arphaxad.

Sale annorum triginta, genuit Heber: cui superuixit annis quadringentis tribus. Ante natum Heber, septuaginta posuerunt annos centum triginta: postea, trecentos triginta: ab hoc Heber Hebræorum nomen & genus oritur. 724

Sale.

Heber annorum trigintaquatuor, genuit Phalec: cui 785

C superuixit quadringentis triginta annis. Septuaginta ante natum Phalec posuere annos centum trigintaquatuor: postea, ducentos septuaginta. Phalec interpretatur diuisio: cui propterea tale nomen parentes imposuerũt, quia tempore natiuitatis ipsius, terra per linguarum confusionem diuisa est: cuius diuisionis Arnobius rhetor ita meminit: Sem primogenito Noe, pars facta est à Persida & Bactris vsque in Indiam longè, & vsque Rinocoruras: quæ spacia terrarum habent linguas sermone barbarico, vigintiseptem. In quibus linguis gentes sunt patriarum quadragintasex, non diuersarum linguarum, sed diuersarum patriarum: sicuti cùm vna lingua sit Latina, sub vna lingua diuersæ sunt patriæ, Brutiorum, Lucanorum, Appulorum, Calabrorum, Picen-

Heber.

Arnobius in Psal. 104. Philastrius hæreseon cap. 106. plures linguas ante Babel, asserit Linguarum distinctio.

D torum, Thuscorum: & si dicamus his atque huiusmodi similia. Cham verò secundus filius Noe, à Rinocoruris vsque Gaddila, habens linguas, sermone à Punico parte Garamantium: Latino, à parte boreæ: barbarico, à parte meridiani Æthiopum, Ægyptiorum, & barbaris interioribus, vario sermone viginti duabus linguis, in patriis CCCXCIIII. Iaphet autem tertius à Media vsque ad Gaddila ad boream. Habet autem Iaphet flumen Tigridem, quod diuidit Mediam & Babyloniam, in patriis ducentis, sermone vario in linguis vigintiquatuor. Fuẽ ergo omnes simul linguæ, septuaginta duæ: patriæ autem generationum, mille: quæ in tripertito orbe, Asia, Africa, Europa sitæ sunt: habétque, vt diximus, Iaphet flumẽ Trigidem, quod diuidit Mediam & Babyloniam:

E Sem autem Eufraten: Cham verò Geon, qui vocatur Nilus.

Phalec annorum triginta, genuit Ragau: cui superuixit annis ducentis nouem. Septuaginta ante natum Ragau centumtriginta annos posuẽt: postea, ducentos octo. Tempore Phalec turris ædificata est, factáque linguarum diuisio. Huius turris altitudo, quinquies mille centum septuagintaquatuor dicitur tenere passuum, paulatim altioribus in angustias coarctatis, vt pondus imminens faciliùs sustentaret. Describunt ibi templa marmorea, lapidibus pretiosis auróque distincta, & multa alia quæ videntur incredibilia. Auctor huius turris Nemrod gigas extitit. Qui post confusionem linguarum, migrauit inde ad Persas, eósque ignem colere docuit. Abhinc errores gentium creuerunt, templa constructa, & bel.

Phalec. Ragau. Turris Babel.

quidam gentium principes tanquam dij sunt adorati.

1820 Ragau annorum trigintaduo genuit Seruth: cui superuixit annis ducentis septem. Septuaginta, ante natum Seruth, centum trigintaduos annos ponunt, postea ducentos octo. Scytharum regnum exortum est, vbi primus regnauit Tanaus.

1850 Seruth. Seruth annorum triginta, genuit Nachor: cui superuixit annos ducentos. Septuaginta ante natum Nachor ponunt annos centum triginta: postea ducentos. Aegyptiorum regnum sumit principium, vbi primus regnauit Zoes.

1878 Nachor. Nachor annorum vigintiocto genuit Thare: cui superuixit annos centum & nouendecim. Septuaginta ante natum Thare ponunt septuaginta nouem: postea, centum triginta nouem. Assyriorum regnum & Sicyoniorum nascitur: sed primus in Assyriis regnauit Belus, quem quidam Saturnum existimant: in Sicyonia Aegialeus, à quo Aegialea nuncupata est, quæ hactenus Peloponnesus vocatur. Ninus rex Assyriorum primus propagandæ dominationis libidine, arma foras extulit, cruentámque vitam magnis per totam Asiam bellis egit.

Belus. Saturnus.

1948 Thare. Thare annorum septuaginta genuit Abraham: cui superuixit annos centum trigintaquinque: sub quo Zoroastres, magicæ inuentor, à Nino rege occiditur. qui Ninus ipse, dum deficientem à se oppugnat vrbem, sagitta ictus interiit, murique Babyloniæ à Semiramide regina Assyriorum ædificantur. Hactenus secunda seculi ætas protenditur: fiuntque anni à diluuio vsq; ad Abraham, M. Septuaginta duo, secundum vulgatam editionem, id est septuaginta interpretum: secundum verò Hebræorum codices, longè pauciores inueniuntur, id est, ducentis nonagintaduobus.

Zoroastres Berosus lib. 5.

IN hac secunda ætate sacræ literæ continent, præter veritatem historicam, fidem, & sacramentis plenam patrum obedientiam. In hac Noë mysticæ iussioni & fabricæ obediens, archam figuratis numeris & mensuris fabricans, eámque mundis immundisque animalibus, vt ei præceptum fuerat, implens, Ecclesiam sanctam nobis composuit, mirificis sacramentis redundantem, lignum passionis & crucis ferentem, morte Christi baptismi gratiam exhibentem, pretium nostrum tanquam per ostium lateris manantem, per quod columba eadem ipsa Ecclesia tanto munere donata processit: & coruus hæreticus exiens, tantis sacramentis indignus, ab illa quæ texerat, nigredine peccati infectus: transuolans humani cadaueris cupiditate naufragous, reuerti contemnit. Archa construitur à Noë, de lignis non putrescentibus: Ecclesia construitur à Christo, ex hominibus in sempiternum victuris, quæ nunc in fluctibus huius mundi natat.

Archa quid significauerit.

Quòd autem de quadratis lignis fieri iubetur, stabilem vitam sanctorum significat, vndique ad omne opus bonum paratam: quocunque enim verteris quadratum, firmiter stabit.

Quòd bitumine glutinantur archæ ligna intrinsecus & extrinsecus, vt in compage vnitatis significetur tolerantia charitatis, ne scandalis Ecclesiam tentantibus, siue ab his qui intus sunt, siue ab illis qui foris sunt, cedat fraterna iunctura, & soluat vinculum pacis, est enim bitumen feruentissimum & violentissimum gluten, significans dilectionis ardorem, magna fortitudine ad tenendam societatem spiritalem omnia tolerantem.

Bitumen archæ quid.

Quòd trecentis cubitis archa longa est, vt sexies quinquaginta compleantur: sicut sex ætatibus omne huius seculi tẽpus extenditur, in quibus omnibus Christus nunquam destitit prædicari: sed in trecentis cubitis signum ligni passionis ostenditur. Ipsius enim literæ numerus, crucis demonstrat signum, quo socij Christi passionis effecti per baptismum longitudinem vitæ æternę adipiscimur. Quòd verò cubitis quinquaginta latitudo eius expanditur, insinuat quòd corda credentium Spiritus sancti dono charitate dilatantur: vnde quinquagesimo die post resurrectionem suam Christus spiritum sanctũ credẽtibus misit. Quòd autem eius altitudo triginta cubitis surgit, quem numerum decies habet in trecẽtis cubitis lõgitudo, quia Christus est altitudo nostra, qui triginta annorum ætatem gerens, doctrinam Euangelicam consecrauit, contestans, legem non se venisse soluere, sed adimplere. Quòd sexies longa ad latitudinem suam, & decies ad altitudinem suam, humani corporis instar ostendit, in quo Christus apparuit: corporis enim longitudo à vertice vsque ad vestigium, sexies tantum habet, quantum latitudo, quæ est ab vno latere ad alterum latus, à dextera in sinistram, vel à sinistra in dexteram: & decies quàm altus à terra. Vnde facta est arca CCC in longitudine cubitorum, & L. in latitudine, & triginta in altitudine.

Eadem archa collecta in vnum cubitum, desuper consummatur: sic ecclesia, corpus Christi, in vnitate collecta, sublimatur & perficitur. Quòd autem aditus ei fit à latere, nemo quippè intrat in Ecclesiam, nisi per sacramentum redemptionis peccatorum, quod ex Christi latere aperto manauit.

Quòd inferiora archæ bicamerata & tricamerata construuntur, sic ex omnibus gentibus vel bipertitam multitudinem congregat Ecclesia, propter circuncisionem & præputium: vel tripertitam, propter tres filios Noë, quorum progenie repletus est orbis. Ideò archæ inferiora dicta sunt, quia in hac terrena vita est diuersitas gentium. In summa autem omnes in vnum consummantur: & non est ibi varietas, quia omnia & in omnibus Christus.

Quod cuncta animalium includuntur genera in archa, quia ex omnibus gentibus & nationibus congregatio fit in Ecclesia: quod etiam Petro demonstratus discus ille significat, quod munda & immunda ibi sint animalia: sicut in Ecclesiæ sacramentis, & boni & mali versantur. Act. 10.

Quòd septena sunt munda, & bina immunda, ideò quia boni seruant vnitatem spiritus in vinculo pacis, sanctum autem spiritum in diuina scriptura in septiformi operatione commendat, mali autem in binario numero ad schismata faciles, & quodammodo diuisibiles ostenduntur.

Quòd ipse Noë cùm suis octauus numeratur, quia in Christo spes resurrectionis nostræ apparuit, qui octaua die, id est, post sabbati septimam, à mortuis resurrexit.

Quòd post septem dies ex quo ingressus est Noë in archam, factum est diluuium, quia in spem futuræ quietis, quæ septimo die significata est, baptizamur.

Quòd præter archam omnis caro quam terra sustentabat, diluuio consumpta est, quia præter Ecclesiæ societatem, aqua baptismi quamuis eadem sit, nõ solùm non valet ad salutem, sed potiùs valet ad perniciem.

Quod quadraginta diebus & quadraginta noctibus pluit, quia omnis reatus peccatorum in decem præceptis legis admittitur per vniuersum orbem terrarum: qui quatuor partibus continetur, siue ille reatus, qui ad dies pertinet, ex rerum prosperitate; siue qui ad noctes, ex rerum aduersitate contractus sit, sacramento baptismi abluitur. Pluuia diluuij 40. dierum.

Quòd Noë quingentorum erat annorum, cùm ei locutus est Dominus, vt archam sibi faceret, & sexcentos agebat annos, cùm in eam fuisset ingressus, significatur sexta ætate in manifestatione Euangelica Ecclesiã construendam. quod & secundus mensis anni sexcentesimi, quo intrat Noë in archam, significat. duo enim menses senario numero concluduntur: à senario enim numero, & sexaginta cognominantur, & sexcenti, & sex millia, & sexaginta millia, & sexcenta millia, & quicquid deinceps in maioribus summis per eundem articulum numeri in infinitum consurgit. Et quòd vigesimusseptimus dies mensis commemoratur, ad eiusdem quadraturæ significationem pertinet, quæ iam in quadratis lignis exposita est: sed hic euidentiùs quia nos ad omne

opus bonum paratos, id est quodammodo conquadratos, trinitas perficit, in memoria qua Deum recolimus, in intelligentia qua cognoscimus, in voluntate qua diligimus: tria enim ter, & hoc ter, fiunt vigintiseptem, qui est numeri ternarij quadratus.

Quòd septimo mense archa sedit, hoc est requieuit, ad illam septimam requiem significatio recurrit, qua perfecti requiescunt: ibi quoque illius quadratiæ numerus iteratur. nam vicesimaseptima die secundi mensis, commendatum est hoc sacramentum: & rursus vicesimaseptima die mensis septimi, eadem commendatio confirmata est cùm archa requieuit: quod enim promittitur in spe, hoc exhibetur in re.

Porrò, quia ipsa septima requies cum octaua resurrectione coniungitur, hoc in sacramento regenerationis nostræ, id est, in baptismo, altum profundúmque mysterium est, quod quindecim cubitis supercrescit aqua, excedens altitudinem montium. Octo itaque & septem, quindecim faciunt: sed octo significant resurrectionem, septem quietem. hoc sacramentum resurrectionis & quietis transcendit omnem sapientiam superborum, ita vt nullo modo possint indagare scientia sua altitudinem resurrectionis & quietis: & quia septuaginta à septem, & octoginta ab octo dinumerantur coniuncto vtroque numero cl. dies, quibus exaltata est aqua, eandem commendant nobis atque confirmant altitudinem baptismi, in consecrando nouo homine ad tenendam quietis & consecrationis fidem.

Coruus in archam nõ regressus.

Quòd post dies quadraginta emissus coruus, non est reuersus, aut aquis vtique interceptus, aut aliquo supernatante cadauere illectus, significat homines immunditia cupiditatis teterrimos, & ob hoc ad ea quæ foris sunt in hoc mundo ire: aut rebaptizari, quasi aut præter archam, id est, præter ecclesiam, baptismus prosit, vt occidant & seducant, docere & tenere.

Columba regressa.

Quod columba emissa, non inuenta requie, reuersa est, ostendit per nouum testamentum requiem sanctis in hoc mundo non esse promissam, post quadraginta enim dies emissa est, qui numerus vitam, quæ in hoc mũdo agitur, significat. Denique post septem dies dimissa propter illam septenariam operationem spiritalem, oliuæ fructuosum surculum retulit: quo significaret nonnullos etiam extra ecclesiam baptizatos, si in eis pinguedo non defuerit charitatis, posteriore tempore in ore columbæ tanquam in osculo pacis, ad vnitatem societatis posse perduci. Quòd post alios septem dies eadem dimissa, non est reuersa, significat finem seculi, quando erit sanctorum requies, non adhuc in sacramento spei, quo in hoc tempore consociatur, quandiu bibitur quod de latere Christi manauit: sed iam in ipsa perfectione salutis æternæ, cùm tradetur regnum Deo & patri, vt perspicua contemplatione incommutabilis veritatis, nullis ministeriis corporalibus egeamus.

Quod sexcentesimo & primo anno vitæ Noe, aperitur archæ tectum, quia finita sexta ætate seculi reuelabitur absconditum sacramentum atque promissum.

Quòd vicesimo septimo die secundi mẽsis, dicitur sicca fuisse terra, tanquam finita est baptizandi iam necessitas in numero dierum quinquagesimo & septimo: ipse enim est dies secundi mensis, vicesimusseptimus, qui numerus ex illa coniunctione spiritus & corporis septies octonos habet, vno addito propter vnitatis vinculum.

Quòd de archa coniuncti exeunt, qui disiuncti antè intrauerant, quia in hoc tempore caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: postmodum autem, id est in fine seculi, in resurrectione scilicet sanctorum, omnimoda & perfecta pace spiritus corpori adhærebit, nulla mortalitatis indigentia, vel concupiscentia resistente.

Dantur eis cuncta animalia in escam, ex quibus sanguis prohibetur manducari, ne vita pristina, quasi suffocata, teneatur in conscientia, sed habeat tanquam effusionem per confessionem.

Arcus seu arcus coelestis.

Quòd verò testamentum posuit Deus inter se & homines, atque omnem animam viuam, ne perderet eam diluuio, arcum scilicet qui apparet in nubibus, qui nunquam nisi de sole resplendet, quia illi non pereunt diluuio, qui in prophetis & omnibus diuinis scripturis, tanquam in Dei nubibus agnoscunt Christum.

In hac ætate secunda post diluuium plantauit vineam Noe, & inebriatus atq; nudatus est in domo sua portans Christi figuram, qui inebriatus est, dum passus est: nudatus est, dum crucifixus est, in domo sua, in gente sua, & in domesticis sanguinis suis. Hanc nuditatem, id est, passionem Christi videns Chain, derisit: & Iudæi Christi mortem videntes, subsannauere. Sem verò & Iaphet, tanquam duo populi, ex circuncisione & præputio, credentes, quodammodo passionem Christi velamento texerunt, id est sacramento honorauerunt: vestimentũ enim significat sacramentum: quod dorso imposuerunt, quasi memoriam præteritorum: quia passionem Christi iam factam celebrat ecclesia, nõ adhuc spectat futuram. Medius autem frater Chain, id est, impius populus Iudæorum, qui nec primatum apostolicæ tenuit, nec vltimus in gentibus credidit: vidit nuditatem patris, quia consensit in necem domini saluatoris. nunciat fratribus foras, quia per eum manifestatum est quod erat in prophetis secretum. ideoque fit seruus fratrum suorum, facta ipsa gens quodammodo scriniaria Christianorum, baiulans legem & prophetas ad testimonium assertionis ecclesiæ, vt honoremus per sacramentum, quod nunciant illi per literam. Peccante Chã posteritas eius damnatur, quia plebs Iudaica quæ Dominum crucifixit, etiam in filios pœnam damnationis suæ transmisit. Sed & reprobi qui hic delinquunt, in posterum, id est, in futurum, sententia damnationis excipiunt.

Chã nudatam pudenda patris hoc est salutauit, inquit Berosus.

Nemrod tyrannidẽ arripuit.

Nemrod filius Chus, primus nouam imperij cupiditate tyrannidem arripuit, comparatus diabolo, qui superbè intumescens super sidera se exaltare voluit: quiq; venator & deceptor hominum ad mortem in Babel, id est in confusione, regnare non immerito dicitur: ibi cõfunduntur linguæ turrem impietatis superbæ ædificantium, omnium videlicet qui ab vnitate fidei & integritate confessionis, quasi per dissonantiam linguæ ab inuicem secernuntur.

Ætas tertia.

TERTIA mundi ætas à natiuitate cœpit Abraham patriarchæ, qui septuagintaquinque annorũ cum esset, relicta gente & patria, ad imperium Dei venit in terram Chanaan, accipiẽs promissionem nasciturí de suo semine saluatoris, in quo benedicerentur omnes gẽtes, simul & seipsum in gentem magnam esse futurum: quarum vna spiritalis, altera est promissio carnalis. His temporibus adhuc Ninus & Semiramis in Assyriis regnant. 3185

Abraham annorum octoginta sex, genuit Ismaël, à quo Ismaelitæ, qui posteà Agareni, ad vltimum Sarraceni sunt dicti. Vixit autem Ismael annos centum triginta septem. Interpretatur autem Ismael, auditio Dei, populum Iudæorum significans, eo quòd in fine mũdi credituros à Domino exaudiatur. Porrò Agar interpretatur aduena vel conuersa, synagogæ gerens personam. 3271

Abraham.

Abraham annorum centum, genuit Isaac: qui primus & solus intra testamenti veteris seriem, legitur octaua die circuncisus. Quod non sine magno mysterio priuilegium est filio promissionis donatũ. Interpretatur autem Abram pater excelsus, propter priorum scilicet populum Iudæorum: Abraham verò pater multarum, id est gentium, sicut est illud in apostolo, Qui contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium. Vixit autem centum septoaginta quinque annis. 3285

Isaac.

Isaac annorum septuaginta, genuit Esau & Iacob, patriarchas Idumææ & Israeliticæ gentis, post quorum ortum vixit annis cx. factique sunt omnes anni illius, centum octoginta. His temporibus primus apud Argos regnauit Inachus, annis L. cuius filius fuit Phoroneus, qui primus in Græcia leges iudiciáq; conscripsit, qui & Io, quã Aegyptij mutato nomine Isidẽ coluerunt. Interpre- 3350

Reges Argiuorum.

tatur autem Isaac risus, qui in typo saluatoris à patre in sacrificio oblatus est.

3440 Iacob annorum xc. genuit Ioseph. His temporibus Serapis Iouis filius, vt quidam ferunt, Ægyptiorum rex moriens, falso errore in deos transfertur: & Memphis ciuitas in Ægypto conditur ab Ape Argiuorum rege: Sparta quoque a Sparto Phoronei filio Argiuorum regis.

Iacob. Serapis. Mēphis conditur.

3480 Iacob annorum centum triginta, descendit in Ægyptum, in animabus septuaginta. Vixit autem annis decē & septem in Ægypto: factique sunt omnes dies vitæ illius, centum quadraginta septem anni. Interpretatur autem Iacob, supplantator, qui & Israël, videns Deum: vel melius, princeps cum Deo, omnium sanctorum præferens imaginem, qui per fidem atque munditiam cordis semper videns Deum. Ioseph annorum cx. moritur: cuius ossa tulit Moyses & filij Israël, pariterque ossa fratrum ipsius filiorum Iacob, & portauerunt in terram Chanaan. Hoc tempore Græcia Argo regnante habere segetes cœpit, delatis aliunde seminibus.

Seges tum primum in Græcia.

3546 Hebræorum seruitus in Aegypto annorum cxliiij. Vt scriptura autem testatur Exodi, habitatio filiorū Israël qui manserunt in Aegypto, fuit ccccxxx. annorum: quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Aegypti. quorum tamen summam annorum, Chronographi à septuagesimo anno & quinto natiuitatis Abraham, quando terram repromissionis intrauit, computant, sequentes editionem Septuaginta interpretum, quæ dicit, Habitatio autem filiorū Israel, qua habitauerunt in Aegypto, & in terra Chanaā ipsi & patres eorum, anni ccccxxx. Quā necessariò sequendam & ipsa Hebraica veritas ostēdit, quæ narrat Caat filium
" Leui, quem natum esse constat in terra Chanaan, vixisse
" annis cxxxiij. & filium Amram patrem Moysis annis
" cxxxvij. & ipsum Moysem octoginta fuisse annorum,
" tempore egressionis de Agypto. Quia omnino horum
" summam annorum constat, quadringentos & triginta
" implere non posse. Annuit autem horum translationi & apostolus cum ait, Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius, non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno: & semini tuo qui est Christus: hoc autem dico: testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionē. His temporibus, scilicet seruitutis Israël in Aegypto, Prometheus fuisse scribitur, quem fingunt fabulæ de luto formasse homines. Tunc etiam frater eius Atlas magnus est astrologus habitus: Mercoriusque nepos Atlantis multarum artium peritus, & ob hoc post mortem vano errore in deos translatus.

Hebræorū seruitus in Ægypto.

Prometheus. Atlas Mercurius.

3641 Hac etiam ætate primus Procidus quadrigam iunxit: eodemque tempore Cecrops Athenas condidit, & ex nomine Mineruæ Atticos Athenienses vocauit. Iste etiam bouem immolans, primus in sacrificio Iouē adorari præcepit. Tunc primi chorites Corybantes modulatam in armis saltationem & consonam inuenerunt. Tunc etiam scribitur in Thessalia sub Deucalione factum diluuium, & Phaethontis fabulosum incendium.

Procidus quadrigam iungit. Corybantes. Deucalionis diluuiū. Phaethōtis incēdium.

3649 Moyses, annis xl. eductum ex Aegypto populum Israel, & de seruitute Aegyptia liberatum, rexit in deserto, quorum primo anno tabernaculum Domino cōstruit, & septem mensibus opus perficiens, mense primo anni secundi, prima die mensis erexit. Per eundem Moysen Iudæi simul cum lege & literas habere cœperunt. Quinque libri Moysis secundum septuaginta seniorum interpretationē, continēt gesta annorum, MMM.DCCXXX. Quot verò annos huius temporis Hebraica veritas cōtineat, Iosephus in primo contra Apionem grammaticum libro ita commemorat: Neque igitur innumera apud nos habentur volumina inter se inuicē discordantia, sed duo tantùm & viginti sunt libri, qui omnium temporum seriem continent, qui & iustè creduntur diuinitus inspirati. Ex quibus quinque sunt Moysis, continentes leges vitæ & successionis humanæ prosapiam, vsque ad ipsius Moysis terminum pertendentes, qui paulominus à tribus millibus annorum continentiam gerunt. Moysis temporibus templum Delphis cōstruitur: Lacedæmon conditur. Moyses cxx. annorum moritur. Vitis in Græcia inuenitur. His temporibus adeò ingens & grauis æstus incanduit, vt sol per deuia transcēdens vniuersum orbem nō calore affecisse, sed igne torruisse dicatur. Inde ridicula Phaethontis texitur fabula.

Moyses.

Delphicum templum. Lacedæmō conditur.

Iosue annis xxvj. rexit populum Israël, vt Iosephus docet, nam scriptura sancta quot fuerint anni ducatus illius, tacet. Eusebius in Chronicis xxvij. posuit. Primo autem sui ducatus anno Iosue, primo mense, decima die mensis, populum patefacto Iordanis alueo, in terram repromissionis induxit. Quo videlicet anno, vt in Chronicis Eusebii reperimus, principium erat quinquagesimi primi Iubilæi secundum Hebræos, facilè inueniri valet, id est anni bis mille quingenti ab initio mundi erant complēti: singulis Iubilæorum ordinibus per quinquagenos annos deputatis. Sed nostra inquisitio comperit minorem temporis huius esse summam: constat enim quia mille dclvj. ad diluuium vsque fuêre anni: inde ad Abraham, ccxcij. qui lxx. erat annorum quando promissionem Dei accepit. Promissionis annis quadringenti triginta: ducatus Moysis, anni lx. qui profectò numerus non bis mille quingentos, sed vij. minus, id est MM. ccccxciij. annos implent. His temporibus Iosue, primus Erychthonius Atheniensium princeps in Græcia quadrigam iunxit. Iosue centum & decem annorum moritur. 3710

Iosue ducatus.

Erychthonius quadrigam reperit.

Othoniel annis quadraginta de tribu Iuda primus Israël deo iubente iudex constituitur, illum præfigurans qui in tertio tempore mundi tribu Iuda cum gratia ad saluandos populos venit. Huius temporibus primo filij Israël seruierunt Chusan Rasataim regi Mesopotamiæ: octo annis Cadmus regnat Thebis, qui primus Græcas literas adinuenit. Per idem tempus, primi Linus & Amphion apud Græcos in musica arte claruerunt, Idæique Dactyli ferrum inuenerunt eo tempore. 3757

Othoniel primus iudex Israel.

Cadmus. Linus. Amphion Idei Dact.

Ahoth, annis lxxx. filius Iera, filij Gemini, qui vtraque manu vtebatur pro dextera. Cuius principiis seruiuit Israël Eglō regi Moab annos xviij. donec percusso Eglon liberauit Israël. Hoc tempore Cyrene ciuitas condita est in Lybia. His temporibus fabulæ fictę sunt de Triptolemo, quòd iubente Cerere, serpentium pennis gestatus, indigentibus frumenta volando distribuit: de Hippocētauris, quòd equorum hominumq; fuerint natura permixti: de Cerbero tricipiti inferorum cane: de Phrixo & Helle sorore sua, quòd ariete vecti per aërem volauerint: de Gorgone meretrice, quę crinita serpentibus fuerit, & aspicientes conuertebat in lapides: de Bellerophōte, quòd equo pennis volanti sit vectus: de Amphione, quòd citharæ cantu lapides & saxa commouerit. 3797

Ahoth. Cyrene cōdita. Triptol. Hippocentauri. Cerberus. Phryxo. Gorgona. Bellerophon.

Debora prophetissa ex tribu Ephraim cum Barac de tribu Nepthalim, annis xl. Cuius initio ducatus oppressit filios Israel Iabin rex Chanaan, qui regnabat in Asor annis viginti. sed occiso ab Israel, & à Iael vxore Abercinei Sisara principe militiæ eius, humiliatus tandem ac deletus est. Hoc tempore Miletus condita. Per idem tempus Apollo medicinæ artem inuenit. Fabula quoq; tunc ficta est de fabro Dædalo, & eius filio Icaro, quòd coaptatis sibi pēnis volauerit. Hac ætate primus regnat Latinis Picus, qui fertur Saturni filius fuisse. 3877

Debora. Miletus cōdita. Apollo medicinā reperit. Dædalus. Picus.

Gedeon annis xl. ex tribu Manasse. Sub quo seruiuit Israel Madianitis & Amalechitis, vij. annis: sed Gedeon pugnante liberatur. Vrbs Tyrus condita, ante templum Hierosolymorum, annis ccxl. Orpheus Thracius Linúsque magister Herculis, artis musicæ inuentores, clari habentur. Argonautarum nauigatio scribitur. 3918

Gedeon. Tyrus condita. Orpheus.

Abimelech, annis iij. regnauit in Sichem. Iste septuaginta fratres suos filios Gedeonis interfecit. Hercules Ilium vastat. 3955

Abimelech

Thola, annis xxiij. filius Foa, patrui Abimelech, vir de 3958

Thola.

Ifachar, qui habitabat in Sanie montis Ephraim. Priamus in Troia post Laomeduntem, regnauit annos xiij. Fabula ficta de Minotauro, bestia labyrintho inclusa. Bellum Lapitharum & Centaurorum, quos scribit Palæphatus primo de Incredibilibus libro, nobiles fuisse equites Thessalorum.

Priamus. Minotaurus.

3981 Iair, annis xxxij. ex tribu Manasse. Per hæc tempora Hercules agonem olympiacum constituit, atque in Lybya Antæum occidit, à quo vsque ad primam olympiadem supputantur anni ccccxxx.

Iair. Olympici constituti.

4004 Ieptes Galadites, annis vj. Philistini & Amanitæ deprimunt Israel: ex quibus Amanitæ debellantur à Iepte: qui in libro Iudicum ab ætate Moysis vsque ad semetipsum, ait supputari annos ccc. vel vt quidam codices habent, annos cccxxxv. Cuius tempore Hercules quinquagesimum secundum annum agens, ob morbi dolorem sese flammis iniecit. Per idem tempus Alexander Helenam rapuit, Troianúmque bellum decennale surrexit.

Ieptes. Herculis incendium. Helenæ raptus.

4010 Ahesa de Bethleem, annis vij. Agamemnon imperat Mycenis xxxv. cuius anno xv. Troia capitur. Amazones arma sumpserunt.

Abesa

4017 Aialon Zabulonites, annis decem. Hic cum annis suis x. in Septuaginta interpretibus non habetur, pro quorũ damno supplendo, Iosue filio Num, Eusebius Samueli & Sauli, quorum annos scriptura non dicit, plures annos quàm in Iosepho legerat, adnotauit, quatenus ab egressu Israel ex Aegypto vsque ad ædificationem templi, cccclxxx. annorum summam, quam scriptura prædicat, haberet.

4025 Abdon siue Labdon de tribu Ephraim, annis viij. Cuius anno tertio Troia capta est: & Aeneas ad Italiam venit. Completis à primo anno Cecropis, qui primus apud Atticam regnauit, annos trecentos triginta quinque. A quadragesimo autem & tertio anno regni Nini Assyriorum regis, computantur anni octingenti viginti quinque. A mortuo Labdon seruluit Israel Philistæis quadraginta annis Hac ætate Carmentis nympha, Latinas literas reperit.

Abdon. Troia capitur. Carmenta literas reperit.

4025 Samson de tribu Dan, annis viginti. Ascanius Aeneæ filius Albam condidit. Vlyssis quoque fabula ficta. Hactenus Iudicum liber tempora signat, habens annos ducentos nonagintanouem, Iudices autem duodecim: post quos sacerdotes constituti sunt Latini, qui postea Romani nuncupati sunt, post tertium annum captiuitatis Troiæ, siue annis tribus. Postquam octauum regnauit Aeneas, vt quidam scribunt, Ascanius annis triginta octo. Ante Aeneam, Ianus, Saturnus, Picus, Faunus Latinus in Italia regnauerunt, per annos circiter centum quinquaginta.

Samson Alba conditur. Latinorum Reges.

4046 Heli sacerdos, annis quadraginta. In Hebræorũ libris, anni quadraginta: in Septuaginta, anni viginti inueniuntur. Arca testamenti ab Allophylis capitur. Regnum Sicyoniorum finitur, qui ab Aegialeo vsque ad Zeuzippum regnauerunt, per annos nongentos sexaginta duos, Hectoris filij Ilium receperunt, expulsis Antenoris posteris, Heleno illis subsidium ferente. Latinorum tertius Siluius Æneæ filius, regnat annis xxix. qui quòd post mortem patris editus, ruri fuerat educatus, & Siluij, & Posthumi nomen accepit, à quo omnes Albanorum reges, Siluij vocati sunt.

Heli. Siluius.

4085 Samuel & Saul, annis quadraginta. In scriptura sacra, ducatus Samuelis quot annis fuerit minimè patet: docet tamen Iosephus xiii. annis principatum illius emicuisse. Chronici verò, Samuel & Saul simul annis xl. præfuisse signant. In Actibus Apostolorum apostolus Paulus ita concionatus ad populum est, Deus plebis Israël elegit patres nostros, & plebem exaltauit. cùm essent incolæ in terra Ægypti, & in brachio excelso eduxit eos ex ea: & per quadraginta annorum tempus, mores eorum sustinuit in deserto: & destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum, quasi post quadringentos & quinquaginta annos: & post hæc dedit iudices, vsque ad Samuel prophetam: & exindè postulauerunt regem: & dedit illis Deus Saul, filium Cis, virum de tribu Beniamin, annis quadraginta. Ab hoc tempora prophetarum incipiunt. Lacedæmoniorum regnum exoritur: atque Homerus fuisse putatur.

Samuel. Laced. regnum. Homerus. Ætatis tertiæ allegoria.

In hac tertia ætate mundi, salua veritate historica, præfigurat in vocatione Abrahæ, terram viuentium Christi populo futuram, nec incolatus nostri longos exitus formidandos, & in Christo Domino semper sperandum, per cuius gratiam viuendo sempiterna potiemur hæreditate: & in semine eiusdem Abrahæ, vt stellas cœli multiplicari populum Christianum: & in oblatione & sacerdotio eius regale ecclesiæ sacerdotium, & in proprietate nominis ipsius, quòd esset in Christo pater multarum gentium per fidem, cùm vnius tantùm gentis pater fuerit per generationem: & in circuncisione carnis, quòd corde circuncidendus esset Christianus.

Et in Isaac nato, qui risus dicitur, quod gentium populus qui in Christum de illa serie in carne venientem irrisum à Iudæis crederent, & agnoscerent illius contumeliosam passionem, suam veram esse liberationem.

Et in Sodoma & Gomorra, impiarum ciuitatum subuersione, futuri iudicij diem, nec posse euadere statuta supplicia, noxia curiositate propositum sanctæ conuersationis contemnentes, retróque malè viuendo respicientes: solósque liberari, quos gratia Christi liberauerit.

Et in immolatione arietis pro Isaac, Christi passionem expressam: & in iuratione Dei: quòd semen Abrahæ in Christo supra numerum excederetur, & non tantùm ex semine carnis, sed fide vocari ad infinitum numerum filios Abraham.

Isaac immolatio.

Et ex femore Abraham, carnem Christi venturam, quando idem Abraham seruo iubet, Pone manum tuam sub femore meo, & iura mihi per Deum cœli: ostenditque Christum qui est Deus cœli, per virginem Mariam ex femore suo in carne futurum.

Et in geminis Rebeccæ, duos populos, Christianos & Iudæos: quorum minor Iacob lenis, in ipsa iam pueritia per cocturam rubram lenticulæ, maiorem fratrem Esau hispidum supplantans, lenem mitémque signat populum Christianum, qui per cocturam rubram, passionem scilicet Christi, sanguine rubrata, edaci ac sæuienti Iudæo populo, cuius curam gestabat Esau, primatus dignitatem illo vendente suscepit: ille quod nascendo habuit, per concupiscentiam perdidit: Christianus per gratiam quod in natura non habuit, acquisiuit. Cui pelles hœdorum super brachia, & ceruicem nudam mater aptauit, vestéque primogeniti sui induit, tanquam iam nobis illum figuratum ostendens Christum, qui accepit, non carnem peccati, sed similitudinem carnis peccati, legémque veteris Testamenti, tanquam vestem primogeniti excipiens, non soluerit, sed impleuerit. Post cuius odorem benedictæ concurrunt omnes gentes, quæ per gratiam Iudæis & primatum, & benedictionem abstulerunt. Iacob quoque, filius Isaac, nepos Abrahæ fugiés fratris insidias, in sacramento lapidem quem ad caput habuit dormiens, eminus erigens, eúmque liniens oleo, Christum nobis lapidem angularem consecrauit. Et idem Iacob, claudus effectus in latitudine femoris populum Hebræorum significat claudicaturum. Iudas filius Iacob, cum nuru sua concubuit Thamar, qua intelligitur plebs Iudæa, cui de tribu Iuda reges tanquam mariti adhibebantur: vnde nomen eius amaritudo interpretatur, quia ipsa domino fellis poculum dedit.

Rebeccæ nati duo populi. Lapis Iacob Christus.

In duobus filiis Iudæ duo genera principum, qui non rectè operabantur in plebe, vnum eorum qui oberat, alterum qui nihil proderat: nec enim sunt amplius quã duo genera hominum inutilia generi humano: vnum nocentium, alterum præstare nolentium, & si quid boni habent in hac terrena vita perdentium, tanquam in terram fundentium: vnde maior Her interpretatur pelliciūs, qualibus tunicis induti sunt primi homines, in

Her.

Anni Mundi

Onan. *Sela.*

pœnam damnationis suæ, dimissi ex Paradiso. Sequens, Onan interpretatur mæstus eorum, id est, quibus nihil prodest cùm habeat vnde prodesse possit. In tertio filio Iudæ, Sela qui interpretatur dimissio eius, significatur tempus ex quo reges plebi Iudæorum cœperunt de tribu Iuda non fieri: quia erat eadem tribus Iuda, sed iam in populo Iudæ nemo regnabat: propterea Thamar filium Iudæ maritum nō accipiebat. Isto tempore omne magisterium Iudæorum, & mystica, vnde Christi vocabatur, vnctio ipsa defecerat. neque ad mysticam vnctionem Herodes pertinet alienigena, qui deficiente ex tribu Iuda principe regio, a Romanis in Iudæa regnum acceperat: sub cuius tempore natus est Christus, vnctus sanctus sanctorū oleo exultationis præ participib⁹ suis, qui veniens ad oues quæ perierant domus Israel, testimonio Ioannis in aqua vsus est: cuius figuram gessit ipse Iudas, cùm iret ad tōdendas oues in Tamna, quod interpretatur deficiens: iam enim defecerat princeps ex Iuda, atq; vnctio mystica Iudæorum. Venit autem cum suo pastore Odollamite, cui nomen erat Iras. interpretatur autem Odollamites, testimonium in aqua, habens quidem Dominus testimonium maius Ioanne, propter infirmas tamen oues, hoc testimonio vsus est in aqua. nam & ipse Iras, quod nomen illius pastoris fuit, interpretatur fratris mei visio. Vidit omninò fratrem suum Iesum secundum semen Abrahæ, secundum cognationem Mariæ & Elizabeth matris suæ: eundémq; Dominum & Deum suum, quem iam salutauerat ex vtero, agnouit perfectiùs ex columba: & ideò tanquam Odollamites, verè testimoniū perhibet in aqua. Venit autem Dominus ad oues tondendas, hoc est exonerandas sarcinas peccatorum. Inde Thamar habitum mutat: nam & commutans interpretatur. mutat & nomen, & de synagoga fit ecclesia, sed in ea prorsus nomen amaritudinis permanet, non illius in qua Domino fel ministrauit, sed illius in qua Petrus fleuit amarè. nam & Iuda confessio est, confessioni ergo amaritudo misceatur, vt vera pœnitētia præsignetur. Hac pœnitentia fœcundatur ecclesia in omnibus gentibus; nam & ipse habitus meretricis, confessio peccatorum est: typum quippè ecclesiæ gerit Thamar ex gentibus euocatæ, sedens cum hoc habitu ad portam Enahim, quod interpretatur fontes. currit enim velut ceruus ad fontes aquarum, peruenire ad semen Abrahæ. illic enim à non cognoscente fœtatur, quia de illo prædictum est, Populus quem non cognoui, seruiuit mihi. Accipit in occulto anulum, monile, & virgam: vocatione signatur, iustificatione decoratur, glorificatione exaltatur, sed hæc adhuc in occulto, vbi fit conceptio sanctæ vbertatis. Mittitur meretrici promissus hœdus exprobratio scilicet peccati per eundem Odollamitem, tanquam increpantem & dicentem, Generatio viperarum: sed non eam inuenit peccati exprobratio, quam mutauit confessionis amaritudo. Post verò publicis signis annuli, monilis, & virgæ, arguit temerè iudicantes Iudæos, quorum iam personam Iudas ipse gestabat, prolatis certissimis documentis suæ vocationis, iustificationis & glorificationis. Ostendit virgam signum passionis, & monile legitimæ legis, & annulum pignus immortalitatis, quando accusatur à Iudæis quasi adulteratrix legis.

Christus sanctus Sanctorum. *Iras.* *Thamar mysticè ecclesia ex gentibus.*

Ioseph & Beniamin exponuntur.

In actionibus quoque Ioseph & Beniamin, Christus & ecclesia ipsius figuratur. Quorum vnus Ioseph à patre missus, signat Christum à patre missum ad oues, visitandas, cùm fratres in passione, tunica expoliatum miserunt in lacum: ac vestem eius in sanguine hœdi tinctā, sub falsa testatione, patri miserunt: venditúmq; gentibus saluatorem transmiserunt, cui cœlum, in sole, stellæ ac luna, & in manipulis terra, inferna quoque carceris subdebentur, vt ei omne genu flectatur, cœlestium, terrestriū, & infernorum. Cum eodem Ioseph, ad sacramentum dominicæ passionis, duo Pharaonis spadones in carcerem detrusi sunt, vt trium crucifixorum numerus suppleretur: è quibus verus Ioseph Christus, reuelādo mysteria vnum puniret per debitum supplicium, alterum per indebitam gratiam liberaret. Idem Ioseph post duos annos, dierum tertio incipiente, de carcere educitur: & Christus die tertia à mortuis resurgit. Præsentatur Pharaoni: mūdo resurrectio declaratur. Data est Ioseph potestas in Ægypto: data est Christo omnis potestas in cœlo & in terra. Collegit Ioseph per suos frumētum multum: collegit Christus credentium numerum sine numero. Construit Ioseph horrea per totam Ægyptum: consecrauit Christus per totum mundum ecclesias. Aperuit Ioseph horrea tempore famis, & ministrauit frumenta populis: aperuit Christus ea horreis suis diuturnam sui corporis præbiturus annonam esurientibus, & sitientibus institutam. Acquisiuit Ioseph totam Aegyptum Pharaoni: acquisiuit Christus mundum pastum & reconciliatum patri. Venerunt fratres Ioseph, qui eum vendiderant, fame compulsi, ad eum: venerunt & ad Christum Iudæi, qui eum crucifixerant, vt eius refecti cibariis, à fame animæ liberarentur. Adorant illi, adorant & isti: sicque mutis sacramentis, in actione fratrum, actio nobis apostolica præmonstratur.

Beniamin Paulum præfigurat.

In Beniamin quoque extremo Ioseph fratre, doctor & magister gentium in fide & veritate, Paulus præfiguratur: cui figuratè scyphus argenteus in sacco legis celatur, & ccc. argentei cum quinque stolis optimis dantur.

Et in descensione Iacob in Aegyptum, Christi descensio in mundum: & in multiplicatione seminis eius in Aegypto, in Christo per fidem gentes in toto mundo multiplicandæ.

Moyses typus Christi.

In Moyse figura exprimitur mediatoris, qui mundo pacem intulit: vt Moyses Aegyptum sabulo abscondit, Christus ex obsessis virtutem diaboli, expellendo cohibuit. Quòd idem Moyses vxorem filiam sacerdotis Madian accepit, mediatorem ex alienigenis sumere coniugem significat & ecclesiam. Quod idem pastor ouium, mediatorem signauit pastorem bonum ouium in carne futurum: qui ex hoc mundo quasi ex Aegypto oues suas colligendo, in vnum ouile ecclesiæ congregaret. Superantur magorum præstigiæ, serpénsque Moysi vorauit serpentes eorum magorum: virga Christi, doctrina, qua omnium paganorum hæreticorúmque dogmata consumuntur.

In Aegypto decem plagis mundus feritur: in occisione agni, Christi immolatio: & in figura paschæ, Christi transitus ad patrem. In mari rubro, baptismus Christi sanguine rubratus. In manna, panis cœlestis Christus expressus in extensione manuum Moysi, signo crucis expugnari inimicos. Datæ leges in monte, Christi mandata seruari in spirituali altitudine. In tabernaculo, Christi ecclesiam.

In Aaron sacerdotio, nouum in Christo sacerdotium. In sacrificiis omnibus, Christum figuratum. In varietate leprarum, hæreseon vel errorum varietates. In escis mundis & immundis, eleemosynis munda omnia fieri. In Aegypti escis desideratis, Christum manna fastidisse, & voluptatibus illicitis concupiscentias præstitisse. In virga Aaron germinante, confirmationem sacerdotij Christi. In æneo serpente, Christi morte vbiq; in ore fidelium sonante, virulentiam virorum peremendam, & à percussione diaboli, fide mortem Christi aspicientes sanandos. Et in bis percussa petra sacramenta passionis Christi mirabili opere distincta. Et in vacca rossa, cuius cinis in aquas lustrationis proiicit, mysterium nostræ redemptionis, & salutis plenissimè expressum.

In sepultura Moysi occultata, literam legis & carnales obseruationes occulendas.

Iesu Naue Debora.

In Iesu Naue principatu sequente, Dominum Christū in nouo testamento verum ducem & principem futurum, & ciuitates mundi destructurum, ac aereas potestates debellaturum, ac omnem idololatriam penitus abluturum, & omnis generis vitia expugnaturum.

Debora in typo, ecclesiæ hostem superauit. Gedeon gratiam Christi abundantem commendauit, & quòd fi-

de trinitatis hostes essent superandi, ac martyria appetenda, actis suis insinuauit. In Abimelech concobinæ filio, hæretici. In Iephthe filia virgine, carnis Christi immolatio virginis, & in resurrectione totius corruptionis absorptio. In Sãpson Nazareo, Christus Dominus fortis in capite: in ligatione ipsius à meretrice muliere, Christus Dominus, quòd Iudæorum vincula omnia potentialiter dirumperet. In Ruth, ecclesia ex gentibus, Iudæis inludens. In Samuele, Christus Dominus dux, sacerdos & propheta, sacerdotes arguens, & synagogam veterem nouo sacerdotio Christi in gratia noui Testamenti permutans.

Clauditur hæc tertia ætas patriarcharum actis, & legis sacramentis, ac iudicum figuris, venerabiliter insignis, in repulsione & abiectione Saulis, continens annos nongentos quadraginta.

Ætas 4.
4125 QVARTA ætas mundi. Dauid primus ex tribu Iuda rex, annis quadraginta. Latinorũ quintus, Siluius, annis quinquaginta. Codrus sponte se hostibus offerẽs, interimitur. Ephesus condita ab Andronico. Carthago cõdita est à Didone filia Carchedonis Tyrij, anno centesimo quadragesimotertio post Troianum excidium: Prophetantibus in Iudæa, Gath, Nathan, & Asaph.

Codrus. Ephesus & Tyrus conditæ.

4165 Salomon filius Dauid, annis quadraginta. Qui quarto regni sui anno, mense secundo, templum Domino ædificare cœpit in Hierusalem, collectis ab egressu Israël ex Ægypto annis quadringentis octoginta: quod in figuram vniuersi temporis, quo in hoc seculo Christi ædificatur ecclesia, quæ in futuro perficitur septem annis, & septimo mense anni octaui, dedicauit. Latinorum sextus, Alba Siluius Æneæ filius, regnat annis octoginta octo. Regina Sabba venit audire sapientiam Salomonis.

Regina Sabba. Roboam.

4205 Roboam filius Salomonis, annis sexdecim. Sub quo Hieroboam de tribu Ephraim separauit decem tribus à domo Dauid, & à Domino, in figuram hæreticorum, qui suos sequaces à Christo & ecclesia segregant. Huius quinto anno Sesac rex Ægypti, veniens Hierosolymam, templum spoliauit. Latinorum septimus Egyptas Siluius, Albæ superioris regis filius, regnauit annis viginti tribus. S[a]mus condita, & Smyrna in vrbis modum ampliata. Sybilla Erythræa illustris habetur.

Sybilla Erythræa

388a Abia filius Roboam, annis tribus. Hic pugnãtem contra se Hieroboam superauit, occisis de exercitu eius millibus quingentis, eo quòd sperasset in domino. Sub quo Hebrææ gentis pontifex maximus Abimelech insignis est habitus.

Abia.

3885 Asa filius Abia, annis xlj. Ab hoc conductus Benadab rex Syriæ Damasci contra Israel, percussit omnem terram Nephtalim. Prophetabant in Iudæa Achias, Elia, Amos, Ioel, & Azarias. Latinorum octauus Capys Siluius Ægypti, superioris regis filius, regnat annis vigintiseptem. Asa idola destruit, templum mundat. Egredientem contra se Zaraa Æthiopem cum suo sternit exercitu. Amri rex Israel emit montem Samariæ, à Somer, duobus talentis argenti, & ædificauit eam. Achiel de Bethel, Hierico instaurat.

Asa.

3926 Iosaphat, annis vigintiquinque. Helias, & Helisæus, & Abdias, Azarias, & Micheas prophetabant. Helias Thesbites, tres semis annos pluuiam continuit, propter peccata Achab, & populi Israel, & inter cætera magnalia Helisæum filium Saphat, qui erat de Ahel Maula, pro se vnxit prophetam. Latinorum nonus Carpentus Siluios, superioris regis Capys filius regnauit annis xiij. Post quem filius eius Tyberius decimus, annis octo: Latinorum vndecimus, Agrippa, quadraginta annis. Iosaphat fecit rectum coram Domino.

Iosaphat. Helias cohibet pluuiam.

3951 Ioram filius Iosaphat, annis octo. Helias curru igneo rapitur, quasi vsque in cœlum: & Helisæus hæres prophetiæ derelictus, primo miraculo aquas Hierico sanat. In diebus Ioram recessit Edom, ne esset sub Iuda: & constituit sibi regem. Ambulauit autem Ioram in viis domus Achab: filia quippe Achab erat vxor eius.

Ioram. Helias rapitur.

A Ocbozias siue Azarias anno vno. Ionadab filius Rechab clarus habetur. Azariã cũ filio suo Ioas, & nepote Amasia, ob enormitatem scelerum, & quia nec patrem filiumve quispiam eorum bonum habebat, euangelista Matthæus à Domini saluatoris genealogia secludit. 3559 Ochosias. Ionadab.

3960 Athalia mater Azariæ annis septem. Quæ videns interfectum ab Iehu rege Israël filium suum Azariam, interfecit omnem stirpem regiam domus Ioram, præter solum Ioas filium Azariæ, quem Iosabeth vxor Ioiadæ pontificis furata est de medio filiorum regis, cùm interficerentur. Ioiada pontifex, qui solus post Moysen vixisse annos centum triginta, perhibetur.

Athalia interficit stirpem regis Ioram.

3967 Ioas, filius Azariæ, annis quadraginta. Iste bono principio & fine vsus pessimo, in principiis suis tẽplum innouauit: in extremis inter cætera facinora, Zachariam
B quoque filium Ioiadæ tutoris quondam ac regnificatoris sui, inter templum & altare lapidare præcepit: quem ob meritorum gratiam Dominus in euangelio filium Zachariæ, id est, benedicti Domini cognominat. Lycurgus legislator Apollinis oraculo insignis habetur. Latinorum duodecimus Aremulus Siluius, Agrippæ superioris regis filius, regnauit annis decem & octo, qui præsidium Albanorum inter montes, vbi nunc Roma est, posuit. Cuius filius fuit Iulius proauus Iulij Proculi, qui cum suo populo Romam commigrans, fundauit Iuliam gentem.

Ioas. Lycurgus. Aremulus. Iuliæ gentis auctor.

4247 Amasias, filius Ioas, annis vigintinouem. Helisæus propheta defunctus sepelitur in Samaria. Azahel rex Syriorum afflixit Israel.

Latinorum decimustertius, Auentinus Siluius Aremuli superioris regis maior filius, regnauit annis triginta septem: atque in eodem monte qui nunc pars vrbis est, mortuus ac sepultus, æternum loco vocabulum dedit. Vienna vrbs condita à Venerio Aphricæ exule, inde nominata, vt Liuius in Annalibus scribit, quòd biennio perfecta fuerit, primùm Bienna, postmodum b subtracta, addita v, Vienna nuncupata. Quam postea Romani senatu composito, qui Gallias disponeret, Senatoriam appellare voluerunt. Inde post aliquot tempora, quinque legionibus in ea compositis, quinque castris in circuitu eam insignem fecêre: ac publica horrea & cellaria totius militiæ ibi construxerunt. Ex nominibus autem tribunorum Iulij Cæsaris, nomina castris imposuerunt, Crappom, Eumedium, Sospolum, Quiriacum, Pompeiacum.

C Auentinus. Helisæus sepelitur. Vienna condita.

D 4175 Azarias, qui & Ozias, filius Amasiæ, annis LI. Assyriorum tricesimussextus, Tonosconcoleros, qui vocatur Græcè Sardanapalus, qui Tharsum atque Anchialem condidit: & in prælio victus ab Arbace Medo, semet incendio concremauit. Vsque ad id tẽpus fuisse reges Assyriorum historiæ referunt: & fiunt simul anni à primo anno Nini regis Assyriorum, mille clxiij. Arbaces Medus, Assyriorum imperio destructo regnum in Medos transtulit. Deinde multis prælis vndique scatescentibus, per varios euentus ad Scythas Chaldeósque, & rursum ad Medos parili via rediit. Latinorum decimus quartus, Procas Siluius, Auentini superioris regis filius regnauit. Post quem Amulius Siluius Hesiodus poëta claruit; atque Phidon Argius mensuras & pondera reperit. Per idem tempus olympias prima constituitur. Macedonum regnum inchoat, primum habens regem Cananum. Lacedæmoniorum reges deficiunt: Lydorum incipiunt. Osee, Amos, Esaias, & Ionas in Iudæa prophetant.

Ozias. Sardanapalus. Procas. Hesiodus. Phidon. Olymp. constituuntur.

E Ioathã filius Oziæ, annis sexdecim. Olympias prima ab Eliensibus constituitur. Remus & Romulus generãtur, matre & Ilia. Ioathan inter cætera virtutum bonarum opera, portam domus Domini sublimissimam ædificauit, quæ in Actibus apostolorum Speciosa vocatur.

Remus & Romulus.

4103 Achaz filius Ioathan, annis sexdecim. Ab hoc conductus Theglat Phalasar rex Assyriorum, Rasin regem Syriæ interfecit, & habitatores Damasci transtulit Cyrenem.

Achaz.

Roma conditur. Roma condita in monte Latino, vndecimo Calend. A
Maij à geminis Remo & Romulo filiis Rheæ Siluiæ,
Sabinæ raptæ. quæ erat filia Numitoris fratris regis Amulij, virgo Ve-
stalis: sed constuprata. Consualibus ludis Sabinæ raptæ,
anno ab vrbe condita tertio. Remus à Fabio Romuli
duce occisus.
Ezechias filius Achaz, annis viginti octo. Huius anno
4119 Ezechias. sexto Salmanasar rex Assyriorum, capta Samaria tran-
stulit Israel in Assyrios, atque in Iudæa Samaritas acco-
las misit. Cuius regnum à primo Hieroboam steterat
annis trecentis sexaginta. Hoc tempore Romulus pri-
mus milites ex populo sumpsit, centúmque à populo
nobilissimos viros elegit, qui ob ætatem, Senatores: ob
curam & sollicitudinem reipublicæ, Patres vocati sunt.
Mortuo Romulo, qui trigintaseptem annos regnauit,
Senatores eliguntur. per quinos dies Senatores rempublicam rexerunt: atq; B
vnus expletus est annus.
Post quos Numa Pompilius, annis quadraginta &
vno: qui Capitolium à fundamentis ædificauit.
4147 Manasses, annis quinquaginta sex. Hic ob scelera sua
Numa. catenatus & compeditus, in Babyloniam ducitur: sed ob
Manasses. pœnitentiam & preces, restituitur in regnum. Numa
Vestales. Pompilius, primus Vestales virgines instituit, duósque
menses Ianuarium & Februarium decem mensibus an-
Annus statuitur. ni adiecit. Sibylla Samia clarum.
Tullus Hostilius. Romanorum tertius, Tullus Hostilius regnauit an-
nos triginta duos, qui primus regum Romanorum pur-
pura & fascibus vsus est: & adiecto monte Cœlio, vr-
bem ampliauit.
4203 Amon, filios Manasse, annis duobus, in Hebraica ve-
Amon. ritate: in Septuaginta legitur regnasse duodecim. Hi- C
Histrus conditur. strus ciuitas in Ponto condita. Amon à seruis suis inter-
ficitur.
4205 Iosias, filius Amon, annos triginta vnum. Hic mun-
Iosias. data Iudæa & Hierusalem, templo etiam innouato, post
abiectas idololatriæ sordes, pascha domino celeberri-
mum facit decimooctauo anno regni sui: & cum Ne-
chao Ægyptiorum rege congressus, occiditur in campo
Thales. Mageddo, quæ nunc Maximianopolis vocatur. Thales
Milesius, primus physicus clarus habetur. Propheta-
Hieremias bant in Iudæa, Hieremias, Oldas, & Sophonias. Roma-
Oldas. norum quartus Ancus Martius, Numæ ex filia nepos:
Sophonias. regnauit annis viginti tribus, qui Auentinũ montem &
Ancus Martius. Ianiculum vrbi addidit: & supra mare, decimoquinto ab
vrbe miliario Hostiam condidit. Post quem Tarquinius D
Priscus, annis trigintaseptem: qui circum Romæ ædifi-
cauit, numerum senatorum auxit, Romanos ludos insti-
tuit, muros & cloacas ædificauit, Capitolium extruxit.
In Hebræo, xxj. annis regnasse Iosias. in Septuaginta in-
terpretibus, triginta tribus legitur. Sed & Eusebius in-
ter regnum eius & Ioachim, alium de suo adiecit an-
num, propter menses bis ternos quibus Ioachaz vel
Ioachim regnauerunt. Verùm quid veritas habeat, Hie-
remias pandit, qui se à decimotertio anno Iosiæ vsque
ad annum quartum Ioachim, viginti tribus annis pro-
phetasse perhibet: & Nabuchodonosor quarto anno
Ioachim regnare cœpisse: decimonono autem anno re-
gni eius, Hierusalem fuisse destructam.
4558 Ioachim, filius Iosiæ, annis vndecim. Post Iosiam re-
Ioachim. gnaon Ioachaz mensibus tribus: quem Nechao vinctum E
duceus in Ægyptum, Ioachim constituit regem. Huius
anno tertio Nabuchodonosor, capta Hierusalem, &
plurimis captiuatis, in quibus erant Daniel, Ananias, A-
zarias, Misaël, partem vasorum templi Babyloniam trãs-
fert. A quarto Ioachim anno scriptura regnum Nabu-
chodonosor computat: quia ex eo non solùm Chaldæis,
& Iudæis: sed & Assyriis, Ægyptiis, Moabitis, aliisq; in-
numeris gentibus incipit regnare.
Ioachim. Ioachim, qui & Iechonias filius Ioachim, mensibus
tribus ac diebus decem. Hic circundata à Chaldæis Hie-
rusalem, exiit ad regem Babylonis, & mater eius, & du-
ctus est in Babylonem cum populo suo, anno octauo
regni Nabuchodonosor.

A Sedechias, annis vndecim, qui & Mathan, filius Iosię.
Huius anno vndecimo, regis Babylonis xix. Iudæa capti- 4247
uata in Babyloniam, & templum Dei incensum, ædifica- Sedechias.
tionis suæ anno quadringentesimo tricesimo. Qui au-
tem reliqui fuerant Iudæi, transfugerunt in Ægyptum:
qua post annos quinque percussa à Chaldæis, in Baby-
loniam sunt & ipsi transmigrati. Secundum Septuagin-
ta interpretes anni computantur ab ædificatione tem-
pli, ccccc. quinquaginta quatuor. Per idem tempus, Sap-
pho mulier in diuerso poemate claruit: Solon leges A- Sappho. Solon.
theniensibus dedit.
In hac quarta ætate, in Dauid manu forti, paruo in David typus Christi.
fratribus vncto, regis nostri Christi sacramenta figuran-
tur. Qui pastor ouium, vnctus à Deo patre, de ore leonis
diaboli, & Petrum negantem, & latronem eripuit confi-
B tentem. Cuius citharam si respicias resonantem, quam
ligno crucis carnis membrorúmq; suorũ chordis apta-
tam plectro dum tangit sancti spiritus, omne animal re-
plet benedictione, & diabolum de cordibus fugat ini-
quorum, pro quibus in cruce orauit. Qui aduersus ma-
gnum hostem verum Goliam pugnaturus, sapientiã hu-
ius mundi, tanquam illa arma Saul reiiciens, in quinque
lapidibus, stulta mundi elegit, vt confundat fortia. Ex
quinque enim libris legis Moysis, vnus lapis prædictus
fundibulo carnis locatus, manu forti expressus, totam
diaboli superbiam elisit, suóque peremit gladio, dum
mortem ex morte occidit. Ex cuius victoria inimici Iu-
dæi inuidiam conceperunt, & pro dilectione odium re-
tribuerunt.
Quòd idem Dauid per latebras montium, per spe-
C luncas ac deserta inimico persequente, discurrit, mem-
brorum suorum ac martyrum persecutiones expressit.
Quòd inimico suo pepercit, pinnam chlamydis eius
abscindens, figurat quòd hostibus suis dum abscidit vi-
tium magnum superbiæ parcit, ne dentur æternæ occi-
sioni.
Quòd declinans persecutoris insidias, fugit in Geth:
sic Christus sæuientibus Iudæis subtrahens se gentibus
dedit.
Arreptitium idẽ se simulans, dum saliuæ illius in bar-
bam decurrunt, Christi infirmitatem sapientia condi-
tam, & sacratissimum corpus ipsius in sanctificato pa-
ne gestatum manibus suis presbyteri mysterio nobis in-
sinuat.
D Idem Dauid dolet occisum inimicum Saul: quia &
Christus suos plurimùm dilexit inimicos.
Ad Dauid vnctum totus colligitur Israel ad Christum,
vt promissum est, totus colligitur mundus.
In Dauid Christus ille desiderabilis omnibus genti-
bus, quasi in solatium deambulans, quia in sole posuit
tabernaculum suum, adamauit ecclesiam super tectum
se lauantem, id est, emundantem se à sordibus seculi, &
domum luteam spiritali contemplatione transcenden-
tem atque calcantem: & inchoata cum illa primæ con-
uentionis notitia, postea ab ea peonius separatum diabo-
lum occidit, eámq; sibi perpetuo connubio copulauit.
Dauid senili ætate confecto Abisac virgo, quæ eũ cale-
faceret, applicatur: senio vrgente mundo, verus Dauid
Christus sibi virginem calentem fide applicat ecclesiam.
E In Salomone pax nostra, qui est Christus expressus: in Salomon.
quo sapiẽtia Christus, veniens mittere gladiũ in terram,
hæreticorũ fraudem remouẽs, veræ matri catholicæ vel
paruulũ non diuisum, viuũ reddit statĩ: nec vult propter
iurgiũ hæreticorum scindere & dimidiare filiũ qui ex vi-
uis lapidibus domum construens, vnum ex omnibus fi-
delibus templum fecit: ad quem visendum sapientiámq;
eius audiendã, regina Saba, id est ecclesia, à finibus terræ Sabæ regina.
venit. Vniuersa itaque quæ de Salomone, vel ab eo pro-
phetice gesta sunt, rectè Christo Domino consignãtur.
Ne quis autem putaret in Salomone cũcta impleta quæ
prophetice de Christo dicebãtur, in senectute deprauatus, Christus suorum æterna felicitas.
rus, sapientiã diuino iudicio amisit, vt in Christo Domi-
no omnia illa quæ signata fuerant, seruarentur. Cæterũ,

fornicatus mente & corpore, domino se deserente, malè obiisse videtur: metuendum exemplum posteris relinquens, ne felicitate huius vitæ turbati, Christum deserant, qui est suorum æterna felicitas.

In diuisione regni, ac totius populi penè Israëlitici à domo Dauid, hæreticorum & schismaticorum ostenditur figura.

Helias. In Helia Christus, qui per figuram vespere seculi vt vitulus immolatus, sacerdotes omnes idololatriæ cum ipso errore simul extinxit, replens terram gratiæ pluuia, qua fames fidelis animæ repellatur.

Quòd eidem Heliæ in eremo constituto corui panem mane & carnes vespere ministrant, figura totius corporis Domini monstratur: quia primùm in præceptis panem, postea carnem dominicæ passionis ex ligno crucis decoctam Iudæi tetri colore gentibus ministrarunt.

Tribus temporibus etiam & dimidio temporis in tribus annis & sex mensibus cœlestis pluuia Dei alto iudicio negatur eis qui carnem eius non comedentes, neque eius sanguinem bibentes, redempti ab eius corpore inueniuntur alieni.

Helias pastus à vidua: Christus misericordiæ opera suscipiens, & recompensans in ecclesia, quæ adhuc vidua in agro sacrarum scripturarum per duo ligna crucis, duo præcepta colligit, vt sibi filiisque in tempore famis consulat.

In Helisæo etiam duplex spiritus Heliæ discipulorum chorus Christi, Spiritum sanctum duplo munere accipiens.

In mortuo suscitato, genus humanum per Christum afflatu gratiæ suscitatum, quem lex nullo modo suscitare valuit.

Helisæus. Iordanem Helisæus eodem spiritu operante transiit, quo noster Dominus Iesus eundem fluuium suo in baptismo consecrauit.

Insultant pueri Helisæo, & à bestiis sont lacerati: insultant Iudæi Christo, & à Romanis vel malignis spiritibus sunt peruasi. Naaman Helisæus septies lauari, vt purgaretur à lepra, in Iordane iubet: septiformis gratiæ spiritu mundari à vitiis animam, quibus interior exteriórque homo polluitur, signat: quod etiam aqua ipsa demonstrat qua tinguntur consecrati, in nomine patris & filij & spiritus sancti.

Giezi puer prophetæ munera Naaman accipiens, & per hoc maculis lepræ respersus, hæreticos ostendit, qui venditantes velut expiationes peccatorum, ipsi quoque maculis, quibus ipsi fuerant aspersi, supplentur.

In Ezechiæ regis signo Christi descensus, qui est sol iustitiæ: & etiam inferna misericorditer penetrantis figura præsignatur: qui etiam docet nos in bono nunquam prosperitatis efferri.

In Iosiæ actibus, Christus verum pascha nobis factus apertè expressus, ecclesiam suam mundans & expurgãs, pro qua mortuux est. Cuius filij ob meritum culpæ in captiuitatem ducti, qui gratiam Christi in vacuum ducunt, designant: & præcepta Christi velut Hieremię paruipendentes, diabolo, velut Nabuchodonosor, captiui vitiis traduntur. Concluditur autem hæc ætas quarta mundi à Dauid vsque ad transmigrationem in Babyloniam, continens annos cccclxx.

4271 Mũdi quinta ætas. QVINTA mundi ætas cœpit ab extremo excidio regni Iudaici, quod iuxta prophetiam Hieremiæ, septuaginta annis permansit, anno decimoquarto, postquam percussa est ciuitas, qui est vicesimus quintus annus transmigrationis regis Ioachim, cum quo Ezechiel captiuatus est, ipse Ezechiel in visionibus Dei adductus in terram Israel vidit renouationem ciuitatis ac templi, ceremoniarũmque eius. Vastata Iudęa Chaldæi, non vt Assyrij, in Samariam alios misere colonos, sed desertam reliquêre terram, donec post annos septuaginta in eam Iudæi redirent. A sacerdotibus ignis ab altari holocaustomatis sublatus & absconditus in puteo post septuagesimum regressionis annum adsumitur, inuētus viuus.

Ignis 70. annis in puteo durabilis.

Seruius.

A Romanorum sextus Seruius regnauit annos xliiij. qui tres montes Vrbi addidit, Quirinalem, Esquilinum, Viminalem, fossas circũ muros duxit. Post Nabuchodonosor, qui, teste, scriptura sacra, xxv. post euersam Hierusalem vixit annis, Euilmerodach filius eius regnauit annis decem & octo, post quem Egesar filius eius, annis quadraginta. Cui successit frater eius Laborsodach, mensibus nouem. Hoc defuncto ad Balthasar qui Naboan nuncupatur, transiit imperium. Qui cùm iam septemdecim regnaret annos, capta est a Cyro Persarum & Dario Medorum rege Babylonia, discedente Arbace præfecto in Medos, à quo primùm Babylonia dehonorata fuerat. Partem regni penes se retinuere Chaldæi, qui Babyloniam sibi aduersum Medos vindicauerunt. vnde factum est vt Nabuchodonosor, cæterique post eum vs-

Babylonis capta.

B que ad Cyrum, reges, quamuis Chaldæorum viribus potentes, & Babyloniæ nomine clari legantur, in numero tamen & cardine regum non habentur illustrium. Darius autem Astyagis filius, qui Babyloniam destruxit, cum Cyro cognato suo agebat annum sexagesimum secundum, quando Babylonia fuit inuasa. Qui que Danielem prophetam sumens, ad se in Mediam duxit, & omni eum honore celebrauit. Huius Darij Daniel ipse ita meminit, dicens: In anno primo Darij filij Assueri de semine Medorum, qui imperauit super regnum Chaldæorum: ego Daniel intellexi in libris numerũ annorũ, » de quo factus est sermo Domini ad Hieremiã prophetã, » vt complerentur desolationis Hierusalem lxx. annis. » Eusebius in Temporum libris triginta annos ab euersione Hierusalem vsque ad initium Cyri regis Persarũ:

Daniel.

Darius.

C Iulius autem Africanus lxx. computat. Porrò Hieronymus in expositione prophetæ Danielis ita dicit, Tradũt Hebræi huiusmodi fabulam vsque ad septuagesimũ annum quo Hieremias captiuitatem Iudæorum dixerat esse soluendam: de quo & Zacharias in principio voluminis sui loquitur, irritam putãs Dei pollicitationem Balthasar: falsamque promissum versus in gaudium, fecit grande conuiuium, insultans quodammodo spei Iudæorum, & vasis templi. sed statim vltio consecuta est. Danielis omnis prophetia mysteriis licet sit plena, quędam tamen pars eius ita claritate elucet, vt etiam tempus signet, quando venturus esset ipse saluator & Dominus. Septuaginta hebdomadas breuiatas esse, Gabriel angelus in populo eius eidē Danieli reuelauit, vt adduceretur iu-

Danielis hebbomades.

D stitia sempiterna, & impleretur prophetia, & vngeretur sanctus sanctorũ. Beatus Hieronymus labore ingentióq; magno per supputationes annorum regum Babyloniæ, septuaginta hebdomadis vsque ad nostri redemptoris natiuitatem, annis cccxc. perduxit, seiungens vij. in restaurationem templi hebdomadas lvij. vsque ad Domini natiuitatem & passionem ipsius, & vnam vastationis quæ facta est à Vespasiano duce cum Tito filio eius. XII. sanè sunt propheticæ visiones eiusdem Danielis, sed in Hebræo x. tantùm reperiuntur. Pythagoras per idem tempus, philosophus & Arithmeticæ inuentor clarus habetur.

Pythagoras.

4392 Cyrus. Persarum primus Cyrus regnauit annos xxx. Hic vt compleretur verbum Domini ex ore Hieremiæ, primo sui regni anno, laxata Hebræorum captiuitate L. ferme

E hominum milia regredi fecit in Iudæam, restituens eis vasa templi Domini aurea & argentea, v. millia xl. Qui congregati in Hierusalem, mense septimo ædificauerunt altare, & à primo die mensis eiusdem cœperunt offerre holocaustum Domino. Anno autem secundo aduentus sui, mense secundo, templi fundamenta iecerunt. Anno incensionis eius, iuxta Africanum, lxxij. iuxta autē chronica Eusebij, xxxij. sed impedientibus Samaritis, intermissum est opus vsque ad annum Darij secundum, qui etiam in regno Assueri & Artaxerxis scripserunt accusationem aduersum Iudæos: & rescripsit Artaxerxes ne ædificaretur Hierusalem. Romanorum septimus Tarquinius regnauit annis xxxv. Qui causa Tarquinij iunioris sui filij, qui Lucretiam corruperat, regno expul-

Tarquini⁹.

sus est.

4322 Cambyses Babylon Ægyptia.

Cambyses Cyri filius, annis viij. Hic deuicta Ægypto cunctam eius religionem abominatus, ceremonias eius & templa deposuit, Babylonem in Ægypto ædificauit. Hunc aiunt Hebræi secundum Nabuchodonosor vocari, sub quo Iudith historia scribitur.

Fratres magi, mensibus septem. Iesus sacerdos magnus & princeps gentis Zorobabel, & Aggeus, Zacharias, & Malachias prophetæ clari habentur.

4330 Magi.

Darius, annos xxxvj. Inter Darium & Cambysem regnasse duos fratres magos in libris Chronicorum reperimus: verùm B. Hiero. in expositione Danielis scribit, post Cambysem, Smerdem magum regnasse, qui Pantaptem filiã Cãbysis duxit vxorẽ. Qui cũ à septem magis fuisset occisus, & in loco eius Darius suscepisset imperiũ, eadẽ Pãtapte nupsit Dario: & ex eo Xerxẽ filium genuit. Secũdo anno Darij, septuagesimus captiuitatis Ierusalẽ annus impletur, vt vult Eusebius, testem adhibens Zachariã prophetã, apud quẽ secũdo Darij anno loquitur angelus: Domine exercituũ vsquequò tu nõ misereberis Hierusalem, & vrbiũ Iuda quibus iratus es? iste septuagesimus annus est. Sexto Darij anno tẽpli ædificatio completur, die tertia mẽsis Adar, qui est quadragesimus

Templi ædificatio.

sextus annus ex quo eius sub Cyro tẽpli fundamẽta sũt iacta, vnde in euãgelio dicunt Iudæi, Quadraginta & sex annis ædificatũ est tẽplũ hoc. Cœperũt autem ædificare anno ij. Darij, mense vj. die xxiiij. & anno vj. vt dictum est, & mense xij. tertia die complenerunt. Ex quo apparet opus templi, & antea non parua ex parte peractum. Annos autem lxx. à destructione illius vsque ad perfectam restaurandi licentiam esse computandos.

Pulsis vrbe regibus, qui imperauerant annis ccxliiij. vix vsque ad xv. lapidem Roma tenebat imperium. Romæ post exactos reges primùm consules à Bruto esse

Consules Romæ.

cœperunt: deinde tribuni plebis ac dictatores: & rursum consules semper obtinuerunt, per annos fermè cccclxiiij. vsque ad Iulium Cæsarem, qui primus singulare arripuit imperium, olympiade clxxxiiij.

4360 Xerxes filius Darij, annis xx. Hic Ægyptum, quæ à Dario discesserat, capit: & aduersus Græciam pugnaturus, septingenta millia armatorum, & ccc. de auxiliis: rostratas autem naues mille ducentas: onerarias autem, tria millia numero habuisse narratur: & tamen victus, ad patriam refugit. Pindarus, Sophocles & Euripides tragœdiarum scriptores, celebrantur insignes. Inter eruditos quoque historiarum scriptores. Herodotus, & Zeusis pictor agnoscitur. Artabanus, mensibus vij. Socrates nascitur.

Pindarus. Sophocles. Euripides. Herodot⁹. Zeusis. Socrates.

Artaxerxes, qui & Longimanus, annis xl. Huius anno vij. prima die mensis primi Esdras sacerdos & scriba legis Dei ascendit de Babylone cum epistola regis, & in prima mensis quinti venit in Hierusalem cum viris mille septing. Et inter alia strenuè gesta castigauit filios transmigrationis ab vxoribus alienigenis. Eiusdem anno vicesimo, Neemias pincerna de Susis castro adueniens, murum Hierusalem lij. diebus restituit, & ducatum genti xij. annis præbuit.

Esdras. Neemias.

HVCVSQVE diuina scriptura temporum seriem cõtinet. Quæ verò post hæc apud Iudæos sunt gesta, de libris Machabæorum, & Iosephi, atque Africani scriptis exhibentur, qui deinceps vniuersam historiam vsque ad Romana tempora persecuti sunt. Et quidem Africanus in quinto Temporum volumine, huius temporis ita meminit: Mansit itaque imperfectum opus vsque ad Neemiam, & vigesimumquintum annum regis Artaxerxis. Quo tempore regni Persarum, c. & xv. anni fuerant euoluti. Captiuitatis autem Hierusalem, cl. & v. annus erat: & tunc primùm Artaxerxes iussit muros extrui Hierusalem. Cui operi præfuit Neemias, & ædificata est platea, & muri circumdati: & ex illo tempore si numerare velis, lxx. annorum hebdomadas vsque ad Christum poteris inuenire. Xerxes menses duos. Postquam Sogdianus menses septem. Hippocrates medicus clarus

A habetur, & Democritus agnoscitur. Quo tempore Galli Senones & Viennenses, Martis & Victoriæ templum ad orientem vrbis Viennæ constituunt.

Hippocrates. Democrit.

4418 Darius Nothus.

Darius cognomento Nothus, annis xviij. Ægyptus recessit à Persis. Reuersis de captiuitate Iudæis, non reges, sed pontifices præfuerunt vsque ad Aristobulum, qui cum dignitate pontificis etiam regale sibi cœpit vsurpare vocabulum. Plato nascitur.

Plato.

4446 Artaxerxes qui cognominatus est Mnemon, Darij & Parisatis filios, annis xl. Sub hoc rege videtur historia Esther cõpleta. Ipse quippè est qui ab Hebræis Assuerus à Septuag. interpretibus, Artaxerxes vocatur. Athenienses xxiiij. literas habere cœperũt: antè enim tantum xvj. habebant. Galli Senones duce Brenno, exercitu copioso Romam inuadunt, & incensam sex mensibus vastauerunt. B Vniuersam iuuentutem, quam cõstat vix mille hominum tunc fuisse, in arce Capitolini montis latitãtem obsidione concludunt: ibique infelices reliquias fame, peste, desperatione, formidine terrent, subigunt, vendũt. Nam mille libras auri discessionis precium paciscũtur. Tribuni militares, pro consulibus esse cœperũt. Carthaginensiũ bellum formidolosissimum inchoatum, Liuio consule. Nauale prælium cum Annibale seniore cõmissum. Triginta & vna naues Annibalis captæ, viginti mersæ, tria millia hominum occisa, septem millia capta. Annibal scapha subductus, aufugit. Caio Aquilino Floro, Lucio Cornelio Scipione consulibus, Hannone in locum Annibalis imperatore subrogato, nauali prælio victus, exercitu amisso, ipse Hanno confertissimis hostibus se immiscuit, ibique occisus est. Annibal senior à C Carthaginensibus iterum imperator, infeliciter cũ Romanis nauali prælio congressus, & victus, seditione suorum lapidibus coopertus interiit. Carpeno imperatore, & Hannone classi præfecto, iterum Carthaginenses cõserto prælio cum Romanis, sexaginta & quatuor naues perdiderunt. Trecenta & eo amplius castella populata. Manlio consule, septem & viginti millia captiuorum cũ ingentibus spoliis ex Africa Romam missi. Serpens miræ magnitudinis, centum viginti pedum, haud procul à flumine Bragada, in Africa a Regulo consule occiditur. Hasdrubale & Hamilcare imperatoribus, Regulo consule, atrocissimum bellum gestum: in quo cæsa sunt Carthaginensium decem & septem millia: capta quinque millia. Elephanti decem octo abducti. Oppida octoginta & duo in deditionem cessere. D Carthaginenses Hispanorum, Gallorum, sed & Græcorum auxilio comparato, Xanthippo Lacedæmonio cum auxiliis accito, pugnam cum Romanis conserunt. Triginta millia Romanorum militum prostrata. Regulus ille dux nobilis, cũ quingentis viris captus, in cathenas coniectus est. Decimo anno Punici belli Xanthippus tam audacis facti cõscius, rerum instabilium mutationem timens, ex Africa migrauit in Græciã. Aemilio Paulo Fuluio coss. Romani cum classe trecentorũ nauium cum Carthaginẽsibus pari classe conuenerunt. Cẽtũ & quatuor naues Carthaginensiũ demersæ. Triginta cũ pugnatoribus captæ. Triginta & quinq; millia militũ cæsa, nouem nauibus Romanorũ depressis, mille centũ militibus perditis. Hãnone duce imperatore Pœnorum, commisso prælio, Aemilio iterum consule, nouem millia militum perdiderunt. E Romana classis ad Italiã prædis onusta remeãs, infando naufragio euersa. Nam de trecẽtis nauibus ducentæ viginti perierũt. Octoginta vix abiectis oneribus liberatæ. Hamilcar rex Pœnorũ, Numidiam mille argẽti talentis, & viginti millibus boum reliquis condemnauit. Principes omniũ populorũ patibulo suffixit. Seruilius & Sẽpronius, cclx. nauibus in Africã transgressi maritima circa Syrtes depopulati sunt. Inde cũ ad Italiã redirent, illisi scopulis, centum quinquaginta naues onerarias perdiderunt. Asdrubal imperator cum elephantis centũ viginti, & equitum peditúmque amplius triginta millibus cùm Metello pugnam conseruit. Viginti millia Carthaginensium eo prælio cæsa sunt. Elephanti quoque sex & viginti

Capitolium capitur. Punicum bellum. Serpens miræ magnitud. Clades Carthag.

Anni Mundi.

Regulus necatur.

& viginti interfecti, centum & quatuor capti. Asdrubal cum paucis Lilybæum profugit. Regulus qui per quinquennium captiuus detinebatur, ad pacem petendã Romam missus, non impetrata pace reuersus, resectis palpebris, in machina religatus, vigilando à Carthaginensibus necatur. Atilius Regulus & Manlius coss. victi ab Annibale Amilcaris filio, perdita exercitus parte, vix ægrè euaserunt. Claudius cos. à classe Pœnorum superatus, cum triginta nauibus Lilybæum in castra confugit: octo millia militum cæsa, triginta capta reiectuntur. Luctatius cos. cum Hannone nauibus decertans, lxiij. Punicas naues cœpit, cxxx. demersit. xxxij. millia hominum capta, cæsa quatuor millia fuêre. Hanno nauem anteuertens, aufugit. Luctatius ad Erycinam cum Marcio duo millia Carthaginensium conserta pugna interfecit. Carthaginenses ea conditione paciscuntur, vt Sicilia Sardiniáque decederent, & puri argenti tria millia talentorum B æquis pensionibus per annos viginti penderent. Post annus tres & viginti bellum Punicum primum ex quo inchoatum fuerat, finitum. Aristoteles xviij. ætatis annum gerens, Platonis auditor est.

4486. Artaxerxes.

Artaxerxes, qui & Ochus annis xxvj. qui discedere ab armis, & quiescere in pace vniuersam Græciam per legatos præcepit, denuncians contradictorem pacis bello impetendum. Bellum ciuile & plusquam ciuile apud Persas gestum, cùm Artaxerxes & Cyrus, filij Darij, de regno ambigerent: in quo conflictu, cùm è diuerso concurrêres sibi ambo fratres, mutuo casu subiecti fuissent, prior Artaxerxes vulneratus à fratre, equi velocitate morti exemptus euasit, Cyrus autem mox à cohorte regia oppressus, finem certamini dedit. Sic Artaxerxes potestatem regni parricidio firmauit. C Lacedæmones toti orienti bellum mouentes, Hercilidem ducem in hanc militiam legunt. Qui cùm sibi aduersus duos potentissimos Persarum regis præfectos, Farnabuzum & Tisiphernem, pugnandum videret, prouiso ad tempus consilio, vt pondus geminæ congressionis eluderet, vnum denunciato bello appetit, alterum pacta pace suspendit. Fornabuzus Tisiphernem apud Artaxerxem vt proditorem defert: in cuius locum Conon Atheniensis exul nauali prælio constituitur. Qui classem Lacedæmoniorum inuadit, hostiles agros, turres, castella, cæteráq; præsidia expugnat: & veluti effusa tempestas, quâcunq; incubuit, cuncta prosternit. Thebani auxilio Atheniensium multa animati fiducia, propter virtutẽ atq; industriam D Epaminondæ ducis sui, terrestre prælium committunt. Lysander, Lacedæmoniensis dux clarus occiditur. Pausanias dux alter insimulatus proditionis, in exilium ducitur.

Agesilaus Thebanos vicit.

Agesilaus rex Lacedæmoniorum, Thebanos successu duplicis victoriæ lætiores aggreditur, & superat. Ipse tamen Agesilaus grauiter vulneratur. Conon Atheniensis dux Persici exercitus, Athenas reædificat. Lacedæmones furtim castellũ Arcadum repentina irruptione perstringunt. Arcades iuncto sibi Thebanorum auxilio, amissa, furto, bello repetunt. Archedimus dux Lacedæmoniorum, ibi vulneratur. Thebani dato parcendi signo, finem dedêre certamini. Thebani Lacedæmoniis ad alia bella conuersis, tacitò intempesta nocte Lacedæmonem veniunt: præcognito aduentu hostium, armati senes, æuo cõfecti, aduersus quindecim millia militum, vix E centum homines in ipsis se portarum angustiis obtecêre. Superueniente iuuentute Lacedæmoniorum, aperto prælio Epaminondas dux Thebanorum, incautiùs dimicans, vulneratur. Cùm de victoria suorum comperisset, scutum exosculatus remota manu qua vulnus occluserat, egressum sanguinis, ac mortis patefecit introitum. Iterum terribilis Gallorum inundatio iuxta Anienem fluuium, & quartum ab vrbe lapidem cõsedit. Vbi atrocissimam pugnam Manlius Torquatus singulariter inchoauit Titus Quintius dictator cruentissima congressione confecit. Iterum in bellum ruentes Galli à Caio Sulpitio dictatore superati sunt. Iterum se Galli per maritima loca diffuderunt, & à Marco Valerio Coruino oc-

Torquatus.

Coruinus.

cisò prouocatore Gallo grauiter trucidati sunt. Artaxerxes, qui & Ochus, post transactum in Ægypto maximũ diuturnúmq; bellum, plurimos Iudæos in transmigrationem egit, atq; in Hyrcania ad Caspium mare habitare præcepit. Cuius etiam belli tempestate transcurrens, & Sidonam opulentissimam Phœnices prouinciæ vrbem deleuit, & Ægyptum quamuis priùs victus, tunc tamen subactam comminutámque ferro, Persarum subiecit imperio. Demosthenes orator agnoscitur. Aristoteles philosophus prædicatur. Plato moritur. Demost. Arist.

4512. Arses, Ochi filius, annos tres. Iudæorum pontifex max. Iaddus clarus habetur. Cuius frater Manasses, templum in monte Garizim construit. Speusippos moritur, cui succedit Xenocrates. In his diebus Alexander magnus, atrocissimus turbo totius orientis, nascitur. Anno ab Vrbe condita, cccciij. Alexander rex Epirotarum, Alexandri magni auunculus, traiectis in Italiam copiis maximo bello in Lucania victus atque occisus est. Anno ab vrbe condita, quadringentesimo, Philippus Amynthæ filius, Alexandri pater regnum Macedonum adeptus, viginti quinque annis tenuit: quibus hos omnes acerbitatum aceruos, cunctisq; malorũ moles struxit. Hic obses primùm Thebanis datus à patre, per triennium apud Epaminondam imperatorem & philosophum, eruditus est. Hic rex factus cum Atheniensibus bellum gessit, & vicit: Larissam vrbem nobilissimam cepit: Thessaliam ambitione habendorum equitum inuasit, & exercitu suo admiscuit. Cum Aruba Molossorum rege pactus, sororem eius Olympiadem vxorem duxit. Qui Aruba dum imperium suum Macedonum affinitate se dilataturum putat, per hoc deceptus amisit: priuatúsq; in exilio consenuit. Philippus apud Matonam vrbem ictu sagittæ oculum perdidit, & prope totam Græciam consiliis præuentam, viribus domuit: Cappadociam, capto per dolum rege, imperio Macedoniæ subdidit. Philippus fratres suos patri ex nouerca genitos interficere aggressus, Olynthũ vrbem florentissimam, sanguine replera, opibus hominibusq; vacuauit: & abstractos inde fratres supplicio & neci dedit. Auraria loca in Thessalia, & argenti metalla in Thracia inuasit. Philippus angustias Thermopylarum instructis copiis ingreditur, cásque præsidiis munit. Athenienses, Phocenses, atque Thessalos perdomuit. Byzantium à Pausania rege Spartanorum conditam, obsidione cinxit. Scythicum bellum totis viribus aggreditur. Viginti millia puerorum ac fœminarum Scythicæ gentis capta. Pecorum magna copia abducta: auri argentique nihil repertum. Viginti millia nobilium equorum sufficiendo generi Macedoniam missa. Bello Triballico ita Philippus in femore vulneratus est, vt per corpus eius equus interficeretur. Hic postmodum die nuptiarum Cleopatræ filiæ suæ, cùm inter duos Alexandros, filium generúmque, contenderet, à Pausania nobili Macedonum adolescente in angustiis sine custodibus circumuentus occiditur. Romani bellum Latinis rebellantibus intulerunt, Manlio Torquato & Decio Mure coss. in quo bello Decius occubuit: Manlius filium suum iuuenem victorem occidit. Minutia virgo Vestalis ob admissum incestum, viua obruta in campo qui nunc Sceleratus vocatur. Trecentæ septuaginta matronæ damnatæ, quæ propinasse venena viris suis & sceleris consciæ repertæ sunt.

Olympias.

Byzantium conditur à Pausania.

Philippus occiditur.

Minutia

4525. Darius. Darius, Arsami filius, annis vj. Alexander Philippi & Olympiadis filius, viginti ætatis annos gerens, Macedonibus regnare cœpit. Fabio magistro equitum Romanorum pugnam cõferente, viginti millia Samnitium ceciderunt. Veturio & Posthumio consulibus, apud Caudinas furculas, Samnites victoria potiti, vniuersum exercitum Romanorum turpiter captum, armis etiam vestimentísque nudatum sub iugum miserunt: sexcentis equitibus Romanis in obsidatum receptis. Papirio consule, Samnites victi sunt. Hunc Papirium inter cæteros duces tunc in republica sua optimos, Romani delegerunt, qui Alexandri impetum sustineret. Demosthenes

Caudina ignominia.

P

Anni mundi.

orator auro Persarum corruptus, vt Græci ab imperio Macedonum deficerent, auctor extitit. Alexander Athenienses metu mulctæ soluit: Thebanos eum diruta ciuitate deleuit: reliquos sub corona vendidit: cæteras vrbes Achaiæ & Thessaliæ vectigales fecit: Illyrios & Thracas bello domuit. Profecturus ad Persicum bellum, omnes cognatos ac proximos suos interfecit. In exercitu eius fuerunt peditum triginta duo millia: equitum quatuor millia: naues clxxx. tam parua manu vniuersum terrarum orbem aggredi ausus est. Primo eius cum Dario rege congressu, sexcenta millia Persarum in acie fuere. Secundo Darij aduentu timens Alexander angustias locorum, Taurum montem mira celeritate transcendit, & quingentis stadiis sub vna die cursu transmissis, Tarsum venit. Ibíque cùm sudans in Cidnum præfrigidum amnem, descendisset, obriguit: contractúque neruorum proximus morti fuit: Darius cum trecentis millibus peditum, & centum millibus equitum, in aciem procedit. Ingentibus vtrinque animis pugna committitur: in qua ambo reges, & Alexander, & Darius, vulnerantur. Persarum ibi tunc militum lxxx. millia: equitum x. millia cæsa, capta autem xl. millia fuere. Ex Macedonibus cecidere pedites cxxx. equites cl. In castris Persarum multum auri cæterarúmque opum repertum. Inter captiuos castrorum, mater & vxor, eadem soror, & filiæ duæ Darij fuère. Quarum redemptionem Darius oblata etiam regni dimidia parte, non impetrauit. Darius spe pacis amissa quadraginta quatuor millia peditum, & centum millia equitum, Alexandro apud Tarsum bello opponit. In ferrum ruunt Macedones: raróque vllo prælio tantum sanguinis fusum est. Darius victus, persuasu suorum fugere compulsus, totúsque oriens in potestatem Macedonij cessit imperij. Alexander xxxiij. continuis diebus, castrorum prædam percensuit. Persipolim caput Persici regni confertissimam opibus totius orbis inuasit. Darium cum à propinquis suis vinctum compedibus aureis teneri comperisset, cum sex millibus equitum persequi statuit: inuentúmque in itinere multis confossum vulneribus, ac mortuum, sepeliri in sepultura maiorum præcepit. Tribus præliis totidémque annis quinquies decies centena millia peditum equitúmque consumpta. Alexander etiam Iudæam ingressus, fauorabilitérque exceptus, Deo victimas immolat, & pontificem templi Iaddum honoribus plurimis prosequitur, Andromacho locorum custode dimisso. Sub Persarum regibus pontifices summi fuerunt, Iosue, Ioachim, Eliasiph, Ioiada, Ionathan, Iaddus. Mansit autem Persarum regnum, quod interfecto Dario destructum est, annos ducentos triginta vnum. Alexander post mortem Darij, annis quinque regnauit. Indiam ingressus, Nisam vrbem adiit. Callisthenem philosophum, sibíque apud Aristotelem condiscipulum, cum plurimis aliis principibus, quòd eum deposito salutandi more vt Deum non adoraret, occidit. Cum Poro Indorum rege cruentissimum bellum gessit. Porus multis vulneribus confossus, & captus, ob memoriam virtutis, in regnum restitutus est. Multæ gentes subactæ periculosissimis præliis. Indum flumen ingressus, Babylonem celeriter rediit, vbi eum exterritarum totius orbis prouinciarum legatio opperiebatur: Carthaginésium, totius Africæ ciuitatum, Hispanorum, Gallorum, Siciliæ, Sardiniæ, plurimæ prætetea partes Italiæ: ibique tricesimo secundo vitæ, regni autem sui duodecimo anno, ministri insidiis veneni haustu periit. Post quem translato in multos imperio, Ægyptum Ptolemæus Lagi filius tenuit: Macedonas Philippus, qui & Artheus frater Alexandri: Syriam & Babylonem & omnia regna orientis, Seleucus Nicanor: Asiæ regnauit Antigonus. Qui apud Danielem per quatuor hirci qui arietem conterit cornua designantur.

Darius vincitur.

Alexander Hierosolymis sacrificat

4537. Ptolemæus.

Ptolemæus Lagi filius, anni xl. Græci æstimantes, ne exules recepta libertate, vt Alexander per epistolam insferat, vltionem meditarentur, à regno Macedonum defecerunt: bellúmque Antipatro, cui Græcia sorte venerat, ingerunt. Bellum inter Antigonum & Perdiccam, cui Media minor sorte obuenerat, grauissimum oritur. Ptolemæus Ægypti viribus Perdiccam acerbissimo bello aggressus, interfecit. Olympias mater Alexandri capta à Cassandro Cariæ duce occiditur. Ptolemæus & Cassander inita cum Lysimacho & Seleuco societate, bellum terra marique contra Antigonum, qui spe dominandi Herculem Alexandri filium, liberare simulabat, instruunt. Eo bello Antigonus cum filio Demetrio vincitur. Cassander Ptolemæo in victoria particeps, Herculem Alexandri filium, quatuordecim iam annorum cum matre occidendum curat. Ptolemæus cum Demetrio nauali prælio conflixit, victúsque in Ægyptum refugit. Hac victoria Antigonus elatus, regem se cum Demetrio filio appellari iubet.

Olympias occiditur.

Quod exemplum omnes secuti, regum sibi nomen dignitatémque sumpserunt. Ptolemæus & Cassander, cæteríque alterius factionis duces, Seleucus quoq; ex Asia maiore epistolis se inuicem confirmantes bellum aduersus Antigonum communibus viribus struunt.

Eo bello Antigonus occisus est. Victores eùm de præda non conuenirent, in duas factiones diducuntur. Seleucus Demetrio, Ptolemæus Lysimacho & Cassandro iungitur.

Antigonus occiditur.

Seleucus.

Cassandro defuncto, Philippus filius succedit. Antipater Thessalonicen matrem suam Cassandri vxorem, manu sua transuerberat. Alexander frater eius ob vltionem matris, bellum aduersus fratrem instruit, & à Demetrio, cuius auxilium petierat, circunuentus occiditur. Ptolemæus & Seleucus & Lysimachus iterum societate pacta, bellum aduersus Demetrium transferunt. His comitem & belli socium se Pyrrhus rex Epiri iungit: Demetrióqor Macedonia pulso, regnum Macedoniæ Pyrrhus inuasit. Lysimachus generum suum Antipatrum insidiantem sibi interfecit, filiúmq; suum Agathoclem perosus occidit. Seleucus decimotertio Ptolemæi anno, Syriæ regnare cœpit: Babyloniam expugnauit: Bactrianos nouis motibus adsurgentes perdomuit: Transitum in Indiam fecit, quæ post mortem Alexandri excusso ceruicibus iugo præfectos eius occiderat. Cum Andragatho duce multa & grauia prælia gessit, firmatísque conditionibus pacta pace discessit: à quo tempore Machabæorum Hebræa historia Græcorum supputat regnum. A quo & Edesseni sua tempora computant. Antiochiam, Laodiceam, Seleuciam, Apamiam, Edessam, Berocam, & Pellam vrbes condidit: in eásque vrbes quas extruxerat, Iudæos transfert, ius eis ciuium & municipalem ordinem, cum Græcis æquali honore concedens. Extinctis iam trigintaquatuor Alexandri ducibus, Lysimachus annos natus septuagintaquatuor, & Seleucus septuagintaseptem, bellum inter se conserunt. Vltimum hoc bellum Alexandri commilitonum fuit. Lysimachus vel amissis vel interfectis ante quindecim liberis, postremus occisus est. Seleucus postmodum, insistente Ptolomæo, cuius sororem Lysimachus habuerat, insidiis circumuentus, occisus est. Ptolomæus Hierosolymis & Iudæa in ditionem suam dolo redactis, plurimos captiuorum in Ægyptum transtulit.

Lysimachus occiditur.

Iudæorum pontifex maximus Onias Iaddi filius, clarus habetur. Post quem religiosissimus ac piissimus pontifex, Simon Oniæ filius.

Onias.

Post quem Eleazarus frater eius filio eius Onia paruo admodum derelicto. Hoc tempore Zeno Stoicus, & Menander comicus, & Theophrastus philosophus claruerunt. Pyrrhus rex Epirotarum & Macedoniæ Tarentinis iunctus, qui classem Romanam prætereuntem inuaserant, cum exercitu Romano & Leuino consule pugnam iniit. Qui viginti elephantos vsque ad id tempus Romanis inuisos, in Italiam primus inuexit.

Eleazarus. Zeno. Theophrastus Pyrrhus.

4570. Ptol. Philad. Sostratus Pharum condidit.

Ptolomæus Philadelphus, annis triginta octo. Sostratus Pharum in Alexandria construxit. Ptolomæus Iudæos qui in Ægypto erant, liberos esse permisit, &

Anni Mundi.

Elcazaro pontifici vasa sancta restituens, multa donaria in templum Hierosolymis transmittit. Septuaginta interpretes petit, qui scripturam sanctam in Græcum eloquium verterent. Tantæ autem potentiæ fuit, vt Ptolomæum patrem vinceret. Habuit enim peditum infinita milia, equitum viginti milia, curruum duo milia, elephantos quos primus adduxit ex Æthiopia, cccc. Iudæorum pontificatum post Elcazarum auunculus eius Manasses accepit.

Aratus.

Aratus astrologus agnoscitur: atque argentei nummi primum Romæ constituuntur.

Moneta argentea Romę cuditur.

Amilcar dux Carthaginensium ab Hispanis in bello occisus est. Illyricum bellum atrocissimum cum Romanis gestum. Cisalpina Gallia à Romanis defecit. Commissoque prælio apud Aretium Atilius consul occisus est. Eodem anno dira miseram vrbem terruere prodigia. Namque in Piceno fluuio sanguis effluxit, & apud Thuscos cœlum ardere visum,

Prodigia.

B

& Arimini nocte multam lucem claram obfulsisse ac tres lunas distantibus cœli regionibus exortas apparuisse.

Flaminius.

Flaminius consul contemptis auguriis cum Gallis conflixit, & vicit. Annibal Pœnorum Imperator patri Amilcari, cùm esset nouem annus natus, iurauit se Romanis nunquam amicum futurum. Pyrenæos montes transgressus, inter ferocissimas Gallorum gentes ferro viam aperuit: & nono demum die à Pyrenæo ad Alpes peruenit, atque mutas rupes igni ferróque rescidit, quintoque die cum maximo labore ad plana peruenit: cum Scipione consule prælium commisit. Ipse Scipio ibi grauiter vulneratus, per Scipionem filium admodum prætextatum, qui

C

pòst Africanus dictus est, ab ipsa morte liberatus euasit. Sempronius consul similiter cum eo congressus, penè solus euasit.

Annibal frigore excæcatur.

Annibal violentia frigoris, vigiliarum, ac laboris oculum amisit. Ad Thrasymenum lacum, Flaminio consule occiso, Romanus exercitus funditus trucidatus est. Apud Cannas Appuliæ vicum Lucius Æmilius Paulus, & P. Terentius Varro consules contra Annibalem missi, omnes penè Romanæ spei vires perdiderunt: quadraginta & quatuor milia Romanorum interfecta. Consul Æmilius Paulus occisus: Varro consul cum quinquaginta equitibus fugit: consulares & prætorij viri viginti interfecti: senatores capti vel occisi triginta: nobiles viri trecenti, pedestrium militum quadraginta milia, equitum ter mille quingenti.

Canensis clades.

D

Vsque adeò vltima desperatio reipublicæ apud residuos Romanos fuit, vt senatores derelinquendam Vrbem putarent, nisi Cornelius Scipio Tribunus tunc militum, idem qui postea Africanus, districto gladio deterruisset, ac potiùs pro patriæ defensione in sua verba iurare coëgisset. Claudius Marcellus Annibalis exercitum prælio fudit. Centenius Penula centurio ab Annibale cum octo milibus militum cæsus. Cneus Fuluius prætor victus. Annibal ad Anienem fluuium tribus milibus ab vrbe, cum Cn. Fuluio, & Sulpitio consulibus, pugnam commissurus, subito imbre & grandine mixto nubibus effuso, territus in castra refugit. Tuncque dixisse fertur, potiundæ sibi Romæ modò voluntatem non dari, modò potestatem. Scipiones duo fratres in Hispania Asdrubalem Pœnorum imperatorem grauissimo bello oppresserunt.

E

Idem Scipiones ambo à fratre Asdrubalis in Hispania interfecti sunt, a Qu. Fuluio Capua capta est.

Capua capta.

Scipio annos natus vigintiquatuor, imperium in Hispania proconsulare sortitus est, pro patre & patruo ibi occisis. Magonem fratrem Annibalis captum cum cæteris Romam misit. Scipio Pœnorum ducem Asdrubalem vicit, & castris exuit. Vniuersam Hispaniam à Pyrenæo vsque ad Oceanum in prouinciam redegit Consul cum Licinio Crasso creatus, in Africam transiit.

Annon perimitur.

Annonem Amilcaris filium ducem Pœnorum interfecit. Asdrubal imperator Carthaginem profugus venit. Annibal in Italia Fuluium proconsulem cum vndecim tribunis interfecit. Marcellus consul cum Annibale triduo continuo dimicauit. Primo die, pari pugna

A

discessum est: sequenti, victus consul: tertio, victor Annibalem fugere in castra compulit.

Anni Mundi.

Fabius Maximus consul, Tarentum quæ à Romanis defecerat, cepit: ibiq; ingentes copias Annibalis, cum ipso duce eius Charthalone deleuit.

Tarentum capitur.

Claudius Marcellus consul ab Annibale cum exercitu occisus est. Annibal vtrunque consulem Marcellum & Crispum insidiis circumuentos interfecit. Asdrubal frater Annibalis à Marco Liuio & Claudio Nerone consulibus præuentus, cum omni exercitu suo in Italia interfectus est. Annibali caput fratris sui Asdrubalis ante castra ipsius proiectum. Sempronius consul cum Annibale congressus, & victus, Romam refugit. Annibal post tredecim annos redire in Africam, iussus obsessis Carthaginensibus subuenire, flens reliquit Italiam, omnibus Italici generis militibus, qui sequi noluerunt, interfectis, Carthaginem venit,

Annibal fugit.

B

Colloquium Scipionis petit: vbi cùm se diu attoniti admiratione mutua suspexissent, infecto pacis negotio prælium consertum est. Inde Annibal cum paucis inter tumultum elapsus, Adrumentum confugit. Carthaginensibus pax per Scipionem concessa, naues plusquam quingentæ incensæ. Scipio triumphans vrbem ingressus, quam Terentius †comicus ex nobilibus Carthaginensium captiuis pileatus, quod insigne indultæ sibi libertatis fuit triumphantem post currum secutus est. Punicum bellum secundum finitum, quod gestum est annis xvj.

† De Terentio Culeone ista intelligenda docuimus cap. 19. li. 4. Oros. & 3. Diac.

Ptolomæus Energetes frater superioris regis, annis vigintisex, qui inde Energetes ab Ægyptiis est vocatus, quia capta Syria ac Cilicia, & propemodum vniuersa

4588.

Ptol. Euerg.

C

Asia, inter innumera argenti pondera ac vasa preciosa, etiam deos eorum quos Cambyses capta Ægypto in Persas portauerat, retulit Iudæorum pontifex Onias, Simonis Iusti filius, clarus habetur. Cuius item filius Simon non minori gloria fulget. Sub quo Iesus filius Sirach Sapientiæ librum componens, quem Panaretum vocat: etiam Simonis in eo fecit mentionem. Flaminius proconsul, Philippum regem & cum eo Thracas, Macedones, Illyrios, multâsq; præterea gentes, quæ in auxilium eius venerant, bello subegit. Antiochus rex Syriæ bellum contra populum Romanum instruens, in Europam transiit ex Asia. Annibal exhiberi Romam à senatu iussus, clam ex Africa profectus, ad Antiochum migrauit: quem cum apud Ephesum inuenisset cunctantem, mox

D

in bellum impulit. Scipio Africanus inter cæteros legatos ad Antiochum missus, etiam cum Annibale colloquium familiare habuit: sed infecto pacis negotio, ab Antiocho discessit. Commissoque bello, a Consule Glabrione superatus Antiochus vix cum paucis fugit è prælio. Iterum Scipio Africanus habens in auxilio Eumenem Attali filium, aduersus Annibalem, qui tunc Antiochi classi præerat, bellum nauale gessit. Antiochus victo Annibale atq; in fugã acto, simúlq; omni exercitu amisso, pacem rogauit, filiúmq; Africani (incertũ quando ceperit) vltrò remisit. Annibal apud Prusiam Bithyniæ regem cùm à Romanis reposceretur, veneno sese necauit.

Annibal veneno se necat.

Philippus rex, qui legatos populi Romani interfecerat, propter Demetrij filij sui quem legatum miserat, verecundissimas preces, veniam meruit: eundem Deme-

E

trium continuò velut Romanis amicum, fratrémque ipsius, veneno necauit. Scipio Africanus ab ingrata sibi vrbe diu exulans, apud Amiternum oppidum morbo periit.

Scipio exulat.

Lepido & Mucio consulibus, Basternarum gens ferocissima, auctore Perseo Philippi filio, prædarum spe sollicitata, & transeundi Histri fluminis facultate, sine vlla pugna vel aliquo hoste deleta est. Nam tunc fortè Danubius, qui & Hister, crassa glacie superatus, pedestrem facilè transitum præbebant, Enormitate igitur ponderis & concussione gradientium concrepante gelu, se glacialis crusta dissoluit, vniuersúmque medius gurgitibus victa & comminuta destituit. Vulcani insula quę antè non fuerat, repentè in mari orta est. Gracchus Tyberius Sempronius, apud Viẽnam vrbẽ Galliæ,

Insula Vulcani enascitur.

P ij

Anni Mundi.

in Hispaniam vlteriorē transiens, Platomam miro opere construxit, & pontem super Rodanum ab vtroque litore castris miro opere fundatis superduxit. P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino coss. Macedonicum bellum gestum: in auxilio Romanorum tota primùm Italia, deinde Ptolomæus rex Ægypti, & Ariarathes Cappadociæ, Eumenes Asiæ, Masinissa Numidiæ fuerunt. Persenum Demetrij Philippi filium, & Macedones secuti sunt: Thraces cum rege Chesi, & vniuersi Illyrij cum rege Gentio, commisso prælio victi fugēre Romani. Sequente pugna, penè pari clade in hyberna discessum est. Deinde Perseus multis prælijs exercitu Romano profligato, in Illyricum transijt. Præsidium Romanorum expugnauit: vbi magnam multitudinem Romanorum partim occidit, partim sub corona vendidit, partim secum in Macedoniam duxit. Sed B

Perseus vincitur.

postea à L. Æmilio Paulo victus & captus, in triumpho cum filijs ante currum actus, apud Albam in custodia decessit. Filius eius iunior fabricam ærariam ob tolerandam inopiam Romæ didicit: ibíque consumptus est.

4614. Ptol. Philopat.

Ptolomæus Philopator, filius Euergetis, annis decem & septem. Hic prælio victis Iudæis numero sexaginta armatorum millium, bellum aduersus Antiochum regem Syriæ sumit: & victo Philopatore Iudæam sibi sociauit.

Onias.

Iudæorum pontifex Onias, filius Simonis, insignis habetur, ad quem Lacedæmoniorum rex Arrius legatos mittit. Claudius Marcellus Syracusas florentissimam vrbem Siciliæ cepit. Scipio alter Africanus vltro se militaturum in Hispania obtulit: profectúsque C

Punicū tertium bellum.

magnas strages gentium dedit. Tertium Punicum bellum exortum. Proconsules profecti in Africam, cùm iam senatus Carthaginem delendam censuisset, Carthaginenses iussi, arma & naues tradiderunt. Postmodum procul a mari residentes, dolorem ad desperationem conuerterunt, duosque duces Asdrubales creauerunt: & propter inopiam ferri, arma adgressi facere, auri argentique metallis suppleuerunt.

Carth. situs.

Carthaginis situs fuisse huiusmodi dicitur: Vigintiduo milia passuum muro amplexa, tota penè mari cingebatur, absque faucibus quæ tribus milibus aperiebantur. Is locus murum viginti pedes latum habuit saxo quadrato, in altitudinem cubitorum quadraginta. Arci vrbis Byrsæ nomen erat: paulo amplius quam duo milia passuum tenebat. Ex vna parte murus communis erat vrbis & Byrsæ, imminens mari. Primùm ab hac consules repulsi: deindè ab D Scipione mira...utos hostes repulsi. Asdrubal imperator, Masinissæ regis Numidiæ nepos, subselliorum fragmentis in curia a suis propter suspicionem proditionis occisus est. Scipio suprema sorte Carthaginem delere molitus: dum continuis sex diebus noctibúsque pugnatur, vltima Carthaginenses desperatio ad deditionem traxit. Rex Asdrubal alter se vltrò dedit. Transfugæ qui Æsculapij templum occupauerant, voluntario

Asdrubalis vxor se combussit.

præcipitio dati, igne consumpti sunt. Vxor Asdrubalis se duosque filios secum in medium iecit incendium: eundem nunc mortis exitum faciens nouissima reginæ Carthaginis, quem prima fecerat. Ipsa ciuitas septemdecem continuis diebus arsit, omni murali lapide in puluerem comminuto, 700. post anno quàm condita est.

4631. Ptol. Epiph.

Ptolomæus Epiphanes, filius Philopatoris, annos viginti quatuor. Huius tempore gesta sunt quæ secundi libri Machabæorum continet historia. Onias sacerdos assumptis Iudæorum plurimis, fugit in Ægyptum, & a Ptolomæo honorificè susceptus, accepta ea regione, quæ Heliopoleos vocabatur, & concedente rege, templum extruxit in Ægypto simile templo Iudæorū, quod permansit vsq; ad imperium Vespasiani, annis 250. Sub occasione igitur Oniæ pontificis, infinita Iudæorum examina in Ægyptum confugerunt. Quo tempore & Cyrene eorum multitudine repleta est, pugnantibus contra se magno Antiocho & ducibus Ptolomæi, posi- A ta in medio Iudæa in contraria studia scindebatur, alijs Antiocho, alijs Ptolomæo fauentibus. Hæc autem vel Oniæ vel cæteris fuit causa Ægyptum petendi.

Corinthus expugnatur.

Consule Mummio Corinthus vrbs opulentissima, quippè quæ velut officina omnium artificum & artificiorum, & emporium commune Asiæ atque Europæ fuerat, expugnata & subuersa est. Plurima itaque parte populi ferro flammisque consumpta, reliqua sub corona vendita est. Vrbs incensa, muri funditus diruti: muralis in lapis puluerē redactus: præda ingens ccepta est. Sanè cùm propter multitudinem & varietatem statuarum simulachrorúmque in illo ciuitatis incendio, permixta in vnum auri, argēti, atq; æris, omniaq; simul metalla fluxissent, nouum genus metalli factū est. Vnde vsq; hodie siue ex ipso, siue ex imitatione ipsius, æs Corinthiū & Corinthia vasa dicuntur.

Viriatus.

Viriatus in Hispania, genere Lusitanus, homo pastoralis & latro, primùm infestando vias, vastādo prouincias, maximo terrori Romanis fuit: Venetidium prætorem cum omni exercitu fugauit: Caium similiter multis prælijs fractum: Claudium cū magna instructura belli pepulit: trabeas, fasces, cæteráque insignia Romana, in montibus suis trophæa suspendit. Sic per xiiij. annos, cùm Romanos duces atque exercitus prostrauisset, insidijs suorum interfectus est.

Androgynus. Pestilentia.

Androgynus Romæ visus, iussu aruspicum in mare mersus est. Pestilentia tanta exorta vt ministri faciendorum funerum primùm nō sufficerent, deindè nō essent: magnæ domus, vacuæ viuis, plenæ mortuis remanserunt: largissimæ introrsum hæreditates, & nulli penitus hæredes. Puer Romæ ex ancilla natus quadrupes, quadrimanus, oculis quatuor, auribus totidem, natura viri C duplex. Scipione Africano consule, Numantia in citeriore Hispania, Numantini quoque cuncti pariter ferro, veneno atque igne consumpti sunt. Scipio Thresium quendam Celticum principem consuluit. Qua ope

Numantia diruitur.

Numantia, aut priùs inuicta claruisset, aut pòst fuisset euersa. Thresius respondit, Concordia inuicta, discordia exitio fuit. Ptolomæus sororem suam stupro cognitam, ac deindè in matrimonium receptam, nouissimè turpiùs quam duxit, abiecit. Priuignam suam, hoc est filiam sororis & coniugis, coniugem asciuit. Filium suum quem ex sorore susceperat, necnon & filium fratris occidit. Quamobrem tantis incestis parricidijsque execrabilis, ab Alexandrinis regno pulsus est. Antiochus non D contentus Babylonia, atque Ecbatana, totóque Mediæ imperio, aduersus Phraaten Parthorum regem congressus & victus est. Habuit enim in exercitu suo centum milia armatorum, ducenta milia & amplius calonum atque lixarum, immixta scortis & histrionibus. Parthorum igitur viribus oppressus, interijt.

4655. Ptol. Philom. Aristobulus.

Ptolomæus Philometor, annis triginta quinque. Aristobulus natione Iudæus Peripateticus philosophus cognoscitur, Qui etiam Philometori Ptolomæo explanationum in Moysen Commentarios scripsit. Attalus Eumenis filius, moriens testamento populum Romanum imperio Asiæ succedere hæredem iussit. Licinius Crassus consul aduersus Aristonicum eum Attali fratrem, qui traditam per testamentum Romanis Asiam peruaserat, cum instructissimo missus exercitu: præterea à E magnis regibus, hoc est, Nicomede Bithiniæ: Mithridate Ponti & Armeniæ: Ariarathe Cappadociæ. Philemene Paphlagoniæ, eorúmque maximis copijs adiutus, conserto bello victus est: & circumuentus ab hostibus penè captus esset, nisi virgam qua erat vsus ad equum, in oculum Thracis impegisset. Barbarus cùm ira & dolore exarsisset, propterea latus Crassi gladio transuerberauit: ita excogitato genere mortis, effugit & dedecus & seruitutem.

Aristonicus strāgulatur.

Perpenna consul Aristonicum recenti victoria feriatum, improuiso bello in fugam vertit, & vrbem ad quam confugerat obsidione cinctam ad deditionem coegit. Aristonicus Romæ iussu senatus, strangulatus est. Seleucus cognomento Philometor, xi. annis regnauit in Syria. Seleuci temporibus Helio-

Anni Mundi.

dorus missus à rege ad expoliandum ærarium templi, diuinitus flagellatus repellitur. Cui succedit Antiochus, qui appellatus est Soter: deindè Antiochus, qui appellatus est Theos, id est Deus: deinde Antiochus Epiphanes.

Heliodorus sacrilegus flagellatur.

Hic ingressus est Ægyptum, & constituit bellum aduersum Ptolomæum regem Ægypti. Hic Iudæorum legem impugnat, omniáque sordibus idolorum complens, in templo Dei Iouis Olympij simulachrum ponit. Sed & in Samaria super verticem montis Garizã, Iouis peregrini delubrum ædificat, ipsis Samaritanis, vt id faceret, precantibus.

Machabæorum martyrium.

Verùm Mathathias sacerdos leges patrias vindicat, aduersus Antiochi duces arma corripiens: vnde ortum martyrium sanctorum Machabæorum vij. fratrum nimis venerabile, in quorum honore Viennensis ecclesia fundata est.

Onias.

Onias summus pontifex habetur, cuius frater Iason, B præripiens summum sacerdotium, permittente Antiocho, legitima ciuium iura destruens, sub ipsa arce gymnasium constituit, & Ephœbiam Hierosolymis. Quo post triennij tempus in Ammatem regionem expulso, Menelaus frater Simonis de tribu Beniamin principatum sacerdotij obtinuit. Cuius impia factione, pius Onias pontifex per Andronicum peremptus est. Quem propterea rex Antiochus purpura exutum eodem loco, quo in Oniam impietatem commiserat, iussit vita priuari. Menelaum verò Antiochus Eupator, postmodum Antiochi filius de turri quinquaginta cubitorum deiici iussit: talique morte iustissimè damnatus est. Mathathia sacerdote defuncto, Iudas Machabæus ducatum Iudæorum suscepit, anno cxlvj. regni Græcorum. Qui mox Antiochi duces de Iudæa expellens, & templum ab C idolorum imaginibus emundans, patrias leges post triennium suis ciuibus reddidit.

Mathias Iudas.

Antiochus Persipolin nobilissimam & copiosissimam ciuitatem spoliare cupiens, multitudine ad arma concurrente, in fugam versus est: & cœlesti eum iudicio perurgente, dum accelararet iter, vt Hierosolymam congeriem sepulchri Iudæorum faceret, insanabili plaga percussus, homicida & blasphemus miserabili obitu vita functus est. Cui successit Antiochus Eupator eius filius: & post duos annos, id est anno clj. regni Græcorum, regnauit Demetrius Seleuci filius.

Alchimus.

Hic constituit Alchimum impium in sacerdotio, Iuda Machabæo in bello pro legibus patriis & populo Dei pugnante occiso: & anno cliij. Alchimo miserabiliter mortuo, omnium fauore, Ionathæ principatus & sacerdotium decernitur. D

Ionathas.

4690. Ptol. Euerg.

Ptolemæus Euergetes annis xxviij. Ionathas Iudæorum dux & pontifex cum Romanis & Spartiatis amicitias facit. Hic summa industria sacerdotio administrato octodecim annis Triphone occiditur, fratérque eius Simon in sacerdotium assumitur, anno regni Euergetis septimo.

Scipio vxoris dolo peremptus.

Scipio Africanus exanimis in cubiculo suo repertus, vxoris suæ Semproniæ Gracchorum sororis dolo necatus. Cuius vigor & modestia in vrbe Romana sic valuit, vt eo viuo neque sociale neque ciuile bellum posse existere crederent. L. Cæcilio Metello, & Qu. Titio Flaminio consulibus, Carthago in Africa restitui iussa, xii. demum anno quàm fuerat euersa, & deductis ciuium Romanorum familiis, quæ eam incolerent, restitura & replera est, E Fabio consule.

Bitoitus rex Aruern.

Bitoito regi Aruernorum Galliæ ciuitatis bellum maximo instructu comparanti, paucitas Romanorum occurrit, vt vix ad escam canibus quos in agmine habebat, sufficere posse Bitoitus iactaret. Qui cùm sibi ad transferendas copias vnum pontem Rhodani parum esse intelligeret, alium compactis lintribus catenisque connexum super stratis confixísque tabulis instruxit. Conserta pugna, victi Galli, conuersi in fugam, coaceruatis inconsultè hominibus, præpropero transitu pontis vincula rumpunt, ac mox cum ipsis lintribus mersi sunt.

Martius Gallos vincit.

Qu. Martius consul, Gallorum gentem sub radice Alpium sitam, bello aggressus est. Qui cùm se Romanis copiis cir-

A cunseptos viderent, occisis coniugibus ac liberis, in flammas sese proiecerunt. Qui verò præoccupantibus Romanis, peragendæ mortis suæ copiam non habuerunt, alij ferro, alij suspendio, alij abnegato cibo sese consumpserunt: nullusque omninò vel paruulus superfuit, qui seruitutis conditionem tolerarit.

Iugurthinum bellũ.

Iugurtha Micipsæ Numidarum regis adoptiuus filius hærésque inter naturales eius filios factus, cohæredes suos Hiemsalem occidit, Aderbalem bello victum Africa expulit. Calpurnium consulem aduersum se missum pecunia corrupit, & ad turpes conditiones pacis adduxit. Romam idem veniens, omnibus pecunia aut corruptis, aut attentatis, seditiones dissensionésque permiscuit. Quam cùm egrederetur, infami satis notauit elogio, dicens, Vrbem venalem & maturè perituram, si emptorem inuenerit. B Idem tandem cruentis bellis à Romanis superatus, Bocco Maurorum regi se sociauit: commissáque pugna, vnà cum Romanis Mario consule Boccus & Iugurtha fugerunt: inde nonaginta milia armatorum vincentibus Romanis vsque ad internecionem cæsa. Boccus in pretium pacis Iugurtham dolo captum, catenisque obstrictum, per Syllam legatum misit ad Marium: qui in triumpho ante currum cum duobus filiis suis actus, & mox in carcere strangulatus est.

Iugurtha strangulatus.

Mithridates rex Parthorum, sextus ab Arsace, victo Demetrij præfecto, Babyloniam vrbem finésque eius vniuersos victor inuasit. Omnes prætereà gentes, quæ inter Hydaspem fluuium & Indum iacent, subegit: ad Indiam quoque cruentum extendit Imperium. Deme- C trium ipsum secundo sibi bello occurrentem vicit, & cepit. Quo capto, Deudatus quidam cum Alexandro filio regnum eius & regium nomen vsurpauit. Qui postea ipsum Alexandrum filium, quem participem periculi in peruadendo regno habuerat, ne in obtinendo consortem haberet, occidit. Lucius consul in Gallia Tiburtos vsque Oceanum persecutus, insidiis circumuentus occiditur. A Scipione consule capta vrbe Gallorum Tolosa, centum milia pondo auri, & argenti centum decem milia è templo Apollinis suscepit. Quæ cùm ad Massiliam amicam populo Romano vrbem misisset cum præsidiis, interfectis clàm custodibus cuncta per scelus furata fuisse narrantur. Manlius & Q. Cæpio coss. aduersus Cimbros & Teutonas & Teu- D gurinus & Ambranos Galliarum Germaniarúmq; gentes missi, prouincias sibi Rhodano fluuio medio diuiserunt. Vbi inter se grauissima inuidia & contentione decertantes cum magna ignominia & periculo Romani nominis victi sunt. Ita vt ex omni penitus exercitu decem tantùm homines, qui miserum nuncium reportarent, superfuisse referantur. Hostes ingenti præda potiri, noua quadam atque insolita execratione, cuncta quæ ceperant pessum dederunt. Mario quarto consule cum in prouincia Viennensi iuxta Isaræ Rhodaníque flumina, vbi in sese confluunt, castra posuisset, Teutones, Cimbrij, Teugurini cùm tribus agminibus Italiam petere destinassent, periculosissimo prælio à Romanis victi sunt.

Malleolus matrem occidit.

Romæ P. Malleolus annuentibus seruis matrem suam interfecit. Damnatus parricidij, E insutúsque in culeum, & in mare proiectus est: in tantóque facinore Romani supplicium singulare sanxerunt. Sexto consulatu C. Marij status Romani imperij ita labefactatus est, vt penè vsque ad extremum intestina clade conciderit. Metellus Numidicus, vir primarius, factione Marij à Glaucia prætore & Saturnino tribuno innocens damnatus, in exilium cum totius vrbis dolore discessit.

Marianum bellum.

Postmodum Saturninus & Saufeius & Labienus, cùm iam prælium in foro commisissent, cogente Mario in curiam confugerunt, ibíque per equites Romanos, effractis foribus occisi sunt. Glaucia & Dolabella Saturnini frater interfecti.

Rutilius.

Rutilius quoque vir integerrimus, qui adeò fidei atque innocentiæ constantia vsus est, vt die sibi ab accusatoribus

Anni mundi.

dicta, vsque ad cognitionem neque capillum barbâmq; deposuerit, neque sordida veste humiliue habitu A suffragatores conciliauit, inimicos permulserit, iudices temperarit, cùm euidenti oppugnaretur calumnia, periurio iudicum condemnatus, Smyrnam commigrans literarum studiis intentus consenuit. *Sociale bellum.* Sexto Iulio Cæsare & Lucio Martio consulibus, forestinis causis, Sociale bellum totam commouit Italiam. Post Simonem fratrem Ionathæ, Ioannes filius eius in summum sacerdotium constituitur. *Hircanus.* Hic aduersum Hircanos bellum gerens, Hircani nomen accepit, & à Romanis ius amicitiæ postulans, decreto Senatus inter amicos relatus est. *Samaria, al. Sebaste.* Samariam, quæ nostro tẽpore Sebaste vocatur, ad quam Ptolemæus, qui patrem eius dolo peremerat, & matrem eius vinculis constrinxerat, confugium fecerat, obsidione captam solo coæquauit: quam postea Herodes instaurans, Sebasten in honorem Augusti appellari voluit. B

Ptol. Phiscon. Cicero nascitur. Ptolemæus Phiscon, qui & Soter, annos xvii. Cicero Arpini nascitur, matre Heluina, patre equestris ordinis ex regio Wolscorum genere. prodigia dira apparendo Romanam vrbem mœstam Sociali bello terruerunt. Nã sub ortu solis globus ignis à regione septentrionis cum maximo cœli fragore emicuit. Apud Arratinos, cùm panes frangerentur, cruor è mediis panibus, quasi è vulneribus fluxit. *Prodigia.* Per septem dies continuos grando lapidum, immixtis etiam testarum fragmentis, terram latissimè verberauit. Hiatu terræ flamma prorupit, quæ vsq; ad cœlum extendi visa est. Cneus Pompeius prætor cum Picentibus iussu Senatus, bellum gessit, & victus est. Similiter Iulius Cæsar Samnitum pugna victus, cæso fugit exercitu. Postea contractis vndiq; copiis, multa hostium C millia Samnitum & Lucanorum interfecit. Cùmque ab exercitu Imperator appellatus esset, Senatus saga, hoc est vestem mœroris quam exorto Sociali bello sumpserat, hac spe arridente deposuit, atque antiquum togæ decorem recuperauit. *Picentianũ bellum.* Cn. Pompeius Picentes graui prælio fudit: qua victoria Senatus laticlauia & cætera dignitatis insignia recepit. Sociali bello necdum finito, Romæ primo bellum ciuile commotum est. Eodémque anno ab vrbe condita sexcentesimo lxij. Mithridaticum bellum cœptum est, quod triginta annis, vel sicut aliqui scribunt, quadraginta gestum est. Mithridates igitur rex Ponti atque Armeniæ multis prælijs à Romanis superatus, nouissimè cùm Castor eius præfectus, qui Fanagorio præerat, interfectis amicis regis, arcem occupasset, D quatuorque filios eius ad præsidia Romana transmisisset, accensus ira, in scelera tandem exarsit, vt in plures amicos suos, & Exipodram filium suum, aliúmq; Macarem interficeret. Pharnaces exemplo fratrum territus, exercitum ad persequendum se missum sibi conciliauit, *Mithridaticum bellum.* & mox aduersus patrem duxit. Mithridates diu ex altissimo muro filium frustrà precatus, vbi inexorabilem vidit, moriturus exclamasse fertur, Quoniam Pharnaces, inquit, mori iubet, vos si estis dij patrij, precor vt quandoque & ipse hanc vocem à liberis suis audiat. Statimque descendens ad vxores, pellices ac filias suas, venenum omnibus dedit. Quod cùm ipse nouissimus hausisset, nec tamen propter remedia, quibus vitalia sua aduersus noxios succos sæpè obstruxerat, veneno confici posset, frustráque spatiaretur, si quo tandem modo infusa pestis per venas agitatione corporis acta discurreret, E Gallum quendam militem, iam fracto muro discurrentem, inuitauit, eíque iugulum præbuit: annósque natus lxxij hunc exitum vitæ habuit. Tullio Cicerone & Caio *Mithridatis interitus.* Antonio consulibus, Pompeius occisi Mithridatis nuncio accepto, Syriam Cœlen, & Felicem bello aggressus, Itureos Arabásque perdomuit, vrbémque eorum quam Petram nominant cœpit. Hinc ad Iudæos atque ad Hierosolymam vrbem eorum Gabinium cum exercitu mittit. Quibus tũc Aristobulus expolio fratre Hircano, primus ex sacerdote anno vno rex præerat. Post ccccclxxxiij. anno Babyloniæ captiuitatis, postquam regnauit Ianeus cognomento Alexander, xxxvij. annis, qui pontificatum quoque administrans, crudelissimè ciuibus præfuit. *Anni mundi.*

A Ipse quoque Pompeius continuò post Gabinium subsecutus, & à patribus vrbe susceptus, sed à plebe muro templi repulsus, in expugnationem eius intendit: id non solùm natura loci, verumetiam ingentibus muris fossáque maxima munitum, cùm alias aliis legionibus dies noctésque succedere sine requie cogeret, vix tertio mense expugnauit. tredecim millia ibi Iudæorum cæsa narrantur. Cætera multitudo in fidem venit. *Pompeius Hierosolymam capit.* Pompeius muros ciuitatis euertit, æquatáque solo imperauit. aliquantos principes Iudæorum securi percussit: Hircano sacerdotium restituit. Aristobulum captiuum Romam duxit. Mansitque in pontificatu Hircanus post mortem Alexandræ matris, quæ post Alexandrum coniugem regnauerat in Iudæis, annis circiter triginta & quatuor. Hircano erepto in pontificatu B successit Aristobulus anno vno, post quem Ianeus cognomento Alexander. Mortuo Alexandro, regnauit Alexandra vxor eius. Post cuius mortem Aristobulus & Hircanus filij eius inter se de Imperio dimicantes, occasionem præbuêre Romanis vt Iudæam inuaderent. Vt diximus, Pompeius Hierosolyma capta vrbe & templo reserato, vsq; ad Sancta sanctorum accedit, victúmque Aristobulum secum abducit, pontificatum Hircano confirmat: quem tenuit, vt diximus, triginta & quatuor annis. Pompeius Antipatrum Herodis Ascalonitæ filium procuratorem Palestinæ facit. Pompeius bellum orientis, cum viginti & duobus regibus se gestisse pro concione narrauit. His diebus coniuratio Catilinæ aduersus patriam in vrbe habita, ac prodita: quam histo- C riam agente Cicerone, Salustius describit. Virgilius Maro in pago qui Andes dicitur, haud procul a Mantua nascitur. *Virgilius nascitur.* Poëta quoque Lucretius nascitur: qui postea sese furore amatorio interfecit.

Ptolemæus, qui & Alexander, annis x. Huius anno septimo Syria in Romanam ditionem cessit, capto Philip- 4735.
po à Gabinio.

Expulsus regno Ptolemæus Phiscon per matrẽ Cleopatram in Cyprum secedit. Regressus de fuga regnum 4745.
obtinuit annis nouem, quia Alexandrum qui ante eum fuerat, ob interfectionem matris ciues pepulerant.

Ptolemæus Dionysius, annis xxx. Apollodorus præ- 4745.
ceptor postmodum Augusti clarus habetur. *Apollodorus.* Lege Vatinia Cæsari Iulio tres prouinciæ cum legionibus vij. in D quinquennium datæ sunt, Gallia Transalpina, & Cisalpina & Illyricus. *Iulij Cæsaris in Gallum expeditiones.* Galliam Comatam postea senatui adiecit. Heluetiorum animos fortissimæ Gallorum omnium gentis, ea vel maximè causa quòd perpetuo penè cum Germanis bello altercabantur, à quibus Rheno tantùm flumine dirimuntur. *Origeta.* Orgeta rex princeps gentis, spe totas inuadendi Gallias, in arma accenderat. Quo cæteri optimates correpto & ad mortem coacto, coniuratione facta exustis vicis ac domibus suis, ne quod desiderium ex spe reuertendi foret, profecti sunt. Horum fuit, cùm primùm progressa est, omnis multitudo Heluetiorum, Tulingiorum, Latobagum, Rancarum, & Bogiorum vtriusque sexus, ad cl. & vij. mil. hominum. Quos cùm apud Rhodanum fluuium obuios Cæsar habuisset, magno difficilique bello bis vicit. Ex iis xl. & vij. millia E in bello ceciderunt: cæteros ad deditionem coëgit. Iterum Cæsar incredibiles Germanorum copias, quibus præerat Ariouistus rex, apud Sequanicos vicit. *Ariouistus.* Fuerunt autem in exercitu Ariouisti, Arudes, Marcumunes, Tribucij, Vangiones, Nemetes, Seduces, & Suevi. Iterum Belgarum gens, quæ tertia pars Galliarum est, aduersus Cæsarem exarsit. Quarum distributim copia fuit. Bellonaci, qui cæteris numero & virtute præstare viderentur, habuêre lectissima lx. millia armatorum Suessiones ex xij. oppidis quinquaginta millia. Neruij, quorum adeò indomita feritas erat, vt nunquam in id temporis mercatores ad se permiserint vina cæteráque venalia deferre, quibus inducta iocunditas torporẽ virtutis afferret, similiter habuerunt quinquaginta millia. Attreba-

Anni mundi.

tes & Ambiani, decem millia: Morini viginti quinque Menapij nouem millia: Caleti x. millia: Velocasses & Veromandi, æqua decem millia: Adoatuci, decem & octo millia: Condursei, Eberones, Cerosi, Cemani, qui vno nomine Germani vocantur, quadraginta millia. Ita referuntur fuisse cclxxij. millia armatorum lectissima. His repentè silua erumpentibus, exercitus Cæsaris adgressus, hortatu ducis ita restitit, victósque ad internecionem penè deleuit. Cæsar Galba cum legione duodecima ad Beragros Sedunósque misit: qui cùm hiemandi causa in vico Beragrorum, cui nomen erat Octodorus, consedisset, circumseptus à Gallis est. Qui ex montibus effusi, castra imperfecta saxisque telisque onerant. Sed Romanis portis erumpentibus, amplius quàm triginta millia barbarorum ceciderunt. Veneti cæterique confines Seutos sibi ad bellum adsciscunt, Osismos, Lixouias, Namneres, Ambibaritos, Morinos, Diablintes, & Menapios: auxilia quoque à Britannia arcessunt. Contra hos Cæsar naues longas ædificare in Ligere fluuio iubet, per quem in Oceanum deducitur. Naualı prælio conserto, incensæ naues hostium interfectis iis qui pugnauerant Gallis, reliqui omnes sese dediderunt. Sed Cæsar maximè ob iniuriam legatorum suorum, cunctis principibus per tormenta interfectis, reliquos sub corona vendidit. Titus etiam Sabinus Aulercos, Eburonices, Luxouiósque, qui primates suos, quòd auctores belli suscitandi esse nollent, interfecerant, eruptione facta incredibili cæde deleuit. Oppidum Sauciatum in Aquitania expugnatum. Ex Aquitanis & Cantabris, L. mil. cæsa. Germani qui Rhenum cum immensis copiis transmiserant, vsque ad internecionem deleti. Quorum numerus fuit ad cccc. & xl. millia. Inde Cæsar in Germaniam facto ponte transgreditur. Sicambros & Vbios obsidione liberat. Sueuos, maximam & ferocissimam gentem, quorum esse centum pagos & populos multi prodidère, totámque Germaniam aduentu suo terret. Mox in Galliam reciso ponte concedit. Inde ad Morinos venit, vnde in Britanniam proximus, & breuissimus transitus est. Nauibus circiter onerariis atque actuariis, lxxx. præparatis in Britanniam transuehitur, vbi acerba pugna fatigatur. Inde aduersa tempestate correptus, plurimam classis amisit partem. Regressus in Galliam, sexcentas naues vtriusque commodi fieri imperauit, quibus iterum in Britanniam primo vere transuectus est. Trinouantum firmissimam ciuitatem, datis xl. obsidibus, & Cassobellum oppidum inter duas paludes situm, tandem graui pugna cœpit. In deditionem Britannos accipiēs, in Galliam reuertitur. Treueri, Eburonati, Aduatici, & Neruij multitudo in arma conspirauerunt, quæ ex hoc colligi plurima fuisse potest, quia cùm instrumenta muralia non haberent, gladiis concidendo terram, & sagulis exportando, vix tribus horis vallum pedum decem, & fossam pedum xv. per millia passuum xv. in circuitu perfecerunt: præterea cxx. turres miræ altitudinis extruxerunt. Hos Cæsar vastissima cæde confecit. Labienus, qui legionibus præerat, omnes Treuerorum copias interfecit, & cõtinuò ipsam ciuitatem capit. Cæsar Eburones postquam in Arduennam siluam refugisse comperit, quæ silua totius Galliæ maxima est, atque à ripis Rheni finibusque Treuerorum ad Neruios vsque pertingit, & in longitudine plusquam L. millibus passuum patet, omnem Galliam per nuncios inuitat, vt quique secundum placitum suum reconditas in Arduenna silua prædas quærant diripiántque. Quo facto Gallis vtrinque morientibus, maximas Romanorum iniurias, sine cuiusdam Romani discrimine, vindicauit. Cæsar multis præliis Gallias perdomuit. Romanum Imperium, cùm Lucullus Asiam, Pompeius Hispaniam, Cæsar Galliam perdomuit, vsque ad extremos propemodum terræ terminos propagatum est: Cæsari victori ex Gallis reuertenti, decretum à Senatu est, vt in vrbem non nisi dimisso exercitu veniret: sed Cæsar Rauennam se contulit. Pompeius atque omnes Senatores,

Sueuorum centum pagi.

Arduenna silua Galliarum maxima.

A crescentibus Cæsaris viribus trepidi tanquam Italia pulsi, in Græciam transuecti, Dirrachium gerendi belli sedem delegerunt. Cæsar Romam venit, negatámque sibi ex ærario pecuniam, fractis foribus inuasit, protulitque ex eo pondo iiij. mil. cxxxv. argenti pondo propè lxxx. millia. Mox cum legionibus Alpes transuectus, Massiliam venit. Hanc obsidione domitam, libertate concessa, cæteris rebus abrasit. Apud Dirrachium multi Orientis reges ad Pompeium cum auxiliis conuenerant. Pugna commissa, milites Cæsaris fugerunt, cæsis iiij. millibus ex eius exercitu: inde Cæsar citato agmine per Epirum in Thessaliam perrexit. Pompeius cum magnis copiis subsecutus est. Fuerunt autem Pompeio lxxx. cohortes triplici ordine locatæ, peditum xl. mil. equites in sinistro cornu, 600. in dextro 500. Præterea reges multi. B Cæsari similiter cohortes lxxx. triplici ordine dispositæ: minus quàm triginta millia peditum: equites mille commissa pugna, cùm diu vtrinque dubia sorte cæderentur, tandem vniuersus Pompeij fugit exercitus, castráque dispersa sunt. Pompeius fugiens, onerariam nauem nactus, in Asiam transiit. Inde per Cyprum in Ægyptum venit, ibique mox vt littus attigit, iussu Ptolomæi adolescentis in gratiam Cæsaris victoris occisus est. Pompeij vxor filijque fugerunt, classisque Pompeiana direpta. Cæsar compositis apud Thessaliam rebus Alexandriam venit: perlatoque ad se & viso Pompeij capite annuloque, fleuit. Achillas dux regius imbutus semel Pompeij sanguine, Cæsaris quoque necem meditabatur. Nam iussus exercitum dimittere, cui præerat, xx. millium armatorum, non modo spreuit imperium, ve- C rùm & aciem direxit. In ipso prælio regia classis fortè subducta iubetur incendi. Ea flamma cùm partem quoque vrbis inuasisset, xl. mil. librorum proximis fortè ædibus condita exussit. Iterum commisso prælio cum Achilla, Cæsar vt insistentium hostium pressus, scapham ascendit. Qua mox pondere subsequentium grauata ac mersa, per cc. passus ad nauem vna manu eleuata, qua chartas tenebat, nando peruenit. Mox naualı prælio ipse classem regiam aut depressit aut cœpit. Alexandrinis petentibus regem, Ptolomæum infantem reddidit, qui illicò vt liber fuit, bellum intulit, sed continuò ipse cum toto exercitu suo deletus est. Nam viginti millia hominum in eo bello cæsa sunt, duodecim millia cum septuaginta longis nauibus dedita. Rex ipse adolescens scapha D exceptus vt fugeret, multis insilientibus mersus necatusque est.

Cæsar regnum Ægypti, Cleopatræ Ptolomæi sorori dedit: quod tenuit annis viginti duobus. Cæsar Syriam peruagatus, Pharnacem in Ponto vicit. Romæ dictator & consul creatus, in Africam transiit. Apud Tapsum cum Iuba & Scipione pugnauit, & vicit. Cato sese apud Vticam occidit: Iuba percussori iugulum precio dato præbuit: Petreius eodem se gladio perfodit. Scipio in nauim qua ad Hispanias fugeret, conscendens, vento coactus in Africam redierat: semetipsum iugulauit. In eadem nam etiam Titus Torquatus occisus est. Cæsar Pompeij magni nepotes & filiam eius Pompeiam iussit occidi. Vltimum bellum apud mundam flumen gestum est aduersus Pompeios duos & Labienum atq; Actium. E Varum. Cæsar Romam rediens, vbi dum reipublicæ statum contra exempla malorum clementer instaurat, auctoribus Bruto & Cassio, etiam plurimo Senatu, in curia tribus & viginti vulneribus confossus, interiit. In qua coniuratione fuisse amplius quadraginta conscios ferunt. Corpus eius raptum populus dolore instimulatos, in foro fragmentis tribunalium ac subselliorum cremauit, post annos iij. & menses vj. quàm regnare cœperat. Nam quatuor annis post mortem Magni Cn. Pompeij bellum ciuile toto orbe indesinenter tonuit, regnante apud Alexandrinus Cleopatra, quarto eius anno finito, Cæsar Iulius primus Romanorum singularem obtinuit principatum. A quo etiam Cæsares appellati sunt. Cassius interim Iudæa capta, templum spoliat.

Anni Mundi.

Pomp. occiditur.

4655. *Achillas insidiatur Cæsari.*

4784.

Cæsar occiditur.

Cæsares à Iulio.

Anni mundi. Abhuc Imperatorum nomen.

4790. Augustus. Octauianus Cæsar Augustus Romanorum secundus, regnauit annos quinquaginta sex, & menses sex: à quo Agusti appellati reges Romanorum. Quorum quindecim, viuente Cleopatra: quadraginta & vnum postea vixit. Augusti vndecimo anno, deficiente in Iudæa pontificum principatu, complentur hebdomadæ septuaginta in Daniele scriptæ. Anno ab Vrbe condita septingentesimo decimo, interfecto Iulio Cæsare, Octauianus, qui testamento Iulij Cæsaris auunculi & hæreditatem & nomen assumpserat, vt Romam adolescens admodum venit, indolem suam bellis ciuilibus vicit. Vt enim breuiter explicem, bella ciuilia, quæ ipse gessit, Mutinense, Philippense, Petusium, Siculum, Acciacum. E quibus duo, hoc est primum ac nouissimum, aduersus Marcum Antonium: secundum aduersus Brutum & Cassium: tertium, aduersus Lucium Antonium: quartum, aduersus Sextum Pompeium, Cnei Pompeij filium, quem confecit. Cæsar ad fidem conciliatæ gratiæ, qua Antonium receperat, filiam eius matrimonio sortitus est. Herodes cessante regno ac sacerdotio Iudæorum, nihil ad eam gentem pertinens, vtpote Antipatri Ascalonitæ & matris Cypridis Arabicæ filius, à Romanis Iudæorum suscepit principatum, quem tenuit annos triginta sex. Qui ne ignobilis fortè & à Iudæorum semine argueretur extraneus, combussit libros omnes quibus nobilitas gentis Iudææ in templo seruabatur ascripta, vt deficientibus probamentis, & ipse ad hanc pertinere putaretur: insuper etiam vt suam sobolem regio illorum generi commisceret, proiecta Dosside fœmina Hierosolymitana, quam priuatus acceperat vxorem, & nato ex ea filio Antipatro sociauit sibi Mariannem filiam Alexandri, neptem Aristobuli fratris Hircani, qui ante eum rexerat Iudæorum gentem. Hæc quinque filios ei, genuit: quorum duos, Alexandrum & Aristobulum, ipse peremit in Samaria. Nec mora, pòst etiam illorum matrem, qua nil charius nouerat, simili scelere peremit. E quibus Aristobulus Herodem ex Beronice susceperat filium: quem in Actibus Apostolorum ab Angelo percussum legimur. Antonius Attabanem Armeniæ regem proditione & dolo cœpit. Quem argentea catena vinctum, ad confessionem thesaurorum regiorum coëgit: expugnatóque oppido in quo conditos esse prodiderat, magnam vim auri argentique abstulit. Qua elatus pecunia, denuntiauit bellum Cæsari, atque Octauiæ sororis Cæsaris vxoris suæ repudium indixit, & Cleopatram sibi ex Alexandria occurrere imperauit, atque vxorem duxit, ipse Actium vbi classem constituerat, profectus, cùm propè tertiam partem remigum fame absumptam offendisset, nihil motus, Remi, inquit, modò salui sint: nam remiges non deerunt, quoad Græcia homines habuerit. Ducentæ & triginta rostratæ fuêre Cæsaris naues, & triginta sine rostris. Triremes velocitate Liburnicis pares, & octo legiones classi superpositæ absque cohortibus quinque prætoriis. Classis Antonij, centum septuaginta nauium fuit, quantum numero cedens, tantum magnitudine præcellens: nam decem pedum altitudine à mari aberant. Bellum ab hora quinta vsque in horam septimam incerta vincendi spe protractum, grauissimæ vtrinque cædes actæ: reliquum diei cum subsequente nocte in victoriam Cæsaris declinauit. Prior regina Cleopatra cum sexaginta velocissimis nauibus fugit Antonius mox fugientem vxorem subsecutus est. Ex victis duodecim millia cecidisse referuntur, sex millia vulnerata sunt, è quibus mille inter curandum defecerunt. Cæsar sextò Imperator appellatus, & quarto ipse cum Marco Licinio Crasso consul Brundusium venit. Ibi orbis terræ in præsidia, diuisis legionibus composuit. Nouissimè cùm nauali prælio Antonius decertare pararet, subitò vniuersæ naues Antonianæ partis ad Cæsarem transierunt. Trepidus Antonius cum paucis se in regiam recepit. Deindè imminente Cæsare turbata ciuitate, idem Antonius sese ferro transuerberauit. Cleopatra postquam se reseruari ad triumphum intellexit voluntariam mortem petens, serpentis, vt putatur, morsu, in sinistro tacta brachio, exanimis inuenta est, frustra Cæsare etiam Psyllos admouente, qui venena serpentum è vulneribus hominum haustu reuocare atque exugere solent.

Hebdomadarum Danielis completio.

Antipater Iudæorum genealogiat combussit.

Antonius Augusto bellum intulit.

Cleopatra veneno periit.

A B C D E

Anni mundi.

Cæsar Alexandria vrbe omnium longè opulentissima & maxima victor potitur est. Hactenus qui vocabantur Lagidæ ab Ptolomæo primo Lagi filio, in Ægypto regnauerunt annis ducentis nonagintaquinque. Cæsar victor ab Oriente veniens, octauo idus Ianuarias, Vrbem triplici triumpho ingressus est. Hoc die primùm Augustus consulatus est, atque ex eadem die summa rerum ac potestas penes vnum esse cœpit & mansit, quod Græci Monarchiam vocant. Porrò autem hunc esse eundem diem, hoc est octauum idus Ianuarij, quo nos Epiphaniam, hoc est apparitionem siue manifestationem Dominici sacramenti obseruamus, nemo credentium siue etiam fidei contradicentium, nescit.

Monarchia.

Epiphania.

Per omnia igitur ventui Christi gratia præparatum Cæsaris Imprium comprobatur; nam cùm primùm Caio Cæsare auunculo suo interfecto ex Apollonia rediens Vrbem ingrederetur, hora circiter tertia, repentè liquido ac puro sereno circulus ad speciem cœlestis arcus orbem solis ambiit, quasi cum vnum ac potissimum in hoc mundo solúmque clarissimũ in orbe monstraret: cuius tempore venturus esset qui ipsum solũ solus, mundúmque totum & fecisset & regeret. Deindè cum secundo in Sicilia receptis à Pompeio & Lepido legionibus, triginta millia seruorum dominis restituisset, & sex millia, quorum Domini non extabant in crucem egisset, ingentíque animo viginti millia, militum exauctorauisset, atque quadragintaquatuor legiones solus Imperio suo ad tutamen orbis terræ distribuisset, ouánsque Vrbem ingressus, omnia superiora populi Romani debita donanda literarum etiam monumentis abolitis censuisset, in diebus ipsis fons olei largissimus de taberna meritoria per totum diem fluxit; quo signo quid euidentius quàm sub principatu Cæsaris Romanóque Imperio per totum diem, hoc est per omne Romani tempus Imperij, Christum, atque ex eo Christianos, id est vnctum atque ex eo vnctos, de meritoria taberna, hoc est de hospita largáque Ecclesia, affluenter atque incessabiliter processuros? restituendósque per Cæsarem omnes seruos, qui tamen cognoscerent Dominum suum: cæterósque qui sine Domino inuenirentur, morti supplicioque dedendos? remittendáque sub Cæsare debita peccatorum in ea vrbe in qua spontaneum fluxisset oleum. Tertio autem cùm Vrbem triumphans quinto consul ingressus est, octauo scilicet idus Ianuarias, cùm & Ianum post ducentos annos primùm ipse clausit, & clarissimum illud Augusti nomen adsumpsit. Quid fidelius ac verius credi potest, quàm occulto gestorum ordine ad obsequium præparationis eius prædestinatum fuisse qui eodem die quo ille manifestandus multò post paululum erat, & pacis signum præferret, & potestatis nomen adsumeret (itaque anno ab Vrbe condita, septingentesimo sexagesimotertio, clausis Iani portis, cùm Cæsar August. finito Cantabrico bello, pacatísque omnibus gentibus, ab oriente in occidentem, à septentrione ad meridiem, ac per totum Oceani circulum Vrbem ingressus, cum spectante eo ludos, pronunciatum esset in mimo, O Dominum æquum & bonum: vniuersique quasi de ipso dictum esset, approbauissent, & statim quidem manu vultúque indecoras adulationes repressit, & insequenti die grauissimo corripuit edicto, dominúmque se posthac appellari, ne à liberis quidem, aut à nepotibus suis, vel serio vel ioco passus est.

Aduentus Christi prodigia.

August. vocari Dominus nō vult.

SEXTA ÆTAS.

Igitur eo tempore, anno scilicet Cæsaris Augusti quadragesimosecũdo, à morte verò Cleopatræ & Antonij, 4832

Anni mundi. quando & Ægyptus in prouinciam versa est, anno vicesimoseptimo, Olympiadis centesimætertiæ, anno tertio: ab vrbe condita, DCCLij. id est, eo anno quo compressis cunctarum orbis terræ gentium motibus, firmissimam verissimámque pacem ordinatione Dei Cæsar composuit, IESVS CHRISTVS filius Dei, sextam mundi ætatem suo consecrauit aduentu. Anno Imperij Augusti quadragesimo octauo, Herodes patrator scelerum, & interfector pro Christo innocentium paruulorum, morbo intercutis aquæ & scatentibus toto corpore vermibus, miserabiliter dignè moritur. (Herodes vermibus consumitur.) Pro quo substitutus ab Augusto filius eius Archelaus, regnauit annos nouem, id est, vsque ad ipsius Augusti finem; tunc enim non ferentibus vltra, sed accusantibus ferocitatem eius apud Augustum Iudæis, in Viennam vrbem Galliæ nobilissimam relegatur, & adminuendam Iudaici regni potentiam insolentiámque domandam, quatuor fratres eius pro eo sunt tetrarchæ creati, Herodes, Antipater, Lysias, & Philippus: quorum Philippus & Herodes, qui Antipas priùs nuncupabatur, etiam viuente Archelao tetrarchæ fuerant ordinati. Natus igitur Christus, verus Dominus totius generis humani, inter homines Romano censu statim adscriptus est, illa prima clarissimáque professione, qua Cæsar se omnium principem, Romanusque rerum dominos singillatim cunctorum hominum edita adscriptione signauit. (Christus ciuis Rom. Oros. lib. 7.) Natus est autem octauo Cal. Ianuarij Christus, cum primùm incrementa omnia anni virentis incipiunt. Cæsar Caium nepotem suum ad ordinandas Ægypti Syriæ prouincias misit. Qui prætereuns ab Ægypto, fines Palestinæ apud Hierosolymam, in templo Dei tunc sancto & celebri adorare contempsit, sicut Suetonius Tranquillus refert. Quod Augustus vbi comperit, prauo vsus iudicio, prudenter fecisse laudauit.

Tiberius. 17. Tiberius priuignus Augusti, hoc est Liuiæ vxoris eius filius, regnauit an. xxiij. Hic per semet, iam nulla bella gessit. Sanè quarto Imperij eius anno, Germani Drusi filius, Caligulæ pater de Germanis, ad quos ab Aug. sene missus fuerat, triumphauit: ipse autem Tiberius plurima Imperij parte, cum magna & graui modestia reipub. præfuit: adeò vt quibusdam præsidibus augenda prouinciis tributa suadentibus scripserit, Boni pastoris esse tondere pecus, non deglabrare. Huius anno xij. Pilatus Iudææ procurator ab eodem dirigitur. (Pilatus.) Herodes tetrarcha, qui iam Iudæorum principatum tenuit annis xxiij. in honorem Tiberij & matris eius Liuiæ, Tiberiadem condidit & Liuiadem. Anno decimoquinto Imperij Tiberij, Dominus post baptismum, quod prædicauit Ioannes, mũdo regnum cœlorum annuntiat, peractis à mundi principio; secundum Hebræos, annis, vt etiam Eusebius in Chronicis suis signat, quatuor millibus, annotando quòd decimosexto anno Tiberij principium fuerit octuagesimiprimi Iubilæi secundum Hebræos: nostra autem supputatio vndeuiginti minus ponendos esse existimat. Iuxta verò Chronica eadem quæ ipse Eusebius de vtraque editione, vt sibi videbatur, composuit, anni supputantur quinque millia ducenti & viginti octo. (Io. Baptista decollatus.) Ioannes Baptista ab Herode in carcere positus pro veritate, capite truncatur. Anno decimooctauo Imperij Tiberij, Dominus sua passione mundum redemit, & prædicantibus per Iudææ regiones Apostolis, Iacobum fratrem Domini Hierosolymis ordinant Episcopum: ordinant & septem Diaconos, quorum vno lapidato à Iudæis Stephano, Ecclesia per regiones Iudææ & Samariæ dispergitur. (Pilatus de Christo ad Tiberium scripsit.) Pilatus præses Palestinæ prouinciæ ad Tiberium Imperatorem, atque ad Senatum retulit de passione ac resurrectione Christi, consequentibus virtutibus quæ per ipsum palàm factæ fuerant, vel per discipulos ipsius in nomine eius fiebant, & de eo quòd certatim crescente plurimorum fide Deus crederetur. Tiberius cum suffragio magni fauoris retulit ad Senatum, vt Christus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non sibi secundum morem delatum esset, vt de su-

A scipiendo cultu priùs ipse decerneret, consecrationem Christi recusauit: edictoque constituit exterminandos esse Vrbe Christianos, præcipuè cum & Seianus præfectus Tiberij suscipiendæ religioni obstinatissimè contradiceret. Tiberius tamen edicto accusatoribus Christianorum mortem comminatus est. (Tiberius fauet Christianis.) Itaque paulatim immutata est illa Tiberij Cæsaris laudatissima modestia, in pœnam contradictoris Senatus. Nam plurimos Senatorum proscripsit, & ad mortem coëgit. Viginti sibi patritios viros consilij causa selegerat: horum vix duos incolumes reliquit. Cæteros diuersis causis necauit. Seianum præfectum suum res nouas molientem, interfecit: filios suos Drusum & Germanicum, quorum Drusus naturalis, Germanicus adoptiuus erat, manifestis veneni signis perdidit: filios Germanici filij sui interfecit.

B Agrippa cognomento Herodes, filius Aristobuli filij Herodis regis, accusator Herodis tetrarcha Romam profectus, à Tiberio in vincula conijcitur, vbi primos sibi adsciuit ad amicitiam, & maximè Germanici filium Caium. (Agrippa.)

40. Caligula. Caius cognomento Caligula, regnauit annus tres, menses decem, dies octo: homo omnium ante se flagitiosissimus, & qui verè dignus Romanis blasphemantibus, & Iudæis persecutoribus, punitor adhibitus videretur.

Hic exclamasse fertur, Vtinam populus Romanus vnam ceruicem haberet. Iudæi apud Alexandriam seditione excitata, profligati cæde atque vrbe pulsi, expromendarum querelarum causa, Philonem quendam, virum (Philo Romam mittitur.)
C sanè imprimis eruditum, legatum ad Cæsarem mittunt: sed Caligula Iudæis infestissimus, spreta legatione Philonis, omnes Iudæorum sacras ædes, sique antiquum illud Hierosolymis sacrarium profanari sacrificiis gentilium, ac repleri statuis simulachrisque imperatoris. Et statua Iouis posita, se ibi vt Deum coli præcepit. Hic Herodem Agrippam amicum suum vinculis liberatum, regem Iudææ fecit: qui mansit in regno annos septem, id est, vsque ad quartum Claudij annum. Quo ab Angelo percusso successit in regnum filius eius Agrippa, qui vsque ad exterminium Iudæorum, xxvj. annis perseuerauit. Herodes tetrarcha & ipse Caij amicitiam petens, cogente Herodiade, Romam venit, sed accusatus ab Agrippa, etiam Tetrarchiam perdidit: relegatúsque exilio, apud Viennam Galliarum vrbem post mortem Caij,
D inde in Hispaniam cum Herodiade fugiens, mœrore periit. Pilatus, qui sententiam damnationis in Christum dixerat, & ipse perpetuo exilio Viennæ recluditur: (Pilatus exulat.) tantisque ibi irrogante Caio langoribus coarctatus est, vt sua se transuerberans manu malorum compendium mortis celeritate quæsierit. Matthæus Euangelium in Iudæa prædicans, Hebraicis literis scripsit. (Matthæus scribit Euã.) Caius Caligula à suis protectoribus occisus est. Duo libelli in secretis eius reperti, quorum alteri pugio, alteri gladius pro signo nominis adscriptus erat, sectissimorum virorum nomina & notas morti destinatorum continentes: inuentáque ibi est archa ingens, variorum venenorum, quibus mox Claudio Cæsare iubente demersis infecta maria traduntur, non sine magno piscium exitio.

45. Claudius. B. Petr. Romam venit.
E Claudius regnauit annis xiiij. Exordio regni eius Petrus ad superandum Simonem magum, cum priùs Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam venit, & salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentissimísque virtutibus approbauit. Ibique xxv. annis cathedram tenuit Episcopalem, id est, vsque ad vltimum Neronis annum. Marcus Euangelista Euangelium, quod Romæ scripserat, Petro mittente, primùm Aquileiæ prædicauit. Ibique ordinato Hermagora discipulo suo, ad Ægyptum peruenit: constitutísque atque confirmatis Ecclesiis per Lybiam, Marmaricam, Ammoniacam, Pentapolin, Alexandriam, atque Ægyptum vniuersam, ad vltimum tempus à paganis Alexandriæ martyrium suum compleuit. Furius Camillus Scribonianus Dalmatæ legatus, bellum ciuile molitus, legiones

Anni Christi.

A mulcat fortissimásque ad sacramenti mutationem pellexerat. Itáque die dato vt in vnum vndique ad nouum Imperatorem conueniretur, neque aquilæ ordinari, neque conuelli quoquomodo signa mouerive potuerunt: exercitus tanti & minus vsitati miraculi fide motus, & conuersus in pœnitentiam, Scribonianum quinta statim die destitutum interfecit, seséque in sacraméto prioris militiæ continuit. Quod sine dubio propter aduentum Apostoli Petri, & tenera Christianorum germina, hoc ciuile bellum diuinitus est compressum. Tiberius Claudius Britanniam adiens, quæ excitata in tumultum esse videbatur, quam neque ante Iulium Cæsarem, neque post eum quisquam attingere ausus fuerat, sine vllo prælio ac sanguine intra paucissimos dies plurimam insulæ partem in deditionem recepit. Orcadas etiam insulas Romano adiecit Imperio, ac sexto quàm profectus erat mense, Romam rediit. Eo anno, quarto videlicet Imperij eius, fames grauissima per Syriam, cuius Lucas etiam meminit, facta est. Sed Christianorum necessitatibus, apud Hierosolymam, conuectis ab Ægypto frumentis, Helena Agabenorum regina conuersa ad fidem Christi, largissimè ministrauit.

Helena reg. populo frumēta distribuit.

Insula enata.

Quinto eius Imperij anno, inter Theram & Therasiam, insula de profundo emicuit, triginta stadiorum spatio extenta. Septima Imperij eius anno sub procuratore Iudææ Cumano in Hierosolymis tanta seditio in diebus azymorum exorta est, vt in portatum exitu populo coarctato, triginta millia Iudæorum cæde prostrata, & compressione suffocata referantur. Claudius nono anno Imperij sui, Iudæos tumultuantes Roma expulit. Suetonius hoc modo inde refert, Claudius Iudæos, impulsore Christo, assiduè tumultuantes, Roma expulit. De eadem expulsione Lucas in Actibus Apostolorum refert. Veruntamen sequenti anno tanta fames Romæ fuit, vt medio foro Imperator correptus à populo, conuiciis & fragminibus panis turpissimè infestatus, ægrè per Pseudoyrom in palatium refugerit. Claudius manifestis venenis est mortuus.

Claudius veneno occidit.

59.

Nero annos tredecim, menses septem, dies vigintiocto. Caij Caligulæ auunculi sui erga omnia vitia ac scelera sectator, immò transgressor. Hic primus post omnia attentata facinora Romæ Christianos suppliciis & mortibus affeci, ac per omnes prouincias pari persecutione excruciari imperauit.

Neronis prima persecutio.

Huius secundo anno, Festus Iudææ procurator successit Felici. A quo Paulus Romam vinctus mittitur, & biénium in libera manens custodia, post hæc ad prædicandum dimittitur, necdum Nerone in tantam persecutionem Christianorum erumpente, quantam de eo narrant historiæ. Quo tempore creditur Paulus ad Hispanias peruenisse, & Arelatensæ Trophymum, Viennæ Crescentem discipulos suos ad prædicandum reliquisse.

Iacobus frater Domini.

Iacobus frater Domini, cùm triginta an. Hierosolymorum rexisset Ecclesiam, vij Neronis ann. perimitur à Iudæis, vindicantibus in illo, quòd Paulum interficere nequiuerant. Festo in magistratu Iudæorum succedit Albinus, Albino Florus: cuius luxuriam & auaritiam cæteráque flagitia non ferentes Iudæi, contra Romanos rebellauerunt, aduersum quos Vespasianus magister militiæ transmissus, plurimas Iudææ vrbes cœpit, Titum filium suum maiorem inter legatos habens. Nero in re militari nihil omninò ausus. Britanniam penè amisit, ipsúmque nomen Christianum extirpare conatus, beatiss. Christi Apostolos Petrum cruce, Paulum gladio occidit.

Petri & Pauli martyriū.

Mox accruatim miseram eius vitam obortæ vndique oppressere clades. Hac tempestate Persius poeta oritur. Lucanus quoque ac Seneca præceptor Neronis interficiuntur. Nero postquam Galbam in Hispania Imperatorem creatum ab exercitu cognouit, totus animo ac spe concidit: postmodum cùm incredibilia mala subuenienti reip. moliretur, hostis à Senatu pronunciatos, ignominiosissimè fugiens ad quartum ab Vrbe lapidem, sese ipse interfecit, atque in eo Cæsarum omnis familia consumpta est.

Nero.

Mortuo Nerone Galba Romam venit, Pisonémque sibi nobilem industriúmque iuuenem in filium atque in regnum adoptauit: septimóque mense Imperij sui ab Othone iugulatus est.

Otho.

Otho mox vt creatum Imperatorem in Gallias per Germanicas legiones Vitellium comperit, bellum ciuile molitus, tribus primùm leuibus præliis, hoc est, vno apud Alpes, altero circa Placentiam, tertio circa locum quem Castores vocant, contra Vitellianos duces congressus victor extitit: quarto autem apud Vetria cum prælio animaduertens suos vinci, mense tertio quàm Imperator cœperat, sese interfecit.

Vitellius.

Vitellius victor Romam venit, vbi cùm multa crudeliter ac nequiter ageret, postquam de Vespasiano comperit, primùm deponere molitus Imperium, post à quibusdam animatus Sabino Vespasiani fratre occiso, succensóque templo, & mixta simul flamma ruináque, omnes in vnum pariter interitum ac tumulum dedit. Post deficiente in Vespasiani nomen exercitu suo, cùm iam destitutus trepidus se in quendam proximam palatio cellulam contrusisset, turpissimè inde protractus, in forum deductus, octauo quàm regnum præsumpserat méte, apud Gemonias scalas minutissimorum ictuum crebris compunctionibus excarnificatus, atque inde vnco tractus, in Tiberim mersus etiam communi caruit sepultura.

Vespasian⁹.

Vespasianus itaque cum Iudæos multis eorum oppidis captis, in vrbe Hierosolymorum præcipuè ob diem festum congregatos, obsidionis clausisset, cognita Neronis morte, hortatu plurimorum regum & ducum, Imperium adeptus: relicto in castris ad procurationem obsidionis Hierosolymorum Tito filio, cognita etiam interfectione Vitellij, paulisper Alexandriæ substitit. Titus verò magna ac diuturna obsidione Iudæos premens, machinis cunctísque bellicis molitus non sine multo suorum sanguine, tandem muros ciuitatis irrupit. Sed ad expugnandam interiorem templi munitionem, quam reclusa multitudo sacerdotum ac principum tuebatur, maiore & vi & mora opus fuit.

Templi Hierosoly. duratio.

Itaque Titus Imperator ab exercitu pronunciatus, templum Hierosolymis incendit ac diruit: quod à die conditionis primæ vsque ad diem euersionis vltimæ manserat ann. mille lxxxix. vel sicut à pluribus colligitur, mille eij. Muros vrbis vniuersos solo adæquauit. Sexcenta millia Iudæorum eo bello interfecta Cornelius & Suetonius referunt. Iosephus verò Iudæus, qui ei tunc bello præfuit, & apud Vespasianum propter prædictum Imperium veniam gratiamque meruerat, scribit vndecies centena millia gladio & fame periisse: sed & præter hos centum millia publicè venundata, totóque orbe dispersa.

Captiuitas Iudaica.

Consummatum est hoc bellum annis quatuor: duobus quidem Nerone viuente, & duobus aliis postea. Vespasianus inter alia magnorum operum in priuata adhuc vita, in Germaniam, ac deinde in Britanniam à Claudio missus, tricies & bis cum hoste conflixit. Duas validissimas gentes, viginti oppida, insulam Vectam Britanniæ proximam, Romano adiecit Imperio.

Colossus Romæ erigitur.

Colossus erigitur Romæ, habens altitudinis pedes centum & nouem. Vespasianus in villa propria circa Sabinos, nono anno principatus sui, profluuio ventris est mortuus.

82.

Titus.

Titus, annos ij. menses ij. Vir omnium virtutum genere mirabilis, adeò vt amor & deliciæ humani generis diceretur. Hic amphitheatrum Romæ ædificat, & in dedicatione eius quinque millia ferarum occidit. Iste tantum facundus extitit, vt causas Latino ageret poemate, & tragœdias Græcè componeret. Tantum autem bellicosus, vt in expugnatione Hierosolymorum sub patre militans, quadraginta vnum propognatores, xij. sagittarum confoderit ictibus.

Titi Clementia & benignitas.

Porrò in Imperio tantæ bonitatis fuit, vt nullum omnino puniret, sed conuictos aduersum se coniurationis, dimitteret, atque in eadem familiaritate qua antè habuerat, retineret. Huius etiam inter omnia fuit illud celebre dictum, Perdidisse diem, in qua nihil boni fecerit. Hic cùm ingēti omnium

Anni Christi.

luctu in eadam villa qua pater eius, morbo assumptus est.

84. *Domitianus Christianos affligit.* Domitianus frater Titi iunior annos xv. menses quinque. Is in tantam superbiam prolapsus est, vt Deum sese ac Dominum vocari, scribi, colique iusserit. Secundúsque post Neronem Christianos persequitur. Confirmatissimam toto orbe Ecclesiam Christi, datis vbique crudelissimæ persecutionis edictis, conuellere conatur: sub quo Apostolus Ioannes in Pathmum Insulam relegatus est: & Flauia Domicilla Flauij Clementis consulis ex sorore eius neptis, in insulam Pontianam ob fidei testimonium exulat. *D. Ioannes Euan. in oleum & exit bẽ mansit.* Fertur autem idem ipse beatum Ioannem in feruentis olei dolium misisse. Ex quo tam immunis exiit à pœnis, quàm à corruptione carnis manserat semper immunis. Domitianus Iudæos quoque acerbitate tormentorum genúsque Dauid interfici præcepit, B quasi adhuc futurus esset ex semine Dauid qui regnum posset adipisci. Hic crudeliter in palatio à suis interfectus est: cuius cadauer populari sandapila per vespiliones exportatum, atque ignominiosè sepultum est.

99. *Nerua.* Nerua admodum senex à Petronio præfecto & Parthenio spadone Domitiani interfectore Imperator creatus, annum vnum, menses quatuor, dies octo: qui Traianum in regnum adoptauit. *Io. Euang. redit ab exili.* Hic primo edicto suo, cunctos exules reuocauit, quos Domitianus relegauerat: vnde & Ioannes Apostolus hac generali indulgentia liberatus, Ephesum rediit: & quia concussam se absente per hæreticos vidit Ecclesiæ fidem, confestim hanc descripta Euangelio suo verbi Dei æternitate stabiliuit. C Nerua emenso plus minus anno Imperij sui confectus morbo diem obiit.

101. *Traianus.* Traianus genere Hispanus, regni gubernacula Nerua tradente suscepit, annos nouemdecim, menses vj. dies xv. Hic apud Agrippinam Galliæ vrbem insignia suscepit Imperij. Mox Germaniam trans Rhenum, in pristinum statum reduxit: trans Danubium multas gentes subegit: regiones trans Euphratem & Tygrim sitas, prouincias fecit: Seleuciam & Ctesiphontem ac Babyloniam occupauit, atque vsque Indiæ fines post Alexandrum accessit. *Clemẽs Romæ patitur. Domicilla.* Huius quarto anno Clemens discipulus Petri Apostoli, Romanæ Ecclesiæ Episcopus martyrio coronatur, & Flauia Domicilla pro Christo cum aliis plurimis in insulam Pontiam exilio deportata. Ioannes D Apostolus, sexagesimooctauo anno post passionem Christi, ætatis autem suæ, xcviij. Ephesi placida morte quieuit. Traiano aduersum Christianos persecutionem mouente, Simeon qui & Simon, filius Cleophæ, Hierosolymorum Episcopus crucifigitur: & Ignatius Antiochiæ Episcopus Romam perductus, bestiis traditur, Alexander quoque Romanæ Ecclesiæ Episcopus martyrio coronatur, & septimo ab Vrbe milliario, via Numentana, vbi decollatus est, sepelitur. *Zacharias Viennensis. Crescens. Martinus.* Sub quo etiam Imperatore gloriosissimus senex Zacharias Viennensis Ecclesiæ Episcopus, martyrio coronatur. Nam primus Crescens discipulus Apostolorum Viennæ aliquot annos resedit: quo ad Galatiam reuerso, tertius Martinus Episcopus & discipulus Apostolorum Viennæ resedit. E *Plinius pro Christianis intercedit.* Sed postmodum Plinij Secundi oratoris & historici, qui inter cæteros iudices persecutor dictus erat, relatu admonitus, eos homines præter confessionem Christi, honesta conuenticula, nihil contrarium Romanis legibus facere, fiducia sanè innocentis confessionis, nemini mortem grauem ac formidolosam videri, rescriptis illicò lenioribus temperauit edictum. Romæ aurea, domus à Nerone condita repentino conflagrauit incendio. Pantheum Romæ, quod Domitianus fecerat, fulmine concrematum est. Terræmotus Antiochiam ciuitatem penè totam subruit, & alias per orbis partes ciuitates, incredibile dictu. *Iudæi grassantur.* Sub vno tempore Iudæi quasi rabie efferati per diuersas terrarum partes exarserunt, bellàque atrocissima gesserunt, donec digna cæde iussu Imperatoris sternerentur. Traianus, vt quidam ferunt, apud Se-

A leuciam Isauriæ vrbem, profluuio ventris extinctus est.

Verus Viennensis. Focas Episcopus. Verus Viennensis Episcopus, qui vnus fuit de discipulis & auditoribus Apostolorum, Traiani temporibus, doctrina & confessione fidei floruit. Illis temporibus apud Pontum Synopis ciuitatis Episcopus Focas gloriosissimè martyrium duxit: cuius sacratissimæ reliquiæ translatæ sunt in Galliam in ciuitatem Viennam, ibique in Ecclesia sanctorum Apostolorum repositæ.

120. *Hadrianus Christianis patrocinatur.* Hadrianus consobrinæ Traiani filius, xx. & 1 annos imperauit. Hic per Quadratum discipulum Apostolorum & Aristidem Atheniensem virum, fide sapientiáque plenum, & per Serenum Granium legatum, libris de Christiana religione compositis, instructus atque eruditus præcepit per epistolam ad Minutium Fundanum proconsulem Asiæ datam, vt nemini liceret Christianos sine obiectu criminis aut probatione damnare. Hadrianus iustissimis legibus rempublicam ordinauit: idémque pater patriæ in senatu vltra morem maiorum appellatus est, & vxor eius Augusta. *Bibliotheca* Idem eruditissimus in vtraque lingua, bibliothecam Athenis miri operis extruxit. Iudæos rebellantes, & Palæstinam prouinciam quondam suam depopulantes vltima cæde perdomuit: vltúsque est Christianos quos illi Cocheba duce, quod sibi aduersum Romanos non assentarentur, excruciabant. *Cochebas.* Præcepítque ne cui Iudæorum introeundi Hierosolymam esset licentia, Christianis tantùm ciuitate permissa, quam ipse in optimum statum murorum extructione reparauit, & Æliam vocari de prænomine suo præcepit. *Ælia.* Primus ex gentibus Hierosolymæ Marcus Episcopus constituitur, cessantibus his qui fuerant ex C Iudæis numero xv. & præfuerant à passione Domini per annos ferè C. & vii. *Aquila Ponticus. Basilides.* Per idem tempus Aquila Ponticus interpres secundus, post Septuaginta oritur, & Basilides hæresiarcha agnoscitur. *Iustus Viennensis.* Hoc itidem tempore & Iustus Viennensis ecclesiæ episcopus, illustrissimus in confessione extitit. *Quadratus.* Quadratus quoque, cuius supra meminimus, Publio Athenarum episcopo Apostolorum discipulo, ob Christum martyrio coronato, in locum eius substituitur, & Ecclesiam grandi terrore dispersam, fide & industria sua congregat.

141. *Antoninus.* Antoninus, cognomento Pius, Imperator creatus, annis xx. & non plenis tribus rempublicam gubernauit cum filiis suis Aurelio & Lucio, menses iij. qui in omni regno Romano cautionibus incensis cunctorum debi- D ta relaxauit. *Pius.* Adeóque tranquillè vixit, vt meritò Pius & pater patriæ sit appellatus. *Iustinus martyr.* Iustinus philosophus librum de religione Christiana compositum Antonino tradidit, benignúmque eum erga Christianos homines fecit: qui non longè post suscitata persecutione, prodente Crescente Cynico, pro Christo sanguinem fudit. *Valẽtinian⁹ Marcion.* Valentinianus & Marcion hæresiarchæ produntur: atque *Galenus.* Galenus medicus Pergamo genitus, Romæ clarus habetur. *Germes. Pastoris.* Pius Episcopus Romæ habetur, sub quo Hermes librum scripsit, qui Pastoris dicitur, in quo præceptum continet Angeli, vt pascha semper die dominico celebretur. *Polycarpus.* Polycarpus auditor beati Ioannis Romam veniens multos ab hæretica labe castigauit, qui Valentini & Cerdonis fuerant nuper doctrina corrupti. Vienen- E sium Episcopus Iustus adhuc clarus habetur: Lugdunensium Photinus. *Photinus. Anicetus.* Antoninus ad duodecimum ab Vrbe lapidem morbo correptus, interiit, Anicetus Romæ Episcopus.

163. *Antoninus Verus.* Marcus Antoninus Verus cum fratre Lucio Aurelio Commodo Antonino, annis xix. mense vno, Imperium tenuit. Ii primi rempublicam æquo iure rutati sunt, cùm vsque ad hoc tempus singuli Augusti fuerint. Bellum deindè contra Parthos admirabili virtute & fœlicitate gesserunt. In diebus Parthici belli persecutiones Christianorum quarta iam post Neronem vice, in Asia & in Gallia graues extiterunt. *Pionius.* Polycarpus & Pionius fecere martyrium in Asia: in Galliis quoque plurimi gloriosè pro Christo sanguinem fuderunt: Iustus Viennensis Episcopus, longo tempore exilio maceratus, martyr

Anni Christi.

Pestilentia. Seuerinus. Exuperius. Fœlicianus.

gloriosius efficitur. Tunc Photinus venerabilis senex, tempore interposito cum quadraginta & octo ex Lugdunensi & Viennensi vrbe martyrium suum impleuit. Nec multo pòst, vindex scelerum lues multas latè prouincias, Italiam maximè, Romámque vastauit. Seuerinus, Exuperius & Fœlicianus paruo tempore antè apud Viennam martyrio coronati. Commodus dum cum fratre in vehiculo sedet, casu morbi quem apoplexiam Græci vocant, suffocatus interiit. Eo defuncto Marcus Antoninus solus, aliquantulum reipub. præfuit: post Commodum filium suum assumpsit in regnum.

Melito.

Antonino Imperatore Melito Asianus Sardicensis Episcopus, apologeticum pro Christianis tradidit.

Angli, fiunt Christiani.

Lucius Britannorum rex, missa ad Eleutherium Romæ Episcopum epistola, vt Christianus efficeretur petiit.

Apollinaris Appianus. Dionysius. Corinthius. Montanus. Tatianus.

Apollinaris Appianus Hieropoli, & Dionysius Corinthi, clari habentur Episcopi. Muntanus Aprorum, & Tatianus, à quo Encratitæ hæresiarchæ exorti sunt. Antoninus præteriti temporis per omnes prouincias tributa donauit: omniáque simul fiscalium negotiorum calumniosa monimenta congesta, in foro iussit incendi, seurioresque leges nouis constitutionibus temperauit. Post Marcomanicum bellum, in quo gentes barbaræ, Vvandali, Sarmatæ, omnisque penè Germania exercitum Romanum circumcinxerat, quando ad inuocationem nominis Christi, quam subitò magna fidei constantia quidam milites effusi in preces, tantam vim pluuiæ impetrauerunt, vt Romanos largissimè ac sine iniuria refecerit: barbaros autem crebris fulminum ictibus perterritos, in fugam coëgerit, sicut idem Antoninus Imperator in litteris suis fatetur, ob inuocationem nominis Christiani per milites Christianos, & sitim quæ ex penuria aquarum in castris Romanorum erat, depulsam, & collatam sibi fuisse victoriam.

Grādo mixta fulminib⁹ impetrata precibus.

Antoninus in Pannonia constitutus repentino morbo diem obiit. Theophilus sextus Antiochenæ Ecclesiæ floruit, & Pinitus Cretensis Gnosiæ vrbis Episcopus. Tatianus hæresiarcha Encratitarum: qui, quandiu à Iustini martyris latere non discessit, floruit in Ecclesia. Huius errorem Seuerianus auxit, à quo Seueriani.

Seueriani.

181. Ant. Commodus.

Lucius Antoninus Commodus post mortem patris regnauit annos xiij. Hic aduersum Germanos bellum fœliciter gessit: cæterùm per omnia luxuriæ & obscœnitatis dedecore deprauatus, gladiatoriis armis sæpissimè in ludo depugnauit, & in Amphitheatro feris sese frequenter obiecit: interfecit etiam plurimos Senatores, maximè quos aduertit nobilitate industriáque excellere. Capitolium vrbis fulmine ictum, ex quo facta inflammatio, bibliothecam maiorum cura studióque compositam, ædésque alias iuxta sitas rapaci turbine concremauit.

Irenæus. Dionysius. Theodotiō.

Irenæus Episcopus Lugdunensis habetur. Dionysius quoque discipulorum Christi auditor, Viennensem tunc Ecclesiam regebat. Theodosion Ephesius interpres tertius apparuit. Commodus Imperator Colossi capite sublato, suæ imaginis caput ei iussit imponi. Cunctis itaque incommodus in Vestalia domo strangulatus, interiisse fertur.

194. Pertinax imperat annitus.

Ælius Pertinax senex, Imperator à Senatu creatus, sex mensibus regnauit. Hic Iuliani iurisperiti scelere in palatio occisus est, mense sexto postquam imperare cœperat: quem Seuerus etiam apud Pontem Miluium bello ciuili victum interfecit. Victor decimus tertius Romæ Episcopus, datis latè libellis constituit pascha die dominico celebrari. Sicut & condecessor eius Eleuther, à decimaquarta luna primi mensis vsque in vicesimam primam: cuius decretis fauens Theophilus Cæsareæ Palæstinæ episcopus, scripsit aduersum eos qui decima quarta luna cum Iudæis pascha celebrabant, cum cæteris qui in eodem concilio resederant episcopis, synodicam & valdè vtilem epistolam. Ælius Pertinax suppliciter senatu vt vxorem augustam & filium Cæsarem faceret, renuens ait: Sufficere sibi debere quòd ipse imperaret inuitus. Huius Ælij atque Iuliani Seueri quoque imperatorum temporibus, Dionysius, sicut diximus, Viennensis episcopus eruditissimus floruit.

Apollonius Montanus cum suis vatibus perijt suspendio.

Apollonius disertissimus vir scribit aduersus Montanum, Priscam, & Maximillam: & disserit, Montanū & insanas vates eius periisse suspendio. Scrapion Antiochiæ episcopus floruit, & Apollonius senator martyr efficitur.

195.

Seuerus Pertinax genere Afer Tripolitanus ab oppido Lepti, qui se ex nomine imperatoris quem occisum vltus fuerat, Pertinacem appellari voluit, regnauit annis xviij. Hic natura sæuus, multis sæpè bellis lacessitus, fortissimè quidem rempublicam, sed laboriosissimè rexit: Piscennium Nigrum, qui in Ægypto & Syria ad tyrannidem aspirauerat, apud Cyzicum vicit, & interfecit. Iudæos & Samaritas rebellare conantes ferro coercuit. Parthos, Arabas Adiabenósque superauit.

Quinta persecutio. Leonides pater Origenis. Clemens Alexand. Paracodes.

Quinta hortante à Nerone persecutione Christianos excruciauit, plurimósque sanctorum per diuersas prouincias martyrio coronati. Inter quos & Leonides pater Origenis, & Clemens Alexandrinæ ecclesiæ, coronati sunt. Tunc temporis & Irenæus Lugdunensis cum maxima multitudine martyrium suum perfecit. Et Paracodes Viennensis episcopus clarus in fidei doctrina, clarus in confessione persistens, mansit in episcopatu vsque ad Maximini tempora: cuius tempore Zacharias Lugdunensis episcopus floruit. Claudio Albino qui se in Gallus Cæsarem fecerat, Lugduni interfecto, Seuerus in Britannias bellum transfert, vbi magnis grauibúsque prælus sæpè gestis receptam partem insulæ à cæteris indomitis gētibus vallo distinguendam putauit. Itaque magnam fossam firmissimumq; vallum crebris insuper turribus communitum per cxxxij. millia passuum à mari ad mare duxit. Ibique apud Eburacum oppidum morbo obiit. Reliquit duos filios, Basilianum & Getam, quorum Geta hostis publicus interiit: Basilianus Antonini cognomine assumpto regno potitus est. Perpetua & Felicitas apud Carthaginem Africæ in castris bestiis deputatæ pro Christo nonis Martiis.

Symmach⁹

Symmachus interpres quartus agnoscitur. Origenes Alexandriæ studiis eruditur, Victor xiij. Romanam ecclesiam rexit.

Panthenus.

Panthenus Stoicæ sectæ philosophus, qui primùm in Indiam à Demetrio Alexandriæ episcopo ad docēdum missus fuerat, viua voce & exemplo ecclesiam Christi instruit.

212. An. Bassian⁹

Aurelius Antoninus Bassianus idemque Caracalla principatum adeptus mansit in eo annis non plenè septem, patre Seuero asperior, omnibus autem hominibus libidine intemperantior, qui etiam nouercam suam Iuliam vxorem duxit.

Quinta editio scripturarum inuenitur.

Hierico quinta editio diuinarū scripturarum inuenta est, cuius auctor non apparet. Alexander episcopus Cappadociæ cùm desiderio sanctorum locorum Hierosolymam veniret, viuente adhuc Narcisso episcopo persenilis ætatis Domino per reuelationem idipsum monente, in loco Narcissi episcopus constituitur.

Tertullian⁹

Tertullianus Afer Centurionis proconsularis filius, omnium ecclesiarum sermone celebratur. Aurelius Antoninus contra Parthos bellum molīens, inter Edessam & Carras ab hostibus circumuentus occiditur.

219. Macrinus.

Macrinus præfectus prætorij cum filio Diadumeno inuasit imperium: emensóque anno apud Archelaidem militari tumultu occisus est. Tertullianus, cuius supra meminimus, presbyter, vsque ad mediam ætatem ecclesiæ inuidia postea & contumeliis clericorum Romanæ ecclesiæ ad Montani dogma delabitur, atque aduersus ecclesiam texit volumina.

220. Aurelius. Heliogab.

Marcus Aurelius Antoninus imperium adeptus, tenuit annis quatuor. Hic sacerdos Heliogabali templi, nullam sui nisi stuprorum, flagitiorum, totiúsq; obscœnitatis infamem satis memoriam reliquit. Tumultu militari exorto Romæ cum matre interfectus est.

Nicopolis. Emaus.

In Palæstina Nicopolis, quæ priùs Emaus vocabatur, vrbs condita est. Hæc est Emaus quam Dominus post resurrectionem suam suo ingressu sanctificare dignatus est, legationis industriam pro ea suscipiente Iulio Africano scriptore temporum.

Editio sexta

Sexta editio inuenta est Nicopoli.

Sabel-

Sabellius. Hippolytus. Sabellius hæresiarches oritur. Hippolytus episcopus
multorum côditor opusculorum, temporum canonem
conscripsit, & hucusque perduxit.
224. Alex. Seuerus. Aurelius Alexander, senatus ac militum voluntate im-
perator creatus, xiij. annis digno æquitatis præconio
Mammæa. præfuit. Cuius mater Mammæa Christiana Origenem
presbyterum audire curauit, eúmque Antiochia acci-
tum summo honore habuit. Hic expeditione in Persas
facta, Xeraem regem eorum victor oppressit. Sed mili-
tari tumultu apud Moguntiacum interfectus est. Vrba-
nus Romæ episcopus multos nobilium ad fidem Chri-
Cæcilia. Valerianus. Tiburtius. sti & martyrium perduxit. Tunc temporis Cæcilia vir-
go & Valerianus, Tiburtius atque Maximus martyrium
compleuerunt.
234. Maximin°. Maximinus nulla senatus voluntate imperator ab
exercitu, postquam bellum in Germania prosperè gesse-
rat, creatus, tres annos habuit. Hic aduersum ecclesia-
rum sacerdotes & clericos persecutionem exercet, ma-
ximè propter Christianam Alexandri cui successerat, &
Mammææ matris eius familiam: Hunc Pupienus Aqui-
leiæ interfecit. Pontianus & Anteros Romanæ vrbis
episcopi, martyrio coronati, ac in cœmiterio Calixti se-
pulti.
241. Gordianus imperator creatus, mansit in eo annis vj.
Gordianus. Nam Pupienus interfector Maximini, & frater eius Al-
binus qui vsurpauerant imperium, mox in palatio sunt
Iul. Africanus. interfecti. Iulius Africanus inter scriptores ecclesiasticos
nobilis habetur. Qui in Chronicis suis refert se Alexan-
driam venisse, Heraclæ opinione celeberrima prouo-
catum, quem & in diuinis, & in philosophicis studijs, at-
que omni Græcorum doctrina instructissimum fama
loqueretur. Origenes in Cæsarea Palæstinæ Theodo-
rum cognomento Gregorium & Athenodorum adole-
scentulos fratres, Ponti postea nobilissimos episcopos
Fabianus à Spiritu sancto ordinatus. diuina philosophia imbuit. Fabian° testimonio Spiritus
sancti in specie columbæ super caput eius descendentis
Romæ episcopus ordinatur: licet quidam hoc veriùs de
Zepherino affirment. Florentinus quoque episcopus
Viennensis, vita & doctrina emicuit: mansit ad Galieni
& Volusiani imperium: exhaúsque martyrium com-
pleuit. Gordianus admodum puer in oriêtem ad bellum
Parthicum profectus, suorum fraude, haud longè, a Cir-
cesso super Euphratem interfectus est.
Philippus Cæsar primò Christianus. Philippus Philippum filium suum consortem regni
faciens, mansit in eo annis vij. Hic primus imperatorum
omnium Christianus fuit. Ac post tertium imperij eius
annum, millesimus à conditione Romæ annus expletus
est. Itaque magnificis ludis augustissimus omnium
præteritorum hic natalis annus à Christiano celebratus
Celsus Philosophus Epicureus. est imperatore. Origenes aduersus quendam Celsum
Epicureum philosophum, qui contra nos libros scri-
pserat, octo voluminibus respondit: et breuiter quod di-
cam, tantum scribendi sedulus fuit, vt Hieronymus
quodam loco, quinque millia librorum eius se legisse
meminerit. Philippus pater & filius, quamuis diuersis
locis, ambo tamen tumultu militari & Decij fraude in-
terfecti sunt.
254. Decius. Decius ciuilis belli incentor, anno vno, mensibus tri-
bus. Hic cùm Philippos patrem & filium interfecisset,
ob eorum odium ad persequendos interficiendósque
Christianos ferralia dispersit edicta. Idemq; filium suum
Cæsarem legit, cum quo simul continuò in medio bar-
barorum sinu interfectus est. Persecutione Decij, Fabia-
nus in vrbe Roma martyrio coronatus est, sedémque sui
episcopatus Cornelio, dereliquit: ipsóque martyrio co-
ronato Lucius pontificatum tenuit. Hunc Stephanus
successit: quo per martyrium transeunte, Xystus locum
eius impleuit, idémque per confessionem fidei, martyrij
Cyprianus. palmam sumpsit. Cyprianus clarissimum lumen do-
Laurentius. ctorum episcopus Carthaginis clarus habetur. Tunc
temporis & Laurentius archidiaconus, & alij plures
martyrij gloriam exornauerunt.
255. Gallus Hostilianus cum filio Volusiano, duos annos

A. & quatuor menses regnum obtinuit. Quo tempore pe- Gallus & Volusian°.
stilentia ingens per omnes penè prouincias Romani im-
perij extenditur, ob vltionem sine dubio violati nomi-
nis Christiani. Nouatianus Cypriani episcopi presby-
ter, Romam veniens nouam hæresin cudidit. Orige-
nes lxx. ætatis anno non ad integrum impleto, defun-
ctus, in vrbe Tyri sepultus est. Cornelius episcopus
Romæ à quadam matrona Lucina rogatus, corpora san-
ctorum Apostolorum de Catacumbis leuauit noctu: &
posuit, Pauli quidem, in via Hostiensi, vbi decollatus est:
Petri autem, non longè a loco vbi crucifixus est inter
corpora sanctorum episcoporum in templo olim Apol-
linis, in monte Aureo, in Vaticano palatio Neroniano.
Gallus & Volusianus dum contra Æmilianum nouis
rebus studentem, bellum ciuile moliuntur, occisi sunt.
B Æmilianus tamen tertio mense inuasæ tyrannidis, ex-
tinctus est. Ammonius eruditus in philosophia, qui Ammonius.
euangelicos canones scribit, Alexandriæ clarus habe-
tur.
Valerianus cum filio Galieno, annis xv. Hic Valeria- 257.
nus in Græcia ab exercitu Augustus appellatus est, Ro- Valerianus.
mæ autem a senatu Galienus Cæsar creatus est. Valeria-
nus in Christianos persecutione commota, statim a Sa-
pore Persarum rege captus, luminibusq; orbatus, igno-
miniosissima apud Persas seruitute consenuit donec vi-
xit: hanc continuam damnationem sortitus, vt ipse ac-
clinis humi, regem semper ascensurum in equum, non
manu sua, sed dorso attolleret. Et Galienus quidem tam
claro Dei iudicio territus, tanquam miseri collega per-
motus exemplo, pacem ecclesijs tepida satisfactione re-
C stituit. Hac procellosa tempestate Cyprianus Carthagi-
nensis episcopus coronatur martyrio: cuius vitæ & pas-
sionis volumen egregium reliquit Pontius diaconus Pôtius diaconus.
eius, qui vsque ad diem passionis eius cum ipso exilium
sustinuit. Germani Alpibus, Rhetia, totáque Italia pene- Germanorum incursiones.
trata, Rauennam vsque perueniunt: Alamanni Gallias
peruagantes, etiam in Italiam transeunt. Græcia, Mace-
donia, Pontus, Asia Gothorum inundantia delentur. Pu-
blius Ingenuus, qui purpuram imperij sumpserat, apud
Myrsam occiditur. Posthumus in Gallia inuasit tyran-
nidem, ac per decem annos, ingenti virtute ac modera-
tione vsus, dominantes hostes expulit: qui tamen sedi-
tione militum interfectus est. Victorinus à Gallis vltrò Victorinus.
creatus imperator, post paululum apud Viennam occi- Theod.
D sus est. Theodorus Gregorius cognomento, Neocæsa- Neocæs.
reæ Ponti episcopus, magna virtutum gloria claret. E
quibus vnum est, quòd vt ecclesiæ faciendæ locus suffi-
ceret, montem precibus mouit. Tunc temporis Lupici- Lupicinus.
nus Viennensis ecclesiæ episcopus clarè floruit. Galie-
nus cùm rempublicam deseruisset, ac Mediolani libidi-
nibus inseruiret, occisus est. Cornelio qui duobus annis
rexit Ecclesiam Romanam ob Christi martyrium coro-
nato, successit Lucius. Passus est autem beatus Cypria-
nus persecutione octaua eodem die, sed non eodem an-
no quo Romæ Cornelius.
Claudius voluntate senatus sumpto imperio annis 272.
duobus. Hic Gothos iam per annos xv. Illyricum Ma- Claudius.
cedoniámque vastantes bello adortus, incredibili strage
E delet. Cui à senatu clypeus aureus in curia, & in Capi-
tolio statua æquè aurea decreta est. Sed continuò apud
Syrmium morbo correptus interijt.
Mox frater eius Quintilius, vir bonæ moderationis, 273.
ab exercitu imperator electus, xvij. die imperij sui in- Quintilius.
terfectus est. Malchion disertissimus Antiochenæ ec- Malchion.
clesiæ presbyter, qui in eadem vrbe rhetoricam do-
cuerat, aduersus Paulum Samosatenum, qui episcopus
Antiochiæ dogmatizabat, Christum communis natu-
ræ hominem tantum fuisse, notarijs excipientibus di-
sputauit.
Aurelianus imperium adeptus, quinque annis & sex 274.
mensibus tenuit; vir industria militari excellentissimus, Aurelianus.
expeditione ad Danubium suscepta, Gothos magnis
prælijs profligauit.

Anni Christi.

Hic urbem Romam muris firmioribus cinxit. Nouissimè cùm persequutionem aduersus Christianos agi decerneret, fulmen ante eum magno pauore circumstantium ruit, ac non multò pòst in itinere occisus est. Eutychianus Romæ episcopus martyrio coronatus in cœmeterio Calyxti sepelitur: qui & ipse cccxiij. martyres manu sua sepeliuit.

Tacitus. Anatolius.

Tacitus, menses sex. quo apud Pontum occiso, obtinuit Florianus imperium diebus lxxxix. quique apud Tarsum interfectus est. Anatolius natione Alexandrinus Laodiceæ Syriæ episcopus, philosophorum discipulus eruditus, plurimo sermone celebratur. Cuius ingenij magnitudo de libro quod super Pascha composuit, & de decem lib. arithmeticæ institutionis, potest apertissimè cognosci. Tunc temporis insana Manichæorum hæresis oritur. Quo tempore Viennensis episcopus Simplides miræ sanctitatis floruit. Permansit autem vsque ad imperatoris Cari tempora.

Simplides Viennensis.

279. Probus.

Probus imperator, ann. vj menses iiij. Hic Gallias iamdudum à Barbaris occupatas, per multa grauia prælia deletis tandem hostibus, ad perfectum liberauit. Bella deindè ciuilia, & quidem plurimo sanguine, duo gessit: vnum in oriente, quo Saturninum tyrannum subactum & oppressit & cepit: aliud quo Proculum & Boonosum apud Agrippinam magnis præliis superatos interfecit; ipse autem apud Sirmium turre ferrata militari tumultu interfectus est. Secundò huius anno, vt in chronicis Eusebij legimus, iuxta Antiochenos, cccxxv. ann. fuit: iuxta Tyrios ccccij. iuxta Lacedæmonios, ccc. vicesimusquartus: iuxta Edessenos, dlxxxviij. iuxta Ascalonitas, ccc. octogesimus. Secundum Hebræos, initium lxxxvij. iobilæi, quo continentur anni quatuor mille ccl. Archelaus Mesopotamiæ episcopus librum disputationis suæ, quam habuit aduersus Manichæum exeuntem de Perside, Syro sermone composuit, qui translatus à multis Græcis habetur.

Archelaus episcopus.

Carus.

Carus cum filio Carino & Numeriano, annos tres. Carus in bello Parthico postquam duas nobilissimas Parthorum vrbes Cælen & Ctesiphontem cepit: & de Persis triumphauit, super Tygridem in castris fulmine ictus interiit.

285. Gaius episcopus. Phierius. Theon.

Gaius Romanæ ecclesiæ fulget episcopus, qui postmodum sub Diocletiano martyrium passus est. Phierios presbyter Alexandriæ, sub Theona episcopo florentissimè populos docuit, & sermones diuersorúmque tractatuum libros composuit. Inuenitque elegantiam compositionis, ita vt Origenes minor vocaretur: vir miræ parsimoniæ, & voluntariæ paupertatis, post persecutionem omni tempore vitæ suæ Romæ versatus est.

Numerian'

Numerianus qui cum patre Caro Parthico bello interfuerat, rediens fraude Apri soceri sui interfectus est.

288. Diocletian'

Diocletianus ab Vrbe condita mil. xlj. ab exercitu imperator lectus, annos triginta; qui statim vt potestatis copiam habuit, Aprum interfectorem Numeriani, manu sua interfecit. Deinde Carinum, quem Carus Cæsarem in Dalmatia reliquerat, difficillimo bello & maximo labore superauit. Dehinc cùm in Gallia Amandus & Ælianus collecta rusticanorum manu, quos Baccaudas vocabant, perniciosos tumultus excitauissent, Maximianum cognomento Herculianum, Cæsarem fecit, misitque in Gallias: qui facilè agrestium hominum & confusam manum militari virtute composuit. Igitur per omnes Romani imperij fines subitarum turbationum fragore concrepuerunt: Carausio in Britanniis rebellante, qui primùm ad obseruanda Oceani littora, quæ tunc Franci & Saxones infestabant, positus, cùm plus in perniciem, quàm in profectum reipublicæ ageret, à Maximiano iussus occidi, purpuram sumpserat: Achilleo, in Ægypto, cùm & Africam Quingentiani infestarent: Narseus etiam rex Persarum orientem bello premeret; hoc periculo Diocletianus permotus, Maximianum Herculium ex Cæsare fecit Augustum: Constantium verò, & Maximinum, & Maximianum Valerium, Cæsares legit. Constantius Herculij Maximiani priuignam Theodoram accepit vxorem, ex qua sex filios fratres Constantini sustulit.

Carausius.

Carausius per sex annos sibi Britannia fortissimè vindicata, tandem fraude Allecti socij sui interfectus est: qui postea insulam per triennium tenuit, quem Asclepiodotus præfectus prætorio oppressit, Britanniámque post decem annos recepit. Constantius verò Cæsar, in Gallia primo prælio ab Alamannis profligato exercitu suo, vix ipse subreptus est: secundò autem secuta est satis secunda victoria: ita vt paucis horis quadraginta millia Alamannorum cæsa fuerint. At Maximianus Augustus Quingentianos in Africa perdomuit. Porro autem Diocletianus Achilleum obsessum per octo menses, apud Alexandriam cepit, & interfecit. Præterea Valerius Maximianus cùm duobus iam præliis aduersum Narseum conflixisset, tertiò inter Gallinicum, & Carras congressus, & victus, amissis copiis ad Diocletianum refugit. A quo arrogantissimè exceptus est, ita vt per aliquot millia passuum purpuratus ante vehiculum eius præcederet. Hic Diocletianus primus gemmas vestibus calciamentisque inseri iussit, dum sola purpura retro principes vterentur.

Maximian' vastat ecclesias. Thebæi martyres. Victor. Vrsus. Fides. Gereon.

Decimo octauo anno Diocletiani, ipse in oriente, Maximianus Herculius in occidente vastari ecclesias affligi interficíque Christianos præcipiunt, adustis diuinis libris. Hac tempestate martyrium sanctorum Thebæorum, Mauricij sociorúmque eius sexies mille sexcentorum sexaginta sex impletur. Passio quoque Victoris & Vrsi apud Castrum Solodorum. passio quoque beatæ Fidis & sociorum eius apud vrbem Agennum, quæ postea Conchis translata est. Martyrum etiam Gereonis, sociorúmque eius trecentorum vigintiocto apud Agrippinam Coloniam; hæc persecutio ita crudelis & crebra flagrabat, vt intra vnum mensem decies & octies millia martyrum pro Christo passi inueniantur. Nam & Oceani lymbum transgressa, Albanum, Aaron, & Iulium Britanniæ cum aliis pluribus viris ac fœminis cœlesti cruore damnauit.

Pamphilus.

Tunc temporis passus est & Pamphilus presbyter, cuius vitam Eusebius Cæsariensis episcopus tribus libris comprehendit. Secundo autem persecutionis anno, Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Herculius Mediolani purpuram deposuerunt. Attamen cœpta semel persecutio, vsque ad septimum Constantini imperatoris annum seruere non cessauit. Constantius decimosexto imperij anno, vir summæ mansuetudinis & ciuilitatis, Eboraci in Britannia diem obiit. Tertio anno persecutionis, quo & Constantius obiit, Maximinus & Seuerus à Valerio Maximiano, Cæsares facti sunt. E quibus Maximianus maleficia & stupra sua Christianorum persecutionibus accumulat.

Petrus. Alex.

Passus est ea tempestate Petrus Alexandriæ episcopus, à quo Arrius presbyter primò damnatus est. Passi sunt cum eo plures Ægypti episcopi.

Lucianus. Timotheus

Lucianus quoque, vir moribus & continentia & eruditione præcipuus, Antiochenæ ecclesiæ presbyter passus est, & Romæ Timotheus, decimo Calend. Iulij.

Melciades. Pascasius. Phileas.

Floruit tunc temporis Melciades Romanæ ecclesiæ pontifex. Floruit & tunc temporis vir disertissimus Pascasius, Viennensis ecclesiæ episcopus. Philcas de vrbe Ægypti, quæ vocatur Thebais, nobilis generis episcopus, elegantissimum librum de martyrum laude composuit, & pro Christo capite truncatur.

Arnobius.

Arnobius apud Africam florentissimè rhetoricam docuit, & aduersum gentes volumina composuit, quæ vulgò extant.

306. Cōstātinus.

Constantinus Constantij ex concubina Helena filius, in Britannia imperator creatus regnauit annos triginta, menses decem, ab anno persecutionis quarto. Maxentius Herculij Maximiani filius Romæ Augustus appellatur. Licinius Constantiæ sororis Constantini, Carnuti imperator creatur. Constantinus imperator de persecutore Christianus factus, licentiam dedit Christianis liberè congregari, & in honorem Christi vbique ecclesias construi: ac penè per totum imperium Ro-

Anni Christi.

manum priuilegia singulis ciuitatibus dedit, vt populus Christianus sub iure & ordinatione episcoporum liberè viueret, ac Dei templis liberè honoris structuram componeret.

Arriana hæresis.

Huius temporibus hæresis Arriana exoritur: Nicænúmque concilium ad damnationem Arrij, & confirmationem integræ fidei ex orbe terrarum congregatur. Anno post incarnationem Domini trecentesimo vicesimosecundo, die mensis secundum Græcos Desei, vicesimonono, quod est, decimo Calendarum Iuliarum, consulatu Paulini & Iuliani. Vno eodémque tempore & illud sacratissimum Concilium apud Arelaten sexcentorum episcoporum colligitur: Martino tunc episcopo eiusdem ciuitatis existente: apud Viénam Claudio in catholico dogmate clarissimo episcopo.

Donatistæ exoriuntur.

Eodem tempore Donatistarum in Africa schisma oritur. Namque Donatus per Africam & maximè Numidiam, adferens à nostris scripturas in persecutione inimicis traditas, multos sua persuasione decepit.

Crucis inuentio.

Per idem etiam tempus ab Helena Constantini matre Hierosolymis crux Domini inuenta est. Constantinus in fide eruditus à B. Siluestro Papa, fecit miro opere baptisterium Romæ, vbi baptizatus est, iuxta basilicam B. Ioannis Baptistæ, quæ appellatur Constantiniana. Item basilicam B. Petro in templo Apollinis, necnon & B. Paulo, corpus vtriusque ære Cyprio circundans quinque pedes crasso. Item basilicam in palatio Sorano, quæ cognominatur Hierusalem, vbi partem ligni crucis Domini deposuit.

Ecclesias plurimas Cõstantinus fabricauit.

Item basilicam B. martyris Agnæ, ex rogatu Constantiæ filiæ suæ. Item baptisterium in eodem loco, vbi & baptizata est soror eius Constantia cum filia Augusta.

Laurentij basilica.

Item basilicam B. Laurentio martyri, via Tiburtina in agro Verano, vbi idem martyr gloriosus sepultus est. Item basilicam via Lauicana, inter duas lauros beato Petro & Marcellino martyribus, & Mausoleum, vbi matrem suam posuit in sarcophago purpureo. Item basilicam in ciuitate Hostiæ iuxta portum vrbis Romæ beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & beati Ioannis Baptistæ. Item basilicam in ciuitate Albanensi sancti Ioannis Baptistæ. Item basilicam in vrbe Neapoli miro opere exornauit, in honorem Apostolorum & martyrum. Idem imperator Depranam ciuitatem Bithyniæ in honorem martyris Luciani ibi conditi instaorans, ex vocabulo matris suæ, Helenopolin nuncupauit. Idem vrbem nominis sui statuens in Thracia, sedem Romani imperij & caput totius orientis esse voluit. Caput verò totius imperij ante Romam beatis Apostolis Petro & Paulo sub testamento tradidit, nobiliores Romanorum, consulares quoque viros, ac penè totum senatorum ordinem cum vxoribus & liberis, in secundam vel nouam Romam Constantinopolin translatum habitare constituens. Idem ipse statuit citra vllam hominum cædem, paganorum templa claudi, aráque deorum confringi.

Retius. Iuuencus. Lactantius.

Retius Augustodunensis episcopus, celeberrimæ famæ habetur, & Iuuencus presbyter Hispanus, qui hexametris versibus quatuor libros euangelij composuit. Firmianus, qui & Lactantius, Arnobij discipulus, Nicomediæ rhetoricam docuit, ac penuria discipulorum, ob Græcam scilicet ciuitatem, ad scribendum se contulit. Hic in extrema senectute magister Cæsaris Crispi filij Constantini in Gallia fuit, qui postea à patre interfectus est.

Iacobus Nizibenus.

Iacobus Nizibenæ episcopus, vnus ex numero sub Maximino persecutore confessorum & eorum qui in Nicæna synodo Arrianam peruersitatem homoousij oppositionem damnarunt, multorum opusculorum scriptor moritur.

337. Constantius cum Constantino & Constante fratribus, regnat annos decem & octo, menses quinque, dies quatuordecim. Iacobus Nizibenus episcopus agnoscitur: ad cuius preces sæpè vrbs discrimine liberatur. Impietas Arriana Constantij imperatoris fulta præsidio, exilijs, carceribus, & varijs afflictionum modis, primùm

Athanasius

Athanasium Alexandrinæ vrbis episcopum, deinde

A omnes non suæ partis episcopos persecuta. Maximinus Treuerorum vrbis episcopus, clarus habetur: a quo Athanasius cùm à Constantino, qua fereretur ad pœnam, honorificè susceptus est.

Anni Christi. Vexatur ab Arrianis & Constantio. Nectarius.

Florebat & huius temporis Nectarius Viennensis episcopus, in doctrina fidei eximius: qui in Vasensi illa synodo venerabili primus interfuit, & patris, & filij, & spiritussancti vnam esse naturam & potestatem, & deitatem, & virtutem, in ecclesia publicè prædicauit, & docuit.

Antonius.

Antonius monachus centesimo quinto ætatis anno, in eremo moritur. Reliquiæ Timothæi Apostoli Constantinopolin inuectæ. Constantij fauore Arrius presbyter fretus, dum in Constantinopolin ad ecclesiam pergeret, cui tunc Alexander senex episcopus præsidebat aduersus nostros de fide dimicaturus, diuertens post forum Constantini ad causam necessariam, viscera eius repentè simul cum vita B effusa sunt. Constantio Romam ingresso ossa B. Andreæ Apostoli & Lucæ Euangelistæ à Constantinopolitanis miro fauore suscepta sunt.

Hilarius.

Hilarius Pictauensis episcopus, qui pulsus ab Arrianis, in Phrygiam exulauerat, cùm apud Constantinopolin librum pro se Constantio porrexisset, ad Gallias redijt.

Anthropomorphitæ. Donatus. Eusebius.

Hæresis Anthropomorphitarum in Syria & in Macedonia, in Constantinopoli quoque nascitur. Donatus artis grammaticę scriptor, ac præceptor Hieronymi, Romæ illustris habetur. Eusebius Cæsareæ Palæstinæ, in scripturis diuinis studiosissimus, ac bibliothecæ diuinæ cum Pamphilo martyre diligentissimus peruestigator, moritur: qui primùm in Arrianam hæresim lapsus, ad catholicũ dogma correptus redit. Eustasius primum Cœlesyriæ, deindè C Antiochiæ episcopus, aduersum Arrianum dogma multa componens, in exilium pulsus, apud Traianopolim Trachiarum vrbem conditus est.

Marcellus.

Marcellus Ancyranus episcopus, contra Arrianos scribens arguitur Sabellianæ hæreseos: sed & beatus Hilarius in septimo aduersum Arrianos libro, nominis eius quasi hæretici meminit. Porrò ille defendit se non esse dogmatis cuius accusatur communione Iulij & Athanasij Romanæ & Alexandrinæ vrbis pontificum.

Basilius.

Basilius Ancyranus episcopus Macedonianæ partis cum Eustathio Sebasteno princeps fuit: fuit autem artis medicinæ peritus.

361. Iulia. apost.

Iulianus, annos duos, menses octo. Hic ex clerico imperator factus in idolorum culturam conuertitur: D martyriáque infert Christianis, eósque callidis circumuentionibus odijsque persequitur. Quo tempore inter alios qui in toto orbe pro Christo passi sunt, Ioannes & Paulus Romæ martyrium illustre duxerunt.

Reliquiæ Ioan. Bapt.

Pagani quoque apud Sebasten Palæstinæ vrbem sepulchrum beati Ioannis Baptistæ inuadunt, ossáque dispergunt, eadem rursus collecta concremantes, latiùs per agros spargunt. Sed Dei prouidentia adfuêre quidam ex Hierosolymis monachi, qui colligentibus mixti, quæcunque poterant ablata, ad patrem suum Philippum pertulêre: ille confestim hæc (supra se enim dicebat tantum thesauri proprijs seruare vigilijs) ad pontificẽ Athanasium, tunc maximum per Iulianum diaconum suũ misit: quę ille suscepta, paucis arbitris, sub cauato sacrarij pariete, inclusa profutura generationi posteræ conseruauit: E cuius præsagium sub Theodosio imperatore per Theophilum eiusdem vrbis episcopum completur. Qui destructo Serapis templo, sancti Ioannis ibidem consecrauit ecclesiam. Iulianus odio Christi templum in Hierosolymis Iudæis reparare permittit. Qui cùm ex omnibus prouincijs collecti, noua templi fundamenta iacerent, subitò nocte oborto terræmotu, saxa ab imo fundamentorum excussa, longè latéque sparsa sunt: igneus quoque globus ab interiore æde templi egressus, plurimos eorum suo prostrauit incendio. Quo terrore reliqui pauefacti, Christum confitebantur inuiti. Et ne hoc casu crederent factum, sequenti nocte in vestimentis cunctorum crucis apparuit signum.

Reliquiæ Iacobi Nizibeni.

Iulianus efferri ossa venerabilis Iacobi Nizibeni episcopi

Anni Christi.

foras ciuitatem iubet, inuidens ipsius miraculis: quæ non longè post dominio Persarum subiicitur. Iulianus, incertum à quo, cùm exercitus acies contra Persas ordinaret, perimitur: ac intestina sua in aëra proiiciens insano ore, Christum Dominum blasphemans, Vicisti Galilæe, vicisti, vitam cum regno perdidit: cuius interitum per reuelationem illicò per vniuersam ecclesiam plurimi agnoscunt.

Lucifer Calaritanus. Lucifer Calaritanus episcopus à Constantio cùm Nicenam fidem damnare nollet, in Palæstinam relegatus ab exilio reuertitur, à quo postea Luciferianum schisma. Eusebius natione Sardus, Versellensis episcopus similiter à Constantio pro confessione fidei Scythopolin, & inde Cappadociam relegatus, ab exilio reuersus, factione Arrianorum interficitur.

Fortunati°. Fortunatius Aquileiensis ecclesiæ episcopus, in hoc maximè detestabilis quòd Liberium Romanæ vrbis episcopum pro fide ad exilium pergentem, primus sollicitauit, & fregit, & ad subscriptionem hæreseus compulit. Acatius Luscus Cæsareæ episcopus, intantum sub Constantio clarus, vt Felicem Romæ pro Liberio episcopum consecraret.

363\. Iouianus. Iouianus, anno vno, vel vt verius, mensibus octo. Qui dum se ab exercitu imperatorem fieri conspiceret, séque Christianum affirmans, Paganis præesse non posse assereret, Et nos, inquit omnis exercitus, qui per Iulianum nomen Christi abiecimus, tecum Christiani esse volumus. Quibus auditis, imperij sceptra suscepit. Synodus Antiochiæ à Melito suisque facta in qua Macedonianum dogma prauè firmatur. Iouianus lapsu Constantij prædecessoris admonitus, honorificis & officiosissimis literis Athanasium requirit ab ipso formam fidei ecclesiarúmque disponendarum suscepit modum: sed huius pia lætáque principia, mors immatura corripuit.

Hilarius. Hilarius vrbis Pictauorum Aquitanicæ episcopus, factione Saturnini Arelatensis episcopi de Synodo Biterrensi in Phrygiam relegatur sub Constantio: vbi duodecim libros aduersum Arrianos confecit, & librum de synodis ad Galliarum episcopos scripsit: & alia reuersus ab exilio, catholica & nimis præclara opera.

Serapion. Serapion Thmueus episcopus, elegantis ingenij, sub Constantio etiam in confessione fidei inclytus moritur.

364\. Valentinian°. Valentinianus & Valens frater eius, annos duodecim. Apollinaris Laodicenus episcopus multimoda nostræ religionis scripta composuit. Sed incautus postea à fide deuians, hæresim sui nominis instituit.

Photinus. Eunomius. Photinus quoque & Eunomius eo tēpore hæretici agnoscuntur. Gothi apud Histrum bifariè inter Frigidernum & Atanaricū diuisi sunt. Sed Frigidernus Ataricum Valētis auxilio superās, huius beneficij gratia ex catholico Arrianus cū omni gēte Gothorū effectus est.

Gothicarū literarum inuentio. Tūc Vulfila eorum episcopus Gothicas literas reperit, & vtrunq; Testamētum in linguā propriā transtulit. Damasus Romæ episcopus fecit basilicā iuxta atrium sancto Laurentio, & aliam in catacūbis, vbi iacuerunt corpora sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in quo loco platomam ipsam, vbi iacuerant sancta corpora, versibus adornauit. Valens ab Eudoxio Arrianorum episcopo baptizatus, nostros persequitur. Gratianus Valentiniani filius, tertio eius anno, Ambiani imperator est factus. Constantinopoli Apostolorum martyrium dedicatur.

Ambrosius. Post Auxentij Mediolanensis episcopi seram mortem, Mediolani Ambrosio episcopo facto, omnis ad fidem rectam Italia conuertitur. Nectarius Viennensis, & Hilarius Pictauiensis episcopi moriuntur.

Valens cum Gratiano. Valens cum Gratiano & Valentiniano Valentiniani fratris sui filius, annos quatuor. Valens lege data, vt monachi militarent, nolentes fustibus iussit occidi. Gens Hunnorum diu inaccessis seclusa montibus, repentina rabie percita, exarsit in Gothos, eósque sparsim conturbatos, ab antiquis sedibus expulit. Gothi transito Danubio fugientes à Valente sine armorum depositione suscepti, per auaritiam Maximi ducis: fame ad rebellan-

A dum coacti sunt, victóque Valentis exercitu, per Thraciam sese miscentes, simul omnia cædibus, incendiis rapinisque impleuerunt. Valentiniani, & Valentis tempore rebellantes Alamannos, Franci inter Danubium & Mæotides paludes inocti Romanis, superauerunt.

Frācos à feritate vocauit Valētin. Francos lingua Attica Valentinianus imperator à feritate & duritia atque audacia, appellari primus voluit. Qui post paululum cùm tributa Romanis negarent, & Romanorum impetum ferre non possent, egressi à Sicambria, peruenerunt in extremas partes Rheni fluminis in Germanorum oppida: ibique aliquot annos cum principibus suis Marcomiro & Sunnone resederunt. Vbi primùm regem Pharamundum sibi postmodum statuunt, legibúsque se subdunt, quas priores eorum Vvisouastus & Vvisogastus, Arrogastus, Salegastus inuenerunt.

Victorinus. Bostremus. Victorinus natione Afer sub Constantino principe rhe- B toricam docens in extrema senectute Christi se tradidit fidei. Titus Bostremus episcopus, acerrimus contra Manichæos disputator, moritur. Athanasius Alexandrinus episcopus, multa Arrianorum perpessus insidiis, ad Constantem Galliarum principem fugit: Vnde reuersus cum literis, & rursum post mortem illius fugatus, vsque ad Iouiani imperium latuit. A quo recepta ecclesia sub Valente moritur.

Ephrem. Basilius moritur. Ephrem Edessæ ecclesiæ diaconus, vir in sua lingua, id est Syra, eruditissimus, moritur. Basilius Cæsareæ Cappadociæ, quæ prius Mazaca vocabatur, episcopus, vir sanctissimus moritur.

Greg. Nazianzenus. Iam regnante Gratiano Gregorius quoque Nazianzenus, vir eloquentissimus, præceptor Hieronymi, sub Theodosio iam principe moritur.

C 379. Gratianus. Gratianus cum fratre Valentiniano, annos septem. Theodosius vir strenuus à Gratiano imperator creatus, maximas Scythicas gentes, hoc est Alanos, Hunnos, & Gothos, magnis multísque prælijs vicit. Cuius studium fidei non ferentes Arriani, post quadraginta annos ecclesias quas vi tenuerant, reliquerunt. Quo tempore Viennensem ecclesiam regebat Niceta præclarissimus in dogmate fidei episcopus.

Iusti ossa requiruntur. Sed & Lugdunensis episcopus Iustus, miræ sanctitatis vir, qui postmodum relicta sede sui episcopatus, inter sanctissimos patres anachoritas, mira humilitate latens, moritur in Ægypto: cuius ossa pio amore solliciti Lugdunenses ad vrbem suam reportant: ossa quoque Viatoris sanctissimi comministri ipsius. Constat autem hunc venerabilem episcopum Iustum sub Paschasio Viennensi episcopo nutritum, Clau- D dij eiusdem vrbis episcopi diaconum, postmodum ad sanctam Lugdunensem ecclesiam regendam translatum.

Synodus Cōstantinop. Synodus CL. patrum in vrbe regia Constantinopoli congregatur aduersus Macedonium. Damaso Romæ episcopo, Ambrosius Mediolanensis ecclesiæ episcopus, in catholicorum dogmate claruit. Theodosius imperator Arcadium filium consortem imperij sui facit anno II. Gratiani imperatoris, ipso sexies & Theodosio consulibus.

Theophil. Maximus. Theophilus paschalem computum scripsit. Maximus, vir quidem strenuus & probus, atque Augusto dignus, si non contra sacramenta fidei per tyrannidem emersisset, in Britannia inuitus propemodum ab exercitu imperator creatus, in Galliam transiit: ibique Gratianum Augustum dolis circonuentum apud Lu- E gdunum occidit: fratrémque eius Valentinianum Italia expulsum, Viennę primùm latere coegit, iustissimam pœnam cum matre sua Iustina persoluentem, quæ illum Arriana hæresi polluit: & Ambrosium episcopum eminentissimam catholicæ fidei arcem, vt perfida obsidione vexauit, nec ante cœpta nefanda deseruit, nisi post prolatas beatorum martyrum reliquias Geruasij & Prothasij,

Reliquiæ Geruasij & Prothasij. quas Domino reuelante idem beatus episcopus incorruptas reperit: Theodosius Valentinianum Italia expulsum benignè suscipit. Priscilliana hæresis oritur. Idem Priscillianus accusante Itatio, à Maximo tyranno gladio cæditur.

D. Martin°. Martinus Turonorum episcopus miraculorum insignis effulsit. Post Pharamundum Franci Chlodionem eius filium, sibi regem statuunt. Abhinc

Anni Christi. Francorum criniti reges. Franci in finibus Thoringiorum habitantes, crinitos reges habere cœperunt. Id temporis Romani Gallias tenebant. Citra Ligerim fluuium Gothi. Burgundiones quoque doctrina Arriana infecti eis vltráque Rhodanum habitabant. Primus rex Francorum Chlodio à castro Thoringiorum Dysporo profectus, Rhenum transiit: superato Romanorum populo, Carbonariam syluam tenuit vsque ad Camaracum venit: ibique interfectis Romanis, sedem sibi statuit.

385. Theodosius. Theodosius Gratiano adhuc viuente, vj. annis orientem tenuit: illo mortuo imperauit annis vndecim. Ipse & Valentinianus, quem Italia expulsum benignè susceperat, ac simul Maximum tyrannum tertio ab Aquileia lapide interficiunt. Maximus Britanniam omni penè armata iuuentute, copiisque militaribus expoliauit: quæ cum in Gallias secutæ, nunquam vltra ad domum redierc. Videntes transmarinæ gentes sæuissimæ Scotorum, à circio: Pictorum ab Aquilone, destitutam milite ac defensore insulam, adueniunt, & vastatam direptámque Hieronym. eam per multos annos opprimūt. Hieronymus presbyter in Bethleem toto mundo clarus habetur, qui librum quem de Viris illustribus ecclesiæ scribit, vsque ad xiiij. totius imperij Theodosij annum perducit. Gentium templa per totum orbem, iubente Theodosio, subuertuntur, ac pro eis Christi templa vbique micant. Per idem tempus Ioannes Anachorita insignis claruit. Qui etiam Damasus. Theodosio consulenti de Eugenio tyranno, victoriam illi prædixit. Damasus Romæ vrbis episcopus, elegans in versibus componendis ingenium habuit, & propè octogenarius moritur. Apollinaris episcopus Laodicenus Syriæ, in scripturis non parum instructus, à quo Pacianus. Apollinaristæ feruntur nominari. Pacianus in Pyrenæi iugis Barcillone episcopus, optima senectute moritur, castigatæ eloquentiæ, tam vita quàm sermone clarus. Photinus. Photinus de Gallogræcia Marcelli discipulus Syrmi episcopus à Valentiniano pulsus ecclesia, Ebionis hæresim Didymus. instaurare conatur. Didymus Alexandrinus oculis captus, & ob id elementorum quoque ignarum, tantum miraculum sui omnibus præbuit, vt dialecticam quoque & geometriam, quæ vel maximè visu indigerent, vsque ad perfectum didicerit.

396. Arcadius. Reliquiæ sanctorum. Arcadius filius Theodosij cum fratre Honorio, annis quatuordecim. Sanctorum Prophetarum corpora Abacuc & Michææ diuina reuelatione manifestantur. Innocentius Romæ episcopus, dedicauit basilicam beatissimorum martyrum Prothasij & Geruasij, ex deuotione Mamertus litanias instituit. testamenti cuiusdam illustrissimæ fœminæ Vestinæ. Mamertus Viennensis episcopus insignissimus habetur: qui inter alia mirifica, ob imminentem cladem ante Ascensionem Domini solennes instituit litanias. Marti- D Martinus spurio sedentem occidit. nus Turonorum episcopus moritur. Donatus Epiri episcopus virtutibus insignis est habitus. Qui draconem ingentem exspuens in os eius necauit: quem octo iuga boum ad locum incendij, ne aërem putredo eius corrumperet, vix trahere potuerunt. Clodione rege de- Merouecus. functo, qui viginti annis Francis regnauit Merouecus successit, à quo Francorum reges Merouingi sunt appellati. Metis à Francis succensa, Treueros destructa: Franci vsque Aurelianm perueniunt. Post Merouecum Childericus regnum adeptus, regnauit annis viginti Chlodoueus fidē suscipit. quatuor. Cui successit Chlodoueus, qui primus rex Francorum Christianus factus est, à beato Remigio Rhemorum episcopo instructus, & baptizatus cum populo suo. Gothi Italiam, Vvandali atque Alani Gallias Augustin. aggrediuntur. Augustinus episcopus Hipponensis scientia atque doctrina insignis habetur. Ioannes quoque Theophil. Epiphan. Constantinopolitanus & Theophilus Alexandrinus illustres episcopi prædicantur. Epiphanius Salaminæ episcopus, qui inter alia opera libros contra omnes hære- Eunomius. ses scripsit. Eunomius Arrianæ partis Cizycenus episcopus, erumpens in blasphemiam, publicè quod Arriani Bethicus. texerant, fatetur. Tiberianus Bethicus, sectator Priscilliani post suorum cædem tædio victus exilij, vt canis reuersus ad vomitum suum, filiam deuotam Christo virginem matrimonio copulauit.

Anni Christi. 410. Honorius. Honorius cum Theodosio minorem fratris sui filio, annis xv. Honorius imperator, videns oppositis tyrannis nil aduersus barbaros agi posse, ipsos prius tyrannos deleri iubet. Constantio comiti huius belli summa commissa est, qui primùm in Galliam profectus cum exercitu Constantinum imperatorem apud Arelaten ciuitatem, clausit, cepit, occidit. Constantem Constantini filium Herontius comes suus, vt nequam, magis quàm probus apud Viēnam interfecit, atque in eius locum Maximum quendā substituit: ipse vero Herontius à suis militibus est occisus. Maximus exutus purpura, destitutus à militibus Gallicanis inter barbaros in Hispania egens exulauit. Iouinus vir Galliarum nobilissimus in tyrannidem mox vt assurrexit, cecidit. Sebastianus frater eius conti- Alaricus. nuò vt creatus, occisus est: Alaricus Attalo imperatore facto, infecto, refecto, ac defecto, citiùs his omnibus pe- Tertulli ambitio. rò è quàm dictis, ceu Mimus risum & ludum expectauit imperij, cuius ille vmbratilis consul Tertullus ausus est in curia dicere, Loquar vobis consul & pontifex, quorum alterum iam teneo, alterum spero. Attalus itaque tanquam inane imperij simulachrum cum Gothis vsque ad Hispanias portatus est. Vnde descendens naui in mari captus, & ad Constantium comitem deductus, inde Honorio imperatori exhibitus, truncata manu, vitæ relictus est.

Heraclian⁹. Heraclianus Africæ comes, clarus supercilio, Sabinum domesticum suum, virum ingenio industriáque solertem, generum allegit, atque aliquandiu Africana annona extra ordinem detenta, tandem cum immensa satis incredibilique classe nauigio Romam contendit. Nam habuisse tria millia dcc. naues dicitur, quem numerum nec Xerxem, nec Alexandrum Magnum, vel quenquam alium regum habuisse historiæ referunt. Sed littore egressus occursu Marini comitis territus, arrepta naui solus Carthaginem rediit, ibique continuò militari manu interfectus est. Sabinus gener eius, Constantinopolim fugit: vnde post aliquantulum tempus retractus, exilio damnatus est: ac sic, adiuuante Christo, pax & vnitas per vniuersam Africam ecclesiæ catholicæ reddi- Marinus Marcellinū occidit. ta est. Marinus comes apud Carthaginem, incertum zelo stimulatus, an auro corruptus, Marcellinum tribunum, virum imprimis prudentem & industrium occidit. Qui continuò reuocatus ex Africa, factúsque priuatus, vel ad pœnam, vel ad pœnitentiam conscientię suæ dimissus est. Alaricus rex Gothorum Romam inuasit, partémque eius cremauit incendio ix. Cal. Septembr. anno conditionis eius millesimo clxiiij. Honorij imperij anno. Sic tertio die quam ingressus fuerat deprædata vrbe egressus est. Inde Gothi in Siciliam transire conati, in conspectu suorum miserabiliter arrepti Ataulfus Placidiam ducit. & demersi sunt. Alarico Ataulfus in regem Gothis succedit, qui Placidiam captiuam sororem imperatoris, in vxorem assumpsit. Is satis studiosè sectator pacis, militare fideliter Honorio imperatori præoptauit. Placidiæ vxoris suæ, fœminæ sanè ingenio acerrimæ, & religione satis probæ, ad omnia bonarum ordinationum opera persuasu & consilio temperatus est. Is apud Barcillonem Hispaniæ vrbem dolo suorum, vt fertur oc- Segericus. cisus est. Post hunc Segericus rex à Gothis creatus, cùm itidem iudicio Dei ad pacem promptus esset, nihilominus à suis interfectus est. Constantius comes apud Arelaten consistens, magnarum rerum gerendarum industria, Gothos quibus iam Ataulfus præerat, Placidiæ coniunx à Narbona expulit, atque abire in Hispaniam coegit. Segerico Vallia successit in regnum Gothorum: ad hoc ordinatus à Gothis, vt pacem infringeret: ad hoc ordinatus à Deo, vt pacem confirmaret, territus maximè iudicio Dei: quia cùm magna Gothorum manus instructa armis nauigijsque transire in Africam moliretur, in duodecim millibus passuum Gaditani freti, tempestate correpta, miserabili exitu pe-

Anni Christi.

ritrat. Hic Vallia pacem optimam cum Imp. datis Honorio lectissimis obsidibus pepigit, ac Placidiã imperatoris sororem honorificè apud se honestéque habitam fratri reddidit. Hac tempestate Pelagius aduersus Christi gratiam erroris sui dogmata prædicat: ad cuius condemnationem, concilium apud Carthaginem ccxiiij. episcoporum congregatur. Cyrillus Alexandriæ episcopus, insignis est habitus. Lucianus presbyter scripsit reuelationem beati protomartyris Stephani, quam ei reuelauit Deus vij. Honorij principis anno, ac Gamalielis & Nicodemi, qui in euangelio & in Actibus Apostolorum leguntur. Scripsit autem eam Græco sermone ad personam omnium ecclesiarum: quam reuelationem Auitus presbyter, homo Hispanus, in Latinum vertit eloquium: & adiecta epistula sua per Orosiũ presbyterũ, qui missus à beato Augustino ad sanctum Hieronymum pro discenda animæ ratione, ad loca sancta peruenerat, occidentalibus dedit: quique primus in patriam reuersus reliquias beati Stephani intulit occidenti. Francis post Merouëum vt diximus, regnauit Childericus. His temporibus Anianus Aurelianensis episcopus clarus habetur: qui orationibus suis ab Hunnorum impetu, Aëtio tunc patritio Romanorum Aurelianos liberauit. Britanni Scotorum Pictorúmque infestationem non ferentes, Romam mittunt, & subiectione sui præmissa, auxilia flagitant. Quibus statim missa legio magnam barbarorum multitudinem strauit: cæteros Britanniæ finibus pellunt. Ob arcendos hostes murum trans insulam inter duo maria statuunt: qui absque magistro magis cespite quàm lapide factus, nil Britannis operantibus profuit: nam mox vt discessere Romani, priores hostes aduecti nauibus, obuia quæque sibi cædunt, vastant atque deiiciunt. Iterum petunt Britanni auxilia Romanorum: qui aduenientes hostes trans maria fugant: coniunctísque sibi Britannis murum saxeum solidum inter ciuitates, quæ dudum ob metum hostium fuerant factæ, à mari vsque ad mare perducunt. Sed & littore meridiani maris, ne inde irruptio hostium fieret, crebras turres per interualla ad prospectum maris statuunt, Vale dicentes sociis, quasi vltra non redituri. Bonifacius Romæ Episcopus fecit oratorium in cœmiterio sanctæ Felicitatis, & ornauit sepulchrum eius. Fecit & oratorium sancti Ioannis Apostoli, honesto satis opere. Hieronymus presbyter obiit duodecimo Honorij anno, pridie Calend. Octobris, anno ætatis suæ nonagesimo. Macarius ille Ægyptius monachus signis & virtutibus claruit. Seuerus presbyter, cognomento Sulpitius, Aquitanicæ prouinciæ, vir genere & literis nobilis, & paupertatis amore conspicuus, charus etiam sanctorum episcoporum Martini Turonensis & Paulini Nolani, moritur. Hic in senectute sua à Pelagianis deceptus, & agnoscens loquacitatis culpam, silentium vsque ad mortem tenuit, vt peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret. Seuerianus Gabalensis episcopus in diuinis scripturis eruditus, & declamator admirabilis fuit. Vnde frequenter ab episcopo Ioanne & imperatore Arcadio, ad faciendum sermonem Constantinopolin euocabatur. Hic iuniorem Theodosium ex sacro fonte suscepit, cuius & tempore moritur.

Pelagius dogmatizat.

Lucianus presbyter.

Oros. B. Stephani reliquias detulit.

B. Hieronymi obitus.

Seuer. Sulpitius loquacitatis pœnitẽs ad mortem siluit.

Trith.

Seuerian.

Theodosius minor Arcadij filius, anni xxvj. Valentinianus iunior Constantij filius Rauennæ imperator creatur. Placidia mater eius, Augusta nuncupatur. Per idem tempus Nestorius Constantinopolitanus episcopus suæ perfidiæ molitur hæresim, aduersus quem Ephesina synodus prima congregata, eius impium dogma condemnat. Huius etiam tempore diabolus in specie Moysi Iudæis in Creta apparens, dum eos per mare pede sicco ad terram repromissionis promittit perducere, plurimis necatis, reliqui qui saluati sunt confestim ad Christi gratiam conuertuntur. Effera gens Vvandalorum, Alanorum atque Gothorum ab Hispanis ad Africam transiens, omnia ferro, flamma, rapinis simul & Arriana impietate fœdauit. Sed beatus Augustinus Hipponensis episcopus, & omnium ecclesiarum doctor eximius, ne ciuitatis suæ videret ruinam, tertio mense obsidionis suæ migrauit ad Dominum, v. Calendarum Septembris, anno ætatis suæ, lxxvj. Mansit autem in clericatu vel episcopatu annis xl. Quo tempore Vvandali capta Carthagine, Siciliam quoque deleuerunt. Cuius captiuitatis Paschasinus Lilybitanus antistes, in epistola quam de ratione Paschali Papæ Leoni scripsit, meminit.

425.

Theodos.

Placidia.

Nestorius.

Pseudomoyses in Creta.

Aug. mortẽ deprecatur.

Diac. li. 14.

Paschasinus

Francis Chlodoueus adhuc paganus regnat. Cuius temporibus Gondoueus rex Burgundiorum, qui ex genere fertur Alarici, extitit. Huic fuerunt quatuor filij, Gundobaldus, Godegisilus, Chilpericus & Gothmarus. Gundobaldus Chilpericum fratrem suum interfecit, vxorémque eius ligato saxo ad collum in flumen demersit: filiásque eius, vnam quæ Chrona dicta est, exilio relegauit: alteram verò Chrotildem secum retinuit, quam postea vxorem rex Chlodoueus accepit: cuiusque industria, orationibus ac monitionibus, Deo inspirante, idem Christianus cum populo suo factus est. Scotis in Christum credentibus, ordinatus à Papa Cælestino Palladius primus Episcopus mittitur. Anno octauo Theodosij imperatoris, recedente à Britannia Romano exercitu, Scoti & Picti redeunt, & totam ab Aquilone insulam, vacuam propè indigenis, muro tenus capessunt. Nec mora, cæsis, captis, fugatísque custodibus, muróque ipso interrupto, etiam intra vallum crudelis prædo grassatur. Mittitur epistola lacrymis ærumnísque referta ad Romanæ potestatis principem, petens auxilium, sed non impetrat. Interea fames dira profugos infestat: quidam coacti, hostibus manus dedere: alij de montium speluncis ac saltibus strenuè repugnare, stragéque de hostibus dare. Scoti domum reuersi ac Picti, extremam insulæ partem ibi habitaturi detinent. Famem præfatam magna frugum abundantia, opulentia, luxuria, & negligentia: negligentiámque lues acerrima, & mox acrior hostium nouorum, id est, Anglorum plaga secuta est. Quos illi vnanimi consilio cum rege suo Vintigerno, quasi defensore patriæ ad se inuitandos elegerunt. Sed hos mox expugnatores senserunt. Xystus Romæ basilicam sanctæ Mariæ matris Domini, quæ ab antiquo Liberi patris delubrum fuerat, miro opere refecit. Eudoxia vxor Theodosij principis, ab Hierosolymis remeauit, secum beatissimi Stephani protomartyris reliquias deferens, quæ in basilica sancti Laurentij positæ, piè à fidelibus venerantur. Bledla & Attila fratres, multarúmque gentium reges. Illyricum Thraciámque depopulati sunt. Maximus Taurinensis episcopus, vir in scripturis diuinis satis intentus, clarus habetur. Petronius Bononiensis episcopus Italiæ, vir sanctitate vitæ & monachorum studiis ab adolescentia exercitatus, cuius pater Petronius præfectus prætorij, vir secularibus literis eruditus, moritur. Iulianus episcopus & Cælestinus, sectatores Pelagij agnoscuntur. Leporius quoque presbyter adhuc laicus, Pelagianum dogma sequitur, præsumens de puritate vitæ suæ, quam arbitrio tantùm & conatu proprio, non Dei se adiutorio obtinuisse credebat. Sed per beatum Augustinum ab eo emẽdatus, ad catholicam ecclesiam rediens, satisfactionis suæ librum vera fide composuit. Victor rhetor Massiliensis, qui libros in Genesin ad filij sui Ætherij personam commentatur, in diuinis scripturis non plenè exercitatus moritur. Cassianus quoque Scytha natione, Constantinopoli à Ioanne Diaconus ordinatus, apud Massiliam vrbem presbyter moritur: qui inter alia Institutionum librum scripsit opera illius à catholicis cautissimè legenda, maximè de libero arbitrio & gratia: sed & Encratitarum hæresi incautiùs fauit. Errores illius Cassiodorus Rauennatium senator purgare volens non ad plenum ex omni parte potuit. Vincentius quoque natione Gallus apud Lirinensem insulam presbyter, satis in diuinis scripturis eruditus moritur.

Chlodoue°.

Greg. Tur.

Palladius Scotorum Apostolus.

Fames.

Eudoxia.

Max. Taurinensis.

Pelagiani episcopi.

Victor Massiliẽsis.

4790.

Cassianus hæreticatur

Prosper Aquit. in opusculo cõtra collatorem.

Anni Mundi.

Marcianus & Valentinianus, annos vj. quorum initio industria beatissimi Leonis papæ Chalcedonense concilium celebratur: vbi Eutyches cum Dioscoro Alexandrino episcopo condemnantur. Horum etiam sexto imperatorum anno, Theodericus rex Gothorum, ingẽti exercitu Hispaniam ingreditur. Gens Anglorum siue Saxonum, Britanniam tribus longis nauibus aduehitur, quibus dum iter prosperarum domi fama referret, exercitus fortior est missus, qui hostes quidem abegit: sed in socios arma vertens, totam propè insulã ab orientali vsque ad occidentalem plagam igni ferróque subegit, conficta occasione, quòd Britones minus stipendia dederint. Egidio patritio in Galliis Franci Agrippam super Rhenum ceperunt: eámque Coloniam, quòd ibi coloni inhabitarint, appellauerunt. Egidio Syagrius filius successit, qui post mortem Childerici regis Francorum cum Chlodoueo apud Suessionem pugnam committens, vincente Chlodoueo ad Gothorum regem se contulit. Sed mox à Chlodoueo repetitus, illicóq; redditus, occisus est. Sic Romanorum vires intra Gallias ceciderunt. In cuius loco postea Ætius Patritius constitutus est: qui maxima prælia cum Wandalis aliísque nationibus gessit. Chlodoueus rex Francorum institutus & Chrothildis neptis Gundobaldi regis Burgundiorum per Aurelianum sponsatur, regiq; Chlodoueo postmodum per eundem ipsum Aurelianum adducta coniungitur. Chlodoueus rex, post victoriam Alamannorum xv. anno regni sui, credens baptizatur. Inde Burgundiam sibi subegit, & Gundobaldum atque Gundegisilum fratrem eius ad tributa coëgit. Hoc tempore beatissimus Mamertus Viennensis episcopus, cladem imminentem lacrymis & precibus suis à Viennensium vrbe remouit. Siquidem incendia crebra terræmotus assidui, nocturni sonitus quidã totius vrbis funeri prodigiosum quiddam ac ferale minitantes, populosis hominum conuentibus, domestica siluestrium ferarum species obseruabatur: lupi, vrsi, ac cerui naturaliter pauidi, per angusta portarum vsque ad fori lata penetrabant. Quid multis? imminente solennitate vigiliarum, qua celebrari festum dominicæ Resurrectionis annua consuetudo poscebat, ædes publica, quam prœcelso ciuitatis Viennensium vertici sublimitas in immensum fastigiata sustulerat, flammis terribilibus conflagrare crepusculo cœpit. Interpollatur nunciis discriminis iocunditas sublimitatis, pleno timoribus populo ecclesia vacuatur. Omnes nanque similem facultatibus vel domibus propriis casum de quadam præimminentis incendij arce metuebans. Perstitit tamen coram festiuis altaribus inuictus antistes, sanctus Mamertus, & calorem fidei suæ accendens flumine lacrymarum, permissam ignibus potestatem incendio abscedente compescuit. Desperatione deposita reditur ad ecclesiam, in eáque vigiliarum nocte sancti Paschæ, concepit animo Rugationes, atque ibi cum Deo sacisus desiniuit quicquid hodiè psalmis ac precibus mundus inclamat. Ioannes Baptista caput suum duobus monachis orientalibus, qui ob orationem venerans Hierosolymam, iuxta Herodis quondam habitaculum reuelauit: quod deinceps Emessam Phœnicię vrbem perlatum & digno honore cultum est. Hæresis Pelagiana Britannorum turbat fidem: qui à Gallicanis episcopis auxilia quærentes, Germanum Altisiodorensis ecclesiæ episcopum, & Lupum Trecassinum æquè apostolica gratia antistites, fidei defensores accipiunt. Confirmant antistites fidem verbo veritatis simul & miraculorum signis. Secundò quoque idem B. Germanus cum sancto Seuero episcopo ad integritatẽ fidei tuendam Britannias precibus Gallicanorũ episcoporum permotus, proficiscitur: & diuina gratia comitante, renouatores erroris penitus confundunt. Sed & bellum Saxonum Pictorúmque aduersus Britones iunctis viribus susceptum, sancti ausistires virtute diuina retundunt: cùm Germanus ipse dux belli factus, nõ clangore tubæ, sed clamore Alleluia, totius exercitus voce ad sidera leuato, hostem immanem in fugam vertit. Qui deinceps Rauennam perueniens, & summa reuerentia Valentiniano & Placidia susceptus, migrauit ad Christum. Corpus eius honorifico agmine comitantibus virtutum operibus Altisiodorum deferunt. Eo tempore Seuerus presbyter, natione Indus, vir miraculis clarissimus, destructo idolorum templo, vbi error gentilis centum deos culturа insanissima adorabas, ecclesiã beatissimi Stephani protomartyris, vt consecraretur pro foribus Viennæ parabat. Sed cùm diu reditum beatissimi Germani sustineret, quia idem pergens ad dedicationem domus se dixerat venturum, contigit vt die eiusdem dedicationis antequam officia inchoarentur, beatissimum corpus episcopi Germani per Viennam deportatum, in eandem ecclesiam ipsam nouam, repausandi gratia perueheretur: sicque visi Dei promissum impletus. Isicius tunc temporis Viennensem regebat ecclesiam, sextus à beato Paschasio, cuius diebus præfatus Seuerus gloriosus presbyter ab India Viennam venit. Qui episcopus floruit vsque ad tempora Zenonis imperatoris. Ætius patritius magna occidentalis reipublicæ salus, & regis quondam Attilæ terror, à Valentiniano occiditur, cum quo Hesperium penè cecidit regnũ. Eucherius Lugdunensis episcopus, satis in diuinis scripturis eruditus, moritur. Hic etiam inter alia opera, Cassiani quædam opuscula lato tensa eloquio, angusto tramite in vnum coëgit volumen. Philippus presbyter auditor beati Hieronymi, qui in Iob simplici sermone edidit libros, moritur.

Ætius.

Chrotildis despõsatur.

Rogationes Mamertus instituit.

Germ. Altis. Lupus Trecassin'.

Alleluia vox victoriæ.

Seda in ast.

Seuerus.

Isicius Viennens.

Eucherius.

Philippus Hierony. discip.

Leo maior cum Leone minore, regnant annis sexdecim Alexandria & Ægyptus ex ore Dioscori hæretici languens, immundo impleta spiritu, caninam rabiem latrat. Per idem tempus apparuit hæresis Acephalorum, Chalcedonense concilium impugnantium. Ideo Acephali, id est, sine capite nominantur, quia quis prius eam hæresim introduxerit, non inuenitur. Cuius hæresis peste plurimi orientalium languent. Leo imperator, pro tomo Chalcedonensis, per vniuersum penè orbem singulis orthodoxorum episcopis, singulas consonantes misit epistolas, quid de eodem tomo sentirent, rescribi sibi postulans: quorum adeò consonantia de vera Christi incarnatione suscepit omnium rescripta, ac si vno tempore vnóque dictante fuissent vniuersa conscripta.

458.

Leo maior.

Dioscorus hæreticus.

Acephali.

Theodorus episcopus ciuitatis, quæ a Cyro rege Persarum condita Cyriæ nomen habet, scribit de vera incarnatione Domini saluatoris aduersus Eutychẽ & Dioscorum Alexandriæ episcopum, qui humanam in Christo carnem negant. Scripsit & ecclesiasticam historiam à fine librorum Eusebij vsque ad suum tempus, id est, vsque ad imperium huius Leonis, sub quo & mortuus est. Victorius, iubente papa Hilario, scripsit paschalem circulum sexcentorum triginta duorum annorum. Chlodoueus rex Francorum miliario decimo ab vrbe Pictauis cum Alarico rege Gothorum pugnam iniit: ibíque victor Alaricum occidit. Amalaricus filius Alarici, eoadem in Hispanias aufugit, Chlodoueus Burgundiorum rex, Tholosam, Sanctonas, & reliquas ciuitates, omnémque terram Aquitanicam subiugauis, Gothos Arrianos inde expellens, Francos ibi catholicos habitare constituens. Saluianus presbyter apud Massiliam humana & diuina literatura instructus, inter alia quæ scripsit ad Claudianum presbyterum Viennensem, librum vnum expositionis extremæ partis in Ecclesiasten. Hilarius Arelatensis ecclesiæ episcopus, vir in sanctis scripturis doctus, paupertatis amator, & erga inopum prouisioné non solùm mentis pietate, sed & corporis sui labore sollicitus, emicuit Leo vrbis Romæ beatissimus episcopus, in doctrina fidei clarus habetur. Claudianus quoq; Viẽnensis ecclesiæ presbyter, vir ad loquẽdum artifex, & ad disputandum subtilis, floruit. Sed & Prosper Aquitanicæ regionis, notarius B. Leonis, à quo dictatæ creduntur esse epistolæ aduersus Eutychem, de vera incarnatione Christi, & libero arbitrio malè sentientem.

Theodorus episcopus.

Victorius.

Clodoueus Alaricum vicit & occidit.

Saluianus.

Hilarius Arelat.

Claudianus.

Anni Mundi.

475. Zenon.

Zenon imperator, annis septemdecim. Iste Leonem filium suum interficere quærens, pro eo mater eius alium simulem figura obtulit: ipsúmq; Leonem occultè clericum fecit: quiq; & in clericatu vsque ad Iustiniani tempora vixit. Per idem tempus corpus Barnabæ apostoli, & euangelium Matthæi eius stilo scriptum, ipso reuelante reperitur. Odoacer rex Guthorum Romam obtinuit. Quam ex eo tempore diutiùs eorum reges tenuere. Mortuo Theodorico Triarij filio, alius Theodoricus cognomento Valamer, Gothorum suscepit regnum: qui vtramque Macedoniam que Thessaliámque depopulatus est. Plurima regiæ ciuitatis loca igne succendens, Italiam quoque infestus occupauit. Honoricus rex Vvandalorum Arrianus, in Africa exulatis diffugatisq; plusquam trecentis triginta quatuor episcopis catholicis, ecclesias eorum clausit. Plebem variis adfecit suppliciis, innumeram multitudinē catholicam pro fide veritatis peremit, & innumeris manus abscindens, & vt catholicæ confessionis loquelam auferret, linguas quoque præscindens, penè totam Africam in catholica veritate plenè fundatam, vnum quodammodo martyrem fecit.

Honoricus tyrannisat.

Britones duce Ambrosio Aureliano, viro modesto, qui solus fortè Romanæ gentis Saxonum cædi superfuerat, victricem Saxonum gentem prouocātes ad prælium, vincunt: & ex eo tempore nunc hi, nunc illi palmā habuere, donec Saxones aduenæ potentiores tota insula per longum potirentur. Chlodoueus rex cum Ragnacario propinquo suo pugnam init. Comprehensus Ragnacarius, simul & frater eius, à tergo vinctis manibus regi præsentati sunt. Chlodoueus rex Ragnacario dicēs, Cur humiliasti gentem nostram, vt vinciri te permitteres? bipennem in caput eius defixit: sicque mortuus est. Fratri quoque eius ita dixit, Si tu fratri tuo adiutorium præbuisses, vinctus atque ligatus non fuisset: sicque bipennem in caput eius librans, occidit illum. Traditores eorum cognoscentes aurum quod pro fratribus acceperant viciatum, regi Chlodoueo retulerunt. Quibus ipse respondit, Meritò huiusmodi aurum corruptum accipit, qui dominum suum in mortem tradidit: sufficiat vobis quod viuitis: illi hæc audientes, præ innumera pecunia vitam pretiosius duxerunt.

Timotheus episcop. Alex.

Timotheus extincto ab Alexandrinis Protherio, aut voluit aut passus est, ab vno episcopo in locum occisi episcopi se ordinari: & ne contra legem factus, meritò obiceretur, ad gratiam plebis quæ Protherium exosum habuerat conciliandam, omnes quibus ille communicauerat, Nestorianos pronunciauit. Chalcedonensem synodum repudians, cōfutatus ab omnibus, hæresiarches in exilium truditur: ibique sub Zenone moritur.

492. Anastasius, annis vigintiocto. Transemundus Vvandalorum rex, catholicas ecclesias clausit, & ducentos viginti episcopos in Sardiniam exilio relegauit. Fulgentius Ruspensis ecclesiæ episcopus, scientia & doctrina claruit.

Anastasius. Transemūdus ecclesias clausit. Fulgentius. Auitus.

Auitus quoque Viennensis episcopus eloquentia & sanctitate præcipuus, cuius frater Apollinaris Valentiæ episcopus, miraculis insignis, Isicij senatoris primùm viri, postea Viennensis episcopi, duo lumina, clarissimi filij. Hic beatus Auitus aduersus hæresin Arrianam, quæ tunc non solùm Africam, sed & Galliam, Italiámque magna ex parte occupauerat, magno sudore decertauit: quod clarissima eius opera testantur. Scribit enim dialogum, hæresin illam oppugnans fidelissimo & doctissimo immortalique ingenio, ad Gundebaldum Burgundiorum regem, filium Gūdouei. Item alios libellos duos contra Nestorium & Eutychem auctores erroris, luculentissimo & castigato satis sermone. Fuerunt & alia illius plura eximia opera in Christi ecclesia probatissima. Hic Sigismundum regem in fide pietatis erudiuit: qui agente illo, postmodum monasterium sanctorum martyrum Agaunensium, Mauritij sociorúmque eius construxit. Quem postmodum captum, & à Francis occisum vehementissimè doluit. Quantus autem in ecclesia Christi vixerit, quisquis scire ad plenum vult, post eius innumera in diuinis laboribus opera, epitaphium ipsius legat: ibi quantus fuerit, videre poterit: vbi inter alia sic metricè lusum est:

Veritate pura subnixum,
Vnus in arce fuit, cui quolibet ordine fandi,
Orator nullus similis, nullúsque poeta:
Clamant quod sparsi per crebra volumina libri.
Qui vixit, viuit, pérque omnia secula viuet.

Symmachus papa.

Symmachus papa inter multa ecclesiarum opera, quæ vel à fundamentis creauit, vel prisca renouauit, ad beatum Petrum, ad beatum Paulum, & beatum Laurentium pauperibus habitacula construxit: & omni anno per Africam & Sardiniam episcopis qui in exilio erant, pecunias & vestes ministrauit. Anastasius imperator, quia hæresi fauens, catholicos insectatus est, diuino fulmine periit.

Anastasius fulmine perit.

Hic Anastasius codicillos Chlodoueo regi pro consulatu misit. Ab ea die & consul & Augustus est appellatus, sedémque regni Parisius constituit. Regnauit autem Francis triginta annos. Fuerunt autem à transitu sancti Martini, vsque ad transitum Chlodouei regis annis centum duodecim. A transitu sancti Martini Viennensis tertij episcopi (nam primus Crescens, sequens Zacharias martyr) vsq; ad transitum Martini Turonorum episcopi, ducenti nonaginta anni: & vsque ad transitum S. Mamerti Viennensis ecclesiæ episcopi, colliguntur anni trecenti vigintiocto. Mortuo Chlodoueo, Chrotildis regina cum quatuor filiis Chlodouei, regnum Francorum tenuit, Theodorico, Chlodomiro, Childeberto & Chlothario. Dani cum multis nauibus Cochilaico duce in Gallias transitum faciunt. Cum quibus Theudebertus Theoderici filius pugnauit, eósq; cū rege illorū prostrauit. Chlodomirus & Childebertus atq; Chlotharius fratres cōtra Sygismundum & Gothmarum exercitum mouent. Cúmq; in aciē simul venissent, fugiētibus Burgundionibus, Sygismundus cùm ad sanctorum martyrū Agaunensium monasterium fugeret, comprehensus à Chlodomiro cum vxore & filiis suis necatur: & in puteum proiectus, occultatur. Sed per reuelationem postea inde ab abbate sanctorum martyrum leuatus, non longè ab ecclesia eorum in monasterio quod ipse construxit, vbi eorum corpora, scilicet Mauritij, sociorúmque eius sex millium sexcentorum sexaginta sex posita sunt, honorificè sepultus est: vbi virtutibus postmodum & ipse claruit. Tunc temporis & Auitus presbyter insignis apud Aurelianos habetur. Chlodomirus in prouincia Viennensi, in loco qui dicitur Veseroncia, cum Burgundionibus decertans, interfectus est. Franci indignè ferentes, Gothmarum persecuti interimunt. Per idem tempus apud Carthaginem Olympius quidam Arrianus in balneis sanctam trinitatem blasphemans, ignis iaculo visibiliter est combustus. Barbas quoque quidam Arrianus episcopus, dum quendam contra regulam fidei baptizans dixisset, Baptizat te Barbas, in nomine patris per filium in spiritu sancto, statim aqua quæ fuerat ad baptizandum deportata, nusquam comparuit. Quod aspiciēs qui baptizandus erat, confestim ad catholicam ecclesiam abiit, & iuxta morem fidei baptismum Christi accepit. Faustus ex abbate Lirinensis monasterij apud Regium Galliæ episcopus factus, Pelagianum dogma destruere conatus, in errorem labitur: vnde qui eius sensus in hac parte catholicos prædicant, sicuti Gennadius de illustribus viris scribens, omnino errant. Ita enim liberum arbitrium tam Augustinus quàm cæteri catholici, in ecclesia Dei docent, vt illuminatio, virtus & salus illi à Christo, & per Christum, & cum Christo sit: Faustus verò iste ita liberum Christianum arbitrium docere conatur, vt illuminatio eius, virtus & salus, non à Christo, sed natura sit.

Sygismundus.

Auitus Aurelian. Olympus Trinitatem blasphemās fulminatur. Diaco. li. 15. Sig. an. 505. Arriano baptizanti aqua disparuit. Niceph. li. 16. cap. 35.

Faustus.

Contra hunc scribit lucidissima fide beatissimus Auitus Viennensis episcopus, eius redarguēs errorem. Similiter & Ioannes vir eruditus Antiochenus presbyter.

Anni mundi.
519.
Iustinus.

Iustinus imperator annis octo. Ioannes Romanæ ecclesiæ pontifex, Constantinopolin veniens ad portam quæ vocatur Aurea populorum turbis ei occurrẽtibus, in conspectu omnium, roganti cæco, lumen reddidit. Qui cùm rediens Rauennam venisset, Theodericus eum cum comitibus cæteris, carceris afflictione peremit, inuidia ductus, quia catholicæ pietatis defensor Iustinus eum honorificè suscepisset. Quo tempore Symmachum atque Boëtium consulares viros pro catholica pietate

Theodericus occidit.

idem Theodericus occidit: quique anno sequente subita morte perijt, succedente in regno Atalarico nepote eius. Post Transemundum Childericus ex Valentiniani imperatoris captiua filia genitus, in Vvandalis regnum suscepit. Qui sacramento a Transemundo obstrictus, ne catholicis in regno suo consuleret, antequam regnum susciperet, episcopos ab exilio reuerti iussit, eísque ecclesias reformare præcepit, post annos septuagintaquatuor hæreticæ prophanationis. Iulianus Viennensis ecclesiæ episcop. floruit. Thodoricus, Childebertus, & Chlotharius reges contra Hermenefridum regem Thoringiorum exercitum commouent, & victores Hermenefridum fugant. Quem postea Theodoricus sub fide receptum, de muro vrbis cùm simul loquerentur, præcipitat, infantésque eius interficit. Childebertus quoq; pro sorore sua Amalrici regis vxore, in Hispania pugnam init. Ibique Amalricus interfectus, ac thesauri illius direpti,

Toletum vastatur.

Toletum vrbs vastata. Childebertus cum sorore sua reuersus est, quæ tamen in itinere obijt. Childebertus verò inter reliquum thesaurum, calices preciosissimos sexaginta detulit, quindecim patenas miro opere cælatas, viginti capsas euangeliorum ex auro purissimo cum gemmis: quæ cuncta ecclesijs diuisit. Childebertus & Chlotharius filios Chlodomiri nepotes suos, quos nutriebat Chrotildis, ne regnarent loco patris, interficiunt:

Chlodoaldus tonsuratur.

vnus ex his Chlodoaldus effugit. Hic postea relicto regno terreno, clericus factus, presbyter deinde ordinatus, bonis operibus præditus, plenus virtutibus migrauit ad dominum, sepultus Nouionie in suburbio Parisiacæ ciuitatis. Eugen. Carthaginensis Africæ ciuitatis episc. confessor publicus habetur.

527.
Iustinianus.
Benedictus.
Belisarius.

Iustinianus imperator regnauit annos triginta nouẽ. Hic Iustini ex sorore nepos. Benedictus abbas, virtutum gloria claruit. Vitam eius beatus Gregorius papa in dialogorum libris scripsit. Belisarius patritius mirabiliter de Persis triumphauit. Qui deinde à Iustiniano in Africam missus, Vvandalorum gentem deleuit. Carthago quoque post annos nonagintaquatuor vastationis suæ, recepta est, pulsis deuictísque Vvandalis, & rege eorum Gelismero capto, atque Constantinopolin misso. Viennensis episcopus Dominus floruit.

Dominus.

Hic tam in diuinis quàm in secularibus artibus clarus, amator pauperum, redemptor captiuorum, vitáque probatissimus. Per idẽ tempus corpus sancti Antonij monachi diuina reuelatione repertum, Alexandriam perducitur: & in ecclesia sancti Ioannis Baptistæ humatur.

Antonij corpus repertum.
Paschales circuli.

Dionysius paschales scribit circulos, incipiẽs ab anno dominicæ incarnationis, DXXXII. qui est annus Diocletiani, ducẽtesimus quadragesimusoctauus post consulatum Lampadij & Orestis. Quo anno codex Iustinianus orbi promulgatus est.

Victor Capuanus.

Victor quoq; Capuanus episcopus librũ de pascha scribens, Victorij arguit errores. Theodoricus Francorum rex moritur, cui succedit Theutbertus filius eius. Childebertus & Chlotharius reges Francorum Hispaniam vastant. Cæsar augustam circundantes obsident. Sed ciues

Vincentij tunica.

tunicam B. Vincentij martyris circunferẽtes misericordiam Domini rogabant. qua de re flexi reges, Childericus & Chlotharius pace composita, in munere stolam beatissimi Vincentij martyris à Cęsaraugustanis acceperunt. Parisios reuersus Childebertus, ecclesia in veneratione Beati Vincentij martyris ibi constructa, eandem ipsam stolam in eadem ipsa ecclesia reposuit. Theutbertus Italiam ingreditur, Longobardos superat, atque tributarios sibi subigit. Reuersus xiiij. regni sui anno, moritur. Sed & Chrothildis plena bonis operibus, apud vrbem Turonum migrauit ad Dominum. corpus eius a filijs sublatum, Parisijs iuxta virum suum Chlodoueum in ecclesia sanctæ Genouefæ sepultum est.

Anni mundi.
Chrotildis obiit.
Chramnus rebellis cũ filijs comburitur.

Chlotharius rex filium suum Chramnum contra se rebellantem, & publica pugna resistentem, cùm prius idem Chramnus captus & ligatus fuisset, cum vxore & filijs iussit igne cremari.

Medardus.

Hoc tempore beatus Medardus episcopus, plenus virtutibus, migrauit ad Dominum. Quem Chlotharius rex Suessionis ciuitate gloriosè sepeliuit, multas facultates & munera ad sepulturam illius tradens. Ipse autem rex non multo pòst defunctus, in eadem ipsa ecclesia beati Medardi à filijs suis sepelitur. Regnauit autem quinquaginta & vnum annum.

564.
Iustinus.
Narcissus Totilam vicit.
Io papa.

Iustinus minor, annis vndecim. Narcissus patricius Totilam Gothorum regem in Italia superauit, & occidit. Hic deindè minis territus Sophiæ Augustæ Iustini vxoris Longobardos à Pannonijs inuitauit, eósque in Italiam introduxit. Ioannes ecclesiæ Romanæ pontifex, ecclesiam apostolorum Philippi & Iacobi perfecit, & dedicauit.

Pantagathus.

Pātagathus Viennensis ecclesiæ episcopus floruit. Hic consularibus fascibus primùm sublimis, sed Christi humilitate primus, postmodum quinque annis episcopalem sedem fidelissimè rexit: sub consulatu Paulini iunioris & Basilij vita functus est. Cui successit in episcopatu Isicius, qui & ipse sub Iustiniano floruit.

Isicius.

Quatuor fratres filij Chlotharij regnum inter se diuidunt. Charibertus accepit regnum Childeberti, sedémque constituit Parisijs: Gunthchramnus regnum Clodomiri, constituitque sedem Aurelianis: Chilpericus, regnum Chlotharij patris sui, Suessionísque ciuitate sedem sibi statuit: Sygibertus accepit regnum Theodorici, sedémque sibi constituit Rhemis. Octauo regni eius anno in Gallias Hunni cum Sygiberto prælia committunt. Victi amicitias petunt: sicque in terram suam refugiunt. Sygibertus & Chilpericus fratres inter se decertant: & primùm Chilpericus ciuitatem Rhemensem peruasit. Sygibertus iterum Suessionas occupat, capto Theutberto Chilperici filio. Sed postmodum sacramentis inter se datis, aliquot annis in quadam pace manserunt.

Charibertus.

Charibertus rex moritur, atque in basilica sancti Romani Blauio castello sepelitur. Sygibertus rex Brunichildem Athanaildi regis filiam vxorem accepit, eámque sub Arrianis baptizatam in nomine indiuiduæ trinitatis rebaptizari præcepit. Eius sororem Chilpericus rex ad patrem in Hispaniam mittens, Chilsuintam expetijt: & cum alias vxores haberet, ipsam superduxit: quam tamen postea consilio vsus Fredegundis, per noctem in lecto suo strangulauit.

Fredegundis astutum consilium.

Iam tunc Chilpericus tres filios habebat de Audouera vxore sua, Theutbertum, & Merouęum, & Chlodoueum. Absente Chilperico Fredegundis Audoueram reginam tali fraude decepit, vt filiam quam ex Chilperico habebat Audouera ex sacro fonte, ipsa per se non per aliam susciperet: quod & ipsa seducta quidem fecit, ac idcircò postmodum à marito suo Chilperico dimissa, sicque Fredegundis in connubium transijt. Audouera velo velata villas & prædia tantùm ad sustentationem sui accepit. Episcopus qui filiam baptizauit, & maritũ tenere non prohibuit, exilio damnatus est. Leouigildus rex Gothorum quasdam Hispaniæ regiones sibi rebelles in potestatem sui regni superando redegit. Hoc tempore Namatus Viennensis ecclesiæ episcopus floruit, nobilis stemmate, sed nobilior vita, & eloquio. Franci qui sub ditione Chilperici erant, ad Sygibertum transeunt: sicque Sygibertus Tornacum, vbi Chilpericus residebat, obsedit. Eo tempore sanctus Germanus Parisiorum episcopus Sygiberto regi mandauit, vt contra fratrem suum nullo modo abiret, neque de interfectione illius cogitaret. quod ille audire cõtempsit. Sed Francis consentiens, more gentis impositus clypeo, rex constitutus est, ac regnum fratris sui Chilperici adeptus, qui non longè fraude Fredegundis à duobus iuuenibus io-

Chilpericus fraude Fredegundis occiditur.

Anni Mundi.

interfectus est. Namque illi simulantes secretius aliquid ei suggerere, latus illius perfodiunt: qui à Chilperico fratre in Lambriaco vico sepultus est. Inde translatus in basilicam sancti Medardi, iuxta patrem suum Chlotharium positus est. Regnauit autem xiij. annis. Meroueus filius Chilperici, Brunichildem vxorem auunculi sui in coniugium accepit. Pro qua re captus à patre & tonsuratus, ac presbyter ordinatus, in pago Cinnomannico in monasterium missus est. Childebertus iunior Brunichildis filius, rex in Austria constituitur: qui Italiam ingressus, eam deuastauit, & tributariã fecit. Gunthchramnus rex bonæ satis memoriæ mortuus est, atque in basilica sancti Marcelli martyris Cabillone sepultus. Regnauit autem triginta & vno annis. Leobigildus rex filiam Chilperici & Fredegundis, nomine Rinchildem,

Landericus Fredegundis adulter.

A duxit vxorem. Fredegundis cum Landerico maiore domus adulterans, Chilpericum regem à venatione reuertentem dolo per gladiatores interficere fecit: & quasi nescia mali cum exercitu Parisios deportatum in ecclesia B. Vincentij martyris sepeliuit. Sic ipsa cum Landerico & Chlothario paruo filio in regno resedit. Contra quam Childebertus rex Austrasiorũ, qui Gunthchramno patrueli in regnu Burgundiæ successerat, bellum cõmouit. Sed Fredegundis suis consilium dedit vt nocte cum lampadibus obuiam irent, præcedentes ramos in manibus ferrent, appensis tintinnabulis ad colla equorum, ne à vigiliarum custodibus sciri possent. Nam tunc temporis multos equos Austrasij ad pastum emittebãt. Illi sic cuncta facientes, Austrasios & Burgundiones tali fraude seduxerunt, dum vigiliæ putant iuxta syluam equos suos pascere, & tintinnabula equorum suorum resonare. Cæsus itaque Childeberti exercitus, reliqui

Stratagema Fredegũdis.

C cum ducibus in fugam versi sunt. Fredegundis post aliquantũ tẽporis mortua, in ecclesia beati Vincentij Parisius sepulta est. Theodebertus & Theodericus filij Childeberti, cum auia sua Brunichilde in regnũ gloriosi regis Gunthchramni in Burgundiam directi: Theodericus cum Chlothario patruele suo pugnam iniit, eúmq; cum exercitu suo fugauit: inde Theodericus consilio matris suę Brunichildis, cum Theodeberto fratre pugnam miscuit. Frater eius Coloniam ingressus, doloque ibi occisus est, capútque illius Theoderico fratri, vt ipse iusserat, delatum. Filij Theodeberti ab ipso interfecti. Filiam eius in coniugium sumere volens, à matre prohibitus est. Cuique postmodum Brunichildis mater, timens ne

D eam perimeret, venenum porrexit, talique morte obiit, regnans quadraginta annis: filios eius Brunichildis occidit.

Namatus. Namatus episcopus Viennensis septuagesimo anno vitæ suæ defungitur. Iustinus imperator amens factus, diem obiit: Tiberiusque pro eo imperium suscepit. Burgundiones & Austrasij cum reliquis Francis pace facta Chlotharium in tribus totis regnis super se regem leuauerunt.

575. Tiberius Const. Gregorios. Eutychij hæresis.

Tiberius Constantinus Imperator annis vij. Gregorius adhuc apocrisiarius Romanæ ecclesiæ in Constantinopoli libros expositionis in Iob condidit: atque Eutychium eiusdem vrbis episcopum in fide nostræ resurrectionis errasse, Tiberio præsente, vt conuicit, ita imperatur librum ipsius, quem de resurrectione scripserat, flammis cremari debere liberaret.

E Docebat enim idem Eutychius corpus nostrum in resurrectione impalpabile, ventis aëréque futurum subtilius. Gens Longobardorum comitante fame & mortalitate, omnem inuadit Italiam, ipsámque Romanam vrbem obsedit: quibus tempore illo rex præerat Alboinus. Gothi quoque sub Hermenigildo Leuuigildi regis filio, bifariè diuisi, mutua cæde se vastant. Philippus Viennensis episcopus clarus floruit. Cuius tempore monasterium sancti Andreæ subterioris Viennæ conditum à Remilla Eugenia Ansemundi ducis filia, atque sub testamento matri ecclesiæ traditum. Nam aliud monasterium superius sancti Andreæ, in colle ciuitatis situm iam erat. Fundauerat enim ipsum beatissimus Leonianus temporibus sancti Auiti

A eiusdem vrbis episcopi, vbi eadem ipsa Remilia sub regulari disciplina nutrita fuerat. Post Philippum Euantius vir sanctus, episcopus Viennæ leuatus est. Hic cum sancto Prisco & Artemio Senonico, & Remigio Biturigensi & cum aliis sanctis episcopis, viginti capitula ecclesiastica perfectè roborauit. Quibus consedit quoque Syagrius Eduennensis episcopus, vir summæ sanctitatis. Sueui a Leuuigildo rege obtenti Gothis subiiciuntur.

Remilia. Euantius. Priscus Artemius. Syagrius

583. Mauricius.

Mauricius imperator, annis xxj. Ermenigildus Leuuigildi Gothorum regis filius, ob fidei catholicæ confessionem inexpugnabilem, à patre Arriano regni priuatus insulis, insuper in carcerem proiectus, ad extremum nocte sancta dominicæ Resurrectionis, securi in capite percussus, regnum cæleste pro terreno rex & martyr intrauit. Cuius frater Richaredus mox vt regnum post pa-

B trem accepit, omnem gentem Gothorum, cui præerat instante Leandro Hispalitano episcopo, qui & Ermenigildum docuerat, ad catholicam fidem conuertit. Auari aduersus Romanos dimicantes auro magis quàm ferro pelluntur. Viennensis episcopus Verus claruit. Huius tempore Desiderius Augustodunensis genere, in ordine diaconi ecclesiæ Viennensi seruiebat. Gregorius Romanæ ecclesiæ præsul & doctor eximius, claruit. Post Verum episcopum sanctus Desiderius succedit. Hic beatissimus Brunichildem reginam ex impietatibus suis arguens à comitibus eius ipsa iubente in territorio Lugdunensi super fluuium Calaronam perimitur, martyrque gloriosus cæleste regnum ingreditur. Gregorius pontifex synodum episcoporum xxiiij. ad corpus B. Petri apostoli congregans, quæ necessaria sunt ecclesiæ de-

Gothi ad fidem conuertuntur. Verus Episcop. Desiderius.

C cernit. Idem missis in Britanniam Augustino, Mellito, & Ioanne, cum aliis pluribus timentibus Deum, ad Christum Anglos conuertit. Siquidem Edilbertus rex Cantuariorum cum gente cui præerat, ad Christum cõuertitur, sedésque tam Augustino doctori suo, quàm aliis episcopis largitur. Brunichildis regina pro multis sceleribus suis in præsentia Chlotharij regis iudicantibus Francis, indomitis equis, religata brachiis & cruribus diuaricatis, membratim discinditur, ac igni ossa illius cremata.

Angli conuertuntur. Brunichildis membratim discerpitur.

604. Phocas.

Phocas regnauit annis viij. Gregorius Anglorum genti metropolitanos statuit, deditque Lindoniæ atq; Eboraciæ episcopis pallium: secundo anno imperij Phocæ, indictione octaua migrauit ad Dominum. Focas rogan-

D te papa Bonifacio, statuit sedem Romanam caput esse omnium ecclesiarum, quia Constantinopolitana ecclesia prima se omnium scribebat. Domnolus Viennensis episcopus tunc florebat, vir strenuus, & in redimendis captiuis piissimus. Phocas rogante alio Bonifacio Romano pontifice, in veteri fano quod Panteon vocabatur, ablatis idololatriæ sordibus, ecclesiam beatæ semper virginis Mariæ & omnium martyrum dedicari iussit, vt vbi quondam non deorum, sed dæmoniorum cultus agebatur, ibi deinceps omnium fieret memoria sanctorum. Parasini & Veneti per orientem & Ægyptum ciuile bellum faciunt, ac sese mutua cæde prosternunt. Persæ aduersus rempublicam grauissima bella gerentes, multas Romanorum prouincias, & ipsam Hierosolymam capiunt: ac destruentes ecclesias, sancta quoque lo-

Romana caput Ecclesiarum statuitur. Pantheon fit templum omnium Sanctorum.

E ca profanantes, etiam vexillum dominicæ crucis auferunt. Heraclius imperator, annis xxvj. Anastasius Persa monachus, nobile pro Christo martyrium patitur: qui natus in Perside à patre puer magicas artes didicit: sed vbi à captiuis Christianis nomen Christi accepit, in eo mox animo conuersus, relicta Perside Chalcedoniam Hierapolinque, Christum quærens, ac deinde Hierosolymam petiit, vbi accepit baptismatis gratiam. Quarto ab eadem miliario monasterium abbatis Anastasij introiuit, vbi septem annis regulariter viuens, dum Cæsareã Palæstinę orationis gratia venisset, captus à Persis, & multa diu verbera inter carceres & vincula Marcebana iudice perpessus, tandem in Persidẽ mittitur ad regẽ eorum Cosroam: à quo tertiò per interualla tẽporis verbe-

Persæ Hierosolymam capiunt. Anastasius Persa monachus martyrium complectit.

Anni Mundi.

ratus, ad extremum vna suspensus manu per tres horas, sic decollatus cum aliis septuaginta, martyrium complevit. Hos tunica eius indutus quidam dæmoniacus, curatus est. Sisebutus Gothorum rex in Hispania plurimas

Sisebutus vastat Hisp.

vrbes sibi bellando subiecit, & Iudæos suo regno subditos, præter eos qui fuga lapsi latenter migrauerunt ad Francos, ad Christi fidem conuertit. Persæ Chalcedoniam vsque peruenerunt. Hunni murum longum irrumpentes, & ad mœnia Constantinopolis accedentes, cum Heraclio imperatore mutuò in muro stante colloquuntur, acceptóque ab eo precio pacis ad tempus recedunt. Ætherius Viennensis, vir in omnibus eximius, præclarus habetur. Chlotharius rex Saxonum terram

Ætherius. Chlotharius omnes spatha longiores decruncauit.

vastauit: intantum vt non ibi relinqueret hominem viuentem, longior, vt fertur, quàm spatha ipsius erat. Non longo tempore interiecto, xliiij. regni sui anno moritur: successitque ei Dagobertus filius eius vir strenuus, & in iudiciis seuerus. Habuit autem duos filios, Sygibertum & Chlodoueum: quorum vnum, Sygibertum in Austriam cum Pipino duce direxit: Chlodoueum iuniorem secum retinuit. Gundolandus maior domus moritur, cuius loco Herthenoldus à Dagoberto cōstituitur. Heraclius imperator cum exercitu superueniens Persis victor, Christianos qui ibi erant captiui reduxit, ac vexillum dominicæ crucis Hierosolymam triumphans reportauit. Reliquiæ quoque beati martyris Anastasij, primò ad monasterium suum, deinde Romam aduectæ, venerantur in monasterio beati Pauli apostoli, quod dicitur ad Aquas Saluias. Anno Heraclij imperatoris

Edeinus credit.

xviij. indictione v Eduinus excellentissimus rex Anglorum, in Britannia Transumbranæ gentis ad aquilonem, prædicante Paulino episcopo, quem miserat de Cantia venerabilis archiepiscopus Iustus, verbum salutis cum sua gente suscepit anno regni sui vndecimo, Aduentus

Anglorum in Britanniam aduentus.

autem Anglorum in Britāniam plus minus anno clxxx. Eique Paulino sedem episcopus Eboraci dedit. Eo tempore apud Scotos in obseruatione xiiij. lunæ paschalis error maximus exortus est: quorum errorem Honorius papa per epistolam suam redarguit. Sed & Ioannes qui successori eius Seuerino in pontificatu successit, cùm adhuc electus in pontificatu, pro eodem errore xiiij. lunæ, simul & pro Pelagiana hæresi, quæ apud eos recrudescebat, scripsit.

639. Heracleonas.

Heracleonas cum matre sua Martina, annis ij. Cyrus Alexandriæ episcopus, Sergius & Pyrrhus regiæ vrbis episcopi, Acephalorum hæresim instaurantes, vnā operationem in Christo diuinitatis & humanitatis, vnam quoque voluntatem dogmatizabant. E quibus Pyrrhus sub Theodoro papa Romam veniens ex Africa, ficta vt pòst apparuit, pœnitentia, obtulit eidem papæ præsente clero & populo libellum cum sua subscriptione, in qua damnabantur omnia quæ à prædecessoribus suis scripta vel acta sunt aduersus catholicam fidem: vnde & benignè susceptus est ab eo, quasi regiæ pontifex ciuitatis: sed quia reuersus, eundem ipsum errorem repetiit, memoratus papa Theodorus, sacerdotum synodo aduocata in basilica beati Petri apostoli, condemnauit ipsum

Pyrrhi Episc. hypocritica pœnitentia.

Pyrrhum sub vinculo anathematis.

342. Constant.

Constantinus filius Heraclij mensibus sex. Pyrrhi successor Paulus, non tantùm pestifera doctrina sicut decessor eius, sed & aperta persecutione catholicos cruciat, apocrisiarios sanctæ Romanæ ecclesiæ, qui ad eius correctionem missi fuerant, partim carceribus, partim exiliis, partim verberibus afficiens. Sed & altare eorum in domo Placidiæ sacratum in venerabili oraculo subuertens diripuit, prohibens eos ibi missas agere: vnde & ipse sicut prædecessores ipsius, ab apostolica sede, iusta satis dispositione damnatus est. Dagobertus Francis re-

Dagobertus.

gnat, Sygibertus filius eius Austrasiis.

641. Constant.

Constantinus, filius Constantini, imperator annis xxviij. Hic Constantinus deceptus à Paulo, sicut Heraclius auus eius à Sergio eiusdem ciuitatis episcopo, exposuit typum aduersus catholicam fidem: nec vnam, nec duas voluntates, aut operationes in Christo definiens esse confitendas, quasi nihil velle vel operari credendus sit Christus. Vnde Martinus papa congregata Romæ

Monothelitæ.

synodo cv. episcoporum, damnauit sub anathemate præfatos Cyrum, Sergium, Pyrrhum, & Paulum hæreticos. Post hæc missus ab imperatore Constantino Theodorus hexarchus, tulit Martinum papam de ecclesia Cōstantiniana, perduxitque Constantinopolin. vbi cum pro catholica veritate apostolicè ageret, relegatus Chersonam, ibidem vitam finiuit, multis in eodem loco virtutum signis vsque hodiè refulgens. Facta est autem synodus præfata, anno is. imperij Constantini, mense Octobri, indictione viij. Clarentius vir sanè eruditus Viennensis episcopus clarus. Vitellianus papa Romæ

Clarentius Vitellianus.

ordinatur: sub quo Constantinus imperator beato Petro apostolo misit euangelia aurea gemmis albis miræ magnitudine in circuitu ornata. Ipse post aliquot annos idem per indictionem vj. Romam veniens, obtulit super altare apostolorum, pallium auri textile, toto exercitu cum cereis ecclesiam intrante. Sequenti anno facta est eclipsis solis, v. nonas Maij, quasi decima hora diei. Vitellianus papa Theodorum archiepiscopum & Adria-

Casula auro textilis.

num abbatem, virum sanctum atque doctissimum, in Britāniam mittit: qui plurimas ecclesias Anglorum doctrina ecclesiastica fœcundarunt. Constantinus imperator post plurimas deprædationes in prouinciis factas, occisus in balneo periit, indictione xij. Sed non longo post tempore Vitellianus papa obiit.

669. Constant. Agatho Papa.

Constantinus filius Constantini superioris, annis xvij. Sarraceni Siciliam inuadunt, & præda nimia secum ablata, mox Alexandriam redeunt. Agatho pontifex Romanæ ecclesiæ constituitur: qui ex rogatu Constantini, Tiberij, Heraclij, piissimorū principum, misit in regiam vrbem legatos suos: in quibus erat adhuc Ioannes diaconus non longè post episcopus, pro facienda adunatione Dei ecclesiarum. Qui benignissimè suscepti à fidei catholicæ defensore Constantino, iussi sunt remissis disputationibus philosophicis, pacifico colloquio de vera fide perquirere, dans eis de bibliotheca Constantinopolitana catholicorum patrum quos petebat, libellis. Affuerunt autem & episcopi cl. præsidente Georgio patriarcha regiæ vrbis, & Macario Antiochiæ. Conuicti sunt itaque qui vnam voluntatem & operationē asserebant in Christo, falsasse catholicorum patrum per plurima dicta. Finito conflictu, Georgius correctus est:

Monothelitæ conuicti.

Macharius verò cum suis sequacibus simul & prædecessoribus, Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo, & Petro, anathematizatus est: & in loco eius Theophanus Abbas de Sicilia, Episcopus Antiochiæ factus. Tantáque gratia legatos Catholicæ pacis comitata est, vt Ioannes Portuensis Episcopus, qui erat vnus ex ipsis, dominica octauarum Paschę, missas publicè in Ecclesia sanctæ Sophiæ, coram principe & Patriarcha Latinè celebraret. Hæc est sexta synodus vniuersalis Constantinopoli ce-

Missæ coram Imp. Latinè celebrantur.

lebrata, & Græco sermone conscripta temporibus Papæ Agathonis, exequente & residente Constantino piissimo Imperatore intra palatium suum, simúlque legatis Apostolicæ sedis, & Episcopis CL. residentibus. Prima

Synodi generales.

enim vniuersalis synodus in Nicea congregata est contra Arrium, cccxviij. patrum, temporibus Iulij Papę sub Constantino principe. Secunda, Constantinopoli, centum quinquaginta patrum contra Macedonium & Eudoxium, temporibus Damasi Papæ, & Gratiani principis, quando Nectarius eiusdem vrbis est ordinatus Episcopus. Tertia in Epheso, cc. patrum cōtra Nestorium Episcopum Augustæ vrbis, duas personas in Domino Iesu Christo prędicantem, sub Theodosio magno principe, & Papa Cælestino. Quarta, in Chalcedonia, patrū DCXX. sub Leone Papa, temporibus Martiani principis, contra Eutychem nefandissimorum præsulem monachorum. Quinta autem, Constantinopoli, temporibus Vigilij Papæ, sub Iustiniano Imperatore, contra Theodorum & omnes hæreticos. Sexta hæc de qua in præ-

Anni mundi.

Sindulphus. Hedilthrudæ virginis caro non corrumpitur.

senti loco diximus. Sindulphus Viennensis Ecclesiæ Episcopus, clarus habetur. Sancta virgo Christi Hedilthruda, filia Annæ regis Anglorum, & primò alteri viro, & postea Hecfrido regi coniunx data, postquam xij. annis thorum maritalem incorrupta le[...]uarat, sumpto velamine sanctimonialis efficitur: nec [...]ora, etiam virginum mater & nutrix: cuius merita testatur etiam caro mortua, quæ post xvj. annos sepulturæ cum veste qua inuoluta est, incorrupta vt virgo manserat, reperitur. Dagobertus rex Ecclesias sanctorum ditauit, eisque multa largitus pacificè & quietè regnum tenuit Francorum. Sindulpho Episcopo defuncto, Hedicus Viennensis Ecclesiæ præsulatum suscepit, magnæ religionis vir: claruit autem vsque ad vltimum tempus Iustiniani imperatoris, cuius & tempore obiit.

686. Iustinianus.

Iustinianus minor, filius Constantini, Imperator fa- B ctus, annis x. Hic constituit pacem cum Sarracenis terra marique decennio. Sed & prouincia Africa quæ fuerat tenta à Sarracenis, Carthagine capta atque destructa, Romano Imperio subiugata est.

Dagobertus febre moritur.

Dagobertus rex valida febre ægrotans, mortuus est Spinogilo villa in pago Parisiensi atque in Ecclesia beati Dionysij martyris sepultus est: luxerúntque eum Franci diebus multis. Regnauit autem quadragintaquatuor annis. Eius loco constituerunt Franci Chlodoueum filium eius regem: cuius vxor Balildis, de genere Saxonum.

Grimoldus.

Sygibertus rex Austrasiæ, Pippino defuncto Grimoldum filium eius maiorem domus instituit. Non longè post defuncto Sygiberto rege, Grimoldum filium eius maiorem domus instituit. Non longè pòst defuncto Sygiberto rege, Grimoldus filium eius paruum, Dagobertum nomine, totondit, ac Dodoni Pictauiensi Episcopo sub custodia dirigit: Franci plurimum inde indignati, captum Grimoldum Chlodoueo regi tradunt: qui posuit eum Parisiis in custodia: ibique diu excruciatus, vitam finiuit: Chlodoueus rex temerè agens, brachium beati Dionisij martyris abscidit.

Dionisij brachium abscinditur exitio Francorum.

Ab eo tempore sicut Franci tenuerunt, regnum ipsorum cadere cœpit, variis casibus molestatum. Chlodoueus rex multis illectus vitiis, tandem ex Balilde regina tres filios habuit, Chlotharium, Childericum, atque Theodericum. Iustinianus beatæ memoriæ, Romanæ Ecclesiæ pontificem Sergium, quia Synodo hæreseos quam Constantinopoli fecerat, parere & subscribere noluit, misso Zacharia protospatario suo, iussit Constantinopolim deportari. Sed præuenit mi- D litia Rauennatis vrbis, vicinarúmque partium, iussa nefanda principis & eundem Zachariam ab vrbe Roma contumeliis & iniuriis repulerunt.

Chlodoueus rex luxuriosus.

Chlodoueus rex nimium lubricus decessit, cùm regnasset annis xvj. Franci Chlotharium filium eius regem constituunt. Herchinoldo maiore domus defuncto, Franci in incertũ euntes, Ebroinum in hac dignitate vt maior esset in aula regia constituunt. Chlotharius quatuor annos regnans obiit, cuius loco Franci Theodericum fratrem eius erigunt. Childericum alium fratrem eius simul cum Vulfeldo duce in Austriam regnare dirigunt.

Wilibrodus.

Papa Sergius ordinauit venerabilẽ virum Vvilibrodum cognomine Clementem, Frisionum genti Episcopum. Chaldeoldus Episcopus Viennensem Ecclesiam rexit vsq; ad tempora Theoderici regis. Iustinianus imperator ob culpam E perfidiæ, regni gloria priuatus, exul in Pontum secedit.

696. Leo imp.

Leo imperator, annos duos. Papa Sergius in sacrario beati Petri capsam argenteam, quæ in angulo obscurissimo diutissimè iacuerat, & in ea crucem diuersis ac pretiosis lapidibus adornatam, Domino reuelante reperit: de qua tractis quatuor petalis, quibus gemmæ inclusæ erant miræ magnitudinis, portionem ligni salutiferi dominicæ crucis interius repositam inspexit.

Crux adoratur quotannis.

Quæ ex eo tempore omnibus annis in basilica Saluatoris, quæ appellatur Constantiniana, die Exaltationis eius ab omni osculatur atque adoratur populo. Dodolenus Viennensis Episcopus habetur. Franci Ebroino insidias parantes, Theodericum de regno abiiciunt, Ebroinum Luxo- A nio monasterio tondent: Childericum super se regem leuant: maiorẽ domũs, Vulfuoldum. Sed nõ multo post, propter leuitatem animi sui idem Childericus à Francis interficitur: Vulfuoldus fuga elabitur. Frãci Leodosium Archenoldi filium, maiorem domus constituunt, Theodericum in regno aduocant. Dicitur in hoc cõsilio fuisse Leodegarius venerabilis Episcopus Augustodunensis, & Gerinus frater eius. Ebroinus itaque magnæ impietatis homo, clericaturam abiiciẽs, à Luxouio cœnobio egressus, seductus sine dubio ab spiritu mendacij, qui dixerat ei, quòd duodeuiginti annis viueret, in Franciam reuertitur.

Dæmon pollicetur vitæ longitudinem.

Copiis vndecunque sibi aggregatis, ad Audoenum Episcopum Rothomagensem dirigit. Mox responso inde accepto, tyrannicè contra hostes debacchatos. Leudesium fide captum occidit. Ac sic principatum vi B sub Theoderico rege obtinuit: continuò sanctum Leodegarium diuersis pœnis affectum gladio percussit: Gerinum quoque fratrem eius diu excruciatum peremit: multos cogens in exilium, ablatis facultatibus, de quibus Vulbaldus & Ragnechertus illustres viri, multis pressi iniuriis, virtute venerabiles occumbunt. Vulfuoldo decedẽte, Martinus & Pippinus iunior filius Ausegisili, regibus decedentibus, dominabantur in Austria.

Martinus Ausegisili perimitur.

Moto prælio contra Theodoricum regem & Ebroinum, Martinus fuga lapsus Lugduno cloaca se reclusit. Pippinus quoque è latere euasit. Ebroinus datis sacramẽtis, Martinum ad regem Theodoricum venire suadet: ille credulus, mox cum suis interfectus est. Ebroinus crudelitate nimia sæuus, ab Hermenfrido Franco interfectus est: Hermenfridus in Austriorum regnum ad Pippinum fu- C giens, euasit. Erat tunc temporis vir oculis cæcatus, vnus de illis quibus Ebroinus effoderat lumina, in insula Lugdunensis prouinciæ, quæ Barbara dicitur.

Visio.

Qui cùm nocturno tempore super ripam Sicannæ fluminis orandi gratia resideret, audiuit nauigantium impetum, & magna vi brachiorum contra impetum fluminis insurgentium. Cúmque interrogaret, quò nauigium illud tenderet, vox in auribus eius percepit. Ebroinus est, quem ad Vulcaniam ollam deferimus: ibi enim facti sui pœnas luet.

Ollæ Vulcani. Ebroinus defertur ad tartara.

Hoc idem vir audiuit ad consolationem sui, vt sciret quam pœnam persecutores iustorum sentirent. Reuerentissimus Ecclesiæ Lindisfarnensis in Britannia ex Anachorita antistes Cuthbertus, totam ab infantia vsq; ad finem vitam miraculorum signis inclytam duxit.

Cuthbertus.

Cu- D ius venerabile corpus humatum post vndecim annos, quasi eadem hora fuisset defunctus, cum veste qua tegebatur incorruptum inuentum est. Franci Vvaratonem pro Ebroino, maiorem domus faciunt: qui pacem cum Pippino componit. Pippinus cum Gislemaro Vvaratonis filio, contra voluntatem patris agente, ciuilia bella habuit. Sed Gislemarus à Deo percussus obiit. Pater eius Vvarato principatum recepit.

Audoenus

Sanctus Audoenũs Episcopus, virtutibus clarus, migrauit ad Dominum.

Post Vvaratonem, Bertharium, maiorem domus statura & sapientia pusillum, Franci constituunt. Pippinus cum Theodorico & Berthario bellum iniit, & vicit.

699. Tiberius.

Tiberius Imperator, annis septem. Synodus Aquileiæ facta ob imperitiam fidei, quintum vniuersale conciliũ suscipere diffidit, donec salutaribus beatæ Papæ Sergij E monitis instructa, & ipsa huic cum cæteris Christi Ecclesiis annuere consensit.

Io. Papa.

Ioannes pontifex Romanus habetur, qui Sergio successerat.

Boboinus.

Bobolinus Viennensis ecclesiæ episcopus, insignis claruit. Post quem Georgius magnæ virtutis episcopus, in eadem vrbe constituitur. Gisulphus dux gentis Longobardorum Beneuẽti Campaniam igne gladio, & captiuitate vastauit: cúmque non esset qui ei resisteret, Ioannes papa missis donariis plurimis & legatis, vniuersos captiuos redemit, atque hostes domum redire fecit. Cui succedit alter Ioannes, qui miro opere oratorium sanctæ Dei genitricis Mariæ in ecclesia beati Petri construxit. Eribertus rex Longobardorum, multas cortes & patrimonia Alpium Cottiarum, quæ à Longobardis fuerant ablata, iuri apostolicæ

stolicæ sedis restituit, & hanc restitutionem aureis scriptam literis, Romam direxit. Pippinus Austrasiorũ dux, Theodericum regem cepit, atq; thesauris acceptis, Nordebertum quendam de suis Maiorem domus sub rege eodem constituit. Ipse in Austriam remeauit. Habuit autem ex vxore sua nobili, duos filios, Drogum, & Grimoldum. Drogus ducatum in Campania accepit.

706 *Iustinianus II.* Iustinianus secundus, cum Tiberio filio, annis septem. Hic auxilio Terbellij regis Bulgarorum regnum recipiens, conuictos occidit eos qui se expulerant, patritios & Leonem in loco eius vsurpauerant: necnon & successorem eius Tyberium, qui eum de regno eiectum toto tempore quo ipse regnauit, in eadem ciuitate tenuerat in custodia. *Callinicus excæcatur.* Callinicum verò patriarcham, erutis oculis, misit Romam, & dedit episcopatum Cyro, qui erat Abbas in Ponto, eúmque exulem aluerat. Hic papam Constantinum ad se venire iubens, honorificè suscepit & remisit ita vt die dominica cùm missas sibi facere iuberet, *Missæ.* communionem de manu ipsius acceperit. Quem prostratus in terra, pro suis peccatis intercedere rogans, cũcta ecclesiæ priuilegia renouauit. qui cùm exercitũ mitteret in Pontum ad comprehendendum Philippicum, quem ibi relegauerat, conuersus omnis exercitus ad partem Philippici, fecit eum sibi Imperatorem: reuersúsque cum eo Constantinopolim, pugnauit contra Iustinianum, duodecimo ab vrbe miliario, vicítque atq; occidit. Regnauítque Philippicus loco Iustiniani. Francis adhuc Theodericus regnabat. Deodatus Viennensis episcopus, magnæ parsimoniæ vir florebat.

712 *Philippicus.* Philippicus Imperator, annum vnum, menses sex. Hic eiecit Cyrum de pontificatu, eúmque redire ad gubernandum monasterium suum præcepit: quique praui dogmatis literas Constantino misit pontifici: quas ille cum apostolicæ sedis consilio respuit, & huius rei causa fecit picturas in porticu sancti Petri, qui acta sex synodorum vniuersalium continent. Nam & huiusmodi picturas cùm haberentur in vrbe regia, Philippicus iusserat afferri. Statuitq; populus Romanus, ne hæretici Imperatoris nomen, aut in chartis, aut in figulis solidis susciperent: vnde nec eius effigies in ecclesiam introducta est, nec nomen ad missarum solennia prolatum. Captus igitur Philippicus ab Anastasio oculis priuatus est, nec tamen occisus. Theodericus rex Francorum mortuus est, qui regnauit annis xix.

714 *Anastasius.* Anastasius Imperator, annos tres. Hic literas Cõstantino pontifici Romam misit per Scholasticum patritium & exarcham Italiæ, in quibus se fautorem Catholicæ fidei, & sancti sexti concilij prædicatorem esse docuit.

Chlotharius. Chlotharius filius Theoderici puer, Francis regnauit annos tres, cui successit Childebertus frater eius, vir inclytus. Defuncto Northberto maiore domus, Grimoldus Pippini filius effectus est. Pippinus multa bella gessit contra Rittodum gentilem Frisonum ducem, similiter contra Sueuos, vel alias quàmplures gẽtes. *Blidianus.* Blidiãnus Viennensis ecclesiæ episcopus. Leutbrandus rex Longobardorum, donationem Alpium patrimonij Cottiarum, quam Heribertus rex fecerat, sed ille repetierat, admonitione venerabilis papæ Gregorij confirmauit. Drogo filius Pippini defungitur hybernali tempore, anno incarnationis Domini, DCCVIII. Anepos episcopus, secularis conuersationis vir, ducit exercitũ Francorum contra Vvilharium in Sueuos, vbi grauissima cædes facta est, anno incarnationis Domini septingentesimo duodecimo. Bonæ memoriæ Childebertus rex migrauit, regnans tredecim annos: & sepultus est Cauciaco monasterio in basilica S. Stephani protomartyris; regnum suscepit Dagobertus adhuc puer, filius eius: Maior domus Grimoldus, vir modestus & iustus, qui habebat Ratbodi ducis filiam Theusuindam in coniugium. nam ex alia fœmina Theudoaldum habuerat. Ægrotante itaq; Pippino genitore eius, dum ad visitandum eum venisset, à Rangario Frisone gentili peremptus est, in basilica sancti Landeberti. Pater eius Theudoaldum in honore defuncti patris instituit. Leodidico, anno incarnationis Domini DCCXIIII. in mense April. Nec multo pòst Pippinus pater eius mortuus est, eodem anno, medio Decembri. *Pippinus obiit.* Obtinuit autem principatum sub nominatis regibus annis vigintiseptem. Hecbertus vir sanctus de gẽte Anglorum, pro cœlesti patria peregrinus, sacerdotiũ Christi exornans, plurimas Scoticæ gentis prouincias ad canonicam paschalis temporis obseruantiam, à qua diutiùs aberrauerant, pia prædicatione conuertit, anno ab incarnatione Domini, DCCXV.

717 *Theodosius.* Theodosius imperator, anno vno. Hic electus in imperatorem, Anastasium apud Niceam ciuitatem graui prælio vicit: datóq; sibi sacramento, presbyterum fecit ordinari. Ipse verò vt regnum accepit, cùm esset Catholicus, imaginem illam venerandam, in qua sanctæ sex synodi erant depictæ, & à Philippico fuerat deiecta, pristino loco in vrbe regia erexit. Tiberis fluuius alueũ suum egressus ita excreuit, vt ad vnam & semis staturam in via publica extumesceret, multáque excidia Romanæ ciuitatis faceret. A porta denique S. Petri vsque ad pontem Miluium aquæ descendentes se coniungebant. Mansit autem diebus vij. Cùm ciues crebras litanias agerent, reuertitur octaua die. Amore diuino inflãmati multi Anglorum gentis de Britannia Romam venire his temporibus maximè studuerunt, ibíque ob signum religionis tonsuram clericalem suscipere. *Angli Romæ tonsurantur.* Tunc etiam reuerendus Abbas Geolfridus annos natus lxxiiij. cùm esset presbyter annis xlviij. Abbas autem, annis xxxv. vbi Lingonas peruenit, defunctus, atque in ecclesia beatorum Geminorum martyrum sepultus est.

Carolus Pippini filius ex alia vxore, cum captus à Plectrude Pippini quondam vxore teneretur, auxiliante Domino euasit. Saxones terram Matuariorum deuastauerunt. Eoldus Viennensis episcopus iam habebatur.

718 *Leo Imp.* Leo Imperator, annos ix. Sarraceni cum immenso exercitu Constantinopolin venientes, triennio ciuitatẽ obsident, donec ciuibus multa instantia ad Deũ clamantibus, multi eorum fame, frigore ac pestilentia perirent, ac si pertæsi obsidionis abscederent. Qui inde regressi, Bulgarorum gentem quæ est super Danubium, bello aggrediuntur: & ab hac quoque victi refugiunt, ac naues suas repetunt. Quibus cùm altum peterent, irruente subita tempestate, plurimi etiam, mersis, siue confractis per littora nauibus, necati sunt. Leutbrandus rex audiens, quòd Sarraceni depopulata Sardinia, etiam loca illa fœdassent, vbi ossa beati Augustini episcopi propter vastationem Barbarorum olim translata, & honorificè fuerant condita, misit, & dato precio accepit, & transtulit ea in Ticinum. Ibique in monasterio quod Cella aurea vocatur, quod & ipse construxit, condigno honore recondidit. Tunc sanctus Episcopus Eoldus Viẽnensem ecclesiam rebus auxit. 669 Erat enim affinis Francorum regibus, quique etiam intra ciuitatem in honore beatorum martyrum Thebæorum, Mauritij & sociorũ eius, domunculam cryptarim construxit: ibique non mediocrem partem reliquiarum, siue ex his martyribus, siue ex alijs posuit. Atque ex eo tempore res ecclesiæ nomine beati Mauritij intitulantur, quando ex antiquo & maior domus in honore septem martyrum Machabæorum, & facultates eiusdem ecclesiæ sub nomine eorum à fidelibus offerentur, & consecratæ manerent. Dagobertus rex, annis quinque regnans, mortuus est. *Dagobertus mortuus.* In illis diebus paulo antè Franci mutua cæde se sternunt, ac Theodoaldum Grimoldi Iusti filium validè persequendo fugãt, electo Raganfrido in principatum maioris domus. Frãci Danielem quendam clericum post obiectionem tonsuræ, in regno stabiliunt, atque Chilpericum nuncupant. Exercitum vsque fluuium Mosam contra Carolum commouent. Ex alia parte Ratbodus dux cum Frisonibus contra eundem ipsum Carolum insurgit: pugna valida commissa cum Frisonibus, Carolus graui damno afflictos, dilapsus est. Ratbodus vsque ad Coloniam cuncta deuastans peruenit, mẽse Iulij, anno incar-

nationis Domini, DCCXV. Chilpericus simul cum Ragãfrido Arduennam syluam ingressus, magno exercitu vsque Rhenum ciuitatémq; Coloniam peruenerunt, thesaurum multum à Plectrude accipientes, vastantésque terram, reuersi sunt ad Amblauiam: sed subitò Carolo super eos irruente maximum à copiis suis dispendium sustinent. Iterum Carolus exercitu commoto aduersus Chilpericum vel Ragam-fridum pergit. Illi contrà, hoste parato, bellum accelerant, in loco nuncupato Viciaco, die dominica, illucescente die, infra quadragesimam, xiij. calendis Aprilis, anno incarnationis septingentesimo decimoseptimo. Chilpericus & Ragam-fridus fugati, penes Carolum victoria fuit: Coloniam venit, thesauros patris sui à Plectrude recepit: regẽ sibi Chlotharium statuit. Chilpericus & Ragam-fridus Eudonẽ ducẽ in adiutorium expetunt: contra quos Carolus intrepidus pergit. Eudo Parisios fugiẽdo peruenit. Chilpericus thesauris regalibus sublatis, trans Ligerim in Aquitaniam se eripuit. Chlotharius rex eo anno mortuus est.

Chlotharij obitus.

Post Eoldum episcopum Eobolinus Viennensis episcopus successit. Huic Ostrebertus vir strenuus & nobilis episcopus succedit. Hic sepultus est in villa quadam proprietatis suæ Iulidiaco, non longè à Sequana fluuio. Carolus legationem ad Eudonem misit, amicitiásque cum eo componit. Cui Eudo Chilpericum regem cum multis muneribus reddidit: sed idem non diu in regno resedit. Siquidem Nouiomo ciuitate mortuus ac sepultus est. Regnauit autem annis plus v. Franci Theodericum Dagoberti iunioris filium, regem super se constituunt. Carolus maior domus & Austrasiorum princeps, vastans omnia, & Saxonum agros diripiens, ad Vuisorem peruenit. Ratbobus Frisonum dux moritur, & Carolus cum Saxonibus bellum iniit: ibi grauissima cædes hominum altrinsecus morientium. Post aliquot annos in Baiouariam iter arripuit, Baiouariósq; cum labore maximo ad deditionem coëgit. Post reluctantibus iterum occurrit: & secunda vice fortitudine exercitus sui superdomuit. Iterum abiit in Saxoniam, deinde ad Sueuos contra Lantfridum, quos ab infestatione nimia repressit. Exinde exercitum commouet contra Eudonem Aquitaniorum ducem, fuítque vsque in Vasconiam fugato Eudone. Sarraceni multis copiis nauibúsq; plurimis longè latéque plurimas vrbes tam Septimaniæ quàm Viennensis prouinciæ vastant. Contra quos Carolus expeditionem ducens, grauitérque eos fundens, in Hispanias repulit: facta concertatio mense Octobri, gerens & alia diuersis in partibus prælia, iterũ post aliquot annos perrexit vsq; in Vasconiam, Aquitaniam depopulatus: mortuo Eudone contra filios illius arma corripuit, eósque vehementer afflixit. Sed variante cõcertatione, cùm ex vtrisque partibus plurimi cæderentur, tandem fœdus non diu mansurum ineunt. Sarraceni penè totam Aquitaniam vastantes, & latè alias prouincias igne ferróque superantes, Burgundiam dirissima infestatione deprædantur pene omnia flammis exurentes, monasteria quoque ac loca sacra fœdantes, innumerum populum abigunt, atque in Hispanias transponunt. Contra quos Carolus iterum expeditionem mouit. Quibus forti manu resistens, cæsa inde maxima multitudine, reliquos qui superfuerunt fugere compulit: è quibus pauci euasere.

Caroli expeditiones.

Sarraceni populantur.

Vvilicarius Austreberto venerabili Episcopo Viennæ succedit. Qui ob cladem Sarracenorũ, cùm esset domus præclarissima martyrum citra Rhodanum ab eis iam incensa, ossa beati Ferreoli cum capite Iuliani martyris intra vrbem transtulit, eísque accelerato opere, nõ magno pretio ecclesiam construxit: vbi & eorũdem martyrum reliquias reuerenter composuit. Idem Vvilicarius, cùm furioso & insano satis consilio, Frãci res sacras ecclesiarum ad vsus suos retorquerent, videns Viẽnensem suam indecenter humiliari, relicto episcopatu in monasteriũ sanctorum martyrum Agaunensium ingressus, vitam venerabilem duxit. Vastata & dissipata Viennensi & Lugdunensi prouincia, aliquot annis sine episcopis vtra-

Austrebertus.

Reliquiæ Ferreoli & Iuliani.

A que ecclesia fuit, laicis sacrilegè & barbarè res sacras ecclesiarum obtinentibus. Anno incarnationis Domini, DCCXLI. Carolus Pippini filius Francorum dux defunctus est, principatum illius obtinente Carlomanno & Pippino fratre eius. Childericus in regno Francorum substituitur.

Constantinus imperator, annos XXVI. Carlomannus & Pippinus contra Hunaldum ducem Aquitanorum exercitum mouent, cœperúntq; castrum quod vocatur Lucas: in ipso itinere positi diuiserũt sibi regnũ Francorũ, in loco qui dicitur Vetus Pictauus. Eodẽ anno Carlomannus Alamanniam vastauit. Carlomannus & Pippinus ineunt pugnam cum Odilone duce Baiouariorũ. Eodem anno Carlomannus cum Saxonibus conflictum habuit: cepítque castrum quod dicitur Hochseoburg & Theotecnum Saxonem placitando sibi conquisiuit, anno incarnationis Domini DCCXLIII. Iterum Pippinus & Carlomannus expeditionem habuerunt in Saxoniã, anno incarnationis Domini, DCCXLIIII. captúsque est Theodericus Saxo. Sequenti anno nullã fecerunt expeditionẽ, eo quòd Carlomannus dispositum haberet secularem militiam relinquere, & ipso anno parauit iter suum, parauítque sa frater eius Pippinus honorificè ad obsequium illius, anno incarnationis Domini DCCXLVI. Carlomannus secundum votum suum Romam abiit, ibique se totondit, atque monasterium in monte Sarepte in veneratione sancti Siluestri construxit, ibíque sub monastico habitu aliquo tempore vixit. Inde ad sanctum Benedictum in Cassino monte perueniẽs, monachis sociatus est. Grifo ante faciem Pippini ducis fugit

727 Constant. Imp. Carlomannus.

Carlomannus Romã vadit, fitque monachus, Regino lib. 2. cum ait à coquo alapas sæpius & verbera patiẽter tulisse.

C in Saxoniam. Pippinus per Thuringiam iter arripiens, introiuit in Saxoniam, peruenítque ad fluuium Missaha in loco qui dicitur Scaamgi. Grifo adiungens secum Saxonum multitudinem, super fluuium Oacrum in loco qui dicitur Horahim: illuc quoque eum est Pippinus insecutus. Sed Grifo arripiens fugam peruenit vsque Baiouariam, ducatúmque ipsum sibi subiugauit: Tassilonem atque Iltruden captos sobdidit. Suoidger ad auxilium ei venit. Hoc audiens Pippinus, iter post eum arripiens, captum Grifonem secum adduxit, simul cum Lanfrido atque Suuidger: Tassilonem verò in ducatum Baiouariorum posuit, eíque per beneficium Baiouariam commisit. Grifoni quoque in partibus Austriæ duodecim comitatus dedit: inde pôst Grifo fugiens Vvaifario Hunoldi filio Aquitanorum duci se cõiunxit: ibique ambo contra Pippinum rebellionem parant. Interim dum copiæ parantur, misit Pippinus Vigardum Vvisburgensem episcopum & Fulradum capellanum suum ad Zachariam, tũc temporis pontificem Romanũ, vt interrogarent eũ, si ita manere deberent reges Frãcorũ, cùm penè nullius potestatis essent, iam solo regio nomine contenti. Quibus Zacharias pontifex responsum dedit, regem potius illum debere vocari qui rempublicam regeret. Reuersis legatis, abiectóque Childerico, qui tunc regium nomen habebat, Franci per consilium legatorum & Zachariæ pontificis electum Pippinum regem sibi constituunt: Childericus tonsuratus, & in monasterium missus est. Mox Pippinus rex Francorum factus, bellum in Saxoniam mouit: in quo Childegarius

D

Pippinus regnum Franciæ inuadit.

E Episcopus à Saxonibus occisus est in castro quod dicitur Vuitbergh. Victor Pippinus peruenit vsque ad locum qui Rhime dicitur: inde reuersus, nunciatur ei, quòd Grifo frater eius dum Italiam intrare vellet, apud Moriuennam occisus esset, cuius mortem licet perfidi patriæ adeò doluit. Zacharia pontifice defuncto Stephanus succedit. Tunc temporis sanctus Bonifacius Archiepiscopus Moguntiacensem regebat ecclesiam. Prædicator venerabilis maximam multitudinem Frisonum ad Christum conuertit: Vvilicarius relicta Viennensi sede, Romam primùm abiit, ibique Papæ Stephano notus efficitur: interiecto non multo tempore Agauni monasteriũ martyrum in curam suscepit. Aistulphus Longobardorũ rex, nimis perfidè testamenta dono

Grifo occiditur.

Frisones conuertuntur.

prædecessorum eius beato Petro collata peruupit, atque facultates Romanæ Ecclesiæ militibus suis dedit. Hac vrgente necessitate Stephanus papa in Franciam auxilium petiturus, ad Pippinum venit. Carlomannus quoque frater Pippini regis consilio Aistulphi, vt vulgatur, in eadem voluntate consentiente Abbate eius vt petitionem Stephani pontificis cassaret, & ipse in Franciam venit. Stephanus pontifex vncto Pippino in regem, duos quoque filios eius Carolum & Carlomannum pariter vnxit. Beatus Bonifacius Archiepiscopus in Frisia verbum Domini prędicans, martyrium impleuit. Pippinus rex post vnctionem Apostolicam, in Italiam cùm exercitu properat, transitúmque per ciuitatem Viēnam faciens, Carlomannum fratrem suum monachum ibi misit, simul cum regina Bertruda: ibi Carlomannus ægrotans obiit. Aistulphus audito Pippini regis aduentu, clusis probibitis, cum Longobardis obuiam Pippino peruenit. Sed Pippinus rex vi insistens bellando, auxiliante beato Petro Italiam ingressus est: & remisso pontifice Stephano, per Fulradum aliósque ministros ad sedem suam, ipse Papiam vbi Aistulphus se recluserat, obsedit. At ille cernens se non posse euadere, promisit omnia beato Petro & Ecclesiæ Romanæ restituturū. Obsides igitur quadraginta simul cū iuramento dedit. Sicque obsidione liberatus est: rex verò Pippinus in Franciam rediit. Sed Aistulphus vt perfidus omnia mentitus est. Ob quam causam rex Pippinus, Italiam iterum ingressus, Papiam obsedit: Aistulphum intus clausit. Aistulphus iterum sacramento nimiū coactus, firmauit se omnia redditurum: insuper Pippinus rex Rauēnam totámq; Pentapolin sanctis Apostolis Petro & Paulo tradidit. Reuerso rege Pippino Aistulphus dum venatum pergit, diuino iudicio subitò percussus, interiit. Interiecto tempore Desiderius in regnum Longobardorum successit. Constātinus Imperator missis donis regi Pippino simul organo musico, pacem cum Francis statuit. Tenēte placitum Pippino rege in Compēdio, Tassilo dux Baioariorum ad illum ibi venit, séque illi in vassalum commisit, atq; super corpora sanctorū martyrū Dionysij, Rustici, & Eleutherij, simul & super corpora sanctorū confessorū Martini & Germani iurauit, vt in omnibus diebus vitæ suę regi filiisque eius integram fidem cum subditione seruaret. Acta sunt hæc anno incarnationis Domini DCCLVIIJ. Omnésque maiores Baioariorum vnà cùm ipso sacramētis iurationum obstricti sunt: Bertericus Viennensem Ecclesiam homo simplex suscepit regēdam. Post ipsum, Proculus Episcopus similiter innocēs & simplicis naturæ. Pippinus rex iterum Saxoniam ingressus, firmitates omnes Saxonum obtinuit, multáq; strage Saxonum populum perdomuit, in tātum vt dona annualia eis imposuerit per singulos annos Francis deferre, CCC. equos Anno incarnationis Domini, DCCLIX. natus est Pippino regi filius, quem idē pater Pippinum vocari præcepit. Qui post natiuitatē tertio anno defunctus est. Vuaifarius dux Aquitaniorū, omnes facultates Ecclesiarum quæ ad ius Francorum pertinebant, in Aquitania inuasit. Ob quā causam Pippinus rex egressus, peruenit vsque ad locū qui vocatur Todoat. Illic Vuaifarius per legatos suos omnia promisit se redditurum. Anno incarnationis Domini, DCCLX. acceptis obsidibus rex reuersus est. At Vuaifarius promisit, sed minimè perfecit. Reuersus iterum Pippinus rex, & cum eo filius Carolus plurima castella Aquitaniorum cepit, Burbontis, Cantela, Clarimontis, quod incendio concremauit. Peruenitque vsque ad Lemouicas vastando terram, & Vuaifarium insequendo. Tertiò in Aquitaniam pergēs, Bituricas ciuitatem cepit, & castrum Toartis. Quartum iter in Aquitaniam pergens, tenuit placitum suum Neuernis. Inde Tassilo dux Baioariorum, postpositis sacramentis, postposita propinquitate (erat enim nepos eiusdem regis) ab eodem itinere se abduxit, atque in Baioariam reuertitur. Rex Pippinus tamen Aquitaniam perambulauit, vsque ad Cadurtium. Anno incarnationis

Pippinus vngitur à Stephano pontifice. Regino lib. 1.

Pippinus papam restituit.

Rauenna papæ per Pippinum obtigit.

Musicum organum donum Imperatoris.

Bertericus Proculus.

Vuaifarius Ecclesiastica inuadit.

A Domini DCCLXV. quintum iter arripuit in Aquitaniam, tenuítque placitum suum Aurelianis. Construxítque castrum Argentonium, quod Vuaifarius paulò antè destruxerat, positis ibi ad custodiam Francis. Similiter apud ciuitatem Bituricas, exercitum ad custodiam disposuit. Facta est tunc temporis synodus, anno incarnationis Domini DCCLXVII. & quæstio ventilata inter Græcos & Romanos de Trinitate, & vtrùm spiritus sanctus sicut procedit à patre, ita procedat à filio, & de sanctorū imaginibus, Vtrùmne fingendæ, an pingendæ essent in Ecclesiis. Sextum iter faciens in Aquitaniam munitissima loca plurima cepit, & vsque Garonnam peruenit: reuersus Bituricas legatos de morte Pauli Romani pontificis accepit. Septimo itinere in Aquitaniam per Viennam transitum faciens, vbi tunc Viennensem episcopatum post aliquot annos Berterico cuidam ex famiB lia Ecclesiæ dedit, vsque Sanctonas peruenit. Capta est mater Vuaifarij & sorores eius ac neptes. Sic rex vsque Garunnam cuncta diripuit: inde iterum interposito tēpore simul cum Bertruda regina in Aquitaniā transiens, apud Petragoricas Vuaifarium ducem interfecit. Inde pòst victoriam Sanctonas rediit, vbi reginam dimiserat, & ægrotare cœpit: inde orationis gratia ad sanctum Martinum venit. Ad sanctum Dionysium quoque perueniens, VIII. Calend. Octobr. anno incarnationis Domini DCCLXVIII. obiit: regnauit autem post diem vnctionis suæ, XVII. annis paulò amplius. Gloriosi filij illius Carolus & Carlomannus in regnum Francorum eleuati sunt. Carolus in Nouioma ciuitate, Carlomannus Suessionis. Carolus gloriosus rex in Aquitaniā

C contra Hunoldum rebellantem ingressus est. Misítque legatos suus ad Lupum Vuasconum ducem, & inde adductus est supradictus Hunoldus, vnà cum vxore sua Bertha regina, per Baioariam perrexit in Italiam. Anno incarnationis Domini DCCLXXI. Carlomannus defunctus est in villa quæ dicitur Salmoniacus, pridiè nonas Decembres. Vxor verò illius cum aliquibus Francis ingressa est in Italiam. At nobiliores Franci cum Episcopis & comitibus, glorioso regi Carolo se commiserunt. Gloriosus rex Carolus Ardurmensul fanum Saxonum penitus destruxit: vbi cùm exercitus graui siti laboraret, medio die subitò ex quodam torrente largissimæ aquæ emanauerunt, quæ sufficerent cuncto exercitui & iumentis eorum. Anno incarnationis Domini

D DCCLXXIII. legatus Romanæ Ecclesiæ Petrus ab Adriano pōtifice ad gloriosum regem Carolum venit: & quia itinera terræ præclusa erant à Longobardis, nauigio vsque ad portum Massiliæ venit, postulans auxilium cōtra Desiderium Longobardorum regem. Pius rex Carolus vsque Genuam venit: diuisóque ibi exercitu suo, partem misit per Alpes Cottias, & per iuga Gibennica, id est, per montem quem accolæ Cenisium vocant, quæ latera aperiunt in agros Taurinorum. Desiderius rex tunc iuxta clusas Longobardorum exercitum composuerat: sed impetum Francorum sustinere non valens, Papiam ipse Desiderius refugit. Et pius rex Carolus post Desiderium per apertas clusas veniens, ciuitatem ipsam obsedit. Anno incarnationis Domini 774. pius rex Caro-

E lus Romam abiit, indéque reuersus Papiam cepit, cum rege Desiderio vxorem ac filiam eius thesaurúmq; illius sibi suisque tulit. Omnes Longobardos subegit, captis ciuitatibus ac direptis vniuersis Italiæ. Adalgisus filius eiusdem Desiderij fuga lapsus, naue Constantinopolim venit. Ordinata Italia, rex Carolus in Franciam reuertitur. Interim dum rex in Italia esset, Saxones ad præsidia Francorum cum exercitu exeuntes, obsidentésq; quoddam castellum Buriaburg, quandam ecclesiam concremare à foris castello voluerunt, quam sacrauerat beatus Bonifacius martyr. Subitò autem apparuerunt duo iuuenes miræ claritatis & candoris, videntibus tam Christianis quam paganis qui ipsam Ecclesiam defendere videbantur. Horum aspectu terribili perterriti Saxones, in fugam versi sunt, sicque castrum illud ab ob-

Sabellismi.

Imaginum quæstio.

Pippinus moritur.

Carlomannus obiit.

Pinorum precibus impetrat Carolus. Regin lib. 2. Annal.

Bellum Caroli in Desiderium, Aemil. lib. 2.

sidione liberatum. Rex Carolus, ut pervenit ad locum qui dicitur Ingilnham, quatuor scaras in Saxoniam dirigit, quæ Deo auxiliante victrices extitere. Rex gloriosus Carolus castrum Sigiburgum in Saxonia cepit, Eresburgum super Vvisaram fluuium, in loco qui dicitur Beunalberg, reædificat. Sicq; Franci utramque ripam, fugatis & partim occisis Saxonibus, obtinent. Gloriosus rex Carolus usque Obacrum flumen Saxoniam aliásque gentes peragrans, receptis obsidibus in Franciam redit. Audito quòd Rothgaudus Longobardus in perfidiam versus esset, Italiam iterum repetit, DCCLXXVI. anno incarnationis Domini. Occiso Rothgaudo, Forojulium, Tarvisium, atque alias ciuitates in ditionem suam recepit, rásq; Francis ad custodiam permisit. Heresburgum castrum Saxones inuadunt, & destruunt. Sed cùm præpararent machinas & petrarias, atque scalas, ut alterum castrũ præriperent, videntibus aduersariis, apparuerunt in modum scuti, duo globi flammantes super Ecclesiam quæ in ipso castro erat. Qua visione perterfacti Saxones, relinquentes uniuersam præparationem suam, ita fuga lapsi sunt, ut mutuò se gladiis conciderent. Rex gloriosus Carolus iterum Saxones aggressus, firmitatésque illorum omnes obtinens, quo Lippia consurgit, omnia peragrans, uniuersam Saxoniam recepit, & reædificato Heresburgaho castro super Lippiam, Saxones cũ uxoribus & infantibus baptizatos in fide sibi côniunxit, & placitum generale tã ex Francis, quàm ex Saxonibus celebrauit ad Paterbrunnam. Vvitichingis cum quibusdam Saxonibus rebellis in Northmanniam transfugit, auxilium ab eis contra regem gloriosum Carolum postulans. Baptizatis Saxonibus & ingenuitate & alodo fidei firmitas roborata, si amplius amissa Christianitate in perfidiam relaberentur. Gloriosus rex Carolus pascha celebrato in Aquitania, in villa quæ dicitur Cassinogilo DCCLXXVIII. anno incarnationis Domini Hispanias ingreditur. Nam antea adhuc in Saxonia positus, receperat legationem Sarracenorum, in qua fuit Ibinalarabi, & filius Deiuzefi, qui Latinè dicitur Ioseph. Destructa igitur Pampilonia, apud Cæsaraugustam, exercitum tam ex Burgundia quàm ex Baiouaria prouincia, Septimania atque Longobardia coniunxit, & acceptis obsidibus de Ibinalarabi & de Abitauro, aliísque Sarracenis, subiugatis Nauarris & Vvasconibus, in Franciam reuertitur. Orandi gratia Romam post aliquot annos ingressus ab Adriano pontifice filius eius Pippinus ex sacro fonte exceptus, atque duo filij eius reges unctati sunt. Mediolani ab Thoma Episcopo filia eius Gisla baptizata, & excepta DCCLXXXIII. anno incarnationis Domini, Hildegardis regina pridie Calend. Maij vigilia Ascensionis Domini in villa quæ dicitur Theudone, moritur.

Angeli stãt in Saxones pro Ecclesia.

Pampiloniæ muros aduenta Caroli corruisse scripsit, Turpinus Arch. cap. 3. de vita Caroli magni & Rolandi.

Tractum est igitur bellum Saxonum per spatia annorum, cùm in perfidiam sæpè relaberentur, fortissimo rege cum Francis penè eos subinde usque ad internecioné obterente. Vvitingis & Albi cum sociis, qui diu Saxones ad rebellioné permouerant, per obsides recepti, atq; eis benignissimè a pio rege perfidia indulta, in Attiniaco baptizati maximam pacem regioni contulerunt. Archisus dux Beneuentanorum rege Carolo apud Romã posito, cũ magnis muneribus Romoldum filium suum misit, postulans ne infra ducatum Beneuentanorum introiret. Sed cùm esset idem Archisus suspectæ fidei gloriosus rex Beneuentum proficiscitur. Ad cuius aduẽtum dux Archisus, relicto Beneuento, Salerni se reclusit, metuens videre faciem regis, duos filios obsides dedit, Romoldum & Grimoldum, quem adhuc secum retinebat cum maximis muneribus. Sic obsidibus receptis, pius rex Carolus reuertitur, obstrictis iuramento Beneuentanis. cum pontifice Romano sancto pascha celebrato, Thassilonis ducis Baiouariorum insuper missis receptis, cuius perfidia nota passim vulgabatur: interiecto tempore undique exercitibus regis Thassilo constrictos, ad conuentum publicum Francorum, aliarúmque gen-

Bellum Saxonũ Rhegino lib. 2. Annal.

tium sub ditione eorum iam positarum, in villa quæ dicitur Ingilena, aut volens, aut nolens occurrit: in medio positus cùm criminalia ei obiicerentur, & ipse periuria sua publicè fateretur, damnatus ipse cum filio suo Theudone ad mortem est. Sed clementia piissimi regis ei vita concessa, tonsurati in monasterium pœnitentiam acturi recluduntur, & aliquot Baiouariorum in exilium pro perfidia direxit. Græci cum Longobardis pugnã ineunt: similiter & cum Auaris & Francis qui in Italia con manebant; similiter inter Baiouarios & Tauros, in his omnibus victoria penes Francos fuit. Iterum Auari cum Baiouariis præsidentibus Francis cùm pugnare disponerent, strage validissima cæsi, maxima pars eorum fluuio Danubio intercepta, ibique necata est. Excellentissimus rex Carolus super Albiam fluuium pontes construit, & in capite pontis ex utraque parte ædificauit castra; atque Sclauos, quorum vocabulũ est Vvilze, perdomuit. Habebat autem iam Sclauos, quorum vocabula sunt Suuebi, necnõ & Aborciti. horũ princeps erat Vvizan. Auarorum gens effera, finibus Baiouariorũ infestissima, ecclesias oppidáque circa fines suos immanissimè depopulans atque deuastans, metu pij & gloriosi regis ac timore exercitus illius, dimissis firmitatibus suis & præsidiis, fuga elabitur, ac pristinam possessionem relinquit. Anno incarnationis Domini DCCXCII. Felix Aurelianus episcopus hæreticus deprehensus, adoptiuum, non proprium filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum dogmatizans, qui ad præsentiam Adriani pôtificis Romam deductus, hæresin verbis solũmodo abdicauit. Synodus iterum facta contra supradictã hæresin in Francanofurt, legatis apostolicæ sedis præsidentibus, Theophylacto & Stephano episcopis, & authoritate sanctorum patrum, conuictus & damnatus est iterum Felix cum errore suo, perpetuóque exilio apud Lugdunum relegatus est: quem ferunt in eodem ipso suo errore mortuum. Sed pseudosynodus quam Septimam Græci appellant, pro adorandis imaginibus abdicata penitus. Tudun Princeps Auarorum ad pium regem Carolum se contulit, & cum populo suo credens, baptizatus, muneribus regiis donatus, fidelis redijt: sed & Herticus Forojuliensis dux, ciuili bello inter se & victis & occisis Auaris, misso Vvonunituro Clauobringum gentis Auarorum longè retro temporibus quæcum spoliauit, ablatis inde thesauris multo illuc tempore collectis, quos pio regi Carolo postmodum misit. Et ille Deo gratias referens ad memoriam sanctorum apostolorum, partem inde misit: partem officialibus regni & ecclesiis distribuit. Adrianus papa obiit DCCXCVI. incarnationis anno. Mox ut Leo in eius locum successit, missis legatis ad 796
pium regem Carolum, claues confessionis sancti Petri simul & vexillum Romanæ urbis direxit. Pippinus rex à patre in Italia constitutus, in Pannonias cum exercitu proficiscitur, ac victor rediens, partem thesauri cum quæ remanserat, ad patrem defert.

Thassilo & Theudo damnati recluduntur.

Felix Aurelianus hæreticus.

Pseudosynodus.

Barchinona ciuitas quæ à Francis desciuerat, per Zatum Sarracenum restituitur. Nam idem ad pium regem veniens, unà cum ciuitate Semeth tradidit. Ludouicus filius magni principis Caroli, in Hispaniam mittitur, & cum eo Abdella Sarracenus filius Zathibinmange regis, quia frater pulsus Mauritania pio regi Carolo se commiserat. Porrò Pippinus alius filius ad disponendam Italiam constituitur. Nortlindi trans Albiam sedentes, legatos regios qui tunc ad iustitias faciendas cum eis versabantur, comprehendunt: quosdam ex eis occidunt, quosdam ad redimendum retinent. Deindè contra Trasiucconem ducem Abodritorum & Hebucisum legatum Francorum, aciem dirigunt. In eo loco cæsa sunt ex Nortlindis quatuor milia: cæteri pacem petentes seipsos dediderunt. Viennensem tunc temporis ecclesiam, Vrsus: Ado Lugdunensem ecclesiam regebat. Post Adonem nepos eius Ilduinus paululum Lugdunensem ecclesiam non episcopus tenuit: & abscedens Lirinis insulæ monasterio monachalem

Vrsus. Ado. Ilduinus.

conuersationem suscepit. Post Vrsum nimiæ simplicitatis episcopum, Vulferi quem Vulrreiam patrio nomine appellarunt, Baiouarius Vsennensem episcopatum suscepit.

Portò Lugdunensem Leidradus vir seculari dignitatis intentissimus, & honori reipublicæ vtilis: rexit ecclesiã Viennensem Vulferi annis vndecim. (Cõstãtinus excæcatur.) Constantinus imperator à suis captus & excæcatus est. Irena mater eius imperatrix Constantinopoli residens octo annos pòst imperauit. Hæc ad excellentissimum regem Carolum legationem pro pace seruanda misit. Stella quæ Martis dicitur, eo anno à mense Iulio vsque ad alium mensem Iulium videri non potuit. Baleares insulæ à Mauris & Sarracenis deprædatæ sunt. Hadefona rex Galliciæ & Austriæ, prædata Olisipona vltima ciuitate Hispaniæ, victoriæ insignia, multas loricas, mulos, captiuósque Mauros, glorioso regi Carolo per legatos misit. Romani anno incarnationis domini dccxcix. (799 Leo papa excæcatur à Romanis.) Leonem pontificem, septimo Calend. Maij, letania maiore, captum, excæcauerunt, vt fertur, linguámque ipsius præciderunt. Positus itaque in custodia, per murum noctu aufugit ad ecclesiam beati Petri, vbi tunc fortè legati Francorum aderant: inde primùm Spoletum deductus, ac deindè ad gloriosum regem Carolum in Saxoniam in loco qui dicitur Badabruone, ibique honorificè susceptus, atque cum eodem honore Romam remissus. Auarorum gens in perfidiam relapsa, Henricum ducem Forojuliensem apud Tharsaticam Liburniæ ciuitatem, insidiis circunuentum opprimunt.

642 Geraldus quoque Baiouariæ præfectus, commisso prælio cum Auaris, occiditur. Sed Baleares insulæ, quæ à Mauris & Sarracenis deprædatæ fuerant, accepto à Francis auxilio & ipsi sese dediderunt. Britonum signa & arma ducum nominibus illorum inscripta per Vvidonem Marchensem, qui totam Britanniam perlustrauerat, eámque in deditionem acceperat, glorioso regi (Britannia Frãcis tum primũ subiicitur.) Carolo delata sunt, totáque Britannia tunc primùm Francis subiugata est. Gloriosus rex Carolus reliquiarum benedictionem de sepulchro Domini à patriarcha Hierosolymitano suscipiens, maxima dona per Zachariam presbyterum Hierosolymis ad sancta loca remittit. Leutgardis regina Turonis, pridiè nonas Iunias defungitur, ibique sepelitur. Post hæc eximius rex Carolus Italiam ingreditur, orationis gratia Romam profectus: cui occurrit duodecimo ab Vrbe lapide Leo pontifex, eúmque cum summo honore suscepit, viij. Calend. Decembr. Per septem itaque dies operam dedit, vt ea quæ perperam ibi acta fuerant, nudarentur. Sed & Leo pontifex de obiectis sibi criminibus diu agens, cùm iam criminatores refellisset, ambonem conscendit, & super sanctum euangelium in ecclesia beati Petri apostoli præsente populo manus imponens, iureiurando inuocato sanctæ Trinitatis nomine videntibus & audientibus omnibus, satisfecit se conscium non esse criminis vnde falsò culpabatur. Eodem die receptus est Zacharias legatus ab Hierosolymis reuertens, simul & cum ipso patriarchæ legati, cum clauibus sepulchri Domini, ciuitatis quoque ac montis Oliueti, deferentes etiam vexillum vrbis. In die sancto natiuitatis Domini ante confessionem Petri apostoli, cùm gloriosus rex (Carolus coronatur Augustus.) Carolus ab oratione surrexisset, Leo pontifex capiti eius coronam imposuit, sicque ab vniuerso Romanorum populo acclamatum est, Carolo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico imperatori Romanorum, vita & victoria. Perfectis laudibus à pontifice more principum antiquorum, adoratus est, atque ablato patritij nomine, quòd primùm in eadem vrbe acceperat, Imperator & Augustus appellatur. Ad missas pontifex ingreditur cum clero suo.

799 (Carolus punit papæ contemptores.) Carolus imperator primus ex gente Francorum, annis xlv. Hic postquam Romam ingressus imperatoris & augusti nomen sumpsit, iussit eos qui pontificẽ Leonem tam inhonestè & indecenter deponendo contumeliauerant, sibi exhiberi, & quæstione de eis habita, lege Romana, vt rei maiestatis, capite damnati sunt. Pro quorum tamen vita papa & pontifex benignissimè intercessit: cuius precibus imperator eis vitam & membra perdonauit: in exilium tamen pro facinoris magnitudine pulsi sunt. Huius factionis princeps Paschalis nomẽclator erat. Priuatis & publicis rebus dispositis, vii. Calend. Maias, Roma profectus, Spoletum venit. Factus est terræmotus, prid. Cal. Maij hora noctis secunda, qui penè totam Italiam concussit, in tantum vt tectum B. apostoli Pauli cum suis trabibus magna ex parte decideret, & vrbes atque montes in quibusdam partibus ruerent. (Terræmotus.) Hic terræmotus & in Gallia, & in Germaniis multa loca etiam concussit. Pestilentia quoque immanis propter mollitiam hyemis facta est. (Pestilentia.) Elephas cum aliis donatus à rege Persarum Aaron Amiralmum imperatori per legatos mittitur. Capitur Barchinona ciuitas Hispaniæ biennio obsessa, eiúsque præfectus Zatus cum plurimis aliis Sarracenis. Et in Italia Theate similiter ciuitas capta & incensa, atque Roselmus præfectus etiam ipsius comprehenditur. Vnáq; die Zatus & Roselmus ad præsentiam imperatoris deducti, in exilium retrusi sunt. Irene imperatrix ad imperatorem Carolum iterum misit pro pace inter Francos & Græcos firmanda.

Hortona ciuitas in Italia in deditionem accepta: Luceria quoque frequenti obsidione fatigata, & ipsa in deditionem venit. Vvinusus, qui Spoleti presidio præerat, aduersa valetudine fatigatus, & obsessus à Grimaldo Beneuentanorum duce capitur. Quem tamen honorificè tenuit, & postmodum imperatori reddidit.

Circa palatium Aquisgrani, anno incarnationis Domini dccciii. terræmotus factus est: inde mortalitas subsecuta. 803 (Terræmotus.) Irene ab imperio deposita, & Nicephorus imperator Constantinopoli creatus, qui legatos suos vnà cùm legatis imperatoris Caroli remisit. Nam imperator Carolus Iesse episcopum Ambianensem, & Elmigaudũ comitem Constantinopolin direxerat. Susceperunt autem legati Nicephori imperatoris epistolam inscriptã. De fœdere pacis, sicq; tali pacto Constantinopolin reuersi sunt. Godefridus rex Danorum promisit se primùm ad colloquium imperatoris venturum: sed consilio suorum territus, per legatos imperatori quod voluit mandauit: imperator omnes Saxones qui trans Albiam & in Vvibmhodi habitabant, cum mulieribus & infantibus transtulit in Franciam. (Saxones cõmigrant in Franciã.)

Anno incarnationis Domini dcccitii. Leo pontifex Romanus in Franciam venit, Rhemorũ ciuitate susceptus: 804 imperator in Carisiaco villa natiuitatem Domini cum eo celebrem duxit, deindè Aquisgrani. & donatum magnis muneribus per Baiouariam ire volentem, deduci fecit vsque Rauennam. Causa aduentus eius fuit, quia imperator miserat ad eum pro rei veritate inquirenda, si quod ferebatur sanguis Christi in ciuitate Mantua fuisset repertus. Accepta igitur pontifex occasione, in Longobardiam quasi pro inquisitione exiit, inde vsq; ad imperatorem peruenit. Theodorus Capitanus princeps Hunnorum propter infestationem Sclauorũ (erat enim idem Christianus:) locum sibi dari ad habitandum inter Sabariam & Carnutum ab imperatore postulauit. Quẽ imperator benignè suscepit, & precibus eius annuens, muneribus donatum redire permisit. Imperator inter filios suos regna diuidit, vt sciret quisq; si superstes esset, quam partem tueri & regere debuisset. Testamẽtum inde factum & iureiurando ab optimatibus Francorum cõfirmatum, Leoni papæ missum, vt manu sua subscriberet. (Carolus testamentum facit, cui subscribit Leo pontifex.) Anno incarnationis Domini, dcccvi. classis à Nicephoro imperatore, cui Niceta patritius præerat, ad recuperandam Dalmatiam mittitur. 806 (Eclipsis.) Eclipsis lunæ quarta nonas Septembris fuit, stante sole in xvi. parte Virginis: luna autem stabat in xvi. parte Piscium. Ipso anno pridie Idus Febr. luna xvii. stella quæ vocatur Iouis, visa est transire per eam. iii. Idus Februarias fuit eclipsis solis media die stante vtroque sidere in xxv. parte

Aquatij Vno eodémque anno ter luna obscurata est, & sol semel, & acies miræ magnitudinis visæ. Rathertus missus imperatoris, qui de oriente reuertebatur, vnà cum legatis regis Persarum defungitur. Munera autem huiusmodi sunt, quæ legati imperatori detulerunt, Papilionem & tentoria atrii byssina, vario colore, simul cum funibus pari ordine distinctis: pallia serica multa & pretiosa: balsamum & odores atque vnguenta. Sed & horologium aurichalco arte mechanica mirificè compositum, in quo duodecim horarum cursus ad clepsydram vertebatur, cùm totidem æreis pillulis quæ ad cõpletionem horarum decidebant, & casu suo subiectum sibi cymbalum tinnire faciebant: additis in eodem eiusdem numeri equitibus, qui per duodecim fenestras cõpletis horis exibant, & impulsu egressionis suæ totidem fenestras quæ priùs erant apertæ, claudebant: necnon & alia multa in ipso horologio erant mira. Tunc tempore delata sunt ossa beati Cypriani à Carthagine cum reliquiis beatorum Scillitanorum martyrum, Sperati sociorúmque eius, & posita sunt in ecclesia beati Ioannis Baptistæ in ciuitate Lugdunensi. Sarraceni Sardinia pulsi, primùm cum Sardis prælium commiserunt, amissis tribus millibus suorum in Corsicam directo cursu peruenerunt, ibique cum classe cui Burgarius comes præerat, decertantes, aut victi, aut fugati sunt, amissis XIII. nauibus suis, & plurimis suorum interfectis. Godefridus quoque rex Danorum in Abodritos cum exercitu traiiciens, licet Brasconem ducem Abodritorum loco pepulisset, aliúmque ducem dolo captum patibulo suspendisset, magno tamen copiarum suarum detrimento reuersus est. Amisit enim ibi filium fratris sui Raginoldum, qui in oppugnatione cuiusdam oppidi cum plurimis Danorum primoribus interfectus est. Filius autem imperatoris Carolus in Linones & Smeldincos, qui ad Godefridum defecerant, exercitum cui præerat, quanta potuit celeritate transposuit. Populatísque circunquaq; eorum agris, trãsito iterum Albia fluuio, incolumi exercitu in Saxoniam se recipit. Sed Godefridus destructo emporio, quod in Oceani litore constitutum lingua Danorum Relic dicebatur, translatísque inde negotiatoribus, soluta classe ad portum qui Liesthorp dicitur, cum vniuerso exercitu suo venit: ibi per aliquot dies moratus, limitem regni sui qui Saxoniam respicit, vallo munire constituit, vt ab orientali maris sinu, quem illi Osthar salta dicunt, vsque ad occidentalem Oceanũ totam Egidore fluminis aquilonalem ripam munimento valli protegeret, vna tantùm porta dimissa, per quam carra & equites emitti recipíque potuissent. Nordanimbrorum rex Eardolf regno pulsus Britanniæ, Nouiomagi ad Imperatorem venit: inde Romam proficiscitur, cuius legatio postmodum imperatoris & pontificis in regnũ suum reducitur. Reuertentibus legatis, Adulphus natione Saxo, diaconus Leonis pontificis à piratis capitur. Cæteri sine periculo traiiciuntur. Adulphus in Britanniã reductus, à quodam redemptus, Romam reuersus est. Trasco dux Abodritorum collecta valida manu, à Saxonibus etiam auxilio accepto, vicinos suos Scauos, qui Vvltai dicuntur, aggressus, ferro & igni vastat: Smeldingorũ maximam ciuitatem expugnat: atque his successibus omnes qui ab eo defecerãt, ad suam societatem reuerti coegit.

809 Synodus magna Graniaquis congregatur, anno incarnationis Domini DCCCIX. in qua synodo de processione spiritussancti quæstio agitatur, Vtrùm sicut procedit à patre, ita procedat à filio. Hanc quæstionem Ioãnes monachus Hierosolymitanus mouerat, cùm regula & fides ecclesiastica firmet, spiritumsanctum à patre & filio procedere, non creatum, non genitum, sed patri & filio coæternum & consubstantialem. Nomen autem processionis à patre & filio in Apocalypsi ita apertè est positum, Et ostendit mihi (haud dubium quin angelus) flumen aquæ vitæ splendidum tanquam crystallum, procedens de sede Dei & agni. In eadem etiam synodo quæsitum est & ventilatum de statu ecclesiarum & ordine singularum, cuiúsque conuersationis etiam clerici esse debent. Trasco dux Abodritorum in emporio Relic per dolum à comitibus Godefridi interficitur, & Aureolus qui Nicomarciæ Hispaniæ atque Galliæ trans Pyrænæũ contra Oscam ad Cæsaraugustam residebat, moritur: & Amoroz ministerium eius inuadit, & ad castellum ipsius præsidia disponit: qui ad imperatorem transitum cum suis facere voluit, sed interuenientibus causis, re infecta remansit. Pippinus rex Italiæ, perfidia ducum Veneticorum incitatus, Venetiam bello terra maríque iussit appetere: subiectâque Venetia, ac ducibus eius in ditionem acceptis, eandem classem ad Dalmatiæ litora vastãda misit. Sed cùm Paulus Cephaleniæ præfectus cum orientali classe ad auxilium Dalmatiæ ferendum aduentaret, regia classis ad propria regreditur. Godefridus rex Danorum à quodam suo satellite interficitur, & Ermingus filius fratris eius in regno succedit. Et Pippinus rex Italiæ VIII. Idus Iulij, anno incarnationis Domini DCCCX. defungitur. Imperator Frãcorum Carolus cum Nicephoro Constantinopolitano imperatore, pace facta Venetiam recipit. Ambulaz Cordubensis Hispaniæ rex cum imperatore paciscitur, & Abdiramum filius eius Amaroz Cæsaraugusta pellit, & Oscam intrare compellit. Eclipsis solis & lunæ bis eo anno fit: solis, VII. Idus Iulias, & pridie Calend. Decembr. lunæ, XI. Calend. Iulias, & XVIII. Calend. Ianuarias. Corsica insula à Sarracenis vastata. Pax sequenti anno inter imperatorem & Hemmingum Danorum regem componitur. Pharus magna quæ ad nauigantium cursus constituta, non longè à Bolonia ciuitate maritima fuerat, restauratur, ibíque noctu eius ignis accenditur. Carolus maior filius imperatoris, pridiè nonas Decembreis, anno incarnationis Domini DCCCXI. defungitur. Nec multò pòst Hemmingus Danorum rex moritur. In eius loco Dani sibi Heriolдum & Ragam-fridum reges constituunt. Imperator Constantinopolitanus Nicephorus, post multas & insignes victorias commisso prælio, in Mœsia prouincia cum Bulgaris, moritur. In eius locum Michael gener eius Imp. creatur: cuius legati Aquisgrani ad imperatorem Carolum missi, laudes more suo dixerũt, imperatorem & Basilium illum appellantes. Et pacis libello ab imperatore accepto, & denuò à Leone papa Romæ, reuersi sũt. Grimaldus Beneuentanorum dux eo modo paciscitur, vt vigintiquinque millia solidorum auri à Beneuentanis annuatim Francis soluerentur. Anno incarnationis Domini DCCCXIII. generali conuentu aduocato Aquisgrani, Ludouico filio suo regi Aquitanico imperij coronam imposuit, & imperialis nominis sibi consortẽ fecit. Bernardum quoque nepotem suum filium Pippini Italiæ præfecit, & regem appellari iussit. Concilia quoque in quinque partibus regni sui ad corrigenda quæ necessaria forent, fieri constituit, Moguntiaco, Remis, Turonis, Cabillone, Arelate. quid statutum fuerit, in archiuis ecclesiarum vel palatij inuenitur. Imperator Carolus, vir in omni dispositione imperij strenuus, dilatato imperio, & pace Francis vsquequaque composita, anno incarnationis Domini DCCCLXIII. Aquisgrani moritur, & sepelitur XIII. anno postquam Imperator acclamatus est, simul omnes annos XLV. & eo amplius regnans. Bernardus Viennensis episcopus erat, & Leidradus Lugdunensis, qui initio imperij Lodouici imperatoris, Suessionis monasterij locum petiit, & in loco eius Agobardus eiusdem ecclesiæ chorepiscopus, consentiente imperatore & vniuersa Gallorum episcoporum synodo, episcopus substitutus est. Quod quidam defendere volẽtes, dixerunt, Eundem venerabilem Agobardum à tribus episcopis in sede Lugdunensi iubente Leidrado fuisse ordinatum. Sed canonica auctoritas est, in vna ciuitate duos episcopos non esse. Nec viuente episcopo successorem sibi debere eligere. Ac idcircò illa quacunq; causa regulæ ecclesiæ præteriti in tanto ordine fixæ non debent.

815 Ludouicus imperator, Caroli imperatoris filius, re-

Margin notes: Dona Persarum ad Carolum. — Horologii miri artificij. Regino lib. 2. Annal. — Reliquiæ Cyp. & Scillitanorum. — Sarraceni cum Sardis præliantur. — Adulphus redimitur. — Synodus Aquisgrani. Processio S. S. — Pippinus, Venetias subiicit. — Eclipsis bis in anno. — Pharus Boloniensis restauratur. — Concilia quinque habita sub Carolo. — Bernardus. — Leidradus. Episcopos duos non capit vna ciuitas. — Ludouicus Imp.

gnauit annis paulò minus xxviij. amator totius pietatis A & religionis, omnem ordinem ecclesiasticum pio studio exornans. Hic ingressum imperij secunda & placida quiete habuit: porrò finis eius multis incommoditatibus & aduersitatibus fatigatur. Hic inter alia mirifica & nimis honoranda opera sua in omni imperio suo, siue in Gallia, siue in Germania, siue in Italia, legatos dedit, qui pauperum & oppressorum iustitias diligenter quærerent, & singulorum necessitates ad plenum audirent. Episcopales etiam synodos propter reintegranda sanctorum patrum statuta, & Christianarum regularum obseruationem vbique fieri decreuit. Sed eius pia studia malignorum insidiæ impedire plerunque moliuntur. Nam longa quies perfidiam, perfidia rebellionem, rebellio discrimen imperij pariunt. Huic piissimo imperatori ex Hermengarde regina tres filij, quorum primogenitum B Chlotharium, primò Cæsarem, deinde consortem imperij adscribit: cui & Italiam ad regendum commisit. at Pippinum, Aquitaniæ regem facit: tertium Ludouicum Baiouariæ regem constituit. Cùm igitur omnis potestas Francorum sub moderato otio studeret, & regimen vicinis gentibus imponeret, quidam tantam spem boni non ferentes, vxorem nomine Iudith dilectam Imperatori factione sua abripiunt, eámque ex latere viri in Aquitaniam sub custodia transponunt. Quæ licet ad viri thorum redierit, ebulliens tamen quorundam malitia non quieuit. Quæ vsque adeò creuit, vt vna cum pontifice Romano non solùm proceres regni, sed etiam natos eius aduersus Imperatorem promoueret. Nã ab eo vniuersus populus deficiens, ad filios eius se transtulit: ipse tentus sub custodia, indecẽter recluditur, ac arma ei auferuntur: vxor ipsius in Italia seruanda committitur. C Sed nutu diuino post tot aduersa secunda succedũt. Populi versi ad pœnitentiam causam facti in melius commutant, & eundem ipsum Imperatorem in honore pristino reponunt, & pristina dignitate reuestiũt. Filij quoque eius pro commisso veniam exposcunt, Chlothario iam Imperatori, vt extra Italiam, nisi iubente piissimo patre eius, nullo pacto procederet indicitur. Sed variãtia tempora nunc aduersa, nunc prospera minãtur. Pippino his diebus denique mortuo, ad componendam Aquitaniam vna cum vxore quam iam receptam habebat, & ex qua inclytum filium Carolum susceperat, cum exercitu ingreditur: quia contra voluntatem eius, Aquitani filium Pippini, Pippinum nomine regem sibi fecerant. D Cùm illic esset Imperator Ludouicus, ex primo matrimonio Ludouicus, tertius filius eius iam patri iterum aduersus, primos Germaniæ perfidè sibi iurare cõpellit. Hoc misso Imperator accepto, commisso Aquitaniæ regno maioribus Francorum & inclyto Carolo filio suo rege Aquitanis dato, vxoréque sua gratissima ibi dimissa, ocius ipse occursus filio, in Germanias exercitus sui copias transponens ingreditur. Ibi pacem regni aliquibus diebus disponens, aduersa valetudine fatigatus diem clausit vltimum, anno ab incarnatione Domini, DCCCXL. Corpus eius ab episcopo Drogone fratre eius ex alia fœmina, simul & à primoribus Francorum Mediomatricum delatum, atque in ecclesia beati Arnulphi confessoris conditum est. Huius Imperatoris tempore, pars corporis beati Sebastiani martyris ad Suessionicam vrbem delata: vbi multa mira in laudem Dei omnipotentis varia genera sanitatum infirmis collata. E Ossa quoque beatorum martyrum Hippolyti & Tiburtij ab vrbe deportata, in ecclesia beati Dionysij martyris in territorio Parisiensi digno honore condita. Bernardus adhuc & Agobardus Viennensem ecclesiam & Lugdunensem regebant. Qui ambo apud Imperatorem delati, desertis ecclesiis in Italiam, ad filium Imperatoris Chlotharium se contulerunt, & postmodum piis Imperatoribus agentibus, Agobardus Lugdunensem, Bernardus Viennensem sedem recepit: post paucculos annos Agobardus apud Sanctunas in expeditione regia positus defungitur.

Pauperũ & afflictorum patronus Ludouicus.

Iudith imperatrix rapitur.

Ludouici interitus.

Reliquiæ Stephani, Hippolyti & Tiburtij.

Agobardus.

A Lotharius imperator, filius piissimi Ludouici Imperatoris, annis xv. Huic pater imperium post mortem suam decreuerat: sed sinistris consiliarijs idem vsus, animum patris non parum lædens, pro integritate vix partem regni obtinere meruit. Siquidem iterum pius pater, memor inflicti vulneris, imperium diuidens, iuniori Carolo maiorem partem primoribus sacramento firmatis disposuit. Lotharius itaque post humationẽ gloriosi patris, sequenti anno ab Italia egressus, tum imperium arripere molitur. Ob id aduersus fratribus in prælium Fontaneticum eos concitat. Iuncti duo aduersus vnum, heu omnibus Christianis lamentabile bellum & sociale ac ciuile conserunt. Non armis dissimiles, nõ habitu gentis distincti, solùm castris obuersi. Francorum innumerus populus acie gladij feritur, & olim gentibus B cæteris formidabilis, in vulnere suo bacchatur. Cruenta victoria, duobus tamen fratribus inscribitur. Tertius elabitur, atque Aquisgrani in regiam tandem se recepit. Gloriosus deinde rex atque inclytus iuuenis Carolus, non longè pòst, impigrè vnà cum fratre Ludouico rem cœptam accelerat: atque Lotharium fratrem Imperatorem ab Aquisgranis terrent. Qui nimis celeritate vnà cũ vxore ac filiis vsque Lugdunum ac Viennam progreditur. Ibi receptis copiis, aliquantulum substitit. Et discurrentibus legatis ad colloquium, tres fratres in insulam quandam Sequanæ veniunt: ibi sub quodam pacto imperium inter se diuidere statuunt. Sic Lotharius Imperator in superiorem Franciam reuertitur. Diuiso postmodum imperio, vnusquisque eorum ad partem suam regendam & disponendam progreditur. C Non multò pòst Lotharius filium suum Ludouicum, quem in Italia regem fecerat, vt Imperatoris nomen sortiretur, per Drogonem patruum Romam misit. Cui Sergius iam tunc Pontifex coronam imposuit, acclamante vniuerso populo, Imperator & Augustus est salutatus. Lotharius imperator infirmari se conspiciens, regnum inter filios diuidit. Carolo minori Prouinciam & partem Burgundiæ: Lothario medio filio sedem suam: Ludouico imperatori Italiam consignare iubet. Ipse verò in Prumiæ monasterium, regno temporis se exuens ingreditur tõsuratus, & monachus effectus, aliquot diebus interpositis defungitur, anno ab incarnatione Domini DCCCLXV. imperij verò xxiij. Atque ibi in basilica sancti Saluatoris à fratribus reuerenter humatur. Huius imperatoris tẽ- D pore ossa beatissimi Andeoli martyris ipso reuelante, reperta in loco qui antiquitus Gentibus dicitur, in Viuariensi parochia sito. Bernardus Viennensis episcopus, sub huius imperio moritur, & Aglmarus Viennensem suscepit episcopatum. Amulo quoque Lugdunensis episcopus efficitur. Et pontifex Romanus Gregorius moritur, atque eius loco Sergius ordinatur. Illo defuncto Leo succedit. Quo obeunte Benedictus in sede apostolica substituitur, iam tamen defuncto Lothario imperatore. Sub huius imperatoris tempore, Segart Beneuentanorum dux à suis interficitur, & ab interfectoribus Sarraceni à Beneuentanis euocati, intra ciuitatem Beneuentum recipiuntur.

841 Lotharius.

Ludouicus coronãdus Romam vadit.

865 Reliquiæ Andeoli.

E Ludouicus imperator in Italia. Hic post obitum patris, viij. anno, mortuo fratre suo Carolo minore, & Lugduni sepulto, in monasterio sancti Petri, in ecclesia sanctæ Mariæ semper virginis cum fratre Lothario regnum fratris mortui partitur. Accepit autem partem Transiurensis Burgundiæ simul & prouinciam: reliquam partem Lotharius rex sibi retinuit. Anno incarnationis Domini, dccclj. iubente patre, Ludouicus imperator in ducatum Beneuentanorum contra præsidia Sarracenorũ exercitum mouet, & interfecto duce Sarracenorum Amalmater Beneuentum recepit. At Lotharius rex frater eius, à prauis consiliariis deceptus, diu de duarum fœminarum connubio vacillando penè totam ecclesiam contra se concitauit. Ob id duo metropolitani episcopi, Treuericus, & Colonicus, Teutehgaudius & Guntharius sententia apostolica damnati. Cætus

Bigamia agitatur.

A synodales subindè euocati. Patruos eius præclarissimus
in regibus Carolus, cùm ei saniori consilio semper consulere
vellet, nihilominus iuuenilis animos ad voluptatem
præceps resisteret, tandem vincere volens, extra cōsilium
Italiam ingressus, ad fratrem imperatorem ite
Beneuentum aggreditor. Pissimus rex Carolus in hoc
itinere eius assensit, si fortè vel consilio pontificis Romani
superatus tandem, à re illicita quiesceret: plurimis
tamen episcopis Gallorum contradicentibus, qui spiritu
Dei tacti periculum generale in ecclesia Dei oriri timebant,
ne pontifex Romanus fauoribus inclinatus à
definitionibus pietatis exorbitando, Romanæ ecclesiæ
vulnus erroris infligeret. Perrexit secūdum libitū suum,
egit apud ecclesiam Romanam quod ei pro tempore iustom
visum. Sed eùm rediret, falsis spebus inertatus, di-
862 uino iudicio infirmatus, vsque Placentiam ciuitatē peruenit,
ibiq; defunctus, in ecclesia beati Antonini martyris
sepelitur. Aono dccclxij. regnum eios gloriosi patrui
eius inter se diuidunt. At Ludouicus imperator ingressus
Beneuentum, anno incarnationis Domini,
dccclxviij. penè omnia castella & oppida Beneuentanorum
quæ à Francis recesserant, Sarracenisq; se iunxerant,
sub ditione sua recepit, loca sanctorum quæ impij
Sarraceni ac perfidi Christiani contaminarant, Deo adiutore
instaurando & restaorando purgauit. Nicolaus
Papa, vir religione præcipuus moritur. Ac in atrio ante
portas beati Petri, non longè à membris Benedicti prædecessoris
sui sepelitur. Cuius tempore translata sunt
membra sanctorum Eusebij ac Pontiani Viennensibus,
& in basilica Apostolorum reuerenter condita. Huic Adrianus
in episcopali ordine succedit. Pius & inclytus
rex Carol^9 aliquot annos aduersus Danos atq; Northmannos
variis euentibus dimicans, pontem miræ firmitatis
aduersum impetum eorum super fluuium Sequanam
fieri constituit, positis in vtriusque capitibus
castellis artificiosissimè fundatis, in quibus ad custodiam
regni præsidia disposuit. Huius pij regis studium penè
in disponendis causis ecclesiasticis hactenus viguit. Hic
ex regina Ermentrude quatuor filios suscepit: Ludouicum,
Carolum, Carlomannū & Lotharium. Ex his Deo
in clericali habitu duos obtulit, Carlomannum, & Lotharium:
sed Lotharius puer bonæ indolis, immatura
morte præreptus est: Carolus quoque vir satis honestæ
formæ iuuenis, rex Aquitanis iam constitutus, aduersa
primum molestatus & dehonestatus iniuria moritur.
Anno itaque incarnationis dominicæ, dccclxvj. regnan-
866 te eodem Carolo Ludouici filio, duo filii illius, vt dictū

Nicolaus Papa sepelitur.

Normánorum cum Gallis contentiones.

est, moriuntur. Lotharius abbas, & Carolus rex Aquitanorum.
Auunculus quoque eius Rodulphus consiliarius
primúsque palatij hominem exuit: necnon & Rodulphus
archiepiscopus Aquitanorum. Et duo principes
Aquitanici, Landricus & Muno inter se dimicantes
semet interimunt. Robertus quoque atque Ranulphus
viri miræ potentiæ armisq; strenui, & inter primos ipsi
priores Northmannorum gladio necantur. Deniq; Lotharios
ante obitum patris sui Ludouici imperatoris,
xviij. anno vnctus ab imperatore tres filios ex Ermēgarde
Hugonis filia habuit. Qui diuidens regnum patris cū
fratribus suis, accepit regnum Romanorum, & totam
Italiam, & partem Franciæ orientalem, totámque Prouinciam.
Ludouicus verò præter Noricam quam habebat,
tenuit regna quæ pater suus illi dederat, id est, Ala-
B mannìam, Thoringiam, Austrasiam, Saxoniam & Auarorum,
id est, Hunnorum regnum. Carolus quoque medietatem
Franciæ ab occidente & totam Neustriā, Britanniam,
& maximam partem Burgundiæ, Gotiam, Vasconiam,
Aquitaniam submoto inde Pippino filio Pippini,
& in monasterio sancti Medardi attonso. Qui postea
inde per fugam elapsus, in Aquitaniam regressus,
multo tempore fugiendo latuit. Iterúmque à Ranulpho
præfato per fidem deceptus est, & ad Carolum adductos,
Siluanectum perpetuo est exilio detrusus. Ludouicus
verò rex Noricorum, id est, Baioariorum, Ludouici
imperatoris filius, Anno incarnationis Domini, Norici.
dccclxxvij. regnum inter filios suos diuisit, Carloman- 877
num videlicet, Ludouicum, & Carolum, ipse tamen super
filios principatum tenens. Anno incarnationis Do- 879
C mini, dccclxxix. ex hac vita decessit, & mortuo iam filio
eius Carolo, reliquij filij regnum eius sequenti anno inter
se apud Ambianensem vrbem æqua sorte partiūtur.
Quorū alter, id est, Ludouicus, post tres annos moritur.
Porrò frater ipsius Ludouici Carolus Ludouici imperatoris
filius, Anno incarnationis Domini, dccclxxvij moriens
reliquerat filium Ludouicum, qui eodem anno regnum
suscepit paternum. Quo tēpore Ioannes Papa in Io. papa venit in Gallias.
Gallias venit. Et apud ciuitatem Trecas diu moratus est,
habuitque synodum episcoporum in qua Immaurus
Lauduni Dauitti episcopus, post auulsionem oculorum
suorum episcopatu est donatus. Ludouicus quoque filius
Caroli, Carolum qui dictus est Simplex hæredem Carolus simplex.
regni puerum dimisit. Qui Ludouicum ex Eagina Anglorum
regis filia, antequam captus esset, genuit.

Adonis Viennensis Chronicorum finis.

EGESIPPI SCRIPTORIS ANTIQVISSIMI, NECNON GRAVISSIMI, DE BELLO IVDAICO ET VRBIS Hierosolymitanæ excidio libri quinque.

Lectori, Renatus Laurentius Barrensis.

CVm verissimè scriptum sit à Plinio, historiam quomodocumque scriptam delectare, præsens hoc historicum opus multis nominibus studioso lectori placiturum sum arbitratus. Complexus est hoc opere auctor breuiter & arguté, quæ copiosè à Iosepho septem libris de bello Iudaico, & in Antiquitatibus sparsim referuntur. Explicat etiam non minus religiosè, quàm verè, à Iosepho de seruatore nostro Iesu Christo prætermissa, vel obiter, quod esset fortasse à fide nostra alienum, indicata. Adhæc belli causas paucis reuoluit, fontes maximarum calamitatum eruditè commonstrat, cur populus ille à Deo singulariter quondam electus, multúmque dilectus, tam grauiter attritus fuit, Hierosolyma euersa, non solum (vt Plinius ait) vrbium totius Orientis, verumetiam si insignia Dei spectes beneficia, totius orbis longè clarissima: templum deletum; sacra ablata. Gentis politia, quæ per tot annos steterat penitus sublata. Quarum rerum non otiosa consideratio præstantissimum, qui ex cognitione historiæ peti solet, fructum, pio prudentique lectori affatim suppeditabit. Quod opus elegantissimum, summáque fide ac diligentia conscriptum, atque adeò pro captu ætatis illius eloquentissimum, titulum hactenus prætulit Egesippi: eius tamen esse Egesippi Apostolorum temporibus vicini, cuius Eusebius, Sozomenus, Theodoretus, Hieronymus meminerūt, probabile nō est multis de causis, quarum aliquas paulò post subiiciemus. An verò alius quispiam fuerit posterioris ætatis Egesippus huius operis auctor, an verò scriptor ipse, aut alius quispiam, vt opus esset commendabilius, Egesippi nomen indiderit, compertum nō est: neque illud constat, an græcè primum scripserit, & posteà ab Ambrosio, vel alio quopiam viro erudito sub eam ætatem in linguam Latinam sit conuersum. Quod autem non sit illius prisci Egesippi, hinc apparet: Primum, quòd Eusebius & Hieronymus quinque tantùm cōmentarios siue libros Egesippi commemorant, qui actiones Ecclesiasticorum historiam complectantur: ex quibus Niceph. pleraque desumpsit de Iacobo fratre Domini in cap. 38. lib. 2. cap. 10. lib. 3. Domitianum Dauidis posteros agnatósque saluatoris perquisiuisse ad cædem, quod

ex iis aliquem Imperatorum audiuisset: Item cap. 26. eiusdem libri dicitur Egesippum permultas apostolicas traditiones reliquisse, mandasséque scriptis quibus in primo idola & simulachra statuerunt: ac deinceps quibus xenodochia & templa construxerint. Tū cap. 7. lib. 4. quod caput totum est de Egesippo & scriptis ipsius. hic vero auctor, præter hosce quinque libros alia quoque se scripsisse testatur, qui ipsi quinque libri non Ecclesiasticorum actuum à passione Domini, sed Iudaicam historiam inde vsque à Machabæis vsque ad excidium Hierosolymitanum exponunt. Adde quod Hieronymus Egesippum simplici stylo scripsisse dicat, hic verò auctor grandi, operoso & penè affectato dicendi genere vtatur. Accedit his omnium euidentissimum argumentum, quod hic scriptor se ætate posteriorem esse prodat: meminit enim Constantinopolis, cui par Romanæ ciuitati dignitas sit attributa, quod primum in concilio Constantinopolitano, Gratiano & Theodosio Impp. factum legimus. Ex quo hunc scriptorem horum Imperatorum tempora secutum manifestè conficitur. cùm Egesippus duobus circiter seculis antecesserit; quare ad hunc auctorem hæc narratio referri non potest. Quòd si fortè quis dicat, Egesippum illum aliquid huius argumenti scripsisse, quod Eusebium & Hieronymum latuerit, illis ipse postmodum Latinus quispiam non tam conuerterit, quàm exercitij causa dilatauerit, & amplificauerit, & in hanc formam, quam modo videmus, redactum, Egesippi nomine in lucem ediderit, parum certè probabilitatis habet hæc oratio, quòd nec Eusebium & Hieronymus illud opus latuisse verisimile est, viros in perquirendis veterum scriptis diligentissimos: neque hunc scriptorem tam incogitantem & negligentem fuisse, vt omnis decori oblitus, ea Egesippi nomine scripsisset, quæ ille nomine omnium ob longissimum temporis interuallum conueniunt. Quisquis vero tandem is fuerit, non adeò referre puto, aut de hoc solicitè inquirendum, & anxiè disputandum, cum de scripti veritate, operis dignitate, fructúque satis constet.

EX TRITTHEMIO DE SCRIPT. ECCLES.

EGesippus natione Iudæus, ad fidem Christi conuersus, doctrina & sanctitate in Ecclesia Dei admirabilis effulsit, cuius festum cum ceteris sanctis in martyrologio locum obtinuit. Scripsit nonnulla excellentis ingenii opuscula, de quibus ego tantum (ait idem Tritthemius) reperi, à tempore dominicæ passionis vsq; ad suam ætatem, opus insigne Historiam Ecclesiasticorum actuum, lib. v. cuius initium Bello Parthico &c. Aliud operum eius nullum vidi. claruit, vicinus Apostolicorum temporū sub Antonino pio, Anno domini 160.

AVTHORIS PROLOGVS.

*QVATVOR libros Regnorum, quos Scriptura complexa est sacra, & iam ipse stylo breui prosecutus vsque ad captiuitatem Iudæorum, murique excidium, & Babylonis triumphos, historiæ in morem composui. Macchabaorum quoque res gestas propheticus sermo paucis absoluit: reliquorum, vsque ad incendium templi, & manubias Titi Cæsaris, relator egregius historico stylo Iosephus, vtinam tam religioni & veritati attentus, quàm rerum indagini & sermonum sobrietati. Consortem se enim perfidiæ Iudæorum in ipso etiam sermone exhibuit, quem de eorum supplicio manifestauit, & quorū arma deseruit, eorum tamen sacrilegia non dereliquit. Deplorauit flebiliter ærumnam, sed ipsius causam ærumnæ non agnouit. Vnde nobis curæ fuit, non ingenij ope fretis, sed fidei intentione in historiam Iudæorum vltra Scripturæ seriem sacræ paulisper introrsum pergere, vt tanquam in spinis rosam quærentes, inter sæua impiorum facinora, quæ digno impietatis pretio soluta sunt, eruamus, aliqua vel de reuerentia sacræ legis, vel de sanctæ religionis constitutionisque miraculo, quæ magis, licet hæredibus, vel in aduersis ostentui fuerint, vel honore prosperis. Simul (quod est indicium domesticæ improbitatis) liqueat vniuersis, quòd ipsi sibi propriæ cladis autores fuere. Primum, quòd alia curantes, Romanos in se conuerterint, & ad cognitionem regni sui inuitauerint, quibus ignorari satius fuit. Rogauerunt amicitiam, fidem non seruaturi. Pacem violauerunt virtute impares. Postremò bellum intulerunt, quibus spes omnis in manibus, non in viribus erat, cùm sit maximè omnium miserabile claudi obsidione. Quæ etiam si benè procedit sæpius augere quàm minuere pericula solet. At ne quis vacuum fide & superfluum putet nos suscepisse negotium: ideò per principes ductum Hebræorum genus omne consideremus, vt liquidò clareat virum à * femoribus Iudæ, nusquam generationis eius successio claudicauerit: an vero offenderit in principum serie, sed manserit in eo, cui reposita manebant omnia, & ipse erat spes gentium. Hinc ergo sumam exordium.*

Iosephus plus indagini rerum & sermonū sobrietati, qui religioni & veritati attentus fuit: Niceph li 2. cap 18.

Iudæi sibi ipsis cladis authores fuêre.

Miserrimū omnū obsidione claudi.

* Femorib⁹ iuxta illud Gen. 49. Non auferetur &c.

CAPVT I.

Sacrilegij dolor belli parthici principiū.*

* Ἐπιφανής. Qui magn⁹ dictus est. Antiochus. Hebræorū ritus negligi. Matathias sacerdos à sacrilegio temperat.

BEllo Parthico, quod inter Machabæos duces, gentemq; Medorū diuturnum ac frequens variáque victoria fuit, incentiuum principium dedit sacrilegij dolor, quia rex Antiochus, cui nomen illustris, Antiochi regis * filius, vbi Ægyptū quoq; suo imperio adiunxit, in superbiam elatus, quod et incerta bellorū prosperauisset, ritus Hebræorū negligi, ministeria quoq; eorum profanari iusserat: idque postulantibus plerisq; Iudæorum, statuere ausus. Quod factum Matathias sacerdos perpeti nequiuit. nec solùm ipse téperauit a sacrilegio, regalíq; edicto non obtemperauit, verú etiam immolantem simulachris hostias de popularibus suis natiis gladio transuerberauit. Et congregata manu, neque Asidæis in societatem ascitis, ipse cū filiis suis temerátores vsum patrium, & iustitias legis, alios necauit, plerosque expulit, bellique sabbato adoriēdi autor fuit, A ne simili arte ipsi quoque deciperentur sicut iam plerique eorum dum sabbato bellum suscipere detrectant, irruentibus in sese hostibus multi occubuere. Potētiam prosperi actus dederunt, & perseuerandi in vito vsque ad extremum vitæ studium defensionis & pietatis vigor. Sed cùm sibi supremum diem adesse intelligeret, vocatis ciuibus atque assistentibus liberis, hortatus est, vt tuerentur patriam, templíque religionem, ducémque his Iudam Machabæum curæ atq; solicitudinis suæ successorem reliquit: B Qui bello strenuus, consilio bonus, ac præ cæteris fide promptus, quam frequenter innumeras hostium copias parua manu fuderit, prosequi, non est præsentis negotij. Quod tamē breui colligere datur. Sæpè prosperis vsus successib⁹, excitauit in se magnam hostiū multitudinem: qua circumfusus vndique dū cedere pudori existimabat, refugientibus sociis in prælium ruit. Cæsisq; quos aduersus ierat, à latere circūuentus, sed tamen vltus propriá morté, occiditur. Hunc successit Iona-

Mach 1.lib. cap 2. Matathias belli sabbato adoriendi autor fuit.

Iudas Macchabæus Matathiæ patri successit. Post Iudam Ionathas

thas, non minus virtutis similitudine par, quàm naturæ germanitate. Qui post multa in bellicis rebus opera, in rebus sacris officia, quæ circa templi purificationẽ spectata ac probata sũt, * frequenta per dolum amicitiæ fide intra vrbẽ hostium clausus, nec lõgo pòst interuallo necatus est. Ioãnes etiã senior natu frater, & Eleazar iunior cæteris pro religione mortẽ non recusarũt. Post hos rei summã Simon recepit, ad quã non rudis, sed iam probatus fraternę societatis triumphus appropinquauit. Vtinã & ipse tam perspicax ad fraudes cauendas, quàm manu validus, bellandique artibus satis spectatus. Etenim cùm virtutis ope Romanorũ Ducibus Regibúsque gentium amicitiam fœderauisset, Ptolomæi dolo generi sui rogatus ad conuiuiũ, inter mensas & pocula cum duobus filiis, qui aderãt circumuentus, atque exutus armis impiè necari traditur. Sanè præuenit insidias Ioannes ortus ex Simone, cui nomen Hyrcanus, & properauit ad vicinæ vrbis mœnia, vbi à populo propter egregia patris merita, odio quoq; hostibus sceleris, expectabatur. Vix deniq; vrbẽ ingressus est, & iã Ptolomæus aderat. Sed cum per aliã portã ingredi vellet, repulsus, multitudini cedẽdum existimauit. Assumpsit illicò Ionathas paterni sacerdotij munus, & ad cultum rerũ diuinarũ profectus, statim pietatis obsequia coràmq; seruandæ necessitudinis exequebatur, matrem cupiens, fratrésque periculo auferre. Cõgressúq; superior factus, iustæ passionis affectu superabatur, quo minùs castro potiretur, in quo clausi detinebãtur. Nam Ptolomæus vbi se vrgeri videbat, matrẽ eius atque germanos in muris locabat præcipitandos illicò, nisi Ionathas bello quod inferebat, desisteret. Vincebatur iouenis pietatis metu, qui vincebat fortitudinis assumptionẽ, & iracundiam excitatã in hostem, reuocabat suorũ misericordia. Mater tamẽ parata ad tormenta tẽdebat manus, obsecrans non salutis auxilium, sed vltionis solatium. Verebatur.n. ne filius plus matri metueret, quã paternæ vindictæ impẽderet. Sibi mortẽ illam loco immortalitatis futurã, qua maritus vindicaretur, & gener impius pro scelere immani pœnã exolueret. Sed iuuenis plus intra seipsum, quàm in hostem præliabatur. Nam quoties patrem cogitabat, accendebatur. Rursum cùm matre verberari atq; ad necem aptari videret, mollebatur: reuocabat impetum, referebat gradum, quia retrahebat passio inter obsidionis moras feriatus ex lege, superuenit annus, qui erat septimus, Cessit pietas religioni, soluta obsidio est: sed eo magis Ptolomæi excitata immanitas, vt quorum obiectu pœnam euaserat, eos iugulari iuberet, qui continuò se vltioni exemit, ad Zenonem, cui nomen Cotilæ Philadelphiæ regem cõfugiens, vt eius ope sese tueretur. † Nec Antiochus quieuit, qui Simoni patri Ionathæ ludibrio suos fuisse exercitus indignabatur: Cupiẽsq; adhuc assurgentes Ionathæ primitias extinguere, cũ magna veniens manu Hierosolymã, Hyrcanũ obsedit. Repulit Hyrcanus auro, quẽ ferro nequiebat, reseraróque (vt Iosephus autor est) Dauid sepulchro, † tria millia auri talenta eruit: Ex quibus trecẽta annumerauit Antiocho, vt obsidionem relinqueret, vt pretio emptus abiret. Atque vt facti inuidiam leuaret, fertur ea pecunia Hyrcanus instituisse primus xenodochia, quibus aduentum susciperet pauperum peregrinorum. Aucupatus etiam Antiochi necessitatem, qua Medis bellum inferebat, vltus dispendium est: plurimásque vrbes Syriæ sibi adiunxit Samariam quoque, vbi posteà Sebastia condita est, circundedit munitionibus, cuius expugnationem Aristobulo & Antigono filiis suis mãdauit. Quorum obsidio lenta vsque ad diram famem, & terra alimenta humanorum cadauerum clausos coëgit. Qua impulsi necessitate, opem ab Antiocho (cui nomen Aspondius) petendam arbitrati, ferentem adiumenta ærumnæ societati implicauere. Victus enim à fratribus prælio, fuga sese eripuit nece. Samaritani autem repetita obsidione, captáque & euersa vrbe, seruitio dati. Quo rerum secundarum processu excitati Aristobulus atque Antigonus, impetum non refrigerabant, sed

* al. prætẽtata significat tryphonẽ tyrannum prætexisse dolo beneuolentiam. Simon dolo traditur.

Post Simonẽ Ionathas qui & Ioannes. Ptolomæus Ionathæ matrẽ germanosque muris præcipitabat.

† Cognomine suteres. Antiochus Hyrcanum obsidet. Iohannes qui & Hyrcanus sepulchrum Dauid distrupit. 3000. talenta & coronatorum decies octies centena millia. Hyrcanus primus xenodochia instituit. † al. cognominatur Cyzicenus frater autẽ fuit Antiochi griphi, quorum pater Demetrius Nicanor.

A adiungere sibi finitimos bello coactor haud quaquam dissimulandum arbitrabantur, donec inuidia oborta, bellum immane exarsit, conspirantibus locorum incolis, & concta valida manu. Quæ tamen victa profundam in reliquum tranquillitatem Iohanni exhibuit, & sibi otium. Hyrcanus trigesimo & primo anno longæ quietis grata functos, diem clausit extremum, quinque liberis superstitibus, quod à plerisque beatitudini datur: moderator egregius, & pulchrè sobrius, qui nihil vnquam † vel fortunæ euentibus dereliquerit, in quo actos eius obfuscaretur: vxori summæ rei commisit negotia, ipsam consultius ratus rebuspublicis moderaturam, filios præscientia quadam animi tenens non diuturnos fore, nec eum fefellit opinio.

† Id est fortunæ nihil vnquã permisit iuxta illud Cic. in parad. sapiẽs suæ faber est fortunæ.

Siqvidem Aristobulus, cui inter fratres ætas † B prouectior, mens promptior, principatum sacerdotij ad regni potentiam vertit, & diadema primus imponere sibi vsurpauit: post quadringentos septuaginta quinque annos, triúmque curricula mensium, ex quo de Babylone remeans Israël seruitio exutus, in suam terram sese recepit. Superbè itaque nec parem ponere cæteris contentus fratribus solum Antigonũ honoris specie quem videbatur diligere, mulcebat: Matrem (quia potestatis exortem, & iudicio viri fraudatam se expostularet) alligauit vinculis, & vsque eò processit immanitatis parricidali spiritu ferox, vt & ipsam, & fratres suos simili modo vinctos arcta custodia detineret, quò prope vsq; ad mortem, suprema fame compellerentur, ni maturiùs Aristobulus scelesti parricidij merita soluisset: ac primùm in ipsum Antigonum ferus animus exasperatur, & C de amore in odia conuertitur, vt eum ante omnes necaret, quem solum sibi consortem imperij pollicebatur, adeò apud improbos affectus vilis, vt cito prauis suggestionibus extorqueatur.

Cap. I. † Aristobul. primus diadema vsurpauit. Ioseph. li. 1. cap. 3. De bel Iud. 481. annos & tres mẽses numerat.

Dignvm igitur vt crudelitatis eius seriem non prætereamus, quò iudicium Iohannis etiam post mortem probetur, qui summam publicæ rei seniori committendam filio haud quaquàm existimauit, quem iãto declinaturum furore à pietatis lege & norma iustitiæ prouidebat. Haud scio, morum ne eius contuitu, an infusa gratia sacerdotum principibus, vt his aliqua quæ futura erant, etiam minus dignis infunderentur. Facinus miserabile fuisse, qui fratribus inuiderent amorem naturæ, inde mali prima oborta est labes, inuidiæ cõmenta consecuta huiusmodi sunt.

Cap. II. Ioãnes summam Resp. seniori filio cõmitti noluit. Scelus est odisse fratrem.

D Composverant Primo alia, quibus fidem Aristobulus non detulit, & obtrectationem molliuit charitatis gratia, inuidiæ tribuens delationis amaritudinem. Ideò falsa veris admiscuere, vt ex his, quæ ad speciem veri assumpserant, renitentem circonuenirent.

Cap. III.

Scenophegia Iudæorum interim in terris ex lege celebrabantur, dies videlicet festus & plenus reuerentiæ, quo sacrificium solenne deferebatur. Eo die clarus militiæ gestis Antigonus domum reuertitur, & accidit, vt fratrem aduentiens inæqualem offenderet, illicò ad templum, ecquid enim præferret religioni: vt erat succinctus ornatu bellico, & circumfusus comitatu pari tẽdit: multus ibi pro fratris salute Domini precator, & inde ad fratrem sedulùs properat. Hinc calumnia componitur ex acerbo felle, & acerbiore paratur exitu. E

Cap. IIII. Scenophegia quæ sint. Antigonus apud Aristobuli fratrem falsò defertur.

· Continvo enim Regem adeunt improbissimi homines, & inuidiam excitant, quòd pompam armatorũ celebrationem, quàm priuatis mos est, direxerit, ostẽtui, vulgò futuram, ne quis conatibus eius obuiare auderet. Tanto apparatu non aliud nisi necem Regis, & vsurpandi imperij potentiam affectatam. Haud difficile æger animus inualido fessus corpore impulsus est, vt credibile duceret, quod pro vero asserebatur: maximè cum dies sacratus religioni, mendacij suspicionem excluderet, pompa excitaret, inuidiam, infirmitas metum adderet, armatorúmque cohors fidem patrandi sceleris impleret. Itaque priùs quàm sibi probaretur tentamentum aliquod flagitij parricidalis, stipatores suos cum armis

Cap. V. Hypogeũ, cellam subterraneam interpretatur Gelenius turris in bello Iud. obscurum transitum.

iubet in hypogeo locari obscuro, qui aduenientem Antigonum † dolo necarent, nec expectarent imperium Regis, sed ipsi extinguerent. Sanè mandato per nuncios præmisso, vt inermis veniret, eis indicij qualitatem nupta Aristobulo in aduersum mutauit, vt per illos coniuratos sibi insinuari faceret, Antigono fratrem eius delectatum esse armorum decore, quibus proximè accinctus assuetat, sed præ ægritudine intentiùs non considerasse: nunc petere omnem illum ornatum bellicũ, quem sibi composuit, ad fratrem † deferat, gratũ hoc regi futurũ, si armatus adesset. Antigonus dolum non præuidit, dicto paruit eo studiosiùs, quo magis placere Regi pariter & fratri desiderabat: decumbebat Aristobulos in castro, cui nomen primò Baris posteà Antonia fuit, videlicet ab Antonio triumuiro donatione & appellatione cum vrbis dignitate. Eò postquàm Antigonus appropinquauit, atque accessit ad illum obscurum transitum conspicientes armatum venisse, regij stipatores adorsi repentè iuuenem, præcepto satisfaciunt, atque imprudentem opprimunt. Is locus Stratonis turris appellabatur, quo deceptum vocabulo Iudam, qui erat Essenus genere opinio est frequens: quem siue probitate vitæ suæ, siue mystica obseruatione, sæpè, quæ futura erant, annunciasse historia vetus prodidit.

† dilori catent rectius legitur quo verbo vtitur Cicero atque adeo author ipse cap 25. eiusdem libri & eod. lib. 4.

† Conferat De essæis plura Iosephus Plini°, & Euseb.

Cap. VI.

Isvt accepimus, cùm vidisset Antigonum prætereuntem, vt fratrem reuiseret, dicit ad eos, qui numero discipulorum eius annectebantur: Papæ, nunc mihi bonum est mori, quando mihi mortua veritas est, viuit Antigonus, quem necesse est hodie interfici, locus autẽ eius nece decretus Stratonis turris, qui sexcentis hinc stadiis abest. † hóra iã diei quarta est. Tempore itaq; excluditur prædestinatæ mortis fides. Hæc vbi dixit, intentiùs ipse secum conferre cœpit, quomodo eum fefellisset opinio. Nec multo pòst indicium defertur interfectũ esse Antigonum in hypogeo ad Stratonis turrim, qui locus simili vocabulo æquè vt ille, qui erat in maritimis Cæsareæ, nuncupari solebat. Quo facinore patrato, Aristobulus secum ipse reputans, quid sceleris admiserit, in morbum ipse incidit. Erat in oculis parricidiũ, perturbatio in animo, nec alibi vllum interuallũ dissimulationi dabat. Defigebatur in imis visceribus dolor, inuidia in miserationem versa est, quò innocentem peremisset contra ius germanitatis, tanti sceleris immanitas mentem exulcerabat: non somnus oculis, nõ quies animo dabatur. Serpebat cæco vulnus dolore, coquebantur ægra præcordia, ac diræ solicitudines sauciabant inualidos artus, & crebro gemitu pulsabant alta nimis suspiria.

† Ioseph. l. 1. bel iud. cap. 3. & hoc ex supputatione Essenorum.

Cap. VII.

Itaqve immoderata mœstitudine eo prorupit morbi vis, vt † euulsis visceribus, sanguinem vomitu oris reiiceret: Quem puer aulicus, regiis vsibus † præbens ministeriũ, foras extulit, atque imprudẽs facti, quod casu potius quam industria gerebatur, ad eum locũ peruenit, in quo Antigonus fuerat extinctus, illic supra rorantes adhuc fraterni sanguinis maculas, percussoris sanguinẽ effudit. Clamor subitò factus & gemitus intuentium, eò quòd profunda quadam dispositione Domini libatus peremptæ scelestissimi parricidæ sanguis videretur: Sono excitus causam quæsiuit, cùm sileretur, elicuit studio quærendi & metu indignationis. Cuius accepto indicio, suffusos oculos lachrymis, & quantũ erat in eo virtutis, ingemiscẽs, haud, inquit, repẽditur meritis meis congrua vicissitudo. Neq; enim Dei oculũ tam impij machinator sceleris præterire poteram. Matura flagitij vltio subest, & iam digno conuenior parricidij mei pretio. Vale corpus, quousq; animam fratri martiq; condemnatam detines? Quid per partes eis libo meum sanguinem? in me omnis (si qua est pietas) contorqueat manu, spiculum, ac me omnes filij germaniq; † vltores pietatis gladio trãsfigant. Mactetur hostia parricidalis, atque immoletur violatæ necessitudini, totũ simul cato noxia sanguinem euomat. Non viscerum meorum cruciatibus & lenta tabe dæmonium exaturetur, quod me in tam nefarios ausus sæui facinoris impegit. His dictis finem imperij ac

† conuulsis † exhibens.

† Antigoni cadauer ad Aristob. fratris sanguinẽ clamorẽ emittit. Ioseph. li. 1. bell. Iud. 39. cap. 3.

A vitæ dedit. Vno anno functus potestate regia, propter quam parricidum non effugerat.

Cap. VIII.

Solvit illicò mulier, atque exuit vinculis fratres defuncti, Regem constituit Alexandrũ, cui & procera ætas, & moderatio suffragari æstimabatur. Qui vt regnũ adeptus est, fratrem, quem aduerterat regni † competitorem, statim interemit. Reliquũ, qui supererat ex fratrib°, vitæ ac saluti potiùs quàm regno intentũ, reseruauit, vacuũ negotiorum: continuóq; (vt se habet inquietudo morũ) bello pacẽ mutauit. Congressúque habito aduersus Lathyrũ Ptolomæũ, plurimos quidem hostiũ interfecit, sed ad Lathyrũ victoria defluxit. Cui tamẽ victoriæ fructũ ademit Cleopatra mater coacta in Ægyptũ concedere, vt mortem sibi imminentẽ euaderet. Eius absentiam aucupatus Alexãder, dũ regni eius partes inuadere B cupit, etiã Theodorũ in se cõuertit, quoniam potissima quæq; de eius possessionibus sibi associauerat. Improuiso itaq; impetu Theodorus Regias opes occupauit, X. millia quoque Iudæorũ prælio fudit, sed super plagam non fractus Alexander plura adhuc de hostium partibus suo imperio adiunxit, captarúque vrbium populos seruitio subegit. Ius bellãdi successus domestica seditio interpolauit, & orta de conuiuiis vsq; ad bellum contẽtio processit. Familiari peste huiusmodi Iudæorum viris, vt de epulari ludo sese in arma excitent, ac nisi peregrina auxilia Regi præstò fuissent, seditio præualuerat. Sed adtẽtiria manu ægrè licet, compressa est tamẽ, octo millib° fermè Hebræorũ interemptis, inde in Arabiam iter direxit, ac nonnullæ eius vrbes subactæ: tributa quoque Moabitis & Galaaditis iure victoriæ adscripta. Vnde reC gressus in Amathunta, Theodoru tantis eius successibus stupefacto, vacuum defensoribus castellũ inueniens, sine mora expugnauit. Non vsquequaque tamen otiosus Obedias Rex Arabum fuit, nec multa diu regni sui passus dispẽdia. Nam insidiis oportunè locatis omnẽ exercitũ eius deleuit, conclusũ vallis profundo, & multo camelorũ agmine attritum. Euasit tamen Alexander, & fugiens de prælio, Hierosolymitanæ vrbis receptacula petiit, inuisus suis quoniam recruduerant odia ærũnæ eius occasione, quia tãtæ potentiæ metu premebantur. Nec silentio tegebatur animorum discordia, † aut verbis tantũmodò exercebatur, prælio non vno, sed plurimis decertatum. Quibus extincta ferè L. Iudæorũ millia, quos Alexander interemit, suis, quàm hostibus perniciosior, D & maiore victor detrimento, quoniam regni sui vires vincendo attriuerat. Vnde nec ipse quidem iam suis victoriis delectabatur, auersúsque à prælio, arte tractabat sibi subditos, vt iam non armis premeret, sed verbis vrgeret, ac solis sermonibus offensionum genera dissolueret. Nihil tamen proficiebat ad colligendam sibi gratiam, quoniam fictis facinora præponderabant, atq; ipsa repentina conuersio ad pœnitentiam morúmq; inæqualitas sæua † passis suspecta habebatur.

† cupidiorẽ Ioseph. 1. bel. Iud. ca. 3. Antiq. 13. cap. 19. Alexander rex constituitur.

Hebræorũ 8000. interempta.

† vl ante. † haud.

Repentina conuersio suspecta habetur.

† Passim.

Cap. X.

Iudæi Demetrium Regem sibi asciscunt.

Denique cùm simulata eius placiditate se circumuenîri arbitrarentur, Demetrium regem sibi auxilio fotorum aduersus Alexandrum in bellum excitauerunt. Pugna in manibus, nec comperendinata, quamuis vni aduersum duos exercitus numero inferiore certandum E foret. Mille enim comitatus equitibus, & sex millibus peditum, quos mercede sibi associauerat. X. millia quoque Iudæorum sibi conspirantium in bellum accersens iuxta vrbem Sichimam occurrit hostibus, quibus tria millia equitum erant, & peditum XL. millia. Tentatóque vtrinque agmine, vbi neque Demetrius pecunia conductos desciscere à fide vidit, neque Alexander de Iudæis aliquos, quibus se Demetrius adiunxerat, deposuisse erga se odia cognouit, armis decernendum existimauerunt. Superior bello Demetrius factus plurimo tamen suorum sanguine. Namque ab his, qui è diuerso mercede conducti venerant, egregiè bellatum, vt ita vsque ad mortem virtute ac fide decertauerint. Destitutum itaque sese Alexander videns, cæsis suorum cateruis, in montes concessit. Sed præter vtriusque spem ad

alterumi eorum species victoriæ peruenit, fructus alteri partus, quia & Demetrius nudatus est discessu Hebræorum, qui eundem ad societatem rogauerant, & Alexandro ex ipsis VI. millia sese adiunxerant, more quodam humani ingenij adstipulantibus ad misericordiam rebus aduersis. Cessit itaque Demetrius ei, quem bello vicerat. videns illum affluentibus paulatim Hebræis iam pugnæ idoneum, seséque cũ paucis relictum. Cuius victoria libertate assuetis † damnationis metũ mouebat. Redit Alexandro sæuitia cũ securitate, regnumq; in suos, & vsus belli reformatur. Quærenti ab his quidnã faciẽs, animos sibi plebis conciliaret, responsum est, si moreretur. Vix enim † fore cũ mortuo, tam graui perpessi vt in gratiam reuerterẽtur, vt odia aduersus defunctum deponerent. Quibus excitatus, rebellãdique assuetudine, multis necatis reliquos coëgit in vrbem, cui nomen Besemelel. B Cuius expugnatio acerbiorem solito pestem inuexit, iam sæuo crudelitatis processu, vt ex eo numero octingentos in media ciuitate crucifigeret. Quorum in conspectu coniuges eorum filiósque iugulari præcepit.

† dominationis.

† forti melim Missẽlim Ioseph. bel. Iud. l. 1. cap. 3.

Cap. xi. Hæc spectabat accumbens in medio concubinarum lætus inter escas & pocula, sed magis sanguine quã vino inebriatus, hoc solo facto amplius populũ quã bello deterruit: ita vt proxima nocte Iudæorũ VIII. millia vltra Iudæam discederent, quibus fugæ finis mors Alexandri foret: tantiq; horror mali quietem regno attulit. Sed vbi à domesticis feriatum prælijs exorta est ei causa inquietudinis, Antiochi aduersum Arabes expeditio, quam sibi terribilem & periculo futuri arbitrabantur. Hic est Antiochus, qui etiam Dionysius appellatur, Demetrij frater à Seleuco vltimus, cui transitum negare cupiens Alexã- C der, inter vrbem Antipatridem & Ioppes littora foueis ingentibus ductis, muróque altissimo, turribus quoque è ligno impositis, elusit operam magno suorum labore, nullo hostis impedimento. Siquidem negotio facili repletæ foueæ, torrésque exustæ, ipse quoq; Alexander fuga sibi consuluit, eò tutior, quia nequaquam tanti † existimatus, vt eum victor † Principis loco persequi deberet. Nam secundis partibus reseruatũ, vt itineris obstructi iniuriam acceptam vlcisceretur. Rectum autẽ in Arabas iter direxit, quorum Rex in loca prælio opportuna sese contulerat. Deindè subito conuerso equitatu, maxima vi ac multitudine effusas, ac sine ordine ruentes hostium turmas inuasere. Certatum acriter, quod ad Antiochus restitit (renitebatur enim) quãuis exercitus eius D quasi more pecorum obtruncaretur. Vbi verò & ipse cecidit (nam præ cæteris sese offerre solebat periculis) auersi omnes, quorum maxima pars incerto fugæ dispersa extinguitur reliquis in vicum, cui Annana nomẽ, coactis, atque alimentorum inopia consumptis: vix paucissimi ex his tantæ cladi superfuere.

Alexander fuga sibi consulit.

† al. æstimatus.

† al. principe. 42.

Antiochus occiditur.

Cap. xii. Hoc successu Aretas etiam à Damascenis ad regnandum expetitus, vt Cœles, Syriéq; imperitaret, quo Ptolomæum excluderẽt, quem maximè infestis odijs persequebãtur, nec Iudæam immunẽ reliquit incursionis, de qua victor, licet superato Alexandro, secundum vtriusq; tamen partis conuentũ discessit, ac reuertitur in sua, Alexander autem Pellam euertit, & Gerassem petiit iterum de Theodori possessionibus aliquas sibi adiungere parans, eáque sibi bello vendicauit. Inde in Syriam pro- E gressus, Gaulanẽ & Seleuciã & * Gamalam euertit vltus superioris belli cõtumeliã, ipsas quoq; Antiochi munitiones diruit. Quibus ex locis iter in Iudæam conuertit, ac præter spem cum gaudio totius gentis suscipitur pro mirabili successu rerũ gestarum: vbi parta bellandi quies exordium tribuit ægritudinis, atque aliquãtulum quartanis febrium vicibus affectus, leuato paulisper incõmodo, dum negotia repetit militaria, nec modũ seruat, animo validior quàm corpore, comminuit omnem suæ vigorem salutis viréisque absumpsit, atq; ita mortuus est. viginti itaq; & sex annis vario rerum euentu aduersum innumeros bellorũ tumultos regnum tenuit, & duobus liberis superstitibus, decessit, quos impares regni existi-

Cap. xii. Aretas. Ioseph. lib. 1. bel. Iud. cap. 4.

* Gamellã In ratione temporum varias Ioseph. lib. 1. cap. 4. bel. Iud.

A mans gubernaculo, summam rem vxoris propriæ delegauit solicitudini, quoniam eam acceptiorẽ populo cognouit, atque ob hoc apud vniuersos inuenisse gratiam, quòd etiã ipsa ab immanitate viri semper alienam se faciendam existimauerit, vt non solùm refugeret flagitiorum consortia, sed etiã resistendo eius iniquitatibus, totius in se plebis beneuolẽtiã cõuerteret. Nec improuida viri sententia fuit, nam regnãdi ius mulier inoffensè exercuit, sine vllo fœminei sexus impedimento, & acquisiuit moderandi gratiã sacræ legis obseruatione. Nam dũ attẽtior circa templũ cura exerceretur, & dimissa ministeria fraudis succreuit imperij vigor, nec tamen affectu infracta materno regni cupido. Siquidem ex duob* liberis electus vnus ad * spem regnandi nõ potestatem, Hyrcanus vocabulo natu senior, ingenio remissior, Aristobulũ B verò acriorem animo expertẽ potestatis, emolliebat priuatis humilitate. Assuerũt se Pharisæi mulieri, genus hominum secundũ legis doctrinã exercitatũ, secũdũ qualitatẽ affectus callidũ, auidũ negotiorũ, pecuniæ appetens, qui captãtes elatã mulierculã, secundum scientiam iuris diuini extollẽdo suã fecere, vt pleraq; etiam regni negotia ipsis committeret, adhiberent, quos vellent: quos vellẽt excluderent, atq; aulico exuerent ministerio. Quid plura? ita sese insinuauere, vt commodorum omniũ fructus ad eos peruenirẽt: sumptus & molestiæ mulierem solam afficiebant. Nec mediocris mulieri spiritus, vt maxima quæq; auderet, atque supra fœminei sexus conditionem prælia disponeret. Siquidẽ & præstãtissimã de suis manũ parauit, & peregrini exercitus copias coëgit ingentes, vt non solũ domi tuta ad omnẽ regnãdi securitatem foret, C verũ etiã exteris potentibus esset formidabilis. Ea tamen reliquis præstabat omnibus, sed Pharisæis quasi inferior obtẽperabat. Erat Diogenes in regno eius, qui de potẽtissimis Alexandri amicis familiaritati eius inhæserat, eum adorsi obtruncauere, memorantes ipsius consilio octingentos illos in medio vrbis ab Alexandro cruci suffixos, in cæteros quoque facinoris autores * quósque, vt pergeret, vltio mandarunt. Necabantur itaque, quos Pharisæi præcipiebant, non quos societas sceleris inuoluerat. Quo metu perterriti plerique, quibus huiusmodi pericula intendebantur, & maximè præstantiores opibus aut dignitatibus, ab Aristobulo intercessionem implorauere, vt matrẽ ab executione præcepti seuerioris, ad meliora inflecteret: Ille sibi gratiam parare cupiens, D non detrectauit, Mulier ægrè licet, oranti tamen filio concessit, vt contuitu honorum, quos gesserant, qui in huiusmodi inuidiam arcessebantur, supremæ necis sententia mitigaretur, atque eos tantùm quos obnoxios suspectaret, & * patrandi flagitij incentores fuisse vrbe egredi iuberet. Qui accepta vitæ securitate, per agros dilapsi sunt.

Alexandra Regnũ sapienter administrat. Hæc Oratione Gregorij martyris ab inferis reuocatur Niceph. lib. 7. cap. 13.

* speciẽ vt ap. 41. Niceph. li. 1. cap. 6.

* Vacat hæc dictio in M. S.

* patrati

Eodem tempore causa accidit, vt Damascum iuuentus dirigeretur, quoniã Ptolomæus frequẽtib* incursionib* incolas memoratę vrbis terrebat, cuius negotij necessitas occupauit de exercitu Alexandriæ validam manũ Cleopatrã quoq; Tigranes, qui Armenijs imperitabat in vrbe, cui nomen Ptolomais, obsidione clauserat, quem muneribus Alexandra mulcebat, vt à se auerteretur. Quẽ Lucullus facta irruptione in terras Armeniorũ E infectis rebus redire coegit, cõsultius ducentem sua tutari, quã aliena adiungere. Tantis itaque negotijs intenta Alexandra, in morbũ incidit. Quam occasionem rapuit Aristobulus ad suas artes, & congregata manu conspirãtibus secũ, quos feruor naturæ prærupta quęq; audendũ cupienti adiunxerat, thesauros occupat, eorũque copijs inuitauit ad militiam voluntarios, ac pretio componit, vt in omnia quæ vellet fidẽ præstarent, atq; infulas Regis induit. Turbatus animo Hyrcanus, matrẽ lacrymis conueniebat. At illa spirans ferocia, filius & vxorem Aristobuli in castrũ reclusit, cui nomen primo Baris, postea Antonia appellatũ, de quo suprà memoraui*. Cæpta Alexãdræ celeri eius obitu destituuntur. In hęreditatem omnẽ Hyrcanus successit, qui viuente adhuc matre

Cap. xiii.

dignitatem

dignitatem induerat sacerdotij. Aristobulus virtute & sapientia præstabat, res vsque ad contentionem atque congressionem deducta: vbi consertum, plerique relicto Hyrcano, illum alterum bello meliorem secuti. Hyrcanus comitantibus secum, qui bello reliqui fuerant, cōfugit in Antoniam, repertisque filiis & vxore Aristobuli, per obsides salutem inuenit, quia ne quid asperum in suos fieret, Aristobulus pacto consuluit: * Conuentum fratrum huiusmodi fuit vt regno Hyrcanus cederet, atque ad Aristoboli ius omne imperij transiret, nec tamen Hyrcanum inhonorum relinqueret, sed regni exortem honore alto fungi sineret, quem ipse impartiuisset. Transactio huiusmodi etiam religione templi sacratam assensionem vtriusque tenuit voluntariam, inde cum gratia discessum est, ac se inuicem salutantes, Aristobulus in aulam Regiam sese recepit, Hyrcanus æquanimiter in domum Aristobuli concessit.

* Vet. cod. conuentus.

Cap. XIIII.

SED fuere, quos metus ac rerum mutatio incesserat, qui se studuisse aduersus Aristobulum recordarentur, & præ cæteris Antipater, is erat Idumæus genere, * moribus apud suos clarus, non tenuis pecuniæ, & ideò præualidæ potentię, arte mira factus, ad contemnendam pecuniam propter conciliandam gratiam. Qui Hyrcanum consiliis suis perterritum, quòd nullam salutis suæ spem tutam haberet, qui imperio decessisset nisi trāsfugio sibi consuleret vbi ad suas artes inclinauit insinuat Aretæ Regi, fouendum auxilio virum, qui circumuentus foret vt regno cederet, decorum hoc fore Regi, si arbiter fieret imperij restituendi, multóque pulchrius, si circumscripto, cui primitiua regni competerent, dolo sublata reformari iuberet, illum versutum & callidum, & ideò suspectum vicinis: hunc mitem & quietū, qui pro summo beneficio acciperet, quicquid sibi ab externo tribueretur, cui frater etiam regnandi ius ademisset. Præparatā itaq; ARETÆ Regis gratiam Hyrcano annuntians, fugiendi spem detulit, & viam demonstrauit, vt secum peteret Petram, in finibus Arabiæ sitam, quo in loco Regem adirent, qui precibus Antipatri donisque inflexus, plurimam bellatorum manum Hyrcano adiunxit, vt regno restitueretur. Erant ferè peditum equitúmq; quinquaginta millia, à quibus prima pulsus cōgressione, Aristobulus Hierosolymam confugit, ibiq; intutus aduersus tantam hostium multitudinem, quæ clausum expugnauisset, nisi Scaurus ductor Romani exercitus alterius belli occasione, quod aduersus Tigranem gerebatur, soluisset obsidionem, missus à Pompeio, cui recepti Mithridatis vltio grauis, bellique in socerum transferendi propositum exarsit; qua causa Syriam infestari per Scaurum præceperat, quum ipse Tigranem atque Armeniam vrgeret. Scauro itaque adueniente Damascum, quam Metellus & Lollius funditus euerterant, occurrere fratrum legati, sibi quique Romanæ opis auxilium implorantes, & quamuis inferioribus esset viribus Aristobulus, præponderauit tamen pecuniæ oblatione. Venditur summa prælialis certaminis talentis trecentis, & iustitia postulati pretio pensatur. Qua pecunia sibi annumerata, denunciat Scaurus Hyrcano, Regique Arabiæ discedere ab obsidione, aut si permanerent, scirent sibi aduersum Pompeium & Romanos bello certandum. Eo terrore obsidio soluta, Aretas Philadelphia petit, Scaurus Damascum reuertitur. Aristobulus antè vix dum idoneus propulsando periculum manum colligit, hostem insequitur, & ad Papyronem (id vocabulum loco) sex millia hostium, simul & fratrem Antipatri * fallionem prælio fudit, Hyrcani atque Antipatri spes lapsa est, quibus fiducia omnis in Arabiæ viribus erat.

* Maiori-bus Antipater.

Scaurus missus à Pompeio obsidionē soluit.

* hoc est monetę nostræ 180. M. corona. Papyronem vt & Ioseph. cap. 5. li. 1. de bel.

Cap. XV.

SED vbi Magnus Pompeius adire Syriam cœpit, & Damascum aduenit, à Romanis, quorum auxiliis infracti, de manibus victoriam amisere, opem postulāt, Pompeiúmque adeunt, tanquam iusti arbitrum, & minimè auarum pecuniæ, à legationibus itaque non muneribus (vt antè) niti cœpere: quoniam integer animus aduersus corruptelam pecuniæ, laqueis auaritiæ non capiebatur,

A

& gratuito odisse poterat fraterno insidiarum honori: & ideò his cum adorsi querelis, quibus & Aristobulo fieret inuidia, quòd indignus aliena inuaserit, & Hyrcano conciliaretur, cui vel merito vitæ, vel ætatis suffragio regnandi ius competeret, astipulante præsertim matris autoritate, quæ & iudicium eligendi habuit, & ius conferendi. Nec Aristobulus diu absuit, quamuis nihil in magno pectore, quod suis artibus conduceret, intueretur: Præsumebat tamen de Scauri redemptione, seséque eius iactabat societate. Venit itaque Regio ornatu præditus, & prope maiore, quam solebat stipatus ambitu, vt qui de iustitia diffideret ad quiescendi præiudicium excluderet spem obediendi negaret: sed diutiùs tolerare Rom. Consulis sublimitatem nequiuit, cui moris erat * regni exortis Regibus imperitare. Itaque vbi ad vrbem ventum est, cui nomen Diopolis, aliò concessit Rom. dignitatis supercilium dedignatus regni tumore.

B

Qua secessione Aristobuli, est non mediocris datus offensioni locus, vsque adeò commoto Consule, vt statim arma Rom. in Iudæam conuerterentur. Coniunctis Syriæ etiam plerisque auxiliaribus, quem vbi comperit Aristobulus ad vrbem Scythopolim atque inde Coreas appropinquare, vnde erat Iudeæ exordium possessionis, confugit in Alexandrium castrum munitum admodum, & in monte altissimo situm. Quo cognito, iubet eū Pompeius descendere: at ille tanquam hostili præcepto obedire indecorum existimans, periculum potius subeundum, quam obtemperandum imperio animi immodicus arbitrabatur. Sed referta populis Romana castra desuper spectans simul à suis monitus, nō lacessendus, quorum in nomen ac potestatem totus propè orbis terrarum concesserat descendit, pluribúsque vsus, quibus regnum sibi iure delatum astruere contenderat, vel generis debitum necessitudine, vel exercitus iudicio, qui secutus sit validiorem deseruerit ignauum: vel euentu prælij, vel pacti cōuentione ad munitionem reuertitur: rursus cùm Hyrcanus consulem adisset, vocatus ad iudicium Aristobulus, sese repræsentauit: Sed eum adhuc comperendinari cognitionem videret, in castellum regressus est. Medius enim inter spem & timorem putabat, quòd imperiis eius obediendo ad sui gratiam Pompeium inflecteret. Sed ne vi adigeretur iterum imperio cedere, in Alexandriū sese recipiebat. Nec præterit Magnum Regis versutia, iubet eū discedere munitionibus: idq; factutū, datis ad singulos custodes munitionū literis, sese astringeret: iussis quidē paruit, quæ non audebat refellere. Protinus tamen Hierosolymitanis mœnibus sese abdidit, & bellū aduersum Romanos parare cœpit. Pompeius quoq; fugientē insequi, vrgere clausum, neq; parandis belli vsibus tempus vllū dare, direxit Magni intentionē de Mithridate nūtius, quod morte bellū finiisset, vrbs Hierico in finitimis suis Pompeium tenebat, cū rei memoratę indicia venirent: locus prope vrbē, in quo balsamum gignitur, virgultísque innascitur, quæ lapidibus incidunt pueri agricolarum, pérque eas incisiones distillat humor lachrimis pulchrè rotantibus. Inde vir militiæ vetus compositis ordinibus, ad vesperum castra mouit, & primo diluculo Hierosolymitanis mœnibus astitit, atque improuisus armatas acies infundit.

C

D

E

* Græcè ἀκλήρος. idē de Rom. cap. 19. vel diopolis Iosep. lib. 1. bel. Iud. c. 5.

OBSTVPEFACTVS Aristobulus dispositionis specie, virorum robore, militum alacritate, spontè occurrit, veniam precatur, pecuniam, vrbem, seséque offerens. Verbísque in mollibus suppliciter inflexis mitigauerat indignationem Consulis: sed irrita precatione, quia effectus deerat promissionis, non solùm negatis pecuniis, sed etiam vrbe excluso Gabinio, qui oblatam petitum venerat, bellum incubuit. Nāmque Magnus adhibitis custodibus Aristobulo, vrbis mœnia speculari cœpit, atque explorare, diligentiùs, quibus in locis tentaret irruptionem. Sed quum & valida murorum circumspectaret, quod expugnari nequirēt, & templum in vrbe haud inferioribus circundatū munitionibus, & vt geminū esset ingressus periculū & à defēsoribus tēpli, & ab his, qui

Cap. XVI. Aristobul. obstupefactus nihil non offert, sed pauca præstat.

murorum propugnacula tuerētur, hæsit animo dubius, sententiæque incertus per aliquantulum temporis, cum subitò intra vrbem orta seditio volentibus Hyrcani socius vrbe recipere Pompeium, renitentibus Aristobuli propugnatoribus, illi portas aperire Magno, isti obserare, †bellúmque inferre, ne Regem eriperent. Sed pluribus, quos terror potentiæ Romanæ auxerat: cessere inferiores, atque in templum sese recepere soluto ponte qui transitu peruio vrbem ac templum medius coniunxerat. Receptus itaque in vrbem est exercitus Romanus, & suis manibus Iudæi aperuere portas, non multo pòst vrbis ac templi expugnatoribus futuris. Completúmque est illud Dauidicum: Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerũt templum sanctum tuum. Sponte itaque tradidere regalia sua, cessere aulicis: Pisoni claro inter suos viro, & militiæ stipendiis exercitato, id negotij commissum est, vt manu valida aulam Regiam, ceteráque vrbis tuenda existimaret. Quod ab eo sollicitè curatum, quasi ad ea defendenda potiùs, quam occupanda Romanum exercitum ductauerit. Ad templi autem irruptionem, quoniam pertinaciter resistebatur, Iudæos Magnus parauit socios videlicet Hyrcani, vt si fieri posset, aliena Romani mysteria non profanarent: simul vt suis manibus Iudæi fossas replerent, impio ministerio & turpi obsequio seruierunt manus eorum in cophino, mentes in sacrilegio: sed nihil proficiebat congestio, cum renitentur è muris Aristobuli fautores, & desuper afferent impedimentum, irritáque Pompeio fuissent exordia, nisi *incurrentibus sacris religionis diebus, quibus ab omni vacare opere Iudæos vetus obseruatio foret, imminere suos aggerendis terrarum tumulis imperauisset: sola enim conserendæ manus vsurpatione in consuetudinem versa, etiam sabbato, si tamen inferatur prælium, & salute extremum petatur periculum, decernendum sibi ferro Iudæi existimant: reliqua certamina religioni ducunt. Iam vallum excreuerat, iam machinæ admotæ, repugnabant Regij murorum altitudine ferociores, nec intermixti prælijs propter Magni accessu inebriabantur. Stupebat Pompeius acres virorum animos, muri decorem ac magnitudinem, & nusquam remissa officia sacerdotum in medio belli furore: tanquam profunda pax esset nihil deerat sacrificiorum solennitati, imbellatorum inter iacula mortésque cæsorum fundebatur sanguis hostiarum. Victima altaribus imponebatur, ante aram positi feriebãtur. Tertius iam mensis anceps adhuc certamen †tenebat. Primus Silla ortus Cornelio, Faustus, & duo Centuriones, quorum vni nomen Furio, alteri erat Fabius, deiecta †terra murorum, templum irrupere, singulis sequẽtibus sese cateruis, & circũdantes vndiq; templi interiora, quoscunq; repererant, gladiis *transuerberabant, cædebantur fugientes, repugnantes alij obtruncabantur. Nullus parcendi modus, nec tamen ea sæuitia bellantiũ, obsequia vatum impedita. Nudatus gladius imminebat hostis, illi tamẽ sine vlla perturbatione soliti vicem muneris exequebantur. Nullum intermissum est officij genus. Quicquid ad purificationis solennitatem, quicquid ad cultus sacri obseruãtiam spectare poterat, impletum est, (Tanta erat cura ministerij) atque vtinam pro veritate deuotionis & fidei fuisset: maiora quoque à suis orta pericula, *quàm sibi ab Hebræis inuicem inferebantur atque intus pugna vehementior, & à seditiosis proprios & anceps periculum: à fronte externus hostis, à tergo lateribúsque domesticus.

† hunc locũ illustrat Ioseph. lib. 14. Antiq. cap. 8.

Pisoni aula Regia ceteráque vrbis commissa.

* intercurrentibus.

† habebat.

† turre.

* transfigebant.

* al. quæ sibi.

Cap. XIII. Insolati sacerdotes inter hostias trucidãtur. Iosephus lib. 1. c. 5. bel. Iud. Põpeius inspexit tabernaculum Iudæorum. Tacit. l. 21.

Itaqve conclusi vndique, alij se præcipitabant, alij patriæ incendiis exurebantur. Sacerdotes tamen vsque ad vltimum in suo munere perseuerabant, hortantes se inuicem, ne in posterioribus ponerent officium religionis quam salutis præsidium rectè secum agi, si pietati impenderẽt, quod deberetur necessitati, pulcher tumúmque, si in patriæ sinu sepeliri liceret. Quid autem iuuaret euadere, & superstitem viuere religioni? præclarum potiùs opus muneri commori pio. Quòd si quis periculi metu deserat, sacrilegium est: si quis impleat, sacrificium & præ passionis victoria. Insolati itaque sacerdotes inter suas hostias immolabantur, & amicti sacerdotalibus stolis inter cadauera cæsorum humi iacebant. Fusa illic Iudæorum XII. millia, Romanorum pauci extincti, plures vulnerati sunt. Nihil tamen grauius in illa miseria ingemuerunt Iudæi quam quod illa abscondita antè sanctificationum mysteria detecta gentibus, ac manifestata sunt: Denique Pompeius curarum istiusmodi declinans superflua dum triumpho potiùs ambusta ambiret, sequentibus sese suorum plurimis vidit tabernaculum, secundum quod soli principi Sacerdotum solenni accessu patebat, atque intus inspexit lucernam, & mensam, & *thymiamata, & tabulas testamenti, supérque eas Cherubim, & multitudinem aromatum dispersam, & sacræ pecuniæ talenta duo millia, in quibus quum plurimum auri esset, integer tamen ab omni cupiditate vel ipsa, vel si qua sacrorum vasorum inuenta sunt, intacta seruari præcepit: & sequenti post excidium die *Theocorus iussit mũdari templi interiora, ac celebrari assueta sacrificia. Hyrcano quoque principatum sacerdotij dedit prompta eius opera vsus in obsidionis necessitate: nam etsi infidus suis, Romanis tamen fidelis, vt sua patria expugnaretur. Sed puto neminem dici fidelem posse, qui suis fuerit infidus. Non perfunctoriè itaque in ipso prælio iuuit hostes suorum, vel quòd extramurani populi multitudinem annitentem Aristobulo retraxit ab eius societate: ad omnia tamen quibus vel præueniendi Aristoboli, ducendique eius authoritate, vel conficiẽdo celeriter bello Pompeius egregius Imperator fuit. Præclarum hoc addidit, vt in victoria modum teneret: deniq; benignitate sibi magis, quàm terrore, quos vicerat, associauit, autores tantummodò belli securi percussit. Tributum quoq; victis imposuit, statuit Ducem, Iudææ fines determinauit. Suis ergo finibus circumscripta Iudæa est: reformauit etiam Gadaram, quam Iudæi euerterant, rogatus à Demetrio, qui patriæ suæ huiusmodi gratiam à patrono poposcerat: & in hac causa & in plurimis apud Magnum supra libertorum modum vsq; ad inuidiam excellẽs: Aristobulum autem cũ filiis & socero eius captiuos statuit secum Romam deducere: sed vnus ex sobole Regia in itinere elapsus custodibus, domũ reuertitur, ei nomen Alexandro, ætas fratre prouectior & sorores duę. Antigonus autem æuo iunior cum fœminei sexus germanitate ad vrbẽ deducitur, Pompeiúsque Ciliciam, deinde Romam petiit.

* quam ex auro fuisse refert. Ioseph. Antiq. 14. c. 8.

* al. Thymiamaterium, prouasis, scilicet odoriferis & thuribulo. Ioseph. lib. 1. bel. cap. 5 & Antiq. lib. 14 cap. 8. quæ valent nostris duodecies centena coronatorũ millia.

* Necoris al Græcè cũ significat qui templi verrit.

At in Syria Scaurus, qui Ducis officio præerat receptis vrbibus, quas Iudæi inuaserant in Mediterraneis Scythopoli, Ippone, Pella, Samaria, Iannia, Marisa, Azoto, Arethusa: maritimis quoque: Gaza, Ioppe, Dora, & ea quæ Stratonis turris olim vocabatur, posteà autem Cæsarea nuncupata sub Imperio Herodis, qui & ornatum addidit & nomen mutauit, aduersum Arabas bellũ moliebatur, Iudæam inter Euphratem & Ægyptum; Syriam quoque suis reformatam finibus, iudicio coërcens, prædándique cupidine, quod potiùs reor, quàm proferendi imperij gratia summam regni Arabiæ Petram inuadere volens, difficultate quidem locorum impeditus, irrumpere nequiuit, plura tamen vel propinqua vrbi vel longè posita deuastauit, quibus in locis exercitum eius morantem fames incesserat, ac penè incidisset facinus miserabile, nisi per Antipatrum laborantibus Romanis Hyrcanus alimoniam ministrasset. Idémq; de consilio Scauri Aretam monuisset soluere bellum pecunia; deniq; trecentis talentis Arabs hoste se exuit, Scaurum redemit, hoc regressionis eius pretium fuit, quæ res Hyrcano fidem cum Romanis firmauit societatem, & profunda pace securitatem fouebat, quòd in locis hostilibus exercitui Romano, opera eius ex indigentia graui, frumenti satietas facta, auxiliumque præsto fuit.

Cap. XIIII. Turris Stratonis postea Cæsarea.

Sed vbi Alexander è vinculis Magni elapsus, primùm occultè, & per aliquantum tempus in annum sibi idoneam cõgregans, deindè palàm percursare cœpit Iu-

Cap. XV. Alexander bellum assumpsit

dæam, exagitari Hyrcanus, & rebus suis diffidere: Romanos cura vegere, ne bellum gliscceret: quinetiam murum præparare Hierosolymis constituerat, quem Magnus destruxerat, ac propè aggressus fuerat opus, nisi Gabinius, qui Scauro successit, curatis strenuè cæteris, quibus terrorem sui nominis sparserat, occurrendum Alexandri tentamentis æstimauisset. Nec Alexander refugiendum arbitratus, sed decernere prælio ausus cum decem millibus peditum, mille & quingentis equitibus etiam castella reparauit: Alexandrium, Hyrcanium, Macheruntam receptaculo sibi (si res poposcisset) futura, vel hostibus impedimento, quoniam & Arabia non satis fida Romanis proxima erat. Gabinius, quo citiùs occurreret, M. Antonium cum parte exercitus præmisit, vt iter hostium impediretur, donec ipse cum toto agmine aduentaret. Antipater cum electis aduenieus, & Malichus & Pitbolaus diuersis Iudæorum subnisi cater-B uis, cum Antonio vires iunxère, quos vbi conferros Alexander vidit (nam iam & Gabinius aderat) flexit consilium, vt retrorsum cederet. Sed cùm iam non longè esset ab Hierosolymis, coactus manum conserere, victus aufugit, necatis fermè tribus millibus suorum, cæteris captis aut dilapsis: vis Alexandro pauci superfuêre, potiùs ad fugæ societatem, quàm ad rebellandi audaciam. Denique pacem à Gabinio petens, etiam castella, ne quid suspectum haberent, Romanis tradidit. Eo bello egregiè Antonij virtus emicuit, quamuis præclarum vbique documentum suæ dederit fortitudinis. Gabinius in quinque conuentus Iudæam diuisit, vt potestatem minueret, ex qua oriebatur potior rerum insolentia. Hyrcano pro mansuetudine ingenij eius sa-C cerdotij honor mansit: totius autem regionis, eius conuentus non vni, sed in commune Hierosolymitanis à Gabinio cura impartita: itémque cæteri conuentus simili modo attributi, per Gadaram & Amathuntem & Hierico, Sefforitanósque, vrbes scilicet potiores diuisi, quo & singulorum potentiæ nihil relinqueretur, & functio regionum non vacillaret, quæ publicam expectaret solicitudinem. Quod & à Romanis ad reuelandum rebellionis metum, & Iudæis ad deponendam inuidiam cum gratia susceptum: quoniam non sub Rege, sed sub Optimatibus degeret Hebræorum genus, ad Reip. Romanæ similitudinem, in qua non vnus imperitaret, sed per vices optimi quique, quibus sortito magistratus cesserat, administrabant. Regni quidem exortes, sed Regum ar-D bitri, consultum proindè aduersum inquietudinem gentis æstimabant.

Gabinius Alexandri tentamentis occurrit.

Antonij virtus egregiè emicuit.

SED Aristobuli fuga reditúsque in Iudæam plerísque plurimùm turbarum excitauerat, refluentibus ad eum, quos veteris amicitiæ gratia solicitauerat aut res vltimæ, quibus remedium ex discordia publica quærebatur: ima summis miscere cupientibus, atque aliæ spes lapsæ forent. Regressus igitur Aristobulus munitiones ædificare, Alexandrium reparare cœperat: quo comperto, Gabinius Sisinnio & Antonio, Seruilióque cum parte exercitus directis, cœptum opus impediuit: desertis enim munitionibus Aristobulus se bello parauit, & quia maiore numero quàm vsu agmen trahebat, deonerauit inermis populi multitudinem, & sola octo millia armatorum coëgit, adiuncto quoque Pitholao, qui voluntarius ex Hierosolymis cum viris mille aduenerat: deinde orto prælio (imminebant enim Romani eius ceruicibus) aliquandiu quidem strenuè pugnatum, tamen præualuit virtus Romana, cæsa Iudæorum quinque millia. Aristobulus cum mille viris irrupit aciem, & in castelli Macheruntis munimenta sese recepit, duo millia altò dilapsa, adorsi tamen Castellani Romani, per biduum fermè dilati: quoniam de vltimo periculo. Aristobulus totis viribus decernebat. Sed nequaquam diutiùs sustinere potuit, captus cum filio Antigono, quem pariter fugiens de vinculis secum abduxerat, ad Gabinium missi, & ab eo Romam directi sunt. Senatus Aristobulo in custodiam detruso, filios eius ad Bithyniam dimisit,

Cap. xx. Aristobul. Alexandrium reparare cœpit Ruff. l. 1. bel. Iu. c. 6. Sisenna legit vt & Gelen. in Antiq. l. 14. c. 12.

A quod Gabinium ferunt epistolis insinuâsse, id Aristobuli coniugi promissum, remunerandæ sedulitatis eius gratia, ob traditas sibi munitiones.

His ita in Iudæa gestis, Gabinius audendum aliquid ratus, in Parthos expeditionem parauit: sed suspecta partium Ptolomæi Regis reuocauerunt profectum. Nã ab Euphrate in Ægyptum Gabinius iter conuertit, vsus necessariis ad omnia ministeriis Antipatri & Hyrcani (Sed Hyrcani per Antipatrum) qui pecunia, frumento, armis, auxiliis quoque exercitum iuuaret, ac maximè congressiones circa Pelusium, nisi gnaris locorum & totius belli generis Iudæis omnia procurantibus, Gabinium facilè deterruissent. Sed rursus morante exercitu, Alexander Aristobuli filius in Syriam sese alteram, velut in vacuam Prouinciam immergere moliebatur, nisi ru-B moribus excitus Gabinius, reditum maturauisset, præmissóque Antipatro, reuocâsset plurimos Iudæorum ab Alexandri societate, quorum multitudine fretus, parabat omnes, quos in regione offenderat, Romanos expliodare: denique dilapsis licet Iudæorum plerisque per Antipatri conuentionem, audaciam tamen non deposuerat, præliúmque adortus in triginta millibus virorum, verùm circa Itabirium montem fusis decem millibus, aufugit, reliquorum dispersione bellum cõfectum. Gabinius compositis ad arbitrium Antipatri, Reip. Hierosolymitanæ negotiis, inde profectus, Nabathæos prælio subegit: Mithridatémque & Tigranem fugiẽtes de Perside occultè dimisit: palàm tamen militibus intimauit, fuga lapsos. Successit Gabinio CRASSVS, & profe-C cturus ad Parthicum bellum, omne quod erat Hierosolymis aurum in templo, abstulit: & prætereà duo millia talenta detrahi iussit, quæ Pompeius intacta reliquerat: nec longum lætatus, vbi transmisit Euphratem, exercitum amisit, & ipse extinctus est. Eo successu Parthi lætiores, transeundum in Syriam crediderunt, quos strenuè insidiis excepit Cassius, & commissæ sibi prouinciæ finibus repulit, non sine graui detrimẽto hostium: cùm effusè venientes, quòd neminem sibi obsistere ausurum arbitrarentur, locis præuentos angustioribus occupauisset. Denique fusis suorum pluribus, bellum deseruère. Cassius repulso hoste securus Prouinciæ, in Iudæam irruit. & Tarichæis deletis, triginta millia Iudæorum in seruitutem vendidit. Pitholaum quoque suspectum doli, quo partes Aristobuli fulciret, iugulari iussit. Neque D expers consilij eius Antipater fuit, vt æmulum potentiæ quàm maximè excluderet.

Cap. xxi.

Ioseph li. 1. ca. 6. bel. Iud. li. 14. c. 12. Antiq.

Sacrilegiũ Crassi & eiusdem pœna. Plut. & Tacit. lib. 12. Nicep. lib. 2. cap. 6. Cassius in Iudæam irruit Ioseph. 1. de bel. multò minorem numerum ponit & in Antiq. l. 14. c. 12. maiorem sed hic habetur numeris captiuorum illic diuenditorum.

Is Antipater cognouit vxorem, cui nomen Cypris, splendidissimo inter Arabiæ fœminas loco ortam, atque ex ea suscepit liberos quatuor sexus virilis & vnam fœminam. Viris huiusmodi vocabula: Primus Phaselus, sequens Herodes vocatus, tertius Iosippicus, quartus Pheroras, & Salome filia. Eáque causa vir egregiè factus ad emerendam muneribus atq; amicitia societatem potentium, gratiam præ cæteris sibi Regis Arabum conciliauerat, quia de locis Arabiæ vxoris acceptæ prætendebat necessitudinem. Denique aduersus Aristobulum decernere prælio parans filios suos, prędicto Arabum Regi, quasi mutuæ charitatis pignora direxit. Quos ille E quasi depositum inuiolabile susceptos, eo cultu, quo liberos domi habuit, & posteà repetitos patri reddidit. Sed cùm Aristobulus bello superatus, in vinculis haberetur, Alexander filius eius cùm secundum conuentiones pacis, quibus eum Cassius ad Euphratem rediturus deuinxerat, prælio vacaret quum confinia Persidis haud vllo suspecta Parthorum transitu infestarentur, & blandæ tranquillitatis species in Orientis partibus humanas leuaret solicitudines, Cęsar transalpinis regionibus Galliarum, Italiæ sese infundens, Pompeium Senatumque vltra Ionium mare expulit. Italia exclusus, Æmathiam Magnus petit, eóque diuersis ex locis Romana iussit agmina sequi, quòd ibi bellum pararet. Quibus interea tus gerendis Aristobulum, quem Romæ vinctum reliquerat, eum Cæsar, qui inter vrbem Romam atque

Cap. xxii. Antipatri generatio.

Cęsar Pompeium vltra mare Ioniũ expulit.

Pompeium medius erat, quoniam de Flaminia in Appiam compendiariis tramitibus Magnum sequebatur, vt vel ipsum exciperet, vel interciperet eius exercitum, vinculis leuatum, tributis etiam militaribus numeris in Syriam direxit, vt Iudæam sibi adiungeret, Pompeiúmque à tergo vrgeret. Sed in exordio tentamentorum, vbi ad locum peruenit, veneno interemptus, imperfectum negotium reliquit. Opinio mortis eius Pompeij fautoribus ascribebatur: ita lusæ sunt dispositiones Cæsaris, & destitutæ Aristobuli cupiditates, noua quadam mutationum varietate, vt tutior fuerit exul inter hostes, & in vinculis captiuus, quam inter suos ciuis, Dominus in cubiculo, Rex in conuiuio. Quo comperto, Pompeius, quòd Aristobulus in Iudæa recidiua sibi bella reparare tentauerat, etiam filium eius Alexandrum iugulari iussit, suspectum omnis ob partes Cæsarianas. Scipio Cnei mandatis obediens pro tribunali statuit reum, vt species iudicij prætenderetur, accusatoribus quoque adhibitis, atque in eum, qui Romanam rempublicam armis inquietasset, sententia prolata, vti pro iuris potiùs authoritate quàm pro executione præcepti, more quo Duces hostium conuicti rebellionis, securi percussus existimaretur.

Aristobulus veneno interemptus.

Cap. xxiii. Ptolomæus Menneus Dynasta Chalcidis filium suum Ascalonem in vrbem dirigit. Tyranni ignoscere nesciunt. Ptolomæus filium occidit.

COGNITA vtriusque nece, Ptolomæus qui susceperat Aristobuli germanos, & vxorem Alexandri, Philippionem filium suum in vrbem Ascalonem direxit, memoratos fratres accersiturũ: ille adueniens suscepit Antigonum atque eius sorores, vt ad patrem deduceret, vsu & consuetudine amoris igniculus obrepsit adolescenti ignoscendo profectò si scirent tyranni ignoscere, atque alteram de sororibus accepit sibi in coniugij societatem. Non tulit hoc Ptolomæus pater, sed vcciso filio nurum propriam sibi iunxit: morum egregius censor, qui in exoratam in filio damnaret coniunctionem vt ipse se parricidio & incœsto contaminaret. Pompeio interfecto, qui dum arma Cæsaris fugit, Spadoni Ægyptio caput suum amputandum præbuit, conuersa res: præbuit tamen ea patientia caput qua tantorum populorum aliquoties victorem decebat, vt in illa victi sorte, exulísque conditione conspiciens rerum humanarum ludibrium & varietatem, gladio ceruicem offert, ab eo, cui regnum dederat, pro gratia mortem recepturus. Post cuius necem mutatio facta, plerísque ex familiaribus Magni amicitiam Cæsaris experentibus, præcipuéque Antipatro incredibilem in modum prædito, ad omnes, quorum affectaret amicitiam. Omnibus enim necessariæ opes, & maximè in præliorum apparatibus, vbi ex inimicis atque aduersariis sæpenumerò chariores efficiuntur. Etenim quia Ptolomæus Ægypti Rex fidem læserat, ab ipso Cæsare bellis grauissimis premebatur.

Cap. xxiiii. Pergamenus Mithridates.

PERGAMENVS Mithridates cum omni manu, quã secum deduxerat Pelusiacis repulsus obstaculis, in vrbe Ascalone resederat. Desperatóque transitu, & conatu irrito, nec iam se committere bello audebat, locis iniquioribus & impar viribus. Cui Antipater Arabas primùm in auxilium asciuit, deinde tria millia Iudæorum valida manu & munita armis secum perduxit. Commouit etiam Syriæ potentes in adiumentum ipsius, Ptolomæum, qui habitabat in Libano, & Iamblichum, & Ptolomæum alterum. Quorum fretus societate, etiam alij populi ad bellum accessi sunt. Quibus adiunctis viribus fretus Mithridates; Pelusium accessit, & cum transitu prohiberetur, obsidionem adortus est. Quò loci Antipater præclarum militiæ documentum dedit. Siquidem resistentibus oppidanis, cùm summa vi belli vtrinque decerneretur, primus cum suis dirupta murorum parte, in qua ipse præliabatur, vrbem irrupit, eámq; cœpit. Nec tamen hic finis laboris adiumentiq;, sed etiam, cùm in interfusum exercitus pergeret, & circa eam, quæ appellatur Oniæ regio, Iudæi Ægyptij vellent resistere, quo intercluderent iter, rursus Antipater, non solùm remouit prælium, sed etiam ad exercitum iuuãdum, quæ necessaria forent vsui humanitatis, ab ipsis, qui arma contrà parauerant, ministrari effecit. Vnde Memphitæ quoque animos à prælio reuocauerunt, & se Mithridatis societati volentes dedidêre. Qui prætergressus suspectiora, cum reliquis Ægyptiis conserendum ratus, liberioribus quidem locis, sed validioribus viris, regionis ipsius, cuius incolatus Iudæorum exercitus appellabatur, strenuè decernoit, adeò vt prærupto sese periculo daret, ac penè extinctus foret, nisi Antipater videns totum, in quo Mithridates erat, dextrum cornu à cohorte vrgeri, ex alia quoque parte includi flumine, nec vllum effugium viris, irruisset à cornu sinistro super eos, qui Mithridatem cedentem persequebantur, quos eousque insectatus est, donec omnis hostium populus extingueretur. Eo prælio octoginta solos Antipater viros de suis amisit, super octingentos Mithridates, ita vt ipse præter spem euaserit, atque hæc vno momento clades secuta. Antipater multis vulneribus corpore exceptis, egregium virtutis suæ testimonium apud Cæsarem inuenit: Mithridate præsertim non solùm suæ absolutionis interprete, sed etiam fortitudinis prædicatore: quibus rebus egregiè Cæsar delectatus, in honorem Antipatrum, vt oportebat, inter amicos recepit. Deinde, vbi ea quæ in Ægypto forent constituenda disposuit, atque in Syriam processit, Romanæ eum Reipub. honoribus affecit. Talentum quoque contulit, cæteráque vt probato sibi viro gratiæ suæ pignora impertiuit. Hyrcano etiam summum sacerdotium de sententia Antipatri volens firmauit.

Memphitæ sese societati Mith. adiunxere. Iudæorum castra, lege. Ioseph. lib. 14. cap. 15. Mithridates præter spẽ euasit. Antipater multis exceptis vulneribus egregium virtutis suæ exhibuit testimonium.

Cap. xxv. Antigonus Cæsari occurrit, atque Antipatrũ accusat. Vide supra ca. 22. Aristobuli.

ANTIGONVS quoque in Syria Cæsari occurrit, & quem vel patris deflere ærumnam conuenerat, veneno per amicos Pompeij interfecti, vel supplicium germani: quem Scipio summa crudelitate, tanquam reum securi percusserat, inuidiæ magis quàm doloris partes exequebatur, vt Hyrcanum & Antipatrum incubare alienis, quæ sibi & fratribus suis per scelus erepta forent, quæstu grauissimo coacerbaret extorrem se factum habitationis paternæ terram, in qua sit natus, negari sibi, tamẽ suas iniurias tolerabiliores videri, multò acerbiores illas, quibus tota gens populi Iudæorum ab Hyrcano & Antipatro afficeretur. Eósque de benè gestis in Ægypto rebus vendicare gratiam, cùm illud Mithridatis iuuandi munus, non ex insita in Cæsarem beneuolentia, sedulitas vlla detulerit, sed ex Pompeianæ conscientia societatis formido extorserit, vt esset offensionis obtectus. Aduersus ea Antipater, non verborum referens vicem, sed rerum assertionem, scidit vestem, & nudus vestimentorum, plenus vulnerum, diloricato amictu, offerens oculis circumstantium spectatæ indicia virtutis: En, inquit, maleuolentiæ meæ in Cæsarem testimonia, defendant reum, quæ tanquam animi lumina micant. Has ego cicatrices tibi Cæsar voluntatis internæ obsides tribuo. Hæc ego fidei meæ depono pignora, & inscriptos cordi apices gero. Si cimbus non creditur, hostes interrogentur, pro quo vulnera illa susceperim. Quid in me aliud, nisi fidem, quam tibi deferrem, persequebantur; At obiectat mihi pompei gratiam fateor Cæsar, me nõ hominum, sed nomini Romano amicum fuisse, idque studuisse egregiè, vt vestræ Reip. mea officia impenderentur. Militaui itaque non vni, sed omnibus, fuerit mihi charus Pompeius, sed antè mihi ille cœpit amicus esse, quàm Cæsari esset inimicus. Tuus ille gener erat, & tu socer illius. Cùm esset in partibus Iudææ, iuui, vt Imperatorem Romanum; non tamen ea pro illo, quæ pro te excepi vulnera. Tibi impendi vades mortis, & ictus telorum excepi hostilium. Quid mirum autem, si captiuus vulnerum decus nescit? & fugitiuus quid sit fides ignorat? Quid autem perpetuus hostis obiiciat mihi, nisi vestram amicitiam? Mirum sanè videtur, quòd accusatum quemquam Romanos adeat Antigonus, quos bello soleat incessere, atq; apud eos exutũ se Imperio queratur, cuius vsum ac negotium, non ad sui potentiam, nec ad insigne domesticum, sed ad lacessenda arma Romana, & vlciscenda patris germaníque exitia deliderabat.

Antipater vestẽ scidit.

Intelligitur de morte Aristobuli patris ac fratris Alexandri quẽ Romani securi percusserant.

Dynastiam Ioseph. lib. 14 Antiq. c.16.17.

uerit. Ingratus salutis tribunal Romanum non timeat, sed etiam audeat vltrò incessere, cùm sciat istic rebellionis suæ consortem pœnas luisse. Vbi Antipater finem dicendi fecit, Cæsar pronunciat dignum magis sacerdotio Hyrcanum videri: Antipatro autem detulit potestatis electionem. Tum ille eundem arbitrum honoris & moderatorem expetens, atque in eo, qui honorem daret, ponens mensuram honoris, astutè satis & verecundè decus tulit, & incrementum potentiæ. Totius enim

Antipater poposcit muros Iudæorum ædificari.

Iudææ procurator factus est Antipater, sanè poposcit, vt muros Iudææ, qui bello diruti fuerant, ædificaret. Tantúmque negotium datæ fidei securus, & postulauit & impetrauit. Eáque, vt moris erat Romanis Imperatoribus, arbitrio Cæsaris in Capitolio scripta sunt, quæ insignia honoris Antipatro conferenda Cæsar æstimauisset, vt & suæ iustitiæ, & meritorũ viri, posteritatis quoque cognitioni indicia extarent. Prosequutus autem Cæsarem Antipater ex Syria, in Iudæam flexit iter. Et primò, quem Pompeius destruxerat, murum in veterem statum reformauit. Deinde tumultus repressit, conueniens singulos affectu parentis, nunc mollioribus monitis, nunc minis, vt quæ pacis essent potiùs, quàm belli, sequenda arbitrarentur, néve exasperarent animum regis. Qui si inoffensus maneret, ciuem præstaret, si commoueretur, tyrannum exhiberet, & si mitis esset natura Hyrcanus, cauerent tamen ne eum contumelia exacerbarent, sibi quoque studium esse, vt in medium consuleret, pro solicitudine pia non pro potestate. Sed si nauare aliqua tentarent vindicandi animum sibi non defuturum, Romanorúmque amicitiam potiùs, quàm dominationem experirentur. Cui enim dubium foret ex amicis in arma erupturos, si eum cui regnum ipsi firmauerant, cognouissent regno exutum? Simul quia lenitudine ingenij tardiorem Hyrcanum nouerat, ad exequẽdas

Phaselum militiæ, Herodem Galilææ præfecit Antipater.

publicorum munerum necessitates, filiis suis diuidendam tuendæ regionis curam putauit, quod ille impar tantæ moli imperióque esset. Phaselum itaq; seniorem ex liberis præsulem Hierosolymis & Ducem militiæ constituit. Herodem quoque minorem natu atque admodum adolescentem pari honore Galilææ præfecit, Qui vbi potestatem adeptus est, natura acrior ad obeunda negotia, statim ingenio suo materiam inuenit.

Cap. xxvi. Ezechias latro grassatur.

LABORABAT enim Syria Ezechiæ latronis incursionibus. Quibus ille prædatoriæ manus princeps totam infestabat prouinciam, atque omnibus locis infensus erat. Quem correptum iugulari iussit, multósque prædonum interemit, quod ei magnam virtutis gloriam peperit, vt haberet apud Syros gratiam. Vnde in vrbibus ac vicis canentium vocibus celebrabatur, quasi pacem & quietem publicam multa post tempora reformauisset. Excitabat hic sermo secundo plebis rumore æmulationem piam laudis fraternæ, vt Phaselus iuniorem natu, quem adæquaret mentis benignitate, allectis in primorum locum beneuolentia præstantioribus, qui seuera temperarent gratia. Vnde & maximus honor Antipatro, quasi parenti publico, deferebatur: Ipse tamen nihil de beneuolentia ac fide mutauit, qua obseruare Hyrcanum solitus erat. Sed difficile est in prosperis inuidia carere.

Difficile est in prosperis inuidia carere.

Denique primum tacitus Hyrcanus ad iuuenum laudes vellicabatur, vehementiùs tamen eum, quæ præclarè gesta in Herodis operibus ferebantur, exasperabant, quem vltra leges Iudæorum & priuati modum progressum videbat, vt omnem sibi cum fratre ac patre vendicaret potentiam, Regémque exuerent omni honore, cui nihil præter nomen resedisset, quod vacuum potestatis inanem speciem præferret. Denique inconsulto eo plurimos neci datos, ac sine mandatis Regalibus interfectos, quos lex patrum perire non sineret; vnde oportere Herodem in causam vocari plerique aiebant, vt rationem daret, qua gratia violauerit legem, quæ inauditos vetaret exitio dari: debere assurgere Hyrcanum, vel hinc experturum, vtrùm Regem an priuatum sese Herodes gerat. Qui vocatus in iudicium, nisi adesset, manifestum fore, quò tanta eius insolentia aspirauisset. His atque huiusmodi Regiorum satellitum sermonibus Hyrcanus per inuidiam paulatim accendebatur, qui propriorem ignauiæ pudorem increpitabant, quod Regalium negotiorum iure decesserit, transfusa in Antipatrum & filios eius potestate, quos Dominos constituerit licentia sibi regnandi imminuta. Quibus excitus, statuit Herodem iudicio suo non defore purgaturum, quæ aduersum leges vsurpata obiectarentur. Herodes tametsi in iudicium se vocatum indignaretur, tamen vel patris monitis, vel consilio placidiore aduentabat, præoccupatis Galilææ munitionibus: sed tamen neque inuidioso agmine, vt bellum minari videretur, nec iterum in tuto præsidio, vt salutem proderet, fultus quoque Sexti Cæsaris erat aspirante sibi gratia, qui metuens, ne quid iuueni insidiarum irrogaretur, præscripserat Hyrcano mandatis seuerioribus, vt à iudicij grauioris periculo temperandum putaret. Vnde magis absolutionem iudicij Sexto detulit quam voluntati, quamuis Hyrcanus, etsi insimulatoribus celerat, vt eum in causam vocaret, volens eum absoluerit, quoniam seruare hero quàm persequi malebat. Sed ille iuuenili calore iniuriam dolens, absolutionis ingratus, perrexit ad Sextum proposito studio, vt si iterum vocaretur, non obediret, deditque obtrectantibus insimulandi locum: quamuis Hyrcanus non assurgeret ad vltionem, cùm videret superiorem: Recordatione tamen iniuria (quę tractando alitur) excitus Herodes, congregato exercitu pergebat Hierosolymam, vt solueret omnem Hyrcani potestatem, ac penè effecerat, nisi à fratre infractus & patre, impetus eius consenuisset, rogantibus, vt iniuriæ vexisse satis putaret, & minatione vindictæ modum poneret, abstineret tamen ab Imperatoris exitio, sub quo non mediocrem assecutus foret gratiam, vt tantam potestatem adipisceretur: Læsum quidem videri, quòd in iudicium vocatus sit, sed rursus affectum gratia, quod absolutus. Durum nimis, si iniuriam prosequatur, & pro salute ingratus sit. Dubium deinde ancipitémque esse bellorum euentum, grauem quoque inuidiæ sarcinam, cùm Imperatori suo arma inferat, & ei qui paterno affectu eum fouerit, sæpius iuuerit, nunquam læserit, nisi cum malis consiliariis vlus, vmbram ei excitauerit iniquitatis, qua se lusum arbitraretur.

Sextus Cæsar scripsit pro Alexandro.

Herodes Hierosolymam petit, vindicaturus Hyrcani rebellionẽ Ioseph l. 1. bel. Iud. cap 8.

Cap xxvii. Al. Internecione.

HIS & talibus fregere iuuenilem impetum, bellúmque intestinum à Iudæa remotum, sed Romanorum interuentione transfusum, atque in eos versum. Siquidem à Cæcilio Basso Sextus Cæsar dolo interemptus est, & postea Iulius Cæsar triennio & septem mensibus potestate functus perpetua, quia priuati habitum supergressus fuerat, in Senatu graues pœnas dedit, Cassio Brutoque autoribus. Vnde congregatis viribus, cùm vltum iri filius Iulius adoptiuus patris exitium, adiuncto sibi Antonio destinauisset, quia maximam belli partem, missis auxiliis Herodes iuuisse æstimaretur, totius Syriæ eidem regendæ commissa est sollicitudo. Quæ res Antipatro causa lethalis exitij fuit.

Cap. xxviii. Cædes Iulij Cæsaris.

TIMENS enim Malachus Antipatri potentiam, quæ virtute Herodis cumulabatur, corrupto vno de Regalibus ministris, Antipatro venenum parauit. Quo potato, post conuiuium statim moritur Antipater, impigro in cæteris ingenio, & maximè quærendo stabiliendóque Hyrcani Imperio vir strenuus. Tulit grauiter Herodes obitum patris, commotoque exercitu, vltorem pollicebatur, sed fraterno consilio reuocatus, ne bello intestino Iudæa inter Herodem & Malachum vexaretur, parato ad repugnandum & maximè dissimulante Malacho, quòd necis Antipatri conscius foret, in aliud genus vltionis facilè traductus est, vt satisfactione accepta, quòd nulla fraude Malichi Antipater obiisset Hyrcanum ac Malachum Herodes ad cœnam vocaret, & de sententia Cassij, qui etiam suis id negotij mandauerat ad obeundam vltionem directis: parati Centuriones præpositique Romani exercitus, venientibus Hyrcano

simul ac Malacho occurrêre in littore, atque euaginatis gladiis vtrumque eorum circumstetere. Solum tamen Malachum multis vulneribus confossum ac laniatum supremo exitio trucidauerunt. Consternatus eo terrore Hyrcanus, sensum amisit, atque omni solutos vigore mentis & corporis corruit. Paulisper tamen vbi sese recepit, interrogato Herode, quis præcepisset Malachũ occidi, vbi cognouit ex Præpositis, Cassij Romani Imperatoris iussu necatum, illicò respondit: Cassius ergò & mihi, & patriæ meæ saluti fuit, qui vtriusque insidiatorem peremit. Sed hoc siue præ metu dixerit, siue ita senserit Hyrcan. haud liquidò patet, neque nostro definiri potest iudicio. Insurrexerat Elichus, qui fraterna necessitudine Malachi mortem cuperet vlcisci, sed quia Herodem lacessere non audebat, fratrem ipsius Phaselum lacessendum arbitrabatur. Quo cognito, Herodes mouere se cupiens, retentus est corporis infirmitate. Elichus intereà munitiones quasdam & præcipuè Massadam impositis præsidiis occupauerat. Sed vbi Herodi refusus salutis vigor est, recepta omnia, ipsumque Elichum munitione Massadæ, Herodes obsecrantem dimisit. Interpellauerat eius potentiam Antigonus Aristobuli, adminiculante sibi Ptolomæo socero, quos Herodes prælio fudit, & eiecto Antigono, Hierosolymam victor reuertitur. Magna gratia etiam recentis triumphi, & præcipuè nouæ coniunctionis. Nam primò Dosis ei coniunx adhæserat, ex qua Antipatrum suscepit filium, posteà Mariamnem Alexandro Aristobuli filio genitam, secundis sibi nuptiis copulauerat, Hyrcano proximam, atque ob ea regali præditam nobilitate. Nec tamen inuidiam euasit, quòd regnum præreptum ire Hyrcano affectauerat. Nam vbi bello Macedonico Cæsar atque Antonius Cassium Brutúmque oppressere, victoréque alter in Italiam regredi maturauit, alter in Syriam properandum credidit, legationibus plurimis affluentibus conuenêre ad Antonium Iudæorum quique potiores, atque in Bithyniam processere, accusantes Herodem fratrémque eius Phaselum, eò quòd ipsi violenter inuasere rerum omnium potestatem, nomen solum Hyrcano ad speciem honoris dereliquissent. Sed præsentia Herodis præualuit, & gratia, qui non mediocri pecunia, sed & muneribus opimis Antonij animum sibi deuinxerat. Vnde ne sermone quidem vllo perstrictus ab Antonio, euacuauit inuidiam aduersum se directæ legationis. Iterum centum ferè viri Iudæorum Antiochiam adusque, non minore spiritu accusatũ profecti, apud Daphnem offendere Antonium, iam totum Cleopatræ amoribus deditum, atq; eius libidini deseruientem, ibique arguere cœperunt intolerabilem fratrum potestatem. Messala contrà refellebat assistentem Hyrcano & insolentiam gentis redarguebat, quæ factione paucorum excitata suos detrectaret, alienos quæreret, Hyrcanique iniuriam prætexeret, cùm Hyrcanus, quòd ciuibus esset accommodum, præoptauisset. Cognitis itaque allegationibus partium, interrogauit Hyrcanum Antonius, quos aptiores esse arbitraretur. Cuius affectu secundum Herodem ac fratrem eius conuenientе, quum voluntati suæ responsa congruerēt, delectatus admodum, quòd erat fratribus paternæ hospitalitatis copulatus necessitudine, quando eum cum Gabinio aduenientem in Iudæam gratissimè satis Antipater hospitio recepit, multísque percoluit officiis, Herodem & Phaselum Tetrarchas ordinauit, totiúsque Iudææ procurationem agere præcepit. Hinc quoq; multiplicatus est numerus cõquerentium: nam etsi alios legatorum custodia receperat, alios affecerat contumelia: illi tamen posteà Legati ad Antonium in vrbe Tyro degentem, facta Hierosolymis seditione pergere præcepit, voluntati ciuium non defuerunt. Et quamuis grauiter esset in reclamantes vindicatum, rursos tamen perstrepere ausi sunt: missos ab Antonio Tyriorum præses, qui eorriperet insolentiæ reos, cùm tam ipse quàm etiam Herodes atq; Hyrcanus quærerent, ne sibi grauissima sup-

Malachus solus vulneribus trucidatur.

Elichus qui alio nomine Felix apud Ios. lib. bel. Iud. 1. ca. 10. & Ant. l. 14. cap. 10. Qui Minei filius fuit.

Dosis Herodis coniunx. alias, Doris a Ruffino & Gelenio. Ioseph. Interp. vocatur.

Antonius totus Cleopatræ amoribus deditus.

Herodes & Phaselus Tetrarchæ Iud.

Præses Tyriorum.

plicia, patriæque perturbationes, & causas bellorum gignerent. A Vbi nihil profectum, sed irrationabili contentione misceri omnia cœpere, direxit Antonius armatos: à quibus alij cæsi, alij grauiter saucij, ab Hyrcano tamen vt sepulturæ mortui, aut medicinæ: qui potuerant euadere, gratiam adepti, geminæ humanitatis occasionem dedere, qua eius in ciues beneuolentia manifestaretur. Cæteri quoque qui effugerant, ita vrbem exagitando exasperauerant Antonium, vt etiam in eos, quos vinctos tenebat, suprema supplicia mandarit.

Cesserat acerbitati insolentia, sed * decursu ferè biennij effuderat se Syriæ Parthorum exercitus Pacoro Regis filio & Barzafarmane Persarum Satrapa, Barbarum agmen ductantibus. Quibus stimulator accessit Lysanias Ptolomæi filius defuncto patre, cui cognomentum Menneo fuit, exutus iam potestate per memoratum B Satrapam, sollicitauit Pacorum promissis mille argenti talentis, & quingentis mulieribus, vt Antigono regnum daret, Hyrcani solueret sacerdotium. Pacorus ministro Regio partem equitatus dedit, (quoniam ipse rebellionibus intra Syriam detinebatur) vt in Iudæam transiret, atq; Antigono rem gereret, & studium eius iuuaret: sed hoc quoque parum processerat, nisi cõfligentibus aduersum se Iudæis, Herode ac Phaselo, & contra Antigono ducibus de sententia Antigoni propositum foret, vt Pacorum conciliatorem pacis reciperent. Quod Phaselus ingenij facilitate, obnitente Herode, probatum in tempore, mox sibi perniciosum expertus, cognouit natura Barbaros esse infideles: nã missus ad Barsafarmanem, quasi pacis executorem & cum C Hyrcano profectus occurrit Satrapæ, altutè satis velanti insidias specie benignitatis. Denique profecturis munera dabat, & quemadmodum circumuenirentur dispositionibus suis construebat. Prosequebantur eos custodiæ magis causa, quam socij periculorum. Deferebantur nuncij, quod mille talentis Parthus redemptus foret ad exitium memoratorum. Ofellius quoq; fugam suadebat, quod à Saramalla Syrorum ditissimo factiunẽ eis paratam cognouerat. Sed nec sic quidem adductus est Phaselus, relicto Hyrcano sibi cõsulere, verùm adorsus est Satrapam grauioribus contumeliis, quòd pretio fidem proderet, plurísque pecuniam, quam æquitatem duceret, amplius pro salute sese dare, quam Antigonus pro regno annumeraret. Sed Persa fidem quam prodiD derat, periurio consiliare sibi nixus & suspicionem omnem depellere, haud multò post dolum patrauit. Nam eo præfecto ad Pacorum, quibus id negotij dederant, Phaselum & Hyrcanũ corripiunt exectationibus, quando aliud iam facere nequibant, vltum iri cupientes Barbarorum periuria, & perfidiam proditionis. Nec minus * Niui minister missus in Iudæam dolis prætenderat, vt caperet Herodem, sed illum iamdudum suspectantem insidias Barbarorum, grauis ad cauendum cura exercebat, séque intra munitiones tenebat. Nec simulatis à Pacoro mandatis, quibus de Phaselo eiúsque insolentia fratrem conueniret muros egredi, & alloquiis hostium sese committendum putauit. Cognitóque fratrem & Hyrcanum teneri, nocte in Idumæam suos præmisit, atque ipse cum seruulis insequentes Barbaros fudit. E Multísque cæsis, in Massadam sese properato gradu contulit, grauiores tamen Parthis expertus Iudæos, qui fugienti incubuerant, & suos quidem intra munitionem composuit, vltus sese de insequentibus. Ipse autem relictis præsidiis, quæ matri & fratribus iunioribus presidio forent, in Arabiam Petræam contendit. Insudêre se Persæ Hierosolymis, irruentes in fugientium domos, versa omnia in rapinas, bellum tumultus: cóque iniuria processit, vt regnum Antigono traderetur. Phaselus quoque & Hyrcanus in potestatem eius ad subeunda, quæ libitum foret, consignarentur: Ille autem tenere sese diutiùs nequiuit, sed continuò in Hyrcanum facto impetu, aures eius dentibus suis abscidit, ne quando vlla rerum conuersione recursus ei

Cap. xxix.

* decursu ferè biennio.

Ruff. apud Ioseph. interp. Gelen. alam equitum.

Hoc est monetæ nostræ 6000. coronat.

* Vini. al. nam Niui nomen apud Iosephum non legitur.

Hyrcani aures dentibus abscinduntur. Summum sacerdotem immutilato corpore esse oportet.

pateret ad sacerdotium: Summum enim Sacerdotem immutilatum esse oportet, nec licere per legem liquet, vt mutilato corpore quisquam summo fungatur munere sacerdotij. Phaselus ascitæ sibi mortis celeritate contumeliam præuertit, illiso capite saxis, quæ forte occurrerant, dedignatus seruari ad ludibria, vel iusso alieno mori qui posset vinctis licet manibus & ferro negato exitum vitæ inuenire. Fuit tamen etiam alius de eo sermo huiusmodi, quòd saucio Antigonus Medicum adhibuerit, quo venena vulneri tanquam medicamentum infunderentur. Quilibet exitus horum principium habuit spiritus ferocioris. Addidisse allegatur in vltimis suis, cùm iam exhalaret spiritum, cognito quòd Herodes viueret, & fuga paratas insidias euaserit, cum gratia sese obire: quia superstitem relinqueret sibi vltionem inferret. Herodes autem properauit in Arabiam, sperans se accepturum pecuniam, qua sola Barbaricam inclinari posse crederet auaritiam, vt fratris redimeret captiuitatem, ac si vel Arabem paternæ immemorem dilectionis, vel referendis muneribus tenaciorem offenderet, æs mutuum posceret pretium redemptionis, pro quo oppigneraret redimendum filium, quem ad hos vsus septennem puerum secum deduxerat. Sed præuentum est piæ studium germanitatis morte Phaseli, & in vacuum Herodes tam sedulo fraterni studia muneris exequebatur. Prius tamen, quàm de morte fratris cognosceret, Bocchum Arabiæ Regem alienũ reperit, quem amicum credebat: nam is fidem cum tempore mutauit, & iam appropinquantem Arabiæ finibus Herodem vetuit intrare. Composito quòd sibi Parthorum nuntius insinuatum foret, ne profugum suum in regnum Arabiæ recipiendum putaret, bellique grauissimi causam sibi gigneret. Quibus offensus Herodes, continuò retulit, quæ iustæ commotionis dolor promptebat, atque inde in Ægyptum conuertit. Mox tamen Bocchum pœnituit violatæ gratiæ, missisque per quos reuocaretur Herodes præuertit. Cui ingresso regiones, quas Rhinocorij inhabitabant, & de fratris interitu, & de Hyrcani captiuitate, qui sub vinculis in Parthienem deductus est, veris insidiis manifestatum, tantúmque mœroris assumptum, quantum depositum sollicitudinum, vt pro bello fugam pararet. Denique Alexandriam summo studio contendit, atque ibi cum honore à Cleopatra susceptus, quod tanti nominis virum Ducem militiæ suis expetendum partibus arbitraretur. Vnde posthabitis Reginæ petitionibus, Romam nauigauit, minores procellas hyemis ratus perturbationésque Italiæ competitas, quàm quos in Cleopatræ mobilitate grauiores omnibus naufragiis fluctus perhorrescebat: denique inexpectatis ventorum flatibus profectus, circa Pamphiliam periculum incidit, sed euasit tamen, & mutato nauigio, Brundusium priùs, atque inde Romam peruenit: Ibi paternæ amicitiæ prærogatiua adiit Antonium, deploratisque suis & domesticarum ærumnis necessitudinum, quibus in obsidione positus Romam precatum venerat, Antonium flexit, assumpta ex tanta rerum conuersione misericordia, quia rex dudum potentissimus: & qui Romanæ reipublicæ sæpiùs tulerat opem, repentè vt naufragus, & rerum omnium egens, auxiliique inopes suis in periculo positis suppliciter imploraret auxilium, sedem morauerit: in quo etsi Antonius hospitalitatis gratia, quæ sibi cum patre eius Antipatro fuerat, propensè inclinaretur, maximéque quòd * Idumæa Tetrachou faciens regno prædestinatum reliquerat.

Phaselus saxis capite illiso moritur.

Herodes in Arabiã properat pro captiui fratris redemptione. Phaseli Sup. ex Ioseph. nõ Herodis.

Ioseph. li 1. bel. c. 16. cũ dicit propter itineris celeritatem non affecutos. Parthiã regiané hic indicari certum est.

Herodes Romã veniens Antonium adit.

** Idamæã, al. in Idum.*

CAP. XXX.

CAESAR tamen beneuolentia naturali diffusior, & toleratam in Ægypto Antipatri militiam omnibus patris sui Cæsaris prælis, & hospitalem coniunctionem tanquam renouatis gratiæ pignoribus chariora habebat: suspectabat tamen versutum ingenium Regis, non æquo & bono, sed negotiorum suorum vtilitatibus prauè intentum. Senatus adeundi data copia, apud quem Messala & Atratino astruentibus paterna benè gesta, ipsius quoque Herodis officia erga Romanam Rempu- A blicam patrum authoritate decretum est, vtile Romano imperio regnum Herodis videri, quod adstipulante Antonio, bello aduersus Parthos gerendo adiungi Romanis memorati Regis societatem conduceret, dimisso Senatu, Cæsar atque Antonius & Herodes pariter egressi curia, prosequentibus magistratuum officiis deducuntur. Primóque die, quo regnum Herodi senatusconsulto delatum foret, Antonius adornat conuiuium, Regémque inuitat. Eodem ferè tempore Iosippus frater Herodis aquæ inopia fugam in nocte composuerat, sed tanta subitò vis pluuiarum terram infudit, vt omnes repleret ductus aquarum. Itaque reuocato transfugio, quod ad gentem Arabum parabat, obsidentis Antigoni copias partim insidiis partim congressione, atque aperto prælio fudit, sed & ipse plerumque aduerso exitu sese in castrum recepit. B Et iam Herodes ex Italia in vrbem Syriæ Ptolomaidem improuisus aderat, properéque egressus nauigio, cum ingenti manu ciuium & peregrinorum Antigonum petebat, occurrentibus sibi Ventidio & Silone Ducibus Romanæ militiæ, quos Antonius deducendo Herodi adesse præceperat. Eos Gellius in hos vsus directos ab Antonio licet abhorrens studio, quòd vtrunque eorum Antigonus pretio auerterat, specie tamen de proximo conuenire suaserat, siquidem in proximis vrbibus, ob reprimendi belli Parthici tumultus, Ventidius immorabatur, Silon autem intra Iudæam positus, apertam cum Antigono societatem pecunia conficiebat: nec tamen Herodes auxilio egebat, cui præter paucos Galilæorum vniuersi adhæserant: & quia propositum erat, vt de Massada, suos quamprimùm eriperet obsidiooi, C Ioppen in medio positam pugnando cepit aduersariorum manu refertam, ne ad vlteriora progressus, hostem à tergo relinqueret. & quamuis iter eius Antigonus impedire cuperet, tamen facili negotio Massadem recepit, suósque exemit periculo. Deinde profectus Hierosolymam cùm omnia fecisset, ne pugnandi haberet necessitatem, asserens se pro ciuibus aduersus rebellionem, non aduersum suos prælium recepisse: lacessitus ab Antigoni fautoribus sagittis, & leuioribus spiculis de muro sibi obstrepentes fugere coegit. Nec vlla fuisset victoriæ mora, ni dux Romani agminis Silon subornasset milites, qui de inopia querelam expromerent, vastáque omnia circa muros, difficultatémque victualium, & angustias alimentorum prætenderent: & iam tempus adesset, D quo ad hyberna eos concedere oporteret, rupturos imperium minarentur, ni sibi acquietum foret. Iámque seditio conoaluerat, nisi Herodes centurionibus pariter ac militibus Romanis medium se offerens orauisset, ne desererent eum, quem Cæsar & Antonius, Senatus quoque tuendum sibi commiserant, quum præsertim nihil defuturum vsibus polliceretur. Et completa oratione in regionem egressus, subitò rerum omnium abundantiam exercitui suppeditari fecit, vt nulla Siloni superesset causatio: & inde erectis vniuersorum animis, cum duobus millibus peditum & quingentis equitibus Idumæam recepit: quieto iam Romanorum agmine, atque in hybernis locato, dux facti Iosippus leuiori electus negotio, ne quid aduersos Antigonum maiore periculo vsurpandum arbitraretur. Ipse autem suos ex Massada tran- E slatos, cùm in Samaria prouisis, quæ munimento & vsui fore crederet, constituisset: glaciali hyeme & repletis niue locis omnibus, præueniens aduentus sui nuntio Sephorim prisco vocitatam nomine, quam Diocæsaream posteà nuncupauerunt, sine vllo ingressus prælio reficiendis, quos hyemales pruinæ atque asperiora gelu itinera fatigauerant opportunam existimauit: erat enim illic & alimentorum multa copia. Vbi refectis cibo & statiua interpositione militibus, aduersum latrones prælium adoriundum putauit, qui totam percurrentes regionem, non minore quàm bellica incursione locorum incolas attriuère. Itaque primò partem quandam equitum & peditum in vicum Arbelam præmisit, & ipse cum reliqua manu post quadraginta dies affuit. Nec ta-

Herodi regnum senatusconsulto defertur.

Niceph. l. 1. cap. 6.

Vẽtidius & Silon Romanæ militiæ duces.

Ioseph. li 1. bel. c. 12. li. Ant. 14. c. 24. 27.

Iosippus dux factus.

Latronum incursiones.

men exercitus specie territi latrones, sed cum armis occurrendum rati, præferebant disciplinam bellicam & latronum audaciam: conflictu habito, cessit cornu Herodis sinistrum, sed citò reparauit Herodes, & adhibitis adiumentis, suos statuit, insequentes percolit, atque infregit impetus eorum. Qui cominus pugnantem Herodem pati nequiuère, declinantésque vsque ad Iordanem secutos neci tradidit. Reliqui omnes supra fluuium dispersi, vt omni incursionum metu Galilæa absolueretur; residentibus tantummodo, qui se latebris recondentes, ac velut infodientes speluncis, victoriam morabantur. Erant autem in prærupto montium, concauis saxorum lateribus, inhorrêtes specus, inter scrupeas rupes, inuio vndique & impossibili, nisi locorum incolis, accesso. Qui transuersariis semitis & angustis callibus, quibus solis adiri solerent, periculi vsu, vt aduersus periculum deprehendendi tutiores forent. Cæci intus antrorum recessus, quorum in fronte petra, vsque ad profundas congregationes aquarum, velut quodam continenti iugo prominens, spem adeundi excluderet, lubrico vndique situ, de supercilio montium cadentibus aquis, & amnium curso fragroso, vt præcipitium fluentorum ruina, & saxum imminens cataractis plus terroris daret.

Descriptio horrendorũ montium.

Denique aliquandiu Rex in incerto hæsit non reperiens quemadmodum naturam vinceret. Posteà verò huiusmodi commento vsus, vt in modum arcarum machinato inuolucro, validissimos quosque includeret: in ipsa spelæorum ora armatos, retinaculis quibusdam deposuit, qui facilè inermes cedere, & cum omnibus necessitudinibus, & generatione interficere cœperunt: at si qui resistere auderent, eos iniecto igni exurere. Nullus pietati locus: Quinetiam volens Herodes plerósque eripere neci, atque ad se confugiendi fiduciam dare, auertit magis: ita vt nullus voluntarius Herodi adiungeretur, & si qui adigebantur, mortem præferrent captiuitati. Denique vnus de senioribus, cui septem filij vxórque adessent, quorum saluti consulere posset, omnes eos tali occidit modo. Singulos quosque progredi iubens, ipse in ingressu stetit, & procedentem de filiis interficiebat. Despiciens Herodes tam triste facinus ac miserabile, paterna perstrictus necessitudine, arcebat manu, & verbis rogabat, vt parceret liberis, impunitatem pollicens: at ille haud quaquam vllis inflexus vocibus, atque insuper regi conuitiatus, supra filios etiam vxorem peremit præcipitatis ex alto cadaueribus filiorum, ad vltimum semetipsum in profundum præcipitem dedit. Perterritus his Antigonus, quòd tam facilè Herodes latronum multitudinem, locorúmque superauisset difficultatem, ipsius quidem præsentiam declinauit: sed conuertit se ad Ptolomæum, quem Herodes parti exercitus præfecerat, & vir ad furta belli peridoneus, per eos, quibus mos erat turbare Galilæam, improuiso impetu Ptolomæum iugulari coegit: Iosippum quoque fratrem Herodis, germano in aliis occupato partibus, impigrè repugnantem cum militibus Romanis, qui in adiumentum eius temerè collecti aduenerant, deleuit. Nec tanto contentus triumpho, addidit etiam victoriæ grauem in defunctum contumeliam, vt abscisso capite relinqueretur: pro quo Pherora frater perempti quinquaginta talenta obtulit, nec impetrauit. Qua victoria rursus io Antigonum plurimorum intra Galilæam studia conuersa renouatáque belli negotia. Antiochiam Herodes contenderat, illic amœno satis loco, quem Daphnen vocitant, requiescebat. Vbi accepto germani necis nontio, paulisper ingemiscens passioni mœrorem distulit, vindictam parauit. Non tulit Antigonus furentem dolore, sed intra munitiones sese recondit. Irrupit Herodes, vt persequeretur tanti facinoris authores, & facilè occurrentia auertit agmina. Erat multorum nex plurima, obstructæ viæ iacentium cadaueribus, vt itinera ipsa peremptorum funeribus replerentur. Peractum esse prælium, omnibus fuga versis, si Herodes Hierosolymam protinùs dirigendum iter æstimauisset. Abiecerat Antigonus hastas, vlti-

Antigonus Ptolomæũ iugulari coegit, & Iosippum.

Maxima strages ab Herode facta.

A mum supplicium pertimescens. Confusi omnes metu, adeò vt cùm asperitate hyemis reuocatus à persequendo esset Herodes, & armis depositis, balneum esset ingressus, vno comitatu seruulo, occurrerunt ei tres viri districtis mucronibus: deinde plures, qui fugissent de prælio, latibula quærentes; hi viso Rege, turbati metu pertransire, atque ad exitum balnei festinauerunt, vt possent euadere, qui potuerant necem Regis patrare, bellúmque absoluere. Denique nemo fuit, qui fugientes corriperet, vnde coniiciens Herodes, quanta hostibus formido inesset, incubuit prælio, & Pappum ipsum Ducem aduersi agminis interfecit, atque eius abscindi caput iussit, quòd ab eo frater Iosippus regius interemptus foret.

Herodi balneũ ingredienti tres viri districtis occurrũt mucronibus.

Cap. xxxi.

ANTIGONVS intereà, fugam quam parauerat, distulit: B quem morantem Herodes circumfuso exercitu obsedit: Incubuitque ea parte, quæ erat ante templum, qua parte etiam Pompeius murum irruperat. Tanta autem iam victuriæ Regi præsumptio, vt etiam obsidione cœpta ad accipiendam vxorem Alexandri filiam deflecteret, hymenæis classicum mutans, & nuptias bello intermiscens, atque ex occasione prælij coniunctionis opportunitatem adeptus, à festis ad bellum reuertitur. Occurrit & Sosius missus ab Antonio in adiumẽtum Regium, ita coniunctis viribus, cùm vsu belli & disciplina militari Romani præstarent: & Regi studio placẽdi initerentur, vix quinto mense facta irruptio, Herodianis murum ascendere ausis. Irruentibus autem Romanorum Centurionibus oppidum, innumeræ factæ cædes, vastata circa templum omnia. Alij fugientes ad templum, alij C congregati intra domos obtruncabantur, nulla miseratio senectutis, nulla infantiæ, aut muliebris infirmitatis. Obtulit se Antigonus, & immemor loci, deiecit se ad pedes Sosij. At ille, quem tanta rerum conuersio admonere debuit misericordiæ, conuitiatus iacentem Antigonam vocauit, nec tamen quasi mulieri pepercit, sed vinctum in carcerem detrusit. Fluctuare Herodes, quomodo Romanorum manibus eriperet patriam, quomodo templum à gentilibus incoinquinatum reseruaret. Festinabant enim Romani spectare mysteria interiora, profanare sancta sanctorum. Rex verò nunc prece, nunc minis remouere singulos, fuga deteriorem arbitratus victoriam, si quid sacramentorum diuulgaretur. Instare ad prædam Romani, Herodes resistere, ne vacuam sibi vr- D bem relinquerent, regnumque sibi superesse deserti. Sosius contrà captæ vrbis prædam militibus deberi asserebat. Sed rex de proprio spopondit militi se pecuniam daturum, atque ita reliquum patriæ, quod remanserat, pecunia redemit, vt promissum impleret humanissimè milites suscepit, rationabiliter Duces, ipsum quoque Regia liberalitate Sosium remuneratus est, nemo ingratus recessit. Sosius coronam Deo obtulit, & profectus secum abduxit Antigonum ad Antonium, quem ille, quasi degeneris animi virum, securi percussit.

Antigonus deiecit se ad pedes Sosij.

Præda militaris.

Antonius Antigonũ securi percussit.

Cap. xxxii.

HERODES autem plurima etiam suis largitus, plurima Antonio amicisque eius dona dedit, nec tamen redimere ab Antonio potuit securitatem sui. Iam enim Antonius Cleopatræ amori defœneratus inseruiebat, atque addi- E ctus eius libidini famulabatur, sed vincere non poterat fœmineas auiditates, & maximè exercitatæ mulieris in cædibus propinquorum, quibus extinctis, possessionem eorum, quasi spolium suis iunxerat: eadem auaritia simul & crudelitate, si quos de Syria locupletiores fama acceperat, interficiebat: atque addicto iam ad suas libidines Antonio, regnum quoque Iudeæ & Arabiæ extinctis vtrique genti imperitantibus, auaritiæ suæ adiungi posse arbitrabatur. Sed quamuis libidine ebrius, somno grauis in hac tamen parte resipuit Antonius, vt tales viros, & potentissimos Reges, pro imperio petulantissimæ mulieris extinguere detrectaret. Tamen ne sinmunes dimitteret, amicos eor ũ perculit; possessionis maximam partem ademit, eámque præcipuè, quæ balsamum gigneret; Vrbésque omnes, intra Eleotherum

Antonij libidines. lege Plutarc.

amniem sitas, Tyro tamen & Sidone exceptis, Cleopatræ cupiditati adiudicauit. Quæ tali mercede à viro delinita, vsque ad Euphraten prosecuta proficiscentem in Parthos Antonium, per Iudæam reuertit, vbi donis muneribúsque maximis conciliare sibi Reginæ animum Herodes non prætermisit. Cui secundæ res superbiam augebant, vt muliebris impotentia supra modum sese extolleret. Siquidem non multò pòst ei Parthorum Rex Artabazes, Tigranis potentissimi Regis filius dono est datus. Quem Antonius captiuum tenens, cum omni præda & spoliis Persicis triumpho debitum, quasi vile mancipium mulieri addixit: vt quò illustrior fuerat victoria, eo turpior esset largitio, quæ regem tanto ludibrio dehonestaret. Nec tamen diutiùs potitus secundis, qui vti illis nesciebat, insolentia muliebri Augustum in se excitauit. Itaque bellum Actiacum magnis vtrinque parabatur motibus. Promptissimè Rex cum Antonio gestiebat bellum subire, quia & Iudæa ab hostili tumultu vacabat, & Hyrcanium à sorore Antigoni diu retentam receperat. Sed in hoc quoque Herodes beatissimus, cui inuisum est periculis alienis sese miscere. Volens itaque Cleopatra alienare animum eius à Regibus, atque auertere, suadet viro, vt bellum aduersus Arabas gereret Herodes: quo si superior esset, Arabia Reginæ cederet: si inferior, dominatus Cleopatræ in Iudæam extenderetur. Vter vicisset, alterum solueret. Quod consilium non ex dispositione, sed ex vsu in Herodem inclinauit, qui simul, vt prælium adorsus est, validior equitatu auertit hostem: in exitu multitudine hostium superatur, & numero circumuenitur. Congregatis in Canatha viribus aduersariorum, aduersum quos densare aciem volens, elatis suorum animis successu priorum, eâque causa in hostem irrumpentibus destituitur, & maximè fraude Athenionis, quem Cleopatra Ducem adiúxerat, non vt adiuuaret Herodem, sed vt in ipsa desereret necessitate. Denique destitutum exercitum eius in locis saxosis atque iniquis adorsi Arabes, graui cæde sternunt fundúntque, & fugatos vsque ad refugia secuti exitio dedere: affuit Herodes seriùs quidem quàm necessitas expostulabat: sed tamen vltus ærumnam, posterioribus præliis ita Arabas afflixit, vt vnam illam victoriam suam sæpiùs deplorarent. Accidit etiam motu terræ grauis animorum defectio, quo pecorum plurimum, hominum quoque triginta ferè millia consumpta sunt. Militaris tamen omnis manus, eo quòd sub dio habitabat, incolumis perseuerauit. Hinc quoque erecti animi hostium, vt arbitrarentur, quòd desertam Iudæam faciliùs inuaderent, & perculsos talibus prodigiis affligerent. Vnde eos Herodes ad defensionem sui erigendos putauit, & maximè quia legatos, quos in Arabiam miserat, necatos dolo compertum habebat. Hoc ergò trepidantes sermone adortus est. Cùm tot secundis nostrorum præliis, fractæ res hostium vsque ad ipsorum fuerint confessionem, qui vesano dolore perciti, quasi victi Legatos nostros peremerunt, mirum mihi videtur, quòd metus vos irrationabilis in tantum perculerit, vt fortuita elementorum motus iam victorum successibus præferatis: Nulla congressio fuit, qua non statim Arabes cesserint, atque in fugam conuersi, cedendum existimauerint: & vt se habent furta belli, fraude atque insidiis remedia captauerint; non vt ipsi vincerent, sed vt nostram differrent victoriam. Pro quibus cùm confidere oporteret, exagitatio successit quasi formidabilis belli, quia terra tremuit, cùm soli innocui fuerint, qui prælia gererent. Aut si considerare velimus, quibus offecerit, Arabes potiùs æstimabimus, quos in bellum reduxit, ne se fugiendo subtraherent fortioribus. Video enim illos non armis, non viribus fretos, sed pecoris nostri dispendio in aciem remeasse. Fragilis autem spes, quæ non ex propriæ virtutis fiducia, sed ex aliena pendet miseria: cùm in terris nihil tam mutabile, quàm vel secundæ res, vel aduersæ. Exiguis enim momentis status rerum humanarum nouantur. Nec prosperitas diuturna, nec

Actiacum vide Appianum.

Consilium Cleopatr. Antiq. l. 15. c. 14.

Oratio Herodis ad suos.

Fragilis spes quæ nō est propriæ virtutis fiducia, sed ex aliena pendet miseria.

A ærumna est pertinax. Itaque nec miserum esse, nec contrà perpetuum est, sed alternæ frequenter, & in iisdem variæ vices rerum. Denique ex nobis exemplum capessere licet. Conflictu superiore potiores fuimus, sed in processo prælij sors mutata, vt vinceremur ab his, quos viceramus. Ergo & nobis sperare suppetit, quod vincantur à nobis, qui nos vicerant. Incauta enim semper nimia præsumptio, & sui negligens. Timor autem prospicere futuris admonet, & diligentiam docet. In prosperis audacia obrepit, & inconsulta temeritas nescit consilium ducis expectare. Denique contra sententiam meam progredientibus, vobis Athenionis nequitia nocendi locum reperit. Nũc mihi trepidatio vestra vadatur prærogatiuam victoriam. Erigite igitur animos, & veterem Iudæorũ magnanimitatem attollite. Nec vos insensibilium commotiones perterreant, nec terrarum motus alterius ærumnæ iudices arbitremini. Habent suam naturam passiones elementorum: nec aliud timeatis, quàm quòd in ipsis offensibus est. Non enim signa periculorum sunt in terræmotu, atque animantium lue, sed ipsa pericula. Nihil est quod timeamus, quasi grauia perpessuri qui pertulimus grauissima. Propitius iam potest esse, qui vindicauit: & mitior, quàm si non vindicasset. Quid sperandum post terræmotum ac pestilentiam, nisi misericordia? Quia soluimus duplicia peccata & tamen nos, quod bello vtile sit, integrum habemus. Pestilentia enim extra bellum positos abstulit: nostra autem victoria id hostibus ademit, quod bello idoneum legerant. Deinde nobis pecus mortuum, illis consilium, qui legatos, quos misimus, contra ius fásque iugulandos putauerunt. Præuaricati sunt legem omnium hominum, ipsorum etiam Barbarorum: quoniam apud ipsos quoque, qui nesciunt humanitatem, inuiolabiles legati habentur: dum vindicta cœlestis reformidatur, & tanti sceleris vltor Deus timetur. Hoc ergo admiserunt aduersarij nostri, quod nec humanæ nec diuinæ leges multum relinquunt. Egrediamur ergo, non pro finibus aut spoliis, sed pro diuina iniuria præliaturi. Incitet nos ad bellum, non coniugij aut prolis charitas, sed præsumpta protectio Dei. Non arbitria nostra, sed diuini iuris præcepta exequimur sacra, vt pro his vindictam reposcamus, quos inuiolabiles esse oportere religio iubet. Inter arma hostilia legatio sola pacis sequestra est: etiam hostem, qui legatione fungitur, quorum nunc sanguis clamat ad Deum, & vindictam reposcit. Festinemus igitur ad prælium, dum vltorem habemus Deum cæsorum vindicem. Illi pro nobis meliùs præliantur, & circumfusi Angelorum legionibus, in acie prætendunt. Talibus hortatus milites, in hostem ruit, omnem occasionem belli requirens. Erant Arabes præstantiores numero, sed animis infirmiores: vnde congressione habita, ceciderunt ferè eorum quinque millia. Reliqui sese in munitionem recipientes, aquæ inopia fatigabantur, vt legatione missa pacem pretio deposcerent. Sed cùm se protrahi viderent, & sitis ampliùs aquis deficientibus accenderetur, egredientes plerique sese offerebant hostibus voluntariò, ferro quàm siti præoptantes perire. Quos vinctos seruabat Herodes, ne quid esset insidiarum. Itaque quinque diebus quatuor fermè millia recepta sunt, aliis ad bellum prodeuntibus, iterum ad septem millia virorum cæsa. Qua plaga humiliati Arabes à Rege, quantò virtute inferiores, tantò consilio præstantiores: Quem aduersarium habebant, quasi defensorem, & auxiliatorem sibi ipsum experti fuerunt.

SED maior victorem sollicitudo perculit, vt qui sibi alios subiecerat, non iam de finibus, sed de toto regno periculum imminens perhorresceret, victo Antonio, quem fida sibi amicitia copulabat. Denique Augustus Cæsar Actiaci triumphator certaminis, necdum superatum Antonium arbitrabatur, cùm Herodes superesset victoriæ. Anxius itaque Rex, cùm Rhodum accessisse Cæsarem vero indicio comperisset, nauigauit ad eum, ne fama terrenum iter eius præuerteret. Aduenienśque de-

na pendet miseria.

Post punitionem non nisi misericordia.

Legatis summa immunitas vide Ciul.

Ferro quam siti præoptāt perire. Ioseph l. 1. de bel. c. 14. Ant. l. 15. c. 5.

CAP. XXIII.

posito diademate, sese obtulit priuato habitu, sed mense Regia. Denique nihil veritati subtrahens, constantiam tenui, autoritatem reseruauit. Ego, inquit, Auguste fateor, me fidelem fuisse Antonio socium, vtpote qui ab eo regnum acceperim, cui me debitorem adhuc non abnuo, idque armis probassem, si Cleopatra non inuidisset, & Arabes non impedissent. Ea necessitate arma aduersum te non tuli: non quasi amici desertor, aut prælij pauidus, sed quasi domi rebus gerendis occupatus. Ingratum me tamen sibi non sensit Antonius, quòd & adiumenta exercitus, & frumentis innumerabilas copias absens miserim. Sed & tu Cæsar me non ingratum beneficiis eius iudicauisses, si Actiaco bello interfuissem. Vide quàm nihil subtraham. Plus metuo apud te ingratus in hostem tuum, quàm in te hostis videri. Iudicium mihi tuum grauius quàm bellum est, apud quem non B virtutum merita, sed vitia periclitantur. Vnde & ego malo apud te de fide, quàm de perfidia causas dicere. Vide Cæsar, quam integrum Antonium non deseruerim, victum non refugi. Vicisti Cæsar Antonium legionibus tuis maximis, vicisti consiliis tuis, vicisti imperij Romani viribus, quod dereliquit & quod negauit: & verè victus est virtutibus tuis, sed magis moribus suis. Vicit eum Cleopatra vxor, vicit eum Ægyptius amor, vicit eum Conopæa luxuries. Victus est, quia maluit cum Cleopatra vinci, quàm sine ea vincere: vicit eum mulier infestior suis, quàm aduersariis. Suaseram interimere mulieris, si vellet sibi consulere: promiseram auxilia, quibus repararem afflictum: promiseram vires, quibus fugacem iuuarem, meipsum belli consortem obtuleram: sed C mentem eius obstrinxerant Cleopatræ cupiditates: victus est, quia audire me noluit: victus sum & ego cum Antonio, minore tamen flagitio: quia illum Cleopatra vicit, me Antonius. Ille Barbaram, ego amicum non dereliqui. Cum illo posui diadema, sed ad te venire timens amici fidelis gratia, sequestraui regni insignia, sed non abieci virtutis conscientiam: vt voles iudica. Ego tamen quanis sorte iudicij tui referam mecum, quod eiusmodi fuerim amicus, æstimabitur.

Cleopatræ victoria de Antonio.

CAP. XXXIV. Responsio Cæsaris ad Herodem.

RESPONDIT ad ea Cæsar: Salue, inquit, & nunc magis regno tuo vtere, quia non inuidemus virtutibus, sed delectamur. Dignus enim es pluribus imperare, qui sic iueris amicitiam: & vt in aduersis positum non abneges, & amicum tibi confiteri non erubescas. Sed adurere fœlicioribus adhærere, & conseruare fidem in pro-D speris, iam in aduersis satis probasti. Vicerit te Antonius, sed non ego victum putabam, quem amicitia parem fecit victoribus. Propterea expeteris à nobis, quia nullus te belli euentus mutauit: quandoquidem non tu Antonium deseruisti, sed te Antonius, qui Cleopatræ magis quàm tibi credidit. Insipientia illius te nobis acquisiuit, quia perniciosissimam sibi elegit, fidelem repudiauit. Nec mirum, si Cleopatræ Antonius victus adhæreat, à qua victor captus est. Quid miraris, si à te desistere fecit Cleopatra Antonium, cùm à me dissociauerit atque ex consorte imperij hostem fecerit? Ergo & quia tu nobiscum repudiatus es, & ideò nobiscum regna. Nec hoc quidem beneficio vacat, quòd dum nos bellis occupamur ciuilibus, tu indomitam Arabum gentem subiectam fecisti, quia Iudæorum hostes pro nostris duci- E mus. Nobis enim arma inferunt, qui vos lacessunt. Nobis ergo militasti, cùm tibi vinceres: & ideò te remunerabimus, vt regnum tuum confirmetur nostro munere. Interim nihil imminuisse non parua gratia est: adoriemur in reliquum, vt non requiras Antonium. Neque enim dignum est, vt quem bello vicimus, non vincamus beneuolentia. Cùm hæc dixisset Cæsar imposuit diadema capiti eius, sedulitatem adiungens muneri. Qua dignatione Cæsaris inuitatus Alexander, ex amicis Antonij virum, cui Cæsar maximè indignaretur, volens abducere offensioni, multa deplorabat prece: sed indignatio nimia nullum veniæ locum reliquit. Proficiscentibus inde in Ægyptum, prosecutus Cæsaris iter suppeditatis

Herodes pro Alexandro frustra intercedit.

A omnibus, quæ vel ipsi, vel exercitui vsui forent, maxima sui gratia Imperatoris sibi studia conciliauit Herodes: præcipuè quia in locis aridioribus vsque Pelusium, Regali prouisione aquarum affluentia sub ministrata: quibus officiis tantum sui amorem infudit omnibus, vt plus videretur meruisse quàm accepisse. Minor quoque regni potestas, quàm humanitatis largitas æstimaretur. Vnde Cæsar ex sententia rebus intra Ægyptum gestis, Antonio & Cleopatra defunctis, non solùm quæ adempta erant, Herodi reddidit, verumetiam præter illa, quæ Cleopatra auerteras, Gadarum, Ioppem, Samariam quoque ei concessit. Maritimas quoque vrbes, Gazam, Anthedanam, Ioppen, turrim Stratonis simul donauit: quadringentos quoque stipatores ex Gallia, quibus septa incedebat Cleopatra, ad custodiam corporis Regi concessit: multáque alia. Sed his omnibus Rex pluris habebat; quia à Cæsare super omnes, infra Agrippam tamen, diligebatur, ab Agrippa infra Cæsarem.

Cæsar Herodi multa donauit. Vet. cod. vt & apud Ioseph.

CAP. XXXV.

QVINTODECIMO itaque sui regni anno, vt beatitudini suæ responderet, & gratiæ tanto rerum secundarum successu leuatus, ad pietatem intendit, & vt se gratum celestibus in se supra modum fluentibus beneficiis demonstraret, templum ornauit: omnémque illum circa templum loci ambitum circumuallauit muro, geminatísque spatiis inclusit immenso ædificandi sumptu, & exquisito decore. Indicio erant magnæ circa sacrarium porticus, quas, extruxit ex fundamentis, nec minor tuendi quàm ornandi intentio. Siquidem castrum Aquiloni subiacens communiuit, quod appellauit Antonij gra- C tiam, nullo inferius superiorum palatiorum. Addidit etiam in ipsa arce Regiæ domus gemina habitacula, maximi ambitus & mirabilis pulchritudinis, quorum gratiæ nihil conferendum arbitreris. Vnum eorum Cæsarium: alterum Agrippium nuncupabatur, vt in suis ædibus tantorum amicorum diuturna memoria celebraretur. Vrbem quoque Sebasten non solùm Rex ædificauit, sed etiam repleuit inhabitantibus. Ac ne singula persequar, haud vllum facilè prætesiit locum vetustarum vrbium, quem non renouaret labentem, aut additis, quæ deesse videbantur, ædificiis ornaret. Liberalitates quoque suas vsque ad quinquennalia diffundens certamina: vnde illud hominum genus effusis diuitiis locupletauit. Templum etiam Cæsari de marmore albo condidit ad fontes Iordanis, adeò immemor factus reli- D gionis, vt homini templum sacraret, vsúmque gentium in Iudæam induceret, loco nomen Panium est: Vbi mõs altitudinis excelsæ vertice summo in sublime porrigitur, cuius in latere vmbrosum aperitur antrum, per quod graue olentis præcipitij profundum sæuam exhalat mephitim. Intus aquarum congregatio, & sine vllo motu multa vis inerat, vt æstimatio profundæ altitudinis non comprehenderetur. Foris autem circa ipsius antri radices fontes scaturiunt: Vnde ortum illic Iordanis plerique æstimauere: nobis tamen, quid veritas habeat, in posterioribus aperiendum videtur. Erat in maritimis ciuitas, quæ Stratonis turris appellabatur, iam fessa bellis frequentibus, & vetustate ipsa inclinata in ruinam: oportunitate tamen & gratia loci præminens, quam renouauit lapide albo, & variis ornauit ædificiis, atque in E ea magnanimitatis suæ virtutem, & elegantiam operis expressit. Inter duas enim maritimas vrbes, Doram atque Ioppen sita in medio: vtraque ex parte perstringitur importuoso littore, vt omnes, quicunque ex Ægypto Phœnicem prætermeare desiderans, in salo fluctuent, quia frequenter illic mare ventis excitatur, & maximè Lybicis spiramine, cuius etiam moderatione flatu fluctus attollitur: denique illisus præcurrentibus saxis, & fracto repercussus impetu, efferum mare cadendo exasperat. Itaque Rex nullum impensis statuens modum, magnanimitate vicit naturam, portúmque maiorem Piræo constituit, atque in eo penetrata rupium vastitate, stationes tutas composuit. Mensus quoque spatium, quod magnitudini portus conueniret, saxa ingen-

Antonium Castrum.

Sebastes conditor.

Non paticula vacat in m. s. & apud Ioseph.

Aladémque illusus subaudiuit saxis.

tia in mare iecit, quibus inesset plerisque altitudo pedum quinquaginta, aliis etiam excelsior. Distinxit ipsum maximis turribus portum, quarum vnam Drusion vocauit, vt Drusi nomen, qui de Cæsaris maioribus fuit, insignibus sui operis intexeret. Gradus etiam breuiores locis interposuit frequentioribus, per quos sine graui labore nauigia subducerentur. Tribus etiam colossis ingentibus totam portus illius gratiam venustauit. Iterum templum Cæsaris editiori fundauit loco, & templi medio colossum constituit Augusti nomine, velut simulachrum ipsius, quod non minoris magnitudinis foret simulachro Olympij Iouis aut Iunonis Argiuæ. Nescias pulchritudinem in tantis difficultatibus, an validitatem operis; ac munimentum in tanto decore præstare amplius putes, quandoquidem insolubile maneat opus, & mari, & vetustati. Accessit itaque in eo opere multiplex gratia. Nam & vrbs maxima accreuit Prouinciæ, & portus nauigantibus, & honor Cæsari, cuius ex nomine Cæsarea in hoc tempore vocatur.

Cæsarea vrbs.

CAP. XXXVI.

HANC Regis potentiam prosperis affluentem successibus vnius mulieris experta societas inclinauit, mœstísque infregit doloribus, ex quo aduersum ius fásque coniugium dignitate potiùs generis quàm charitate, vsu quodam Regio metiendum existimauit. Habebat autem in consortium, Dosidem nomine, Hierosolymitanam fœminam priuato sibi antè sociatam, quæ gratior eo esse debuerat, quo fuerat felix marito, cum qua regale fuerat adeptus fastigium. Verùm immemor gratiæ proijcit Dosidem, sociat Mariamnem Aristobuli neptem, Alexandri filiam. Itaque dum sequitur nobilitatem, in perturbationem incidit, qua sibi domus propria non conueniret, cui diuersarum Prouinciarum multiplex obtemperaret populus: ac ne oculi nouæ nuptæ odio nouercali domi posito eo, quem Dosis generauerat, offenderentur, eiectus non solum paternis ædibus, sed tota quoque vrbe Antipater (id enim iuueni nomen) infaustis nuptiis locum fecit, quas pater vnici filij exilio concelebrauit, vixque festorum dierum solemnitatibus accessebatur: vidés mulier morigerari sibi maritum, etiam pietatis conuitio in superbiam côuersa, addita est etiam causa, qua iure eius animus inflammaretur: quia Hyrcanum auum suum, viri sui insidiis nouerat extinctum, falsò suspectum propter regni cupiditatem: Ipse est, de quo supra memorauimus, quem Barzafarmanes qui Persis imperitabat, cùm occupasset Syriam captiuum abduxerat, atque in Parthia primò retentum, posteà Iudæis postulantibus, qui supra Euphratem inhabitabant, miseratus sortem inclinatam permiserat: atque vtinam vt concessus fuerat deprecantibus, ita etiam credidisset monentibus, ne mora ingenij humani propinquorum cum potentia sollicitaret, vt ad Herodem transitum faceret, eam illi periculo futuram, quòd nullos magis regni cupido seruandi, quàm proximos exagitaret, atque à propinquis caueret. Verùm ille tædio peregrinationis, & suorum desiderio transiuit Euphraten, in Iudæam reuertitur. Quod altiùs in pectus Herodis, quàm quisquam ratus erat, descendit non quò ille regnum affectauerit, sed quia viro regij generis, & diu exercitati priuilegio potestatis, incertum, an ab eo abstinere se posset, æstimabatur. Laqueus igitur mortis Hyrcano, coniugium neptis fuit, cuius gratia properauit ad Herodem: nesciens, tutiùsne apud hostem captiuos degere, quàm apud Regem propinquos. Nulla itaque, vel leui regnandi suspicione, hoc solo interemptus est, quòd ei competere regnum videbatur, Diligébat interea à Mariamnem impenso amore, nec offensam volebat: Cumulauerat mulier gratiam numerosior partus. Nam quinque ei generauerat filios, sed ex tribus maribus iunior Romæ obierat, dum literis imbuitur liberalibus. Reliqui duo vltra priuatorum modum Regio cultu celebrabantur. Suffragio erat iuuenibus matris nobilitas, & suus ortus in regno, quòd imperante iam patre geniti forent, sed amor maximè Mariamnes, quo Rex magis magísque quotidiè accendebatur: vt cùm ipsi nulla vicissitudo amoris à coniuge rependeretur, caueret tamen, ne in aliquo mulieris animum mœstificaret. Æqua lance odium mulieris, & amor viri aduersum se certabant. Iustiùs tamen Mariamnem amantem se virum oderat, quàm Herodes Mariamnem amabat non amantem. Suppetebat mulieri odium de flagitio, fiducia de amore: quia altero dolore nepotis aduersabatur, altero per obsequium amantis extollebatur. Et ideo ne à conuitio quidem obiiciendorum criminum temperauit, quòd auum sibi Hyrcanum, & fratrem Ionatham per scelus eripuisset, cùm alter prosocer, alter affinis: ille propter senectutis infirmitatem seruari debuerit, hic saltem propter ætatem adolescentulam: facinus indignum, cui septem & decem annorum adolescenti summum commiserat sacerdotium, huic continuò honorem contulit, & mortem intulit; nulla alia causa, vt accepimus, nisi quòd sacerdotali amictu indutus, vbi accessit primùm ad altaria, sacrato & celebri die, subitò populus illacrymauit: quod suspectum adeo Herodi fuit, vt præ gaudio crederet populum illacrymasse, atque adeò erga ephebum prodidisset effectum suum, lacrymas illas non indices, studium populi sui periculosum, qui intimis visceribus significauerit, quòd studium erga cultum adolescentis haberet, & nobilem illum Regium nepotem impotentis mulieris filium fratrem Reginæ protecturum, quæ Regem virum dedignaretur praeruptum ad imperandum, nisi maturiùs sublatus è medio foret, cui forma, cui decoris gratia suppeteret, vt iure præferendus omnibus æstimaretur. Proposuit itaque adolescentem occidere, exagitabat eum mater adolescentis, quæ & ad inuestigandum acrior, & ad vlciscendum vehementior, nihil occultum, nihilque inultum patiebatur, eóque reuocare sese ac reprimere deliberabat. Rursus exagitabat eum cumulatior indies erga adolescentem amor vniuersorum & regni periculum. Vnde prærupto furore excitatus, statuit quouis modo sibi consulere.

Sic alias Aristobulus apud Iosephum vocatur.

CAP. XXXVII.

MITTITVR adolescens nocturnis temporibus ad vrbem Hiericho, atque ibi solitus delectari studio natandi; à plurimis quasi in ludum coeuntibus dum sine modo mergitur, in piscina necatur. Id tacitum soror non tulit, sed affectu germanitatis per conuitium prodidit, atque obiectauit marito, iussu eius sibi fratrem ereptum. Destitutam se omnibus funestam sibi domum coniugis, qui primo sibi auum ademerit, posteà germanum interemerit, miseram se exitio suis fuisse: imprecari dira viro, socrui & regis sorori, commune omnium flagitiorum vltorem Deum, poscere ne tantum facinus impunitum relinqueretur. Ferebat ista Herodes quasi amore captus, & nutibus deditus: sed furebat ira mulieribus, & ferre non poterat maledicta execrantis, & indignantis arrogantiam maximè, quia victus vernaculo eius Herodes insurgere aduersus dilectam nequibat, & ideo quò magis excitari quasi amans posset, scena adulterij contexitur, atque in mulierem istiusmodi crimen componitur, quòd imaginem suam Antonio in Ægyptum destinauisset. Quantæ istud intemperantiæ fuisse, vt absenti & prompto in libidines viro, tum præterea potenti qui potestate pro iure vteretur, formam venalem offerret vt pulchritudine illiceretur, nouæ auctionis commercio se mulierem potuisse, vine amoris an odio mariti, cuius periculũ pro mercede adulterij postulauisset? Hoc itaque commento mulierum, apud Herodem Mariamne quo magis amabatur, eò grauiùs appetebatur, nec tamen insimulatio ipsa, quamuis indignantium fœminarum, aliena veri penitus fuit, matrem enim Alexandram furentem, quòd aliùs filio suo Aristobulo in sacerdotio præferebatur (hoc enim nomine Ionatham filium suum quòd auum sibi Regem fuisse in memoriam reduceret, appellari malebat) ab Antonio per Murgam quendam literarum sequestrum petiisse filio suo sacerdotium, fides vero propior erat. Deinde adueniente in Iudæam Gellio Antonij amico, cognitum ado-

Dolo mergitur adolescens.

Matris Herodis & Salomes sororũ scilicet.

Mariamne. pictura prolicit ad libidinem.

lescentem miraculo fuisse propter excellentissimi decoris gratiam. Non minus etiam Mariamnem, cuius quò dignitas clarior, eò fama illustrior, & fortè compertam more quodam ingenij humani, quo viri quoque en se interioribus amicis chariores cupiant declarare, si præsentibus quoque necessitudinibus suis in se hospitalitatis societatem indulgeant: ibi quoque Alexandræ datam cum Sosio colloquendi copiam licet liberiori viduæ, alia quoque cognoscendi hospitis deesse copia nun potuerit, cùm præsertim huiusmodi & causas & personas requireret. Deinde collato vtrinque consilio id se dedisse sententiæ, vt vtriusque imagines Antonio dirigerentur. Perstrictum illum splendore imaginum, & Sosij præcipuè testimonio (qui nihil tale se vnquàm vidisse in terris asseueraret, & gratiam illis non hominum, sed diuinam inesse lenocinatem: vt excitaret viri minimè sobrias cupiditates) scripsisse Herodi, vt Aristobulum ad se sine B mora mitteret, de Mariamne quòd * sibi coniuncta foret, prætermisisse. Non quò coopetire libidiner suas, vel in his, quæ ouptiæ essent apud maritos soleret, cui sine periculo vsus foret, flagitiutu sine pudore, sed quò Cleopatræ caueret indignationem, quæ vtriusque quidem sexus riuali offenderetur, sed ampliùs si sociatam viru mulierem deprehendisset, quia se decore super omoes excellere mulieres arbitrabatur. Perlectis itaque literis, Herodem excusauisse, quòd sine seditione populi, & perturbatione totius generis auellere à suis nobilem non posset adolescentem, atque vt satisfaceret Alexandræ, spopondisse Aristobulu sacerdotium: sed cùm * moras fieri promissis vidisset, & arte se ludi putaret, Alexandram parauisse nauigium, ac in ipso apparatu fugæ cognito per Sabiunem, consilio reuocatam esse cum filio. His motum C Herodem dissimulasse ad tempus iniuriam, & accelerasse Aristobulo sacerdotij collationem, vt honoris specie paratæ necis inuidiam velaret: Qua peracta, vt diximus, quasi fulmine ictus, exagitatus est, simul & affectati adulterij afficto à sois crimine, quòd sciret Antuniū promptum ad libidines, & inuelatas, ex eo quòd plurimum poterat inflammautem in omne genus amatorium copiditates. Cleopatræ quoque inexpiabilem riualitatis præcipuè dolorem atque immanitatem, quæ plurimox virorum, quos seniores circa vxorum reprimendam intemperantiam comperetat, interemisset, imminere sibi periculum non solùm amittendæ coniugis, sed etiam subeundæ mortis perhorrescebat. Proposuit itaque ipse D euotendere in Ægyptum, vt Antunium vel Cleupatram, quàm maximè metuebat, † deflecteret. Euocatum alij ferunt M. Antonij literis eò tetendisse, vt necati adolescentis causas præstaret. Profecturus tamen affini suo Iosippo, cui Salome germana Regis in coniugium conuenerat, secretò aperit, suspectam sibi necem, propter coniugalis formæ appetentiam, quam missa sui decoris specie prodidisse mulier argueretus, idque quasi affini negotij committere, vt si ipse ab Antonio extinctus foret, Mariamoem necaret, ne merces flagitij superesset. Iosippus haudquaquam, vt arbitrur, studio proditionis, sed quò mulieris erga virum sopiret querelas, quibus se afflictam diceret ardere odiis viri, mandatum exprimit, atque ad affectum amantis interpretatur quòd ne mutuus quidem pateretur Heroder seiungi se ab vxoris societate. E Sed mulier longè aliter, quàm Iosippus æstimaoerat ad argumentum traxit implicatæ adhuc in se crudelitatis, cuius exercendæ post mortem qooque suam executionem affini proprio mandauisset, infestum illom sibi iniuria, qui suspiciones suas noo argumento aliquo veritatis examinaret, sed præruptæ mortis cautio vrgeret, nullum odiis finem fore, quæ vltra ipsum vitæ ac salutis defectum extenderentur. Sed Iusippus domestici mali immemor, dum alienam coniugem viro reconciliare expetit, suæ coniugis aduersum se inflammauit suspiciones: quæ & colloquia viri proprij cum Mariamne, morásque in aula Regia haud perfonctoriè ferendas arbitrabatur. Denique vbi frater reuertitur, insimulationes

* Herodi scilicet.

* moram

†, flecteret.

A non distulit, iniuriam addens suam Regalibus contumeliis, quod sibi quuque Mariamne ademisset maritum: sed Herodes præstrictus licet, tamen haudquaquam grauiùs primò commotus est, nec infensom se vxori præbuit, cùm etiam vi amoris infractus, quodam die mulieri iurare cœpit, quod tanto eam diligeret affectu, vt nūquàm alterius mulieris flagrauerit cupiditate. Iis omnes ex animo abiecerit, vt vxori fidem seruaret. Atilla: Satis, inquit, amorem erga me tuum mandatis, quæ Iosippo dederas, declarasti, præcipiens vt me occideret. Quomodo potest amare, qui occidese potest? Amens illicò Rex vbi audiuit secretum suum proditum, cugitare cœpit nunquàm proditurum fuisse Iosippum, nisi captus amore mulieris mercedem proditionis stupru quæsisset, manifestatum quod diu latebat, in aperto crimē indubia corruptione: non frustrà excitatam sororem, quæ domesti- B cam iniuriam præ cæteris deprehendisset. Itaque indignatione nimia furens animique impios exiliuit de lectulo, fugiens corruptelæ turpis contagia, nec furentem capiebat aula: audiuit soror vociferantem, continuóque rapiens tempus ad argumentum insimulandi & occasionem nocendi, confirmauit indignantis suspiciones: impulsus itaque dolore iniuriæ insimulatione germanæ, iubet uccidi vtrumque, nec multò pòst secuta est factorum pœnitentia: & vbi ira cecidit, amor successit, & passio resuscitata est, tantúsque incanduit feruor cupiditatis, vt defunctam nun crederet, atque in excessu mentis positus, quasi viuentem alloqueretur. Et sicut ad eam, quę viueret, pueros dirigebat, rogans, vt depositis simultatibus, ad sese veniret, & redderet se coniugali gratiæ. C Vix denique multo edoctus interuallo temporis obiisse credidit, quam pro amore tanquam immortalis fœminam decoris mori non potuisse arbitrabatur. Tantus erat affectus erga defunctam. Denique efferus, posteà atque in multorum necem præsentium odio fertur exasperatus, nec solùm morbo animi laborasse, sed etiam graui corporis ægritudine, quam ex pestilentia quoque aëris contractam aiebant. Nam tractus cœli corruptior plorimis pestem creauit. Vnde consultis medecinæ peritis, syluarum secretis sese abdit, & refusu paulatim vigore, venatibus salubritatem corporis, pariter ac mentis † salubritatem recepit.

Tractus cœli corruptior pestilentiam creat.

† Sobrietatem S. M.

CAP. XXXIII

HOC quoque addebat miraculis suis, quibus defunctæ suspiciebat gratiam, luisse se iniusti pœnas flagitij, & ele- D mentorum ægritudine expiatum interitum tanti decoris, excidio mundi, populorum loe vnius mortem, forte tamen impari vindicatam, cùm fructus terra aboueret, fames augeret pestilentiam. Hunc Mariamoe exitum tulit, sobriè viro pudica, sed insolens formæ conscientia. Cui magnanimitas superfluebat, sedulitas decrat, vt blāditias dedigoaretur mariti, secura quod nihil ab eo, qui supra modum diligeret, exitij perpeti posset: nec solùm ad præsena vltionem repetit, sed etiam in reliquum hæreditaria odia transmisit. Cui successere filij materni doloris executores pio erga matrem quidem affectu, sed erga patrem impio: cùm vtrique parentum pari munere ius naturę soluendum foret. Nec inexercitatos dolor reperit: Nam diu Romæ eruditi Latinis iuxtà & Græcis literis, astutiam nun mediucrem assumpserant, & absen- E tes † cumpererent necem matris, plerisque in odium patris impulsoribus asperabantur. Regressis quoqoe in cōspectus quidem paterni reuerentia sedulitatem infunderat, crescebat cum ætate malitia. Accessit etiam ex coniugij societate præsumptio, quòd alteri Salomes filia neptis Herodis, alteri Archelao genita, qui Cappadociæ regnum tenebat, in ius copulæ nuptialis cōuenerant, & nobilitas coniunctionis odiorum dederat autoritatem. Offendebator igitur Herodes, vel tacito filiorum ingenii excitatione, quàm paterna pietas pati posset, quæ etiam vultu frequenter læditur. Addebantur & stimuli ab his, qui ab insidiis filiorum cauendom, quasi solliciti crebrò denunciabant, asserentes, quòd vltrices materni exitij armarent manus. Quibus perterritus Herodes Anti-

M. S. † cōperta nece matris plerosque in odiū patris se impulsores arbitrabantur, regressis quoque ne cōspectus quidem paterni reuerētiam sedulitatémque infunderant.

Antipatrum Dosidis filium præferre fratribus, atque ad sui gratiam huberiore † effectu cœpit facessere. Ardere maioribus odiis aula Regia, & certamine fratrum cœcuti: dum illi indignantur, quod priuatæ mulieris filius sibi in regno ortis præferebatur: ille versutus adulandi, quò se inferiorem materno latere cernebat, eò studiosiùs commendare sese patri, appetere germanos compositis insimulationibus nô quiescebat, donec ipse per se, ac per alios, quos sibi adiunxerat, excluderet ipsos ab affectu paterno. Denique regnandi his spem omnem ademit, ita vt publicè condito testamento, solus imperij successor designaretur, missúsque ad Cæsarem Romam præter insigne diadematis omni ornatu cultúque Regio fulciebatur. Inde in Iudæam regressus, aucta erga se Cæsaris plurimorúmque illustrium virorum gratia, exigui propè temporis interuallo tantum præualuit, vt etiam matrem coniugio patris † adderet: geminísque, armis, adulãdi arte, & simulandi versutia, ita germanos vrgere apud patrem cœpit, vt pater filius necem pararet. Denique furens animi Romam petit attracto secum Alexandro, quem reum magici aduersum se criminis ante Cæsarem statuit. Ille data sibi copia deplorandæ calamitatis, ærumnarúmque omnium, cùm videret sibi suppeteret tanti iudicis autoritatem, qui nec ab Herode traduci per gratiam posset, nec ab Antipatro circumueniri, nihil prætereundum ratus, flagitia patris quadam perstrinxit modestia, vt nec vrgere tanquam accusator videretur, nec occulta esse sineret, cùm plurimùm causam iuuaret, si se ob necis maternæ dolorem paternis peti odiis demonstrauisset. In talibus enim iudiciis nihil magis liberos grauat, quàm naturæ pietas, & pietatis autoritas. Quæ si aliquantò traducuntur flagitio, præiudicium minuitur, prærogatiua excluditur. Vbi verò ad obiecta patris ventum, validis refellens assertionibus, alienum sceleris primo fratrem demonstrauit, qui suorum esset consors periculorum, quem innoxium in crimen vocari ingemiscebat. Astipulabatur puræ conscientiæ agendi ius & dicendi peritia, nihil sibi ac fratri relictum honoris, sublata omnia per scelus germani, patrísque facilitatem. Amarissimè deplorabat necem sibi irrogari, quam pater eousque expetit, vt crimen adiiciat, flagitium adiungat. Quibus dictis coegit in lacrymas vniuersos, atque eò sortem deduxit iudicij, vt Cæsari accusatio non probaretur, pater reconciliationem amplecteretur. Id gratum admodum & præcellentissimum Romano Principi, non solùm Regi inclyto regnum donasse, sed etiam liberos reddidisse. Itaque iusto definitum examine, vt sic paterni iuris reuerentia inuiolata maneret, & tuta filiorum innocentia, patri, vt decebat, obtemperarent liberi. Ipse inoffensum naturæ affectum cohiberet filiis, cui vellet tamen, regnum relinqueret. Redit ex vrbe Roma cum patre Alexander, iudicio magis quàm suspicione absolutus. Vacare tamen mentem Herodis ab odio filiorum Antipater non patiebatur: Ipse enim erat odiorum materia: premebat tamen studium suum continuo reconciliationis, ne appetitæ germanitatis scenam proderet, insidias manifestaret. Vbi ventum est in Ciliciam, & nauigantes in † Eleusiam applicauerunt, suscepit eos Archelaos opimo conuiuio, gratias agens Alexandri generi sui causa, quòd exemptum periculo reconciliatione etiam dignum æstimasset. Ipse etiam literis per suos directis, amicos rogauerat, vt genero defensionis adiumento forent, & discedenti obtulit XXX. talenta hospitalitatis munere, ac Zephyrium adusque Regem perduxit. Regressus domum Rex, continuò populum aduocat, apud quem hoc modo disseruit.

† affectu.

† redderet.

Antipater regio fulcitur cultu.

† Ruffin Ioseph. interpr. Eleusam.

CAP. XXXIX.

MODO causa mihi Hebræi ciues & vtilis & fructuosa fuit Romam petendi, profectò vt de filiis meis Cæsar iudicaret: ne solus ego, qui irascebar, cognoscerem, perrexi ad Cæsarem: vt qui regnum reddiderat, de successore meo pronuntiaret. Adiecit beneficiis suis, vt quod difficile erat, propè amissos filios patri repræsentaret, fratribus, quod supra regnum est, concordiam redderet. Redeo igitur ditior quàm profectus sum, didici esse melior pater, quia didicerunt filij mei esse meliores liberi Cæsaris beneficio. Statuit enim, vt ex meo arbitrio penderet filiorum successio, ne prerogatiua successionis superbiam gigneret. Ipse mihi successorem daret, quem elegissem: eum scilicet, qui meruisset: eum, qui patrem ampliùs honorauisset. Imitabor Cæsarem, ille enim absoluendo iuniores filios meos, seniori filio pares fecit. Itaque simul tres liberos hodiè Reges constituo: illi ætas, istis nobilitas adstipulatur: nec numerus moueat, magnitudo regni & pluribus abundat. Arbiter primò sententiæ meæ Deus: deinde etiam vos accedite, quos Cæsar coniunxit, constituit pater, vos honore congruo prosequimini, vt neque immoderatus neque infimus honor sit: Aliud inflat, aliud exasperat. Quod cuique portionis suæ meritis suppetit, impartiatur. Non enim tantùm quis delectat eum, quem supra mensuram honorat, quantùm lædit eum, cui debitum negat. Et plerunque vterque eorum offenditur, vbi prelationis adulatio est. Sum certè omnibus pater. Honor filiorũ haud dubiè patris * gloria est: Si tamen supra modum quis liberos meos excolat, reus est mihi etiam pro liberis meis, quibus author prolapsionis est: Nimius enim cultus audaciæ sumptus est. Nunquid inuideo liberis meis? Absit: sed malo eos minus cum gratia posse, quàm plurimum cum seditione. Quod enim superbiæ vel rapinæ est, citò labitur: quod gratiæ diu tenetur. Vnde curæ erit mihi, vt sponsores concordiæ adiungam liberis meis parentes amicósque, quorum hortatu mutuæ dilectionis affectum induant. Nam cùm omnis sermo malus facilè mentem audientis inficiat, tam maximè assidua colloquia, & diuturnus vsus pestem animis infundere solent, quò contagio quodammodo in mores cohabitantium citò transeat: etsi tranquillitas morum sit, tamen vt stagnum mite licèt, ventis exagitantibus assurgere in æstus valet: ita bona natura improbis monitoribus fluctuat. Arbitror itaque, quod in me vnusquisque spem sui potissimam debet recondere, non enim quod accedit liberis meis, mihi deperit. Plus vnusquisque tribunorum vel militum reuereri debet patrem Imperatorum. Ego, ego sum, qui mercedem vniuersis rependam, pro his etiam, quæ filiis meis detuleritis. Si recta aduertero studia, factis remunerabor, maleuolentia pretium referet suum, vt apud eum quoque, quem putauerit adulãdum, fructu excidat. Vos autem boni filij, considerate primùm naturæ religionem, cuius gratia & bestias ligat, quæ etiam feras cogit in amorem necessitudinis: manet inter indomitas pecudes mutuus amor, & periculis propriis redimunt suos beluæ. Reueremini etiam Cæsarem, qui vos ex inimicis amicos fecerit. Tertiò meipsum, qui rogare malo, cùm possim iubere: manete fratres, nolite exuere quòd generati estis. Do vobis vestem, & cultum imperialem, sed pretiosius est, quod suadeo vestri amoris intemeratum signaculum. Si pietas maneat, regnum delectat: Si desit gratia, vile imperium est & plerunque noxium. Ergo dum vos experiar, habebitis interim non regnum, sed regni honorem. Si patrem dilexeritis, ius sequetur, mei tamen amorem in vobis probare: omnibus, quibus delectare regnum solet, vt principes ponemini. Onera imperij, & moles negotiorum me solum, etsi nolim, manebunt. Et ideò vobis prodest mea velle: quia ego, quæ vestra sunt, & volo, & mea arbitror. His dictis osculatus est filios, vt eos vno osculo charitatis inuicem sibi necteret. Quo facto, conuentum dimisit.

Honor filiorum, patris gloria est.

* vet. cod. gratia hoc est patris permissione, vt filij tantum honorentur quantum pater permittat. Gual.

CAP. XL.

DISCESSERE plerique læti, quibus placebat concordia germanitatis: sed cum fratribus reuertit dissensio eóque grauior, quò dignitas potior, cui ampliùs inuideretur, & nocendi suppeteret maior potestas. Dolebant filij Mariamnes æquatum sibi priuatæ filium mulieris qui regni nesciret prosapiam. Contrà Antipater distinctam sibi † à fratribus regni spem dedignabatur, &

† ac.

inuidebat germanis, quibus posteriora pro primis vix teseruarentur. Sed hic sese regebet & valebat, odio prætendens gratiam illis consilium omne in sermone obuium, etiam non quærentibus. Promptior lingua, & secretorum prodiga, quicquid locuti forent apud Alexandrum, continuò apud Antiparium erat, multa etiam quę non dixerant, simulabantur. Pleraque internuntius cum incremento adiiciebat. Archirectua omnium, quibus appeterentur fratrès, Antipater erat, cuius vita nihil aliud erat, nisi quoddam versutiarum conciliabulum, scena improbitatis, argumentum scelerum, flagitiorum † ministerium. Subiiciebat iudices, subornabat testes, simulabat defensionem, quasi in theatro personam fratris circumferens, vt leuiora excureret obiecta, grauioribus cederet, quo magis patrem falleret, & vehementiùs in fratres moueret, maximéque acerbabat arte inuidiam paternæ necis paratæ, vt regnum eriperetur, quia Regibus metus periculi suspectior: sed ne sine repulsore minùs verisimilia Regi viderentur, ipse primò tentabat refellere, deinde constringi se manifestia rerum indiciis volebat, videri, vt perorata vtrinque causa, quasi nihil iudicio defuisset amplius, pater tanquam in conuictos filios excitaretur: nulla enim res maiorem fidem assertis dabat, quàm quòd Antipater fratrum defensor æstimabatur. Hac fraude plurimorum captabat gratiam. ipsius quoque patris in se mentem inclinabat. Quicquid quotidiè fratribus minuebatur, de affectu paterno in ipsum transfundebatur. Abducebat amicos Regios, parentésque & præcipuè fratrem Regis germanum Pheroram, & Salomen eius sororem alienos à nepotibus fecerat, vt non modò eos non defenderent, sed etiam appeterent, atque odissent. Accedebat odiorum materia vxor Alexandri Glaphira, quæ muliebriter satis præsentium insolena extollere sese † acceperat fastu superbo: eò quòd omnibus præemineret prosapiæ claritudine. Itaque quasi dominam se omnibus, qui in aula erant Regia, præferebat, patrem, auúmque † Regem sibi, & præcipuè Darium Hydaspen materni generis apicem solita iactare contumeliásque ignobilitatis afficere Salomen Regis sororem, vel Dosidem coniugem: quòd illis dolori, sibi odio foret. Cæteras quoque fœminas similiter exasperare, quæ Regi propter decorem magis, quàm propter nobilitatem generis copulabantur. Plurimis enim Herodes præter Regium morem, etiam Iudæorum vsu quasi quadam erroris licentia delectabatur, qui figuras maiorum vitiis suis obtentui ducunt. Grauabatur ergo Alexander vxoria insolentia: Aristobulus quoque iisdem quibus Glaphira sermonibus vxorem incessabat: deiecti illam status, nec conferendam Regiæ proli imparem Glaphiræ sibique esse opprobrio, quòd frater regalis generis coniugio potiretur, ipse priuatæ vxoris contubernio degenerasset, demens, qui conturbaret conuitio proprias * necessitates. Quibus perstricta contumeliis vxor Aristobuli, ad matrem cum lacrymis omnia perferebat. Salome autem comperta per filiam Regi Herodi annuntiabat: At ille monere filios quàm perdere commodius ratus, vocatos partim imperatoriè terruit, partim affectu paterno hortatus est, vt fratrem amarent, néve vt hostea dissiderēt, veniam tribuens superioribus, denuntians correctionem futuris. At illi compositis sese in simulationibus peti pluribus deplorantes, orare simul & polliceri operibus ipsis, in reliquum propriæ fidem defensioni daturos: tantummodò factum pater expectaret, ne temerè auditis crederet: non enim defuturos delatores improbos, quandiu auditor credulus suppeditaret. His & talibus emollito patre, quamuis eo tempore imminentem depulerint metum, mœstitiam tamen coaceruarunt, quòd vrgeri sese à Pherora & Salome videbant: quorum alter patruus, altera soror patris, quibus defensioni esse debuerant, insidiabantur: accedebat enim formido grauis, quòd plurimum poterant apud * patrem. Nam accepto diademate, propè vniuersam regni potentiam cum fratre suo

Antipater vafer & callidus.

† ministerium.

† cœperat.

† Cod. vet. reges apud Ioseph. Darium Hydaspis legitur quod eius filius esset.

* necessitudines.

* sub Herodem, &

A Herodes participauerat, nec mediocres vtrique contulerat opes, & maximè Pheroræ. Denique his annua † talenta centum recondebat, præter eam regionem, quæ vltra Euphratem sita, redditumm copias multiplicabat. Tetrarches quoque petitu Herodis à Cæsare fuerat constitutus, donatus etiam Regalis coniugis necessitudine, quia sororem Regiæ coniugis in connubij sui sortem asciuerat. Post cuius obitum desponsata sibi seniore Regis filia in gratiam successerat generi, nisi amore captus ancillolæ, Regalis puellæ copulam declinauisset. Qua exasperatus Herodes contumelia, ei † filiam tradidit, qui posteà Parthico bello occidit. Insimulatum tamen apud se Pheroram, quòd venenis appetiuisset fratris salutem. Qua suspicione ne viuente quidem caruerat vxore: plurimorum primò, & ad postremum ami-B corum eius quæstione exercita, vacuum eius, cuius arguebatur facinoris inuentum volés absoluit: dans etiam fugæ veniam, quòd rapta, quam diligebat ancilla, † depositionis mitæ, vt ad Parthos confugeret, similiarium suorum cõfessionibus modum detegebat. Respirauerat aliquantulum Alexander, dum Pheroras accusatus incessitur, & ipse incessit Salomen, † quòd spopondisset nuptias suas Obodæ Sylæo, qui erat Regis Arabiæ procurator, Herodi inimicissimus. Sed remisso vtrinque crimine, tempestas domus in Alexandrum incubuit, atque ipsum graui periculo inuoluit: furebat enim sæua pestis, & procella totius aulæ Antipater. Omnibúsque modis &* consensu etiam propinquorum ingrauans fratrem, ita vt turbato mentis sobriæ statu, instare sibi Alexandrum cum gladio pater magnis vocibus protestaretur.
C Venerat in medium scena huiusmodi, quòd eunuchos tres, quorum vnus pocula Regi ministrare solitus foret, alius fercula cœnæ inferre, tertius thorum obseruare Regium, nec vnquam discedere, cùm se Herodes lectulo composuisset, donis vberioribus illexisset Alexander ad sui gratiam, & turpis flagitij societatem. Quo prodito, suppliciis adacti spadones, obscenæ ludibria libidinis manifestarunt, promissa etiam amatoria tegere nequeuntes, quibus sermonibus solicitati huiusmodi forent, & qua stupri mercede retexuerunt, vt inuolutum dedecore parricidium crederetur, inesse sibi iuuentæ gratiam, formæ decorem, robur ætatis: contra inualidum Herodem, & iam senecta grauem, qui capillum inficeret, ne ætatem proderet, à quo cùm vellet regnan-D di ius in se transfunderet, præmiáque polliceri ingentia: & ideò eos in iuuene spem suam constituere oportere, non in decrepito sene, cui ipsa natura finem accelerarer. Quæ grauiter quidem Herodem mouebant: sed illud præ cæteris, quòd conspirare ei militatem manum ducésque exercitus, & centuriones spadonum indicio compertum haberet: denique ita exagitatus est, vt nullum sæuitiæ genus prætermittendum putaret, nulli crederet, omnes suspectos haberet. Velociores erant pœnæ quàm interrogationes flagitiorum, & iudicium perueniebat eorum exitus. Rapiebantur passim ad supplicium, quos aliqua incessebat suspicio. Feruebant calumniæ: multi violentes Regi placere, deferebant reos: sed ilicò etiam ipsi, qui alios detulerant, deferebantur, & cum reis suis ducebantur ad locum pœnæ. Ita efferaE uerat Herodes in vniuersos, † vbi si aliquis eorum superesset, suspectus forer. Aliter Rex non putans se esse securum, nisi deficeret genus humanum. Insimulatis irreconciliabilis, amicis incredulus, familiaribus superbus, immitis reis pauidus ad omnia, vt crebrò sedes mutaret, noctes sine somno duceret. Qui omnibus exasperatus repentè Alexandrum alligatum vinculis sepsit custodiis, & amicos eius in quæstiones vocauit. Qui negabant, inter supplicia moriebantur. Rursus tacentes, quia nihil, quod esset suspicionibus consentaneum, confitebantur, vsque ad mortem supremam exulcerati. Tamen aliqui vi tormentorum, & pœnarum victi acerbitate, propositum adolescentibus asserebant, vt venationi intentum occiderent patrem, & ad vrbem Romam fine

intelligitur de Pherora & Salome, non de Aristobulo & Alexandro filiis.

† hoc est 60 coronat. millia.

† filiam Ioseph. lib. 1. bel. cap. 17. Antiq. lib. 16. c. 11.

† dispositionis.

† restituos ex Ioseph. quòd spopondisset, nuptias suas Syleo, qui erat Obodę regis Arabiæ procurator. M. S.

* consensu.

† Vt si

Herodes Alexādrum vinculis alligatum custodiis sæpsit.

mora pergerent, vt effugij pœna cluderetur. Quod etsi nullo argumento fulciebatur, tamen ad solatium studij ferocis deriuabat pater, volens vinculorum filij causas iustas habere. Considerans itaque Alexander obseratas aures patris ad omnem sui defensionem, nec vllo modo rem posse deduci, vt de innocentia sua præsumeret, qui tantis calumniarum molibus appeteretur, similia arte nequissimis delatoribus occurrendum putauit, vt fraudulentos & calumniæ machinatores dolis circumuenitet, atque in calumniam reos vocaret, quorum se calumniis vrgeri credidit. Scripsit igitur quatuor libellos, quibus commentum sceleris, quo paternam salutem appetierit, confiteretur, atque insidiarum huiusmodi coo-scios plerosque eorum, à quibus ipse appeteretur, exposuit: atque eisdem inscripsit libris, præcipuè Pheroram & Salomem: quod ea quoque intempesta nocte * rupto adolescentis, in quo habitaret, cubiculo, illexerit inuitum, & reluctanti extorserit, vt in cœstum parraret. B Transmisit ad Regem libellos, velut indices flagitiorum suorum, quibus potentissimos quosque inuoluerat Regis comites atque amicos. In tempore illo Archelaus in Iudæam properatò aduenit: vt si quid posset, genero ac filiæ opis auxiliique ferret. Sed præuidens apud infestissimum patrem obstructos sibi aditus, legitimæ defensionis arte commotionem eius repressit. Nam simul vt aulam ingressus Regiam est, magna voce cùm iam audiretur & videretur ab Herode, velut furens animi vociferari cœpit: Viuitne adhuc ille veneficus gener meus, & carpit hanc lucem, vbi quæso est? Vbi parricidale illud reperiam caput, vt manibus * excerpam meis? Parricidio perire debet, qui parricidium voluit implere. Quid facturus est socero, qui non pepercit patri? Quis demonstrabit eum? Eruscerabo primò scelestum, adiiciam filiam bono sponso. etsi sceleris non fuit conscia, non est tamen alicuiu cõtagij, quæ parricidæ coniugio potiebatur. Non agnosco filiam meam, quæ artes non deprehendit mariti, quæ se non talem exhibuit socero nurum, vt subiectum filium patri redderet: Ego illam non ad sceleris ministerium iunxi, sed ad consortium matrimonij, vt coheredem gratiæ præstarem, non criminis adiutricem. Te miror Herodes, si adhuc viuit Alexander ille insidiator patris. Putabã iustas illum iam pœnas dedisse, quem deferri non oportebat. Quid enim diutiùs seruaretur confessor, aut parricida talis? Sed fortassè hoc quoque diuinæ fuerit prouidentiæ, vt amborum parentum iudicio condemnaretur, qui in te læsit vtriusque pietatem. Non me negabo vltorem, qui me vltionis exactæ prædicatorem parabam, sed ne filiam excipio, quam infaustis nuptiis ipse despondi, te sponsorem secutus: non enim ego illam mariti moribus, sed fidei tuæ tradidi. Reddat causas, quod vadam suum dissimulauit. maritum suum dilexit. De vtroque nunc vobis iudicium est, si firmus executor tanti doloris es, accingere, pater sequestra pietatem, non optandum quidem officium patribus, sed non dissimulandum. Si te pietas mollit, inflectit natura, mutemus vices, vt ego in tuo filio, tu in meo pignore ministerij mutui simus executores. Huiusmodi orationem circumfremens traduxit Herodem, atque à furore animi paulatim intentionem eius emolliuit, vt quasi compatienti, atque vnanimo sese crederet, & daret ei libellos legendos, quos Alexander composuerat. At ille singula quæque aduertens, vbi intellexit magis dolore congesta, quàm fide suffulta, profundo consilio minuere paulatim inuidiam tentamenti parricidalis, atque obiectorum causas in eos, qui descripti fuerant, & maximè in Pheroram cœpit transfundere. Itaque vbi aduertit Regem a sua sententia non abhorrere: Considerandum, inquit, ne fortè adolescens magis tantorum improborum insidiis appetitus apud te sit, quàm tu ab adolescente. Quid enim causæ erat, vt tuam appeteret vitam, cui regni honorem concesseras, regnandi ius reseruabas, & spem successionis? Quid enim appeteret, quod habebat? aut quemadmodum tantis muneribus

*irrupto

Incestus ex tortus.

*discerpã.

Expurgat. Alexãdrum Archelaus.

A ingratus foret? Quidve aliud ageret in tua nece, nisi vt suum affectaret periculum? quod te viuo metuere non posset, defuncto timeret, ab his vtique à quibus etiam sub patre positus, propriæ salutis excidium perhorresceret. Patet ista ætas fallaciæ, facilè decipitur, & fraudulentorum insidiis circumuenitur, vix resistit dolis ætas senilis: plerumque tamen & senum prudentia circumscribentium versutiis insidiis, irretitur. Ergo si maturior vsus sæpè labefactatus est, quid mirum, si ætas immaturior adesse non potuit sibi, cùm insidiantium cateruis perurgeretur? Illos igitur perturbatores Regiæ domus esse, illos incitatores adolescentium, seminatores discordiarum, qui in desperationem salutis deduxerint adolescentem, vt stomacho magis indulserit, & vltioni potiùs quàm absolutioni intẽderit, aliquid etiam impartierit commotioni. Quibus paulatim inflecti Herodes cœperat, & mollire indignationem circa B Alexandrum. At verò in Pheroram commoueri vehementiùs, quòd illis quatuor libellis ipse omnium flagitiorum minister, & totius scenæ architector exponebatur. Qui videns Regem Archelao mentem inclinauisse suam, atque in eum præ cæteris præponderare gratiam internis amicitiæ, ad ipsum se contulit, obsecrans, vt animum sibi Regis conciliatum redderet. Verùm ille innexum plurimis scelerum vinculis, quibus euidenter Regi parasse insidias conuinceretur, atque appetisse adolescentem, nullum habere veniæ locum aiebat, nisi deposita inficiandi versutia, quæ obiecta sibi fuerant, confiteri germano sui amanti, atque ab eodem poscere sibi indulgentiam non dubitauisset: Huiusmodi sese actioni, quibus C posset studiis, non defuturum. Mutata itaque veste, suffusis lacrymis, specie miser bili fratris iussa rens vestigiis, orare veniam, improbum item fateri, omnia de quibus argueretur, non abnuere, sed recognoscere dementiam sibi causam fuisse tantæ prolapsionis, quo nimius in eo furor amore sibi dilectæ mulieris exæstuasset. Statuto itaque Pherora suorum flagitiorum accersitore pariter ac teste, tanquàm pro mercede compositi, quòd in vsus suos caderet argumenti: Herodem Archelaus deprecabatur, vt naturæ contemplatione molliret iram, fratrique ignosceret, supra vindictam constituens ius naturæ. Nec mirum, si in maximis regnis, tanquàm in magnis corporibus * sæpè aliqua membra feruecant, quæ non incidenda, sed mollioribus sint cu- D randa medicamentis. Sibi quoque multò grauiores compositas à germano insidias, sed remisisse se necessitudini, quod debebatur dolori, vt quò magis pœnam leuaret ingrati, eò ampliùs causam grauaret. Cùm hæc atque huiusmodi alia subtexeret, mitigauit quidem Herodem, vt germano remitteret, sed ipse tanquàm inexorabilis genero manebat. Denique minitabatur, quòd diuelleret ab eo filiam, tantísque fremebat indignationis suæ motibus, vt ipse Herodes satis expiatum filij aduersum se facinus arbitraretur, vltorẽ suarum iniuriarũ rogaret, atq; ipse pro reo suo, apud socerũ interueniret, quò de integro renouaret nuptias. Perseuerabat Archelaus, cui vellet Herodes alij nurum suam iũgeret, præter Alexandrum: cuius etiam causa vxor traduceretur, atque ea arte multò ampliùs impellebat Herodẽ, vt ille filij fi- E lium redditum putaret, si coniugium eius non solueretur: Quòd ille vxorem impensè diligeret, ex qua etiam filios suscepisset, dulces auo, gratos parentibus, hoc munus restitui sibi fore, quia non mediocri ex parte bona vxor viri sui reprimeret errores, aut compensaret officiis inuidiam flagitiorum. Quæ si ab eo diuelleretur, nullum remedium viro futurum, quin præceps in omne rueret nefas. Molliores enim fieri solere scelerum præsumptiones, quæ domesticis affectibus reuocarentur. Vix tandem Archelaus inflexus, reconciliatur ipsi genero, atque eidem reconciliat patrem. Hoc consilio eripuit generum neci, vt pro mercede acciperet eius absolutionem, dum condemnare se potiùs simulat, quàm interuenire. Pro quo si intercedendum putasset, haud dubiè ni-

* in vet. cod. sæpe aliqua pars feruecat.

hil impetrasset. Addidit oportere eum Romam pergere purgatum ab his, quę pater in eo suspectauerat, quoniam omnia ipse scripsisset Cæsari. Quod æquè compositum erat, vt hoc genere Alexander cùm se purgasset, Cæsari commendaretur, atque Antipatri paratæ fratribus insidiæ patescerent.

CAP. XLI. HOC consilio soluta factio & conuersio facta in lætitiam, instauratur conuiuium in indicium initæ reconciliationis, cuius* autores Archelaus septuaginta *talenta, & sedile aureum gemmis insignitum: electi quoque Eunuchi Regali conferuntur magnificentia, & concubina (cui *Panichis nomen erat) dono datur, atque accipitur. Similiter & propinqui monitu Regis, clarissimis donis Archelaum munerabantur, nec quisquam familiarium eius exors muneris fuit: quibus omnibus Herodes pro vniuscuiusque meritis plurima impartiebat. Prosecu- B tus est etiam cum potentibus suis vsque ad vrbem Syriæ splendidissimam, Antiochiam nomine, in regnum suum regredientem. Euaserat Alexander, nisi se immersisset in Iudæam vir Archelai artibus longè exercitatior, Lacon genere, Euricles nomine, nimiè cupidus opum, earúmque pro negotio contemptor, vbi maiora potiondi spes refulgebat. Denique non contentus Laconicis facultatibus, in effusiones Regias animum intenderat, venandíque artifex Herodem* antiquis, opimis adorsus muneribus, remunerationi amplissimæ locum parauit, longéque vberiora, quàm obtulerat, adeptus tamen non satiabatur, nisi cruentis atque impiis factionibus gratiam sibi Regis emercaretur. Itaque more quodam vsúque Græcis familiari Regem adulando, prædicandísque omnibus eius, non solùm quæ laudis aliena, sed C etiam inuoluta vitiis forent, in intimam eius amicitiam breui peruenit, vt inter primos secretorum arbitros eligeretur: astipulante etiam patriæ prærogatiua, quòd Spartiatas Iudæi cognato sibi genere copulatos, pro fratribus habent. Is vbi regiæ domus vitia cognouit, suspectum animum patris, fratrúmque inter se odia, nonnis artibus charum se omnibus simulans, quasi fidus singulis habebatur: sed pro ingenio Regis, aut munerum merito sua studia formabat, vt adiunctior esset Antipatro, Alexandrum dolis atque insidiis circumueniret, familiari specie vtrumque exasperans: illum prærogatiua ætatis regno debitum, istum materni generis præditum nobilitate iure superiorem: neque cum vilissimæ corruptelæ pignore æquale illi consortium. Quibus captus Ale- D xander, vtpote adolescentior, qui delectaretur his, quæ dicerentur sibi, non perpenderet illa, quæ rursus de se apud Antipatrum componerentur, effudit sese Mercenario Antipatri & proditori suo, aperuítque mentem lubrico ingenio, affectúque incauto, patrem sibi autorem malorum conquerens, qui matrem sibi eripuerit, regnum decolorauerit, quod sibi ab auo, veterísque prosapiæ insulis debitum cupiat auertere, fraudari legitimos iure successionis, præferri spurium stupri mercede: sed non diu quietura iudicia Dei, vt qui vxorem innocentem necauerat, non etiam ipse properè parato per coniugem imperio defraudaretur. Quæ sine mora Lacon ad Antipatrum deferebat, circumueniri etiam Aristobulo, vt eiusdem querimoniæ laqueis innecterentur, E & pretio coaceruata Regi insinuabat, dicens, silentio se premere nequiuisse tam immane facinus, & pro hospitij munere gratiam se lucis repræsentare, quam ereptum ire filij pergerent, quos nisi ipse simulatione consilij fidelioris reuocauisset, iamdudum Alexandri gladio interfectum patrem, regnúmque indignis hæredibus vacuefactum. Neque Alexandro religioni esse parricidalem atrocitatem, qui maximi sceleris loco duceret, quòd adhuc aui matrísque necem inultam haberet. Conueniri se ac perurgeri peremptoriis querelis, vt tam atrox flagitium vlcisceretur. Deberi sibi inferias interfectorum exigi, successionémque eorum non oportere contaminari, vt ab eo, qui maiores eorum occiderat, regnum adipisceretur, renouaturum se iudicia Cæsaris non simi-

A li vt antè, reuerentia, sed vt Cæsar ipse cognosceret omnia secreta Regis, quæsitas sanguine opes, prouinciam labefactatam,* repertum se ab inferis auum, matrísque acerbissimam necem demonstraturum, vt successor aliquis in regnum Regium subrogaretur. Excitauerat Regem Euricles, Antipater tamen parui æstimans vnius suggestionem, alios quoque accusatores fratribus subornabat, qui dicerent cum Ducibus quondam equestris exercitus Iocundo & Tyranno sermonem initum, compositas regi insidias dolore † decessionis, in ceruicibus periculum, nisi maturè caueret. Denique non distulit Herodes, ilicóque raptos seuerè interrogat, sed nihil illi, de quibus arguebantur, confessi reperiuntur. Et quia impunè tam grauia simulabantur apud eum, qui criminum se vindicem profiteretur, & negli- B gentem calumniarum, non deerant, qui huiusmodi insidias machinarentur, quas acceptiores fore patri crederent. Nam & epistola prolata est, quasi ad castelli Præpositum ab Alexandro & Aristobulo data, vt occiso Rege, confugiendi sibi potestatem faceret, donec se armis aduersum se insectantes munirent, cæterísque subsidiis defensionem pararent. Excruciatur castelli Præpositus, & nihil fatetur. Nihilominùs tamen haud vllis affectati sceleris indiciis extantibus, quasi rei Alexãder & Aristobulus dãtur custodiæ. Euriclas † quinquaginta donat⁹ talentis author salutis ac vitæ habetur. Dignum est, nec eum silere, qui Euriclis tempore in Iudæam transmissus erat fidissimus amicorum Alexandri, quem Rex quasi conscium tentamentorum illius interrogandum putauit: vtrùm nec congruerent, quæ C Spartiates de adolescentibus † nuntiauisset. Verùm ille nihil se de illis quicquam eiusmodi cognouisse, sacramento interposito fidem fecit: sed adolescentibus nihil profuit. A se quæstionem depulit, ne minueret delationis inuidiam, & euacuaret Euriclis fraudulentiam, si seueriùs interrogatus negaret. Quasi indignus igitur cui crederetur, ab Herode excluditur. Bonus enim pater accusari filios libenter audiebat, non sinebat defendi: Delectabatur, cùm appeterentur, offendebatur, si purgarentur. Denique † Spartes ditatus regalibus præmiis, vbi tamen Achaiam attigit, calumniarum pretium luit. Salome cùm purgare sese nequiret, quòd Sylæo Arabi pepegisset nuptias, vbi generi secretum prodidit, monentis vt consuleret sibi quo fratris commotionem D euaderet, eo quòd spe futuræ coniunctionis consilia Regis Arabis annuntiare suspecta accerseretur, delicti gratiam meruit, & omnem sæuitiæ Regalis in adolescentes procellam intorsit, quo vltimo atque ineuitabili naufragio demersi pœnas dederunt. Vinciuntur itaque, & quod ipsis erat durius vinculis, à se fratres separantur: missísque Volumnio militiæ magistro, atque Olympio ex amicis regis viro arguuntur apud Cæsarem: at ille offensus licet, quia filiorum supplicia pater posceret, negandum tamen patri non arbitratus potestatem, in liberos suos dedit licentiam, sed consilium adiunxit: asserens melius consulturum, si proximorum Regis eorúmque qui præessent prouinciis, concilium congregaretur, & iudicio communi proce- E deret interrogatio: vtrùm ne aliquæ patri insidiæ paratæ à filiis forent: Et si conuincerentur intentati parricidij, ferientur: Sin verò fugæ aut leuioris culpæ arguerentur, esset vindicta moderatior. Hac permissa sibi Herodes parricidij potestate, sed iudicij conditione: etiam moderationis admonitus, ad vrbem ilicò Berithon properat, quam iudicio celebrando Cæsar præscripserat. Conueniunt Præsules Prouinciarum secundum scripta ad se data à Principe Romano Cæsare. Saturninus Legatique † consident, inter quos & Procurator Volumnius. Deinde cognati amicique Regis, Salome etiam & Pheroras, & Syriæ primores. Archelaus solus excipitur* ex Cappadocia suspectæ in generum arcessitus gratiæ, cùm accusatores adolescentium, insidiatorésque iudicium repræsentarent. Sed quæ iu-

Margin notes:

* cuius autori Archelao cod. vet.
* hæc summa hodiè 42. milla coronatorum.
* Cod. vet. panuchis. Iosep. pannichis & per y. scribi debet cum veniat à dictione Græca quæ pernoctationē significat.
* dictio Antiquis vacat in M. S. In quibusdam passim legitur Archelaus pro Antipater.
* repetiturum.
† Cod. vet. ascriptū habuit successionis. Herodes raptos filios seuerè interrogat.
† nostri reduxerūt ad 30. millia coronat.
† nuntiasset
† Spartiates
Ioseph. 16 Antiq. cap 16. al. 13.
† consident.
* rex Cappadociæ.

dicij species, vbi rei adesse sibi non permittebantur, & absentes accusabantur? Aduertebat enim Herodes, quoniam si tantummodò viderentur, prona hominum conditione ad misericordiam ilicò absoluerentur: maximè vbi naturalis esset gratiæ prærogatiua. Deinde si vlla copia defensionis Alexandro permitteretur, quòd obiecta facilè dissolueret. Itaque relegatis illis in vicum Sidoniorum, quasi in præsentes accusatio dirigebatur. Obiiciebantur à parte insidiæ sibi paratæ, nulla probatio deferebatur, nulla indicia tentamentorum: hærebat accusator, quem nullus redarguebat. † Destitutos vndique congregabat inuidiam contumeliarum, iniuriarum genera, quæ grauiora morte ab his qui considerant æstimarentur. Sed nemo discutiebat, nemo examinare audebat, quòd à patre arguebatur, à Rege imperabatur. Præiudicabat pietatis species, terrebat ius potestatis, interrogabat sententias securus victoriæ, nescius quòd in eiusmodi iudicio ærumnosior esset, qui vinceret, quàm illi, qui tam acerbè addicerentur. Saturninus condemnat adolescentes, quia aliud non licebat. Sed moderatur sententiam, cauendum asserens, ne peremptis duobus ex tribus fratribus, tertio fratri adscriberetur mors duorum. Timidè quidem, sed causam locutus est, quòd ille esset fratribus author periculi. Secuti sunt eum pauci ex pluribus. Volumnius autem funesta immurmurat, & post eum omnes * volente Rege, tali authore pensantes mortis sententiam, diuerso quidem affectu, sed pari sorte expromunt, quibus hoc aut adulatio extorserat, aut odium insuderat, vt aut regis affectaretur gratia, aut parricidæ crudelitas grauiore pœna afficeretur, qui in victoria sua, tam amarum de se triumphum reportauisset. Nemo tamen quasi factum horruit, & quasi commotus pronuntiauit. Scenæ enim species erat, non iudicij disciplina condemnare absentes, condemnare sine teste, sine iudice, solo naturæ priuilegio, quòd ad salutem magis quàm ad periculum deriuari soleret. Stupebat omnis Syria, atque omnis Iudæa, & attonitis mentibus tantæ tragœdiæ finis expectabatur. Quamuis etiam nota esset Herodis crudelitas, nemo tamen credere poterat, quòd vsque ad parricidium perseueraret. At in illo effera vis animi nec mari, nec terra cohibebatur. Itaque tanquàm vsu triumphantium, vt diuersa filios traheret, Tyrum vrbem inclytam petit, inde in Cæsariam transmittit, nauigio spectaculum miserum parricidij circumferens, donec color vllus acerbissimæ necis filiis inueniretur. Mouebatur omnis exercitus, sed metu indignationem † premebat. Erat in exercitu Regio veteris militiæ vir Tyro nomine, filium habens coniunctum Alexandro, indulgentissimus pater, atque ob ea pignori charus, quoniam popularis quædam pietatis est gratia, & maximè in suos illex dilectionis. Circa adolescentes quoque filios regis studio propensior, quòd ab his suus filius diligeretur. Qui supra modum concepta indignatione, turbatus animi vociferari cœpit: opprimi iustitiam, veritatem excludi, aboleri religionem, confundi iura necessitudinum, naturæ gratiam, superfluere iniquitates. Ad postremum in os ipsius Regis progrediens, ingerebat miserum esse illum, qui aduersum filios suos credendum improbissimis arbitraretur: Pheroram & Salomen consilij arbitros Regis. Quam fidem ab his referri posse, qui se condemnatos capitis à Rege frequentissimè recognoscebant, aut quid eos aliud agere, nisi consulere vindictæ, vt destitutus idoneis successoribus ad vnum † inclinaret cæteris infirmiorem? Qui facilè subduceretur, quòd ipse regius exercitus odio persecuturus esset eum, cui mors soluta esset fratrum duorum. Neminem esse, quem non innoxiæ ætatis tangeret misericordia. Plerosque autem Ducum indignationem suam non iam premere, sed diuulgare. Quorum vocabula locutus, finem dicendi fecit. Quibus illicò cum Tyrone correptis, Tryphon ex ministris aulæ regiæ, cui tondendi ars atque vsus suppeditaret, subitò quadam animi vanitate indicium sui facit compositum à Tyrone asserens, sibique

†al. destitutos aut si manus in destitutos minus offensionis habere ore ratio.

M. S. † volētiam regis.

† premebāt

† inclinaretur.

Mors regi struitur.

A persuasum, vt cùm ex more barbam Herodi raderet, nouaculam gutturi eius imprimeret, quò peragerer necem: idque ei maximo emolumento fore, quòd de muneribus Alexandri polliceretur. Statuitur Tyro cum filio, exercetur deinde simul quæstio. Negantibus illis, isto nihil ampliùs deferēte, cùm deesset manifesta rerum fides, nullum suppeteret argumentum, nullum indicium documentorum, Tyro iubetur vehementioribus tormentis excruciari. Tūc miseratus filius supplicia patris, spondet aperturum se omnia, si patris salus sibi condonaretur, atque à Rege promissa venia suggerit, quòd impulsus ab Alexandro, pater necem Regi parasset. Idque plerique ad tempus compositum rati, vt tali pignoris indicio Tyroni consuleretur: alij pro vero edictum loquebantur. Sed Herodes dubia pro certis adiudicauit, tanquàm metuens, ne parricidij sibi facultas periret. Con-B uocato itaque populo, & congregatis ducibus, de insidiis deprehensis motu grauissimo promit querelam, atque in mortem eorum plebem excitat: ibíque Tyro cum filio pariter atque tonsore, saxis ac fustibus interficiuntur.

Luit Tyro cum filio atque tonsore.

ALEXANDER quoque & Aristobulus missi ad vrbem Sebasten, quæ non longè aberat ab vrbe Cæsarea, strangulantur imperio patris. Hunc finem habuēre filij Mariamnes, quorum interitu non longum lætatus, successionem ipsi remotis illis Antipater haud dubiè blandiebatur: sed in eum totius gentis mox non leue odium exarsit, quia apud omnes patebat eius factione fratres occubuisse. Successit etiam non mediocris timor consideranti, quàm multiplex indies adolesceret interfecto-C rum prosapia, cùm Alexander ex Glaphira genitos sibi Tigranem & Alexandrum filios dereliquisset, Aristobulo ex Beronice Salomes filia, Herodes & Agrippa atque Aristobulus superstites manerent: Herodias quoque & Mariamne, filiæ, quas sexus non impediret, & regni cupido exagitaret. Queis rebus perterritus Antipater, in fraude ac versutia spem constituere, & donis & muneribus singulos sibi magis magísque oppignerare, etiā amicos & domesticos Cæsaris * illicere ad sui gratiā pretio tentabat. Sed contrà illi etiam, quæ domi erant, in aduersum sedebant. Nā rex paulatim processu tēporis erga nepotes suos Alexādro & Aristobulo genitos molliebatur, & facti pœnitentiā prætēdebat, cùm eorū, quorum parentes occiderat, misereretur. Deniq; congregatis ami-D cis & proximis suis, quadam die lacrymis suffusus ora, dixit ad eos: Video mihi ætatē procedere, & sine lacrymis aspicere non possum paruulos hos infœlicium germina patrum, quibus ego sum author doloris, ne peiore eos derelinquam conditione, quàm parētes abstuli: Sed illos mihi quædam eripuit ærumna, hos mihi magis magísq; commēdat natura & misericordia. Altera, quia nepotes; altera, quia destituti parentibus sunt. Errauerunt in patrem filij, quid fecerunt auo nepotes? Satis infœlix pater fui, auus esse debeo solicitior. Tentabo post me consulere nepotibus, vtinam & in filiis mihi consuluissem, verùm in illos communis hostis atque inimici obrepserit fraudulentia. Cauendum est quoque, ne hos illorum inuoluant pericula, atque vno vulnere simul filios amiserim, & nepotes * perdiderim. Prouideamus his defenso-E res, quibus ademimus: desponsabo itaque seniori ex filiis Alexandri tuam mi Pherora filiā, & te ei constituam patrem. Tu autem Antipater filio Aristobuli filiam, vt hoc modo fias pupillæ pater. Germanam quoque eius accipiet Herodes meus, ex Mariamne Hyrcani susceptus, filiam: hæc, inquit, est mea sentētia, vt inuicem sibi coëunte copula iungantur posteritatis meæ successiones, quò nemo suspectus alteri sit, & ipse tranquillioribus oculis videam nepotes meos, quàm vidi eorum parentes. Quibus dictis, iunxit memoratorum dexteras, & osculatos singulos, illacrymauit. Quod Antipater, lætantibus aliis, ita grauiter accepit, vt statim dolorem suum etiam vultu proderet, haud mediocri constrictus sollicitudine, quòd Alexandri filiis Archelai Regis & Pheroræ,

CAP. XLII. Alexander & Aristobulus Herodis filij strangulantur.

* allicere.

* perculerim.

qui Tetrarchiam tenebat, suffragia superere cerneret cæteris validiora. Aduertebat odia sui crescere, nepotibus autem astipulari misericordiam. Nec poterat Aristobuli filiam recipere domo, ne sceleris indicium diuturnis eius aspectibus offenderetur. Adire non audebat patrem, ne ad omnes mobilem suspiciones exagitaret, si complacitarum fœdera nuptiarum soluenda existimaret. Subtiliter tamen præsumpsit orare, vt consuleret ei pater, ne aduersus duorum potētium opes Regis, & Tetrarchæ nudo regni nomine inualidus exponeretur. Foueret certè honorem, quem * confœderandum filio iudicaret, ne species regni ad eum, * potestas ad illos perueniret. Neque vero solos Alexādri atque Aristobuli filios suspectos habebat, sed omnes obstare sibi arbitrabatur: quicunque ex diuersis Herodis coniugibus competere,

*cōferendū
* virtus.
Iosep. 1. de bell.

B vel taciti videbantur regni successionem, quorum frequens numerus erat. Nouem etenim mulieres Regali coniugio potiebantur, ex his duæ tantum sine liberis erant, cæteris soboles suppetebant. Antipater Dosidem attollebat parentem, Herodes Mariamnem, Antipas & Archelaus Matehais erant filij Samaritanæ, & filia Olympias, quæ Iosippo iure connubij sociebatur. Cleopatra quoque Hierosolymitana Herodem & Philippum genuerat Herodi: Pallas Phaselum. Erant quoque etiam aliæ regi filiæ Roxane & Salome, quarum vni Phædra erat mater, Helphis alteri. Supererant etiam Alexandri & Aristobuli germanæ sorores, quas Mariamne ex Herode susceperat, sicut suprà memorauimus. Multiplicem itaque generationem Herodis metuens Antipater, ægrè licet atque in primis tentamentis multum Rege com-

Ioseph* antiq. lib. xvij. ca ij. & bel. Iud. l. 1. cap. viij. circiter medium lōgè aliter hæc nomina vxorum Hero. explicat.

C moto, quòd destitutis paterno auxilio nepotibus inuideret dispositas copularum societates: ad postremum * tantum effecit, vt sibi Aristobuli filia, atque ex ipso genitus Pherotæ patentis sui filiæ coniungeretur, tantum adulatione præualuit, vt pactas nuptias solueret. Contrà autem Salome, cùm vellet Sylæo nubere, nec suffragio quidem * Lybiæ, quæ vxor erat Cæsaris, potuit de fratre impetrare: sed inuita * Alexandro cuidam ex amicis Regis in nuptias conuenit. Subuersis itaque dispositionibus Regis, Antipater quasi is, qui vt voluerat sibi cōsuluisset, exultabat animo, & superabat omnes versutia. Odium tamen nullo modo comprimere poterat, sed accendebat, quoniam affectabat terrore sibi munimentum parare. Conuoxerat autem sibi cooperarium factionum

* tamen.
* Liuiæ
Ioseph li. 1. bel. Iud. c. 18
* Alexan. vocat.

D suarum Pherotam patris germanum, quem Herodes non multò pòst recusantem, ab vxore propria diuellit, cui ob iniurias, quas ea mulier Dosidi coniugi eius intulerat, infestior habebatur, domóque expulit. Pherotas autem amplexatus iniuriam, in partes suas concessit, quibus vt Tetrarcha præsidebat: ea sanè mentis intentione, vt ad Herodem viuentem nunquam reuerteretur. Denique nec tunc quidem, cùm eum ægritudine graui affectum comperisset, & frequenter orantem, vt ad sese veniret, quòd ei quædam, quasi moriturus, committenda arbitraretur, visitandum existimauerit. Qua perculsus licet iniuria, Rex vbi præter spem incommodum depulit, tamen fraterno affectu venit ad eum, vbi ægrum comperit, & sedulò compatiebatur, & defunctum Hie-

E rosolymam transtulit, & magno fletu celebríque pompa funus curauit. Nec tamen his indicijs sedulæ charitatis conceptam exclusit opinionem, quòd eum frater veneno appetisset. Ita erat etiam in suos crudelis, nec difficilis fides rerum, quòd potuerit fratrem occidere, qui filios interemisset.

Ioseph. lib. 1. bel. ca. 16.

cap. XLIII.

HVNC itaque vnus de interfectoribus Alexandri & Aristobuli improbitatis suæ finem inuenit, à quo exordium sumens, in Antipatrum pœna transiuit sceleris authorem. Namque libertorum querelis, qui patronum suum veneno interfectum † assererent, stimulatus Herodes, dum solicitiùs quærit cognito, quia ab vxore de succis Arabiæ accepisset Pherotas poculum, quod amatorium putaretur, idque venenum fuisse, quod Sylæi studio traditum, & illicò in pestem conuersum, in

†asseuerarent.

A plurimorum quæstionem tetendit. Vnde quædam inter tormenta de ancillulis exclamauit, vt Deus omnipotens in matrem Antipatri omnia supplicia transferret, vniuersorum arbitram flagitiorum, per ipsam occultos conuentus Antipatri ac Pherotæ diu noctúque exercitas potationes, vsque ad temulentiam, vt à conuiuio Regis recipiētibus sese, totis noctibus biberetur. Quod non otiosum nec coniurationis vacuum tentamentorum, remotis præsertim seruulis & ministris iure suspectabatur, magnúmque vinculum connexionis & conspirationis indicium tam diuturnæ moræ, quæ Regibus suspectior, in solitudinis secreto, & noctis silentio: Ibi compositum, vt Antipater Romam peteret, Pheroras in † Petram pergeret: Quod frequenter inter se conferre soliti prodebantur, eò quòd post Alexan-

B drum & Aristobulum, in ipsorum necem sese Herodes conuersurus foret, miseros se, qui putassent, quòd Herodes in illis parricidales cogitationes odisset, qui regni hæredes persequebatur. Sublatos esse non potestatem æmulos, sed consortes miseriarum, in se periculum † omnium & odia transisse, ne mulierum quidem parciturum sexui, qui dilectæ sibi Mariamnæ, atque ex ea † genitæ non pepercisset. Nullum sibi aliud remedium, nisi vt longiùs aliquò sederent, quò tantæ bestiæ furori vel fuga eximerentur. Adijciebantur crebræ apud matrem Antipatri conquestiones deplorantis, ardere se inuidia Regalis successionis, cum sæuitia regni super ipsum præcipuè incubuerit: vt iam sustinere non queat, vltimis † deditus obsequijs, & postremis vrgeri peri-

† ver. rod. in Petræam secessit. Nā Ioseph. trans flumē Petream describit. lib. 3. bel. c. 2. & Egesi. lib. seq. c. 9.
† omne.
† genitis Ioseph. lib. 1. bel. c. 19.

C culis. Nec solùm regnandi ius sibi perisse, sed viuendi quoque curricula † conuoluta temporum. Ætatem sibi maturiorem, incanuisse iam verticem, contrà autem iuuenescere patrem, frustra sperare eius hæreditatem, qui fortasse etiam superstes hæredi tam diu reseruaretur. Quod autem emolumentum successionis sibi futurum longæuo hæredi, cui tam multiplex Alexandri atque Aristobuli soboles, velut quædam hydra renatis quæ amputata fuerant, capitibus regerminaret. Ex testamento patris etiam iam ius commune ereptum, vt data spe regnandi, cuius ad tempus vicarius foret, non aliquem ex suis filijs in suum imperium † sustinere: sed Herodi Mariamnes filio necesse haberet regnum refundere. Itaq; non ad fructum sibi regni spem datam, sed ad periculum, vt esset decessori suspectus, successori grauis.

† debitum
† euoluta.
† substitueret.

D Postremò ipsum Regem longa senectute viuidum & intentum cædibus suorum sui esse testamenti executorem, vt nemo superesset, qui posset succedere, ferri odio graui in filios, nec in fratrem minore, qui sibi † dederat centum talenta, ne cum patruo suo sermonem haberet. Et respondente Pherota: In quo enim eum læsimus? Num etiam ipse successor sum? retulisse Antipatrum, nonnullas habere cum causas offensionis. Vtinam amissis omnibus, liceret offensioni seipsum componere: Feram esse bestiam, quæ ne mortibus quidem satiaretur, nec posset perpeti vllam inter propinquos charitatem manere. Atque vtinam amissis omnibus liceret, vt nudi eum tantummodo viuentes euaderemus, sed impossibile. Ideóque sibi occulta ad tempus colloquia. Necessarium au-

† dedere hodie facit 60. mil. coron.

E tem fore tempus, quo vterentur virili mentis vigore, & consilij viuacitate, dexteræ quoque vindictis ministerio. Hæc à mancipijs in supplicio positis respondebantur, & mancipio credebat Herodes, maximè quia de centum talentis soli Antipatro dixerat, nec vllus sermonis eius affuerat interpres. Succensus itaque indignatione, rapit ad supplicium plerosque & innoxios, ne quis de olinoxijs relinqueretur. Accersitur ad supplicia Antipater Samaritanus, eò quòd esset Antipatri procurator, & diuersis excruciatur modis. Prodit quæstio, missum ex Ægypto venenum per Antiphili quendam contubernalem, idque ab illo datum Theudioni amico Antipatri, per ipsum Pherotæ redditum, cui Regis filius Antipater executionem commiserat, vt dum ipse in vrbe Roma degeret, pater eius Herodes extingueretur. Quo

*paratæ.

tempore nulla de absente * paratæ necis suspicio foret: sed Pherotas cùm in tempore venenum acceptum vxori propriæ commẽdauisset, recurrit altera in vxorem Pherotæ veneni inuidia: iubet illicò Rea Pherotæ vxorem venire, venenum deferre. Egreditur mulier quasi perlatura quod petebatur, & sese de fastigio præcipitat ædificiorum, quò gemini pondus criminis euitaret, atque obitu præueniret indicium rei, & quæstionis acerbitatem. Sed quia maturabatur Antipatro feralis vltio parricidij, non supra verticem capitis ruit, quo casu facilè extingueretur, sed in aliam partem corporis decidit, vt mors protelaretur: consopita erat tamen atque attonita mulier, quia ex alto deciderat loco. Iubet eam paulisper recreari Herodes, donec ad se rediret, spondet veniam, si simpliciter aperiret gestorum ordinem. Non de nihilo esse, quòd sese præcipitauerit, sed magni criminis con- B sciam, compendium supplicij quæsisse. Impunita sibi omnia flagitia confitenti fore: at inficianti aceruanda supplicia, ipsam quoque sepulturam negandam. At illa vbi se resumpsit paululum: Et cui, inquit, adhuc ego secretorum seruabo * silentia Pherora mortuo? Illi enim debui fidem tacendi, pro quo supplicia non recusarem, si necessaria forent: Sed ille nunc liber à cruciatibus, & si † venialis erroris correctio est, liber à culpa. Quid igitur inuoluere veritatem mendacijs † cogitem, vt Antipatro morem geram? Parcam ergo illi, nõ parcam mihi? Egregiam ergo mercedem debemus viro, qui nos omnes sceleribus suis in hæc supplicia deduxit. Audi Rea, Deo Præsule, qui solus mihi veritatis arbiter est: proposui enim nihil fallere, audi inquam, sed priùs repete, quemadmodum assederis lachrymans germano periclitanti, vt impleueris omnia circa Pherotam munia † piæ germanitatis: quibus ille intellectis, vbi discessisti, cõtinuò me ad sese vocauit, & ait: Non exiguum ego mulier à fratris affectu & studio deerraui, qui sic oderam amantem mei, & volebam occidere tam impatientem doloris in periculis meis, ferre illo non potest fortuitum, quod ego vrgebam indebitum: circumuentus sum fateor Antipatri dolis, sed * cogitationis eius ego pretium * fero: tu quod habes ab eo venenum relictum, mihi citò perfer, & sub meis oculis effunde, vt vel ad inferos non fesam animum parricidalem: pœnituisse correctionis sit, quod criminosum est præparauisse: Citò, inquam, mulier vt vel mortem præueniam, quoniam culpam nequiui. Tum ego detuli venenum, & in conspectu eius ex- D naniui, parùm tamen ex eo reseruans mihi, * qui te metuerem, vt esset remedium, si proderetur paratũ ad hos vsus venenum. His dictis, pyxidem cum eo quod reseder at veneni, protulit: subijcitur quæstioni mater Antiphili & * fratres ipsius. Confitentur ex Ægypto Antiphilum detulisse pyxidem plenam veneno, quod ille accepisset à fratre, qui Alexandriæ commoraretur sub medicinæ professione. Deprehenditur etiam Mariamnes filia Pontificis insidiarum conscia, quæ pararentur marito, idque fratribus eius inter supplicia confitentibus manifestatur. Vnde Herodes iunior maternæ audaciæ pretium luit, quem in regni successionẽ Antipatro substitutum idem * quem subrogauerat pater, de testamento delendum putauit. Et hic quidem non mediocris error Herodis senioris, vt alterius flagitio deprehenso, alter mulctaretur: sed etiam Herodis iunioris non iniusta mulctatio. Nam diuinitùs præcautum videtur, vt licet nondum facti sui merito, tamen ob pretium futuræ improbitatis regno abdicaretur. Nam quis eum Regem perpeti potuisset, qui Tetrarcha tam insolens fuit, vt tolerari nequiret? Adijcitur etiam aliud veneficij genus, quod Bathillus Antipatri libertus Pheroræ & eius vxori detulit, compositum ex succis serpentium, & veneno aspidum, vt si primùm non conualuisset ad mortem Herodis, secundò vterentur.

*silentium.

† pro venia dignum vt venialis apud Macrob.

† cogit? An vt Antipatro morem geram?

† piæ.

* vet. Cod. cogitationis. Ioseph. inter impietatis.
* feram.

* quæ

* frater tertius ex vet. cod. & Ioseph. 1. de bel. c. 19.

* qui

Venenum.

CAP. XLIIII.

REPERIVNTVR etiam literæ aduersus Archelaum & Philippum fratres compositæ: hi Regis erant filij, qui Romæ instituebantur, quos Antipater ea vel maximè A causa appetebat, quòd videbat non mediocri præditos sapientia, super quos Rea patrium animum reclinabat. Denique euocauerat eos literis, vt maturiùs domum regrederentur. Obstare itaque eos suis vtilitatibus Antipater arbitrabatur, atque incumbere suis artibus, vt spe adolescentum simulata, omnia factionis suæ studia obumbrarentur. Componit itaque epistolas nomine virorum potentium, quos Romæ † positos in suam amicitiam illexerat, alios quoque pretio exorium, vt scriberent, quòd adolescentes infestis patrem odijs vrgerent, & nimio quæstu mortem Alexandri & Aristobuli deplorarent. Et cùm huiusmodi epistolas clandestinis artibus per aulicos sceleris sui ministros, patri ingereret, eadem versutia, qua suprà simulabat fratrum intercessorem, vt prætentu pietatis patrocinio, impietatis subtexeret parricidium. Quibus omnibus in medium deductis cum quæstionibus, patris vita, epistolis, mors fratrũ apperita euidentissimè panderetur: † consilium distinitur, de authore supplicium sumendum, qui † posteriora prodidisset calumnia, quòd germanos suos non quasi parricidas, sed quasi legitimè successionis æmulos persequeretur: non quò patrem defenderet, sed ne consortem regni haberet. Intereà cùm septem mensium curricula inter documenta flagitiorum, & reditum Antipatri concluderentur, nulla innotuère Antipatro iudicia rerum gestarum, tanta circa eum vniuersorum odia feruebant. Incertus igitur omnium, scribit ex vrbe Roma continuò se adfore, summóque se honore dimissum à Cæsare: quibus literis lectis, rescribit Herodes maturatò eum contendere oportere, securum affectus paterni, C cui non solùm nihil imminutum per absentiam foret, verum etiam tanta accederet gratia, vt eius contuitu matris offensa minueretur. Nam iterum domo eam deprehensam, in artes filij consentire, consortio exutam Regiæ liberalitatis compendijs eliminauerat, cui se remissurum indignationem scriptorũ specie manifestaret, metuens, ne comperta matris expulsione, suspiciones suas Antipater ad cauendum exsuscitaret. Aduenìens itaque, Tarenti primùm de Pheroræ obitu cognouit, ibique luctum magnum exercuit, quod à quibusdam pietatis affectui datum, eò quòd patrui mortem impatienter doleret. Ille autem ministrum aufi parricidalis sibi sublatum ingemiscebat, nec solùm non processisse sceleris apparatum, verumetiam venenum se dedisse terrori erat, ne D † quomodo ad cognitionem Regis perueniret, & ille scenam criminis publicaret. † Transit itaque in portum Cæsareæ haudquaquam vacuus grauioris curæ ac sollicitudinis, cùm * ei etiam mater non mediocre præiudiciũ condemnatæ sobolis daret. Sed vrgentibus amicis, qui patriæ cupiditate postponenda omnia, quæ Antipatro conducerent arbitrarentur: † denique expectato eius ingenio, quo vel auersum patrem à sui gratia facilè consilijs suis flectere solitus erat, hortantibus vt sese patri, & prædestinato sibi regno ocyùs repræsentaret, quòd nemo auderet eo præsente contraniti: sed occasio absentiæ eius sola † afferit, vt auerti posse ab eo Regis animus æstimaretur. Et ideò præueniendum maturè, ne demorando magis aut desiderantem offenderet, aut suspectum exacerbaret, cùm diffidentiã sui proderet. Cre- E didit itaque magis † volenda quàm necessaria suadentibus. Verùm vbi portum ingressus est, neque quenquam sibi obuium circumspectauit, & quasi pestem aliquam sensit suam præsentiam declinari, in summa locorum frequentia maximam solitudinem, cùm occurrere nemo auderet: metuentibus alijs, alijs auersantibus, etenim id temporis & odia quò minùs se tegerent, authoritatem acceperant, reputare secum scelera sua cœpit, & consciẽtiæ stimulis exagitari, nullum fugæ locum, neque euadendi subsidium sibi relictum. Circumuentum se velut quibusdam retibus, & captum teneri, fiduciam omnem assumpsit ex impudentia, vt dissimulatis omnibus improuisum se patri offerret, in amplexum rueret, pietatis officia prætenderet. Verùm ille catenis manibus inge-

† positus.

† consilio.
† posteriore.

† ne quoquo modo.
† transmittit.
* electa.

† Deinde expeto.

† attiferit.

† violentia.

tenentem sese repellens & reclinans caput, ne parricidæ osculo contingeretur, exclamauit & hoc esse amentiæ parricidalis, vt amplexum petas, cui inuisum te recognoscis, vt horrore tui afficias patrem, & contactu noxij corporis viuendi suauitatem extorqueas. Ne igitur contigeris, ne attaminaueris, quem scelere petisti. Purga certè priùs si potes, deprehensa dilue: iudicium non refugiam, nec audientiam tibi negari patiar, nec mihi ipse assumam cognitionem, nec argumentandi tibi occasionem relinquam. Opportunè adest Varus, apud quem defensionem tui præpara. Nec differendi locus, crastina die. quamuis dolis & fraudibus præditus, habes purgandi tui copiam. At ille obstupefactus tantæ commotionis pauore, nil est ausus referre, nec potuit: sed egressus foras fluctuabat animo, quòd nihil omninò ex his, quæ gesta erant & prodita, apud † patrem compererat.

† regem.

B Aduenientes autem ad eum postea mater & vxor aperuerunt omnia. Quibus cognitis, sese colligere ac præparare animo cœpit, quibus modis criminationi occurreret, confessionem extenuaret. Sequenti die congregantur omnes Regis propinqui & amici Antipatri, intersunt examini vniuersi, qui diuersa de Antipatro prodiderant induci præcipiuntur. Leguntur etiam epistolæ matris Antipatri, in quibus illa ad filiū scripserat, vt cognosceret proditam patri suorum scenam flagitiorum, nequaquam eum debere adesse, nisi à Cæsare aliqua manus accerseretur, cuius se præsidio circumuallaret, neque se iudicio committeret, qui tantorum cōfessionibus appetebatur, sed armis muniret. His ad superiora additis, ingressus Antipater, & sese ad vestigia deiiciens patris obsecrat, ne se prædamnatum haberet; confidere se, si deferatur

C audientia, vacuum criminis fore si pater vellet: iubet pater silere, atque eum istiusmodi sermone præuenit: Quod nulli iusto veniabilis nequitia Antipatri possit videri * satis certum est, sed eo magis grauari me apud te Vare arbitror.

Iosep. lib. 1. bel c 20.
* satis certus sum.

Vereor enim, ne etiam me oderis, qui parricidas generaui filios, quibus non posset etiam parcere pater: licèt hoc quoque miserandus magis sim ita, quòd & tales amaui. Sed de illis taceo, quos ipse exasperaui, & iustas aduersus hunc allegationes eorum respui. Nullas enim hi aduersum me habuerunt causas doloris, nisi quòd his Antipater præferebatur, & consortij Regalis prærogatiuam acceperat, qui natus * regno non erat: putabam tamen quòd maiorem natu minoribus ad tutelam asciscerem.

* in regni.

D Sed hostem induxi, qui inuideret nobilioribus, exitaret puerulos, infirmos circumueniret, incautos proderet. Lapsos non nego, sed eos excusari potius, quàm vrgeri oportuit. Antipater hic mihi & illos abstulit, hic mihi & illos fieri insidiatores cōpulit. Doleo fateor, quòd ij, quibus regni spem dederam, quibus successionem reseruaueram, aduersum me improba machinarentur: sed nunc non patrem, sed Antipatrum oderant. Perierunt itaque ad dolorem patri Antipatro ad fructum. Quæris Vare, quis eos occiderit? Cognosce cui mors eorum profecerit. * Vacua est domus nouercæ filio, patuit aula vni ad succedendum, quæ multos successores habebat.

* vacuata.

Nec expletus est morte fratrum cruentus animus & mens impia. Postquàm non habuit fratres quos odisset, patrem persequebatur. Reputo mecū, qui huic munimentum hæreditatis paraui:

E visus sum & * ipse diu viuere * decessionem fastidienti.

* ipsi.
* decessorem.

Docui quid vellet, cui successionis competitores ademeram, morantem non passus est: nec expectauit regnum, nisi vt parricidio adipisceretur. Reddidit mihi vicem, quia prouectū collegeram, & prætuleram nobilioribus. Cui enim tantum ex illis, quantum huic contuli? cui ipse viuens potestate cesseram, testamento aperto hæredem designaueram, quod solet esse † periculosum Regibus, vt aliquis se successurum nouerit.

* periculosum.

Quinquaginta in fructibus talenta concessi, trecenta Romam proficiscēti dedi. Commendaui Cæsari quasi solum filium, nihil mihi reseruaui, quòd deberem parricidam timere: sed hoc eum magis ad parricidium armauit, quòd se meis beneficijs superiorem videret.

A Quid tantum sceleris commiserunt fratres eius, quos ad mortem coēgit? Aut quæ istiusmodi aduersum illos indicia detecta, qualia istius deprehenduntur? Sed interrumpere atque obstrepere audet parricida, & dolis tentat veritatem inuoluere: Caueas Vare, admoneo, caueas simulatas eius lachrimas, & gemitus arte compositos, nec vllo expressos dolore. Hic est qui mihi pietatis affectum abstulit, cùm à ficto metu cauendum admoneret Alexandrum, cum illo mentes plurimorum conuenire, asserens non temerè committendam vniuersis præsentiam meam. Simulabat se circumspectare omnia, vsque ad lectum deducere, discutere atque examinare singulos. Hic erat somni dispensator & minister securitatis, in quo ego solatium constituebam, atque eius officiis leuabam de interfectis dolorem: arbi-

B trabar quòd & illos mihi redderet, mœrorem auferret, pietatem obtenderet. Hic erat protector meus, cui credebam corporis senilis custodiam. Quomodo viuam nescio, quomodo tantum insidiatorem euaserim, quibus me circumuenerat delinimentis, quibus fraudibus vinctum tenebat, vt soli huic me crederem, quem solum cauere oportuit. Incredibile mihi est quòd euasi, nec viuere mihi videor, sed somnium puto. Quis enim crederet, aut illum tam ingratum futurum, cui in me potestatem omnem commiseram, aut me posse euadere, si Antipater nollet? Tutiorem tamen gratia me factum putabam. Sed quæ (malum) infœlicitas, me, aut aduersum me eos faciat insurgere, quos plus dilexerim? Deploro ærumnam domus meæ Vare, defleo solitudinem, ingemisco vim tanti doloris. Sed tamen tanta est

C acerbitas sceleris parricidalis, vt neminem mihi patiar euadere, quicunque sitierit sanguinem meum, etiam si in omnes filios meos affectari parricidij indicia promātur. Cùm hæc diceret, indignatione pariter ac dolore intercepta vox est loquentis. Continuò Antipater eleuans caput, velut ictus ensem & saucius graui vulnere iacebat ante pedes patris, nec assurgere audebat, exclamans, ait: Tu quidem pater vt iratus accusas, sed mihi nulla est maior defensio, quàm testimonium accusationis tuæ, quia semper fui custos tuæ salutis.

Responsio Antipatri aduersus accusationem patris.

Defensionem igitur pro me voto accusantis adhibuisti. Quomodo enim parricida ego, quem ipse tuum protectorem fateris? Aut quomodo circumspectus atque astutus, quem commentatorem arguis parricidij? cùm extremæ insipientiæ sit cogitasse, quod & apud homines execrabile sit, & apud

D Deum inultum esse non possit. Vel fratrum exemplo doceri potui, nullum tanti sceleris effugium fore, quod scelus istiusmodi nec latebram inueniat, nec pœnam euadat, quandoquidem & illi pro tanta in te maleuolentia pœnas dederunt: at illos inuidia quadam (vt dicis) impulerit ad parricidium, quòd me sibi præferri videbant, quibus materni generis nobilitas animos dabat, vt regnum quasi ex materna successione sibi debitum vendicarent, & quasi à te ereptum reposcerent.

Parricidæ pœnas non effugiunt.

Quid tale ego, qui nesciui regnum nisi de te sperare, tuum iudiciū quærere, tibi soli placere? Quid autem erat, quod me aduersum tuam salutem audere aliquid impelleret? An regni cupido? sed regnabam: an odij suspicio? sed diligebar: an iniuriæ dolor? sed præferebar. Si illos sola formido

E prælationis meæ armauerit ad parricidium, ego absoluar: quia nesciunt Prælati parricidium cogitare, † sed odisse.

† nec odisse.

Nisi fortè aliquis ex te me metus compulit. Verùm ego, vt mihi vox tua testis est, nihil sciebam nisi pro te timere. Quid enim mihi timerem, qui minister eram tuæ securitatis, & dispensator quietis? An verò inopia pecuniæ & egestas coēgit, quæ solet indigentibus suadere latrocinium? Sed dederas, quod non solùm in præsens, sed etiam in omne tempus abundaret, & diuitem Romam miseras, vt Regum Reges pronunciarent Imperij apud se principatum esse, non diuitiarum. Denique Fabatum illum Romanæ rei moderatorem, & intimum Cæsaris tibi cœpi, & à Syllæo ingenti † impulsus pecunia, vt te impugnarem, ita commutaui, vt fieret tuus de-

† ambitum.

fensor, & solicitatoris sui proditor. Per quem pater aliũ insidiatores tuæ salutis detecti sunt? Quomodo ergo parricida ego, qui custodem tui corporis Corinthum latentem deprehendi? insidiantem tenui? ad cõfessiones negantem deduxi? Potui parricidium non cogitare, & parricidij fructum habere, si tacuissem. Sed mihi si bestiarum immanitas, si atrocium ferarum inesset furor, tamen tantis beneficiis tuis mansuescere potui, vt nullam opem nisi in tuæ salutis subsidio constituerem, vt pro omnibus tibi vel solam charitaté referrem, te meo corpore protegerem, te intimis si fieri posset, visceribus includerem: prætuleras nobilioribus filiis materna stirpe minùs nobilem, matrem quoque regni exulem in regnũ vocaueras, nec iam successoré me Imperij, sed quasi consortem habebas. O miser ego, cui tantum liberalitas tua bonorum effuderat, vt inuidia succederet. O stultissimus B ego, qui te pater reliqui. Si datus est inuidiæ locus, & potestas insidiantibus. Nanque dum ego pro tua salute diu demoror, meam prodidi: & tamen nihil habeo, quod mihi asscribam. Tu me pater abire iussisti, tibi ego peregrinabar pater, ne tuam senectutem Silæus circumueniret, ne te viuentem regno exueret, nec apud Cæsarem tuam salutem appeteret. Testis est mihi Roma pietatis, Cæsar quoque Præsul orbis terrarum, & censor vniuersorum atque arbiter mei pectoris, qui me amantem patris appellare solitus erat. Testificare Cæsar, quid ego de patre apud te loquebar, apud quem solum nocere potuissem. Testificare, inquam, mihi, qui de aliis pronunciaueras. Nec dissimulandum parricidium, sed inquirendum putasti. O si mihi aspiraret præsentia tua: sed absens es, & C longè positus, & ego sine te à patre diiudicor. Ades tamen, & in literis tuis præsens es, tua scripta offero, quæ solent parricidæ timere. Tuam epistolam porro, quam solent promere, qui cupiunt parricidiũ nó latere. Suscipe pater literas Cæsaris, ipse te instruat, qui dudum vindicauit. Suscipe Cæsaris scripta, argumentis omnibus validiora. Quibus vsus es dudum ad vltionem, vtere nunc ad salutem. Hos ergo apices defero innocentiæ meæ testes, illa dextera nunquàm te fefellit, illa dextera Cæsaris diadema tibi imposuit, non ademit. Illa manus Cæsaris regnum tibi, quod abieceras, repræsentauit. Potuit me priùs Cæsar odisse, si † fratrem similem deprehendisset: sed cognouit & pronuntiauit pietatis interpretem, qui nisi Romæ fuissem, Sylæus vicerat. Illi ego hodiè adiudicor, illi pœnas miser pendo. Memento pa- D ter, quia non voluntarius nauigaui. Videbam mihi iam parari foueas insidiatorum: malui tamen me potiùs parere, quàm te periclitari. Nec tamen exhorresco salutis periculum, sed apud te pater doleo, me quasi tuum hostem periclitari. Periclitor tamen, si apud te & Cæsaris testimonia periclitantur. His ergo vtor indiciis meæ defensionis, Cæsarem non appello quasi audiendus, sed imploro, quasi absoluendus. Quod si iudicium exercendum existimas, ecce mi pater, ad te veni post Cæsarem, ad te festinaui à Cæsare. Vtinam quidem nusquam à te abiissem. Sed tu me pater nesciens periculis obiecisti iubens pergere. Præsto sum pater, nec perfunctoriè de leuioribus testibus requirendam pro salute tua veritatem æstimo. Non præiudicent, qui possunt timere tormenta, nec qui possunt contemnere. Omnis homo mendax, dixit scriptura. Ego defero incorruptibilia elementorum testimonia. Venio ad te per maria & per terras nusquàm aliquid passus. Parricida debui non euadere, si reos essem. Absoluat me, pater, apud te cœlum, quod non fulminauit, mare quod nõ demersit, terra quæ non absorbuit, per hæc ad te tutus venio pater: quæ non solent euadere, etiam qui nõ sunt patrum genitalium parricidæ. Datham & Abirom hiatus vorauit terra, nec tamen genitalem appetierant patrem. Absalon fugientem arboris suæ ramis terra suspendit, ne ad patrem perueniret, ad quem si peruenisset, euaserat. Ego ad te veni, & adhuc periclitor. Dauid parricidam suum, quia seruare non potuit, vindicauit: ego de inimicis & calum-

† fratrum.

A niatoribus vindicari non expeto, vt eos ad tormenta vocem, lucrentur illi pœnam calumniæ. Vnum rogo pater, ne alienis credas tormentis, de memetipso aduersum me requite supplicia. Suspende reum tuum, in viscera mea pergat interrogatio veritatis, in corpus meum, atque in interiora penetralia descendant fidiculæ quæstionum, profluat sanguis, qui solet parricidium clamare, ferantur ignes in artus noxios. Quid dubitas pater? si parcis, * innocentem pronuncias. si à cruciatu temperas, absoluis crimine. Non est parricida, qui simpliciter morte dignus putatur. Aut si vt filio parcis, & ex te genitis membris compateris, non sunt membra tua, quæ sunt ministeria crudelitatis. Hæc vbi locutus est, magno fletu & gemitu lamentabili finem dicendi fecit, vlulatúque maximo Varum & omnes ad miserationem inflexit: solus Herodes nullis mouebatur lachrimis, atq; ipse à fletu temperauit intractabilis ad veniam, quæstioni imminens, vindictam expetens.

* innocentiam.

Cap. XLV.

SVCCESSIT orationi Antipatri Nicolaus Regis mandato, qui astutè eius responderent versutiis, & inflexos à miseratione abduceret, referendo in Antipatrum fraternæ inuidiam necis, allegando, quod si quos moueret misericordia, illorum misereri deceret, qui eius peremptis fraudibus, vltionem requirerent. Si vnum absoluerent, omnis domus Regia in periculum deduceretur, germani, affines, parentes, ipse Rex, cuius saluti non pepercisset. Itaque conuersus ad Oratorum versutias, velut * (narratione miseratione) epilogo quodam excitabat ab inferis peremptorum animas, qui miserabili C quæstu replerent subsellia, insontes se oppetisse, subornatis * grauibus testibus, compositis epistolis, fraudulentis sermonibus circumuentum patrem, credidisse filio, quem non putaret de fratribus posse mentiri. * Offert nunc supplicia sua qui fratrum tormentis non credidisset, quos onustos vinculis * obligauerit, ne cognitioni interessent, in absentes latam sententiam, cùm longè positi essent necatos, ne eorum pater misereretur. Nullum itaque reliquum futurum si iste euaderet, doctus venena parricidalia suorum visceribus infundere, mutare mentes hominum, qui etiam Pheroram semper amantissimũ fratris, Herodis in necem eius parricidio funesto exsuscitauerit. Ad hæc, cùm plurima alia excitandæ commotionis gratia Nicolaus addidisset, vbi sermoné absoluit, interrogatus à Varo est Antipater, si respondere vellet. D Nihil aliud retulit, nisi (Deus mihi testis est) quia nihil læsi. Tum Varus venenum proferri, atque id dari iussit vni de his, qui iam rei mortis adiudicati essent. Quo epotato, statim mortuus est. De quo relatum ad Cæsarem est, & in vincula Antipater Imperio patris * inducitur: nec tamen ab insidiis vacuus erat. Nam tum maximè Salomes periculum dolis tentabat directis epistolis, quas Salomes nomine Antipater composuerat, plenis in Regem contumeliarum atque ad Acmen ancillam Iuliæ, quæ vxor Cæsaris erat, per Antiphili seruulum perferri iusserat, quas Acmes sibi redditas Regi transmiserat: ac penè in mulieris perniciem fraus conualuerat, ni reperta esset epistola Acmes ad Antipatrum, quæ dolum prodidit, scripta in hunc modum: Sicut voluisti, patri tuo scripsi, & epistolas illas direxi: nec dubito Regem in periculum sororis insurrecturum. Tu vicem restitue optato E effectu potiens. His literis deprehensis, Rex in suspicionem deductus, quòd etiam Alexander pari arte compositus à fratre esset appetitus epistolis, & nimia commotione exasperatus, ægritudinem grauem contraxit. Quo se videns vrgeri periculo, Antipam vnum ex filiis hæredem Imperij scripsit, prælatum Archelao & Philippo senioribus liberis, quoniam ipsos quoque Antipater dolis atque fallaciis suspectos patri fecerat. Cæsari legauit mille talenta, donis muneribúsque additis In vxorem & filios, libertos atque amicos quinquaginta contulit: nec Salomẽ sororem munerum suorum expertem reliquit. Procedebat in deterius ægritudo, atque accessu temporis † exasperabatur, quam imbecilla senectus suis incom-

* Parenthesi inclusa dictiones abundant.

* grauatos.

* offerre nunc eum supplicia sua.

* alligant.

Veneni probatio.

* ducitur.

Ioseph. 1. lib bel ca. 10 in Ver. Cod legitur testamento scripsit 1. fratres centena coronat. millia. Ioseph. Antiq lib. 17 cap. 8

† asperabatur.

moderatibus acerbabat quotidiè. Si quidem non minùs A
septuagenario grauatum annis corpus, crebrò quoque
† conuulceratus. mœrore animi afflictum gerebat, tot parricidijs † vulneratus, quæ aut deprehendisse in filijs extremæ miseriæ
erat, aut intulisse. Immedicabilis tamen ægritudinis
feruor, quod superstes Antipater metuebatur. Contemptus quoq; indies vilior, quòd imagines Cæsaris atque animalium similitudines contra legem templo appositæ detrahebantur, authoribus maximè Iuda atque
* cognatis. Matthia iuuentutis doctoribus, qui * cognitis & conspirantibus sibi venisse tempus aiebant, quo violatæ legis iniuria vindicaretur: Dare pœnas sacrilegum, qui putaret fas esse, quicquid potestati liceret: nec religione inclinatum, sed elatum superbia in penetralibus templi faciendi quod vellet, libidinē pro iure exercuisset. Et quāuis diuina vltio mortem ei acceleraret: tamen pulchrum B
* templo. videri, si etiam * templi sacrati libertatem suam, in defendendis paterni ritus obseruationibus approbarent:
nec periculi metu quenquam reuocari oportere, cùm
etiam mori pro lege patria insigne immortalitatis sit:
primique adorsi auream aquilam supra fastigium portæ
affixam detrahere, comprehensi, atque ad Regem perducti: cùm interrogarentur, cui obedire cupientes, tantum
facinus adorsi forent, responderunt, legi paternæ. Iterùm quærenti, quo freti lætiores adessent, cùm ad mortis vocarentur periculum, responderunt: Pietatis & deuotionis præmiis, quorum remuneratio pro ritu patrio
mortem experentibus persolueretur. Nec diutiùs ferre
potuit responsionis constantiam, sed indignatione super ægritudinem facta, vt infirmitatem vinceret, in conuentum populi processit, ibiq; tanquam sacrilegij reos C
ad plebem deferens, accusare cœpit, quòd maiora de factis talibus suspectarentur. Quæ etiam si non probarentur, tamen cuncti sibi quisq; metuentes, authorum, qui
comprehensi forent, luenda supplicia deprecabantur.
Nec pergendum in cæteros, ne quæstio plures atq; alienos & innoxios perturbaret: rogatus itaque in præsentes sententiam tulit, vt viui exurerētur: vnde incommoditas aucta, & grauioris ægritudinis vis, diuersis totum
corpus eius passionibus depascebatur. Febris erat vehemens, prurigo intolerabilis, continui ac sine vlla intermissione interiorum dolores viscerum, colo medios vexabator, hydrope grauabantur vestigia, abscondita cor-
* spasmi. poris scatebant vermibus, * sparsim totius corporis anhelitus grauis, & suspiria perniciosa: res indicio erat, D
Ioseph. lib. 1. Antiq. cap. 8. quòd iniusti parricidij, & sacrilegæ damnationis pœna
reposceretur. Non cedebat tamen animo, & viuendi
cupiditate passionibus reluctabatur. Petit trans Iorda-
Asphaltites lacus medicabilis. nem calores aquæ calidæ, sed nihil profuerunt. Asphaltites lacus, plerisque medicabilis, sine vllo profectu ægrum tenebat. Vbi dum oleo plurimo fouererut, laxato
resolutus corpore, morientium specie oculos inuertit,
& vox defecerat, nec sensus manebat: sed exercitatus
strepitu conclamantium resumpsit, & ad sua regredi cupiens, vbi ad regionem loci, qui appellabatur Hiericho,
aduenit, atro felle exagitatus, & ipsi quodammodo morti minitans immane facinus excogitauit: quò velut inferiæ sibi populi mitterentur. Namque ex omni Iudæa
congregari iamdudum præcipiens quosq; nobiliores, vt
ex singulis vicis in vnum conuenirent: vbi Imperio ob- E
temperatum est, claudi eos intra hippodromum iussit,
† Alexādro & accersita Salome atq; eius † Alexa viro, legatum sanguinis mandauit, asserens lætitiæ populis gentis Iudææ
suam mortem futuram, & ideò commentum se, quò
Herodis astuta crudelitas. præclarissimè suum epitaphium celebraretur, deposcere
à suis, vt cùm vltimum exhalasset spiritum, eos statim
omnes, qui clausi tenebantur, necari iuberent: ita neminem futurum in vniuersa Iudæa atque in omni domo,
† domestica. cui mors eius esset illachrimabilis, cùm vniuersis † domesticis luctus hæreditatem dereliquisset, qui dum suorum deplorant necem, iusta regi viderentur persoluere,
Hoc est quisq; co- atque ita publicorum lætitia votum domesticis doloribus impediretur. Ac ne fortè scelesta imperij mandata

A executio destitueret, quinquagenas drachmas iussit militibus dari, vt tali sceleris imposita mercede, ferale ministerium militer non recusarent: compensaturi executionis horrorem remunerationis emolumento. Cedebat propè iam tantæ incommoditatis gratia supplicius,
sed expectabat funesta responsa legationis, quæ retulit
de Acme supplicium sumptum ad Herodis querelam:
Antipatrum quoque conuictum parricidij morti adiudicatum, tamen repulso patria & regno, pater fugæ potestatem tribuere, si vellet, Cæsar iuberet, sententiam sceleri ferens, consilium pietati relinquens. Soluerat natura parricidij necessitatem: Nam recreatus paulisper, permissa sibi puniendi, vt vellet potestate, dum de genere
necis tractat, distentus doloribus properè diem mortis
* peruenire desiderauerat. Poposcit itaque malum, pa- al. propriæ. * præuenire.
B riterque gladium, vt eo pomum solitus incidere refectionis aliquid assumeret, & paulisper sese attollens, cubitóque adnixus, leuauit dexteram, cupiens sese ferire,
sed occurrit Achiabus, & impediuit ictum, luctúque tota concrepuit domus, vt obijsse Herodes foris æstimaretur. Exultauit Antipater ad somnum planctus, & à custodibus adhibitis postulauit, vt vinculis resolueretur
sed præpositus ei muneri non solùm abnuit, quod rogabatur, sed etiam Regi annunciauit. Exclamans ille † in-
sultare adhuc sibi viuenti, percussores direxit, qui Antipatrum interficerent, cæsúmque sepelire iussit in Hyrcania, atque iterum mutauit testamentum, Regémque
Archelaum instituit seniorem ex fratribus: Antipæ tetrarchiam reliquit. Quinque itaque diebus Antipatro
superstes defecit: triginta & septem annis, ex quo à Ro-
C manis imperitare iussus est, regno potitus. ex quo autem
Antigonum sustulit regni æmulum, annos triginta quatuor imperio exegit: virum tam domestico vsu, quàm
publicis lætus successibus. Namque ita foris secundæ
ei res aspirauerunt, vt priuatus in regnum asciscerentur,
eóque per multa vsus annorum curricula, quòd difficilè
saluo potestatis vsu decederet, relinquens liberis imperij successionem, quam ipse à suis non acceperat. Sed intrà domum infœlicissimus, quam acerbo suorum sanguine & luctu repleuit, nec tamen executionem inuenit
vltimæ crudelitatis, hoc vno Salome obliterante criminum suorum ludibria superiora, quòd eos quos percuti
rex iusserat, omnes dimisit, dicens Regem præcepti feralis posteà pœnituisse: reuocatisque mandatis superioribus, præcepisse, vt ad sua omnes dimitterentur.

† Insultari Antipatri Herodis filij cædes. Ioseph. 1. bell. c. vlt. Antiq. lib. 17. cap. 9.

D DEIN posteà facta in Amphitheatro militum & reliqui populi congregatione, de obitu Regis indicium factum, processit Ptolomæus, qui regis amicitiæ inter fidelissimos quosque vsq; in extremum adhæserat, & an- Cap. XLII.
nulum deferens, quem defuncti digito detraxit, collaudat Regem, & populum admonet tranquillitatis, aperitque ei epistolam, qua precatus, fidelissimos sibi milites
hortabatur, vt successori suo beneuolentiam exhiberēt, Ioseph lib. 1 bel. c. vlt.
& gratiam. Et apertis etiam tabulis testamentum recitatur, Philippus Thraconitidis regionis, & finitimorum
locorum hæres nuncupatus, Tetrarches, Antipas, Rex
Archelaus, ita tamen vt ad Cæsarem deferri annulum
suum, atque ei arbitrium & firmamentum omnium dispositionum suarum reseruarēt. Ac tum demùm ratum
E esset testamentum suum, si Cæsar probasset: reliqua secundum priora sua testamenta custodiri præcepit. Continuò acclamatio facta militum Archelao plaudentium,
circumuallabatur illicò stipatorum ambitu, promittunt
beneuolentiam, spondent fidem. Post hæc competenter
atq; magnificè funus curatum, omni ambitu Regalium
diuitiarum præmissa, ad pompæ funebris celebritatem:
lectus erat auro totus & gemmis insignitus, stratum refulgens murice, corpus adopertum purpurea diploide,
quam internectebat fibula lapidibus pretiosis coruscās,
diadema adhærebat vertici, supráque corona aurea, sceptrum in dextra, vt viuentem putares. Præibat agmen
Thrachicum, Germanique & Galli stipatores Regij Pompa funebris Herodis.
militarem seruabant ordinem, pari modo succincti

Ioseph. bel. lib. 1. cap. 21. Ant. lib. 17. cap. 8.

armis, ac si in bellum prodirent, † sed ora mœstitia plena, & dolentibus similes prosequebantur. Reliqua manus prosequebatur ornatu solito, & cultu assueto, comitantibus pariter Ducibus & centurionibus. Quingenti etiam seruorum & libertorum Regiæ dumus aspergebant aromata, vt suaui odore tota fragraret via, lectum filij Regis, & propinquorum vis maxima cir- A cumfundebat. Sepultus est in Herodio (vt ipse mandauit) quod aberat ducentis stadiis ab eo loco, in quo finem vitæ inuenit: magno obsequio, per tantum spatij deductus vniuersorum, sed non omnium pari affectu: Metus enim officium, non votum extorserat, dolor intra se saltem liberam habebat sententiam. Hunc finem habuit Herodes.

† sed ora mœsti ac dolentibus similes.

Alias quinquaginta.

Herodes sepultus in Herodio. Ioseph. in 18. Antiq.

EGESIPPI DE EXCIDIO HIEROSOLYMITANÆ VRBIS, HISTORIÆ LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.



SEPVLTO Herode libera, vt in defunctos solent, iudicia populi depromebantur: grauem fuisse illum & intolerabilem, iniusta imperia in ciues exercuisse, Tyrannum non Regem suorum, parricidam domesticum, expilatorem publicum, nemini quicquam dereliquisse, tributis exhausta omnia locupletatos alienigenas, Iudæos exinanitos, quia templo hostem induxerit, † sacrata omnia sacrilegio contaminarit: beatos illos qui defecissent, cùm tormenta viuentibus non deessent: plura malorum Iudæam post depulsam captiuitatem in paucis annis sub Herodis Imperio pertulisse, quàm in ipsa captiuitate sub hoste barbaro sustinuerit, cùm sibi Babyloniorum Reges imperitarent, sub illis tolerabiliora exilia, quàm sub Herode domesticum domicilium: ab illis ad sua remissos, ab hoc fugatos: immitiorem Dario, Artaxerxe superbiorem, Medis rapaciorem. Sperasse finem malorum, vt sibi exire liceret exilio, si diem clauderet: sed accessisse ad seruitutis miseriam Archelaum spontaneum successorem, qui & Herodem referret, & noua adderet: miserum hoc in regnis esse, quòd Dominus eligeretur: miseriùs quòd inuitis imponeretur. Solatium seruitutis videri, si ipsi sibi Dominum eligant, eò quòd fiat benignior, si deferatur imperium: superbior, si vsurpetur. Longè itaque Archelaum Herode intolerabiliorem futurum, cùm iste assumpserit regnum, ille acceperit. Ea non solùm crebrò in Iudæa conferebantur, verumetiam Romæ † assistente Archelao, perorantibus accusatoribus, in os obiecta apud Cæsarem Senatúmque, vbi de regno Archelai confirmando abrogandóque diu † decertatum. Denique cùm in templo Apollinis, quod Cæsar condiderat multisque ornatibus venustarat, locus esset cognitioni datus, Salomes filios Antipater, illa quæ suprà diximus, & multa alia dicendi validos prosequebatur, mirari se, quòd Archelaus quasi petendum à Cæsare regnum prætenderet, cùm vsurpatione temeraria iamdudum intra Iudæam inconsulto Cæsare Regem exercuisset. Quid enim sella aurea, allatúmque diadema, nisi regni forent insignia? Quo spiritu præsumpsetit sedere super thronum regium? de sublimi solio salutare plebem circumfusam, stipantibus † armis militaribus, more quodam & vsu Imperatorum † promi diadema, quod Cæsaris iudicio reseruari oportuerat: non solùm pro potestate Romani Imperij, sed etiam pro iure testamenti? Herodem enim nec præripere potuisse Cæsari vel Senatui, quod ipse vel à Senatu accepisset, & superiore testamento expressisse satis propriæ indicium voluntatis, quò Antipam succedere sibi in regnum sensu integro ac perpenso consilio declarauerit, & postremò omnia Cæsaris iudicio reseruasse: quamuis soluto iam corpore, anxius supremo periculo, nec vllius iam sensus aut consilij capax, dictauerit, non quod arbitrabatur, sed quod ingerebatur. Præceptorem igitur Im- B perij de seipso pronunciasse, quòd non mereretur tuo Cæsar iudicio in regnum substitui. Nam si meritorum suorum conscius foret, petere potiùs quam † vsurpare maturauisset. Non petendo autem, sed vsurpando, quæ in petitione consisterent etiam in pecuniariis negotiis (nedum diuinarum. Denique Fabatum illum Romanæ rei moderatorem & intimum Cæsaris tibi cœpi, & à Sylæo ingenti ambitus pecunia, vt impugnarent) præiudicare solere, vt præposteri litigatores cadant causa: hic verò non pecuniarum quæstum in crimen vocari, sed Imperij Romani violatum ius, reuerentiam despectam, spretam potestatem, indignum æstimantem Romanæ curiæ Senatum, qui soleret regnum dare atque eripere, & cum Cæsare vetustam conferendi Imperij seruare prærogatiuam. Quid facturum esse, cùm legitimè regnare cœpisset, qui ante regnum † insolentissi- C mus necasset plurimos, quia opem fessis rebus & tributorum alleuamentum poposcerant, remedium postulantibus bellum irrogatum, interfecta IX. millia Iudæorum in ipsa venerabili apud suos Paschæ celebritate, pro pecudibus homines immolatos, sacrarorum, qui ad templi festa conuenerant, sanguinem fusum, spectaculum miserabile: si quis cæsorum stragem recenseat, Babylonicos reuertisse arbitraretur: quantò crudeliùs à ciue commissa, quæ in hoste barbaro plena immanis sæuitiæ atque impietatis æstimarentur? Hanc sportolam ciuibus datam, hoc sacrificio Archelaum regni sui primordia commendauisse. Deberi misereri Cæsarem, Senatúmque reliquiarum Iudææ, quæ quondam liberis fulta populis seruiturem optaret, si modo tolerabilem liceret D perpeti sub Rege † iusto, longè illum abesse à iure imperitandi. Siquidem apud Iudæos nulli regnum competere, nisi ei, qui esset ex generatione Iudæ, sicut lex diceret. At verò istum Idumæum genere, quem nulla prosapiæ regalis origo contingeret, irrepsisse in honorem indebitum. Siquidem cùm Antipater sibi atque Archelao fuerit auus, præstans diuitiis, cæterisque artibus potens, & maximè Romanorum amicitia, Cæsarique seniori bello probatus, cùm posset sibi regnum asciscere, nunquàm tamen affectauerit, quinetiam defendere aliis maluerit quàm sibi parare, meritóque illum habitum vt parentem optimum, qui Iudæam in libertatem vindicauerit vulneribus suis, nec in seruitutem deduxerit. Herodem Antonij testimonio, qui parentus sibi ho- E spes fuisset in regnum aspirauisse: ex illo Iudæorum res imminutas, egisse vt hostem, non vt rectorem. Cùm igitur ipse etiam adulter regni fuerit, quomodo potuisse ab eo legitimum Regem creari? non deprecari tamen, quò minus sub regno sint, sed poscere sub Romano agere, cuius sibi gratiam iam inde à Machabæis partam tantum per vsurpationem regni posteà degenerauerunt, vt multò inferiores fiut his, aduersum quos Romanam petierunt societatem. Denique orare sese, vt eadem conditione Iudæa qua Syria præsidiale iudicium à vobis adipiscatur, quo deuotionis nostræ detur experimentum, vtrùm qui seditiosi ac rebelles vocamur, possimus

† sancta sacra.

Herodis & Archelai cõparatio.

† assistenti Archelao.

† certatum est.

† numeris.

† poni.

Alij codices Antipatrũ.

† eripere.

Hæc quæ parenthesi interclusa vides in M S. non habentur.

Ver. Cod. præposteri litigatoris cadat causa.

† insolens.

† iniusto

Regnum Iudæorum generationi Iudæ debebatur.

Intelligit Iul. Cæsar.

al. tamen.

A moderatis iudicibus obtemperare. Aduersus ea Nicolaus pro Archelao respondens, inquietissimam nationem insolentiæ suæ asseruit pœnas dedisse, ne hinc potissimum Archelaus inuidia inexcusabilis criminis accerseretur, si per seditionem pacem turbarent, atque à Romanorum societate animis atque armis discederent: de testamenti autem prælatione quis dubitaret, cùm & posterius præferri soleat superioribus, & hoc multò validius cæteris videri debeat, in quo Cæsari confirmandi Regalis iudicij seruata sit prærogatiua, quo cumulata potiùs quàm imminuta Romani nominis reuerentia sit, si & à vobis Cæsar non præripiatur Regibus, quòd priuatis licet, vt eorum valeant testamenta, & quem potissimùm sibi cupiant succedere, vltimo scribant stylo atque ab illis iterum ea vobis honorificentia † reseruetur, vt cõfirmatio iudicij à vobis petatur, & is succedat,

† seruetur.

B quem pater elegerit, vos probaueritis. Quando igitur magis sapuit Herodes, cùm tibi Cæsar † seruauerit prærogatiuam, an quando præterijt? Vbi Antipas substituitur, Cæsar prætеritur. Vbi Archelaus subrogatur, Cæsar asciscitur: sine firmamento nulla res stabilis. Diuino itaque iudicio vbi iustitia deerat, vel simulationi vel voluntati firmamentum defuit. Vbi autem æquitas examini suppetebat, robur quæsitum, vt iudicium confirmaretur. Considera igitur, verùm fecerit iniuriam, qui te elegit, aut si rescindi debeat, quod te arbitro sanciẽdum reliquit rerum omnium Domino: † cui iure etiam Reges cedunt † potestate. Qui enim sciuit, quem eligeret ad confirmandum, sciuit vtique quem eligeret ad imperandum, nec in successore falli potuit, qui non est falsus in

† seruauit.

† cuius.
† potestati alias improbãdum.

C confirmatore. Nam qui arbitrum constituit te, cognouit itaque talem successorem sibi constituendum, qui tibi quem constitueres, non displiceret. Auditis partibus Cæsar sententiam distulit: deinde collato cum Senatu consilio Archelaum genti præposuit, vt fungeretur rectoris munere, non regni honore. † Spopondit tamen & regnum daturum, si se ita gereret, vt probaretur. Iam enim tentamenta dissensionis Israëlitici populi nuntiabantur. Tetrarchas duos constituit Herodis filios, Philippum & Antippam, qui cum Archelao de regno certauerat, Herodis sorori, cui nomen Salome, † delegatum seruauit, etiam alia ipse adiunxit. Duabus quoque filiabus Herodis mille talenta, quæ sibi relicta erant, dispertienda arbitratus: addidit etiam alia sexcenta millia, & ea Pheroræ liberis sociari censuit.

† spondet.

† legatum.

Cap. II.

D INTEREA quidam ex iuuenibus simulans se Alexandrum, & propter misericordiam ab his, quibus necandi munus ab Herode patre mandatum foret, subrogatis alijs in locum suum, cum fratre suo Aristobulo dimissum, Miletum petit, & inde Romam, quò difficiliùs apud incognitos cognosceretur. Vbi facilè Iudæos ad rerum nouitatem promptissimos excitauerat: nisi comperto eo, Cæsar ad se eum perduci ociùs per Celadum quendam, qui Alexandrum plenè nouerat, præcepisset. * Celadus vbi iuuenem vidit, similitudine deceptus hæsitauit. Sed reliqua perspiciens indicia non conuenire, quæsiuit vbi esset Aristobulus: at ille in Cypro insula degere asseruit, cauentem insidias, eò quòd coniuncti inter se fratres faciliùs extinguerentur. Deinde ad Cæsarem

*Celadum.

E deductus, aperuit illicò impunitate promissa, fretum se specie similitudinis, quòd esset Alexander simulasse, vt innumerabilia munera ibi quasi Regis filius à Iudæis cõsequeretur. Cæsar dolum risit, sed & ipsum immunem dimitti iubet, & eos, qui vltra priuatum modum quasi Regis † filios detulerant, satis multatos esse pronunciauit, quòd superfluis sumptibus infinita dispendia tolerauissent. Archelaus autem profectus in Iudæam propter obscœnitatem morum & insolentiam accusatus apud Cæsarem, cognita inter partes causa, Viennam relegatur, opésque eius thesauris Cæsaris associatæ: hoc meritò pretium luit, qui nec à fratris sui germani coniuge suas compescerat cupiditates. Nam vbi Alexander obijt, patris imperio neci traditus, Glaphira vxor eius

† filio.

A Archelao Rege Cappadocum genita, quemadmodum supra memorauimus, Libies Regi Tibæ secundis est copulata nuptijs. Quo defuncto, reuertitur ad patrem: illic eum contemplatus Archelaus, quòd fratrem mariti filiorum patruum haud quaquàm piè refugiendum arbitraretur, ita deperire cœpit, vt vxorem deiiceret Mariamnem, & Glaphiram in locum illius substitueret. Non multò post vbi mulier in Iudæam rediit, vidit in somnis Alexandrum, & complecti desiderauit. At ille indignanti similis, à complexu refugus, visus est dicere: Hæc est Glaphira promissi fides? Ita amores erga te seruasti meos, quorum memorem te esse oportuit? Sed esto, adolescentula secundas nuptias non refugeras, etiam ne tertias, etiam ne fratrem mariti appetere debueras? Ita te mea delectauit iniuria, vt in meam domum tertiò nupta

Vet. Cod. Tobæ. Ioseph. 2 bel. c. 6. Iubæ regi Lybiæ lib. 17. Antiq. c. 15. Iubæ regi Mauritaniæ.

B coniugi remeare nõ erubesceres? Sed mihi curæ, ne diutiùs maneat contumelia mea, contagióque tua: nec longum lætabitur fraterni incæstus matrimonij. Exurrexit mulier, & familiaribus narrauit somnium, atque ipsa biduò pòst defuncta, fidem fecit, quòd huiusmodi coniugia nec viuorum legibus * punita sunt, nec mortuorum voluntatibus. a Ipse quoque Archelaus vidit in somnis spicas nouem, plenas & magnas à bobus vorari. Cui quærenti, respondit interpres: Nouem spicis nouem annos signari, quibus potestati vsus sit maxima & amplissima. Nono itaque anno Imperij sui mutationem eidem fore, eò quòd boues, qui arua aratro soleant interuertere, mutationem signent laboriosam, quæ deuoret atque absorbeat merita superiora. His itaque cognitis, quinto die venit à Cæsare, qui eum ad iudicium Romam de-

Visio repetiti uxoris pœnas.

*impunita. Somnium Archelai de nouem spicis a bobus voratis.

a Cap. III.

C duceret. In quo condemnatus & actus in exilium, etiam morte impleuit somnium suum. Principatus gentis, qui ad Archelaum pertinebat, conuersus est in nomen Prouinciæ, quo nomine Romani, cùm in ius suum vincendo redigerent procul positas regiones, Prouincias appellauerunt. Manserunt tamen Tetrarchæ, vt erat Philippus & Herodes mutato vocabulo, quia Antipas priùs nuncupabatur. Nam Salome moriens, loca quæ tenuerat, & potestatem suæ gentis Lybiæ vxori Cæsaris dereliquerat. Is status erat Iudææ, quando Cæsar defunctus est: relinquens Tiberium priuignum suum Lybiæ vxoris filium ex superiore genitum coniuge successorem Romani imperij: cuius in honorem Tiberiadem Herodes condidit. Philippus quoq; Lybiam vrbẽ matris eius vo-

Prouinciæ nomen vnde deductũ.

Tiberius. Tiberiadis. Intelligit matrem Tiberij Liuiã.

D cabulo nuncupandam putauit. Et quia propositũ nobis est aperire causas, quibus populus Iudęorum à Romano imperio desciuerit, sibiq; exitiũ accelerauerit, Pilatũ prouinciæ præsidem initium ruinæ dedisse res indicat: quãdoquidẽ Cæsaris imagines Hierosolymitanis ædibus inferri primus omnium non dubitauerit. Quo motus populus eùm resisteret, atq; ille recipiendas imagines censeret, plurimos in mortẽ coëgit. Dum hæc in Iudæa geruntur, Agrippa Aristobuli filius Romam aduenit, cupiens aduersus Herodem Tetrarcham apud Tiberium iudicio contendere, sed despectus à Tiberio, cùm Romæ degeret, plurimos sibi asciuit ad amicitiam: & maximè Germanici filium Caium, quẽ siue paterni nominis gratia amabilẽ populo, seu Regij generis propinquitate proximũ imperio ratus, an quodam præsagio studiosiùs

E excolebat, quàm vel ætatis vel honoris eius ratio patiebatur; ita vt quodam die manus eleuans deprecaretur, vt maturiùs Tiberio mortuo, Caium videret Imperatorẽ. Quo prodito per Eutychum libertum suũ, Agrippa iussu Tiberij in vincula ducitur, & grauibus modis excruciatur, non antè dimissus, quàm Tiberius diem clauderet. Cuius tempora fœda ludibriis, captatúmque secessus, ignauia intolerabilis: nullum tamen efficacis virum operis in necem eius excitauerunt, retentis, vt arbitror, Romani imperij reuerẽtia, siue terrore sæuissimę crudelitatis, quia plerunq; asperitas quò grauior, eò tutior est.

Cap. IIII.

Eo imperitante, famosum ludibrium Paulinæ spectatissimi generis fœminæ Romæ percelebratum est. Quæ cùm egregiam castitatis famam apud omnes haberet, esset

esset etiam præstantissimi decoris & eminentis gratiæ, tentata Mundi equestris militiæ Ducis interpellationibus, nec inflexa, vino nimiæ superstitionis, paruit errori: Mundus nāque subornatis Isidis sacerdotibus, qui velut Anubis ad eam mandata perferrent, quòd eam ad templum inuitaret, delectatū se eius sedulitate & pudicitia: noctē posceret, habere se, quod eidem secretò vellet committere. Quod illa accipiens læta ad maritum detulit, Deum suis adesse votis, ab eo suam posci præsentiam, negare se non posse obedientiam. Itaque & ex sua, & mariti sententia pergit ad templum Isidis, noctem exigit, remotisque procul arbitris, quasi sacri cognitionem mysterij perceptura, sese stratis composuit suis, æstimans, quòd ad eam Deus suus in somnijs veniret, & per visionem sese ei demonstraret. Verùm vbi aliquid

a somni. noctis processit, quo faciliùs mulier plena *a* somnij deciperetur, Mundus assumpto vultu Anubis, habitúque

B aduenit, vestimenta alleuat, in oscula ruit. Expergefactæ mulieri Anubem se esse dicit, vultum Anubis prætendit: illa Deum credidit, beatam se esse asserit, quòd eam dignatus sit visitare Deus suus. Amplexum petenti non negat, refert tamen, vtrùm Deus possit homini misceri. Ille promit exempla, quòd & Iouem summum Deorum Alcmena susceperit, & Leda eiusdem concubitu potita, & plurimæ aliæ, quæ ediderint Deos partu, de se quoque ex illa Deum esse generandum persuadet, mulieri concubitu miscetur, redit ad maritum lætior dicens, quòd mixta Deo sit mulier, & eius promisso deum esset generatura. Fit ingens in stupro mulieris & mariti gaudium. Posteà occurrit Mundus, &

C ait mulieri: Beata Paulina concubinatu Dei, magnus deus Anubis, cuius tu accepisti mysteria. Sed disce te sicut diis, ita & hominibus non negare, quibus dij tribuunt, quod tu negaueras, quia nec formas suas dare nobis, nec nomina dedignantur. Ecce ad sacra sua deus

Legunt aliqui drachmarum Atticarum, sed Ioseph. Antiq. 18. c. 6. drachmarū simpliciter ducentarū, quæ valent nostris viginti millia coronatorum.

Anubis vocauit & Mundum, vt tibi iungeret. Quid tibi profuit duritia tua, nisi vt te viginti millium quæ obtuleram, defraudares compendio? Imitare deos indulgentiores, qui nobis sine pretio tribuunt, quod ab te magno pretio impetrari nequitum est. Quòd si te humana offendunt vocabula, Anubem me vocari placuit, & nominis huius gratia effectum iuuit. Hoc perstricta sermone mulier, illusam se intellexit, & dolens iniuriam pudicitiæ confessa est fraudem marito. Ille nihil habens, quòd vxori indignaretur, cui ipse cubandi in templo potestatem permiserat, & conscius coniugalis castimoniæ, principi querelam detulit. Qui motus potentis viri contumelia, atque atrocis flagitij commento, sacerdotes è templo rapit, quæstioni subijcit, confessos necat, simulachrum Isidis Tiberi demergit, Mundo fugiendi potestas concessa, eò quòd vi amoris & formę superatus gratia, leuioribus commissorum suorum pretiis multatus æstimaretur.

Cap. v.

Quod igitur ludibrium imperitante Tiberio acciderit, non putaui prætereundem, vt ex eo deformitas colligatur Imperatoris.

Vita principis regula plebis.

Sicut enim boni principis vita, probitatis quædam præscriptio, & per vniuersos viuendi forma est: ita Imperatoris colluuio, lex flagitiorum est.

Ioseph Gazizim nominat.

Ab eo missus Pilatus est in Iudæam vir improbus, atque in exiguo ponens mendacium, circumuenit Samaritanos, vt montem, cui nomen Gadir, peterent: erat enim illis sacratus, eò quòd vellet eorum mysteria cognoscere. Et ascendens, populum præuenit equitatu, pedestríque exercitu strauit, afflictóque crimine, quòd à Romanis discedere, & conciliabulum sibi quærere præparassent. Quid enim non auderet, qui etiam Christum Dominum ad salutem humani generis aduenientem, multis & diuinis operibus profundentem in homines misericordiæ suæ gratiam, nihilque aliud docentem, nisi quò primùm Deo, deinde Imperatoribus faceret populos obedientes, cruci suffixerit? Demēnsque, qui minister esset sacrilegi furoris, vt interficeret authorem salutis. Ex illo itaque Iudæorum res proditæ, ex illo exitium genti,

A templóque maturatum excidium. Nam si Herodes, qui Ioannem neci tradidit, perfidiæ & crudelitatis suæ pretium luit, deiectus regno, atque exilio datus: quantò magis præcipitibus furiis actum intelligi datur eum, qui Christum occiderit? Quæ causa autem fuerit mortis Ioannis, breuiter expediam.

De causa mortis Ioānis baptistæ. Niceph. li. 1. cap. 19 & 20 Ioseph lib. 18 Antiq.

Philippum & Herodem, qui priùs Antipas dictus est, germanos fuisse suprà ostendimus. Vxorem Philippi Herodiadem, quam Herodes illicitò ac nefando sibi sociauit iure matrimonij. Non tulit hoc Ioannes, & ait illi: Non tibi licet vxorem habere fratris tui. Tum ille commotus, in carcerem detrusit Ioannem. Nec multò pòst necauit virum iustum, & constantem diuinæ legis executorem. Nō solùm enim quasi prædicator Euangelij, fraterni cubilis incæstum reprehendebat, verumetiam quasi legis executor, præ-

B uaricatorem legis condemnauit, qui fratris vxorem viuentis eripuerat, præsertim habentem semē de germano ipsius. Hinc excitata Iudæorum ferè omnium in Herodem odia & pœna accelerata: Cuius autor Herodias videns Agrippam plurimùm præualuisse apud Cæsarem, compulit eum Romam pergere, quo sibi Imperatoris gratiam conciliaret, obiectans desidiæ contumeliam, quòd fugitans labores, dum immoratur domi, indignos sibi pateretur anteferri. Nā cùm Agrippa ex priuato Rex factus sit, quantò magis ipsi iamdudum Tetrarchæ, quò regnum conferat, Cæsarem non dubitaturum. Itaque mulieris opprobria nequaquàm sustinēs, Romam profectus, dum Caij amicitiam petit, ab Agrippa accusatus, etiam Tetrarchiam amisit, quā à Iulio Augusto acceperat, & fugitans in Hispaniam vnà cum vxore Herodiade

C mœrore animi consumptus est.

Tiberius dici Deus ac dominus voluit.

Mortuo quoque Tiberio, Caius successit, qui Dominum se & deum videri, atque appellari volēs, causas dedit Iudæis grauissimæ seditionis, ac nisi properato fine imperium clausisset, Iudęorum genti finem fecerat maturiorem. Non solùm enim ab illicitis non reuocabat suos, verumetiam missis in Iudæam, vltima supplicia minitabatur, nisi omnia aduersū ius & fas religionis armis pararent. Plurimū enim potuit imperio Agrippa: sed dum vellet muro ambire maximo Hierosolymam, vt Romanis fieret inexpugnabilis (præuidebat enim imminentē ruinam) morte præuētus, opus imperfectum reliquit. Nec minorem potentiam exercuit imperitante Claudio: quia ipsius quoque primitiis interfuit, cùm Caio perempto, ipse à militibus as-

D sumptus, in imperium resistente sibi Senatu, regni tædio Agrippam legatum direxit: quo interprete promissa moderatoris imperij fines, diffinita gratia, pax conuenit: in locum Agrippæ patris Agrippa filius eius à Claudio Cęsare Rex subrogatus est.

Cap. vi.

Ipse quoque Claudius exactis tribus & decem annis, cùm deficeret, Neronē Romano imperio Principē dedit: captatus vxoris Agrippinę persuasionibus, quæ tantum fraudibus valuit, vt filium imperatoris Britānicum designatum successorem ipso iure naturæ principatus exortem redderet. Cuius artis mox pœnituit eam: quia dū ex se genito consuluit principi, suum negauit, ignara,

Cod. vet. ius suū negauit quod de Britānico Claudij intelligitur.

quòd elatus imperio, nec matrem agnosceret atque in exitium eius beneficij mercedem inuerteret: idem tamen Octauiam Claudij filiam coniugij loco tenebat:

E præpostero ordine gener filio prælatus: quia mala Reipublicæ præponderabant, cui debebatur parricida, sacrilegus, incestus: vt in eo crimina, non vlla bonæ artis merita regnarent. Tali imperatore seu motū eius intuitu atque ignauiæ contemptu, siue quia Iudæis ob grauia sacrilegia, auerso præsidio Dei summi vltimum excidium præparabatur, erupit in seditiones graues, latrocinia,

Cod. vet. discessionis.

dissensiones, eorum insolentia, quos per viginti annos Eleazarus Princeps latronum grauissimæ depopulatus: aliquando tamen captus à Felice, qui Iudææ præerat, & Romam directus, graues pœnas dedit. Nec sic quidem graui cæsorum numero infractus est populus Iudæam inhabitantium, sed in ipsis Hierosolymis aliud latronum pullulauit genus, qui vocabantur sicarij,

non iam secretis abditi, nec tenebris nocturnis insidiantes sine aliquo præsidio commeantibus, sed luce diei atque in medio vrbis & turbæ stipamine percutiebant quoscúque propiùs accesserát: breues manu gladios gerêtes, conferto populo permixti, vbi adhæserant fixerant, cadebat imprudens cæco vulnere, vt querelã mors præueniret: funus in promptu, sed percussor latebat: & si quis commotus fuisset alieno vulnere, propior suo factus erat cæsorum portio. Ita vel periculi metu, vel dissimulatione facinosis, sicarius non deprehédebatur. tãta erat insidiantiũ velocitas & celandi ars. Occiditur sacerdos Ionathas: addebantur multi quotidie, grauiórq; metus viuentium, quàm ærumna interfectorum. Quasi ad pugnam, sic quotidiè vnusquisque progrediebatur: grauiore tamen conditione, quia hostis præuidetur, sicarius delitescebat, mors in oculis, in animis timor. Nemo se regressurum credebat, nec amicis fides deferebatur, dum sicarius metueretur. Quo plerique perterriti insontes quidem à flagitio latrocinandi, vel sicariorum contubernio, etsi manu innoxij, consilio tamen infirmiores desertum periêre. Sed dum sibi consulunt, terrorem fecerunt discessiones: ex quo belli aduersus Romanos suspicio primò, deinde inuidia exarsit, quo metu prouinciæ Rector misso equitatu, & pedestri agmine, maximam multitudinis stragem edidit.

Cap. vii. Pseudo propheta Ægyptius. Niceph. lib. 2. cap. 26.

Ægyptius quoque Pseudo propheta adueniens, & magicis imbutus artibus dum iactas se prophetico spiritu cœlestia annuntiare oracula, triginta ferè millia Iudæorum associauit sibi, eósque ad montem Oliueti congregans, Frequenti irruptione penetrabat Hierosolymam, ita vt etiam Romanas incursaret custodias, quæ ne quid à populo moueretur, Hierosolymis præsendebant. Vbi etiam hæc compressa est insolentia, quasi in ægro corpore alia pars grauiùs inflammabatur. Plurimi enim palàm discedendum à Romanis, libertatem seruitio præferendam vociferabantur, progressiq; in agros, quibus alimonia deerat, vi expetebasut.

Cap. viii. Cæsareæ conditor.

Postremò in vrbe Cæsarea grauis inter Iudæos & gentiles seditio incessit, vendicantibus sibi Iudæis vrbis totius quasi ab Herode Iudæo conditæ possessioné, renitentibus gentilibus, quòd conditor quidem Iudæus fuerit, sed Cæsaris eam nomine declarauerit. Denique & templum intra eam struxerit, & statuas apposuerit, eóque videri gentilibus vsibus magis eam mancipatam: harum contentionum seditio in manus vertitur: quia neque primi Iudæorum suos seditioni deditos comprimere poterant, & gentiles opprobrio ducebant, si Iudæi sibi cedendum arbitrarentur: itaque excitauerunt

Felix.

Felicem, vt dum vtriusque partis gestu cóprimere multitudinem non acquiescentem, præsertim armis, quando aliter nequibat, consuleretur. Cui successit Festus, qui latronibus plurimis comprehensis, haud exiguos vltimo exitio dedit. Albinus quoque eadem a Romanis,

Festus. Albini rapacitas.

potestate sibi credita, nullum nequitiæ genus prætermisit, rapinarum improbus prædo, vt qui non dedisset pecuniam, in vincula raperetur, quamuis innoxius: qui dedisset, etiam reus absolueretur: auaritia gignebat superbiam, vt pauperioribus se tyrannum præberet, mancipium ditioribus: *idem tamen etsi prætergressus nequitiam superiorum; ita à successore Floro, quasi deses ac lentus in flagitiis, longo sed proximo internallo præteritus ac derelictus, vt comparatione deterioris integer æstimaretur. Et qui primò quæsti fuerunt vt afflicti, postea Festum quasi bonum Iudicem desiderabant. Hic enim singulos exuerat, Florus vrbes diripiebat, inquinatissimus in obscœnitatibus, in sæuitia crudelissimus, armis omnia conturbans, & prælia de præliis serens, qui nec obsecratus ignosceret, nec exaturatus parceret, in conspectu Beronices, quæ soror Agrippæ regis ad templum religionis causa venerat, acerbissima cæde in populum desæuiebat: nec obsecranti deferendam arbitratus, cùm inseruientem religioni nudis pedibus astantem cerneret, & orantem fastidio haberet, vnde ad Agrip-

* ita tamen vt supergressus.

pam Regem & ipsa scripsit, & populus Iudæorum direxit precatum auxilia liberari. Cui egredienti ex Ægypto occurrerunt plerique vltra sexaginta stadia Hierosolymitanæ vrbis obuiam progredientes & circumducto per vrbem, cùm fidem querelarum probaret, insistere cœperunt, vt legatos ad Neronem mitterent. Verùm ille dolorem vt ciuium & ipse miseratus, iam tamen ta tamen belli aduersum Romanos alia prudentia cernens moueri, ne & sibi inuidia, populoque vltimum gigneretur periculum, coacto in vnum populo, in loco, qui templo proximus & ponte diuisus, Sixtus appellabatur, huiusmodi orationem habuit.

Cap. ix.

Etsi plerisq; impetuosus consulendi moderandiq; impatiens, dolor grauibus aliquos faciat inæstuare querimoniis: tamen vbi consilium sumitur, sequestratur affectus doloris. Nam si promptos ad vlciscendas iniurias & ad inferendũ Romano bellum imperio, vniuersos ex hoc populo cóperissem, ac non melioris partis & tranquillioris sententiæ, quod pacis est præoptare, & quod quietis præferre, nec ad vos venire ausus forem, nec cósilium dare. Superfluum est enim suadere quid fieri oporteat, cùm audientium assensus in deteriora sit. Sed quia aliis inexpertus bellicorũ vsus malorum, aliis perfunctoria spes libertatis prædulcis ad expetendum, sed plerunque grauis ad adipiscendum: multis enim dum libertas petitur, seruitus accumulatur, & frequenter totũ eripitur, quibus vel nomé libertatis temátera; alios quibus præsentia vtilitate sui displicent, rerum nouitas inuitat, ac si turbentur negotia, lucrum putatur. Ideò vobiscum consilium conferendum putaui, ne aut prudentiorum sobrietas præcipitatur insolentiorum audacia: aut qui rectè sapere nesciunt, nostro saltem admoniti sermone cognoscant, acquiescendum esse consultoribus. Silentium igitur deferendum censeo, vt & nos quæ conducere vobis arbitramur aperiamus, & vestrûm nemo perturbetur, si aliqua præter suam voluntatem audiat. Nemo enim poterit æstimare, quale sit quod dicitur, nisi audierit priùs, cuius ipse futurus arbiter sit: Probétne an respuat, frustrà conturbatur ne audiat: licet enim & post consolationem vnicuiq; sentire, quod senserit: Et si dissensio, placet etiam post sobrios motus, seruare inconsultæ voluntatis sententiam. Sed dicet aliquis: Cur frustrà audiri velim, si non acquiescant, qui audiunt: Quia si nolint acquiescere cùm audierint, portio mihi concionis, non omnis populus periclitabitur. Si autem audire nolint, etiam cùm pars audiri côturbat vniuerso populo * eripiatur audiendi profectus. Iraque apud eos mihi orietur sermo, qui audire * voluerint, si vel ex parte aliqua mihi silentium deferatur: intercipietur enim sermo omnis, & quasi totus desidet, si concionalis fragoris & inquieti strepitus examinetur impedimento. Duo sunt itaque, quibus primò respondendum arbitror: quæ in maximo sunt querelarum pondere: Quòd plerique vociferantur de iniuriis Præsidum: & quòd plerique periisse sibi libertatem gemunt. Quarum propositionum separanda mihi complexio videtur. Si enim præsides improbi, quid opus est libertatem attollere? ne videamini non eorum merito sed seruitutis fastidio accusare præsides, quasi dominationis ministros. Aut si intolerabilis seruitus, superflua ergo de præsidibus querimonia. Nam etsi in illis moderatior sit, nihilominus tamen turpis seruitus est. Consideremus ergo, ne in vtroque eorum non perfunctoria bellorum materia sit: quid enim ineptius, quàm de iniuriis queri, & bellum subtexere, ac periculis mutare contumelias? Dũ iudicem refugias, hostem inducas: cũ iudex iniquos plerunq; iuris interpretes sit, hostis autẽ etiam iustus semper sit appetitor salutis. Temperari ergo non exasperari iudicem decet, hostem caueri, ne alterum acerbes, alterum arcessas: cùm & ille delinimento mitior fiat, & iste declinari debeat, ne possit nocere. Cauendum igitur de iudicibus, ne maior querela quàm iniuria sit. Grauior quoque obiectionũ inuidia, quàm commissorum pretia. Sæpè etc-

* eripitur.
* noluerint.

nim qui primò verecundiùs deliquerint, accusati insolentiores sunt, & qui occultè antè furati sunt, posteà palàm latrocinantur. Nihil itaq; tam exasperat feruorem vulneris, quàm ferendi impatientia. Denique impensiùs in ipsis agrestibus feris arctissima vincula, si se excitent, imprimuntur: si quiescant, relaxantur: grauis quoque febrium vis tolerando minuitur, inquietudine augetur. Quòd si norint sibi consulere agrestia, vt naturæ obliuiscantur, quò dolorem alleuent: quantò magis in hominibus frequens id docuit vsus, quòd eorum, qui læsi sunt [a] toleranda, lædentibus fuerit [a] verecunda, vt sine accusatore correa erint, quod accusati non emendassent.

a tollerātia.
a verecundia.

Sed esto, fuerit intolerabilis Romanorum Iudicum insolentia, quid igitur tolerabilius, vniuersos, an vnum perpeti? Quæ autem iustitia, cùm vnus læserit, bellum inferre omnibus? Nunquid omnes Romani iniuriæ autores? Nunquid ipse Cæsar? aut studiosè electus est improbus, qui ad vos mitteretur: Sed neque speculari possunt [a] transmarina, oculósq; ad Orientem & Occidentē intendere, vt illic videant, quæ hîc geruntur: neq; audire facilè, quod etsi sollicitudo exigat, longinquitas negat probationum difficultatem. Vnius igitur culpa dissidium pariet orbis Romani, cùm etiam sine querelis vestris propera correctio sit, nulla accusationis inuidia, itineris nullo labore. Annuis enim vicibus Romani Magistratus mutantur. Quo fit, vt nec insolens diu maneat, & moderatior citò succedat. Nihil igitur oberit quieuisse, cùm remedium deferatur etiam quiescentibus. Causas belli autem intexere perniciosum, quia dura belli aduersum omnes conditio, aduersum Romanos vltima. Quos si fugere velis, cùm superare nequeas, orbis terrarum tibi derelinquendus est. Sed libertatis cupiditatem prætenditis? Sera ista deliberatio: priùs certandum fuit, ne amitteretis libertatem quàm vt amissam reposceretis. Durus seruitutis vsus, & ideò à principio nō fuit subeunda, aut suscepta æquanimiter ferenda. Tunc decuit restitisse, cùm ad seruitium vocaremini. Illa iustior pugna: qui autem semel se dederit in seruitutem, etsi posteà subtrahere se velit, non ille tanquàm amator libertatis asseritur, sed tanquàm seruus contumax adiudicatur. Vbi erat ista libertatis defensio, cùm Pompeius vestris ingrueret regionibus: vrbem Dominus intraret, vbi erant arma pro libertate? Cur deposita sunt à patribus nostris? Et certè illi fortiores nobis fuêre, vigebant animis, abundabant subsidiis, cupiebant repugnare: sed exiguam Romani exercitus non sustinuêre portionem: victi sunt, sed reseruati agnouerunt iugum seruitutis, ne tolerarent pœnam captiuitatis. Quid recusatis hæredes, quod debetis iure successionis? Astringunt vos negotia patrum, quomodo obedientiam refugitis, tantò inferiores obedientibus: aut quid vobis reliqui erit qui in vos Cæsarem & omnem virtutem Romanam mouetis? Quomodo potestis sustinere eos, qui de omnibus triumphârunt, atque ab omnibus sibi militantibus nūc adiuuantur? Et Athenienses quidem pro libertate totius Græciæ incendio patriam tradiderunt, exilio mutantes domos, ne sibi Xerxes dominaretur, quem in terris nauigantem, in fluctibus gradientem, cùm eum nec maria caperent, nec terra sustineret, quòd Europę totius spatia, transitus eius itineris includeret, angustioribus terrarum finibus, quàm exercitus commeatu ita persecuti sunt fugientem, vt vix vna naue fugitans, auxilique indigens, se subtraheret captiuitati: verùm ipsi illi viri, qui totam fregerunt Asiam, propter exiguam Salaminam & imperitantem fluctibus Xerxem, subiugentem maria, in eo ipso, quod sibi subiectum putabat, elemento, gloriosissimè debellatum fugârunt: nunc Romanis seruiunt, & Principes totius Græciæ Italorum imperiis obtemperant: atque illæ Athenæ, quæ leges aliis dabant, nunc alienis legibus famulantur. Lacedæmonij quoque post Thermopylas & Leonidæ defuncti triumphos, post Agesilaum seruatorem Asiæ, nunc amant dominos suos. Macedonia quoque atque Africa, quæ per

a transmarina.

Magistratus annui.

A [a] suos validissimos Duces totius orbis imperium in sua iura & possessiones transfuderant, translatam à se potentiam non indignantur, tantáq; rerum mutatione contentæ, optant propitios [a] Dominos, quos ad seruitutem perrbant. Nec Philippi diutius Macedones, nec Alexandri excitantur triumphis, quos Duces omnium prudentissimos non immeritò inuictos arbitrabantur, quia alter se [a] contra Græciam tenuit, alter fugiens arma Romana, vsque ad regna Caspia, & extrema subactæ Persidis, atque Indorum secreta victor peruenit: Magni nomen obtinuit, quia maximos omnium non lacessiuit. Quem licet immatura mors triumpho Romanorum subtraxerit, seruit tamen & ipse in posteris suis, quibus Orientis spolia, non ad fulcrum dominationis quæsita, sed ad pretium seruitutis, vt nobilitas famulantium ad victoris opes perueniret. Magna virtus Alexandro.

a duos.
a Dominos in vet. cod. deest.
a intra.

B Quid tamen mirum? Ille vsque ad Oceanum victoriam extendit, Romani vltra Oceanum. Testis est Britannia extra orbem posita, sed Romanorum virtute in orbem redacta. Quos ætas superior ignorauit, didicit Romanorum victoria. Seruiunt & ipsi, qui, quid esset seruitus, ignorabant: soli sibi nati, & semper sibi liberi [a] quia à superiorum potentia, inter fuso Oceano secreti metuere non poterant, quos nesciebant. Plus itaque fuit transisse ad Britannos, quàm triumphasse de Britannis. Quid enim facerent, elementis iam Romanorum imperio subiectis? Docuit illos Oceanus seruitutis patientiam, postquàm transfretantibus & [a] ipsi Romanorum nauigiis, insuetam sibi seruitutem [a] agnouerāt. Nam de Annibale quid referam, qui tot regionum victor Romanis & ipse

a qui.
a ipse.
a agnoueratAnnibal.

C militauit triumphis, quibus Alpes aperuit, viam strauit, vrbes subegit, quæ victoribus acquirerentur. Et qui frequenter superior, spem tamen victoriæ victis nunquam interclusit, semel victus reparare se nequiuit. Cessit ipsò tè victoribus, quos [a] victor non sustinebat, abiectisque armis victricibus, ad Prusiam sese contulit Regem: ex Duce mercenarius, ex triumphatore fugitiuus. Veniamus ad Galliarum incolas populos natura feroces, & naturalibus muris ferociores, quos in cæmenta parietū, sed iuga Alpium ab ortu Solis tuentur, ab occasu Oceanus includit, à meridie prærupta Pyrenæi, à septentrione Rheni fluenta, immanésq; Germani insuperabiles, & inaccessibiles reddidisse se claustrorum beneficiis æstimabantur: Romanis tamen supra nubes vian tib[9], & vl-

a victos.

D tra columnas Herculis imperium propagantibus, nihil inuium fuit: tanta [a] fœlicitate hostis, & qui latebat repertus, & qui resistebat victus est: quorū improuiso aduentu consedisse montes Germania credidit, Rhenum exaruisse, qui magnitudine corporum & contēptu mortis cæteris validiores, qui retinaculum antè suum Rhenum putabant, nunc salutis defensionem. Itaque iam non [a] copiis Germanorum replentur, sed Romanorum liburnis, quæ pererrantes tot vsque ad mare bicornis amnis fluenta quondam liberas gentes seruitio premūt, vt quæ sibi antè totius orbis imperium præsumpserant, nunc seruitutis propriæ mercedem exoluant. Quid Illyriis erutum venis terrarum suarum aurum profuit, quibus non abundauit ad libertatis præmium? Quantò

a facilitate.
a Cor. Gualt. legēdum putat caupulis, quod genus nauigij excauatum fuisse Germanis in vsu scribunt Tacitus & Marcellinus.

E pretiosius Romanorum ferrum, cui seruit aurum Pannoniorum: Dat itaque Pannonius auri tributum, & opes suas ad Romanum ærarium volens transfert, vt sit tutior in seruitute. Nec incolam suum auro turbida Pactoli vnda extulit in superbiam, seruit libenter, quibus seruire imperia videt: nec miratur Indus gemmam suam, aut Seres lanam suam. Ad vsum Dominorum exercentur illa, non pretio mercium, sed functionum munia. Persarum superba [a] audimus imperia, sed eorum quoque obsides vidimus, & cùm ipsi imperent pluribus nationibus, tamen offerunt liberos suos & nobilitatem suam. Seruire Romanis gaudent pro fide pacis, simul vt seruiendo discant suis imperare: offerunt vestes, monilia, elephantos quoque Romanis, vnum tributum Reges imponere. Attexamus Ægyptum abundantem

a audiuimus.

opibus suis, nec indigentem pluuiæ cœlestis, quę sibi ipsa imbres generat, & pluuiarum vbertates creat. Denique cùm sit feruentior omnibus regionibus, sola non queritur de siccitate, & quod nulli alij loco suppetit, alit irriguo suas messes: Nauigatur in arenis, nauigatur per sata, vbi pluuia nescitur. Cuius tamen noua gratia & naturalis fœcunditas Romanis militat, vt quatuor mensibus Dominos alat. Quid ipsam vrbem loquar cognomine Regis fortissimi, quæ septa fluminis muro, nescit obsidionem? quòd vniuersorum amnium maximus, diffuso per spatia terrarũ alueo, & obsidionis submoueat impedimenta, & in vehẽdis quæ necessaria sunt ad vsum * remedia.

* remedia.

rerum ministret? Quæ magis poterat ad rebellandũ quàm Ægyptus excitari, quæ decies septingenta & quinquaginta millia hominum, præter Alexandriæ incolas populos Romanis fascibus numerat ascriptos? Et cùm habeat tantam multitudinem, mauult tamen Romani imperij tributis se exercere, quàm suis militare stipendiis.

Cyrenẽses.

Non transiliam Cyrenenses Lacedæmoniorum genus, qui quondam cum Carthaginensib⁹ de finibus atque imperio certarunt, finem certaminis mortem offerentes. Qua oblatione victi, sed vlti tamen iniuriam fratribus * Philineis victoriam concessere: nec Syrtes prætcribo terribiles, etiam solo auditu, quòd omnia ad se trahãt, & appropinquantia vadoso mari hæreant, tertiam partem orbis totius ab Atlantico mari & columnis Herculis vsque ad mare rubrum, atque Æthiopas definiri rerum periti asseruere. Quis tot gentium populos numero recenseat, quibus fulta Carthago Scipionis dextram nõ tulit, maluítque Romam duabus anni partibus aduersum se pascere, quàm aliorum opibus nixa aduersum Romanos

* Phileniis.

C rebellare? Creta quoque centum vrbibus nobilis, vbertima præferens regna, circumfusa vndique mari & fluctibus tanquàm mœnibus solita hostem repellere, vnũ consolarem veretur, & plurimi populi sex fascium virgulis metu inclinantur. Asia, Pontus, Eniochi, Scythæ, Nomades, Taurici Scythæ, Mæotiáque regna, Bosphoranique omnes Romano imperio subiiciuntur, & illud ante innauigabile pelagus, XL. naues ad pacem exercent.

Creta centũ vrbibus nobilis.
Asia.

Nam de Armenia quid dicam, quæ non solùm limitis sui seruat quietem, verumetiam portarum intenta custodiæ diligenter explorat, ne pacem turbaturus aliquis irrepat. Omnes ergo Romanis seruire gestiunt, vos soli dedignamini his esse subiecti, quibus subiiciuntur vniuersi? Quibus freti armis? quo superbi milite? vbi est stolus nauium vestrarum, qui obsideat freta, percurrat maria Romanorum? In ipsorum enim nomen elementa etiam transierũt, in quos etiam transiuit orbis terrarum, qui Rom. imperio clauditur & definitur: denique à plerisque orbis Romanus appellatur. Nam si verum quæramus, vt suprà diximus, terra ipsa infra Romanum imperium est supra quam progressa Romana virtus vltra Oceanum, alterum sibi orbem quæsiuit, & in Britannia sibi remota à confinio terrarũ nouam inuenit possessionem. Denique quibus ius non solùm ciuitatis Romanæ, sed etiam ipsius propè humanæ conuersationis negatur, illo diriguntur, vt illic habitent, quasi mũdi exules. Cessit Oceanus finibus suis, nouit Romanus interiora eius petere secreta, cum ipsis vobis erit bellum, aduersum quos nec natura suum ius possidet. Euphrates ille inaccessibilis antè, nisi suis incolis, ex vtraque iam ripa Romanus est, & sub imperio Romano totum significat esse Orientem. Ister in Septentrionalibus partibus inter sæuas, & innumeras profluentes gentes, obsides suscipit, hostes coërcet. Meridiana plaga quousque habitabilis esse potest, arat Romanis, atque ipsis messem suam colligit in occasu quodã vltima terrarum Gaditana ora, nouos suscipit hospites, qui Romano imperio tributa sua deferant. Habet & ipsa, quò dirigat merces suas, vbi antè solùm naufragiũ * putabant, ibi nunc mouetur commercium. Cùm igitur Romanorum omnia sint, vnde vobis aduersum Romanos præsidia quæretis? Ex qua vobis inhabitabili parte socios postulabitis? Quicunque enim in

Armenia.

Orbis Romanus appellatur terrarum continens ab Athenæo Roma dicitur Epitome mũdi.

Ister.

* putabat.

A orbe terrarum sunt, Romani omnes sunt. An vltra Euphratem ad Adiabenos dirigetis legationem? sed nec ipsis vacat sua relinquere, nec Parthus sinit petitam sibi pacem interpellari, ne ipse in finitimis reus sit rebellionis, ne * illud bellum simile putetis, ac si aduersũ Arabas & Ægyptios vobis gerẽda prælia sint. Alia Romana arma, aliæ opes ex toto quæsite orbe, nec Hierosolymitana vobis blandiantur præsidia murorũ, validiorem Romani murum Oceani ruperunt: sed de religionis auxilio præsumitis, cùm orbem iam Romanum Iesu discipuli repleuerunt? Aut sine nutu Dei putamus illam crescere religionem, vrbémque Romam supra omnes regiones proferre imperium suum. * Hæc nostra nos iam dudum religio deseruit, quia nos deseruimus fidem, & frequenter interdicta mãdatis cœlestibus repetiuimus. Vnde in B nos venit Ægyptius? quemadmodum captiui facti sumus Assyriorum? Nónne scriptura dixit hæc euentura? Nónne scriptum est profananda omnia templi sacramẽta? quæ iam sæpiùs profanata vim suam atque omnem diuinorum mysteriorum gratiam non repræsentant: Contaminatum est templum humano sanguine, repleta sunt puluinaria cadaueribus, perfusæ aræ Romano cruore, pugnatum est sabbato: præuaricatio facta est, dum templum nõ sua obseruatione & feriarum solemnitate, sed cruento defenditur prælio. Et hoc vtique iterùm fiet. Ergo quomodo possumus tanquàm aduersum hostes, & religioni aduersarios diuinum auxilium mereri, cùm ipsi præuaricationem inferamus nostræ religioni? Quod igitur remedium, cùm & humanæ opes non suffragentur, nec diuina opituletur gratia? Alterum horum aliquos inuitare solet ad bellum, vobis vtrunque deest. C Quid ergo superest, nisi manifestum excidium? quod si non declinatis dum cauere licet, nihil aliud nisi vos ipsi vestram patriam concremabitis, templúmque exuretis, coniuges quoque & liberos dabitis neci, quibus autores eritis supremæ amissionis: Cùm malorum omnium incrementum inconsolabile sit, nostræ culpæ ascribi quæ sustinemus. Accedit huc, quod aliarum vrbium bella, suorum incolarum excidiis determinantur, vestra rebellio totius erit excidium * religionis, quæ toto diffusa orbe, populos vbique dissemiuabit, & in omnibus vrbibus nostri portio est. Vestro igitur prælio Iudæi omnes implicabũtur, nec erit vlla regio nostri expers cruoris. Aut si tales sunt Romani, vt Iudæos non persequan- D tur, nec bello lacessiti: quàm iniustum est bellum his inferri, quorũ humanitatem speratis. Bonum est charissimi, bonum est, dum adhuc in portu nauis est, præuidere tempestatem futuram, nec imminentibus quenquam sese obiectare periculis, ne cùm in altum processeris, iam naufragium non possis cauere. Et plerunque quidem repentina exurgit procella, & bellum excipitur, etiamsi non inferatur: sed interest lacessere hostem an excipere, magis parcit non lacessitus, & necessitas excusat insolẽtiam: vbi verò in præruptum quisquam sese immergit periculum, oneratur etiam opprobrio. Non is hostis est, quem fuga possitis vitare, Quocunque ibitis, sequitur periculum: imò vbique hostem reperietis. Omnes enim amici Romanorum sunt, & quicunque præter Romanorum amicitiam est, hostis vniuersorũ est. Subeat vos E patriæ amor: si non pignorum vestrorum, non coniugũ vos contemplatio reuocat, reuocet templi contuitus sacratissimi: parcite saltem religioni: parcite sacratissimis sacerdotibus, quibus iam non parcunt Romani, neque ipsi templo, quos pepercisse pœnitet: quoniam iam dudum volunt omnes gentes nostram extinguere religionem, cui Pompeius tamen cùm extinguere posset, pepercit. Ego nihil prætermisi, omnia monui, quæ ad vestram spectant salutem: hoc vobis suadeo, quod mihi eligo: vos considerate, quid vobis & mihi vtile sit, opto vobis & mihi pacem esse cum populo Romano: si recusans, ipsi meam vobis eripitis societatem: aut communis erit gratia, aut sine me periculum. Hæc dicens, illachrymauit, Beronice quoque soror eius: Nã & ipsa erat in Xisto

* istud.

Christi discipuli orbem repleuerũt vide. Hieg. & Niceph. li. 3. cap. 1.

* Nã.

* al regionis.

superioribus, & multum eos Agrippa suis lacrymis inflexerat, ita vt dicerent Iudæi, non Romanis * bellamus, sed Floro: qui bello digna commisit, bellum inferendum arbitramur. Respondit Agrippa, sed hoc est Rom. bellum * inferre: facta vestra Romanorum iniuriam petunt. Non Floro, sed Romanis: non Floro, sed Cæsari tributum negatur: non Flori, sed Romanorum miles in castro est, quod appellatur Antonia, à quo dirutis diuisisque porticibus templum separastis, vt custodia sequestraretur. Restituite statutum * superiorum, tributum quod Cęsari debetur, Cæsari soluatur, ne Florus hoc referat, non se à vobis, sed Cęsaris imperium repudiatum. Acquieuerat populus his dictis, ita vt cum Agrippa in templum ascenderent, porticus vt fuerant inciperent ædificare, tributum cogerent. Denique breui missis in huiusmodi * munus industriis executoribus, congregata sunt talenta XL. quæ deerant tributariç solutioni. Compressus fuerat omnis belli tumultus: sed adiungere his Agrippa volens, vt Floro obtemperarent, donec ei à Cęsare successor veniret, ita plebē exasperauit, vt ne ab eius quidem contumelia temperaretur, sed extrusum vrbe nonnullis iactis lapidibus, incertum an percusserint. Qua motus iniuria Rex, autores eorum comprehensos ad Florum direxit. Ipse autem in regnum suum concessit.

Xistus locus fuit tēplo proximus.
a rebellamus.
a mouere.
a superiorē.
a munus.

Cap. 2.

Eo discedente concitatores belli compositis insidiis, Massada castellum occupauerunt, necatisq; Romanorū custodibus suos constituère. Eleazarus quoque Principis sacerdotum filius, pręruptæ vir audaciæ suasit, ne cuius alienigenæ donum vel sacrificium reciperetur: quæ tuba belli aduersum Romanos fuit, vniuersosque in tumultum excitauit. Videntes itaque potissimi quique, quòd ea res * præsumptæ causa foret dissensionis, agebant cum populo, nō solùm Cæsari bellum irrogari, sed violari etiam instituta religionis, templique imminui reuerentiam: argui & condemnari Patrum traditiones, qui ex muneribus alienigenarū templum ornauerint, cui multò ampliùs accesserit diuitiarū ex collatione gentiū, donísque diuersarum & innumerabilium nationū: obliterari sancta maiorum, sacros ritus * nouari. Quid futurum de his quæ antè collata sunt, si simili modo conferri in posterum dona gentium prohibeantur? Aut si solis Romanis sit interdictum quod omnibus liceat, quod incentiuum belli futurum? * Postremum impium, si apud Iudæos tantùm nec sacrificare, nec inferre munera alienis permitteretur. Considerare eos oportere, quia Cæsaris pax solueretur, quem huiusmodi motum offensione, haud dubiè facturum, vt eriperet Iudæis omnem vsum sacrificiorum: vt nec pro se sacrificium Cæsaris refutauissent, præueniendum maturè. Nam talia consulta si ad Florum, atque inde haud dubiè ad Cæsarem peruenirent, Iudæorum genti pestem * factura: simul hæc asserere sacerdotum testimoniis desiderantes, interrogabant, si vnquàm à maioribus esset sacrificiis gentilium renuntiatum: id quò minùs liqueret, obstrepebant ad seditionem parati, nec ministri quidem altaris audebant sese tantæ discordantium inserere contentioni: vnū remedium superesse visum est, vt Florus atq; Agrippa Rex cum militari manu adessent, vt saltem metu desisterent, qui consilio nequaquàm reuocarentur: sed Florus, qui augeri vellet seditionem, ne vllus Iudæis esset veniæ locus (* qui nisi inuoluti bello forent, vrgendi rapinas eius, & grauiora commissa facultas omnis extingueretur) passus est crescere belli furorem, nihílque Legatis respōsi reddidit. Agrippa verò quàm maximè ambiebat Scyli & Antipæ Custobarique propinquorum suorum legationem, in commune bonum, vt & Iudæos Romanis seruaret, & Iudęis religionem, patriæ templū, vrbem ciuibus, sibique imperij decus, regni tranquillitatem, misit tria millia equitum Dario & Philippo turmarum ducibus, vt auxilio freti, bonarum consultores partium promptiùs niterētur. Hinc fiducia bonis orta, improbis indignatio, bellum adoleuit. Cùm hos causa iustior, quæ nihil tamen armorum conflictus iuuaret: illos furor & multitudinis numerus accenderet, diuisæ acies prçliatorum: * Principes Sacerdotum, & vulgi portio, quæ pacem optabant, cum Regiis equitibus partem ciuitatis superiorem occupauêrant, illi alij in inferioribus siti, templum & propinqua loca sacris sibi vendicabant. Primò lapidibus & saxis & iactu telorum vtrinque bellum lacessunt, decernunt sagittis. Postcà vt sese fortè obtulit præliandi necessitas, conserta manus, peritia vsiq; Regij præstabant, volentes arcere accessu belli excitatores, ne templum inflammarent. Contra Eleazaro cum suis etiam superiorem vrbem, quæ vocabatur Sion, inuadere studium erat: septem diebus sine intermissione aliqua bellatum est. Octauus solennitatis dies, quo ligna omnes altaribus solebant imponere, ne quādo ignis deficeret, quem oportebat inextinguibilem perseuerare, furorem addidit, vt omnes à templo ministri excluderētur. Audacius solito sicariis sese proripientibus cessere Regij, nec in superioribus partibus consistere ausi: incēsæ ædes Agrippæ & Beronices, direptum omne instrumentum Regium ignis circumferebatur, vt chirographa debitorum, quæ recondita in tabulariis erant * publicis, exurerentur: quò fæneratoribus suis inopes insolentiùs insurgerent, omni nexu sese absolutos arbitrari, incendebant vrbem manibus suis, exurebantur rerum ciuitatis, expugnatum est castrum cui nomē Antonia, cæsi omnes custodes reperti, incensum posteà. Massadam quoque proripiens sese Manaimus, Iudæ Galilæi filius, acer & peritus Sophista, & turbandis rebus exercitatus, armorum inuasit officinas, & induit armis inermes. Regressúsque in Hierosolymam, stipatoribus tanquam Regio more comitantibus, immane quantum insoleuerat, vt supergrediens vsum priuatum, nec ab illicitis quidem, quæ liberi populi ferre non possent, temperandum arbitraretur, insurgentibus in eum pluribus, qui fultum Regali indumento, Tyrannum & Dominum incubuisse libertati ciuium increpitarē, graues pœnas dedit, vt afflictus priùs cruciatibus immoreretur, nec tamen * dissidium remotum: Nam multò grauior motus insurrexit. Denique Metilius cū Romanis militibus orauit, vt discedere liceret: datáque fide & interpositis sacramentis, vbi iuxta pactum arma deposuēre, cùm sine metu abirent, ab Eleazaro & sociis factionis multi obtruncantur. Non resistendum aduersus vim, nec precandum rati, sed tantummodò violatam fidem & periurium perfidorum vociferantes. Omnes itaque interfecti: Metilius ipse præfectus militum rogando & obsecrando, simul pollicens vsque ad circuncisionem quoque se Iudæum futurum, solus reseruatur.

a præruptæ.
a Cod. vet. negari.
a postremò.
a futuram.
a in vet. cod. al. quibus si inuoluti bello forent, arguendi rapinar &c.
a Princeps.
Igois inextinguibilis.
a Publicè.
a bellum.

Cap. xi.

Ardebat omnis Iudæa: Syria quoque prouincia omnis in bellum * excitata. Denique Cæsarienses quoscunque habebant Iudæos interfecerunt: quo dolore excitati, plurimas Syriæ vrbes Iudæi adorsi debellauerunt: nusquàm ius, nusquàm religio, nobilior erat, qui plura diripuerat, quasi præmia congerens fortitudinis. Erat spectaculum miserabile, cùm inhumata corpora passim iacerent in vrbibus: pueris * commixti senes, mulieres quoque nec propter verecundiam spectantium munimentis, quibus pudenda tegerentur, relictis: omnia fœda & plena specie miserabili, quæ cùm rerum horrorem excederent, grauis ac nefariæ crudelitatis, grauiora tamen adhuc sibi inuicem minitabantur. Erat immane latrocinium inter Iudæos ac Syros, cùm spes nulla salutis esset, nisi vt inuicem se præuenirent. Quæ enim ciuitas, quæ non Iudæos simul & Syros permixtos haberet? Dies in sanguine, noctes in formidine transigebantur: nec odiis, nec auaritiæ modus vllus. Nam præter sectarū & cultus diuersitatem, quæ in malum publicum erupe rat, vt è diuerso se perditos vellent, auaritia habendi, & rapiendi cupido ita animum inuaserat, vt nulli, quem prædæ studio deputassent neci, parcendum æstimarent. Quid de minore numero cæsorum loquar? Nam præter Antiochenos & Sydonios & Apamenos, diffici-

a excita.
a permixti.

lè quisquam populus, inhabitantes secum Iudæos nun persecutus est. † Cerassem autem & volentes egredi, vsque ad fines proprios prosecuti sunt, vt sine vlla fraude abirent. Alexandriæ verò orta inter gentiles & Iudæos contentione, † dum Hebræi vindictam reposcerent, ac raptis fascibus congregatum in amphitheatro populum gentilium minitarentur exurere, alia curantem Alexandrum Tiberium Præfectum loci in se conuertere, ac primò quidem concordiam publicam reformare pacificis tentabat sermonibus. Vbi verò irrideri ab his, quæ sedulò moneret, aduertit, nec vllo alio modo tolli posse tantam seditionem, inuadendi eos militibus potestatem dedit, qui circumfusos adorsi, maximam per totam vrbem stragem fecêre: cùm alios resistentes, fugiĕtes alios, alios in domibus suis latitantes necarent, neque vlla subiaceret, vel paruulorum misericordia, vel reuerentia senum, vel mulierum verecundia. Cæsa itaque Iudæorum quinquaginta ferè millia, natabant plateæ sanguine, repleta erant omnia cadaueribus, crepitabant flammæ sæuo per vrbem incendio, quæ Iudæorum domibus † iniectæ, vicina simul depascebant. Inflexus tamen Alexander, tandem milites abstinere, & recepui canere iubet: volgi tamen ita semel progressa in potestatem necandi, nequaquàm mitigabatur.

† Gerasseni

† cum.

† iniectæ.

Cap. XII.

LVEBANT enim scelerum suorum supplicia*, qui postquàm Dominum Iesum crucifixerant diuinorum arbitrum, posteà etiam discipulos eius persequebantur. Plerique tamen Iudæorum, & gentilium plurimi crediderunt in eum, cùm præceptis moralibus operibúsque vltra humanam † potestatem profluentibus inuitarentur: Quibus ne mors quidem eius vel fidei, vel gratiæ finem imposuit, immò etiam cumolauit deuotionem. Intulerunt itaque parricidales manus, atque autorem vitæ interficiendum ad Pilatum deduxêre: reluctantem cœperunt perurgere iudicem, in quo tamen non excusabatur Pilatus, sed Iudæorum amentia coaceruabatur, quia nec ille adiudicare debuit, quem reum minimè deprehenderat: nec isti sacrilegium parricidio geminare, vt ab his, qui ad redimendos & sanãdos eos sese obtulerat, obtruncaretur: de quo ipsi Iudæi quoque testantur, dicente Iosepho historiarum scriptore, quòd fuerit illo in tempore vir sapiens, si tamen oportet, inquit, virum dici: mirabilium † patratorem operum: qui apparuerit discipulis suis post triduum mortis suæ viuens iterum, secundum Prophetarum scripta: qui & hæc & alia innumerabilia † de eo plena miraculis prophetauerunt: ex quo cœpit congregatio Christianorum: & in omne hominum penetrauit genus, nec vlla natio Romani orbis remansit, quæ cultus eius expers relinqueretur. Si nobis non credunt Iudæi, vel suis credant: hoc dixit Iosephus, quem ipsi maximum putant: & tamen ita in eo ipso quòd verum locutus est, ita mĕte deuius fuit, vt nec sermonibus suis crederet, sed locutus est propter historiæ suæ fidem, quia fallere nefas putabat: non credidit propter duritiam cordis & perfidiæ intentionem: non tamen veritati † præiudicabat, quòd non credidit, sed plus addidit testimonio, quod nec incredulus & inuitus negauit: In quo Christi Iesu claruit potentia æterna, quòd eum etiam Principes Synagogæ, quem ad mortem comprehenderant, Deum fatebantur. Et verè quasi Deus sine exceptione personarum, aut vlla mortis formidine locutus, excidium quoque templi futurum annuntiauit: sed non eos templi iniuria commouit, sed quia in flagitiis ab eo & sacrilegiis corripiebantur, hinc ira exarsit, vt interficerent eum, quem nulla habuissent tempora. Nam cùm alij peccando metuerint facere, quæ fecerunt, hic in potestate habebat, vt omnia quæ fieri vellet, impetraret. Occisus erat ante mortem Iesu, Baptista Ioannes vir sanctus, qui nunquàm in † seculis saloris veritatem pudiuerat. Denique ad omnia quæ plena iustitiæ docebat, quibus ad cultum Dei inuitabat Iudæos, etiam Baptismum propter purificationem animæ & corporis instituerat. Cuius causa necis libertas, quòd perperi nequi-

† possibilitatem.

Iesus ducitur ad Pilatum.

Antiq. lib. 18. cap. 6.

† creatorĕ.

† eod. vet. Deo pleni miracula prophetauerunt.

† præiudicat.

Ioannis Baptistæ necis causa libertas erat.

† fecundis.

A

nit ab Herode fraterni violata connubij iura, * germanóque abductam coniugem. Nam cùm idem Herodes Romam pergeret, hospitij causa fratris ingressus domũ, cui erat vxor Herodias, Aristobuli filia Regis Agrippæ soror, ausus est eam naturæ immemor solicitare, vt relicto fratre, sibi nuberet: cùm de vrbe Roma reuertisset, ex consensu mulieris inita incesti pactio est. Cuius indicium rei, peruenit ad Aretæ Regis filiam, in coniugio adhuc Herodis manentem. Ea rualem indignata tedeũti marito insinuauit, vt ad Macheruntã oppidum dirigeretor, quod erat in confinio Petræi Regis & Herodis: ille qui nihil suspicaretur, simul quia omnem iam circa eandem imminuerat affectum, quò faciliùs Herodiadi pactionis fidem præstaret, si ablegaret coniugem, acquieuit eius suggestioni. At illa, vbi patrio regno appropinquauit, cognita patri Aretæ prodidit, qui per insidias omnem exercitum Herodis bello lacessitũ deleuit, proditione facta per eos, qui ex Philippi Tetrarchæ populo, Herodi sese associauerant. Vnde Herodes Cæsari querelam detulit: sed vindictam imperatam à Cæsare indignatio Dei sustulit. Nam in ipso apparatu belli, Cæsaris mors nunciata, idque à Iudæis æstimatum comperimus & creditum (authore Iosepho aduersum se idoneo) quòd non fraude hominum, sed Dei commotione Herodes exercitum amiserit, & iustè quidem propter vindictam Ioannis Baptistæ viri iusti, qui dixerat ei: Nõ licet tibi fratris vxorem habere. Sed ita hæc cõteximus, quasi vel in suis Iudæi legitima custodierint, apud quos interierat summi ius sacerdotij, aut auaritia interceptũ, aut potiorum insolentia, qui licere quod vellent, ius putabant. Nanque à principio Aaron summus sacerdos fuit, qui ad filios suos ex voluntate Dei vnctione legitima transmisit sacerdotij prærogatiuam, à quibus per ordinem successionis constituti sunt, principatum sacerdotij gererent. Vnde patrio more consuluit neminem fieri principem sacerdotum, nisi qui esset ex sanguine Aaron: cui primò ius istiusmodi delatum est sacerdotij. Alterius autem generis viro, nec Regi quidem, liceret succedere. denique Ozias, quia vsurpauit sacerdotij munus, perfusus lepra, à templóque eiectus, reliquam ætatem sine imperio exegit: & certè Rex optimus fuit, sed vsurpare ei non licuit officium religionis.

* germanoque.

Herodias.

B

C

Aarõ summus sacerdotum.

Ozias lepra percutitur.

FVERVNT itaque ex quo egressi sunt ex Ægypto patres, vsque ad ædificationem templi, quod Salomon condidit, principes sacerdotum XIII. qui fiunt anni * ducenti XII. quoniam primò qui erat princeps sacerdotum vsque ad mortem perseuerabat, nec quisquam in locum viuentium substituebatur. Posteà etiam à viuentibus subrogabantur. Ergo isti tredecim per successionem adepti sunt sacerdotium, quibus temporibus & aristocratia fuit, & monarchia, Iudaicum & Regum potestas. Rursus à Salomone vsque ad tempora captiuitatis, quando in Syriam populus demigrauit, vrbe capta templóque exusto, fuerunt sacerdotum Principes XVIII. per annos quadringentos LX. & menses VI. & dies X. LXX. autem annis * pòst in captiuitate fuit populus. Posteà Cyrus cùm dimitteret populum patrum de regione Assyriorum, & templi ædificandi potestatem daret, etiam sacerdotum principem Iosedech, qui simul abductus erat, redire permisit, vt ritus veteris solennitatis per assueti sacerdotis scientiam reformaretur. Ipse igitur & posteri * eius quindecim numero viri, à reditu populi vsque ad Antiochum Eupatorem officio functi sunt per ordinem successionis, & principatum sacerdotij repræsentarunt annis CCCCXIIII. Primus Antiochus, quem suprà memorauimus, & Dux eius Lysias, occiso Onia sacerdotum principe, in locum eius substituerunt Alchimum in sacerdotium. Qui licèt fuerit de Aaron genere, non tamen fuit de ipsa domo. Vnde Ananias frater Oniæ pergens in Ægyptum, petiit à Ptolomæo Philometore & Cleopatra coniuge Philometoris, qui ritus obseruationis ad Hierosolymitanæ solennitatis similitudinem, in Alexandrinæ vrbis culti-

Cap. XIII.

* M.S. fecenti 12. vt & Euseb. in Chron.

D

Sacerdotũ Iudaica successio.

Niceph. lib. 2. cap. 4.

* post non est in M.S.

E

* sui.

bus inseruerat, vt illic Princeps sacerdotum subrogaretur, eò quòd Alchimus legitimam non haberet sacerdotij successionem, atque idem tamen exacto triennio defunctus, nec successorem habere meruit, qui abrogauerat legitimæ successionis solennitatem: fuit itaque septé annis ciuitas sine principe sacerdotij. Vsque ad hoc tempus * regressio patrum de terris Assyriorum Democratiá tenuit, eò quòd per Regum iniquitates in captiuitatem sese esse deductum Iudæorum populus recognosceret. Asamonæi posteà nacti potestatem populo præsidendi, Ionatham sacerdotum Principem constituere, qui per septem annos functus suscepto munere, per insidias Tryphonis finem vitæ inuenit, in cuius locum Simon frater germanus tanquàm iure hæreditario, per electionem tamen successit quem generi insidiis inter epulas extinctú accepimus à quo ad filium eius Hircanum, quem fuga periculo exemerat, prærogatiua sacerdotij demigrauit. Hyrcano autem Aristobulus, qui etiam regnum memorato adiunxit muneri, vt vtriusque esset particeps, & Aristobulo Alexander substitutus est: Penes Alexandrum & regnum & sacerdotium, vsque ad diem vitæ eius mánsit supremum, per septem scilicet & XX. annos, sed plerunque dubio statu: Nam & anceps inter ipsum & Demetriú victoria fuit, & odium immane à ciuibus. Idem moriens Alexander, qui periculosam filiis suis cerneret odiorum suorum hæreditatem, Alexandram coniugem suam exercitam vsu imperij, & communium assuetudine consiliorum, gratiorem tamen populo quòd & aduersum viri sæuitiam periclitantibus frequenter præsidio fuerit, & coniugi temperamento, Regali præesse voluit gubernaculo: arbitram simul statuens, cuinam potissimùm filiorum sommum sacerdotium committeretur. Illa Hyrcanum patri substituit in sacerdotium, vel propter maioris ætatis prærogatiuam, vel quòd leniore quàm frater ingenio, nullas super regni negotiis matri videretur molestias excitaturus. Aristobulo nihil publicorum commisit officiorum: Sed ille etiam viuente matre, ægritudinis tamen eius occasione in remotis & munitioribus locis Regem agebat: quo offensa mater, & Hyrcani querelis anxia, vim morbi aluit nec vltra * nouem annos imperij progressa, omnium hæredem Hyrcanum reliquit: non quòd seruaturum præsumeret, sed ne indignum iuuaret, aut vsurpatoris insolentiam iudicio prosperiore accenderet: verùm Alexandræ mors etiam Hyrcano sacerdotium regnúmque ademit. Nam bello victus, ad munitiora sese contulit, retentísq; cóiuge & filiis Aristobuli, quos in castro inuenerat, amplexatus est mutare conditionem, vt ad Aristobulum potestas omnis tráfiret, & sacerdotium: ipse priuatus in domum Aristobuli concederet. Nec tamen diu contentus fuit aulam Regiá priuans mutasse ædibus. Nam excitatus ab Antipatro, primò in Arabiam cótendit, velut * contestatus pacti iniquitatem. Deinde vbi infirmú sibi aduersum Romanos, quos in sui societatem per Scaurú Aristobulus illexerat, Arabi Regis auxiliú aduertit, Pompeio venienti querimoniá detulit, qui eludenté Aristobulum, anno iam tertio imperitantem bello petiuit, autoritate cepit, atq; ante victoriam custodiæ dedit, superatoq; eius populo, & capta vrbe, captiuum ipsum cum filiis Romam dirigi præcipiens, Hyrcano sacerdotij dignitatem refudit, atque eum * Præsidem ciuibus absque diademate tamen, regníque insulia statuit. Largus quidem honoris, sed consultor quietis, ne fraternę insolentiæ spiritu pax turbaretur. Ita Aristobulus captus licèt, Hyrcanum tamen regno exuit, qui quatuor & viginti annos posteà maiore vsu quá nomine in potestate exegit: nec tamen is finis vitæ Hyrcano, qui potestatis fuit. Nam reliquum tempus dedecori cessit, vt suprà memorauimus: Siquidem superatus prælio, Parthis Euphratem transgredientibus, captus, & Antigono Aristobuli filio in potestatem datus, truncatísque auribus: nec sic quidem ærumnæ miserabilis impleuit acerbitatem. Nam post illam in Parthiam quoque abductus

Alchimi illegitima successio.

** regressionis.*

Antea c. 12. lib. 1.

** quatuordecim.*

** contestatus.*

Aristobulus capitur.

** præsidere.*

A exul, debilis, senex, ludibrium de se Barbaris præbuit, & cognito posteà, quòd Herodes imperitaret, cuius coniugio Mariamne neptis sua potiebatur, in Iudæam reuertitur: Vbi primò summa honoris specie susceptus, quò insidiarum velamen obtenderetur, haud multo post afflicto crimine, quòd potestatem vellet repetere, interemptus est. Nactus igitur Herodes regnum, quod à Romanis pro oppugnatæ, vel proditæ patriæ mercede acceperat, in locum Antigoni, qui triennio & tribus mensibus tenuerat imperium, substituit successores in sacerdotium, non Asamonæi generis, quos clariores fuisse prosapiæ accepimus, sed ignobiles quosque, quos aut libido, aut casus dedisset: tamen fatigatis Alexandræ precibus foctus, vel insimulationibus territus, Ionathá coniugis suæ fratrem septem decémque annos agentem
B sacerdotem creauit, quem mox ipse exitio dedit, suspectum imperij, quòd circa eum ingentem populi totius gratiam in dies videret adolescere. Posthabito itaque Ananelo, quem iam ex ignobilibus ante Ionatham in sacerdotium subrogauerat, reliquos per ordinem huiusmodi elegit, de quibus nihil suspectum haberet. Nam quod in affine perpeti non potuerat, quemadmodum non caueret in alienis similia? in huiusmodi ordinationibus Archelaus secutus paternæ speciem cósuetudinis, angustioris animi tenuit sententiam: more quodam insito mortalibus, vt apud eos minùs suspecta sit ignauia hebetiorum, quàm gratia bonorum, cùm infirmus animus insolentior sit in rebus secundis, prudentior autem nouerit vicem referre beneficiis. Igitur à regno Herodis, vsque ad * Romanum imperiú, quod Archelao deiecto,
C Iudæá reliquis prouinciis associauerat, atq; inde vsq; ad templi excidium & triumphum Titi fuerút sacerdotum Principes viginti & octo, per annos centum & septuaginta. Sanè apud pleró sque eorum dignitatis sola functio, penes paucos etiam eos potestatis fuit. Liquet igitur in sacerdotum Principibus non perseuerasse legitimi generis successionem: quia non omnes ex AARON neque filiis eius, qui in eius subrogati locum, formam præscriptæ successionis cæteris dereliquere. Itaque cùm auaritia aut perfidia suorum corrupta essent maiorum instituta, violata iura religionis, conuulsa æquitatis præsidia, non immeritò eos diuina deseruit opitulatio, eòque táquàm in vacuum populú omni iniuriarum genere processum, vt seditionibus domesticis in seipsos manus
D verterent: latrociniis grauibus afflictarentur, & teterrimos sortirérur iudices, vt improbis nequiores succederent: deniq; Albinus deterrimus habeatur superiorum, sed Floro successore, is inter bonos relatus, qui facem belli extulit, præliúmque inter Iudæos & Romanos accendit, quæ causa supremo templi & vrbis excidio fuit.

NANQVE Cestius, vbi ardere Iudęos comperit belli furore, qui summam militiæ regendam in partibus Syriæ à Romanis susceperat, duodecimo anno imperij Neronis mouit arma, vt militum Romanorum, quibus erat custodia commissa, coërcendæ insolentiæ, & pacis tuendæ, necem vlcisceretur. Congregatisq; etiam sociorum auxiliis, Iudæam ingressus vrbem, cui nomen Zabulon, dilapsis metu incolis, plenam diuitiarum, quas ad supe-
E riora montium confugientes domini secum auferre nequiuerant, diripi ab exercitu passus. Admiratus quoque publicorum operum pulchritudinem, incendi iussit: & quasi hoc parum ad vindictam foret, Ioppen præmisso exercitu, ne quis fuga sese exitio subduceret, terra mariq; irrumpentibus qui destinati fuerant, occupauit: necatisque octo millib⁹ virorum, & quadringẽtis fermè amplius, vbi præda rapinæ cessit, exusta ciuitas est: vicina quoq; Cæsareæ depopulatus, diripuit inuéta, vicos incédit. Cuius fregit impetum Sephoris, egredientibus cunctis obuiam Cestio, ciuium fauore & gratia delinitus, immunem cladis vrbem reliquit. Feruebat in his locis congregatio latronum, sed adueniente exercitu, in montes concesserant. Qui conferentem signa Gallum Præpositú duodecimi ordinis adorsi fortiter exagitauerunt,

Herodes regnum accepit proditionis præmium.

Apud mortales minus suspecta est ignauia hebetiorú quàm gratia bonorú.

** Romanorum.*

Florus.

CAP. XIIII. Cestius in Syria rexit.

Zabulon.

vt ducentos fermè Romanorum occiderent. Verùm vbi superiora locorum occupauere, neque peditem cominùs potuerunt latrones pati, & fugientes ab equitibus facilè circumuenti necantur. Cæsi itaque suprà duo millia, pauci fugati, qui in arduis montium potuerũt latere. Et omni à latrocinio regione purgata, Gallus in Cæsaream reuertitur: Cestius cum omni manu Antipatridem perrexit, quibus non mediocrem Iudæi coaceruarunt multitudinem. Sed priusquàm consererent manum, per diuersa dilapsi, regionem & vicos direptioni & igni dereliquerunt. Lidda quoque vacua incolarum reperta, & incensa Gabaon, quæ ab Hierosolymis quinquaginta stadiis aberat, vbi Romanum exercitum accepit in conspectu posita, armauit Iudæos: Qui posthabita sabbati celebritate (quod vereri cultu & solemni obseruatione initiabant) tanto impetu in Romanos prosiluere, vt omnem exercitum auerterent, nisi equites suboemissent peditibus laborantibus. Cæsi Romanorum quingenti, & quindecim viri, sed omnes grauiter periclitati: de Iudæis autem duo & viginti bello amissi. Quo loco emicuit virtus Munubazi & Cedei, qui cognitu, quòd à Iudæis in Romanas acies insurgeretur, à fronte aggressi, repulere plerósque, & coëgerunt in vrbem redire.

Lidda.
Gabaon.

Cap. xv.

SIMON quoque ascendentes Romanos propinqua vrbis impedimentis exuit. Vnde & Cestius in regione sese triduo tenuit. Qua mora circumfusi hostes, & in superioribus siti, ingressus speculabatur vniuersos, ne quis impunè irrumperet. Quod considerans, *non sinem vlta clade vtriusque partis tentari nequire, misit suos Rex Agrippa Lorcyum & Phœbam, qui dicerent populo, veniabile, quicquid ab eis esset aduersum Romanos flagitij commissum, si modo in reliquum positis armis, sibi consulerent: æstimans, quòd vel vniuersis suadendum crederet, vt prælio renuntiarent, vel partem cęteris auellēdam. At contrà seditiosi, metu ne eorum alterum procederet, legatos adorsi Phœbã interfecere, Lorcyus autẽ excepto vulnere, vix euadere potuit. Videns Cestius huiusmodi in vrbe contentiones, quibus alij in legatos insurgerent, alij Romanos vrbe suscipiendos suaderent, irrumpere conatus, vsque Hierosolymam resistentes repulit: & ipse ad tertium stadium memoratæ vrbis cum exercitu appropinquauit, atque illic exegit triduum. Quarto die impetu facto, ingressus Bethesdam illicò incendit, & Cenopolim. Qui *conscendens ad superiora vrbis refugientibus in interiora seditiosis, si irrumpendum in vrbem putasset, haud dubiè omne bellum esset solutum. Deniq; plerósque Ananus Ionathæ filius collocauerat, vt inuitarent Romanos vocibus suis, quasi portas reseraturi. Sed dum Cestius vel reuocatur à Prisco, vel plerisque centurionibus, qui corrupti à Floro, bellum adolescere cupiebant, vel parum credit, Ananus cum suis muro deiicitur. Quibus ad sua refugientibus, locum eorum seditiosi occupauere, Romaniq; quinque diebus tentantes diuersus aditus, cùm impossibilem sibi cernerent irruptionem, electis validioribus quibusque, & sagittariis, à septentrionali latere templum petebant: Iudæi quoque nõ feriabantur præliantes fortiter, & repulsis crebrò hostibus elatiores. Ad postremum *tamẽ multitudine sagittarum vulnerati alij, alij percussi & territi, cessere: Romanis murum suffodere, & portam incendere templi adorsis. Magna seditiosos formido incesserat, & quædam mentium consternatio: deniq; plurimi quasi continuò perituræ vrbis excidio se subtrahebant fuga, nec consistere ausi, dederant populo confidẽtiam, vt discedentibus eis, quorum circumuallatus fuerat multitudine, tanquàm iam liber, & quadam exutus improborum obsidione, circa portas sese infunderet, quibus apertis Cestium reciperet, quasi non oppugnaturum vrbem, sed defensum venisset: sed ipsum quoq; Cestium subitò quidem inuasit stupor, vt nec desperationem improborum, nec studium plebis intueretur. Qui si paulisper cœptis incubuisset, bellum depulerat, vrbem ceperat. Sed aduersa (quantum intelligi datur) Iudęis vo-

*non, in ma. scrip. non habetur.

Lorcyus vulneratur.

*contẽdẽs.

*tamen. non est in ma. scrip.

A luntas Dei, imminentem belli exitum comperendinauit, donec complures, ac penè vniuersus Iudaicæ gentis ruina inuolueret. Expectabatur (vt reor) vt omne nefas scelerum enormitásque cresceret, & impietatis incremento supremorum adæquaret mensuram flagitiorum. Quid fuit illud, quòd cùm perurgere debuerat Cestius, subitò exercitum reuocauit, soluitque obsidionem? Quia repentina, contra expectatum commutatione rerum, fracti animi bonorum, & erecti latronum sumpsere fiduciam, atque à fuga ad insequendum regressi, inuadunt posteriora agminis, multósque illic confusè ruentes equitum & peditum obtruncauere: Et iam inclinauerat dies: vnde metuens Cestius noctis propinquitatem, & tenebrarum caliginem, quibus amplius fiderent gnari locorum, quò incertos regionis vndique vrgerent, vallum ante vrbem constituit, sequentíque die cùm
B hostem relinqueret, in sese armauit, vt discessionis eius causam metum arbitrarētur. Circumfusi itaque *latrones à lateribus, à tergo, postremos cedere, incedentem iaculis exercitum infestare, in consertos missa telorum vis haud facilè frustrari. Si quis resistere audebat, patere vulneri, si quis conuertere sese ad infestantem à suis relinqui, ab hoste claudi. Munitior enim semper est, qui sequitur, quàm qui præcedit: quia hic pectus tegit, ille hosti terga sua detegit. Vehementer igitur Romani vrgebantur, tanquàm obsessi qui obsessum venerant: nec iam sustinere aut perpeti poterant, armorum pondere ipsi graues, hostibus velocioribus, quos neque consequi facilè erat, & metus summus, ne acies interrumperetur: iniqua ergo certaminis conditione nocere hosti
C nequibant, cùm ipsi grauiter afficerentur. Hærebat Cestius consilij incertus, cùm per totum iter suos conteri videret: Etiam plerisque afflictis tribunæ primoribus, substitit biduò, quasi fessus reparaturus. Sed cùm magis, ac magis augeri numerum hostium cerneret, & omnia in circuitu referta aduersariis, sibique officere, quòd moraretur, eò quod plures congregarentur, tertio die compendium quærens transitus facilioris, impedimenta agminis *admoueri præcepit, cæsa iumenta, pleráque vehicula comminuta, aliáque huiusmodi, quæ oneri magis quàm vsui in periculis erant, consumpta, aut præcipitata, vt obsidionum instrumenta, aut genera telorum, quibus rebus ampliùs conterrebantur, ne aduersum se hostem suis subsidiis armarent. Quod vbi animaduertēre Iudæi, fugam potiùs à Romanis quàm bellum parari,
D occupauere itineris angustiora, diffusioribus locis minùs instare, prohibere à fronte, à lateribus coarctare, vrgere à tergo, cogere in præcipitium, in quod vndique conclusi, aut lapsi deiiciebantur: plerique obtexere cælum iaculis, operire agmen sagittis; nunquàm remisso officio, sed sola aduersariorum pernicie: Iam nec ipsi pedites subsistere poterant. Equitibus verò maius periculum, qui per prærupta saxorum ac lubrica labentibus equis deuoluebantur, nec ordinem seruare poterãt angusto impediti tramite: Ex altera parte rupes, ex altera* parte præcipitia & fugæ locũ, & defensionis negabant. Iudæi contra *spe victoriæ ampliùs accendebantur, imminebant fessis, instabant hærentibus, insultabãt desperãtibus, & propè omnes Romani exercitus delessent co-
E pias, nisi nox subuenisset: cuius tenebris bellum impeditum, quam Romani in proximo loco (cui Bethoron nomen) egerunt, ita vt Iudæi circumfusi vndique specularentur locorum exitus, ne Romani dilaberērur. Cestius aperto itinere diffidens, dolo fugam tentauit. Quadraginta itaque elegit viros, quibus euadendi desperatio contemptum mortis infuderat: eos constituit in munitionibus præcepto: vt tota nocte cum strepitu maximo officia prætendentium vallo circumsonarent, ne Iudæis proficiscentis exercitus apparatus, aliquibus solitis indiciis manifestaretur: quibus sese ipsi quicunque turbantur, prodere solent: silentio autem egrederentur vniuersi, nihil suspectantibus Iudæis: qui solemnes custodiarum strepitus audirēt, ex quibus omnes in loco manere

*Latrones. non est in M.S.

Munitior qui sequitur quàm qui præcedit.

*amoueri.

*parte in M.S deest.
*specie.

Romanos arbitrarentur: hac fraude eduxit exercitum Cestius: & iam confecerat stadia triginta, vsus paucorum in rebus dubiis fide, qui perituri gratias præstare sociis pericula sua, quam perdere malebant. Et quidem nox dolum texerat, sed dies prodidit. Nam vbi luce diffusa res apertæ sunt, & omnis locus, in quo habitauerãt Romani, vacuus apparuit, impetu facto Iudæi in eos primum, quorum simulatis officiis decepti fuerant, irruit, leuique negotio deletis quadraginta viris, exercitum sequuntur, qui & nocte plurimũ spatij confecerant, & per diem properantiùs iter vrgebant, ne noctis iam periculis inuoluerentur. Plena erat via impedimentorum, quæ fugientes Romani derelinquebant, ne intusto quisquam sub fasce remoraretur: passim iacebant vasa vtensilia, vel etiam bello necessaria, arcubalistæ, arietes, cæteráque instrumenta in excisionem vrbis adducta, quæ sequentes Iudæi prætteribant, ne essent moræ: reuertentes colligebant, vt his aduersum eos vterentur, * quorum socij dimisissent. Secuti enim vsque ad vrbem Antipatridem, posteaquàm prætergressum omnem offendere exercitum Romanum, & comprehendendi spes lapsa, retorquent vestigium, captantésque spolia cæsorum, cum triumpho, & hymnis Hierosolymam regrediuntur. Quibus tantum lætitiæ cesserat, vt paucis suorum amissis, quinque millia peditum de exercitu Romano, & trecenti equites extinguerentur. Quod gestum est duodecimo anno imperij Neronis, vt suprà memorauimus.

* qui ea diuisissent.

Cap. xvi.

Sed non omnium Iudæorum illa exultatio erat. nam fuêre, qui se post illam non pugnam Cestij sed ærumnam quasi de supremo periculo nauigij mergentis eripere gestirent, atque enatare de ciuitatis naufragio, ac præ cæteris Custobarus & Saulus frater cum Philippo Principe militiæ Regis Agrippæ: hi fugientes ad Cestiũ sese contulere, petentes, vt ad Neronem in Achaiam dirigerentur. Quod Cestius volens accepit, nec postulata abnuit, vt per ipsos Cæsar edoceretur, causam belli Florum fuisse, sibi vim maximè necessitatis bello incubuisse, vt inopinata conspirantium multitudine exercitus circumueniretur: quem magis consilio Ducis ereptum periculo, quàm implicatum linqueret. tentasse Cestium excitata in Florum odia sedare, sed nequiuisse. Itaq; incidisse bellum, nõ intulisse. Hæc enim mandata erant, vt commotione omni Cæsaris in Florum excitata, minui circa se speraret Cæsaris offensionem, quam malæ gestæ rei conscientia pertimescebat. Ita autem plerique perterriti sunt Romani clade exercitus, vt Damasceni metuentes suspectæ societatis contagia, propter habitationis consortium interficerent Iudæos in gymnasio congregatos, qui secum vrbem incolebant, quod illi vel suspicione, vel dolo iamdudum procurauerant, vt à gentilibus cœtibus segregarentur, ne quid per noctem nouarent, vel vt exitio soli paterent. Summo sanè mysterio silentij, vt ne ad vxores quidem suas conatus istiusmodi tractus mearet. Quoniam ipsæ quoque ex parte maxima Iudæorum cultibus admiscebantur.

Cap. xvii.

Angvsto itaque in loco omnes adorsi, peremerũt Iudæorum decem millia. Quod facilè fuit, vt præuenti ab armatis inermes perirent. Et quidẽ eius immanitatis exemplum recens, Scythopoli etiam in maius processerat, quo incitatos Damascenos reor. Nam cùm Iudæi finitima quæque popularentur, venerunt Scythopolim, atque illic inhabitantes Iudæos tentare adorsi, aduersarios experti sunt, quos sibi fidos arbitrabãtur, quoniam more ingenij humani * præponderatur apud eos salutis cura, necessitudini: secundis igitur constituentes tribule collegium, præferunt inhabitantium societatem, tribulibus cladem minantur. Quod suspectum gentilibus, quia promptioribus studiis odiorum in suos executio

* præponderabat.

A prætendebatur: ne simulationis specie dolus adornaretur, atque vrbem incautioribus * accolis noctu adorirentur, prostratisque omnibus * gentibus, apud Iudæos sibi gratiam reconciliarent: ac per hoc si vellent fidem suam etiam circa gentiles probare, cùm omni generatione sua vrbe excederent, vicinúmque peterent nemus. Quo facto, per biduum quieuerunt Scythopolitæ, vt portio Iudæorum suspicionem deponeret, * indueret securitatem. Tertia nocte cùm iam præsumpta fides gentilibus remouisset solicitudinem, incautis & dormientibus vis illata decémque & tribus millibus hominum necatis; quæcunque etiam habuerunt, direpta sunt.

* incolis.
* gentilib'.
* inducere.
Alij, fides gratiæ, remouisset custodiæ, &c.

Cap. xviii.
Passio Simonis acerba.

Expositionem exigit Simonis acerba passio, visu & auditu miseranda: sed nouitate rei memorabilis. Is erat B in populo Iudæorum, Saule haud ignobili genitus patre, animi audacia præditus, & corporis fortitudine. Quarum vtrãmque in exitium tribulium suorum exercuit, qui plurimos ex populo aduentitio Iudæorum crebro incursu peremit, ac si fortè conspirati adessent, solus sustentaret aciem, & conglobatus solitus auertere, totius erat nodus ac mora belli: & plerunque desperatis rebus conuersio. Exhiberant iam ciuibus aduersum suos Scythopolitani incolatus militiam: sed non diutiùs cognato debita sanguini defuit vindicta. Nanque vbi fracta fides, & Scythopolitæ circumuentis, qui ex composito se ad nemus contulerant, instare bello, atque ingruere cœperunt. Etiam filios ac parentes Simonis deleta multitudine cæterorum, eminùs licet missilibus ac telis petebant. Videns Simon innumerabilem C multitudinem facili negotio superiorem, vt diutiùs tolerari nequiret, gladium extraxit, atque in hostem conuersus clamabat dicens: Digna Scythopolitæ factis recipio meis, qui cognatorum * necem, quam vobis impenderem * beneuolentia testificatus sum, & * fratrum sanguinem vobis obsidem dedi gratiæ, quibus iustiùs perfidia tribueretur. Nunc dum alienigenis fidem defero, in domesticos amisi: prodidi etiam liberos, parentésque, quos à vobis tamen * necari oportebat, si mercedem sceleris æstimaretis. Moriar igitur, si iratus omnibus, nulli amicus, qui circumuenerim meos, & propriis manibus vltionem de me priùs experiar, peremi socios religionis & fidei consortes, recognosco sceleris mei debita. Soluam tanto dignum sacrilegio parrici- D dium, vt ea sit & pro flagitio pœna, & ad virtutem gloria: ne quis se iactet alius * meo vulnere, in meipsum posteà conuertetur dextra mea: vt videatur furoris esse quòd morior, non imbecillitatis: ne quis insultet cadenti, sit vindex parricidij clementia, parricidium sacrilegij. Hæc locutus, conuertit obtutum in liberos parentésque & indignantibus oculis, cùm iam misericordia mixta iræ succederet, abreptum è medio patrem gladio transuerberat, post eum mater attrahitur, ne esset, qui pro nepotibus interuenire. Offert se per ordinem volens vxor, ne tanto deiecta coniuge superuiueset. Occurrunt filij, ne degeneres tanto patre in ipsa morte iudicarentur. Festinabat ipse ictu celeri hostem præuenire. Omni itaque perempta fa- E milia, stetit in medio funerum suorum. Et tanquàm * triumphans domesticis passionibus, quòd neminem suorum alieno gladio vidit perire, eleuauit dexteram, vt omnes viderent, ac formidabilem cunctis subiiciens sibi mortem, proprio victor sese transfixit mucrone. Memorabilis iuuenis ob egregiam fortitudinem corporis, & animi magnitudinem: sed quia fidem alienigeni potiùs, quàm suis detulit, tali dignus exitu fuit.

Exhibebat.
* nece.
* beneuolentiam.
* fraternũ.
* necari nõ oportebat.
* meorum.
Quidã habebant. sit iudex parricidij dementia.
* triumphatis.

EGESIPPI DE EXCIDIO HIEROSOLYMITANÆ VRBIS, HISTORIÆ

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Neronis flagitia.

A postquàm Neroni nuntiata sunt in Achaiæ partibus sito, qui tragicorum carminum meditatione contéderat, vt de pluribus scenicam coronam referret: nescias, quo magis turpis, vtrùm quòd in scenam Imperator prodiret, an quòd scenã suis flagitiis impleret, qui turparet Orestem canendo, & parricidio repræsentaret, grauis eum inuasit metus. Non illa ludorum similia, sed bellorum suprema pertimescẽrem, vt aliquando à theatralium voluptatum obscœnitate & parricidalis amentiæ furore resipisceret, atque ad curas Reipublicæ conuersus, intra se fremeret & desæuiret, quod incuria Ducis potiùs, quàm virtute aduersariorũ tantam cladem Respublica Romana acceperit. Tentabat quidem simulare audaciam, sed redarguebat timor, & quasi speciem magnanimitatis prætexere, vt supra ærumnam negotiorum mentem haberet. Sed distringebatur animi solicitudine, quem demendæ ignominiæ bellóque conficiendo legeret Ducem. Vrgebant Iudæam vltimæ labis futura excidia, vt Nero Regalem personam indueret, & prouidi consultoris voce, salubrem exprimeret sententiam. Vespasianum solum esse cui summa militiæ Orientis in partibus iure committeretur, visum ab adolescentia militiæ triumphalia inueteratum stipendiis, qui impacatas Gallias Germanorum tumultu, & ferocia genuinæ temeritatis in bellum relapsas, pace diuturna composuerat. Britanniam quoq; inter vndas adhuc latẽtem Romano imperio armis acquisiuerat: cuius triumphatę opibus Roma ditior, Claudius consultior, Nero fortior æstimabatur. Itaque quarum gentium bella non viderant subiugatarum trophæa celebrauerãt. Sub hoc duce (iterũ dico) Nero terribilis erat, Nero metuendus, potens foris, tutus domi: æquaris inter se Vespasiani fide ac fortitudine. Quantus iste vir, cuius armis vitia Neronis apud exteras gẽtes abscõdebantur, vt ludibriũ rerum humanarum, & eiuratæ impuritatis opprobrium, triumphis quoque illustraretur. Cùm præliandum itaque in vltimis Romani orbis esset confinus, Vespasianus ex omnibus eligebatur. Cùm bellum depositum foret, Vespasianus præ cæteris sociebatur, ne vel publicus superesset hostis, vel domesticus obreperet insidiator. Dignus qui stipendiis militis regnum præueniret. nocebat fidem, præferebat virtutem. Inuitus misit hunc Nero, qui sibi auferebat præsidium: sed artabatur futuris scelerum suorum pœnis, vt se tanto dissociatum comitatu Ducis, inermem relinqueret. Nunquàm profecto Galba aspirandi ad imperium studia vsurpasset, nisi Vespasianum absentem comperisset. Sed procurauit hoc Deus, vt in Syriam dirigeretur vir, qui & Iudæorũ insolentiam supremo gentis excidio, captiuitatisque dedecore labefactaret, & Neronem auxilio destitueret: licèt nullius virtus statutis afferre possit cœlestibus impedimentum. Demens tamen Nero cùm Iudæorum bello, afflictam Romani exercitus validam manum cognouisset, aduersus Christianos insurrexit, vt et debitus finis appropinquaret.

Vespasiani indoles. adhuc non habet M. S.

Absentia Vespasiani. Galba audacior.

Cap. II. Caro aduersus Christianos insurgit. Simon Magus.

ERANT tunc temporis Romæ Petrus & Paulus, doctores Christianorum, sublimes operibus, clari magisterio, qui virtute suorum operum Neronem aduersum fecerant captum Magi Simonis delinimentis, qui sibi animum eius conciliauerat. Cui adiumentũ victoriæ, subiectiones gentium, vitæ longæuitatem, salutis custodiam feralibus artibus pollicebatur, atque ille credebat, qui vim rerum nesciret examinare. Denique summum apud eum tenebat amicitiæ locum: quandoquidem etiã præsulem suæ salutis, vitæque custodem arbitrabatur. Sed vbi Petrus eius vanitates & flagitia detexit, & species illum rerum mentiri, nõ solidum aliquid aut verum efficere demõstrauit, ludibrio habitus, & digno est consumptus mœrore. Et quamuis in aliis terrarum partibus Petri esset expertus potentiam: tamen præueniens Romã, ausus est iactare, quòd mortuos resuscitaret. Defunctus erat id temporis Romæ adolescens nobilis, propinquus Cæsaris, cum vniuersorũ dolore. Admonuêre plerique experiendum, vtrùm posset resuscitari. Celeberrimus in his operibus habebatur Petrus: sed apud gentiles nulla facti huiusmodi deferebatur fides. Dolor exegit remedium, perrectum est ad Petrum. Fuêre, qui etiã Simonem accersendum putarent: vterque affuerunt. Ait Petrus Simoni, qui se de sua iactaret potentia, priores sese partes dare: vt si posset, mortuum resuscitaret. Si ille non resuscitaret, se non defuturum, vt Christus opem ferret defuncto, quo posset resurgere. Simõ, qui putaret apud vrbem gẽtilium plurimũ suas valituras artes, conditionem proposuit: vt si ipse resuscitasset mortuũ, Petrus occideretur, qui magnam potentiam (sic enim appellabatur) lacessẽdo iniurias irrogauisset: sin verò præualuisset Petrus in Simonem, pari genere vindicaretur. Acquieuit Petrus, adorsus est Simon, accessit ad lectulũ defuncti, incãtare atque immurmurare dira carmina vt cœpit, visus est caput agitare, qui mortuus erat. Clamor ingens gentilium, quod iam viueret, quòd loqueretur cum Simone. Ira & indignatio in Petrum, quòd ausus esset conferre sese tantæ potestati. Sanctus Apostolus poposcit silentium, & dixit: Si viuit defunctus, loquatur; si resuscitatus est, surgat, ambulet, fabuletur. Phantasma illud esse, non veritatem, quòd videatur caput mouisse. Denique separetur, inquit, Simon à lectulo, & tunc ne id quidem ostentui futurũ. Abducitur Simon à lectulo, manet sine specie motus alicuius, qui mortuus erat. Astitit Petrus longiùs, & intra se paulisper orationi intentus, cum magna voce ait: Adolescẽs, surge, sanet te Dominus Iesus. Et statim surrexit adolescens, & locutus est, & ambulauit, & cibum sumpsit, & dedit eum Petrus matri suæ. Qui cùm rogaretur, vt ab eo non discederet, ait: Non derelinquetur ab eo, qui eum fecit resurgere, cuius nos serui sumus. Secura esto mater de filio, non verearis, habet custodem suum. Et cùm populus in Simonem insurgeret, vt lapidaretur, ait Petrus: Satis est ad pœnam eius, quòd cognoscit suas artes nihil valere: viuat, & Christi regnum crescere videat vel inuitus. Torquebatur Magus Apostoli gloria. Collegit sese, atque omnem excitans carminum suorum potentiam, congregat populum, offensumque se dicit à Galilæis, relicturum se vrbem, quam tueri soleret. Diem statuit, pollicetur volatum, quo supernis sedibus inueheretur: cui, quando vellet, cœlum pateret. Conscendit statuto die montem Capitolinum, ac se de rupe deiiciens, volare cœpit. Mirari populus & venerari: plerique dicẽtes Dei esse potentiam, non hominis, qui cum corpore volitaret, nihil tale fecisse Christum. Tunc Petrus in medio stans, ait: Iesu Domine, ostende ei vanas artes suas esse, ne hac specie populus iste, qui crediturus est, decipiatur.

Nicep. l. 2. c. 14. B. Petrus magi flagitia detexit.

Petrus mortuum exsuscitat.

Simon volitat.

Decidat Domine, sic tamen, vt nihil se potuisse viuens recognoscat. Et statim in voce Petri, implicatis remigiis alarum, quas sumpserat, corruit, nec exanimatus est, sed fracto debilitatóque crure, Ariciam concessit, atque ibi mortuus est. Quo comperto, deceptum se Nero & destitutum, dolens tanti casum amici, sublatúmque sibi virum vtilem & necessarium reipublicæ, indignatus, quærere cœpit causas, quibus Petrum occideret. Et iam tempus aderat, quo sancti vocarentur Apostoli Petrus &

Magna Petri constantia.

Paulus. Denique dato, vt comprehenderentur præcepto, rogabatur Petrus, vt sese aliò conferret. Resistebat ille dicens, nequaquàm se facturum, vt tanquàm metu mortis territus cederet, bonum esse pro Christo pati, qui pro omnibus se morti obtulisset: nō mortem illam, sed immortalitatem futuram, tanquàm indignum, vt ipse fugeret passionem sui corporis, qui multos doctrina sua compulerit se hostias pro Christo offerre, deberi sibi secundum Domini vocem, vt & ipse in passione sua Christo gloriam atque honorem daret. Hæc & alia Petrus obtexere, sed plebs lacrymis quærens, ne se relinqueret, & fluctuantem inter procellas gentilium destitueret: victus fletibus Petrus, cessit: promisit se vrbem egressurum. Proxima nocte salutatis fratribus, & celebrata oratione, proficisci solus cœpit. Vbi ventum est ad portam, videt sibi Christum occurrere, & adorans eum, dixit: Domine, quò vadis? Dicit ei Christus: Iterum venio crucifigi. Intellexit Petrus de sua dictum passione, quòd in ea Christus passurus videretur, qui patitur in singulis: non vtiq; corporis dolore, sed quadam misericordiæ compassione, aut gloriæ celebritate. Et eō ueersus in vrbem redit, captúsque à persecutoribus, cruci adiudicatus, poposcit, vt inuersis vestigiis cruci affigeretur, quòd indignus esset, qui simili modo crucifigeretur, vt passus est Dei filius. Quo impetrato, vel quia ita debebatur, vt Christus prædixerat, vel quia persecutor non inuitus indulget pœnarum incrementa, & ipse Paulus, alter cruce, alter gladio necati sunt.

Cap. III.

Sed vt ad propositum redeamus, turbatus graui nūtio Nero, rebus in Iudæa minùs prosperè gestis, Vespasianum expertum belli virum, omni militiæ, quæ in Syria erat, præfecit. Ille properè, neq; differēdi tempus dabatur, misso Alexandriam filio Tito, vt inde militum, qui prætendebant partē aliquam duceret, ipse trāsmisso Hellespontiaco freto, pedes in Syriam contēdit. Intereà Iudæi rebus elati secundis, Principes militiæ bello legunt. Distribuunt loca, quibus quisque præesset, quæ munia singuli, quos ordines, quid muneris exequerentur, Iosephum Curione genitum, & Ananum Principē

Vet. Cod. Gorione Ioseph. Gorionis filium.

Sacerdotum, Hierosolymitanæ vrbis negotiis, & præcipuè instaurādis muris præficiunt. Ardebat Eleazarus Simonis aliquid sibi publicorum committi munerum. Et licet omnem prædam, quā de Romano exercitu ceperāt, sub potestatem suam redegisset, ditem præsertim atque opimam auaritia Cestij atq; immodicis rapinis coaceruatam: tamen parandæ magis sibi potentiæ intentum, quàm communi vsui promptum arbitrati, declinandum æstimauêre. Sed paulatim ambiendo singulos, dādo & largiendo efficit, vt rerum omnium summa eius arbitrio committeretur: Idumæam quoque Iesus vnus de Sacerdoribus, & Eleazarus Sacerdotis filius militiæ præpositi, tuendam receperunt. Principi tamen totius Idumææ Nigro de summis rebus prærogatiuam omnem reseruātes, Iosepho Simonis Hiericho obuenit. Manasse Pe-

Cod. vet. Petræa.

træa regio commissa, trās Euphratem sita. Cui ab eo Indi nomen, quòd Euphrates, ad eam partem pergentibus transmittitur, Iohannes Essæus, alius quoque Iohannes Ananiæ filius, cæterique aduersis attributi partibus, quas suis tuerentur solicitudine. Itaque singuli commissa sibi munia non deserere, instruere muros, manum

Nota ordinem quem Iosephus posuit.

legere bellatoriam: ex quibus Iosephus in Galilæam descendens, munire castella, instaurare propugnacula, validissimos quosque, & bello promptissimos asciscere sibi impigrè curabat: prohibere latrocinia, prætendere quo-

A tidiè in castris, militem Romanæ militiæ more exercitare, diuidere, ordines distribuere, Centuriones plurimos præficere, quò faciliùs disciplina ab omnib' exigeretur, ne quisquam lateret, quicunque propria munia dereliquisset. Instituebat etiam, vt agnoscerent instructiones tubarum, & repressiones, sequerentur ordinem, aciem dirigerent, clypeos intexerent, vt murali vicè, si fortè magna hostium vis ingrueret, sese aduersum incursantes defensarēt, subuenire laborantibus, fessis compati, pericula aliorū in se transfundere: nec solum belli artes ad instar Romanæ docere militiæ, sed etiam ante bellum, qui ampliùs bellantes iuuarent denunciare, vt miles cibum sibi & arma portaret, vallo & fossa sese muniret, castrísque ponendis præueniret hostem, obtemperaret præceptis, furto ac rapinis abstinere assuesceret, lucrum pro-

B prium putaret, si nihil dispendij ruralibus cultoribus irrogaretur. Quid enim distet ab hostibus, si ipse hostili modo auferat? nisi quod grauius est sua quā aliena incessere, & socios, quàm aduersarios spoliare. Plurimùm valere in bello bonam conscientiam, eò quòd amplius de diuino auxilio præsumeret, qui se nulli affinem crimini recognosceret. Sed his rebus citiùs sibi apud improbos expertus est nocuisse inuidiam quàm apud bonos profuisse gratiam. Nam cùm ad LX. millia peditum, paucissimos equitū congregauisset: eos verò, qui bella mercede tractarent ad quatuor millia viros, sexcentos quoq; electos custodes sui corporis, tāta à Iudæis pertulit, vt plus ante bellum à suis, quàm in ipso bello à Romanis pericula perhorresceret. Omitto quod seditionis excitatum: quia latrocinio erepta reddere his, qui amiserant, suspe-

Grauius est sua quā aliena incessere. Bona cōscientia in bello valet plurimum.

C ctabatur: ac maximè Agrippæ & Beronicæ, quibos redibēda iustè forent, ne Regum facerent instructiorē. Et tamē ille, quò populi molliret impetum, ad constructionem potiùs murorum, quàm ad Dominorum indemnitatem seruatam pecuniam. Omniáque, ille aiebat, quæ erepta Ptolomæo forent, qui regium aurum, vestes, cæteraque munera portauisset, æstimare debere Taricheatas: apud eos enim res gerebatur, vtrùm id instaurationi suorum murorum reseruandum putarent, an diripiendum latronibus depromeretur. Indignum certè videri, vt eo pœnam exciperet, quia melius consuluisset. Itaque conuersus illis in sui gratiam inuidiam simul & periculum euasit. Iterùm cùm gratiam Regis Agrippæ Tiberias societatémque deposceret, prorripiens se Iosephus

D de memorata vrbe, Tharicheatarum clausit portas, ne quis nuntius ad vrbem Tiberiadem pergeret, & deesse Iosepho auxilia militaria significaret. Ipse autem cōgregauit de lacu nauigia piscatorum, quæ in tempore potuit inuestigare, & Tiberiadē remigans petiit. Sed vbi ad eum locum venit, in quo conspicua quidē in vrbe positis foret species nauigiorum, deprehendi tamen nequiret vtrū essent vacua prælatorum: iussit ea dispergi per totū spatium lacus, vt maior numerus æstimaretur: ne quisquā vacua potius, quàm referta bellatoribus æstimaret. Quo territi, quòd aduersus tantam multitudinem infirmos sese arbitrarentur, proiecerunt arma, portisque reseratis, effuderunt se supplices Iosepho, qui veluti dux agminis militaris propiùs accesserat. Quæsitum, qua

E tandem vesania discessionem animis induissent, quibus autoribus impulsi sese aduersarius tradituri forent, & simul occurrentes sibi iubebat gubernatoribus, vt Taricheas deducerent, atq; illic trecentos ferme curiales, plerosque in vincula de plebe rapit. Clytū quoque eius facinoris accersitum Principem, manibus amputatis pœnas luere iubet, atque illo rogante, vt vna saltem sibi manus relinqueretur, præcepit Iosephus, vt ipse sibi quā vellet, demeret. Tum ille arripiens dextra gladium, læuam abscidit. Ita recepta Tiberias est. Sed etiam Sephoris tentata discessione, Iosephi tamen viuacitate inter Iudæorum vrbes socias retinebatur. Tranquillioribus enim consiliis sua defendere, quàm aliena incursare malebat.

Cod. vet. sexcentos Ioseph bel. li. 2. c. 27.

Clytus sibi ipsi læuam abscidit.

At verò Peraites Niger, & Babylonius Syllas, & Iohānes Essæus * omne quod erat in Iudæa pubis validæ

Cap. IIII. * Omnes as

Quod erat in Iudæa publicum. Ioseph. vel. cap. 1 li. 3. a Cod. vet. eductis.

congregantes, Ascalonem petunt, amplam quidem & muris subnixam validis vrbem, sed opis subsidiique indigam, quæ septingentis viginti stadiis ab Hierosolymitana vrbe discernebatur, & odiis ingentibus. Propterea Iudæi inimicam sibi vrbem diruere cupientes, collecta manu inuolare. Præerat vrbi Antonius minore numero Romani exercitus, quàm quo resisti posse Iudæis æstimaretur. Sed vir acrioris ingenij, & ex æquo prudens bellator, diffusos & numero magis quàm virtute fidentes, eductis equitibus, transire ad vrbem sinit: deinde incursa progressos, fatigat sequenter, confertos dissipat, turbatos fugat, totóque campo insectatur palantes: alij versa vice vrgentur ad muros, interclusa fugæ copia, alij diuersa petunt, sed circumuenti ab equitibus obtruncantur. Multi supra se ruunt, & se inuicem impetu suo sternunt; itaque vsque ad vesperum cæsi, amisere ex suis decem millia virorum, Iohanne & Sylla ducibus pariter extinctis. Pauci autem Romanorũ eo vulnerati prælio: nec tamen repressa est Iudæorum temeritas, sed incanduit: nam dolor audaciam accendit, & labes vlciscẽdi cupidinem. Armantur itaque maiore lõgè furore, necdum sauciorum sanatis vulneribus, & congregatis pluribus quàm vice priore irruũt, sed eos dispositis insidiis, exceptos, priusquam in manus venirent, clausit circunfuso equitatu Antonius, & circumuentos præcepit sterni: cæsi iterum nouem millia, reliqui fugati. Niger ipse elapsus in munimentum se contulit. Turris erat septa vndique valido saxo, quam Romani, quia excidere non poterant, appositis ignibus circundedére. Ea incensa in speleum quoddam de turre transgressus, hostem latuit, ignem euasit: Romanísque securis, quòd ipse simul incendio consumptus foret, post tertium diem quærentibus suis corpus eius, ad sepulturam viuens, & vigens, redditur. Atque ita cum magno gaudio Iudæis seruatus, ab hoste repræsentatur.

Niger mortem elabitur.

Cap. v. Antiochia Metropolis Syriæ.

VESPASIANVS intereà superato Hellesponto, Bithyniam Ciliciámq; transmittens, vbi Syriam attigit, legiones cæteràsque militares copias, quas in ea reperit, Antiochiam deduxit. Vrbs ea Syriæ sine retractatione prima, ideóq; metropolis habetur: condita ab his, qui Alexandro Magno bellanti adhæsere, conditoris sui nuncupata vocabulo. Situs vrbis porrectus in immensam longitudinem: in alio angustior, quia prærupto montis à læua arctatur, vt extendi vlteriùs manandæ vrbis spatia nequiuerint. Necessitas locum signauit, quia per occulta & deuia irrumpentibus Parthis, mons celsior latibulum daret, ex quo se inopinato aduentu & promptiore impetu in imparatam Syriam effunderent: nisi ciuitas mõti velut claustrum obiaceret, exitusque obstrueret aduenientibus, vt si quis Barbarorum ascenderet, statim è medio vrbis sinu prospectaretur. Denique cùm ludi scenici in ea celebrarentur vrbe, ferunt quendam autorem mimorum eleuatis oculis in montem, Persas vidisse aduenientes, & dixisse continuò: Aut somnium video, aut magnum periculum: Eccè Persæ. Ita mons vbi præeminet, vt nec theatri altitudo ad prospiciendum montem impedimento sit. Fluuius eam medius intersecat, qui à Solis ortu Oriens, non longè ab vrbe in mare conditur: quem de originis suæ tractu Orientem veteres appellauêre, vt vulgò putetur locis nomen dedisse, cùm indè acceperit. Cuius fluentis ipso impetu frigidioribus, & Zephyris assiduò per ea locorum spirantibus, tota ciuitas momentis propè omnibus refrigeratur, vt Orientis in partibus Orientem abscondat. Intus dulces aquæ, foris finitimum nemus intextum cupressis crebris, fontes aquis vberes, Daphnem vocant, quòd nunquàm deponat viriditatem: frequens & lætior populus, vt pleraque orientis, facetiórque propè omnibus, sed propitior lasciniæ. Vrbs tertio loco ante ex omnibus, quæ in orbe Romano sunt ciuitatibus æstimata, nunc quartò postquam Constantinopolis excreuit ciuitas Byzantiorum, Persarum quondam caput nunc repulsorum: prima enim Roma, secunda Alexandria, ter- A tia Antiochia, quarta Constantinopolis. De situ vrbis satis dictum puto. Neque enim describendis eius ædificiis immorandum videtur, cuius à tergo cùm Orientem dixerim, satis liquet à læua ad Meridiem iacere, à fronte Europam occurrere, in dextra septentrionales gentes degere, Caspiáque regna haberi, quæ antè promptissima ad incursandam Syriam erant. Sed postquàm Alexander Magnus Caspiam portam Tauri montis prærupto imposuit, atq; omne interioribus gentibus interclusit iter, memoratam vrbem quietam reddidit, nisi fortè motus Persicos suspectantem. In ea vrbe Agrippa Rex cum omni virtute sua expectabat Vespasianum aduenientem, nec diutiùs eò morante, comitatui adhæsit: coniuncto itinere Ptolomaidem petere cœperunt. Ad quã vrbem occurrêre inhabitãtes Sephorim, pacem cũ Cestio Gallo iam dudum initam, firmari à Vespasiano pe- B tentes, Quorum laudata prudentia, quòd saluti propriæ consuluerint non lacessendo Romanos, atq; accepta fide, & in amicitiam recepti eius, & additis peditum equestribusq; auxiliis, fouit securitate, ne fortè destitutionis commoti dolore, insurgerent in eos belli excitatores: cũ velut claustrum quoddam Iudææ, Sephoritanis sese Romano imperio offerentibus resolueretur, vt in eam peruiũ iter hosti pateret, quæ ad custodiam totius gẽtis opportuno quodã in hostẽ obiectu occurreret. Erat enim præter opinionem loci munitioris etiam vrbs Galilææ maxima, quæ res admonuit, vt cùm duæ sint Galilææ, vna superior, altera inferior connexæ & coniunctæ sibi, alteram ab altera distinguamus. Sed priùs de vtraque dicendum.

vnde hunc Egesi posteriore illa cuius meminit. Hieron. Euseb. & Nice. cõstat secundã a Roma in causis fidei vt scribit Nic. lib. 12. c. 13. l. 15 c. 7 Antiochiæ videlicet, de qua initio cap.

hæc prærogatiua Cõstãti delata est cap. 5. con Const.

Galilæa duplex.

Cap. vi.

C VTRIQVE Galilææ Syria & Phœnice adhærent determinántq; eam à Solis occasu Ptolomais territorij sui finibus, & mons Carmelus, qui erat antè Galilæis, nunc verò Tyriorum finibus associatus, cui connectitur Gabba ciuitas: quæ quondam Iudæis causa grauis exitij fuit: ab Oriente eam Hyppenæ & Gadara suis finibus resecant. Eadem autem & Gaulamtidi regioni & regno Agrippæ cõfinia, præscripta veteri æuo fuêre: à meridiano latere Scythopolis & Samaria suis vtraque excipiuntur regionibus, nec vltra fluenta Iordanis patiuntur extendi. Septentrionalia eius à dextro latere Tyrus claudit, omnísque regio Tyriorum, cuius obiectu Galilææ spatia definiuntur. Ipsæ autem inter sese hoc distinguuntur modo, vt quæ inferior Galilæa dicitur, ab vrbe Tyberiade D vsque ad vrbem, cui nomen Zabulon, supra maritima Ptolomaidis extenta longitudine diffundatur, Latitudo autem eius à vico Zaloth, qui est in campo maximo, vsque ad Bersabem haud dubiè deducitur. Vnde etiam superiori Galilææ aperitur exordium, quo ad vici Bathatæ fines attingat. Ipso autem vico etiam Tyriæ terræ fines determinantur, longitudinis quoque eius initium vicus est Thalla, finis est Rhothala Iordani finitimus. Hinc intelligi datur, quantum se porrigant spatia Galilææ superioris, cuius initium Iordanis est vel eius confinia. Hac igitur suæ magnitudinis æstimatione vtraque Galilæa distinguitur. Terra autem pinguis, herbosa, diuerso culturæ genere nitens, distincta arboribus, vt quemuis alliciat ad sui gratiam, & fugitantem labores ad studia culturæ inuitet atque excitet. Denique nulla illic vel E exigua terræ portio vacat, frequentatur plerísque inhabitantibus: crebræ vrbes, vici frequentes, multitudo hominum innumerabilis, vt exiguus vicus in suo tractu habeat [a] viginti millia inhabitantium. Circumfusis quoque nationibus alienigenis vtraque Galilæa circundatur, & ideò genus hominũ bellicosum, à prima ætate exercitum præliaribus tentamentis, abundans numero, audacia promptum, atque ad omnes belli artes paratum. Præstat tamen magnitudine Petræa regio, quæ vnde vocabulum acceperit, suprà diximus. Maior hæc, sed vilior Galilæa, quia tota exercetur, nec vlla pars eius fructibus infœcunda est: sed vniuersa terra eius opima & ferax. Petræa autem diffusior, sed ex maiore parte deserta ac rigida, quæ mansuescere arando, nec asperiores facilis succos

Alij Iopem.

Descriptio Galilææ.

Cod. vet. a quindecim, & Ioseph. lib. 3. cap. 2.

Cap. 3. huius lib. Maior Petræa, vilior Galilæa.

lis succos domare. Sed rursus portio eius mollis ad cultum, fertilis ad vsum, grata ad aspectum, mitis ad exercitium, infitiuis vtilis pomis, omnia ferens, vt campos eius distinctæ in fronte prætexant arbores, in medio venustent: & plerunque à nimio sole vel frigore defendant sata: maximéque olea vestitus ager, aut vitibus intextus, aut palmis insignitus. Inenarrabile quanto decori sit, cùm vento impulsi palmarum ordines concrepant, & suauiores solito funduntur dactilorum odores. Nec mirum si omnis illic gratia viriditatis est, vbi amœnis fluuiorum meatibus, ea superiore decurrentiú iugo montium, superfusus ager rigatur, & niueis fontibus scatens possideatur cum inuidia, desideretur cum gratia. Longitudo eius à Macherunte vsque ad Pellam, id est, à latere meridiano vsque in septentrionem. Latitudo autem à Philadelphia vsque ad flumen Iordanem, hoc est, ab ortu Solis vrbe Arabiæ, protenditur. In occasum autem vsque ad Iordanem flumine extendi manifestatur. Samaritana quoque regio inter Iudæam atque Galilæam media iacet, incipiens à vico, cui nomen Eleas, deficiens in terra Acrabathenorum natura consimili, nec vllo differens à Iudæa. Vtraque enim montosa atque campestris est, pro locorum diuersitate; neque tota campis diffunditur, neque in locis omnis montium rupibus scinditur, sed vtriusque qualitatis habet gratiam, ad exercitium culturæ solubilis terra, & mollior, eóque frumentis vtilis, & propè circa fertilitatem soli nulli secunda, maturitate certè fructuum prior omnibus. Nam cùm adhuc alibi serantur frumenta, istic metuntur. Species quoque atque ipsa frumenti natura, haud vsquam præstantior habetur. Aqua dulcis, decora ad speciem, suauis ad potum, vt secundum elementorum gratiam æstimauerint Iudæi eam promissam patribus terrâ fluentem lac & mel, cùm spopondere illis resurrectionis prærogatiuam. Et vtrumque quidem diuina pietas contulerat, si fidem seruassent: sed infidelibus animis vtrumque ereptum: hic iugo captiuitatis; illic vinculo peccati. Nemorosa regio, & ideò diues pecoris, & abundans lactis. Denique nusquam sic lacte distenta pecus vbera gerit. Poma syluestria vel insinua super omnium regionum copias. Referta autem vtraque vel Iudæa vel Samaria hominum multitudine, vt mihi videantur hinc illud interpretati Iudæi, quod scriptum est, quia nulla erat in his locis sterilis & infecunda, cùm hoc lex de meritorum fœcunditate præscripserit, & virtutum fertilitate. Principium Samariæ de Arabiæ finibus à vico, cui nomen Iordani, finis ad aquilonem vico Borceo; latitudo autem Iudææ à fluuio Iordane vsque Ioppen. Incipit enim à fontibus Iordanis, & à monte Lybano, & vsque ad Tyberiadis lacum dilatatur. A vico quoque Ariha initium longitudinis eius, quæ vsque ad vicum extenditur Iuliadem, in quo Iudæorum pariter & Tyriorum communis habitatio. In medio autem Iudææ ciuitas Hierosolyma, quasi vmbilicus regionis totius, vt prudentibus placuit, nuncupatur: abundans regio mediterraneis copiis, nec fraudata maritimis, quia prætendit vsque ad Ptolomaidem, & totum illud mare prætexit littoribus suis. Multæ vrbes, sed inter omnes Hierosolyma eminet: ita vt quasi caput in corpore non obumbret sua membra, sed regat, atque eis tutioni sit, & pulchritudini. De Iudæa itaque & finitimis regionibus, opportuno licet compendio, ea quæ significanda fuerant, non prætermisimus.

Cod. vet. ab ortu solis vsque Arabiam prætenditur.

Samaritanæ regionis descriptio.

Resurrectionis prærogatiua.

Fertilitas Samariæ.

Hierosolyma caput Iudææ, de qua Beda lib. pecul.

Cap. vii. Cod. vet. Sephoritanis contributa subsidia militaria regionis finitimę incursabant Ioseph. lib. 3. cap. 3.

Sephoritani quoque & tributa & subsidia militaria, regiones finitimas incursabant, authoritatem latrocinandi liberam, sibi belli specie vendicantes, quod Imperio Romano à Iudæis inferebatur. Vnde Iosephus acceptæ acerbitatis iniuriam vlcisci gestiens, irruere in vrbem Sephorim, sociato sibi plurimorum numero contendit, vt eos aut reuocaret in societatem Iudææ, aut resistentes supremo (si posset) excidio labefactaret. Sed vtriusque conatus effectu excidit: quia nec dissuadere potuit Romanæ coniunctionis electionem, nec vi-

A bem euertere, quam ipse talibus munimentis firmauerat, vt à Romanis quoque longè præstantioribus expugnari nequiret. Cecinit itaque classicum, tentata irruptione sine vllo profectu, atque in totam regionem bellum excitant. Vastabant omnia, die noctúque exurentes ædificia, diripientes patrimonia, perimentes, quoscunque bello habiles comprehendissent, infirmos seruituti subiicientes. Repleta erat Galilæa omnis incendio, sanguine, latrocinio, nullius immunis miseriæ, & † deformi rerum omnium specie, cùm si quid igni aut neci superfuisset, captiuitati reseruaretur. Citius † mali illa, quæ paulò ante acerbiora æstimata sunt, præferebantur.

† defôrmis.

† malis.

Haec prælusio quædam belli facta, antequam Titus veniret, qui simul ex Achaia Alexandriam transmisit, perductis militibus secundum mandatum patris, ad vrbem occurrit Ptolomaidem, ibique connexis ordinibus B quinto & decimo, addito etiam quintodecimo, qui erant præcellentissimi, congregatoque vel Romano, vel sociorum exercitu, atrox & memorabile bellum cœptarunt. Nam vbi primis initiis placido duci prosperè gestis, secunda in aduersum cessere, profectus infensior, Vespasianus cum filio de Ptolomaidis finibus, in Galilæam sese immersit: Cognitóque quòd pacem abiuerent, quibus obtulerat condemnandæ * dissensionis copiam, si sibi consulendum putarent, Gadaram funditus euertit, vacuam bellatoribus offendens, quod omnes validiores diffidentes infirmioribus munimentis, ad muniora sese contulerant. Repertis itaque non pepercit, sed omnes necari iussit, nulla ætatis contemplatione, nulla infirmitatis misericordia, quod non tam iure belli, quàm Cestianæ C pugnæ dolore, & effusis in Iudæos odiis exequebatur. Denique non solùm vrbem, sed etiam vicos & municipia exuri præcepit. Nec iniusta erat commotio: quia post tantam insolentiam emendandi erroris facultatem dederat, nec obtemperatum. Transierat ea ex vrbe Iosephus in Tyberiadem, priusquàm Romanus exercitus appropinquaret: sed plus formidinis ex fuga, quàm fiduciæ dederat ex præsentia: hoc ipso enim territi sunt, quòd bello aduersus Romanos gerendo imparem se Iosephus arbitrabatur. Neque verò aliundè præsumpsit, nisi fortè Iudæi studia belli deponerent. Ea erat illi † prior sententia: Si bellum eligerent, malle se subeundo periculo fidem ciuibus, quàm declinando † præstare proditorem. Nihil enim magis cauere, quam ne commissum D ipsum sibi honorem militiæ turparet. Itaque scripsit ad vrbem Hierosolymam bellum incubuisse, properéque rescriberent pacem an prælium mallent, consulendum maturè. Hæc strictim significauit, nihil propensè in alteram partem, ne aut bellator meticulosus, aut pertinax rebellio iudicaretur.

Cap. viii. Titus Vespasianúsq; atrox & memorabile cœperunt bellum leg. 3 & sequ.

** discessionis.*

† potior.

† videri.

Rursus de vrbe Tyberiade Iotaparam petit, siue quòd munitior cæteris esset, & propterea in eandem plurimi se contulissent bello promptiores: siue quod eò Vespasianus plerosq; ex suis direxerat qui munirent iter, quod per montes difficile saxosúmq; asperum peditibus, equitibus autem inuium atque insuperabile foret. Denique diebus quatuor, ne angustiæ officerent, reserata sunt viarum strata: compositum iter, quò facilius omnis exercitus transmitteretur. Quinto die transiuit eò Iosephus, E deiectósque Iudæorum animos erexit. Vespasiano quoque vbi factum indicium eò Iosephum commeasse, incentiuum celerandi itineris accessit, quòd conficiendi belli compendium putaret, si Dux & populus bello promptior interciperetur. Aduenit itaque cum exercitu, & primo die curandis cibo militibus, ne ex itinere fatigatos cura belli incesseret, tempus dedit. Sequenti die duplici acie vallauit vrbem, & tertio equestri ordine. Quod videntes Iudæi inclusos se, & obsessos vndique, nec vllum * refugij locum, ipsa desperatione audaciam sumpsere. Nulla enim res promptiorem bello militem reddit, quàm necessitas prælìandi, & præruptum periculum. Vrgebat Vespasianus iaculis, vrgebat sagittis, missilibus quoque plurium Iudæorum vltra mu-

Cap. ix.

** effugij. Necessitas prælìandi promptiores bello reddit milites.*

ros progressi, destinata feriendi arte vulnerabantur, manebant tamen impauidi. Tentabat omnia virtus Romana, & maximè vbi infirmiora aduerterat murorum subsidia, illic maiore incumbebat manu: Pudor hos, illos armabat spes vltima, ferro sibi aperire viam salutis desiderantes: Grauia tolerabant Iudæi, nec minora referebant tentamenta audaciæ. Peritia à Romanis cum virtute, furor à Iudæis cum temeritate certabat. Fessis itaque tota die illis pro salute, istis pro triumpho dimicantibus, nox prælium soluit. Sequenti quoque die, & tertio quartóque consimiliter, & quinto præliatum acriter: sed vt solet fieri in talibus præliis, plura vulnera quàm neces inferebantur, licèt sæpè & excursu à Iudæis & à Romanis tentarentur eruptiones, quos in iram accendebat pudor, eò quòd victores Annibalis & Antiochi, omniúmque gentium, Iudaicis præliis immorabantur. Tan- B ta erat Romanæ virtutis * constantia, vt non citò vincere pars victi æstimaretur: sed aduersus naturam magis erant illis, quàm in hostem certamina. Nam ciuitas præruptis vndique propè erat interclusa rupibus, non vallo & fossa, vt aliæ vrbes, sed profundis erat circumuallata præcipitiis, quæ nec visus hominum comprehenderet, nec visus inuestigaret, & horror * solicitiùs intuentem magis magísque inuolueret: tantum ab aquilone in montis defectu vnus ad vrbem accessus, arduo tamen ascensu patebat. Quem Iosephus muro interclusit, propugnatoribus septit, vt inter murum inferiorē, & vrbē superiorem periculosa * eruptio fieret obsidentibus, & interim esset inæstimabilis cognitio superiorum. Ciuitas enim ipsa in montis supercilio sita, in circuitu finitimorum montium velut quodam naturali vallo circundaba- C tur septo genitali abscondita, vt nemo priùs illic vrbem esse intelligat, quàm in vrbem ipsam fuerit ingressus.

* conscientia.

* sollicitus.

* irruptio.

Cap. x.

Vespasianus cùm vincere naturam nequiret, eam sibi ipse in adiumentum accersiuit, vt obsidione diuturna per inopiam cibi & potus cogeret obsessos ad deditionem: sed frumenti copia, multò antè congesta, propulsabat periculum famis. Aquæ erat difficultas maxima, quia neque vllus in vrbe fons, & solēnis siccitas raris per ea locorum imbribus bibēdi subsidium attenuauerat. Ductus omnes aquarum obstruxerat, ne in vrbem meatent. Augebat inopia auiditatem, repugnabat natura. Commentum Iosephus detulit, vt infusæ vestes muro suspēderentur, quò paulatim rorantibus aquis, crederetur illis non deesse ad potum, quòd abundaret ad lauacrum D vestimentorum.

Stratagema.

Cap. xi. Aries describitur.

Deiectus eò Vespasianus, rursus ad expugnandam vrbem accenditur, atque omnem exercitum circà congregat: machinis murum quatit, pulsat aries. Nomen hoc speciei dedit, eò quòd validæ ac nodosæ arboris caput ferro vestitur, & quòd vt frons arietis prætenditur, quæ obductis laminis turgescit, & prominet: è medio eius quasi cornu procedit ferri solidioris. Magnitudo arboris in modum mali naualis, quam non ventorum procella, non velorum sinus flectant. Ea suspensa funibus ad superiora atque robusta arborum nexis, multorum manu validè in murum impellebatur. Deinde retrorsum ducta, atque in stateræ modum sustentata retinaculis, maiore impetu destinabatur, vt crebris ictibus fatigatum muri latus cederet, cauatúmque vi * rupturis E fenestram daret, qua Romanis hostibus via in interiora vrbis pateret. Primo igitur ictu murus concussus est, contremuitque omnis. Clamor illicò vniuersorū, quasi expugnata vrbe trepidantium, ne repercussus murus fatisceret. Sed Iosephus saccos paleis repletos, in eum dimitti locum præcepit, in quem aries à Romanis intorquebatur, vt laxo saccorum sinu lusa plaga omnis arietis emolliretur. Illisa enim solidis solida nocent, solutioribus euanescunt. Denique faciliùs solidiora mollioribus cedunt, quàm molliora solidioribus. Nam & aquę allusione scopuli soluuntur, nec ruina rupis vllum est damnum aquarum, & iactis in freta mollibus, aqua suos vsus reseruat; sed petra inter vndas reseruare suos nescit.

* irruptio.

Solida solidis illisa nocent.

A Arenam quoq; marmoris ruina non frangit, & marmor arenæ ruina comminuitur. Retulerunt tamen etiam Romani, quò commenta refellerent Iudæorum contra falces ligantes, quibus demissos inciderent saccos, quòd vacuatis paleis euitare arietis ictum nequirent. Reparato itaque impulsu machinæ, cùm se Iudæi vrgeri viderent, vnus ex his Eleazarus ingentis magnitudinis saxum eleuans, de muro super arietem elisit tanta vi, vt comminueret caput machinamenti. Exiliens quoq; in medium hostium, rapuit illud, atque in murum ferebat intrepidus in conspectu aduersariorum, & patens vulneri. Denique iaculis quinque figitur, sed nequaquam conuersus ad vulnera, quomodo ipse saxi ruina hostē inuolueret, intendebat. Ascendit itaq; murum, & victor doloris stetit conspicuus tantæ præsumptionis, ac super arietem se saxúmque deiecit, & cum eo corruit. Victus quidem B morte, sed victor machinamenti, cùm in se solus discesserit patriæ; in machinamenti autem * communitione, totam vrbem ab excidio seruauerit. Netyras quoque & Philippus in medium se iecēre agmen, vt auerterent, quos * petierant. Iosephus autem ignibus iactis, vt machinamenta omnia exureret, breui consumpsit plurima, sed consumpta reparabantur.

Eleazari facinus.

Fortè legendum, ipse solus decesserit.

* comminutione.

* poterant.

Cap. xii. Vespasianus in talo vulneratur.

Instabat Vespasianus, vrgebat ita, vt in talo feriretur iaculo sagittæ. Turbati sunt Romani, cùm sanguinem Ducis fluere cernerent. Exagitatus filius, cucurrit ad patrem. Sed ille supra vim vulneris virtutem gerens animi, prohibet trepidare filium, magísque in prælium accendit milites, vt iniuriam Ducis vlciscerentur. Ipse signifer reuocabat exercitum, & ad muros cogebat. Ipse C in bellum cęteros adhortabatur, alij sagittis, alij telis, alij balistis hostem vrgebant. Tanta autem erat huius tormenti vis, quo saxa in hostem iaciebantur, vt percussus vnus ex sociis Iosephi, qui prope astaret, comminuto capite rueret, & occipitium eius vsque † ad tertium stadiū excuteretur: mulier quoque alno grauis percussa † vterum, supra dimidium stadij de intima sede secreti genitalis, excuteret infantem. Ad postremum cùm victor iam muro Romanus miles succederet, & in ipso aditu vtrinque valida manu decertaretur: sicut erant conserti, oleo feruenti Iosephus perfundi Romanos iubet, quod facilè à vertice ad ima defluebat vestigia. Nec minor incendio flammæ candentis, olei feruor omnes artus depascebatur. Succedebant tamen alij, plerísque etiam sudor profluus olei vim refrigerabat. Et quamuis huiusmodi olei natura sit, vt citò calescat, & seriùs cōceptum D deponat calorem, tamen victoriæ studio abscondebant iniuriam. Ardebant animis, vt nullum corporis sentiretur incendium, nec tanti æstimabant pœnæ feruentis dolorem, quanti dispendium gloriæ, si tanquam exortes triumphorum desisterent bello, qui duces fuerant periculorum. Vel sanguine itaque suo restinguere incendium olei certabant.

† vltrà.

† vtero.

Natura olei citò calescere.

Cap. xiii.

Hac mora obsidionis etiam Iaphæ vrbis, quæ vicina erat, populus insoleuerat, quod iam diu decernebatur. Vnde motus Vespasianus, Traianum qui præerat ordini quintodecimo, ductoris officio, direxit cum mille equitibus, & duobus millibus virorum militiæ pedestris. Qui sine retractatione profectus, vir acer & bellandi artibus E præditus, conuenientem studiis suis euentum belli reperit. Nam cùm esset ciuitas, & natura loci septa, & gemino muro circumuallata, non contentus regere se populus eius munitionibus, occurrendum Romanis putauit: sed paulisper resistere ausi, intra murum exteriorem recipere sese volēes, hostem pariter recepere. Nam cum ipsis festinantibus etiam Romani subintrauerunt, confugientibus quoque ad murum interiorem, clausæ portæ, ne rursus Romani pariter irrumperent. Ita auerso à se DEI auxilio, Iudæi prælabantur, quo antè vincere solebant, sed offenderant scelestis flagitiis, & ideò ab his pœna debita reposcebatur, vt donarentur eorum supplicia nationibus. Denique plures propè suis inter se bellis, quam ab hostibus, obterebantur. Exem-

Iudæi Deo irato prælabantur. Iaphæ Romanis aperiūt portas, Iudæis claudunt.

plo est Iaphæ populus, qui Romanis portas aperuit, & sibi clausit. Nam vt primùm murum Romani irrumperent, ipsi patefecerunt: vt secundum murum Iudęi nō penetrarent, Iudæi clauserunt. Receptus itaque hostis est, socius exclusus. Receptus ille, ne percussor deesset: exclusus iste, ne * penitùs euaderet. Intra duos itaque muros cædebantur Iudæi, manu cominus, de muro eminus. Plerique enim Romanæ militiæ viri constricti angustiis, murum ascendebant, atque inde in subiectos tela iaculabantur. Itaque Galilæi suis, quàm hostibus infestiores, rogabant, vt in interioris muri vestibulo reciperentur, sed resistebant sui. Dimicabatur in portæ limine, Iudæis inter se pugnantibus: Isti irruentem cuneum gladiis excipiebant: illi resistentes moriebantur. Sæua imprecantes sibi inuicem, & minora se meritis suis perpeti supremis vocibus attestabantur. Itaque extincta sunt * duo millia virorum omnium præliatorum. Ratúsque Traianus vel nullum iam sibi repugnaturum, vel facilem vrbis expugnationem, veteris vir disciplinæ summā victoriam Vespasiano reseruauit, misitq; ad eum, postulans vt filium suum dirigeret Titum, qui finem prælio daret. Quo aduentante, facta irruptio, cæsiq; multi mortales, nec sine labore ac periculo victoria cessit Romanis. Quibus ingressis murum interiorem, † obiecerant se, quicunq; erant bello idonei, & in angustiis positi, anceps bellum victoribus effecêre, pugnantibus desuper virili ac muliebri sexu, ac sæpè etiam in suos saxa, atque omnia, quæ fortè repererant telorum genera iaculantibus. Denique sex horis in ipso fine quasi ab exordio pugnatum. Ad postremum cæsis, qui constiterant pugnaturi, tum in cæteros sine ordine, sine modo, sine misericordia, senes cum adolescentibus iugulabantur, mulieres cum paruulis reseruatæ, non ad veniam, sed ad seruitutem: masculi omnes interfecti, nisi quos pueritia, aut infantia defendit, in prædam ducta sunt duo millia, CXXX. mancipia, Domini cum seruulis † æqua iam sorte conditionis, quos captiuitas pares fecerat.

* perituus.
* duodecim millia. Ioseph. lib. 3. cap. 11.
† obiecere se.
† æquata.

Cap. XIIII. Nec Samaritæ immunes miseriarum fuêre. Nam eùm secundum consuetudinem suam † ascendissent mōtem Garizim, qui erat illis consecratus, vbi adorare solebant: vnde & in Euangelio dicit Samaritana: Patres nostri adorauerunt in hoc monte. Et responsum est ei: Veniet hora, quando neque in hoc monte, neq; Hierosolymis adorabitis patrem. Debebatur enim, vt cessaret superstitio, & vera religio succederet: euacuaretur vmbra, veniret veritas: vt iam non in monte, sicut Samaritani, non in Hierosolymis ter in anno, sicut Iudæi: sed in spiritu in omni loco eleuās puras manus homo omnis adoraret Deum, & in nomine Iesu genu flecteret. Cùm igitur, vt suprà diximus, in monte collecti, secundum suos ritus manerent, belli autem minas prætenderet ipsa cōgregationis species, vel sensus eorum, qui nec malis finitimis resipiscebant: multò autem ampliùs prosperioribus Romanorum successibus per inuidiam commouerentur, ac prope tumultum res essent, cōsultius æstimatum est, eos præueniri, ne in maiorem pestem erumperent. Vocatóq; Præfecto ordinis quinti cum tribus millibus vtriusq; militiæ viris, eò † eum Vespasianus direxit. At ille ascendere montem primo exordio periculosum ratus (erat enim simul iuncta terrori multitudo populi, & præruptum naturæ) circundedit exercitu montis confinia: & toto die deserti fecit custodiam, ne quis aquatum descenderet. Cùm igitur tantam hominum † multitudinem vexaret sitis, quæ magis ac magis æstu exardescebat, & plerîq; seruituti se, vel etiā neci mallent offerre, ne vel fame vel siti perirent, Cerealis (hoc enim nomen Præfecto) ex descēdentibus vniuersos esse defatigatos æstimans, cinxit montem, ac more militari pollicens salutem si arma deponerent, recusantésq; iussit feriri. Itaque extincta sunt illic millia XI. sexcenti viri.

† congregati ascendissent. Ioan. 4.
Verus modus adorādi Deum.
† eum manu scrip. nō habet.
† constipationem.
Cerealis Præfectus.

Cap. XV. De captione Iotapatæ, & destructione eius. Iotapatae quoque quadragesimo & octauo die facta irruptione primo diluculo, eùm adhuc multò superioris diei fessi labore requiescerent, primus omnium

A Titus cum Sabino ingressus, cæteris viam præbuit. Cōprehensisque superioribus locis, in angustiis platearum passim, & ignati adhuc factæ irruptionis feriebantur. Alij in suis stratis, alij expergefacti, alij vigilantes, sed inedia ac somno soluti pœnas dabant. Adhuc tamen totam vrbem vis latebat malorū. Sed vbi exercitus ingressus miliari infremuit vlulatu, ad solum fere subeundæ mortis affectum insurrexerunt. Et si qui superiora petere tentauerant, repulsi cædebantur, & quibus vlciscēdi vis suppetere poterat, ipsa coarctatio vindictam ademerat: & si qui resistere parabant, irruentibus supra se aliis, bello abscondebantur. Alij multo fessi certamine, demissis manibus sese offerebant vulneri, vt vel morte tam feralibus malorum suorum spectaculis eriperētur. Hac deceptus securitate pereuntium Centurio Antonius, rogatus à quodam, qui in spelæa confugerat, vt ei dexteram daret, obsidem veniæ & salutis sequestram: B porrexit illicò, doli negligens, & væ miser nimium securus triumphi: sed ille incautum spiculo ferit, & statim transfigit, ne impleta esset incruenta Romanis victoria. Illo ipso die interfecti omnes, quicunq; inuenti. Seqnētibus autē diebus etiam de hypogeis & cæteris defossis specubus producebantur, vel ibidem extinguebātur, exceptis paruulis ac mulieribus. Cæsa per omnes dies XL. millia, quæ numero comprehensa sunt: in captiuitatem deducti M.CC. euersa & igni exusta est ciuitas, & castella eius omnia, anno Imperij Neronis XIII. Iosephus intereà inter fauillas vrbis in quodā lacu delitescebat, haud inscius, quod quasi Dux aduersi agminis studiosiùs re- C quireretur. Egressus die secundo, vbi septa aduertit omnia, reuertitur in lacum. Tertio die mulier quædā reperta, cognitas sibi Iosephi latebras, quærētibus demōstrauit, (sed in lacū * XL. viri, qui eò confugerant, sese tegebant) Qui vbi aduertebant Iosephum, primò per Paulinum & Gallicanum à Vespasiano ad spē salutis vocari, postea per Nicanorem, qui Iosepho veteris amicitię gratia copulabatur, & ideò missus, vt dexteram daret, promptiùs officium mandati muneris exequebatur: circumfusi Iosephum talibus adoriebantur sermonibus.

Antonius Centurio.
Anno Imperij Neronis XIIJ. Iosephus in lacu delitescit.
* XLII. viri.

Nunc maior Iudæi nominis tentatur ruina, nunc fauilla terrior, quæ sepeliat, & abscondat splendidissimæ disciplinam prosapiæ, atque omne decus subruat, quando Iosephus ad triumphum captiuus reseruari iubetur. Quid sibi volunt tam sedula subitò inuitamenta hostiū? D Quid dona salutis spontanea? Rogantibus vitā aliis non pepercerunt. Iosephus accersitur, Iosephus rogatur vt viuat. Metuunt videlicet, ne pompam amittant triumphi, ne desit, quem spectet Roma captiuū, quem catenatum Vespasianus ante currum suum dirigat. Ad hæc igitur ludibria vis reseruari? Et vnde triumphabunt, si dux eorum defuerit, de quibus triumphatur? Aut qui triumphus, si amicitia datur victis? Ne credas Iosephe, vita tibi promittitur, sed parantur grauiora morte. Vicerunt te Romana arma, non capiat fraudulentia. Atrociora sunt dona eorum, quàm vulnera. Illa enim captiuitatem minantur, hęc libertatem reseruant. Inflecteris Iosephe, & animi quadam fractus mollitia, vis esse patriæ superstes? Vbi est doctrina Moysis, qui se de libro cœlesti deleri petebat, ne plebi Domini superuiueret? Vbi est Aaron, E qui inter viuos ac mortuos medius stetit, ne mors viuētem populum sæuo contagio † depasceret? Vbi est Regis Saulis & Ionathæ deuotus patriæ animus, & mors illa pro ciuibus suscepta, & fortiter glorioséq; expensa? filius patrem exemplo inuitauit, pater filium mortis proposito non dereliquit. Qui cùm posset viuere, maluit se interfici, quam ab hoste triumphari. Hortabatur armigerum suum dicens: Percute me, ne veniant incircumcisi isti, & percutiant me, & † illudant me: quia armiger timuit, ipse se gladio transuerberauit. Dignus quem Dauid spiritu prophetico vendicaret: quia se degener Amalekita de eius morte falsò iactauerat, & gloriam viri, qui seipsum hosti exemerat, imminuendam putauit, vt à se interfectum mentiretur. Dignus etiam, quem tantus

Cap. XVI. Oratio, qua Iosepho socij sui mortem suadebant.
Dona hostium atrociora quam vulnera.
† depascetur.
† deludant.

laudaret Propheta dicens: Saül & Ionathas speciosi & charissimi inseparabiles in vita sua, & in morte non sunt separati. Super aquilas leuiores, super leones potentiores. Ipse quoque Dauid cùm populum percuti ab Angelo videret, in se voluit cœlestem deriuari vindictam, ne pereunte populo reseruaretur. Postremò vbi lex diuina, cuius interpres semper fuisti, quæ pro hac breui vita perpetuam iustis promisit immortalitatem? Vbi Deus Hebræorum, qui docet iustos mortis contemptum habere? Refugere etiam debere terrenum habitaculũ, * anhelare ad superna, ad regionem paradisi, vbi Deus ipse pias animas * conseruauit. Nunc demum cupis Iosephe viuere, quando nõ oportet, immo nec licet: immò, quod maius est, non decet: & † carpere desideras lumen illud (ausim dicere) seruitutis, quod in aliena potestate est, vt id quando voluerit Romanus eripiat: quando velit, carceris tenebris obducat, vt optes hinc fugere, nec liceat mori, & quo pudore ad eos ibis, quibus persuasisti pro patria mori? quam excusationem habebis, quòd tam diu resederis? Expectant quid agas: † dicent profectò: Quid moratur Iosephus, qui præuenire debuit? cur tam serò sequitur? cur discipulos suos, quibus pro libertate moriendum suasit, imitari recusat? Perferemus certè nos, quòd seruire elegeris assertor legis & libertatis, quòd mancipium te Romanis addixeris, quòd captiuitatem libertati præposueris. Sed esto, velis viuere, quomodo hoc impetrabis ab his, aduersum quos toties præliatus es? Quomodo te intuebũtur? quibus oculis, quibus animis? Quomodo iratis Dominis, etsi liceat, viuere voles? Aut quis proditorem patriæ non credet fuisse, cui mercedem solutam proditionis videbit? Vtrùm mauis elige, horum alterum sit necesse est: Vita tua aut præmium proditionis erit, aut seruitutis supplicium. His dictis intentarunt gladios, addentes: si acquiescis mori, quasi amici ministerium præbemus. Si recusas, quasi proditi vltionem exigimus.

Lex spondet immortalitatem.
* anhelare.
* seruauit.
† capere.
† dicent isti.

Cap. xvii. Responsio Iosephi.

Ad hæc Iosephus refert: Et quis velit esse tantæ mortis superstes? Quis eligat fieri hæres doloris? Quis animam suam nolit ex ipso corpore mortis, si liceat, absolui? sed non licet soluere, nisi et qui ligauerit. Naturæ vinculo * coniuncta est anima corpori. Quis author naturæ nisi omnipotens Deus? Quis hoc animæ & corporis nostri Deo placitum contubernium interrumpere ac dissociare audeat? Si quis imposita manibus suis præcepto herili vincula, sine arbitrio Domini sui detrahat, nónne is graui pulsasse iniuria suum dominum cõdemnabitur? Dei possessio sumus, Deo seruitiũ debemus, quasi serui expectemos Imperia, quasi vincti reseruemus vincula, quasi fideles bonum depositum custodiamus. Non recusemus vitæ istius munus quod dedit nobis, non refugiamus donum cœleste. Si hominis data reiicias, contumeliosus es: quanto magis seruare debemus, quod à Deo nostro accepimus? Ab ipso itaque accepimus, quod sumus, ipsius quoque debet esse, vt quamdiu velit, simus. Vtrumq; enim ingrati est, & citiùs discedere quam velit, & diutiùs viuere quàm voluerit ipse, qui vitam donauit. Nunquid antè festinauit exire Abraham? Nunquid antè ascendit Abarim Moses, quam decerneretur ei, Ascende in montem Abarim: Sed dictum est, Ascende, & ascẽdit, & mortuus est, quasi bonus seruulus, expectauit Domini præceptũ. Ipse Iob qui dixit: Pereat dies illa in qua natus sum. tamen in vulneribus & doloribus positus, vitæ huius vincula non disrumpebat, sed vt liberaretur rogabat, dicens: vt quid datum est in amaritudine lumẽ, vita autem in doloribus animę? Laudabat itaq; mortem, cùm diceret: Mors * verò requies: tamen non præcipiebat, sed postulabat, vt scriptum est: Concutior omnibus membris: & quia sum impius, quare non sum mortuus? Cur de ventre matris non in sepulchrũ decidi? Aut * nunquid breue tempus vitæ meæ? Dimitte me requiescere paululùm. Alius quoque sanctus dicit: Educ de custodia animam meam. Petit euadere: petit ex hoc corpore quasi de quodam liberari carcere: nullus tamen sanctorũ necem sibi ipse vsurpat, nullus præcipit. Si lucrum est mors, furtum est vsurpare antè expectatum: Si bonũ est viuere, * sacrilegium est repudiare, antequàm reposcatur. Sed gloriosum putatis in bello mori? Nec ego abnuo bonum esse pro patria, bonum pro ciuibus in bello mori. Sed belli lege offero iugulum, si hostis petat: si mucronem demergant Romani, quibus de nobis Deus victoriam dedit, quibus propter peccata nostra nos adiudicauit. Nec mihi blandior, quòd parcendum spõdeant. Vtinam fallant: Vel hoc lucrum feram, quòd me sic timuerunt vt fallerent, vel hanc vltionem referam, quia frangunt fidem. Malo illorum latrocinio perire quam meo. Latrocinium meum est, si mihi ipse intulero manum: si hostes, beneficium. Ergo illud cùm beneficium dare possent interimendo, seruandum putauerunt quod in potestate habebant: vt captum occiderent, latrocinati sunt. Sed pollicemini mihi manus vestræ ministerium, tenera percussor nobis defuit, vt nostro scelere pereamus. Nolo meo, nolo vestro scelere perire, quod plus est quam meo, nolo mutuo. Hoc est enim vnumquemq; nostrum sibi manus inferre, vicariæ necis mercedem soluere: vt iam nũ solùm pro suo quisq;, sed etiam pro alterius sanguine scelus debeat. Verùm Regis Saül exemplum promitur, eius certè, qui aduersus voluntatem diuinam Rex postulatus est, & offensam meruit Dei. Vnde etiam cùm viueret, successorem accepit. Egregium exemplum viri, cui defuit Dei gratia, & tamen voluit mori, quia iam nõ poterat viuere. Voluit tamen & ipse vt eum socius occideret: sed & ille scelus putauit, recusauit ministeriũ. Non igitur vsus consilio, sed † desertus ministerio fecit, vt ipse gladium in se conuerteret. Si timens fecit, ne sibi illuderetur, quid laudas quod timoris est? Si non timuit, cur primò aliud † elegit? Ego nec illudentes Romanos timeo, nec mentientes. Saul tantum se solus peremit, non Ionathas, non quisquam alius in nostris scripturis. Quid mirum, si potuit se perimere, qui potuit etiam filium occidere? Aaron inter viuos ac mortuos stetit, & hoc virtutis est, non temeritatis. Non enim mortem sibi intulit, sed mortem non timuit. Qui eam corpore suo repulit, & serpent * in omni obstaculo fuit. Non ego quidem Aaron, sed tamen non degener ab eo, offero manus, feriant vt volunt. Si possum eorum manus timere, dignus sum, qui manibus peream meis. Si * pereunt illi aduersario, cur ego non * peream mihi? Si quæritis cur parcere velint, & in hoste virtutem mirantur. Tanta est enim virtutis gratia, vt frequenter etiam hostem delectet. Nostis etiam ipsi, quanta intulerim exitia Romanis, quomodo victores omnium gentium, Iotapatæ ignobilis vrbis diuturna obsidione, ab Hierosolymitanæ vrbis excidio auerterim. Breui damno totius belli aleam lusi. Didicerunt cæteri meo periculo pacem optare. Fortassis ad hoc reseruamur, vt non deterreantur cæteri, sed prouocentur. Sed suaue asseritis mori pro libertate. Quis negat & illud? tamen dulce viuere pro libertate. Nam qui amicitiam offert, libertatem promittit. Quòd si seruitutem inferat, tunc erit certè opportunior moriendi voluntas, si oporteret mori: Nunc autem vitam offerunt, nolunt occidere. Timidus autem est, & qui non vult mori quando oportet, & qui vult quando non oportet. Quis enim ignorat fœmineæ timiditatis esse, & muliebris * fortitudinis, ne mutiare, mori velle? Denique pauidæ mulieres, vbi aliquod imminere sibi periculum cognouerint, solent se præcipitio dare. Augusti enim animi molem formidinis, & metum mortis sustinere nequeunt. Vir autem patiens, qui præsentia non timet, & futura cogitat, nescit trepidare, vbi non est timor. Denique scriptum est, quia animæ effœminatorum esurient, quæ cibum vtique virtutis non habentes esuriunt: ideóque ad mortem ante tempus festinant. Neque enim repletus cibo gratiæ spiritalis, sibi ipsi manus irrogat: cum scriptum sit: Quia os imprudentis mortem inuocat. Et iterum dicit Scriptura: Et qui non curat seipsum in operibus suis, frater est

* iuncta.
Moriendum non prius quam Deus iusserit.
Moses mortuus in monte Abarim. vide Epist. Iudæ Apost.
* viro.
* nunquid non.
* sacrilegiũ.
Mori in bello gloriosum.
Mori à se ipso latrocinium est, ab hoste beneficiũ.
† destitutus.
† elige.
Saul se peremit.
* in omnes.
* parcunt.
* parcam.
* formidinis.
Patiẽs præsentia non timet.

* Ver. Cod. ascriptum habebat: frater est sua opera dissipantis & eius, &c.

eius, qui seipsum in operibus suis, * frater est eius, qui seipsum exterminat. Condemnatur ergo qui seipsum percusserit. Quid enim tam contra legem naturæ? Quid etiam tam contra naturam omnium animantium? Quibuslibet feris licèt atque agrestibus, insitum est se amare. Naturæ enim lex valida est velle viuere, nec sibi mortem asciscere. Denique ferro in se armari omnia genera animantium, nec si velint, possunt. Informem lethi laqueum homines inuenerunt, feræ nesciunt. Sed morsus ferarum arma sunt, dentes eorum gladij. Quando tamen quisquam audiuit, quòd sibi aliqua fera proprio morsu membrum ademerit? aduersum alios faucium suarum armis viuntur, aduersum se osculis. Nobis quoque quid tam dulce quàm vita? Quid tam inimicum quàm mors?

Vita nihil dulcius.

Denique qui vitam protexerit, patronus est: qui mortē appetere tentauerit, insidiator est. Quod ergo in alijs B execramur, si nos appetamus, ipsi nobis volumus inferre: & quòd ab alijs pro pœna exigimus, hoc ipsi nobis irrogamus pro gratia: & gubernatorem si commissam sibi nauem saxo illidat, persequimur: nos commissum nobis nostri corporis gubernaculum ferro extinguimus, & voluntario naufragio addicimus? Sed obijcitis mihi mortem maturam, cùm in potestatem hostium fuero deductus. Quid ergo lucrifaciam si quod ab hoste metuo, hoc ipse mihi inferam: cùm possit accidere, vt quod suaderis mihi facere, non faciat inimicus? Huiusmodi istud est, ac si videns gubernator tempestatem futuram, tempestatis gratia declinandæ nauem fluctibus immergat. An quia grauiora supplicia exacturus est aduersarius, ideò præueniendum putatis? vel quia strenuum arbitramini, vt in nos ipsi ferro vtamur? Sed id imbecillitatis C suffugium est, non virtutis trophæum, captare lucrum suppliciorum. In hoc igitur inhæremus, quòd nec insignia habeat fortitudinis, nec profectum vtilitatis. Quid autem attexam * violati depositi religionem? Deus omnipotens thesaurum nobis optimum dedit, atque inclusum in hoc vase fictili, & consignatum commisit nobis custodiendum, quoad ipsi placeat reposcere. Nónne in vtroque crimen est, vel reijcere depositum, non reposcente qui dederit: vel reposcenti negare? Si hominis depositum violare pœna infamiæ est, quantò magis violare depositum Dei? Depositum Dei in anima est in hoc corpore, anima quæ mortis istius capax non sit. Non enim vllo mortis vinculo astringitur atque alligatur, sed videtur mortem operiri, cùm soluitur corpore, atque de D commisso sibi contubernio seiungitur. Cur igitur ante repetitum depositum mortem irrogamus, & animam quasi inutilem nobis remittimus, atque è domo nostra excludimus, & corpus sine decore & gratia sui in terram resoluimus? cur exeundi hinc præceptum non expectamus? Miles tesseram expectat, seruus imperium. Si quis horum sine præcepto exierit: alter desertor, alter fugitiuus est. Qui hominem fugit, pœnæ est obnoxius, quamuis improbum fugerit dominum: nos optimum omniū fugientes possumus non astringi impietatis flagitio? Num etiam illud præterit nostram opinionem, quod apposuit Deus angelum in circuitu timentium eum? Est ergo qui prohibeat: nisi præceptum acceperit? Si nullū præceptum, nullum viaticum. Et quomodo perueniemus sine viatico? Quis nos recipiet in illum purum & E secretum locum? Quis nos admittet ad illa sanctarum animarum consortia? Adam latebat, quia præceptum Dei præuaricatus est: exclusus est de paradyso, quia non seruauit mandatum. Dicitur ei: Adam vbi es? Quasi ei qui fugerit, quasi ei, cuius apud Deum non est præsentia. Nonne & mihi dicetur, vbi es? qui præter præceptum venisti, quem ego naturalibus vinculis non relaxaui? Tollite eum in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium, & dolor. Hæc non solùm moribus hominum, sed etiam legibus interdicta accepimus: namque alij insepultos proijci iubent eos, qui se in ferrum deiecerunt. Dignum est enim, vt qui patris Imperium non expectauerunt, priuentur quasi quodam matris gremio,

Pulchra à comparatio Contra Plinium qui homini optimum putauit, mori cùm voluerit.

* violati.

Depositum Dei anima est in hoc corpore.

Angelus hominum custodiæ deputatus. Vide annot. nost. in lib. Tertull. de Anima. Gen. 3.

A terræ sepulchro. Alij dexteram manum abscindunt defunctis, vt separetur à membris sui corporis, * quod aduersus corpus suum vesano militauit furore. Sed hunc exitum sacrilegi ferunt, aut proditores, vel percussores parentum, qui verum patrem non agnouerunt, nec sese cognoscunt. Ideo sui penitus sepeliri prohibentur, aut non toti sepeliuntur. Animas quoque eorum non paradysus recipit, sed inferorum tenebræ, sæuáque supplicia. Hæc mihi reputanti, quanquam omnia erepta sint, sola tamen terrori ac formidini sunt: * nec mihi ipsi inferam, quæ nec hostis potuit inferre: & illa paradysi eripiam, quæ Romanus adhuc non potuit eripere. Certè accelerare potuit, non poterit auferre, quæ sola impatienter desidero. Non enim vitæ huius vlla me cupiditas tenet, in qua nec apud ciues, nec apud hostes cœpi, quod delectaret. Isti mihi pacem negarunt, illi pa- B triam eripuerunt. Inter tot mala, quid potest suauitatis in hac vita superesse? Tu modò omnipotens Pater, qui naturæ author atque arbiter es, honestum largire exitum, tu rumpe naturale hoc vinculum: redde animum meum secretis suis. Extinctus sit populus, ereptum ius, libertas infracta: non præuaricabor tamen legem tuam, vt moriar iniussus. Expecto, vt iubeas, expecto, vt volentem liberes. Multos habes tui Imperij executores, à te expecto Imperium, ab executore ministerium. Bonum est mori: sed moriar, vt Hebræus, non vt laico, non vt carnifex, non vt hostis. Victus sim licèt bello, manebo tamen, quod natus sum, vt Abrahæ patris hæreditatem non deseram. Non transibo in numerum hostium, vt ipse meus percussor sim. Offerre me hosti C percutiendum sine pietatis possum dispendio: manus meas † mihi in hostem conuertere sine scelere non possum. An verò metus est, ne non liceat nobis secundum legem viuere? Reuerà nunc magna libertas est, quibus nunc licet secundum legem mori.

* qua. Pœna eorū qui se interimunt.

*ne mihi.

Pia oratio ad Deum.

† mihi pro in me. al. vt in hostem.

HAEC Iosephus allegabat, quò euacuaret voluntariæ mortis * affectionem. Sed illi, qui semel sese morti deuouerant, quia verbis resistere nō poterant, gladijs quasi ferituri illicò, virum circumstetêre, nisi acquiescendum putaret. At ille circumdatus, alium Ducis reuocabat authoritate, & virtutis constantia, alium seuero obtutu conuenieba t. Huius reuocabat dexteram, illius inflectebat iram, mulcebat consilij salubritate. Diuersis mo- D dis vnicuique irrationabilem extorquebat furorem. Etenim quamuis vltima sors victi dignitatem extorserat, non penitus tamen aboleuerat reuerentiam. Paulatim itaque deponebantur manus, recondebantur gladij, tamen intentio perseuerabat. Cùm videret vnum à pluribus se obsessum teneri, siue casu quodam, siue consilio † commentatus est, vt minueret numerum repugnantium. Committamus, inquit, sorti moriendi ordinem, vt se nemo subtrahat, cùm sors cōueniat vniuersos. Istiusmodi conditio sit sortia, vt is, † qui sortem exierit, ab eo qui sequitur, interimatur. Itaque fore vt sors vnumquemque, non propria voluntas morti adiudicet. Sic igitur vnusquisque sub sorte iudice, & exors sceleris, & liber captiuitatis, vt non alieno arbitrio * celeret, aut declinet suo, mortem futuram. Nemo recusare poterit euentum, quem vel casus intulerit, vel voluntas Dei si- E gnauerit. Fidem fecit oblatio, & vniuersorum assensus sorti acquieuit. Quisq; sorte est designatus, paratam sequenti necem præbuit. Itaq; accidit, vt interemptis reliquis, Iosephus cum altero superesset neci. Manebat necessariò, vt aut sorte condemnaretur, aut certè si exitio superesset, sanguine socij contaminandus foret. Suadet vt sorti * renunciaret. Sic domesticum euasit prælium, & per Nicanorem ad Vespasianū deducitur. Fit concursus ad eius aduenientes spectaculū, Romanis ferè omnibus confluentibus, alij videre deiectum desiderabant, quem paulò antè in amplissimo honore positum, summæ rei præesse intuebantur: alij certabant capto illudere, alij vices rerum humanarū tam varias atq; flexibiles mirabantur. Plerique consultiùs ingemiscebant, qui in alienis

Cap. XVIII. * affectionem.

† commentatus. Sortitio moriendi.

† qui sorte.

* accelerer.

† renunciaret videlicet vterque. Iosephus per Nicanorem ad Vespasianum deducitur.

casibus sibi posse eadem accidere reputabant. Titus præ cæteris mouebatur, ingenita animi mansuetudine: illum dudum bellatorem superbum subitò potestati addictum hostium, alieni * motus sortem operiri vitæ naufragum, exulem spei, incertum salutis. Tantum valere momenta in prælijs, vt breui casu dispares sui reddant, cùm aut potentes deiciuntur, aut afflicti leuantur. Itaque pars melior, eorum scilicet, qui honore potiebantur, miiora consilia dabant: maxima tamen portio salutis apud patrem Iosepho Titus fuit. Vespasianus enim asseruari præcepit, ne fortè elaberetur.

* nutus fors.

Titus pro Iosepho intercedit.

Cap. xix.

INDE paucis post diebus Ptolomaidem repetit, atque inde Cæsaream contendit, vrbem Iudææ maximam, sed magis gentilibus refertam inhabitantibus: vnde cum plausu & lætitia suscepêre exercitum Romanum, non solùm Romanæ societatis exoptata sibi gratia, sed insito quoque odio plebis Iudææ: cuius principem Iosephum oportere puniri maximis clamoribus vociferabantur. Quam Vespasianus, vt vulgi iram sine iudicio conceptam, silentio dissoluit. Et quia ad hyemandum, & tempos opportunum, & ciuitas erat, duos ordines in Cæsarea constituit, decimum quoque & quintum ordinem in vrbe Scythopoli, ne Cæsarea totius onere exercitus attereretur. Ideóque vrbs memorata Dianæ Scythicæ consecrata, tanquàm à Scytis condita, & appellata ciuitas Scytharum, vt Massilia Græcorum: situs loci declarat ingenitam duritiam conditoris, patientia magis camporum, quàm conducibilia habitationis vsui delegisse. Namque aperto & aspero hyemis, & feruenti tempore æstatis plus laboris habent, quàm delectationis: quoniam & hyeme plus frigori patent, & grauior in his locis æstatis flagrantia est, in quibus solem totum recipiunt sine vlla arui virentis amœnitate. Itaque campestris & maritima regio memoratæ vrbis, etiam æstu maris ampliùs vaporabatur.

Cæsarea Scytharum. Massilia Græcorum. Al. Namque aperta & aspera hyemis, & feruenti tempore æstatis.

Cap. xx.

NEC tamen à negotiis bellicis Vespasianus vacuus erat: Cognito etenim diuersis ex locis ad vrbem Ioppen sese contulisse plurimos; eámque sibi opportunam ad excursus piraticos, reparatis ædificiis, quæ à Cestio destructa fuerant, instaurauisse: quoniam vastata regione, subsidium alimoniæ mari quærebatur, diligenter explorauit omnia. At illi statuentes huiusmodi nauigia, quæ vsui prædonum accommoda forent, speculati commeantium transitus, vniuersa propè Phœnicis atque Ægypti commercia populabantur, adeò vt crebræ prædationis terroribus, omne illud mare clauderent, atque indubij periculi metu nauigandi vsus intercipererent. Quo comperto, pedestris militiæ manum, & equitum plerosque pergere iubet, & nocte Ioppen ingredi. Quod facilè factu fuit, cùm custodia nulla ciuitati * prætenderetur: quoniam euersa vrbis fama, nullas excitatura Romani curas Ducis æstimabatur. Præsentes tamen erant, sed non ausi resistere, atque ingressum negare Romanis aduenientibus, nauigiis ascensis, vltra iactum progressi sagittæ, in mari pernoctauerunt. Res postulare videtur, sinum litoris eius, quo prætexitur Ioppe, breuiter exponere, vt quemadmodum sine vllo prælio prædictæ vrbi secunda clades fuerit, liquidò manifestetur. * In portu est natura ciuitas, cuius ab ora maris litus asperum directúmque, sed cornibus vtrinque leuiter inflexum: in quibus profundæ rupes, saxáque ingentia, quæ mari prominent. Et cum de imo maris surgant, in mare excurrunt tamē: vnde etiam Andromedam illic fuisse cum ceto obiectaretur, formæ locorum atque ipsæ rerum species prodere videntur, non mediocrem vetustis fabulis fidem accommodantes. * Cædentibus itaque litus aduersis Boreę flatibus, immane, quantum vndæ attolluntur: quæ scopulis illisæ, fragorem ingentem excitant, atque in fluctus relapsæ, inquietum illum maris sinum reddunt, vt plus periculi in portu, quàm in deserto sit. In eo igitur fluctuantibus scaphis, quas ex Ioppe vrbe productas suprà diximus, ad matutinum flatus vehemens ingruit, quem Melam-

*prætenderet.

De Ioppes situ & excidio.

* importuosa est natura.

Ioseph. lib. 3 cap. 15.

Andromedæ locus.

Iosep. lib. 3.

borium per ea locorum nauigantes vocant, statimque inter se vndis impellentibus scaphas miscuit, atque inuoluit. Alias ruptis anchoralibus egit in petram: alias cùm in aduersum mare violenter subrigerentur, saxosi litoris periculum, vel à Romanis, qui se circumfuderāt litori, nautis fugientibus, clades occurrit, vndáque præcelsa more supereminens oppressos demersit. † Nec cōfugiendi vllus erat locus, nec manendi spes, cùm ventus de mari expelleret, Romani vrbe excluderent. Grauis erat nauigiorum sonus, cùm inter se colliderentur: intolerabilis hominum gemitus, cùm frangerentur. Qui vbi vacillantibus alueis videbant mare irrumpere, alij se præcipitabant natandi peritia: alij dum in appropinquantes exiliunt scaphas, in mare lapsi, concursu alueorum proterebantur. Plerique cum ipsis in profundo sidebant myoparonibus, quos enatandi fiducia * destituerat, minore tamen cruciatu, quibus ars deerat, vel spes vlla tentamentorum mors transfigebat. Cæterùm natare adorsos, conuulsa nauium fragmenta crebris quatiebant ictibus, lateribusque illisa miseros artus fœdè mulctabant, aut scopulis impulsos inter ipsa amplectēdi litoris vota, mors sequebatur: qualecunq; tamen habentes solanū in terris periisse. Miseranda itaque facies erat, cùm excusso infœlicium cerebro, cautes aspergerentur, sanguine maderent litora. Cerneres infectum cruoribus mare, repleta omnia cadaueribus. Et si qui fortè euaserant, appropinquantes litori interficiebantur: æstimantibus Rom. quòd non ex locorum asperitate, vsúque ventorum in illis locis desæuiret procella, sed diuina indignatione præter solitum conspirantibus ventis mare inuoluerent, ne Iudæi euaderent: & ideò metuentibus eis parcere, quibus Deus non pepercisset. Fuêre qui se ferro interficerent, tolerabilius rati ferro, quàm naufragio perire: † Alij qui contis protrudere volentes, nauigia perforauerint: nonnulli, qui lapsos in mare, si fortè orarent, vt à nauigantibus eleuarentur, remis repellerent, aut telo ferirent. Quod ideò non prætermisi, quò clareat ab ipsis sibi Iudæorum populis, quam ab hoste periculum maius fuisse, qui seipsos interimebant: quasi exigua essent ad eorum exitium, infesta simul omnia, cœlum, hostis, mare, rupes. Quatuor itaque millia quingentáque defunctorum numerata corpora, quæ † despuerat mare, sine bello capta vrbs, & excisa à fondamentis. Sic in breui tempore secundò Ioppen Romana manus diruit. Quod iure Vespasianus præcipiendum putauit, ne iterum illic piratica conderentur habitacula. Vnde & equitatū eò loci, illinc cum peditibus paucioribus licèt proficiscens, reliquit vt pedites in loco manerent, ne quid auderet prædonum manus assueta latrociniis: equites autem † percursarant finitima regionis, vicósque & oppida, quò penitùs omnia (ne conspirarent in aliquos ausus) diruerentur.

c. 15. Melamboreū.

† Nec fugiendi erat vllus locus.

* destituerat.

† aliqui contis.

† spuerat Ioppe à fundamentis excisa.

† percursarent.

Cap. xxi.

DVM hæc in Ioppe geruntur, quamuis procul Hierosolymitani degerent, nec sic quidem à consortio cladis † feriabantur. Auditis enim, quæ gesta à Romanis fuerant in Iudæa; & maximè, quia Iosephum interfectum compererant, primò, quia de locis ad eos index nullus aduenerat, non credebant: deinde Ducem tantum non temerè in manus hostium incidisse arbitrabantur. Et reuerà nullus nuncius tantæ † cladis superfuerat, † & hoc ipsum supremi excidij fama, quia nullos index superetat, astruebat periisse omnia, nihilque resedisse, vel ad indicium rerum gestarum. * Manebat opinio quouis maior relatu, quòd ipsa incertos dum * tenent silentia, credebantur omnia quæ timebantur: tantùmque aberat, quò veriùs aliquid nuntiaretur, vt etiam quæ gesta non fuerant, adiicerentur. Nam Iosephum quoque interfectum fama * asseuerabat, idque dolori maximo fuit vniuersis. Sed vbi eum apud Romanos degere compertum, tanto odio persequebantur, vt cuius primò mortem dolebant, eiusdem vitam vel ignauiæ vel proditionis indicem detestarentur. Hinc maior in Romanos commotio, vt se de Iosepho vlciscerentur. Et quo magis eorum

† feriabantur vt intelligas eos non perculsos, vt sub capitis huius finem etiam refert Egesip.

† cladi

† & hoc ipso.

* manebit.

* terrent.

* asseuerauerat.

res inclinabatur, eò ampliùs in bellum accendebantur. Vbi finis esse debuerat, inde exordium malorum capessebatur. Nam sapientibus, aduersi exitus rerum, ad cauendum magis documento sunt, ne rursus eadem accidant, quæ iam malè cesserunt. Imprudentibus autem incentiuum miseriarum. Debuerat ergo Hierosolymitanis causa sobrietatis esse sociorum periculum: sed quia noluerunt intelligere, vt benè agerent, in exitium vertit.

CAP. XXII.

VESPASIANVS tamen, vt & ipsa mora in melius consuleret sibi, & à labore exercitus paulisper requiesceret, roganti cessit Agrippæ, vt in vrbe regni eius Cæsarea Philippi viginti ferè interponeret dies, simul vt ægra partium eius à commotionis & discordiæ furore resipiscerent, qui se interuentu Regis suscipi posse, si conuerterentur, agnoscere deberent, cùm tam sedula officiorum fœdera inter Regem & Romanos interuenirent. Denique Tyberias proxima Cæsareæ remedium non abnuit sanitatem inuenit. Nam & ipsa graui morbo dissidentis inter se plebis exæstuabat. Vnde Vespasianus tres ordines validiores acciri, & Scythopolim petere, directo in negotium filio decernit. Ea erat decem vrbium maxima, vicina Tyberiadis. Inde appropinquare muris Valerianum cum quinquaginta equitibus iubet, qui pacifica suaderet, & ad fidem societatis clausos vocaret, vt congregati exercitus terror, auersos percelleret, nuntius pacis volentes inuitaret. Valerianus propè muros equo desilit: eadem fecêre etiam ij, qui simul propiùs accesserant. Quos pro numero spernendos arbitrati, Iesus prædatoriæ manus Princeps, cum suis, qui pariter incessere ausi, repentina eruptione deturbant loco, cædentésque simul quos deduxerant equos inuolauére: dementes qui non aduerterent, consultius Valerianum cessisse insolentiæ, quàm spolia de his, qui pacem offerebant, vsurpauisse. Denique seniores offensi facinoris acerbitate, vrbem relinquentes, ad Vespasianum precatum venêre, ne paucorum insolentia vniuersæ plebi asscriberetur. Vespasianus illicò ad vrbem Traianum direxit, vt exploraret, si populus insidiatorum temeritatem aduersaretur. At ille conuenientia populi studia, seniorum precibus annuntians, fidem legationi accumulauit. Ita petentibus venia data: maximè quia solicitum Regem pro totius vrbis statu Vespasianus intuebatur. Cuius fide interposita, nihil tale ausuros posteà, delicti gratiam volens cessit.

Valerianus cedit insolentiæ.

CAP. XXIII.

INDE Taricheas solicito atque instructo agmine petit, eò quòd plurimum ad ipsam vrbem propter munitionem loci confluxerat multitudinis: & quia muro eam vallauerat Iosephus, nisi qua pedestribus inuia Genezari lacus fluctibus alluebatur, ideo nauigiis congregatis, anceps bellum fremebat. Si terrenum inclinaret aduersum se prælium, ad naues confugerent; si nauali certamine cederent, vrbem reuiserent, murísque sese ambientibus defensarent. Consimilia vtrobique præsidia, vel in vrbe Tyberiade, vel Taricheis. Sed Taricheis † perniciora ingenia: † muris validior Tyberiadis. Sed & Taricheorum furor promptior, vt si necesse esset, miscerent omnia, naualia terrenis certamina, terrena classicis. Denique circumuallati aduersa acie, cùm maiora auderent viribus, nec aduersus dispositionis Romanæ moderamina, veterani quoque exercitus virtutem quicquam temeritas promoueret, priusquam aliquid exitij subirent, versi in fugam, ad naues conuolauêre. Quibus consertis, tanquam densata acie præliabatur, ac si in terris manu res gereretur. In campo etiam multitudo innumerabilis hostem præstolabatur. Eo cognito filium cum delectis equitibus Vespasianus dirigit. Qui vbi se ingentibus circumfusum copiis vidit, ad patrem quidem retulit maiorem esse hostium multitudinem, quàm opinio comprehenderat: sed conuocatis quos secum deduxerat, bellandi incentiuum huiusmodi † alloquio infudit.

† petitiora
† murus.
† alloquiū.

CAP. XXIV. Oratio Ti-

VIRI, inquit, Rom. meminisse enim vestri vos nominis & generis præliaturos decet, quorum manus nemo effugit, qui in orbe Romano est. Vnde enim hoc nomen vniuersis terris nisi vincendo dedistis? Meminisse etiam loci oportet, in quo nunc sitis, & aduersum quos Rom. bellum gerans. In extrema enim parte orbis terrarum consistimus. Tanta ergo terrarum spatia transeuntes, nihil alienum vidistis. Quid enim vobis alienum, quorum in possessione orbis terrarum est? Quicquid vbique est ius vestrum est: quicquid incolatus vniuersorum tenet, possessio vestra est. * Currebat is benè, qui statuit vestros orbe toto currentes triomphos, quos non Hasdrubal Pœnus, non Pyrrhus Aeacides, non Brennus Capitolinis vestibulis incumbens, non Persarum cateruæ, non Ægyptiæ phalanges statuere potuerunt: Hos statuit rebellis Iudæa ineruditam præferens bellandi temeritatem, rixæ quàm pugnæ aptior. Neque enim est, quod verear, sed plenum verecundiæ arbitror, quòd vos vincendo defatigamini. Illi autem quoties vincuntur, audaciam sumpsêre: & * lassati vos rebus secundis, cùm illi aduersis duriores sint. Attollite igitur animos Romani viri, & aduersus cateruas hostium, freti patria virtute, exurgite. Neque vos numerus moueat plebis Iudææ, cùm illos tot vestræ virtutis insignia non deterreant, quę longè numero validiora sunt. Neque enim vlla in Hebręis vel rei militaris scientia, vel præliandi peritia, vel moderandi gratia, nullus disciplinæ vsus nulla tolerandi patientia: Solùm in * prælium deferunt mortis contemptum, sed nemo vnquàm moriendo vicit hostem, sed perimendo. Illi nesciunt arma nisi in bello, nos in pace armis exercemur: vt in bello casus belli dubios non sentiamus. Insuetis enim euentus dubij: veteranis solennis triumphus. Quid enim aliud agimus quotidiè, nisi vt nobis vana nūquàm prælia sint? Vnusquisq; domi quasi in prælio exercetur, vt in prælio meditatio quædā certaminis sit. Denique non errauerit quisquam asserēs, quòd meditationes nostræ, bella sine sanguine sint, bella nostra meditationes sint. Progredimur in bellum muniti vndiq; tegitur galea caput, lorica pectus, totúque clypeo corpus. vbi feriat hostis Romanum militem, reperire nō potest, quem ferro septum circumspicit. Aliis talia arma oneri sunt, nobis in tegumento, quia vsu leuantur. Aduersum inermes igitur ac nudos prælium nobis est. An verò metuimus, ne numero circumueniamur? Primùm liber in prælus equitatus est, cedendo atque insequendo † bellum proludit. Et quamuis maximas acies circumcursat, & quibus libitum fuerit spatiis excedit. Deinde in ipso pedestri certamine, non tam numerus plurium conficit pugnam, quàm virtus paucorum. Multitudo disciplinæ insolens, ipsa sibi est impedimento: in prosperis ad victoriam, in aduersis ad fugam. Virtus verò patiens & secundis valescit, nec vsque ad finem labitur in aduersis. Accedit illud, quòd assuetudo victoriarum, incentiuum nobis sit præliandi. Nam etsi illi pro patria, pro liberis dimicant, non ideo promptiores eos esse quàm nos oportet. Neque enim minus est, imò haud scio, an etiam ampliùs † nobis, quàm pro nostris decernere. Pro nobis præliamur, & cùm præliamur pro gloria, ne minores simus eo quod sumus. Quis ergo dubitet, plus esse pro gloria decernere, quàm pro salute? Nobis autem bellum hoc pro existimationis est periculo, ne ius partum intercidat. Periclitamur etiam victores gentium & principes orbis terrarum: Iudæis pares videri, quos ex æquo nobis † in aduersarium constituimus, si non aliter nisi pari numero congrediamur. Maiores nostri magnas hostium copias parua manu frequenter fuderunt. Et quid nobis conferunt quotidiana exercitia? quid diuturnos labor, si pares ad prælium venimus? Nuntiauimus quidem de numero patri, quia non licebat aliud, sed aduertat nos, non de periculo metuisse, sed reuerentiam belli arbitrio reseruauisse. Licet prælibare bellum, tenere hostem, rapere victoriam, dum adiumenta veniunt: ne non tam superatos aduersarios communi robore, quàm protectos nos virtute sua iactent, qui venerint. Quo igitur ore in conspectum patris venie-

ti ad socios hortans eos ad prælia.
* currebatis benè quia statuit.
* lassari.
* prælia.
Militares exercitationes.
† prælium.
† pro nobis
Ducis virtus animat militem.
† in aduersarios.

mus, si bellum incipere timuerimus? Quo pudore degener filius subibo oculos tanti viri, qui nesciat militem suum nisi victorem videre? Quomodo eius me militem probabo & filium, cùm ille semper triumphator: ego etiam meo, quod grauius est, victus iudicio, qui hosti Iudæo cesserim? quid vobis fiet condemnato Duce, quem vobis pater securus commiserit? Sed malo de virtute ducis vos, quàm de ignauia causas dicere. Proruamus igitur in aduersarios, properemus, * proteramus hostem. Primus in periculum excurram, vos sequimini, vt depositum patris custodiatis, & commissum patris reserueris. Ego autem non periculi socios exigo, sed consortes victoriæ. Vos tamen cauete, ne oblatam vobis palmam triumphi, aliis reseruasse videamini, vobis eripuisse. Certè si secus cesserit, malo me filium pater in vulneribus meis recognoscat: si in militibus suis non recognouerit. Ponamus tamen offēdi patrem prælij aggressione. Quid igitur tolerabilius, præripuisse victoriam, an deseruisse? In præripiendo properatio fortitudinis est, in deserendo culpa ignauiæ. Condemnet certè victores pater, reatum huiusmodi non reformido: malo reus esse triumphante Republica, quàm læsa innoxius. Vtinam Manlij Torquati filium, vel in solo mihi liceat imitari periculo, quem securi pater iussit feriri, quòd contra imperium patris exercitum in hostem produxerat. Stabat hostibus cæsis adolescens, amictus adoreis triumphalibus, sub carnifice mortis securus, quoniam beatissimum putabat in victoria mori. Quid enim illustrius, quàm vitam triumpho claudere, nec ad incerta rerum seruari post certam victoriam? O expetendum prudentibus crimen victoriæ. Vtinam & nobis hoc obiiciatur, quòd vicerimus. Certè illo exemplo solus ego periclitabor, vos triumphabitis. Et tamen non prohibuit nos pater pugnare, sed iussit, quos ad pugnam direxit. Vnde magis indignaturum arbitror: cessisse nos Iudæis, cùm possemus vincere, quàm pugnauisse.

* præueniamus.

Manlius Torquati filius.

CAP. XXV.

HAEC dicens, primus equum in hostem egit, & clamore magno sequuti cæteri: toto campo extendebantur, quo etiam plures æstimabantur. Traianus quoque cum trecentis equitibus missus à Vespasiano, iam progrediente Tito superuenit. Nec diutiùs resistere potuerunt Iudæi, cùm virorum cursu, & fremitu equorum perturbarentur. Conuersi itaque in diuersa alij, plerique vrbem petebant. Emicat Titus, & alios à tergo fugientes opprimit, alios cædit, palantes vniuersos præuerso itinere à muris repellit, & obuius recurrentibus fugam intercludit. Rursus tamen dum alij sternuntur, elapsi alij quibus vrbs refugio erat: sed * illis quoque acrius prælium. Nam qui de locis finitimis affluxerant, à principio pacem præferebant, sed populus superueniens inuictis bellandi studia extorserat. Inde intra vrbem dissensio, & tumultus grauis, quo strepitu excitus, se conuertit ad milites Titus: Hoc, inquit, est tempus sanctissimi commilitones, quod * expetebam. Inter se hostes intra vrbem tumultum ferunt, foris cæduntur, intùs digladiantur. Festinemus itaque, dum adhuc dissident, ne forte periculi metu in gratiam redeant. Itaque ascendit equum, quo desilierat, muris proximus, & conuersus ad lacum, per fluctus aquarum vrbem petebat, primúsque in vrbem irruit, * & posteà cæteri. Statímque omnes, qui interiùs erant, dispersi in fugam, alij prosternebantur, alij ascendentes nauigia, in lacum demergebantur, cæsi intùs multi mortales. Sanè qui de agris erant, offerebant sese Romanis alienos culpæ asserentes, quibus pro moderamine Titus parcendum putabat, solos vrgens rebellionis autores. Misit itaque ad patrem equitem, qui nuntiaret euentum victoriæ. Quo delectatus Vespasianus, & maximè filij triumpho, qui maximam portionem totius belli confecerat, quod aduersus Iudæam gerebatur, eò contendit, & iussit obseruari vrbem diligentiùs, ne quis elaberetur, eò quòd vniuersi pœnæ deberentur. Alio tamen die propter eos, qui in schaphas sese contulerāt rates fieri iussit: quæ sine mora factæ, quoniam & syluæ finitimæ, & operarij plerique accelerandi muneris facultatem dedere.

Titus irrumpit.

* illic.

* expectabam.

* & post eū cæteri.

CAP. XXVI.

NAMQVE lacus ipsius, velut quodam maris ambitu sinus amplissimus, in longitudinem cētum quadraginta extenditur stadia latitudine quadraginta diffunditur, crispantibus aquis auram de seipso sibi excitans. Vnde & Genesar dicitur Græco vocabulo, quasi generans sibi auram aqua dulcis, & ad potandum habilis. Siquidem nec palustris vliginis crassum aliquid aut turbidum recipit, quia arenoso vndique littore circumuenitur, & temperatior est fluuiali aut fontis rigore. Frigidior tamen placidæ paludis æquore, eo ipso quòd non in stagni morem sternitur aqua, sed per diffusiora spatia lacus frequentiùs auris spirantibus agitatur: vnde & purior haustus eius, ac mollior est ad vsum bibendi, & si quis naturali gratiæ studium adiungere velit, vt æstiuis suspēsam, ad auras noctibus more incolarum potui paret, haudquaquā à niuis ritu distare arbitretur. Genera quoque piscium gustu & specie, quàm in alio lacu præstāniora. Res exigere videtur, vt Iordanis ortum, quē alibi promisimus, aperiamus: nam superioris æui dubio, vtrùm de lacu Genesar flumen, cui nomen Iordanis, exoriretur. Philippus Tetrarches Trachonitidis regionis falsam opinionem redarguit, errorémque absoluit, mittens paleas in Phialam, quas in Pannio fluuius ebulliuit. Vnde liquet nō exordium esse Iordanis in Panio, sed fluētum. Non enim ibi fons eius est, vt ab eo, vsu cæterorum fluminum cœperit, sed de Phiala in Tracho eodem subterraneis deriuatus meatibus: ibi iterum quasi fons scaturit, atque emergens proditur. Est autem Phiala in Trachonitide terra, centum viginti interiacentibus stadiis, vsque ad vrbem Cæsaream. Phialæ autem nomen * spes dedit, quasi rotæ qualitatem exprimens, quod ita iugiter plena est aquarum, vt neque superfluant, nec rursus aliqua deriuari minutione intelligantur. Inferiùs itaque mensura quadam labitur aqua, & vbi Pannium est rursus ebullit, vt paleis resurgentibus manifestatum est. Ita ibi Iordanis resurrexisse proditus est, vbi nasci à superioris temporis viris existimabatur. Nec tamen à principio eadem Pannij, nisi sola naturalis gratia, sed * regalis Agrippæ munificentiæ ornatus loco huberior, splendidiórque aditus, quo spelæum decore admirabili, per quod sese attollit Iordanis, extructum venustatúmque accepimus. Vnde non latēti iam, neque abdito per cauos terræ meatus, sed visibili per terras, atque aperto flumine incipiens, superfundere se Semechonitidem lacum paludéque eius intersecat. Inde quoque cursus suos dirigens, centum viginti stadia sine vlla interfusione progreditur vsque ad vrbem, cui Iulias nomen: posteà lacum istum, qui Genesar dicitur, medio transit fluento, quibus ex locis plurima circumuagatus deserta, Asphaltite suscipitur lacu, atque in eum cōditur. Itaque duos lacus victor egressus, in tertio hæret. Prætendit autem regio Genesar, eiusdem nominis lacum, de quo & ipsa vocabulum assumpsit, mirabili naturæ gratia, & specie pulchritudinis. Nam & spōtaneos fructus soli hubertas ministrat, & nemorum ferax in vniuersa genera spontè se subrigat: arborum pomiferarū & culturæ solertia imitata naturam, in quos voluit vsus, opimæ fœcunditatis deflexit gratiam, vt nihil sit illic, quod natura negauerit, nihil quod cultura præterierit: ita aptus omnibus, nec vllis vnquam alienus fructibus. Cuius tanta temperies, vt omnium nascētium conueniat diuersitati. Illic & quæ frigore aluntur, sese multipliciter effundūt, & quæ æstu fouētur. Illic æstiua hybernis mixta simul aspicias, arctoas nuces, & dactylos nisi locis feruentioribus generari nescios. Quid ficus aut auleas loquar, quas cœli mollior alit tractus? Nec tamen æquantur illis superioribus: Illi enim principales Palæstinæ, & quidem domestici fructus, eóque huberiores bysuppares, & licèt longo interuallo, sed tamē † proximis, dicas naturæ & temporum iucundam contentionem. Illa quasi mater fœcunda omnia creat, horum tēperies quasi bona nutrix, molli fœtu vniuersa educat.

Genesareth lacus vnde.

Lib. 3. c. 35.

Iordanis ortus hic aperitur.

Phiala flumen.

* species.

* regalis Agrippæ munificentia.

Descriptio Genesar natura.

† proximi videtur legendum.

A Itaque non solùm affatim generantur pomorum diuersitates, sed etiam conseruantur, vt aliqua genera maxima parte anni non deficiant: reliqua omnia tota anni ætate vsque ad finem super sint. Nam & vuæ & ficus, quæ sunt in infinitis, regalis, cuiusdam gratiæ, decem mensibus sine vllo defectu redundant, & reliqui fructus ramorum, quos vel violentia rora sponte propria procreauerint, vel ingenerauerint industria humana, ministerium suum, nisi nouis succedentibus, vsu quodam administrantium deserere non norunt. Ad hanc naturæ fertilitatem & aëris temperiem, accedit & fontis gratia, qui memoratam regionem genitali quadam irrigat infusione, Capernaum nomen ei, quam Nili fluminis venam, haud superfluò quidam æstimauerunt. Non solùm quia irriguis arua opima, verumetiam quia huiusmodi creat piscem, vt † coracinum putea, qui in Alexandrino lacu ex Nili infusione reperitur. Locus quoque de nomine lacus dictus. Prætenditur in longitudine triginta stadiis, in latitudine viginti. Quoniam de natura loci diximus, ad consummationem prælij regrediamur. Præparatis itaque ratibus, secundùm præceptum suum, manum militarem imposuit Vespasianus, qui insectaretur eos, qui nauigiorum effugio pestem euaserant. Quid igitur facerent non reperiebant. Nullus in terris salutis locus, circumfusa hoste omnia, nulla in aquis fugiendi potestas: vtpotè lacu clauso, & vndique Romanis circundato. Nulla etiam in exiguis myoparonibus resistendi fiducia. Quid enim pauci aduersus plurimos facerent, ratibus appropinquantibus? Tardior quidem harum appulsus, & efficacior excursus nauigiorum, sed sine vllo sui vulnere soli clypeorum, repercussis, spiculis, crepitus audiebantur. Appropinquare non audebant Iudæi, nec impunè quisquā scapha propiùs accesserat, cùm de proximo facilè vel telorum figeretur ictibus, vel ratibus demergeretur. Et si quis enatare, vel emergere tentasset, sagittæ iaculo insertus miserabilem in fluctibus vitam deponebat. Nec diutiùs resistere potuerunt, cùm diuer-

† coracinū.

A digressione ad prælium porrò describendam redit.

so genere minuerentur. Namque paulatim concurrentibus plurimis ratibus, ad littora cogebant Romani maximum numerum nauigiorum. Illi verò coarctati aut in terram † resiliebant, ibique à Romanis interficiebantur, aut cædebantur ab iis, qui de ratibus vrgebant, aut concursu ratium proterebantur, aut ipsi se in lacum deiiciebant, cùm in scaphas eorum hostis insiliret. Cerneres mixtas sanguine aquas, plenum cadaueribus lacum. Nulli enim parcebatur quicunque occurrerat. Grauis odor, teterrimus fœtor locorum. Sex millia Iudæorum (cum superioribus tamen) & septingenti eo interempti prælio. Victor Vespasianus Taricheas reuertitur: illic regionis populum ab vrbano discernere parabat, vt qui non fuerant autores seditionis, reseruarentur. Sed plurimorum consilio, qui tantam superesse multitudinem, quæ posset recidiua prælia resuscitare, paci aduersam, & inutilem locis arbitrarentur (vbi enim consisterent patria † excussi? quibus se alimonijs sustentarent exortes omnium, nisi rapto viuerent?) sententiam flexit, B & spe parata venia mortis præcepit, vt egrederentur ea porta, quæ esset è regione Tiberiadis, atque ad eam vrbem contenderent. Facilè crediderunt, quod exoptabant. Cœperunt egredi, sed præoccupato itinere, commeantia Iudæorum omnia clausere agmina, atque in vrbis stadium introduxêre. Ingressus itaque Vespasianus, spectata ætate vel robore omnium, quos sibi statui præceperat, elegit sex millia iuuenum validiorum, quos Neroni in Isthmon direxit. Senes autem & inualidos mille ducentos iussit necari, reliquorum triginta millia, quadringentos vendidit. C Vniuersos autem, quicunque de partibus regni Agrippę reperti sunt, Regi donauit, quos æquè Rex accepto pretio, in seruitutis obsequia transmisit. Præterea populus alius Trachonitidis regionis, & Gaulanitidis, Ioppeni, & Gadaritæ, tanquam belli excitatores & perturbatores concordiæ, deserentes propria incursantes aliena, qui sumptis armis pacè violassent, iustas & debitas pro flagitiorum meritis pœnas dedêre.

† desiliebāt.

Ioseph. l. 3. ca. 19 quingenti.

† exclusi.

EGESIPPI DE EXCIDIO HIEROSOLYMITANÆ VRBIS, HISTORIAE LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

EXTINCTIS Taricheis maxima ex parte, Romani Galilæis vrbibus & finibus potiebantur, nisi quòd Gaulanitidis regionis vrbs Gamala contumacis populi alebat spiritus, locis nixa asperioribus: Namque ea in monte est sita, dextra læuáque præruptis circumcisa rupibus, ad summum arctatur, à fronte absciditur profundo hiatu, in posteriora aliquantum diffunditur. Ab ea quoque parte angustóque difficilique accessu, vt caudæ simile iter iudices, ad vrbem meantibus: à summo vertice collum in immensum extendens, vt arcem tanquam caput præferat, atque in sublimem erigat altitudinem: exilis à principio, & tanquàm sinuato cliuosis anfractibus solo, atque in profundum demerso, Dein quasi montem quendam ceruicis medio attollens, cætera prærupta atque inuia. Vnde plerique à superioribus Camalam vocitatam putant, quòd formam cameli præferat, sed corrupto incolarum vsu Gamalæ nomen vrbi inhæsisse. Iam si contexta ædificia spectes, suspensam vrbem arbitrere, & maximè septentrionalem eius partem pendere existimes, reflexa paulisper meridiana. Addiderat quoque huic vrbi munitiones Iosephus, quibus freti, & continentis eò multitudinis numero, Regis Agrippæ per septem menses obsidionem inferant. Nā & ipsa & Soranis & Seleucia regni eius portiones erant. Seleucia iuxta amœnissimum illud & celebre per Syriam Daphnes nemus, cyparissis arbo-

Descriptio ciuitatis Gamalæ.

D tibus intextum, scatens fontibus, quibus prætermeanti flumio loci, quem minorem Iordanem vocāt nutrimenta quædam lacteis uberibus infundit. Ea tamen ciuitas, & Soranis superior, Gaulanitidis portio inferior Gamalis. Vnde & studiis dissonantibus illæ societatem Romanam elegerant. Hæc rebellabat adeò pertinaciter, vt cùm Rex propior muris eos alloqui vellet, fundæ iaculo sauciaretur. Cuius iniuria Romani accensi, vehementiùs incumbere obsidioni cœperunt: conflictúmque promptissimè à parte vtraque, quoniam à Iudæis quoque, qui regem proprium violauissent, vtilia suadentem, sine vlla venia se futuros, existimantibus, si vincerent, totis viribus decernebatur. Agrippa itaque saxo dextrum percussus cubitum, bello excessit. Romani vrbem irrupere. Cessit enim hostis missilibus, murus arietibus. Nam & E illi, qui machinas impediebant, nequaquam diutiùs resistere potuerunt: Et muros trino ariete conuulsus, peruium obsidentibus in obsessos iter præbuit. Sed ea res festinationis impatientia non mediocrem victoribus cladem inuexit. Namque vbi sese infudere domiciliis, dum perscrutantur, vel præceptum ire spolia contendunt, cedentia domorum angusta ponderi nutantibus fundamentis ruinam traxere: & proxima quæque proximia illisa excidio erant. Multi Romanorum illis inuoluti casibus, in victoria pestem incidere. Plerique præiacentes se lapsis ædibus occupabantur, alij lacero corpore, vix semineces seruabantur. Plerosque puluis necabat, cædebantur angustiis arctati, desuper quoque mulieres

Agrippam intelligit.

& inualidi senes, & qui de iunioribus resugerant, saxa in A subditos deiiciebant, vel quæcunque genera telorum occurrerant. Caligo insederat omnia prospectum eripuerat, mentem confuderat, ignorantia quoque exitum non reperiebat. Vix itaque subtrahentes se periculis vrbis excessere. Vespasianus interea, dum vrget hostem, in interiora vrbis concesserat, mediúsque inter agmina circunfusa hostium, bellum accendebat. Neque enim hosti terga dare tantum conueniebat virum, neque tutum putabat. In Syriam direxerat filium suum Titum, excitauit notæ virtutis cõstantiam, & sese in arma colligens, confertis clypeis, cum paucis, quos præsentes habebat, impertertitus stetit, quasi in quos sese excuteret considerans: cuius impetum formidantes Iudæi, minore vi insistere cœperunt, & metuentes sibi quisque, laxare aciem. Ita Vespasianus hosti aduersus, paulatim gradum retu- B lit, præliantibus sibi magis similis quàm cedentibus. Illic cum decem primis excidit Brutius, multis antè bellis probatus, & † apud Iudæos notæ vir experientiæ, & validæ fortitudinis. Centurio quoque cum decem aliis Syris rem egregiam fecit ac memorabilem. Nam in ipso tumultu, cùm Romanos vrgeri cerneret, in abdita cuiusdam domus sese contulit, atque ibi inter cœnandũ, cũ Iudæi colloquerentur, quæ Romanis machinati forent, nocte intempesta omnes eos interfecit, & cum militibus Romano sese exercitui repræsentauit.

Brutiat cecidit hunc Ebucium vocat Iose. l. 4. c. 1 cod. vet. aduersus.

† Iudæos.

Cẽturionis facinus.

Cap. II. cõsolatoria Vespasiani oratio.

VESPASIANVS autem vbi mœstum exercitum animaduertit, plurimorum amissione, & maximè deserti Ducis pudore, quòd eum solum intra vrbem hostium reliquissent, cum summa eos gratia consolabatur, dicẽs: C Si mei sors periculi verecundiæ vobis est, nec ego sic ad bellum processeram, vt declinarem pericula, sed superarem †: sin verò, quia & de nostris plerique interfecti, nequaquam mirandum: quando enim victoria vlla sine sanguine est? Habent prælia suos euentus. Etsi spectata virtus præeminere soleat in bello, solet tamen aliquid licere casibus. Sed prudentis est in aduersis lapsum corrigere, in prosperis moderationem tenere. Contra autem rudis cuiusdam atque inerudit ingenij, secundos semper successus præsumere, quasi non aduersum viros certamen sit: Infirmi autem, lapsu aliquo summæ rei diffidere, cùm exiguis momentis subitò inclinentur omnia, quæ in bello geruntur. Itaque ille præstantissimus, † quæ inter aduersa fortius colluctatur casibus, & supplantat superiorem: séque reparare, & corrigere pro- D prias quærit prolapsiones. At verò incuriosior suis sæpè moribus cadit, & dum irruit incautus, impetu suo fusus procumbit. Quòd si hoc sæpè accidit, vbi nuda virtus, quantò magis in bello, vbi diuersi generis conserta decernunt agmina, nec vnum consilium, nec consors sententia est? Locus aduersus, difficiles asperitates, iniqua in angusto decernendi conditio plurimis aduersum paucos: cùm & ipsa multitudo sibi operi sit, & pauci in pluribus minùs frustrentur. Sed hæc ad momentum sæpè obrepunt, quæ non ex virtute veniunt, sed casu accidunt. Vnde nihil est, angere quod vos debeat commilitones: quia non per infirmitatem aliquam manus vestræ, neque per fortitudinem Iudæorum versæ res, sed difficultas locorum nobis ad victoriam impedimento E fuit, illis ad differendum moræ. Neque quicquam est, quod argui possit, nisi inconsultus impetus atque † increditus. Etenim dum ad superiora vrbis illos secuti fuistis, atque irrupistis in domos eorum, ipsi vos periculis implicauistis. Quorum successistis hospitia, suscepistis pericula. Tenebatis vrbem, quis vos coëgit introrsus pergere? Descendere ad vos hostis debuit, non vos intemperantes ad victoriam, immemores vitæ ac salutis contendere. Reparate ergo animos, & de virtutibus vestris non solùm ad consolationem, sed etiam, quod est amplius, vindictam præsumite: me certè habebitis præuium pugnæ. Estote parati armis, animis, pericula vos fortiores fecerint, non timidiores; facilè est iniuriam soluere, si virtus se recognoscat.

† vsurparẽ.

Victoria nulla sine sanguine.

† qui.

† Vet. co. incondit-us Iof. l. 4. c. 1.

HIS dictis accendit militum fortitudinem, quibus A reparantibus vallum, plerique per prærupta subtraxere se obsidioni. Nam iam & alimoniæ inopia incessebat, & infracta muri cessura machinis arbitrabantur. Vnus deinde fons intra vrbem, & ipse muris proximus erat, quæ res eos in summo timore posuit, vt frequentissimi dilaberentur. Qui verò permanendum putarunt, pertinaciter præliabantur. Intereà Romani turrem altissimam suffodientes, vi maxima subruerunt. Quo casu concussa ciuitas, perturbati omnes totius vrbis pauentes ruinas. Vnde & Chares æger corpore, tanti terrore sonitus exanimatus, mortem impleuit. Romani tamen patefacta vrbe, ingressu abstinuere, donec Titus ingressus est, qui dolore paterni periculi excitus, cum paucis in vrbem irruit, & maximam Iudæis cladem intexit. Tantùm qui in B superioribus erant, saxa voluentes accessu prohibebant Romanos: Spicula torquebant, sagittas iaculabantur. A Iudæis impulsa facilè in pronum saxa deuoluebantur, missilia perueniebant, descendebant sagittæ non sine eorum periculo; quos offenderant. Romanis aduersum editiora montis iactus inefficax, conatus irritus, atque ipsis periculosus, cùm subitò orta venti procella, Iudæorum retorquebat sagittas, repellebat spicula. Quæ verò Romanus exercitus iaculabatur in hostem † referebat: ita elementorum ipsorum repagulis, & ventorum turbinibus oppressi, supremo excidio captæ vrbis vniuersi, quicunque illic reperti sunt, interiere. Quatuor tantùm millia à Romanis interfecta, quinque millia præcipitio periisse accepimus, nulli ætati venia data.

Cap. III.

† intacta.

† ferebãtur.

GISCALA adhuc sola de partibus Galilææ in se ho- C stem non conuerterat, quoniam incolarum eius quietiora ingenia, vtpotè plebs agrestis, contenta suis fructibus, nihil belli conferebant, sed multorum coalitu, qui latrocinio vitam exercerent, suam etiam mitiorum studia prauis moribus corrumpebantur. Erat prætereà vir leuis Ioannes nomine indigena, populi lues, dolis nulli versutorum secundus, improbitate parem nesciẽs, cui nunquam defuerat nocendi affectus, aliquandiu tamen fuerat inopia exercendæ iniquitatis impedimentum. Quid tamen definiam, haud liquidò scio, vtrùm eum indigentia texerit, an represserit: doli callidus, fallendi artifex, doctus mendaciis, fidem quærere, & crudelitatem compositis asciscere, qui fallaciam virtutem putaret, & elegãtiæ duceret, & charissimos circumueniret: D promptus ad conspirandum, vehemens ad audendum, acer ad efficiendum, conturbator in otio, desertor in periculo, assuetus latrociniis, † bello insolens, † qui cùm persequi nequiret, ferret tamen parandæ causas dominationis. Huic igitur animus inquietus, prompta audacia, quam processus alebant, opésque ad consociandam perditorum manum. Vnde cum eius factione, memoratæ vrbis populum excitari ad bellum Vespasianus competisset, ne totum exercitum defatigaret, filium Titum cum mille equitibus direxit, quibus comitatus ad vrbem appropinquauit. Sed vbi muros populo vidit refertos, mirari se ait, quòd eorum exemplum sequerentur ad rebellandum, quorum excidio resipiscere debuissent. Esto tamen, vt primò tentamenta habuerint aliquid præ- E sumptionis, quid vniuersorum extra spei ferrent? Veniabilis certè fuerit in principio spes libertatis: inexorabilis tamen est in vltimis & desperatis rebus perseuerantia. Nam qui non exemplo humanitatis, non sedulo verborum monitu flectuntur; aduersum eos non verba, sed arma necessaria sunt. Muris fiditis quasi aduersum Romanorum virtutem vllos protexerint. Quid aliud possunt clausi præferre, † circumsepti prætendere, nisi quòd in captiuitate audaces sint? Nemini erat loquendi potestas, occupauerat enim omnem murorum ambitum prędatoria manus: Cauebat Ioannes, ne quis colloquio familiari Romanos inuitaret: Itaque ipse præripuit sermonis relationem, dicens: libenter se tractatum suscipere de rebus communibus, nec experiendi vsum declinare, si fortè ipsi vtilia suadeat, aut his, quæ referuntur

Ioannes indigena, populi lues.

† bellorũ.

† quæ.

Vespasian' Titum dirigit.

Perseuerãtia in malo.

† circũsessi.

A acquiescendum sit: sed prohiberi se lege patria, cùm superesset hebdomadæ sacræ dies, tractare de pacis conditionibus. Si quidem vt mouere arma interdictum, ita etiam illicitum consulere de pace feriatis diebus. Etenim de negotio verbis saltem decernere, & illis sacrilegium, qui cogerentur, nec illis inultum, qui cogerent: Veniam se vnius diei poscere, dilationem tam exiguam nequaquam impedimento futuram: Neque enim circumfuso hoste, effugium clausis liberum, offerri sibi arbitrium pacis, tam æquali optione formidinem obesse: vrgeri se interim non oportere ad pacis consulta, quibus religioni esset contra legem patriam non præuaricari: conuenire autem tam liberali pacis oblationi, vt qui præter spem spontè offerat pacem, ne quis periclitetur, euasuris etiam leges suas reseruet. Hæc sine dolo Titus allegata arbitratus, recepiui cecinit, & reuocauit à muris, quos secum deduxerat. B Ita Ioannes fugiendi adeptus copiam, nocte intempesta cum plerisque abscessit. Sequebantur etiam mulieres proficiscentem. Sed quò vlteriùs progrediebantur viri, eò plures mulieres vel paruuli relinquebantur, desertæque à suis spectabant pauidæ viam fœminæ. Et cùm iam viros proprios è conspectu amitterent, hostem adesse arbitrabantur, ad omnem trementes sonum. Si quis concurreret, miserè conuertebantur, sese peti, sibi catenas inici trepidantes, quasi iam præsentes essent, qui timebantur. Titus itaque iuxta cornicutum iam sole infuso, ad vrbem cum exercitu contendit: aperiuntur portæ: egreditur populus cum exultatione, & Romanos cum lætitia suscipit & alacritate: abesse gaudens pestilentem virum, fugisse per noctem, sibi liberam facultatem datam: C Orare se veniam, ne fraudi sibi esset eius fuga, quem tenere sine suo exitio non possent. Ille dilatione vindictæ consolatus, consummati negotij celeritate, ad comprehēdendum Ioannem è vestigio plurimos misit, si fortè eum consequerentur. Ipse vrbem ingressus, minis magis quā supplicio effecisse contētus pacis perturbatores, remisit omnibus, ne quis vel odio, vel domesticis excitatus negotiis, innoxios in inuidiam deduceret, & grauissimi criminis pulsaret atrocitate: cùm multo tolerabiliùs sit id, quod incertum est, formidini participis conscientiæ derelinquere, quàm condemnare innoxium. Sæpè enim reum corrigit metus: pœna autem innocentis sine vllo remedio correctionis est. Ioannes itaque non est repertus ab his, quos direxerat Titus, sed reperti, qui sequebantur eum, paruuli vel mulieres ad D duo millia ferè interfecti: tria millia autem infirmæ ætatis & sexus, vbi satietas necandi facta, captiuitati adiudicati sunt. Custodiam militarem ciuitati impartiuit. Itaque Galilæa omnis in potestatem Romanam deducta. Nam & Thabirius mons, cuius altitudo triginta stadiorum, vertex autem ipse campestris viginti & tribus stadiis iacet, penuria atque ab aliis desertus, ab aliis orata venia Romanis traditus: licèt virtute quoq; & industria Placidi, cui id negotij à Vespasiano commissum fuerat omnis conuenarum turba, dum cedentem sequitur, & arte reuocantem gradum perurgeret, campi medio circumfusa, refugium amiserit, pestem inuenerit.

Ioannes nocte intempesta abscessit.

Galilæa Romanis subijcitur. Iose. l. 4. bel. c. 2.

CAP. VI. Adoritur ea, quę Hierosolymis gesta sunt.

HACTENVS circumuagari licuerit, dum templi sancti à Maioribus cōditi, & sacræ legis contagia refugientes, E circa alias vrbes stilum occupamus: sed tempus est iam, vt quæ Hierosolymis gesta sunt, adoriamur, non ingenio freti, sed ne patriæ legi veterique cultui, nostri doloris videamur negasse ministerium: fuerit in illis licet vmbra, non veritas, sed tamen vmbra designat veritatis vestigia. Habet enim picturæ lineamenta vmbra, fulgorem non habet, nec ad summam perfecta est manum, sed diligenter intuentibus futura exprimit: & ideò minùs delectat figura, plùs illicit gratia. Vnde placuit rerum arbitro abolere vetera, noua condere: vt veritatem sequerentur, qui per angustias infidelitatis imagines non sequebantur.

Vmbra designat veritatis vestigia.

CAP. VII. Ioannes in-

FVGIENS, vt suprà diximus, de Galilææ partibus Ioannes ad Hierosolymitanam vrbem se contulit, & A quasi quædam pestis infecit animos plurium, qui ex diuersis regionibus Principes flagitiorum eò quasi in sentinam confluxerunt. Hoc enim illi vrbi maioris causa excidij fuit, quia quod sceleribus suis deferebant perditi, vt eò conuenirēt plerique, vbi vel tutiores se fore crederent, vel insolentiores ad flagitia coaceruanda, fidei deserte æstimabantur. Recipiebantur itaque passim, quasi pio templi amore defensum venirent. Hæc prima labes malorum: Hinc oppressa est paucorum mansuetudo per plurimorum insolentiam: hinc itum in cædes, cùm minùs parceret alienus: hinc conspiratum, vt legis solennia negligerentur, sacerdotij à bonis ad improbos deriuarentur, quòd hominibus non solum à pio cultu, sed ab ipsa legis cognitione peregrinis, quod sanctum esset, ignorabatur. Vincti sunt primò Regali genere viri, qui resistebant, quò cæteri metu cederent: deinde necati, & B vt flagitium velarent quos sine iudicio peremerant, missis in carcerem sicariis, eósque afflicto crimine proditionis interemptos, ementiebantur. Pertracti itaque vniuersi metu, quòd homines potentes atque innoxij Antipas, Lebias, & Phoras tam facilè oppressi forent, quòd nec iam audebant resistere. Hinc eò processum, vt ignobiles atque indignos substituerent Sacerdotum Principes: vt quibus nulla emerendi honoris gratia suffragabatur, ij contra meritum suum adepti sacerdotia, ad omne nefas conferentium arbitria subijcerentur, sed cùm obuiarent sacerdotales viri, & maximè Ananus cæteris senior, ne per gratiam donaretur summi nominis prærogatiua, sortito creari Principem Sacerdotem expetunt, in quo nihil gratiæ, sed diuino iudicio committi sortis euentus æstimaretur: C & reuera prætendebant veterem consuetudinem, qua substituendos in sacerdotij principatum mos erat ad sortem vocari: euidenter autem solutionem legis operabantur. Cùm enim lex sacerdotalis successionis viros ad sortem legeret, illi ad speciem de sacerdotalibus tribubus vnum † (Enachum nomine) præsentem statuunt, & ad sortem agi præcipiunt. Tunc Phanis quidam sorte exijt, filius Samuelis incanus vir, cui non modò per Principes Sacerdotum ducta successio nulla suppeditaret, sed ne vlla quidem scientia muneris sacerdotalis, eò quòd ruri vacaret: & ideò, quòd esset Princeps Sacerdotum, incognitum habebat. Denique attracto ex agris, & reluctanti quasi in scena † alia persona imponitur, induitur D quoque sacrarum veteri more amictum vestium. Docetur in tempore, quid eum facere oporteret. Ita sortia euentu exposita est nequitia seditiosorum, vt ad imperitum agrestem tanti sacerdotij functio deduceretur. Sed illis ludibrio erat circumscriptio veteris solennitatis, Sacerdotibus dolori: qui irrideri legem à perditis flentes ingemescebant. Ipsi tamen freti pietatis autoritate, & bonorum indignatione congregant sese, & super perturbatores irruunt. At illi cùm & causæ & numero diffiderent, ad templum quasi in arcem confugientes, velut castrum quoddam sibi constituerunt, ad repellendam irruentis populi multitudinem: ac primò ante fores templi, atque in ipso vestibulo siti, aduersum populum præliabantur: si quis vulneratus fuerat, interiora templi petebat, illic sanguinem suum fundens interno limini, & E cruenta pauimentis sauciosiora detergens hulcera, fibręque patentis vulneris, vestibus his, quas non licere illis contingere, fouebantur. Bellum erat intra vrbem, bellum inter ciues, bellum ante templum: ne hoc quidem reuererit latrones, cùm à populo instantiùs perurgerentur, intra ipsum templum sese receperunt, & clausere illicò fores: Quo obiectus reuocatus est Ananus, ne videretur bellum templo inferre, & sacratas religione maiorum perrumpere fores templi, reflexit impetum plebis, & sex millia virorum in porticibus constituit, qui muniti armis prætenderent, solicitum adhibentes custodi. Paulatim tamen molliuit animum, vt paci consuleretur, eo studio maximè, ne templum sanguis ciuium contaminaret: suaderet quoque mittendam legationem,

ficit plurimos.

Apud Ioseph. l. 4. c. 2. hi nominātur, Antipas, Leuia, & Sophas, filius Raguelis, regalis familiæ omnes

Sacerdotū creandi cōsuetudo.

† Eniachi.

Phanes agrestis in Sacerdotē cōstituitur.

† aliena.

Reuocatur Ananus.

pacis sequestram, vt bellum intestinum deponeretur. (A) Asciscitur Ioannes ad exequendam legationem, suspectæ fidei vir, & affectandæ potentiæ succensus cupiditate, sacramentum petitor, non abnuit ne damnum periurij pateretur, si negasset. Simulabat se plebi fauere, vt circumscriberet. Quid plura? Pergit, de pace pauca præmittit, plura subtexit ad belli incentiuum: dicens nomine pacis † bellum inuolutum, latere insidias, Ananum Romanis vrbem tradere, quò solennitas veterum dissolueretur, legis abrogarentur præcepta componens è diuerso omnia: atque inuidiam in Principem Sacerdotum referens eorum, quæ ipse meditaretur. Callidè etiam, quos sciebat illorum, qui conclusi erant, esse præsules & factionis principes incitabat, parere mortis formidine asserens, quòd ipsis specialiter Ananos exitium composuisset: venisse se, vt fraudem manifestaret. Maturè subsidia quærenda, priusquam ab eis pœna reposceretur. (B) Quid plura? pacis medius bellum accendit. Eliguntur qui Idumæos ad prælium cogent: genus mobile, inquietum, insolens, promptum ad discordias, rerum mutationibus lætum, periculi improuidum, præceps ad prælium. Itaque sine mora flexi veniunt, congregantur viginti millia virorum, vtpote nullis intenta terrarum cultibus, sed parata latrocinijs. Nec latere potuit Ananum aduentus Idumæorum. Denique portam claudi iubet, ne cum tumultu ingrederentur: sed si fieri posset veritatem cognoscerent, bello renuntiarent.

†Alias bellū inuolutū latere insidias: parauisse Ananum, Romanis vrbem, &c.

CAP. VIII.

ASCENDENTES itaque Principes Sacerdotum morum, Idumæos de turri alloquebantur: maximo esse miraculo sibi, quòd tam citò irretiti mendacijs, causas (C) quas nondum cognouerant, armis persequerentur: cùm oporteret eos priùs disceptatores esse negotiorum, quàm bellorum præliatores: & præ cæteris merita cognoscere, quàm arma sumere: & arma aduersum viros sui generis, sui cultus, suæ solennitatis, nullis amplius irrogatum iniuriæ quàm Idumæis, qui ad societatem flagitiorum tam grauium concitarentur. Quid enim aliud ab his, nisi parricidium aduersum ciues sacrilegium aduersus templum deposceretur? Non solere diuersa inter se studia, diuersósque mores conuenire. Similitudo enim morum facit voluntatum societatem, & cognata studia sibi nectit. Nequissimos homines qui latrocinio sumptum exercerent suum, arrogasse sibi vt Idumæus sibi socios accerserent: tantum abhorrentes ab eorum proposito, à quibus rogarentur, vt illi patriæ suæ bellum (D) intulerint, vos verò obsecrauerint, quasi alienam vrbem defensum venire. Nihil vobis commune innoxijs cum prædonibus: nihil commune sobrijs cum se inebriantibus: Vtinámque vini esset illa ebrietas, & non furoris. Qui vbi se flagitijs ingurgitarunt, dissipando proprias successiones, diripiunt aliena, & malè parta nequiùs dissipant, deteriùs effundunt. Nullus rapiendi finis, quia nullus abligurriendi modus. Vbi se vino infuderint, & impleuerint ebrietate, publicorum eructant crapulam negotiorum, vt nostro rursus sanguine inebrientur, & sanctæ illudant religioni, quæ vobis semper venerationi atque reuerentiæ affuit. Fugite igitur cœtus parricidales, & ausus sacrilegos destituite, deserite latronum conciliabula. Vocati estis ad consortium sceleris, venitis (E) ad remedium patriæ. Videmus oratissimum populum, quem venire decuit publico rogatum consilio, vt vrbi Iudæorum præstantissimæ (quæ totius gentis metropolis habeatur) aduersum hostes auxilio foret. Sed etsi nos defuimus petitioni, dum pacem sperauimus, & fatigare vos † properè voluimus, qui excitatoribus belli pacem offerebamus: tamen vos quasi diuino arbitrio veneritis, consulite in medium, & exhibete partis vtriusque arbitros: Quærite vnde cœperunt exordia tumultus, qui cecinerint quietæ vrbi classicum, qui effuderint præstantissimorum ciuium sanguinem, quibus autoribus pœna exacta de indemnatis sit: qui nobis ante Romanos exitio fuerint, aduersum illos bellum parabamus, & hos iam hostes patiebamur: quorum igitur cum

Similitudo morū studia nectit.

Rapacitas ex ingluuie.

† præpropere noluimus.

(A) Romanis suspecta gratia? eorum, qui Romanos vindicant, an eorum, qui Romanos repellunt? Grauiora hæc certè nobis, quàm Romanorum prælia: ab illis enim pro libertate morimur, ab istis quasi pro scelere iugulamur. Simulantur innoxij criminum proditionis, & post mortem calumnia componitur: cùm cognitio pœnam præuenire soleat, non pœna cognitionem. Quid enim prodest defuncto absolui, cùm iudicio iam nihil debeat? Suscepimus tamen etiam sortem huiusmodi, vt post necem de innocentia quæratur: & libenter apud vos quoque causam agimus nostræ defunctorúmque integritatis, qui statis armati pro aduersarijs: ita nulla argumenta calumniantibus suppetiu, vt apud vos quoque grauiorem causam habeant, qui tam citò credidistis: bonus enim iudex circumseptum se esse mendacijs dolet, & eò est fallenti (B) infestior, quàm appetitior: quòd temerè se impulsum, vt falsis crederet, vlciscendum arbitratur. Igitur nobis integrum examen seruate, & colligite veritatem, non ex contexione verborum, sed ex serie negotiorum. Primò omnium, cur Romanis proderemus patriam, quos potuimus & non lacessere, & fortè oportuit fieri, vt non excitaremus vniuersarum victores gentium: sed hoc non est iam præsentium partium deliberare. Superioris fuit temporis eligere, quid sequeremur: nunc oportet pro libertate occumbere. Præstat enim pro patria mori. Commodius fuit ante bellum pacem morti præferre: Sed quia bellum in ceruicibus, multi iam ex fratribus capti, alij necati, alijs dolor ex mortuis, gemitus ex reuinctis: eligenda magis libera mors, quàm vita captiuitatis. Suppetit tamen morituris, falsi criminis abolere infamiam (C) proditionis. Apud vos Idumæi causam agimus, prudantur conscij, deducantur in medium nuntiorum interpretes: Si tenent, vindices prodant: si non tenent, qui accusant, & vanis insimulant suspicionibus, quas ipsi sibi composuerint, non debent arguere, quod non possunt probare. Sed quia accusare non audent, dissipare per volgus desiderant: & ideò ad bellum prosiliunt, ne in iudicium vocentur. In bello enim contentus furor est, in pace veritatis examinatio. Adsumus en primis supplicijs, nos spontanei offerimus, si tamen aliquis accusator prodeat, aut si in populum inuidia torquetur, quærite diligentiùs quid consilij fuerit in cœtu publico. Nónne vt bello instructa pararētur agmina, aut pro libertate vnusquisque patriam iuuaret? Aduersus ipsos certè latrones (D) quid deliberatum fuerat, nisi vt pax conueniret? Exasperauerat publicam indignationem dolor singulorum, innocentum sanguis, mulierum gemitus, parentorum statutorum præuaricatio: increpuit gemitus vniuersorum, quia vnusquisque sibi similia pertimescebat. Ad indignissimos sacerdotia deferebantur, petì cœperunt vocibus, illi lapidibus plebem cædere, telis necare, exarsit publicus dolor, illi in templo latronum receptacula constituerunt. Itaque pacis locus reuerendus etiam gentibus, & domicilium sanctitatis factum est prædonum conciliabulum, & quò ex omnibus terrarum partibus cōfluebatur ad cultum festæ celebritatis, ibi nunc stabula quædam ferarum sunt, humano cruore madentia: licet nobis hæc quærere, vel armatis sine lege belli. Tamen fuit ple(E)runque inter arma iudicium, & iustitia deposuit belli instrumenta, compescuit turbas æquitatis sententia. Potestis hæc arma ad defensionem vrbis conuertere, quæ sumpsistis ad euersionem: Licet etiam introire sine armis, audire & percontari omnia: si quod remissum aduersus hostem reperitis, proditionem putate. Quòd si neque vindices vos, neque arbitros exhibere vultis, quid mirami, si portæ armatis non aperiuntur? Non istæ aduersum cognatos, sed aduersus arma clausæ sunt. Bellum deponite, & portæ patebunt.

Gualt. legit quò.

Eligenda magis libera mors, quàm vita captiuitatis

Templi violatio.

HAEC vbi sacerdotes locuti sunt, & maximè Iesus cæteris senior, post Ananum tamen, qui secundo loco fungebatur, indignantibus Idumæis, quòd non continuò vrbe recepti forent: Simon vnus de ducibus Idumæorum: Minimè, inquit, miror, si ciues sæuiunt,

& clau-

& clausos tenent, qui nationi sociæ portas clausere, & non patiuntur consortes & participes suos ingredi: nobis de muro loquuntur, & quasi aduersarios muris repellunt quos amicos habebant? Quis dubitet, quòd parent suscipere Romanos & forte coronare portas, quando illi ingredientur? quæ maior iniuria? Patere nempe omnibus hominibus ista ciuitas solet causa cultus & obseruantiæ: nobis solis intercluditur, quasi hostibus, soli abdicamur, soli repellimur. Simulant se nostrum petere iudicium, quos ne limine quidem dignos vrbis putarunt. Lateant quæ aduersum illos gesserunt, nostræ iniuriæ testes & iudices sumus. Aduertimus quid clausi patiantur, quando nos arma iubemur deponere: & credibile esse potest, quod eorum expectetur sententia, quorum suspecta est fides? Festinemus itaque eripere clausos, quibus templum carcer est factum, ne seruentur vsque ad aduentum exercitus Romani, & captiui tradantur Vespasiano. Auferamus à templo obsidionem, custodes deterrimos remoueamus, qui neminem vel ad purgandam aluum egredi sinunt. Si quis inferre cibum clausis desiderat, prohibetur: si quis exire, ad mortem rapitur: crimen factum est cultus religionis.

Templum fit carcer.

Cap. IX.

* Cod. vet. Iesus, vt capraeced. & Ioseph. l. 4. cap. 7.

HAEC audiens cessit * Ioannes, considerans aduersa Dei voluntate frustrà sese obniti: quandoquidem domi forisque hostilia streperent agmina, & gemina ex parte ciuitas oppugnaretur. Fremebant Idumæi quòd excluderentur. Machinabantur in templo siti, quomodo iungerentur Idumæis: hos angebat metus, ne Idumæi ante effectum abirent: illis extorquebat pudor propositum regrediendi. Et iam penè obrepserat diffidentia, cùm subitò nocte oritur procella intolerabilis, tempestas atra, fremunt venti, cœlum inhorrescit, vis imbrium multa * infunditur, terribiles coruscationes, tonitrua immania, terrarum mugitus, vt solui mundus æstimaretur. Quis crederet plus nocuisse istud intra vrbem positis, quàm extra vrbem degentibus? cùm vtique hi tectis muniti forent, illi obiecti ad imbres: sed amplius terruit iniuriæ metus, quàm ipsa iniuria. Denique illi, qui nulla habebant refugia tectorum clypeis sese tegebant manentes in officio, nec dilabentes: isti circa domos suas quisque dispersi, locum dederunt, vt ab his, qui intra templum erant, portæ aperirentur. Anceps tamen & diuersa populi sententia: Alij Deum summum indignantem Idumæis, tempestates mouisse arbitrabantur, quod aduersum participes suos armati venerant: Ananus & profundiora seniorum ingenia, coniectabant Idumæos iniuria sui ampliùs excitari in sociorum perniciem. Denique solicitior cęteris noctibus, Ananus illa nocte non fatigatione corporis, sed animi magis desperatione * solutos, cessit rebus aduersum se fluctuantibus, & militantibus in excidium suum mundi procellis: nec reuisendas putauit custodias, quasi daret autoritatem dilabendi, quò cuique esset sententia. Quam occasionem nacti qui in templum refugerant, surgentes secuerunt vectes portarum. Cooperatus est illis fragor cœli, vt serarum sonus non audiretur, & tumultus egredientium. Deinde venientes ad murum, portam, quæ vicina erat Idumæorum cœtibus, reserauêre. Vltimus ille dies vniuerso populo fuisset, si non ad templum priùs quàm vrbis * signum dirigendum putassent. Sed quia metuentes sibi, qui intra templum clausi tenebantur, ne cognito ingressu Idumæorum, in ipsos circomiusæ plebis impetus fieret, vt vindictam morituri exposcerent, rogauerunt, vt ipsi primitùs * cladi eximerentur: tunc posteà liberatis ipsis, & coniunctis viribus, in populum effunderentur. Deflexêre ad eos, qui legatos miserant oratum auxilia saluti, simul vt insperatæ merces irruptionis, autoribus eius hoc munere potissimum rependeretur. Quod vbi processit ex sententia, simul omnes à templo quasi quodam castro effusi, extenta acie quoscunque repererant dormientes alios, perterritos alios, totis cædebant viis. Nihil proderant preces, nil lacrymæ,

*effunditur

*resolutum.

*sinum. al. si non al. si nō ad templum prius. quā in vrbē signum, &c.

†clausi.

nil insignia honoris, nullorum meritorum gratia, omnes passim iugulabantur. Denique videntes bestialem in persequentibus immanitatem, quòd nulli parceretur, ipsi sese illaqueabant miserabiliore (vt mihi videtur) exitu, quàm si ab hoste perimerentur: quia voluntaria mors immanitati ascribitur, informis laqueis nodus etiam probro datur. Sed quis consilio locus, vbi tantus erat metus suppliciorum, cùm metueret vnusquisque non mortem, sed cruciatum ante mortem, quibus mors remedio foret? Redundabat † vndique sanguis, & maximè circa templum: quia ibi congregati erant, qui clausos custodiebant. Reperta † itaque illo die cæsorum octo millia quingenti viri. Inde conuersi ad vrbem, sicut gregem quendam pecorum, ita homines, quoscunque obuios habuêre, interimebant. Erat miserabile spectaculum, intra vrbem omnibus antè reuerendam, bellum geri perniciem iniustam pauperibus ac debilibus inferri. Sanè iuuenes ac validiores in carcerem retrudebantur, quos factioni idoneos arbitrabantur, sed magna virtute plerique omnia supplicia malebant subire, quàm vt perditis sociarentur. Nec modus erat vllus, nec pudor: ita furebat rabies immanitatis. Post vbi desurere viri processu temporis, causas sibi simulare cœperunt periniendorum, quò ad iudicia reos ducerent, non vt requireretur iustitia, sed vt crudelitas exciraretur.

Immanitas maxima.

†vbique.

†denique.

ERAT in ciuitate Zacharias, qui odisset improbos, nec seruisceret flagitiosis, diues opum, quarum illi abundantiam, vel ad dissoluendam factionem suam efficacem opinabantur, vel ad prædam sibi haberent: hunc proditionis crimine † accersendum putarunt. At ille ab huiusmodi integer conscientia, adesse sibi cœpit cum libertate, vt non solùm dilueret obiecta, verumetiam reos ipsos maximorum adstrueret flagitiorum: apud septuaginta viros dicebatur negotium. Absoluunt omnes, quia nihil, quod affine esset sceleri, proferebatur. Verùm illi irruētes, & ipsum præcipitant in profundum, & perterrebant iudices, non solùm cum iniuria, sed etiam cum periculo: vt eorum exemplo cæteri in reliquum cauerēt, constantiam in iudicando aduersa eorum voluntate assumere. Rursus tamen ne quis absolueretur, ipsi irarum suarum exequutores, quos libitum erat, sine iudicio necabant. Cæsus Gorgon vir gratus, & amabilis, Niger Peraites, qui inter propugnatores Iudææ ad tuendam rei summam fuerat electus, bellator vir, vt etiam vulnerum cicatricibus virtutis insignia præferret, rapitur ad mortem: & cùm se extra vrbem duci videret, non iam pro vita, sed pro sepultura cœpit rogare. Ac ne huius quidem tam miserabilis petitionis responsum accepit conueniens misericordiæ. Fingebantur calumniæ: Si quis se redimebat, innocens erat: qui non offerebat pecuniam, tanquàm reus feriebatur.

CAP. X.
Zacharias.

† arcessendum.

Gorgon cæditur.

DVM hæc Hierosolymis aguntur, Vespasianus intereà partes alias gentis Iudææ debellabat: Peruenit ad eum, quæ seditio esset Hierosolymis, quas domesticis pra his neces sibiipsi irrogauissent, quæ supplicia ciuium exacta à ciuibus, hortari plerique, vt eò pergeret, ne quid triumpho Romano & suæ gloriæ decerperetur. At ille moderatus & prouidus vir, qui non id quod ex vsu vulgi accommodum † existimaret, sed quod altiore consilio rei summæ conducere arbitraretur, referre illa suadentibus cœpit: Non semper prælijs iuuari Rempublicam, sed plerumq; etiam armis depositis laudē parari, & debitum patriæ solui. Quid interest, quomodo vincatur hostis, nostróne an suo ferro? nisi quòd suo sine Romana inuidia prosternitur. Nō enim possunt de nobis queri, cū se ipsi consuciauerint: simul quā iusta nobis bella moueriint, significant, quando nec ipsi sibi parcunt. Vindictam † haud de cœlo videri, vt furore insaniāt, qui Romanos lacessiuerint. Sed si quis derogari aliquid gloriæ nostræ asserit, cognoscat præponderare sæpè remedium cum silētio, quàm prœliū cum periculo. Denique noster Maximus cunctando magis fregit Annibalem,

CAP. XI.
Vespasianus moderatus & prouidus vir.

† æstimaret

† hanc.

Fabius Maximus cunctando vicit Annibalē.

quàm præliando. Etsi Scipiones subegerunt Africam, tamen communis bellorum cum multis victoria: Maximo solidatum, quòd cunctando restituerit Rempub. Plus itaque est seruasse Romanum imperium quàm propagasse. Æquentur tamen merita virtutum. Non minora vtique in ipso bello sapientiæ commenta sunt, quàm insignia fortitudinis. Pereant ergo suis armis, nihil † laudis diminuitur, & plurimum victoriæ nostræ adiungitur. Nesciunt suos seruare, quibus nos parcimus. Quid, quòd si imminere cœperimus, fortassè inter se resipiscant, atque in gratiam redeant? Quod non vereor, sed aduersus vestram sententiam profero: aut si permaneat seditio, videantur ipsi sese expugnasse, nihil Romanum egisse exercitum, manus nostras otiosas fuisse, victoriam non virtute nostra, sed hostili internecione inter se paratam. Itaque hoc prudentius consilium, vt absentibus nobis sæuiant in exitium sui: ne quis putet eos nostris magis, quàm suis exercitos factionibus. Tunc meliùs appropinquabimus, vbi victor superfuerit, qui nostro accedat triumpho. Certè veniant ad nos, qui fugiunt suos, inueniant apud nos salutem sibi, quos suorum pestis exsanguauerit.

† alias laudis diminuitur.

CAP. XII.

Nec sefellit opinio Vespasianum: nam qui poterant pretio se redimere, vt dimitterentur, ad Romanos confugiebant. Repleta erant dilabantium strata viarum omnia, omnes semitæ, relaxabantur diuites, pauperes interficiebantur, quibus pecunia deerat ad redemptionem. Multi etiam extra vrbem insidias & latrocinia pertimescebant, & maximè inopes, quibus comitatus deerat. Pati itaque foris & domi proposito sibi periculo, vtrobique pernicioso. Plerique tamen patrij spe sepulchri, mors apud suos tolerabilior æstimabatur.

Sepulturæ desiderium.

CAP. XIII.

Vbi strage maxima populorum, metus in omnes sparsus, subditos factioni fecit vniuersus, non contentus communem cum principibus factionis exercere Ioannes potentiam, tyrannidem affectare cœpit & parem indignabatur. Destruere itaque aliorum statuta, nihil nisi quod liberum foret, ratum habere, paulatimque sibi asciscere stipatores, artifex dolo, quos vellet, & fraude circumuenire, obligare pecunia, terrere potentia, quibus artibus plurimos sibi associauerat. Rursus non deerant, qui vel periculoso studio seruitium detrectarent, cùm præsertim dominatione assueti, tolerare seruitutem nequirent. Decernebant itaque in vna vrbe tria genera exitialium calamitatum: tyrannides, bellum, seditio, quarum vnaquæque non vnam, sed plurimas vrbes deleret. Ex tribus tamen leuius bellum erat, & iustus hostis tyranno, aut factione tolerabilior videbatur. Accessit his quartum genus sicariorum, qui occupatam tyrannicis motibus aut seditionis tumultibus vrbem videntes, vicina omnia populabantur, & asportabant omnia. Mulieres, & paruulos, qui laborem itineris, vel sexus vel ætatis infirmitate perpeti non poterant, neci dabant. Septingenti itaque numero perempti conuectatum in castella frumentum: Irruebant agris, vrbibus, templis, prædas agebant, necandorum occasio non prætermittebatur: agminis specie latrocinium * excitabant, plures quàm vsus habebat latrocinandi. Latrocinij sæuitia bellum * aceruabant, sine venia deditionis aut susceptionis indulgentia.

Tria genera exitialiũ calamitatũ.

Genus sicariorum.

* exercebãt.

* acerbabãt.

CAP. XIIII.

Rogatur itaque Vespasianus, vt ad remedium veniat, à quo excidium metuebatur. Contendit Gadaram, vbi opulenti plurimi, qui patrimonij sui causa, magis magisque latronum insidias & incursus pertimescebãt, & ideò ad Vespasianum occultè miserant, vt ad se appropinquaret, quò ciuitas à latronibus erueretur. Affuit exercitus Romanus, quem videntes Gadarenses, confugiendi votum habebant: sed qua via inexitiabile id sibi afforet, non reperiebant, ne in discedentes insurgeret factio, atque vniuersos deleret. Non † præterit tamen legatione Gadarensium inuitatum Vespasianum, eiúsque legationis conscium, vtpote vrbis primorem, nomine † Dolesium, quem capientes interemerunt, atque

Gadarẽses.

† præterit

† Sic Iosephus.

vlti iniuriam, egressique vrbem, in abdita & munitiora sese contulerunt: Gadara Romanis tradita: eum ingenti plausu susceptus est Vespasianus. Is continuò ad persequendos, qui refugerant, Placidum direxit: ipse reuertitur in Cæsaream.

Placidus præmissis quingentis equitibus, fugientes insecutus, coëgit eos in vicum, qui proximus erat, concedere: in quo electorum pube iuuenum reperta, audaciam sumpsere, vt insurgerent in Romanos. Quæ res illis cladi fuit. Nam circumfusis equitibus, à vico exclusi, sine vllo cædebantur impedimento. Et dum alij conferti sese reciperent, ante limina portarum trucidabantur. Cæsorum cadaueribus † aggregata moles adæquaret murorum altitudinem. Romani alios sagittis figebant, alios sauciabant diuersis missilibus: ad postremum castellum expugnauêre, ibique omnes, nisi quibus elabendi facultas fuit, interfecti. Alij fugientes, ingentem famam Romanæ virtutis suis sermonibus exaggerabant, maiora sibi quàm hominum visa corpora, nullam resistendi cuiquam aduersum inuictos fiduciam. Vnde perterriti omnes, fugere illicò, nec solùm vicina & finitima, sed etiam Hierichu vrbs, quæ propter incolæ multitudinis agmina spem cæterorum fouebat, relinquebatur. Placidus rebus ex sententia fluentibus, eos quoque per equites insectatus, alios confertos, alios palantes strauit vsque ad flumen Iordanem: maximum quoque numerum ad ripam fluminis reperit impeditum transitu, quod tunc fortè prædictus amnis imbribus auctus, aut resolutis niuibus intumuerat. At illi vbi Romanos adesse viderunt, parant se, & ad fluminis oram stipant. Necessitas interclusio fugæ subsidio, remedium in manus vertit, & impetu facto, multi supra pauciores equites arietantur: illi arte nota & veteri militiæ more interequitantes dissecare hostium cuneum, dissoluere globos, fessos vrgere, cedentes sequi cœpêre: † hinc alij ferro hostium, alij suo, quòd conferti in vnum atque in se rehsi incurrerant, interficiebantur. Alij in flumen ruebant, qui ipsa sui ruina, & alius alio impliciti demergebantur. Plerique etiam æstimantes, quòd possent prætergredi, sese fluuio dabant. Quos paululum progressos sorbebat gurgitum vis aut fluminum ictus abripiebat. Et si qui natandi vsu super aquas processerant, aut fluentis subterlatentibus se suspenderant, aut arborum ramis impediti, qui fluuio deducebantur, aut ipsis caudicibus oppressi, animam ponebant in flumine. Sæpè etiam nandi indoctus, vbi natantem apprehendisset, tenebat, vt ipse pariter euaderet, & astrictum brachiis defatigabat, donec vterque mersus, alter alteri exitio foret. At si qui fortè secundo amne decurrens euasurus æstimaretur, † irruebatur sagittis, ac subitò resupinus, cessantibus brachiorum remigiis, interibat. Fuêre etiam, qui natare nescij, dum expertem doloris mortem requirunt, edito riparum toro, in flumen se excuterent voluntarij: Alij arenoso ingressi littore, merso vestigio deprimebantur: plerique etiam saxorum tectorum lubrico, aut vadosis offensi locis, instabili fluctuantes gradu, fluentis sequentibus obruebantur. Cæsa ferro tredecim millia: innumerabilis autem multitudo fluuio consumpta, præda ingens de ouium gregibus, & camelorum atque asinorum & boum parta: quæ licet strages hominum maxima fuerit, * tum verò maior æstimabatur, quia non solùm regio omnis repleta erat cadaueribus humanis, (cùm dispersi ac palantes quibuscunque in locis comprehensi fuerant, interimerentur) verùm etiam vt Iordanis ipse defunctorum corporibus obstructus, cursus proprios dirigere non posset. Asphaltites quoque lacus cruore & visceribus defunctorum mutaret naturæ suæ speciem, in quem omnia, quæcunque Iordanis attraxerat, inuehebantur. Denique nonaginta duo millia & ducenti illa die Iudæorum periisse æstimati, à quingentis tantummodo equitibus, & tribus millibus exercitus pedestris. Progressus quoque ad vlteriora Placidus, Abilam, & Iuliadem, & Betesimon, & omnes vicos

CAP. XV.

† aggesta.

Romanorũ proceritas.

† Sic.

Clades maxima.

† obruebatur.

Cæsa ferro tredecim millia.

* tamen.

Iudæorum vna die perierunt. 92200.

loci ipsius, vsque ad Asphaltitem lacum Romano imperio restituit. Scaphis quoque imposuit milites, à quibus vniuersi, qui in lacum memoratum confugerant, extinguerentur.

CAP. XVI.

ITAQVE & hæc omnia vsque ad Macheruntem recepta: Vespasianus tamen tempus prælij operiebatur, quò metropolim totius Iudææ exercitu Romano adoriretur: inter quæ, occupato rebus sibi creditis, motus noui ex Gallicanis partibus insinuantur, quòd à Nerone potêtes quidem Romanæ militiæ viri desciuissent. Quo comperto, cupiens intestina bella ac summæ rei, totiúsque Rom. imperij periculum, confecto in Oriente bellorum tumultu, leuare: vt rerum secundarum nuntiis, motus omnes Italiæ vel comprimeret, vel præueniret: vbi primum sæua hyems temperata veris principio, cum maiore parte exercitus de Cæsarea iter mouit. Excepit eum Antipatris nomine ciuitas appellata. Inde procedês, exurebat vicos, necabat eos, quos reperiebat alienos: ac maximè Idumæis vicina, quæcunque offenderat, depopulabatur: quòd inquietum genus hominû potiùs bellis quàm otio vel quieti amicum foret. Duos quoque Idumææ vicos *Ligarum & Capartorem, eorúmque incolas comprehendens maxima strage labefactauit. Siquidem supra 10000. virorum peremit, mille captiuos abduxit, reliquum vulgus expulit, vt ibi constitueret manum suorum: quia montana locorum regionis eius latrociniis infestabantur. Ipse cum exercitu Amathunta repetit, quæ de aquis calidis vocabulum sumpsit, quòd aquarum vapor Syro sermone Amathua appellari fertur. Thermæ ergo Græcè dicitur, eò quòd calidum fontem habeat intra muros. Deinde per Samariam iuxta Neapolim in Hiericho contendit, vbi occurrit ei Traianus multam manum agens, ex his, qui vltra Iordanem siti Peraæ regionis populi, in ditionem Romanam victi reuerterant. Nuntio itaque aduenientis Romani exercitus, plerique ex vrbe Hiericho, quod eam intutam viderent in montana Hierosolymitanæ regionis sese contulerant. Residentium turba omnis consumitur. Neque enim difficile fuit vrbem properatò capi, quæ nec naturali fulta esset munimine, & à suis esset dilabentibus deserta ac destituta. Vrbs condita in campo, cui supereminet mons diffusior, & nudos gignentium. Namque secundum septentrionalem plagam, vsque ad Scytopolis vrbis terram extenditur, ex parte meridiana vsque ad regionem Sodomitanam, & Asphaltitis fines diffusus habetur. Ægrum autem & ieiunum solum, & ideò desertum ab incolis, quòd sine vllo vsu esset cultoribus naturali sterilitate. Aduersus huic mons supra Iordanem, cuius exordium à Iuliade, & plaga septentrionali assurgit: ipse autem prætendit in meridianum vsque ad Sobaros, Arabiæ Petrææ conterminos, vbi etiam mons est, vsu veterum ferreus nuncupatus. Inter hos duos montes campus iacet, quem propter magnitudinem, quòd in multa spatia * dirigatur (veteri vsu) incolæ Magnum appellauerunt, cuius longitudo triginta & ducentorum stadiorum, latitudo centum viginti. Exordium à vico Gennabar, finis vsque ad Asphaltitem lacum. Iordanis eum * medium intersecat campum non solùm inoffensa, sed etiam adiuncta gratia viridantibus ripis fluminis alluuione, & succedentibus Asphaltite & Tiberiade vnius fontis, & vtroque diuersæ qualitatis lacu. Namque alterius aquæ sapor salsus, & sterilis vsus, Tiberiadis autem dulcis atque genitalis. Sanè in diebus æstatis immodicus per spatia campi exæstuat vapor, vnde coalescente vitio nimiæ siccitatis, atque humo arido corruptior aër, miserandas accolis côficit ægritudines. Arida sunt enim omnia præter oras fluminis. Denique in remotioribus ægrescit & fructus arborum, siquidem & copia huberior, & fructus palmarum opimior est, qui supra ripas Iordanis fluminis gignitur, alius longè cassior.

Apud Iose. Iud. 5 ca. 4. Begabri Capharophrã legitur vet. cod.

*Ligarim & Coparcoram.

Amathus ab aquis calidis.

Vrbis descriptio.

Mons ferreus.

*porrigatur Mons Magnus.

*medius.

Asphaltitis & Tiberiadis discrimen.

CAP. XVII.

EST etiam iuxta Hiericho vrbem fons abundans, atque idem huberior ad potum, pinguior ad irrigandum, quem Iesus Naue natione Hebræus, manu validus, pri-

Iesus Naue.

A mùm genti eripuit Chananæorum. Is in principio corruptior habitus, ac sterilis ad generandum, potantibus & vsui parum salubris. Vnde rogatus ab incolis Elisæus Propheta, idémque Eliæ discipulus, & tanto successor nequaquàm indignus magistro, vt hospitalitatis suæ mercedem relinqueret, quos visitauerat locis, & corruptelam aquarum leuaret, remedium dedit, sicut regnorum vetus scriptura edocet, præcipiens vas fictile cum sale deferri sibi, quòd accipiens, deiecit in fontem sal, & dixit: Sanaui aquas istas, & non erit in his moriens, neque sterilis ab eis: & sanatæ sunt aquæ, secundum verbum, inquit, Elisæi Prophetæ. Ex illa itaque benedicti salis infusione temperatæ aquæ, reseratáque ora fontis, sanctificati sunt aquarum meatus, vt dulciores potus venarum scaturigo effunderet, & omnis illa dulcesceret aquarum amaritudo, huberiores fructus terra daret. B Generandæ quoque sobolis opima successio, largam posteritatis copiam subministraret, nec deficeret genitalis aqua. * cùm diuina gratia pro iustorum fidelibus studiis tanti Prophetæ benedictionibus aspirauisset. Conuertit itaque naturam aquarum ad preces Prophetæ cælestis oraculi resultatio, continuóque sterilitatem depulit, fœcunditatem infudit. Cœpere illic crebrescere generationes hominum, fructus terrarum, succúsque * aquarum, antè ieiunus & amarus internecare solitus fata, tristiáque bibentium ora torquere, fertilitatem solo, potantibus suauitatem infundere, vt si breuiter culta contingat plus prosit, quàm vbi diutiùs irrigauerit. Est enim noua gratia, vt profectus redundantior sit, vbi vsus minor, & vbi ampliùs quisquam vsus fuerit, ibi mi- C nor fructus sit: eóque plus cæteris fontibus rigat, quia vel exiguum eius abundat ad hubertatem. Denique campus eum circumiacet septuaginta stadiorum in longitudinem, viginti in latitudinem patens. In eo mirabilem hortorum gratiam cernas, varia palmarum genera, tantámque dactylorum dulcedinem, vt mella defluere putes, haud cæteris inferiora. Sunt etiam illic præstantissimi apum fœtus: nec mirum, vbi tam diuersis inhalantes floribus, paradisi suaues fundunt odores. Illic opobalsamum gignitur. Quod ideò cum adiectione significauimus, quia agricolæ cortice tenus virgulas incidunt eas, in quibus balsama * gignantur, vt per illas cauernas paulatim distillans humor se colligat. Cauerna autem Græco nomine ὀπὴ dicitur. Illic cypreum, illic D myrabolanum nasci ferunt, & alia istiusmodi, quæ in aliis locis haudquaquàm reperiuntur. Aqua vt cætera fontium, illic tamen præstantior, æstate frigida, hyeme tepens. Aër mollior, vt summa hyeme lineis incolæ exutis vtantur indumentorum.

Elisæus Propheta remedium dedit aquarum.

Sal benedictum.

* cui.

* aquarum non habet. m.s.

Balsama quomodo gignantur.

*generantur.

CAP. XVIII.

NVNC Asphaltitis lacus qualitatem spectemus. Melius est enim in locorum veterum descriptionibus, vel cæterorum elementorum miraculo, quàm in Iudæorum seditionibus stylum occupare. Siquidem ista flagitia mentem exasperant, illa demulceot animum, dum recensentur, & ad veteris historiæ reuocant cognitionem. Nobis autem, quibus incultius ingenium est, cordi est, patrum ex Ægypto * regredientium, vsque in terram repromissionis repetere vestigia, vt si cui forte nostra in manus veniant, non nostra legat, sed patrum re- E legat. Dulce est enim inter Maiorum versari habitacula, & veterum dicta factáque recensere memoria, atque eorum inhærere gratiæ. Sed iam siue naturam, siue qualitatem aquarum exprimamus, ne noster quoque in eo lacu * proiiciatur stylus, ex quo omnia, quæcunque mergenda putaueris, viuentia tamen resilire opinio est: & quamuis vehementer † allisa, statim excuti. A qua ipsa amara & sterilis, nihil recipiens generum viuentium. Denique neque pisces, neque assuetas aquis, & lætas mergendi vsu patitur aues. Lucernam accensam ferunt aquis supernatare, sine vlla conuersatione extincto demergi lumine: & quamuis demersum arte, quod viuat, difficilè in profundo hærere. Denique Vespasianum ferunt præcepisse natandi ignaros, reuin-

Asphaltitis qualitas.

* egredientium.

* excutiatur.

† allisa

Mirãda hic narrãtur de lacu Asphaltito.

ctis manibus in profundum deiici, eósque omnes illicò supernatasse, quasi spiritu quodam venti leuatos, & ad superiora vi magna repulsos resiliisse. Multa fabulosa de hoc lacu plerique æstimauerunt, quæ nobis inexpertis veritatem rei, promere nunquàm consilium fuit. Mutare etiam ter in die colorem aquæ, & ad radios Solis variè resulgere non placuit pro vero locare, cùm sit ipsius † aquæ lacus obscurior cæteris aquis, & quasi adustæ præferens similitudinem. Certè si ad radium Solis & ipsa resplendeat, nihil nouum, & quasi pro miraculo promendum: cùm hoc commune sit aquis omnibus. Vagari super aquas bituminis glebas certum est atro liquore, quas scaphis appropinquantes colligunt, quibus id muneris est: hærere sibi fertur bitumen, vt ferro haudquaquam, vel alia præacuta metalli specie recidatur. Sanguini sanè cedit mulierum, quo menstrua soluentes leuari feruntur. Cuius attactu vel vrina (vt allegant, quibus experiendi vsus fuit) interrumpi proditur: vtilis autem ad compagem nauium fertur, & corporibus hominum salubris admista medicamentis. Longitudo lacus eius vsque ad Zoaras Arabiæ dirigitur stadiis quingentis octoginta: latitudo stadiis centum quinquaginta, vsque ad vicina Sodomorum, qui quondam huberrimam regionem inhabitabant: abundantem fructibus, distinctam quoque vrbibus splendidissimis. Nunc autem ea locorum deserta, atque exusta sunt incendio. Nam cum omnia illis Deus suo contulisset munere, arua frugum feracia, & veneis cæterísque fructuosis arboribus rus consitum, ingrati, nec præ oculis habentes potentiam Dei summi, quasi non omnia cerneret, omnis prospectaret flagitia, nihílque esset, quod illum latere, aut præterire posset: ita intemperantiæ suæ probris miscere vniuersa, ac polluere cœpêre, quibus diuinam traxêre offensam, & pro scelerum pretio de cœlo descendit ignis, qui regionem illam exureret. Quinque itaque vrbes incensæ, quarum vmbra quædam & species in fauillis videtur. Ardere terræ, ardent aquæ, in quibus cœlestis ignis reliquiæ recognoscuntur, atque adhuc manent. Spectes illic ad speciem poma viridantia, formatos vuarum racemos, vt edendi generent spectantibus cupiditatem: Si carpas, fatiscunt ac resoluuntur in cinerem, fumúmque excitant, quasi adhuc ardeant. Hæc propter supplicia impiorum de Sodomitano territorio comperta, silentio obducere non oportuit. His enim decursis, remunerationem piis fore dubitari non potest.

† aqua.

Bituminis glebæ in aquis natantes.

Sodomorũ species.

Quinque vrbes diuina vltione incensæ.

Cap. xix.

VESPASIANVS itaque proxima quæque Hierosolymitanæ vrbis castella, vel vrbium munimenta, distributo exercitus Romani vel sociorum subsidio replebat, vt aduersa sibi omnia cognoscerent, quæ antè conspiratora secum ad bellum contra Romanos gerendum arbitrabantur. Nihilominùs Lucio Annio Geresam destinato, insidiis vrbem cepit: mille etiam iuuenes interfecit, quibus præuentis exempta est fuga. Captiui abducti plurimi, atque vniuersa eorum patrimonia à militibus inuasa. Præcepto Ducis possessiones, quæ repertæ fuerant, exurebantur, rapinæ exercebantur licentius. Vastabant Romani montana atque campestria, quibus Hierosolymitana ciuitas circumfusa bello vndique ardebat. Nec feriati erant Hierosolymitani à suorum sensu periculorum, quibus omnes interclusi erant exitus, ne quis fuga periculo eximeretur. Intus malum intestinum, foris clausa omnia, neque manendi voluntas, neque fugiendi erat copia. Et si qui à Romanis veniam transfugio sperauerant, à suis egredi prohibebantur.

Cap. xx. Nero cæsus 13. imperij sui anno.

REGRESSVS erat Vespasianus in Vrbem Cæsaream, vt inde collectis omnibus viribus adoriretur Hierosolymitanæ vrbis obsidionem. Nuntiúsque aduenit cæsum Neronem tertiodecimo exacto imperij sui anno, cùm iam de anno sequenti octauum diem degeret. Dignus ea pœna, qui non solùm fidem sacrilegio, pietatem parricidio, pudicitiam incœsto violauerat, sed ipsam quoque potestatem Romani imperij, cuius vel officia, vel negotia improbissimis libertorum commiserat. Cùm enim ipse nulli fidem seruaret, omnes suspectos habebat: Et ideò nequissimis se Nymphidio, & Gemellino præcipuè credendum putauit, quos vilis conditio obnoxios fecerat. Sed & ipsi exemplum crudelitatis eius aliquando * exhorruêre. Et quia charissimos sibi quosque interemerat, cauendum in se rati, præuenire voluerunt quod metuebant. Itaque facta cum cæteris conspiratione, parricidam deserunt. Cui enim parcituros æstimabatur, qui matri non pepercisset? Desertus ergo ab omnibus suis, fugit ex vrbe cum quatuor libertis suis. Et cùm se vrgeri imminentibus coniuratis, atque agmine aduerso videret, in suburbanum rus clanculò concessit: discissus & dilaceratus sentibus, dum formidat à quoquam videri, ne proderetur: deinde cùm se circumseptum intelligeret, ne graues pœnæ exigerentur, magnum quoddam sibi de ligno parauit, & manibus composuit suis, quo se necaret. Et ad libertos conuersus, qualis, inquit, artifex moritur? * Itaque acerbissimus parricida dignum meritis suis vitæ exitum tulit, vt qui matrem ac suos occiderat, nec sibi parceret. Verè bonus necis suæ artifex, qui commentus est, vt sic periret, nec vel mors suo scelere vacaret.

** perhorruere.*

Nero matri nõpepercit. Lege Suet.

** Ita.*

Cap. xxi.

FAMA itaque interfecti Neronis prænenerat more ingenij humani: cui satis est, vbi cupita acceperit, cætera non requirere, sed statim dissipare, atque inexploratum in vulgus mittere, quod delectauerit. Nec multò post tamen Galbam Rom. imperio præesse innotuit. Vnde sententiam noui principis de bello Iudæorum sciscitari, Vespasiano consilium fuit, misitque Titum filium, & Regem Agrippam. Titus de Achaia reuertit, comperto, quòd etiam Galba septimo mense ac die assumptæ potestatis exutus insignibus, pœnas luisset in medio vrbis sinu, id est, Romano foro, & Otho potitetur rebus secundis, ac successu imperiali. Agrippa Romam contendit, vt apud nouum principem locaret gratiam. Tito pluris visa est paternæ pietatis reuerentia, quàm principalis potestatis, quòd inconsulto patre si † prætenderet: ne ipsi quidem placiturum putaret. Certè exitus docuit, opportunè eum redisse ad patrem, rebus nouis, & incertum, quò vergerent. Denique etiam Vespasianus anxius de totius imperij Romani ac patriæ statu, bellum suspendit, atque * imperium tenuit sum, posthabitis, quæ in Iudæa gerebantur, præ totius summæ cura, & pia erga patris in solicitudine.

Galba Ro. præest imperio.

Otho rebus potitur.

† pertenderet.

** impressũ.*

Cap. xxii. Simon autor flagitiorum.

SED Iudæa non feriebatur, quæ grauius bellum inter suos, quàm aduersum externos gerebat. Nam cùm Ioannis factio esset intolerabilis, insurrexit præterea Simon, inferior quidem morum improbitate, sed forma corporis magis fretus ad omne audendum nefas, & latrociniis assuefactos, ad vsum & tentamentum flagitiorum. Ciuis erat Gerascenus, robustus † iuuenis, quem princeps Sacerdotum Ananus percolerat propter nequitiæ commenta, pulsúmque eo, quem inhabitabat loco, in alias regiones concedere coëgit. At ille, cui nullus inter quietos & modestos locus, contulit sese ad consortia latronum ipsis quoque in principio suspectus, ne eos factione circumueniret, facilè postea morum se infudit societate. Populabatur cum his ea, quæ essent finitima munitionibus, quòd illi vlteriora petere non præsumebant, sed quasi in foueis latitantes, insidiabantur prætermeantibus, sine vllo excursu, quasi domestico latrocinio contenti. Id Simon animi immodicus tolerare diu nequiuit, breuíque sibi multorum quæsiuit manum, pollicens seruis libertatem, liberis præmia, perditis remunerationem. Ita confluentibus plurimis ad deprædandi licentiam, expugnare munitiones, occupare vrbium populos ausus, terribilis omnibus erat receptaculum sibi in vico, cui nomen Atacis murus, parauit. Iámque viginti millibus armatorum stipatus incedebat, cùm subitò metuentes Hierosolymitani quotidianos eius processus, & aduersum se futuros rati, si diutiùs adoleuissent, succidendos putarunt repen-

† iuuenta Gerascenus ciuis.

Iose lib. 5. bel. Iud. ca. 7. hanc historiã prosequitur, vbi vicum quem hic Egesippus Atacis. ille Aim appellat.

tinóque excursu armati Simonem adoriuntur. Nec ille incautus atque imparatus insidijs patuit, sed excepit aduenientes, & plerosque fudit, alios coëgit in vrbem se se recipere bello fugatos.

CAP. XXIII.

IDVMAEIS quoque congressus æqualis recessit, & quasi victus, quia non vicerat angebatur. Rursus cùm congrediendum foret, commodius arbitratus dolo experiri, reperit spontaneum fraudis ministrum. Nam vbi intellectum est, quid iste affectaret, Iacobus, vnus ex principibus Idumæorum, vafer & callidus ad huiusmodi negotia, venit ad Simonem clanculò, & obtulit patriæ suæ proditionem, vt fidem daret, quòd vniuersos Idumæos circumueniret, postulatáque mercede futuræ societatis, quo potissimus & apud eum fidissimus foret, pollicetur vniuersorum proditionem, conuiuio fœderata gratia, promissisque ingentibus Simonis firmata inter vtrumque est pactio. Vbi ad suos reuertitur Iacobus, iactare primò paucioribus cœpit, exploratum processisse vires aduersariorum, vidisse validam manum, expertos belli viros, multitudinem maximam, & bello insuperabilem: * Inserte paulatim sermonem istiusmodi principibus. Postremò infundere * per numeros ipsum Simonem admodum strenuum, qui regio more exercitum instituisset, ordines seruaret, numeros distributos haberet ductores idoneos præfecisset, consulere sibi Idumæus oportere, vt talem virum amicū potiùs quàm hostem experirentur. Certè si in congressu superiorem viderent, cederent sine periculo, cauerent prælium. Vbi plurimorum inclinata in sententiam suam studia cognouit, educto Simone vt in aciem prodiret, securus futuræ dispersionis Idumæorum: ille non distulit, hic velut antesignanus cum suis, & quasi ad prælīādum promptior: vbi ferentarijs tentatum prælium vidit, priusquàm in manus veniretur, conuerso equo fugæ dedit se: idem sui fecêre. Ita concerrit, dispersitque acies vniuersas, & victoriam Simoni sine certamine belli tradidit. Simon verò potiùs tantæ gentis triumpho, insolentior in cæteros factus, Chebron vetustam vrbem, celebrem populis, opum ditem, ante expectatum cepit, multámque in ea prædam reperit, diripuit fructus vbertimos. Fertur enim antiquissima, nō solum Palæstinæ vrbium ciuitas, sed etiam omnium, quæ sunt in Ægypto à vetustis condita: vt etiam Memphim, quæ antiquissima habetur, posteriorem plerique existiment. Fuêre etiam, qui habitasse in ea partem Abraham dixerunt, postea quàm de Mesopotamia Syriæ profectos, Ægyptum petijt filiósq; eius illic sepulchrum habere pulcherrimo extructum marmore, & opere elegantissimo, se primo à ciuitate stadio. Terebinthus illic magna arbor à cōstitutione mundi fuisse asseuerant. Nunc tamen, vtrùm adhuc maneat, incertum nobis est. Inde progrediēs, vastabat territoria, expugnabat vrbes, congregabat populos, quadraginta millibus armatorum stipatus, exinanibat omnia quocūque vel quasi amicus & socius accesserat. Quis enim locus tātorum suppeteret alimentis? Solo pedum vestigio in modum pauimenti proterebantur vniuersa, in quibus tantus constiterat numerus præliatorum. Nec solùm quicunque erat fructus auferebatur, quasi quibusdam * exesa locustis, sed etiam in posterum protrita humus fructus negabat. Terrebat Ioannem, quòd Simonis augebatur potentia, & totius factionis socij quatiebantur. Volebant perditum, sed bello non audebant lacessere. Iterum insidias parant, & obsidentes itinera, vxorem eius cum omni comitatu muliebri, & paucis virorum prosecutoribus rapiunt, iactabant se, quasi omnem confecissent victoriam, ac velut ipsum Simonem captum tenerent, supplicaturum sibi arbitrabantur. At ille durus, immitis, qui nullius affectu commoueretur, nihil sanctum charúmve haberet, inflammator quasi accepta iniuria potiùs, quàm erepta gratis, multóque sæuior grauiórque grauibus excruciabat, quos reperiebat, tormentis. Plerisque manus incidebat, quos ad hostem truncato corpore † remittebat, vt eius annunciarent crudelitatem, insinuarēt minari, quòd muros subuerteret, vrbem excideret, nisi sibi ocyus vxor propria restitueretur. Similiter manus & viscera truncaturum omnibus, qui intra vrbem degerent, nisi maturè consuluissent. Ita perterrefacti, vxorem eius ad eum dirigunt: quo mitigatus furor eius, aliquantùm requiescendi copiam clausis dedit, vt non vrgeret obsidionem ciuilem.

Princeps Idumæorū vafer & callidus.

* Inferere.
* per vniuersos.

Chebron vrbs vetusta & celebris Memphis.

Terebinthus à constitutione mundi.

* exesus.

† dimittebat.

CAP. XXIIII.

NEC solùm Galba interfecto, sed etiam Othone extincto Vitellij ducibus congredientibus, quem Gallicanus exercitus creauerat Imperatorem. Et primo quidem certamine superior Otho visus est: repentino post diem prælio, cùm comperisset Otho Valenti & Cæcinæ Vitellij comitibus victoriam cessisse, plurimos quoque suorum interfectos, Brixiæ positus, voluntariæ nece eripuit se ludibrio, duobus diebus & tribus tantùm mēsibus rerum potitus. Victor itaque Vitellius, cum eo, qui vtrinque superfuerat exercitu, Romam contendit.

Vitellius.

CAP. XXV.
Vespas. deuastat Iudæam.
Cerealis dux Rom. exercitus.

VESPASIANVS tunc temporis profectus ex vrbe Cæsaræa, vastabat Iudæam, montana omnia finitima & munitiones debellabat. Interficiebat resistentes, precantibus impertiebat veniam salutis: Fugabat aduersarios, constituebat suos. Cerealis quoque Dux Romani exercitus cum equitatu percurrebat omnia, extinguebat alios, alios subijciebat: Captiuorum cogebat agmina, omnia circa Hierosolymam exurebantur, ne vllum Iudæis esset perfugium. Sic interclusi ante obsidionem vniuersi Iudæis exitus. At illi non solùm non consulebant sibi, sed etiam domestico inter se decernebant certamine: Ioannes interior tyrannus, Simon extramuranus hostis: qui recepta vxore, paulisper excurrens, Idumæam depopulatus, validior redit, & Hierosolymitanæ muros vrbis armis circumsonabat. Ioannes intùs positus, suos ad bellum vitijs exercebat, data criminum authoritate. Feruebant studia rapinarum, probrorum cupiditates, luxuriæ effusiones, vnguentorum odores, calamistris crispabant capillos, stibio oculos depingebant, muliebrem amictum † induebant. Nec solùm ornatus fœminarum, sed etiam muliebris mollitia affectabatur, & illicitarum libidinum passiones, viri muliebria exercere, effœminare vocem, & fluxu corporis sexum dissoluere, pascere comam, vultum dealbare, pumicare genas, vellica barbulam, & in hac dissolutione sæuitiam crudelitatis exercere intolerabilem. Denique fracto gressu incedebant, & subitò momentanei bellatores reconditos sub conchyliatis chlamydibus gladios occultantes, cùm repentè nudassent, quæcunque repererant, diloricabant. Qui Simonem euaserat, à Ioanne interficiebatur, si se intra vrbem recepisset, qui Ioannem fugerat: captus à Simone ante muros immolabatur. Erat dissensio grauis. Idumæi quærebant tyrannidem Ioannis extinguere: inuidebant eius potentiæ, & oderant eius crudelitatem. Congrediuntur aduersum satellites tyrannidis, auertunt eos, insectātur eos vsque ad aulam Regiam, quam condiderat genere proxima Regis Adiabeni: iterum exclusus propugnatoribus, templúmque occupant, diripientes spolia tyrannidis, quoniam illic Ioannes opum suarum condiderat receptaculum. Grauis incesserat metus, ne per noctem Idumæi de templo vrbem ingressi, ferro plebem internecerent, incēdio vrbem delerent. Quo metu territi, de consilij sententia, dum vnum tyrannum ferre nequeunt, alterum introduxêre. Et Ioannes fraude irrepserat in tyrannidem. Hic Simon rogatus, quasi remedium salutis daret, dominatum inuexit ciuibus, vrbi tyrānum. Missus est Matthias Princeps Sacerdotum, vt eius ingressum obsecraret. At ille superbè satis dominari abnuit, & quasi grauaretur, concessit ambitus, vt se in vrbem cum omni sua virtute infunderet. Aperuêre portas manibus suis, vt perniciosiorem introducerent, cùm infirmiorem execrarentur. Itaque Simon ex sententia ingressus, æquè se hostem exhibebat vniuersis: vt & illos, qui vocauerant, & illos, aduersum quos eius auxilium postulatum fuerat, communi omnes odio persequeretur. † Vrgebat Ioannes

† induebātur. Hierosolymitani vitijs exercētur enormibus.

Simonis fraus.
Matth. princeps Sacerdotum.

† Vrgebatur.

fraudibus suis, fluctuabat ciuitas. Certamen erat inter Ioannem & Simonem, quis amplius suis noceret.

CAP. XXVI.

Vitelli* fæx ceterorum.

SVB ea tempestate conualuit rumor ciuilium bellorum in exercitu Romanu, de Galbæ & Othonis nece manifestatus, & imperio Vitellij, qui nequior superioribus, quasi fæx resedisset. Conferre secum veteris militiæ viri cœpêre, & indignè ferre, tantùm vsurpare Prætorianas Romę legiones, vt cùm iam bellorum deseruissent experiri pericula, nomina ignorarent gentium, quæ bellum mouerent. Ipsæ tamen statuerunt belli Imperatorem: & in sua manu rerum Romanarum legendum arbitrum * constituerunt.

* cōstituisse.

Deinde huiusmodi exemplo in Gallia positos milites aspirauisse, vt Vitellio imperium darent, inconsulto Senatu & populo Romano, se interea quasi mercenarios haberi, qui aliena arbitria sequerentur: primos ad periculum, ad honorem vltimos, B tantu tempore bellum gerere, triumphis quotidiè crescentibus & ab inferioribus dominos accipere, & ne eos quidem vtiles, sed vel ignauissimos quosque, vel ventri deditos, & turpitudini, pergendum obuiam & remouendam iniuriam.

Vespasiani commendatio.

Esse sibi virum strenuum Vespasianum, quem legi decuerit ab omnibus Imperatorem æui maturum, ad consulendum validiorem iunioribus ad prælhandum, properandum maturiùs, ne priùs ab aliis eligeretur: & his, cum quibus in militia consenuerit, triumphandu esset despectui. Quando opportunius tempus, quo digna merces laboribus eius rependeretur? Vitellianum voraginem priuatorum dedeaus (non dicam Imperatorum) non diutiùs hoc toleraturum Senatum, non populum Romanum, vt opprobrium vinolentorum diutiùs in culmine maneat imperij C * cuius res Romana ad sumptum non suppetat.

* cui Ignauia Imperatoris est incētiuū belli.

Quis enim ferat tyrannum regnare, cùm habeat in exercitu dignum Romani imperij gubernatorem? Quæ verò genter luxui se subiiciant, & vitiis dedant, cùm belli incentiuum sit ignauia Imperatoris, & contrà firmitudo pacis, in hostem virtus, sobrietas in Reipublicæ moderatore? Quis non suspiciat in Vespasiano adhuc priuato regni decus, & Romani imperij authoritatem, cui tot militares numeri præstò sunt, & omnis Romani exercitus, validior manus? Quid expectamus? An vt nostris fultus virtutibus, alius debeat, quòd Imperator est, & nos alius cedamus, quod in iure nostræ potestatis est? Certè si honorare nolumus, non derogemus. Nec faciamus hanc iniuriam, vt nostro iudicio repudietur, quasi indignus imperio, quo dignus habetur Vitellius. D

Domitian* Vespasiani fratris filius

Postremò cùm in Italia sint frater eius & filius Domitianus, verendum profectò est, ne quis suis ornamento esse iamdudum debuit, sit periculo: aut si illi, vt arbitramur, tyrannum vrgere cœperint, huic fraudi sit, quòd & frater & filios rebellauerint, & incipiamus reum spectare, quem videre nolumus imperatorem.

Vespasianus polēs suscipit imperiū.

His secum milites vociferantes, adoriuntur Vespasianum, rogant vt Romani imperij suscipiat gubernaculum. Ille autem abnuere ac se indignum dicere, esse iam constitutum imperatorem, refugiendum ciuile bellum: Illi instare promptiùs, ille resistere perseuerantiùs. Postremò reluctantem armati circunsistunt gladiis mortem minantes, qui aduerterent sibi crimen manere, & graue periculum si refugisset: ita cessit potiùs imprimentibus, quàm recepit voluntarius, E quod ambire alij solent. Vrgebant milites, suadebant Duces: curam priùs quàm honorem induit, festinauit Ægyptum, sciebat enim maximas vires illic esse Romanæ Reipublicæ, vnde alimonia ministraretur subsidiom sibi quærendum, si vinceret: aut refragium Vitellio, si trahēdum diutiùs bellum putaret. Esse etiam illic duos ordines militarium virorum, quos sibi adiungere properauit, vt vrbs maxima, & plurimis naturæ munimentis circundata, in suo potiùs iure, quàm in alieno maneret, ad vtrunque belli euentum satis vtilis. Ideoque de locorum situ, ac potissimùm de ipsa vrbe metropolitana, vel paucis dicendum rati.

CAP. XXVII.

VRBEM Alexandriam condidit Alexander, cui ob A virtutem inditum magni ducis cognomentum. Ea inter Ægyptum & mare quasi claustrum interiacet, ciuitas importuosa, vt ferè pleræque Ægypti, & ab externo difficilis accessu, cùm sit in remotioribus Asiæ partibus iacens.

De situ Alexandriæ.

In Europa, quia ipsa * Ægypti aridis Lybiæ conterminat, meridiana autem eius superiora, quæ distermināt ab Æthiopibus Sienem, & innauigabiles Nili fluminis cataractas. Ab oriente refunditur mare rubrum, Chitrenos, qui locus extremis vltimus terris, peruium ad Indos aperit iter nauigaturis. Septa igitur ex vna parte feruentibus incendiis Solis, Indico inde atque hinc Ægypto mari vno tantùm muro septentrionali innititur terræ, quod docit in Syriam. Cætera interclusa vndique, & naturæ subsidio vallata: diuiduum tamen septentrionalis plagæ † eidem munimentum, & gemino quodam limite patens, quo vel peregrinæ ad eam per maria † Ægyptum deuehuntur copiæ, vel liberiura ad terras vsus diffunditur. B

* Ægyptus.

† eiusdem.

† Ægyptū.

Terra iacet in infinitum modum. Nam inter Sienen & Pelusium longitudo † vniuersa stadiorum duûm millium, si fides assertis adest, & ab Plinthine, vsque Pelusium stadiorum item trium millium sexcentorum: inassueta imbribus regio, nec tamen pluuiarum indiga, cui Nili irrigua spontaneos imbres ministrant. Vtrinque ei Nilus est, cœli hubertas, terræ fœcunditas, arua temperat, solum opimat, nautis & agricolis iuxtà vsui: hi nauigant, illi serunt: isti circumuehuntur per sua rura nauigiis, illi excolunt sine aratro serentes, viantes sine carpento.

† immensa.

Ægyptus inassueta imbribus regio.

Distinctam cernas fluentis & quasi quibusdam excelsam mœnibus nauigiorum, totis domicilia terris vagantur, quæ Nilo circunfluunt. C Est enim nauigabilis vsque ad vrbem (vt appellant) † Elephantinorum: vlteriùs nauem procedere cataractæ, quas diximus, non sinunt: non defectu gurgitis, sed totius fluminis * præcipitiis, & ob quandam aquarum ruinam.

† Elephantorum.

Portus descriptio.

Portus vrbis, vt plerique maritimorum locorum aditus, difficilis accessu, & longè difficilior cæteris, quasi ad formam corporis humani in capite ipso & in statione capacior, in faucibus angustior, qua meatum maris & nauium suscipit, quibus quædam spirandi subsidia portui subministrantur: vbi quis angustias atque ora portus euaserit, tanquam reliqua corporis forma: Ita diffusio maris longè latéque † distenditur. In dextra verò portus insula est breuis, & in ea turris maxima, quam Pharum in commune Græci ac Latini ex ipsius rei vsu appellauerunt, eò D quòd longè videatur à nauigantibus, vt priusquàm in portum appropinquent, nocturno maximè tempore, terram finitimam sibi esse flammarum * incendio cognoscant: ne decepti tenebris, in scopulus incidant, aut vestibuli limitem non queant comprehendere.

† extēditur.

Pharū turris maxima.

* indicio.

Sunt itaque illic ministri, per quos subiectis facibus cæterisque lignorum struibus, adoletur ignis quasi terræ prænuntius, & index faucium portuensium, demonstrans ingrediendi angustias, vndarum sinus, vestibuli anfractus, ne præstringat teneris carina cautes, & in ipso ingressu offendat inter opertos fluctibus scopulus. Itaque directum cursum * paulatim inflecti oportet, nec cæcis illisa saxis ibi incurrat nauis periculum, vbi speratur effugium periculorum: Angustior enim aditus in E portum; quia à dextera parte latere arctatur, à leua rupibus, quibus obstructum est sinistrum latus portus.

* paulisper.

Circa insulam quoque * instructæ ingentis magnitudinis moles deiiciuntur, ne assiduo assurgentis impetu maris, cadant fundamenta insulæ, atque * vi nimia soluantur. Vnde fit, vt illidentibus sese in partem insulæ fluctibus, & * currentibus in aduersum inter scrupeas rupes, moléque constructas, canalis ille medius semper sit inquietus, atque exasperato transitu periculosus fiat nauigiis ingressus: amplitudo portus stadiorum XXX. statio tuta, placiditas maxima quantis tempestate: quia memorati oris angustiis atque obiectu insulæ repellit à se vndas maris, & fit intus tutissimus portus compensatione quadam ingressus periculosi: quia per easdem portuensis oris angustias,

* structæ.

* iniuria vetere.

* frigoribus.

totius portus defenditur sinus, & summouetur à tempestatibus, placidatur à * frigoribus, per quos ingressus exasperantur: Nec immerito vel tutamen, vel magnitudo portus huiusmodi est, cùm in eum, quæ ad vsum totius orbis proficiant, conuectari necessarium sit. Nam & populi innumerabiles eorundem locorum, ad vsum sui expetunt totius orbis commercia, & frugum regio ferax, cæterorúmque terræ munerum vel negotiorum abundans, totum frumento alit atque instruit necessariis mercibus orbem terrarum.

CAP. XXVIII.

Tiberius Alexander præses Ægypti.

COMPOSITIS itaq; erga se rebus in Alexandria Vespasianus, & studiis omnium, qui rem militarem gerebant, circa suum imperium conspirantibus, securus absentiæ, reditum in Syriam maturat: conuerso mandaris tamē Tiberio Alexandro, qui tunc Ægypto præsidebat, vt eius exercitus, qui tum in superioribus partibus erat, gratiam sibi consociaret, ipse quoque necessitatem imperij B Romani, quibus posset adiuuaret viribus. Quæ sibi imposita forent, Tiberius per epistolam prouincialibus, & militibus insinuauit, idq; ab omnibus cum lætitia susceptum, fides promissa, effusus fauor. Vespasianum Cæsaræa suscipit: Inde Beritos, legationibus vrbium cum summo gaudio confluentibus. Illic etiam Iosephus solui præceptus vinculis iussu Imperatoris, adiuuit Titus vt frangerentur potiùs, quàm soluerentur catenæ. Quòd si frangerentur, ita esset quasi non fuisset ligatus. Placuit patri securim deferri, iussit frangi catenas, vt aduerterent Iudæi sibi quoque veniam non negandam, si conuerterentur & pacem rogarent: simul quia non alieno eum arbitrio iam reseruabat, cùm ad se rerum omnium delata arbitria forent.

CAP. XXIX. Mutianus.

VENTVM Antiochiam, ibi tractatu habito, vnde oporteret ad Italiam transmittere: quia tuta in Ægypto, vel Alesandria omnia considerauerat. Consultum celeritati. Dimittit itaque Mutianum cum parte multa equitū, & exercitus pedestris, vt præueniret in Italiam aduentum Imperatoris. Is prolixæ nauigationis reuocatus formidine, per Cappadociam & Phrigiam iter direxit.

Antonius.

Antonium quoque præcepit Præfectum tertio ordini militari, qui erat in Mysia, in imperatam se Italiam effundere, priusquàm Vitelliani sese mouerent.

Vitellius crapulatus. Cecinna.

Nam Vitellius quasi crapulatus & somno demersus, conuiuij tē geri existimans, non imperij, in tantis positus negotiis dormiebat. Denique vix tandem excitatus nuntio aduenientis Antonij, dirigit Cecinnam cum exercitus parte, & periculi sui summam alieno arbitrio committit, fretus Cecinnæ viribus, quòd Othonis manum fuderat. Ille circa vrbem Cremonensium Antonio occurrit aduenienti: explorat omnia, cognoscit præualidam manum

† è diuerso.

† è diuersis affore, strenuam bellis, exercitatam triūphis: se contrà nec viribus æquis, nec numero pares posse decernere aduersum validiores: conuocatis Centurionibus suadet bello desistere, quòd essent numero inferiores, & gloria Imperatoris præponderaret, satis in bello valere famam Ducis rem summam gerentis: Vespasianum in Gallicanis partibus, & Britanniarum victoriis emicuisse. Vespasianum Orientalibus succinctum adoreis, magno vti sui nominis præiudicio. Vitellium autē nihil aliud nisi vino solutum, & inter conuiuia pridiana semper ructantem epulas, nihil aliud expectare, nisi vt

* adueneris.

cùm hostis * aduenerit, ebrius pereat sine sensu doloris. Ex illo augeri militum animos tanti gloria Imperatoris: ex isto demi per opprobria eius & turpitudines: consu-

* amitteret.

lendum, ne prioris belli famam * omitteret, licet vicerint Othonem Vitellio parem, aduersus eum nunc esse negotium, qui totum orbem triumphis suis cinxerit: præ-

Miserum est bello ciuili vincere.

ueniendam gratia necessitatem, vt ciuem potiùs Vespasianum eligant, quàm hostem experiantur. Miserum esse bello ciuili vincere, quantò miseriùs vinci, vt videaris hostis tuorum? Victori patria manet, victo perit: aut si manet, ad sceleris inuidiam manebit, vt videamur ciuibus intulisse bellum pro tyranno. Qui enim vincitur non iam ciuis, sed tyrannus est. Quid conserimus no-

A stras manus? Semel satis sit sceleri vicisse, vt pudeat cui vicerimus. Putauimus * vel imperium sobrium fore, vel rerum molibus expergefactum, somno perpetuo renuntiare.

*Vel in imperio.

Quid expectamus diutiùs? Pericula nostra ingrata sunt omnibus commilitonibus, omnibus populis iudicia nostra reprehensa, & cōdemnata propter electi flagitia. Qualis sit considerate, qui etiam victor repudiatus est. Consultandum certè priùs de belli euentu, & sic præliandum. Si pericula præuenerint, frustrà consules, vbi consilium placuerit, rectè incipies. Quod soliciti ducis esset, explorata sibi omnia, patuisse Vespasiani exercitum esse validiorem, fidem suam pro Vitellio iam dudum probatam, quando præsumpsit de belli euentu, victoriam securam quando diffidit: in promptu esse, quid sit futurum. Neque verò mortem suam sibi esse formidini, sed exercitus Romani periculum: & quod plus dolet viris, partæ iam dispendium laudis, vt videantur victi, qui solent vincere. Sibi certè cauendum, ne iudicetur, & illud non fortitudinis, sed euentus fuisse, quòd vicerit bellu superiore, & istud ignauiæ, quòd victus posteà sit.

CAP. XXX.

HIS atque huiusmodi sermonibus abduxit in sententiam suam milites, vt secum ad Antonium pergerent voluntarij, atque ei se traderent: sed vt se habet vulgi maximè militaris mobilitas, compuncti sunt pleriq; per noctem in cubilibus suis, deserti vt Vitellij pœnitentia: ne si superior fieret, nullus sibi veniæ locus superesset, qui Imperatorem proprium dereliquissent. Et surgentes primo cum obuiis quibúsq;, deinde cum omnibus conferre cœperunt, quomodo errarum emendarent. Euagi-C natísque gladiis, insiluerunt super Cecinnam volentes vlcisci iniuriam suæ prolapsionis. Sed interuenientibus Centurionibus & Chiliarchis, à nece quidem eius temperandum rati, * victum tamen Vitellio dirigere parabant.

* vinctum.

Quo cognito, Antonius mouit eos, quos secum deduxerat, & armis super defectores irruit. At illi viso agmine partis aduersæ, parauerunt se ad prælium: sed paulisper ausi resistere, vbi se conuertêre, vt Cremonam confugerent, cum equitibus Antonius occurrit, atque omnes præuenit aditus: ne confugientes reciperentur, clausósque ante vrbem interfecit. Cæsa illic multitudo maxima, reliquos in ipsam vrbem persecutus peremit. Direpta omnia, plurimi negotiatores ex aliis locis aduenientes, plurimi incolæ prædæ causa necati, dum D sua vendicant. Extincta triginta millia, & duceni viri, qui aderant de exercitu Vitellij. Primúsque (id enim Antonio cognomentum erat) quatuor millia quingentos de Mysiacis militibus amisit: quoniam desperatione salutis vlcisci se volentes Vitelliani, vbi circumuentos se videre, haud incruentam & ipsis Antonianis victoriam cessere. Solutus vinculis Cecinna, dirigitur ad Vespasianum ab Antonio, ibíque non solùm salutis securitate, sed etiam præmiorum solutione consolatus est maculam proditionis.

CAP. XXXI.

CVIVS victoriæ nuntio elatus Sabinus, volens & ipse commēdationem sibi apud Imperatorem parare, si præueniret aduenientem Antonium Vitellij vel exitio, vel expulsione: aut si resisteret Vitellius, superueniret Antonius, qui iam iámque affuturus audiebatur, congregat E sibi militarem manum ex his ordinibus, qui Romæ positi curabant munia vigiliarum, occupat nocte & Capitolium: plurimi ad eum nobilium per diem confluxêre, inter quos etiam Domitianus Vespasiani germano editus, qui metuens, ne in se, quasi in Vespasiani nepotem,

Domitianus.

Vitelliana vltio deriuaretur: inter duos positus Vitellios, propiorem adoritur, minùs solicitus de remotiore: (plus enim propiora terrent pericula.) Indignatusque immittit Germanos in Capitolium, qui præferoces inhumanitate gentis, simul numero validiores, circumuenerunt rebellatricem Sabini cateruam: interfecti propè omnes. Domitianus tamen cum plerisque nobilium, dum Germani ad superiora Capitolij nituntur, & à Sabino eiúsque sociis loci pelluntur, suffragio fugiendi lo-

Sabinus necatur.

cum reperit, aut fortè, quia & ipse malo publico reseruabatur tyrannus futurus: Sabinum Vitellius excruciatum necat, diripiuntur omnia munera oblata Capitolio, templúmque incenditur.

Cap. xxxii. Vitellij ebrietates.

Post diem Antonius adest, è diuerso occurritur, trino circa vrbis mœnia congressu habito, fusi cæsiq; omnes Vitelliani: intereà Vitellius epolabatur, ne amitteret moriturus prandium, & redondantioribus (vt in extremis solet) mensæ sibi vltimæ dapibus refertiebatur. Obruebat se vini poculis frequentioribus, vt sensum amitteret futuri vel opprobrij, vel periculi: rapitur è conuiuio, trahitur per multitudinem, insultatur morituro, inferuntur iniuriæ, quas ebrius non sentiebat. In media pertoutur vrbe, vina simul & sanguinem fundens, & eructans crapulam, qui si diutiùs vixisset, luxuriæ sumptibus, & pretio mensarum Romani imperij opes abligurisset. Denique octo mensibus & quinque diebus imperiauit. Et B iam Roma edacitate eius defecerat: Numerata sunt alia cæsorum supra * quingenta millia

* quinquaginta millia rectius ex Iosepho.

Cap. xxxiii.

Seqventi autem die Mutianus & Antonius cũ exercitu pariter ingressi, vix finem necandi furentibus militibus imposuère, eò quòd præsumptores constituendi imperij Vitellianos persequebantur, & explorabant priuatorum domos, tanta perciti indignatione, vt cùm de populo aliquos metu latentes inuestigassent, priùs quasi Vitellianos ferirent, quàm cognitio veritatem manifestaret, vt sæpiùs vincẽtium furor interrogationem præueniret. Et quia absens erat Vespasianus, quasi ad interregni vicem Domitianum publicis Mutianus præfecit negotiis, † ne quid eius deesset rebus secundis. Nondum

† ne quis nexuus.

A tamen Domitiano se penitus infuderat libido flagitiorum rudis erat adhuc vitiis, & Tyro criminibus vt potestatibus. Vespasianus hyeme retentus, atque interclu-so ventis mari, cum filio Alexandriam redit: illic victoriæ nuntio plebisque Romanæ comperto in se fauore, profectionem maturandam constituit, ne quid absente se nouaretur: nec tamen incuratum Iudææ bellum relinquit, quod filio, quasi consorti suorum operum ac successori committendum putauit: vt neque Romanis ipse deesset, neque Iudæis Vespasianus, quem filius repræsentaret. Executor igitur paterni electus triumphi, cum electa manu dirigitur Titus, pedes egreditur, Nicopolim petit: Abest ea ciuitas ab Alexandria viginti quatuor stadiis: inde militibus classi nauium maiorum impositis, Nilo decurrit vsque ad vrbem Thoni. Vnde progressus B habitauit in ciuitate cui nomen * Thamna. Secunda mansio viantibus ciuitas Heraclea, tertia Pelusium, duobus diebus statiuorum gratia Pelusij transactis, per desertum agens iter, peruenit vsque ad Casij Iouis templum: succedit ei Ostracinæ mansio, aqua locus indigens, tamen diligentia incolæ sibi subsidium parauerãt, vt instituerent ductus aquarum. Exceperunt * Rhinocoluri exercitum progredientem, nõ sine grata refectione. Occurrit vrbs Raphæa quæ ciuitas Syriæ principium est, ex Ægypto commeantibus. Ventum est Gazam, ea erat quinta ciuitas aduenientibus. Inde in Ascalonem, deinde Gamniam, ex qua transitum in Ioppen, peruentum in Cæsaræam: vbi necesse erat paulisper morari, congregare quoque militum manum, quæ adhuc in hybernis agebat, & iam hyemis asperitas deficiebat.

Id Ioseph. lib. 5 bel. cap 14.

Ex Ioseph. scribendum Thmuin. Vet. Cod. Tanis quod conuenit cũ Iosepho.

* Rinocoluri. Ioseph. Raphia

EGESIPPI DE EXCIDIO HIEROSOLYMITANÆ VRBIS HISTORIÆ, LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

Anno primo delati imperij Vespasiano, bellis asperis Iudæa & seditionibus domesticis lacerabatur, nec per hyemem inducias malorum egerat, quando solent bellorum sæua requiescere: quia etiam tertius ei tyrannus Eleazarus accesserat, quasi emendaturus vitia superiorum, qui coniurantibus secum Iuda, & Zenonis Simone, & Ezechia nõ ignobili iuuene, quos plurimi alij comitabantur, & occupatis templi interioribus & circuitu omni, supra fores in vestibuli ipsius fronte, arma constituère. Ioannes tamen conspirantium numero præstabat, & factionis multitudine, sed loco inferior: quamuis nequaquàm feriaretur, sed repugnaret superioribus, grauabatur tamẽ, quòd supra verticem haberet hostes. Simon verò, quem D sibi tyrannum populus introduxerat, superiora vrbis tenebat: inferiora quoque populo ipsius replebantur. Trino prælio laborabat intra se ciuitas, nulla intermissio, nulla requies, nullæ induciæ, momentis omnibus dimicabatur. Multi ruebant, innumeri iugulabantur, manabat sanguis, fœdabat vniuersa, ipsa replebat templi limina, passim ruebant cadauera: sagittis alij, alij missilibus feriebantur. Inter tres medius erat Ioannes, inferior Eleazaro, superior Simone: quò superabatur ab Eleazaro, eò ipso superabat Simonem: medios enim inter vtrumque cum locum tenebat, * vt quò plùs grauaretur ab altero, & ipse plùs noceret alteri, instructior tamen cæteris subsidiis machinarum, & genere telorum bellum æquabat ita tamẽ, vt præter eos qui bellum mouerent, plerique etiam Sacerdotum interficerentur: atq; E

Eleazarus tertius tyrannus. Cod. Vet. Ezeronis. Ioseph. Ezronis filio.

* in quo.

C inter ipsas, quas mactauerant hostias, immolarentur: quamuis enim frequens super vniuersos rueret telorum seges, & vbique feruerent prælia, tamen Sacerdotes sacrificandi ministerium solenniter obibant: nec feriabantur commisso sibi munere, & quò in interioribus erant templi, eò grauiùs perimebantur: quia tormento acta vehementiores ictus habebant. Plerique etiam, qui de vltimo orbe precatum venerant, sperantes remedia salutis, quò magis templo inhæserant, eò maioribus periculis inuoluebantur. Cerneres externos cum ciuibus, Sacerdotes simul & profanos iacere, graues cum turpibus, luxoriosos cum abstinentibus, confusoq; omnium promiscuè sanguine, & quasi profluuio decurrente, interiores ipsos stagnare secessus tẽpli: in circuitu omnia cruore tumescere, vt plerique, dum inuicem propugnatores partium petunt, lubrico offensi, * quassati furore, in sanguine demergerentur: nec sic tamen periculis territi abstinebant prælio tyrãnorum satellites & quò maius periculum, eò ampliùs desæuiebat tempestas furoris. Si iis grauius incubuerat exitium, alij quasi ad victoriam vehementiùs inuitabantur, vt turbatos deferrẽt. Et Eleazaro quidem vel Simoni cedendi potestas erat, vt quasi quibusdam vel horarum se repararent induciis: Ioannes * verò semper in procinctu, momentis omnibus in certamine: si superiores quiescerant, vrgebant inferiores ex parte Simonis: si hos perturbauerant, Eleazaros infestabat: nec ipse tamen illos quietos esse patiebatur, vbi alios depulerat, in alios prosiliebat, peruigil in certamine, & ipsa impiger crudelitate: vbi parcebant telis, ignes iaculabantur, qui comprehensis tectorum fastigiis, depascebantur domos, quæ refertæ frugibus, cæterisque subsidiis alimentorum, ad belli tolerantiam prolixioris, pari-

Promiscua cædes.

* quasi sic; oati.

* tamen.

ter exurebantur: maiorique pabula incendio dabantur, ruebant ambusta materiarum, deuoluebãtur sublimium ædificiorum culmina. Ita sanguine, incendio, ruina, fame, totius vrbis oerui succidebantur. Nullus locus periculo vacabat, nullum consilio tempus reperiebatur, nulla spes conuersionis, nulla fugiendi copia erat. Mœsta omnia, plena horroris, plena immanitatis, vbique luctus, vbique pauor, vbique clamor mulierum, eiulatus senum, morientium gemitus, viuentium desperatio, vt miserabiles eos diceres, qui remanserant; beatos qui obierant.

Cap. 11. Alloquitur author populum Iudaicum.

QVOMODO decepta es ciuitas populis tuis, quibus quondam videbaris beata? Quomodo expugnata es tuis armis, atque in te conuersæ manus tuæ sunt, quæ solebas sine armis vincere, & sine vllo prælio hostem ferire, cùm pro te Angeli dimicarent, & B militarent tibi fluctus maris, terræ hiatus, cœli fragores?

Moses.

Exurge nunc Moses, & vide gentem tuam, & hæreditatem populi tibi crediti perire manibus suis. Aspice populum illum Dei, cui peruium gradienti mare patebat, cui esurienti escas cœlum subministrabat, sine mari clausum, sine Pharaone obsessum, sine terrarum sterilitate

Aaron.

ieiunum. Exurge Aaron, qui aliquando, cùm propter offensam Dei omnipotentis mors plurimos populi depasceretur, stetisti inter viuentes ac mortuos, & mors stetit, atque obiectu corporis tui hæsit lues, nec transire potuit ad contagionem viuentium. Suscitare & tu Iesu

Iesu Naue.

Naue, qui muros inexpugnabiles Hiericho Sacerdotibus tuba canentibus complanasti, & vide populum, cui exteros subiecisti, nunc eundem subiectum opprimi.

David.

Suscitare Dauid, exasperantem spiritum citharæ suauitate solitus excludere, & vide, quemadmodum dominetur furor, atq; omnẽ suauitatem psalmorum tuorum ex perditorum sensibus † absoluerit, & vnusquisq; de principibus populum vniuersum ad mortem offerat, vt libertatem extorqueat, pro quo teipsum morti offerebas.

† abolenerit.

Elisæus.

Suscitare Elisæe, qui hostem introduxisti in Samariam, & amicum fecisti: per te in castris Syriæ quadrigarum increpuit fragor & vox equitum, & vox virtutis: fugit hostis, euasit obsidionem Iudæus. Vbi nunc ista merita, vbi nunc istæ operationes Sanctorum? Nec mirum, si amiserunt Prophetarum opera, qui negauerunt Prophetarum arbitrium: ideóq; in te Iudæa arma vertuntur tua & orationes tuæ nihil tibi prosunt, quia fides tua nihil operatur: ideo aduersum te factus est populus tuus, quia in te conuersa est perfidia tua. Quod remedium quæritur, vbi author remedij nõ reconciliatur? Quid putabas futurum, cùm tuis manibus Saluatorem tuum crucifigeres? cùm tuis manibus vitam tuam extingueres? cùm tuis vocibus aduocatum tuum exterminares? tuis infestationibus auxiliatorem tuum interficeres? Nisi vt in te quoque tuas iniiceres manus: habes quod petisti, eripuisti tibi Præsulem pacis, petisti necari vitæ arbitrum, concedi tibi Barrabam, qui propter seditionem factam in ciuitate, & homicidium, missus fuerat in carcerem. Ideò salus abs te recessit, pax abiit, quies destitit, data est tibi seditio, datum excidium: agnosce tibi hodiè Barrabam viuere, Iesum mortuum. Ideò in te regnat seditio, pax sepulta est, vt crudeliùs à tuis pereas, quam si ab alienis perires. Quid tantum tibi miserabilis ciuitas, Romanus suis armis, quantum populus tuus malorum inuexit? Vt cum Romanis impugnares, tui fecerunt: pacem volebant Romani, tu bellum † indixisti. Quid causæ erat, vt fortiores lacesseres? Durum sanè, quòd contra legem sacram templum gentilis intrauit: sed iam non eras Dei templum, non eras Dei ciuitas, nec esse poteras, quia eras mortuorum sepulchrum, & præsertim tuorum quos ipsa occideras, non quos ab hoste amiseras. Quomodo enim vitæ esse domicilium poteras, quæ eras mortis habitaculum, diuersorium scelerum, latronum spelæum? Iacuerunt in te Ananus & Iesus insepulti Sacerdotum principes, & illi dudum sacerdotalibus amicti stolis, qui venerationi etiam exteris fuerant, de-

Fide nihil operantis oratio vana.

Iudæorum impietas. Barrabas.

Iesus.

† induxisti.

Ananus & Iesus insepulti.

A fumi iacuerunt cadauere, escæ volatilium, & deuoratio canum, membra lacerati tota † dispersa vrbe, vt deplorare veteris sanctitatis species videretur, tantam sacri nominis contumeliam, & speciosi quondam muneris deformitatem: sed ipsa tibi huius indignitatis exordium fecisti, quæ in medio sinu tuo occidebas Prophetas, qui lapidabas Sanctos Domini. Ante templum iacuit Zacharias exanimis, iacuit inhumatus: hic ergo sanguis illum lauat. Quæ causa autem mortis Anano, nisi quòd increpauit populum tuũ, quòd non insurgeret pro templi defensione, quia expostulabat libertatem proditam, virtutem desertam, calcatas veterum sacrorũ reliquias, commaculata altaria: relinquendum asserebat populum vsu simulachrorum insensibilium, & statuarum de marmore, nihil iam sentientem. † Multa enim animalia referre solent vel vindictæ vicissitudinem, sentire iniuriam, incitari aculeo, declinare verbera: qui ergo nec excitatur, nec declinare nouit quod noceat, similis est non sentientibus. Et reuerà vbi est libertas illa tua, cuius studio quondam non Ægyptiis, non Palæstinis, non Assyriis, posteà non Medis cedendum æstimauisti? Vbi est illa Machabæorum fides, quæ quondam in paucis fudit Babylonios, Persas fugauit, Demetrium perculit: ad postremum in paruulis & mulieribus Antiochi arma, gladios, incendiáque superauit, & pro obseruatione patriæ mori maluit, quam Regis imperiis obtemperare? Vbi est illa deuotio Patrum pulcherrima passionum omnium, qua se non pro liberis, nõ pro coniugibus magis, quàm pro templo Dei morti offerebant? Antè & virga † Aaron sacerdotalis floruit, recisa de syluestri radice: nunc C & fides aret, & sepulta est pietas, & abiit omnis virtutis æmulatio. Nec mirum, si populus, qui à Deo recessit, & improbum contradictionis spiritum sequitur, in seipsum diuisus est. Quomodo enim pacem suam tenere poterat, qui pacem Dei repudiauit? Pax Dei Christus est, qui fecit vtraque vnum. Meritò ergo ex vno populo plures aduersus se facti sunt, quia noluerunt sequi diuisa consociantem IESVM, sed secuti sunt coniuncta diuidentem furoris spiritum. Soluebas igitur Hierusalem mercedem perfidiæ tuæ, cùm ipsa tuis manibus destrueres munimina tua, cùm tuis mucronibus foderes viscera tua: ita vt hostis misereretur, & tu occideres: vt ille parceret, & tu sæuires. Videbas enim, quòd Deus aduersum te pugnaret, & Romanorum partibus fungeretur, D vt ipsa tibi inferres voluntariam proditionem. Et ideò spectatores malebant esse Romani, quàm percussores, ne † feruentibus tuis inter se visceribus, manum admouere contagionis magis quam fortitudinis æstimarentur. Ad hæc nefandæ cædis supplicia accedebat impiæ immanitas crudelitatis, vt sepulturam omnibus, qui vel in templo necati fuerant, vel circa vrbis plateas, negarẽt: nec humare cuiquam vacabat, dum bello inter se occuparentur, feriendique magis quàm humandi cura vniuersos tenebat. Ita quodam furore occidebant pietatis officia, crudescebant impietatis ministeria, nihilque magis in tantis calamitatibus perierat, quàm misericordia, quæ sola solet alleuare miserias, solari ærumnas. Nam & hi, qui amiserant suos non audebant humare propter formidinem, cùm grauis terror ingrueret à diuersæ fa- E ctionis principibus: & hi, qui necauerant alienos, cauebant ne quis illos præriperet ad sepulturam. Itaque necesse erat omnes timere, ne quod alteri donare vellent, id sibi sumerent: vel quod peius est, quem parauerant aliis vsum sepulchri, eum ipsi non impetrarent. In templo igitur ipso pro vnguentis benè olentibus, pro thymiamatis benè spirãtibus, pro diuersorum florum odoribus, grauis erat insepultorum cadauerum fœtor, quos pluuia dissoluerat, quos flamma combusserat, quos sol calefecerat, omnes artus cæsorum ciuium diro odore fœtebant: hinc resolutorum putredo viscerum, inde exustorum nidor, sensus omnes atque ora complebant viuentium, vt ipsi non multò pòst grauiore morbo consumerentur, ac se superstites ingemiscerent, quò du-

† dispersi.

Zacharias.

Defensio naturalis.

† Muta.

Machabæorum fides.

† Aaron, nõ est in manuscript.

Fides aret, pietas sepulta est.

† fatentibus.

Misericordia solatur ærumna.

Leges naturæ soluuntur.

riore pœna perirent: eóque seruatos, vt viderent cum patria simul, solui etiam leges naturæ, negari ius viuentibus, pacem ciuibus, sepulturam defunctis, humana pariter atque diuina maculari ac pollui, permixta omnia, crudelitatem esse misericordiam, religionis locu haberi crudelitatem. Castrum in templo, bellum in limine, furor in altaribus: ea se spectare oculis, quæ Prophetis denuntiantibus non credidissent futura. Nónne de ipsis dixerat Dauid? Polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt morticina seruorum tuorum escam volatilibus cœli: Effuderunt sanguinem eorum velut aquam in circuitu Hierusalem, & non erat, qui sepeliret: Simul enim tunc & gentes venerunt in hæreditatem Dei, quæ auferrent omnia, & templum pollutum est suorum funeribus, & insepulta iacuerunt cadauera interfectorum ad escam auium bestiarumque voracitatem: Effusus sanguis, vt stagnaret in templo, deesset qui sepeliret: quia à viuentibus in mortuos, à mortuis in eos, qui adhuc viuerent, furor transferebatur. Volebat aliquis defunctum humare? ipse extinguebatur: & qui defunctum occiderat, in sepulturem transferebat iracundiam, vt illi sepulturam negaret, hunc extinguebat: rursus qui sepultorem occiderat, maiorem crudelitatem circa defunctum exercebat, vt iam nihil debentem odio, non sentientem supplicia, spoliaret supremo naturæ debito. Quid illis aliud accidere poterat, qui diuina non recipiebant oracula? Irridebant Prophetarum annunciationes, fas omne calcabant: non credebant futura, quæ vt fierent, ipsi accelerauerunt. Erat enim sermo vetus & frequens, tunc perituram vrbem Hierosolymam, & sancta eius exurenda, cùm seditio belli legem incesseret, & domesticæ manus templum Dei contaminarent: sed ne hoc quidem intellexerunt. Quoties enim excisa domus Dei, quoties seditio, quoties obsidio, quoties bellum? & nunquam illa vrbs periit, nisi quando verum templú Dei domesticis manibus crucifixerunt. Et quod illud templum? Audiant: Soluite templum hoc, & in triduo resuscitabo illud. Quid enim aliud, nisi sacrilegium fuit, cùm impias manus extenderent in authorem salutis, cùm lapidarent, cùm verberarent, cùm corriperent, cùm occiderent? Tunc verè sancta * eorum absumpsit ignis diuinus: nam & exusta à Babyloniis, reparata posteà: destructa à Pompeio, reformata iterum: sed penitus exusta, vbi Iesus venit, & spiritus diuini calore soluta euanuerunt. Oportuit uberiore quadam deploratione † præire nos funus quoddam paternæ solennitatis, & velut exequias quasdam prosequi, ac soluere iuxta maiorum instituta: sed veniamus ad exordium obsidionis Hierusalem.

Excidij Hierosolymitani prædictio.

Christi corpus templú vocatur.

* sanctorú.

† exprimere.

Cap. III. Exordia obsidionis Hierusalé. Titus parat se obsidioni.

Ravserat in Iudæam Titus, & paucis diebus interpositis, vt replerentur ordines militarium numerorum, de quibus lecta manus missa fuerat in Italiam, bellum adolebat festinans comitari patrem ne in pericula solum dimitteret, aduersus Vitelliana arma conflicturum. Mouit itaque iter magno decore exercitus, † solitudo vbique, & parato agmine suspectans insidias, quia virtute se superiorem videbat. Venit per Samariæ loca, suscepit eum † Gosna, quæ ad Romanos iamdudum concesserat: venit in Aolauam, vnde aberat Hierosolyma stadiis XXX. nihil amplius. Inde assumptis equitibus numero sexcentis perrexit equitatum ante vrbem: exploratum quoque loci situm munimentorum qualitatem, murorum altitudinem, studia plebis, quæ ferebatur latronum armis premi, & factionum stipamine circumueniri: vt in vita acquiesceret obsidioni, quò minus voluntatem erga Roman. proderet, si libertas daretur. Speciosè igitur cum paucis equitabat in aggere publico, qui ad muros vrbis dirigebatur, nec quisquam est visus progredi. Verùm vbi ad obeundum murorum circuitum flexit equum in latus, cùm cætera * turba ducem sequeretur, erupère subitò plerique de loco qui appellabatur contra Helenæ sepulchrú, & exilientes occupauerunt iter, vt intercluderent maiorem equitum partem, quæ Titum sequebatur ipse cum paucis prætererat, consultò insidiantium, vt destitutus à cæteris faciliùs opprimeretur: quia neque ad suos regredi facile erat, propter instantem hostium multitudinem, neque progredi vlteriùs fossæ aut vallum sinebant, cæteráque locorum impedimenta, quibus anceps periculum inferebatur.

† sollicito.

† Ioseph. Gophna.

* turma.

Helenæ sepulchrum.

Videns itaque Titus in virtute † sua positum sibi remedium salutis, nec aliter nisi ferro iter aperiendum: Iam enim alij reflexis equis discesserant, † dum & ipsi Imperatoris filium secuturum sperarent, conuertit equum, hortatúsque clamore cæteros, vt sequerentur, supra hostem irruit: impossibile hoc videretur, quomodo potuit euadere, nisi notum esset, in bello plurimùm audaciam posse, quæ vel sola sibi murus est: Deinde quia
B aliis pone sequentibus, vile vulgus sibi magis in periculo consulendum putabat, quàm hostem persequendum: † At si qui manum extenderat, vt equum teneret, feriebatur. Denique duo tantùm ex Titi sociis interfecti, cum reliquis Imperatoris filius ad suus reuertit. Neque sanè dubitandum videtur, quòd intectu capite, nudus cætera: vt potè qui in excursu processerat, non ad bellum paratus, nec galeam, nec loricam induerat, eò nihil exceperit vulneris, cùm maximè in ipsum tela iacerentur, quòd ad excidium vrbis illos vir tantus reseruaretur. Est, est profectò cor Regis in manu DEI. Itaque ne cresceret audacia Iudæis euentu fraudis & doli profectus ad vrbem cum exercitu, post noctem redit, & de specula quadam, vnde ciuitas prospectaretur, & templi magnitudo amplissima, demon-
C strat suis, cum qua vrbe sibi bellum foret, impigros & cautiores esse oportere: quod innumerabiles sibi populos expugnandus foret, & fraudi paratus. Ordinat qui muris ordines appropinquarent, quos adhuc fessos nocturno itinere cognouerat, quasi succenturiatos eminùs locat. Paulatim proceditur. Vbi ventum ad montem Oliueti, vallis sub ipso media inter eum atque vrbem interiacebat, cui nomen Cedron: vbi constitutum exercitum de muris aspicientes (nam sex stadiis aberat) seditionis ad tempus studia deposuère, & externis hostibus aduenientibus, domestico fœdere sequestrata ciuilium bellorum certamina. Plerunque enim etiam acerba odia metus comprimit. Denique cohortati sese inuicem factionum viri, vt in vnum conspirantibus
D studiis partiam defensarent, ne eorum discordia incruentam Romanis victoriam daret, freti numero hostem subitò adoriendum putarunt, & improuisa eruptione primos turbauère. Sed vbi se Romani ipso vsu veteri, & diuersorum generum præliis exercitati, confirmauère animis ordine suo † nexi, cædere incursantes cœperunt, scutis repellere, proturbare iactu telorum, haudquaquàm tamen sine communi exitio. Et propè iam incubuerant Iudæi, & nutabat acies Romana nisi cognitis rebus aduenisset Titus & occurrens aduersariis, confirmans suos reparasset prælium, & erexisset animos militum, increpans Romanas acies, confusæ multitudini, non sine maximæ ignauiæ probro victoriam cedere. Repulsísque Iudæis, qui etiam valle diuisos insectabantur, ad suos se victor recepit, securúsque
E suffragij, quod loci superioris aduersum inferiores, si tentarent congredi, subsidia dabat, ad aliam partem se Romanus exercitus conuertit. † Discedente Cæsare infundunt se de muris Iudæi, & ingenti agmine super hostem irruunt: ita vt innumeræ concursio multitudinis, milites fugerent, ac sese ad montium conferrent superiora, nudato latere, etiam cæteri, qui prælium mallent, fugere. Intereà Cæsar in medio † populi situs, orantibus plerísque, ne se periculis daret, atque exercitu disperso, summam periculi solus subiret, cùm Dominus esset orbis terrarum (non enim vt antè, vice militis pugnaret, sed imperatoris, in cuius periculo pernicies esset vniuersorú) non acquieuit, sed militiæ decus præponens saluti, apud quẽ gloriosa mors vitæ opprobrio præpon-

Cap. IIII. † sola. Titus periclitatur. Audacia in bello munus est.

† Ac si quis.

Cor regis in manu Dei.

Mons Oliueti Cedró vallis.

Metus plerúmque acerba comprimit odia.

† uiri.

† Descendente.

† popul. alias deest.

derater, aduersum pectus hostibus refert, territisque, quos aduersum ierat, in alios sese retorquet. Sola enim † spe sui & nimis notæ atque alacris fortitudinis gloria perturbabat hostem. Cedebant itaque quos accesserat, sed ex aliis partibus Iudæi magis magisque insurdebantur: ac pene concluserant Titum, nisi quia plerique militum videntes in medio belli versari Cæsarem, conclamauerunt cæteris significantes, Imperatoris filium periculis non relinquendum. Sic vniuersos reuocauit pudor, atque armauit metus, ne deserti Cæsaris ignominia inurerentur. Conuersique in Iudæos, nisu omni ac virtute inconditam multitudinem in vallem vrgebant, nec difficile fuit ascendentes relabi. Sic Titus fugientem numerum militarem bis reuocauit à fuga, periculóque pariter exuit & opprobrio, virtute pati visus, & ad postremum pudore. Qui dum ignauiam declinat, virtutem inuexit: primùm ne Cæsar relinqueretur, post etiam, vt hostis repelleretur.

† specie.

A

B

Cap. v. Forensi prælio succedit internum. Dolus Ioannis.

Post hæc vbi forense prælium paulisper quieuit, internum successit. Namque paschalis interueniu celebritatis, subornatis plerisque Ioannes, qui quasi obseruationis gratia templum adirent, & tanquam socius data ingrediendi copia, dolum patrauit. Ingressi enim specie ciuili, sed interiùs armati, rejectis euoris gladios attollunt loricato pectore, & præliari accinctis munimine. Quo terrore perculsi, qui intra templum inermes celebritati vacabant, exilierunt, templúmque vacuum dereliquerunt. Eos illis secutis, & quos potuerunt comprehendere, iugulantibus, alios vltra templi circuitum persequentibus, irrumpendi Ioanni sociísque eius occasio data. Cæsi illic multi mortales, ita vt etiam, qui non resisterant, afflictis causis aliquibus iugularentur: nec tranquillitas quietis proderat, nec silentium tacitis, nec cedentibus patientia. Comprehensisque interioribus templi, etiam Simonem inquietabat Ioannes in secundarium locum, Eleazaro cæterisque Principibus factionis tertiæ sibi subrogatis.

C

Cap. vi. Titus tertiò in hostem progreditur.

Tertio quoque Titus progreditur in hostem, atque exercitum producit. Adueniénsque offendit stipatam Iudæorum ante vrbem multitudinem, specie volentium se Romanis tradere, sed quasi reformidantium. Suspicatus dolum, & maximè, quoniam proximè conspiratos inter se, & pertinaces viderat: non arbitratus credibile subitò mutatos, admonuit milites fraudem cauendam, nec temerè nisi secundum præceptum suum, conferto agmine muris appropinquandum: ne à tergo illi, qui vrbem egressi fuerant, circumfunderentur. Subitò de ciuitate increpuit sonus, & quædam seditio dementer resultauit: aliorum egressionem voluntariam simulantium, aliorum etiam resistentium, quòd illi aperiri sibi portas poscerent, hi clausas seruare iuberent: alij bellum, alij pacem optarent. Militum vulgus ad subueniendum his, qui subuenire sibi de muris postulauissent, proripit sese: egrediuntur plerique præruptim, sine ordine, sine vllo modo, tanquàm occursuri aduenientibus, atque auxilium laturi, vt propiore remedio pluribus erumpendi confidentia tribueretur, vel resistentibus metus, aut inter reluctantes erumpendi sibi copia. Quibus se à tergo circumfundere cœperunt qui foris stabant, vrgere circumuentos: illi quasi ad murum confugere, nihil suspectantes ab his, qui pacem prætenderent. Inde quoque saxa, & tela † inici, & subitò ficta pax in prælium versa est. Vnde conciti in hostes recurrunt, qui etsi circumuenire tentauerant progressus militum Romanorum, tamen metuebant & ipsi, ne ab omni exercitu circumuenirentur. Itaque dum vniuersos cauent, hos, plurimis licet vulneribus impressis, & ipsi maiore ex parte saucij, propè de manibus amisere, quos iam captos putabant. Secuti tamen vsque ad Helenæ sepulchrum, sicut mons est insultantibus clypeis concrepabant, illudentes Romanis quòd eos iam secundò insidiis circumuenissent.

D

† deiici.

E

Cap. vii. Oratio Titi ad suos.

Caesar commotior regredientes misceri cæteris vetat, & concionem aduocat, dicens: Magna cum sit virtus Romana præstans vniuersarum gentium populis: maximè tamen ea præcedit dispositionis ordine & præceptorum obedientia: ea est enim disciplinæ militaris custodia: Nec mirum si Iudæi dolos intexant, fraudes struant: qui se iudicent impares fortitudine. Sed vt inferiorum & nisi insidiis, sic fortiorum cauere ne virtuti illudat dolus. Mirari itaque se, quod illi in desperatione sibi congruant: Romanis non conueniat in meliorum processu: eóque fieri, vt illis effectus fraudis in vado sit, nobis virtutis conatus in ambiguo. Quòd si validior esset fortitudo hostium quàm fraus, superari minus flagitiosum. A paribus enim aut fortioribus vinci opprobrio vacat. Cùm vero nihil in nobis offendat, nisi sola pugnandi immoderatio, & * propria quadam manuum intemperantia, quid nequius potest esse, quam præsente Cæsare disciplinam repudiari militiæ? Multum arbitror ipsas ingemiscere militiæ leges, tantæ dissolutionis flagitio: multùm Imperatorem, cùm hæc compererit, qui semper audiri se à milite suo, quam timeri ab hoste maluit. Obedientia enim militis effectum properat, metus hostium differt victoriam. Quid iudicaturum de filio patrem putatis, cuius tam vile Imperium sit apud exercitum? Pronunciatur enim de duce, cuius præceptum dissoluitur: nec dubium quin sæpiùs vindicatum sit in eos, qui cõtra Imperium in hostem pugnauerint, quàm in eos, qui secundum Imperium progressi, virtuti cesserint. Nam legibus egredienti ordinem præscripta mors est. Quid igitur futurum, vbi non vnus, sed passim exercitus relinquit ordinem suum, & statutum Ducis negligit? Cognoscite vos milites esse Romani Imperij, plebis, Senatus apud quos sine præcepti authoritate, & vicisse crimen est. Huiusmodi oratione perterruit non solùm Præpositos militum, sed etiam vniuersum exercitum. Nam cùm ipsos principes ordinum acriùs peteret, videbatur in omnes vindicaturus. Circunfusi itaque omnes rogabant, vt paucorum culpa, qui primi destiterant, vniuersis concederetur. Etsi non fuit properus ad delicti gratiam Cæsar, fuit tamen exorabilis ad indulgentiam. Concessit cum summo pondere dicens, donare se omnibus, satisque in vniuersos vindicatum inuectionis authoritate, eò quòd animaduersio in singulos vsque ad factum procedere debeat, in multitudinem verbo tenus, illam vsque ad pœnam, istam vsque ad correptionem. Sæpè enim bonis exercitibus præliares lapsus futuræ * virtutis causas dedisse.

A

Infirmiorum insidię sunt.

* propera.

B

C

Multitudinis quæ sit correptio.

D

* vinuti.

Cap. viii.

Post hæc Titus in hostem iram conuertit, & considerans inter tot præcipitia, tot prærupta periculosam obsidionem: cùm repentinis † irruptionibus præuenti, non haberent milites, quo referrent gradum, vnde se in hostem proriperent, vbi machinas constituerent, iubet repleri ante vrbem præcipitia: quæ cùm fieret, nec sic quidem Iudæi exortes erant præsentium periculorum. Afflictabantur domestico prælio, cùm Romani in replendis præcipitiis occuparentur. Nec exigua manus partis vtriusq;: decem millia cum Simone erant, & quinquaginta eorum Duces: Idumæi quoq; ad quinque millia, Simonis partibus astipulabantur, quibus præerat Iacobus & Simon iunior. Ioannes autem interioribus templi (ea fraude qua suprà diximus) occupatis, sex millibus armatorum stipatus, bellum accendebat. Adiuncta sunt ei etiam duo millia, cum aliis quadringentis viris posteaquàm coire cepere, studiis concinnentibus ad vrbis defensionem, Eleazaro & Simone Arim, quibus & antè vtebantur, rectoribus. Quibus certantibus inter se, præda erat in medio populus eorũ, qui vicerant, & quasi præmiũ certaminis, huc atq; illuc pro euentu vario trãsferebatur. Paulisper inter se conuenerant more induciarum, & ad primum Romanorum impetum expergefacti, in veterem morbum febris internæ ægris visceribus recidebant: vbi remissior erat exteriorum morborum accessio. Foris erat plerunque bellum, intus seditio, eò iam grauior, quia & ipsa seditio bello alebatur, & bel-

† eruptionibus.

E

lum alebat. Duo de potentia certabant, populus inter vtrumque, non de seruitute anxius erat, sed ne ad Dominum deteriorem perueniret.

Cap. ix. Conditor vrbis Hierosolymitanæ.

VRBEM Hierosolymam Chananæorum quidam potens condidit, qui patrio sermone vocaretur Rex iustus, quam primò Solymam nuncupauit: posteà templum addidit, vnde Hierosolyma dicta ciuitas est. Ea à principio suos incolas habuit de gente Chananæorum. Dauid primus vir Hebræus Chananæos expulit, constituit suos, qui in ea domum sibi regiam fecit. Voluit & templum Deo condere, sed prohibitus oraculo. Solomonem hæredem reliquit, qui templum, quod ipse voluerat, ædificaret. Solomon itaque templum fundauit, reliqui quoque Reges ad ornatum vrbis addidêre plurima. Inuidia ex magnificentia orta: inter omnia tamen opera templum præcellebat amplissimo opere, & fulgêti marmore: in quo erat * deambulatorium, peripetasma pretiosum, & maximum, cocco & hyacintho, byssóque intextum & purpura. Non otiosa materia tantæ diuersitatis, sed cuius species * materiam rerum latentium significaret, eò quòd eius esset templum, qui cœlo & aëri, terræ & mari, quasi creator elementorum dominaretur, atque omnia solus regeret, & gubernaret. Cocco enim igneum cœlū figuratur, hyacintho aër, bysso terra, quod in ea nascitur: purpura mare, quæ conchylis marinis inficitur, vt duo ex colore, duo ex generatione colligas. Denique princeps Sacerdotum hæc quatuor indumentu suo exprimere consueuerat, quando maxima celebritas erat festorum dierum, quasi totum mundum indueret, pro populo supplicaturus, in eius figuram, qui venturus erat princeps Sacerdotum Iesus, qui tolleret peccatum mundi. Fœmora princeps Sacerdotum linteo interius operimento tegebat, eò quod præ cæteris in Sacerdote fides mentis quæritur, & corporis castimonia, quæ succingere debeat carnis intemperantiā. Duo erant tabernacula sacra, vnum interius, alterū exterius: in hoc semper introibant Sacerdotes in illud interius, quod secundū appellabatur, semel introibat tantummodo princeps Sacerdotum, non sine sanguine, quem offerret pro se, & pro populi delicto. Hoc significante Spiritu sancto, venturum Iesum, qui verè solus intraret interiora diuinorum penetralia sacramentorum, & arcana substantiæ cœlestis, qui nosset omnia. Solus quoque patri sanguine suo totum mundum reconciliaret, vt & cœlestium & terrestrium misereretur. Denique posteaquam venit, pacificauit omnia per sanguinem crucis suæ, quæ vel in cœlo vel in terra sunt. Intus thymiamaterium, intùs mensa, intus lucerna. Thymiamaterium, quod ita ad Deum patrem sicut incensum dirigatur maximi Sacerdotis oratio: Mensa quod in ea passio Christi sit, & mysteria sacramentorum, vnde & Dauid dicit: Parasti in conspectu meo mensam. Cuius velut duodecim panes, 12. Apostoli sint testes passionis eius, ac resurrectionis eius. Lucerna, quæ supra candelabrum ponitur antè sub modio erat. i. sub legis mensura, nunc est sub gratiæ plenitudine, heptamycho frequens lumen effundens, eò quòd Spiritus sanctus septem maximarum gratiarum virtutibus DEI templum * illuminaret. Trinitatis igitur cognitio in interioribus erat templi, quę dicebantur Sancta Sanctorum, vbi reposita quondam virga Aaron floruit, quòd sacerdotalis gratia in Christo amplius esset operatura post mortem, qua mundum redemit. Ante templum erant quatuordecim gradus, per quos Ezechiæ Regis tempore vmbra ascenderat, significans ei vitæ finem futurum. Sed oraculo monitus, orauit, & meruit mortis dilationem hoc indicio, quòd iisdem gradibus sol refunderetur, qui significaret tot numero annorum commeatum ei vitæ refusum.

Solomon templum fundauit.

* deambulatorium, non est in manuscript.

* Mysteria.

Sancta Sanctorum.

Rationes quarundam cęremoniarum.

* illuminet.

Cap. x.

CVM igitur munita esset vndique ciuitas plurimorum Regum operibus, & maximè Herodis, qui castrum (cui nomen Antoniæ) ad summi operis magnificentiam communiuit, & amplissimo ornauit decore, circumibat Cæsar requirens, qua ex parte se posset faciliùs vrbi infundere, inspectóque per totum circuitum muri ambitu, æstimauit in finitimo tumuli, quo sepultus iacebat princeps Sacerdotum Ioannes, adoriendam obsidionē. Cui diligentiùs exploranti, adhærens vnus ex amicis Nicanor studiosiùs intendens muneri sagitta percussus, cadit. Propiùs quippe accesserat, dum putat aliquem profectum fore pacis futurę, si sibi conserendi sermonis daretur copia, qui putens ac validus ad tentandos audientium animos æstimabatur. Commotus Cæsar, quòd ei, qui salutaria * commoueret, improuiso vulnere mortem irrogauissent, in prælium cogit agmina, bellúmque accenditur iactu telorum diuersu, missilibúsq; maximè, admouentur arietes, queîs feriuntur valida murorum. Qua perturbati omnes qui antè de dominatuois inter se studio certabant, in concordiam coëunt, dataque impunitate superiorum, vnum corpus sese fecêre, & conspirati cogente periculo, vrbem tuentur. Progressi quoque tumulos, ignem super machinas iaculabantur, vt destruerent aggeres, exurerent vineas, arietes incenderent, ac penè omnia machinarum genera exusserant, nisi electi plerique militum & sociorum, maximè ex partibus Alexandrinæ vrbis, strenuè repugnauissent. Quibus tamen validè resistentibus, addidit Cæsar adiumentum equitum potentiorum. Ipse quoque acriter pugnans sternit XII. aduersi agminis propugnatores. Ita vis multitudinis reliquæ exitium declinans in vrbem reuertit, & ab incendio Romana opera defensa. Cecidit eo prælio Ioannes Ductor Idumæorum, dum ante muros, cognito sibi Romano militi sermonem conserit, ictus terga sagittæ vulnere, continuò labitur. Arabem ferunt peritissimum de iaculatoribus eius obitus auctorem: grauique mœrore affectos Idumæos, quòd virum & manu promptum amiserant, & bonum consilio.

Antonia castrum.

Nicanor.

* suaderet.

Ioannes Ductor Idumæorū cecidit.

SEQVENTI nocte accidit vt tres turres, quas Titus attolli iusserat supra aggerem, quo Iudæos vel ex æquo, vel ex superiore spiculis figeret; subitò nulla vi hostium ruerent. Quo sonitu Romanorum exercitus omnis turbabatur, ea opinione quòd ab hoste destructos aggeres, succisas turres arbitrarentur, quæ ruentes ingentem latè stragem dedissent: Ac penè admissum erat facinus miserabile vt victores incertis per noctem hostibus fuga cederent, nisi quòd tenebræ ruináque ipsa, excito puluere prospectum ademerant, vt quò fugerent incertum haberent: Quærebat vnusquisque de proximo quid accidisset, nec cognoscere veri poterat fidem, quia similiter ab omnibus eiusmodi casus ignorabatur, donec Cæsar rebus compertis, insinuare præciperet, id quod acciderat, casus repentini, non vllius hostilis fuisse irruptionis. Sic sedatus pauor, expugnandæ vrbis subsidium omne in viribus locatum. Nam cùm altissima murorum essent, & pleráque ferro aut ære operta, atque ipsa altitudine hostes à iaculis defenderentur, Romani admouere arietum machinas, quorum ictu frequenti muri * valida laxabantur: inniti leuioribus spiculis cœpere & sagittis, vt propugnantes auerterent, impedimenta prohibentium detorquerent. Sic paulatim quatientibus murus cedebat: vnde maiorem ipsum arietem, excisorem vrbiū Iudæi appellauerunt. Soluta itaque murorum parte, dereliquêre Iudæi muri ipsius propugnacula, securi, quòd duos alios murus interiores haberent, & concessere ad murum secundum. Illis fugientibus, Romani ingredientes per caua muri, portas aperuêre: sic intromissus omnis exercitus, penè diruit murum exteriorem, ne bellantibus esset impedimento: aut si res aduersæ forent, claustrum refugientibus.

Cap. xi. Tres turres subitò corruunt.

* validè.

Romani per caua muri ingrediuntur.

DIVISERVNT sibi loca Ioannes & Simon coniurati circa murum secundum, Ioannes cum suis in castro, cui nomen Antonia, prælìabatur: ei propinqua erat porticus templi, quæ vrgebat ad partem septentrionis. Nam & ipse locus (in quo castrum posteà Antonij vocabulo conditum) inter duas iacens porticus septentrionalis, hoc est, Brios nuncupabatur; Simon verò ad Ioannis sepulchrum vicem tuendæ vrbis susceperat: his pro salute,

Cap. xii.

Locus Brios nūcupatus.

salute, Romanis pro victoria certamen erat. Quibus etsi virtus * potentior ad congrediendum, locus tamen inferior ad obsidionem: cùm eos de muro grauaret prælium, temeritas Iudæis insolentior, fortitudo Romanis acrior erat: imminebant partibus Duces, eóque maior oriebatur contentio, dum quisque suis ductoribus pericula sua gestit probare. Simon suos vrgebat terrore & formidine: Romanos Titus pudore sui quàm maximè commouebat, quòd morte grauius arbitrantur, non exhibere pericula sua Cæsari, cùm ipse toties pro exercitu periculis offerre se non dubitauisset. Armabat eos vincendi consuetudo, & cedendi ignorantia: præcipuéque præsens vniuscuiusque virtutis arbiter Titus, à quo non remuneratio fortitudinis expectabatur, sed supra omnia, fructus amplissimi erat præmij, illo spectante quicquam strenuè gessisse, quod ei non displiceret. Eo incentiuo Longinus equestris militiæ vir excitus, aduersas pro muris videns Iudæorum cateruas, tanquam indignator quòd Romanos bello lacesserent, & ex equo prodire auderent, desiluit equo atque in medios se iniecit hostes. Et vnum * more ipso patantem occurrere, telo percussit, simúlque eius vocem & animam rapit: Alteri ereptum de corpore prostrato telum infigit, & ad suos victor sese recepit. De præeminentibus loquimur: cæterum multi imitatores vtráque ex parte, sed diuerso genere: Iudæis desperatio audaciam dabat, Romanis gloriæ cupiditas virtutem addebat. Par tamen, imparibus animis, mortis contemptus: Iudæis solatium putabatur, cum hoste commori. Titus festinabat conficere bellum, sed sine suorum dispendio, qui etiam ipsos hostes seruare si posset, quàm perdere malebat. Nec aliud monebat militem, nisi consultò bellandum: eam solam esse veram virtutem, cui sit comes prouidentia: nam sine consilio fortitudinem temeritatem videri, nec vsquam magis cauendum quàm in victoria. Perire enim cum inferiore superiorem, victi triumphus est. Consulendum itaque ne videatur euentus fuisse, quòd vicerit; ignauiæ, quòd consortium periculi non euaserit, iubet itaque arietem admoueri ad medium muri septentrionalis.

potior. — *Longinus in medios irruit hostes.* — *in ore.* — *Virtuti prouidentia comes.*

E R A T ibi Castor callidus, & ad fraudem paratus, qui fugatis cæteris per iacula sagittariorum, cùm aliis * nouæ fraudis sociis prætendebat. Is vbi appulsu arietis turrim euerti, murum labere, ac facilè tutum, si tormenti ictus repeteretur, animaduertit, manus tendens rogabat Cæsarem voce miserabili, vt perituræ vrbi iam parceret, nec supremo excidio labefactandam putaret. Cæsar æstimauit quòd sedulò veniam deprecaretur, manus daturus vt deditio præcederet, iubet tormentorum cessare, iaculatores temperare à prælio. Castori dat loquendi copiam. Ille descensum simulare, dein quasi suadere suis: alij velle, alij reniti, subitóque velut indignantes qui cogerentur, supra loricam se percutientes cecidêre. Miraculum ingens, cùm fraus lateret, sic tempus * duxêre: Inter quæ vnus è militibus Romanis iaculo sagittæ narem Castoris percussit. Ille deplorare & conqueri apud Cæsarem, poscere vt iuberet aliquem sibi dextrá dare, ita se perfugio vsurum. Cæsar Iosepho mandat negotium: verùm ille, qui caueret Iudæorum insidias, nihil syncerum in eo intelligere se respondit. Aeneas tamé propius murum successit, & vt aduenientem susciperet, occurrit. Cui Castor vociferans, vt sinum aperiret, aurum exciperet, saxum dimisit. Ille oculis vigilantibus lapidem præuidit, celeríque corporis saltu lapsum euadit: alium tamen * propè astantem saxi inuoluit immanis ruina. Hoc Cæsar intuens acriùs incubuit ad murorum direptionem, præcipiens maiore vi tormentorum impelli. Contrà ad exurendas machinas ignes iaciebantur. Sed vbi murus solutus est, Castor cum suis quasi in ignem se deiecit, dolo prætexens animi magnitudinem in contemptu mortis, cùm dolo turpi vitæ effugia captaret.

Cap. xxiii. Castor callidus. — *nouem. Ioseph. decem.* — *ducere.* — *propter.*

V N V S iam murus, hoc est tertius supererat, subuersis duobus: adhuc tamen Cæsar reseruabat patientiam, qui aduerterat iam sibi perire, quicquid petisset. Dum parcit, & prouocat ad deditionem, non expectato agmine, cum paucis irruens supra murum secundum, congregata manu Iudæi in angustiis plurimos sauciauerût: plerisque etiam vtrinque mortui. Tunc Cæsar eminus sagittis figebat resistentes: inter confertos iacula nusquam eludebantur, nullus ictus sine vulnere. Sic remouere sese Iudæi cœpere: & Titus suos recepit. Et fames iam vrbem grauiter incesserat. Iudæi tamen pro victoribus, quia se intra secundum murum receperant, quasi expulsis Romanis gloriabantur: sed neque lapsa reparare, nec lapsura defensare poterant. Restiterunt tamen aliquantulùm: Pugnatum triduo ad murum secundum, quarto die virtutem Romanam non sustinentes, refugêre intra tertium murum. Cæsar ab irruptione interim temperari iubet, subuerti tamen præcepit secundum murum. Et quia supererat maxima belli portio, statuit vt miles sibi conueheret alimenta, ne victores inopia vrgeret, afficeret indigentia. Quatuor diebus sibi miles frumenta conuexit: simúlq; idoneum visum est tempus quòd Iudæi, si sibi consulerêt, conuerterentur. Et populus quidem malebat, sed principes seditionis reputantes quæ in plebem grauibus flagitiis perpetrauerât; dum nullum veniæ locum * sperarent, perire cum omnibus leuius arbitrabâtur, quàm si soli authores perirent. Quinto itaque die, quia nihil à Iudæis pacificum deferebatur, gemino agmine Cæsar mœnia aggreditur: & duos aggeres attolli imperat, vnum contra * Antonium, alterú contra murum, qui erat contra Ioannis sepulchrum. Eo enim superioris vrbis excidia * petebat: illo autem altero, si castrum expugnauisset, etiam téplo facilè potiretur. quod nisi in suam potestatem deduceret, etiam vrbem tenere non poterat sine periculo. Diuiserat Titus exercitú in duos ordines. E diuerso quoque distribuerant sibi Ioannes & Simon officia defensionis: Antoniam defensabat Ioannes, Simó cú armatis suis & populo Idumæorum ad sepulchrum Ioannis speculabatur, atque omnes obsidentium conatus de superiori loco, quibus poterat generibus eludebat. Et iam exercitatiores erant, malis edocti occurrere machinis obsidionis, pluraq; genera sibi tormentorum & ipsi asciuerant, quibus Romanorum opera destruerent, cœpta impedirent. Quorum Cæsar aduertens præcipuè pertinaciam, admiscere operibus sermoné voluit, ne fortè desperatione veniæ perulcaciùs obniterêtur, ac spe promissorum possent desistere. Suadere itaq; cœpit, ne se captæ vrbis excidiis inuoluerent, permitterêntque eam suæ potestati, quæ armis iam teneretur, & circumuallata obsidione premeretur ad excidium supremum, cedêtibus se veniam daturum: si modò vel sibi vel patriæ consulerent, ne tota ciuitas dirueretur. Mandat quoque Iosepho, vt ipse patrio sermone ciues alloqueretur, * vt fortè contribules suos, vel ipse inflecteret, vt furori proprio renuntiarent. Qui licet effusa Iudæorum in se odia nouisset, tamen quantùm à iactu sagittæ longius poterat, remotus à muris, ita verò vt posset audiri prolixiùs a ciuibus noto sibi alloquio prosequebatur.

sperant. — *Antoniá.* — *patebant.* — *si fortè.*

F V E R A T Hebræi, humani ingenij contendere pertinaciter antequá res ad supremum veniret, dum putatis vos loco & notæ regionis subsidiis fore superiores: licêt conueneritis Romanos, bello insuperabiles, armis non prouocari, à quibus sæpe victi sunt, qui vos vicerant: sed tamen habet hunc lapsum improuida mens hominum in rebus secundis, simul quia plerunq; belli dubius euêtus: & ideò se vnusquisque * forti committit virtute inferior. Postremò de muris speratis non putatis etiam vsque ad templi progrediendum euersionem. Parcite aris, parcite altaribus, parcite domicilio quondam cœlesti, Iá enim vos & Deus ipse deseruit, quia vos pietatis cultum deseruistis. In medio templi bellum pertulimus, circumfusi ignes templum oberrant: sed non quales solebant, circumsistunt armati. Adhuc tamen putas à sacrilegio manus habentes, volunt Romani parcere, nec sacros contaminare postes, nec veteres abolere ritus, si vos

Cap. xv. Hebræum ingenium. — *forti.*

finatis: quid expectatur vlterius? duo muri euersi, tertius superest, & ipse infirmior lapsis duobus. An præsidium speratur diuinum, atque auxilium de penetralibus? Sed qui nos defendebat, ad hostem migrauit: quoniam quem nos colebamus, Romani venerantur, nos offendimus. Quis autem ignorat cum illis esse Deum, qui sibi omnia subiecerunt, nisi quæ nimio æstu aut gelu inuia sunt? Et ideò extra Romanum Imperium, * qui eadé extra vsum humanum diuersis populis Deum per vices dedisse potentiam: Primò Ægyptiis, pòst Iudæis, Assyriis quoque & Persis auxiliatorem fuisse nullus negat: postea conuersum ad Romanos, cum his perseuerare. Denique cessisse illis vniuersa regna, omnem terram in possessionem datam. Quid vobis cum victoribus vniuersæ terræ, quibus secreta Oceani, & extrema Indiæ * parent? Quid attexam Britannias, interfuso mari à toto orbe diuisas, & à Romanis in orbem terrarum redactas. Tremit hos Scotia, quæ terris nihil debet: tremit Saxonia inaccessa paludibus, & inuiis septa regionibus. Quæ licet belli curam videatur augere, & ipsa frequenter captiua Romanis accessit triumphis, validissimum genus hominum perhibetur, præstans cæteris: piraticis tamen myoparonibus non viribus vtitur, fuge potiùs quàm bello parata. Sed refertis, mori præstare, quàm libertatem amittere. Quando vobis ista Iudæi successit sententia? aut quando apud Hebræos vtilis fuit seruitus, libertati inutili non prælata? Iacob ipse Patriarcha in Ægyptum deduxit Hebræos ne perirent fame. Descenderunt Patriarchæ, simul duodecim filij eius, præclara illa generis nostri exordia. Ibi Iudas ille nobilis Iudæorum prosapia, qui nomen populo dedit. Ibi Ioseph curru sublimis & equis, subiicere se in potestatem maluit, vt aleret suos, quàm ad originis propriæ libertatem redire. Ibi Beniamin pia fraude germani retentus, consensit dolo: quia non erat crimen seruire potentioribus. Ibi hæreditas eorū, cùm vocaretur à Mose, tamen hęrere desiderabat. Sic Patribus vestris etiam dura seruitus nō displicebat, vt periculis anteferretur. Seruistis ergo Ægyptiis, atque vtinam semel. Sed non solū tunc seruistis quando cœlestis escæ pluuiis alimoniam seruitutis extremę pręferebatis: sed etiam posteà victi atq; captiui descēdistis in Ægyptum, cùm Assyrios refugeretis. Seruistis etiam Assyriis per multa annorum curricula, & dulcis illa seruitus erat. Seruistis Macedonibus, Persis, Seleucensibus, Palęstinis, solos Romanos vobis graues putatis, quibus & illi seruiunt, quibus vos seruiebatis? Vtrùm igitur odium his debetis an gratiā, qui vos Dominis vestris pares fecerunt? vltionem vestri hanc non cōtumeliam puto, quia vos de his vindicauerunt, quibus subiecti eratis. Seruitio premitur Assyrius, qui Asiæ toti imperitabat. Arat Ægyptius Romanis, serit se suo quod * ille metat. Macedonia, quæ vsque ad Indos deuicta Perside, Imperium diffuderat, agnoscit Dominos, quos ignorabat, & frustrà se Regibus suis Æacidarum nomen imposuisse reminiscitur. Certè nō aliàs cessisse, nisi ad Romanorum triumphum, quibus & ipse Pyrrhus Achilleæ sobolis, & prosapiam & vocabulum præferens, victus armis, ita se promerendæ pacis studio subiecit, vt veniam rogaret. Nā de Palæstinis quid loquar, quos vnius præsidis potestas coërcet? Ingrati nunquid non vestra nobilitas est cū Persis seruire? hoc est enim seruire vobiscum Reges, regnumque maximum habere socium subiectionis: sed quæro, quando fueritis liberi, qui nunc seruitutem recusatis? Quando ergo liberi fuistis? vel rùm aliis dominaremini, qui sub Rege eratis? Habebatis Regem Deum, repudiastis regnum ipsius, sub quo solo eratis liberi, voluistis seruire hominibus. Cur Patrum reuellitis testamenta? hæreditas & in patres contumax. Elegistis Regem cui nomen Saul. Occiso illo, Palæstinus vobis populus imperitauit: successit post tempora Dauid in totius populi regnum, minor quidem * Domino, sed Dominus tamen, priusquàm requiesceret Dauid, genti tamen & ipse Regem imposuit. A Solomone rursus scis-

* quia aduersis populis Deus per vices potentiam dedit.

* parent.

Seruitus necessaria.

Iudas nomen dedit Iudæis.

* illis.

Romanorum dominatio.

* Dominū.

A sum in * duo regnum, & diuisa per longam seriem dominationis hæreditas. Vt transiliam captiuitates, Cyrus plerosque terris suis Iudæos & sacris suis reddidit. Sed patres vestri cùm Persarum præliis grauibus atterentur, quamuis nobiles Machabæorum triumphis, elegerunt sibi Romanam societatem. Tenet scriptura diuina multarum pacta legationum. Facti estis Romanorū amici, qui Persarum serui fuistis. Sed rursus maluistis Regem habere, quàm * sacerdotum Principem, cui populus obtemperaret, cùm sæuitia vestrorum regum esset intolerabilis: defuncto Herode, pulso Archelao, sub Cæsare esse romano postulauistis. Tradidistis vos Cæsari cui * seruistis omnes ad mutandum in * melius seruitium. In cōmuni enim conditione vniuersorum seruire, quædam libertas est: quoniam dignitate dominantium honestan-
B tur obsequia seruorum: Quāquàm Romani seruitutem non exigant authores libertatis, quia non solùm immitem Regem necarunt, sed etiam superbum nō passi sunt, & ideò augustum apud eos nomē est Imperij, quòd augeat suos, non quòd alienos opprimat. Sed esto, sit vtile vobis, non obedire Imperio Romano, videamus si liberū, si non exitiale. Vrgent vos Romanæ acies, vrgent patrię ruinæ, vrget templi excidium, non quod vtile sit, sed quod possibile, perpendite. Non enim votorum species, sed possibilitatis ratio pensanda. Lex nempè naturæ eadē omnibus hominibus, volatilibus, feris, bestiis infusa, vt vnusquisque cedat potētiori: taurus, leoni: ceruus, vrso: leopardo, caprea: aquilæ, accipiter: accipitri, colūba: ipsi tauro, iuuenci inferiores: arieti, ouium greges: hirco, caper: ne diuersi generis esse videatur aliqua distan-
C tia, vos * potentioribus. Romani tamen neminem expellunt, vos expulistis: imò illi agunt, ne quis etiā victus de terris suis exeat. Antiocho partem regni seruauerunt. Et nunc Cæsar quid aliud laborat nisi vt terra vestra nō deseratur, regio vestra non euacuetur, ciuitas non euertatur, templum non concremetur? Non omnibus victoria datur. Paucis præesse natura dedit, pluribus obtemperare. Tauri armentis eminent, arietes gregibus. Penes paucos eminentia, penes plurimos mansuetudo: Et vos induite mansuetudinem, suscipite subiectionem, quam etiam feræ induunt. Hæc cùm diceret Iosephus, conuiciabantur de muro. Maledicebant vtilia suadenti. Plerique etiam iaculabantur sagittas, si possent eum morte affligere. At ille, qui oratione non flectebat indomitos,
D scripturarum quoque testimoniis conueniendos arbitrabatur: maximè quia dicebant Deum templi sui præsidio non defuturum.

* duos.

* sacerdoti.

* subiecti.

* melius.

Imperij nomen augustum.

Lex natura omnibus eadem infusa.

* potiorib⁹.

Tamararii, nunccine demum vobis diuinum auxilium affuturum speratis, quando permiscuistis omnia bello, altaria violastis? diruistis totius vrbis munimenta? Temerarij inquam, & vestrorum immemores authorum, scuta & gladios parastis, & hoc aduersum Romanos. Non talibus armis vincere solebatis. Quando enim in hasta & gladio fuit Hebræorum victoria? Recordamini vnde orti, & à quibus sitis profecti, quomodo patres vestri hostes suos vicerint. Temerarij, quem vobis adiutorē eripuistis, dum aliena subsidia deposcitis? Non in multitudine populi, sed in timore Dei *
E pater Abraham penetrauit Aegyptum, & cùm abductæ coniugis captiuam videret pudicitiam, bello tamen abstinuit, assumpsit piæ orationis arma, defensorem adhibuit, qui dormiente eo vinceret, & expugnato hoste intaminatam sibi coniugem repræsentaret. Redit Sara sine armis, referēs viro triumphalem victoriam. Dormiebat Abraham, & torquebatur Pharao. Metuebat Sara, & Pharao crimen negabat. Eiiciebat alienam, & damnato crimine honorabat castimoniam, quàm spoliare desiderauerat. Additur aurum, & argentum ad Saræ pudorem, vt condemnaret voluntatem facinoris expertem. Rogabat patrem Abraham, vt pro sua ad Dominum familia deprecaretur. Erat enim infœcunda domus eius. Remeat Sara ditior saluo pudore, reuertit Abrahā sanctior, qui coniugalis pudicitiæ remunerationem sterili-

Cap. XVI.

Non in multitudine populi victoria.

* cod. vet. presbyter.

taris remedio compẽsauisset. Quid de filio eius Isaac loquar? Is quoque paterno fretus monimine, aduersus finitimi potentis insolentiam, non armatas produxit acies: & certè habebat CCCXVIII. vernaculorum validam manum, quæ Reges quinque bello superauerat, spoliis exuerat, captiuum Loth Abrahæ patruo restituerat: Nõ gladium vagina exuit, sed solam aduersum inuidentes patientiam induit, simplicitatem retulit: Venerunt rogantes, qui exterminandum denunciauerant: poposcerunt amicitiam, qui finitimum non ferebant. Contremisco tanta Patrum recensere mirabilia: Iacob sanctus, Esao fratre parricidium minitante patriam reliquit, parentes deseruit, solius secum orationis ferens viaticum, meritóque in peregrinis locis cum fratris metueret insidias, & hominum comitatu atque auxilio egeret, inuenit Angelorum consilium, perductus (vt ait) ad castra Dei, colluctatus est Domino: & sicut dicit Scriptura: Præualuit neo, qui imparem se hominibus arbitrabatur. Quid aliud Moses aduersum Regem Ægyptiorum exercitúmque & dracones eius, nisi solam virgam leuauit? O potens virga, quæ cœlum tenebris obduxerit, terram imbribus inundauerit, siccauerit mare fluctibus: cinxerant Hebræos Ægyptij, orabat Moses & non dimicabat. Diuisum est mare, & populus intrauit, sequebatur Pharao. Moses inter fluctus positus orabat, demersus est cum suis Pharao, cantabat Moses. Quis hæc & talia considerans non admiretur, & non intelligat in oratione nobis meliora esse arma quàm in virtute? Illa enim sibi diuinum auxilium adhibet, hæc corporis. Didicit hæc arma, quę non carnalia sunt, sed fortia Deo. Mosis discipulus, atque idem successor Iesus Naue, qui imitator & suppar magistri Iordanis aquas conuertit retrorsum idemque cùm inexpugnabiles Hierico vrbis muros * viderat, sacerdotes tuba canere iussit, iubilare populũ, quo facto repentè cecidêre muri atque exusta ciuitas est, & omnes necati sunt, nisi quos Rahab bonæ meretricis fides à memoratæ vrbis excidio defendit. Gedeon quoque trecentos viros ad bellum elegit, * eodémque non arma præterre, sed mysteria præcepit. In manu leua hydrias aquæ plenas tenere, in dextera faces: qua specie perculsi hostes fugêre illicò, atque ad Hebræos victoria peruenit. Intermissa erat sacræ cora religionis Heli sacerdotis negligentia, diuina Imperia * deserebantur, irrogatum ab Allophylis prælium, victi Hebræi, capta etiam arca Dei est, & sine armis reddita * illis: quo indicio claruit, quòd & sine religione arma non vincant, & religionem sine armis vincere. Ezechias Rex, infuso Assyriorum populo genti Iudææ, cùm voce Rabsacis Imperio Sennacherib Regis, quæ in Deum iacerentur conuitia, quæ populo, quàm suprema exitia denũciarentur, satis comperisset: insinuantibus, non verba verbis, nec arma armis referenda credidit: sed exurgens, cilicio se vt scuto induit: pro galea cinere caput texit: pro iaculis orationem intorsit. Ascendit oratio, descẽdit Angelus, cęsa per noctem Assyriorum CLXXXV. millia cadauera numerauimus, percussorem non vidimus. Prætereram de quinq; Regibus, quos inconsulto Domino bellũ adorsos, per desertum meantes, aquæ inopia vehementer afflictare cœperat, ipsósque & equos eorum sitis vexare. Necessitas pretermissum officium reparari coëgit. Erat enim Rex Israël negligens circa Dei cultum, admonitus tamen ab aliis, vt omnini Prophetam requireret: cognouit Eliseum ab iisdem, in quibus degerent locis, non lõgè abesse, misere oratum * auxilium orationis, & remedia necessitati. Licet offensus erat Regi Israël, quia perfidus non credebat, promisit tamen & hubertatem aquarum, & victoriæ celeritatem. Manare cœpit aqua per desertum, & sponte se sine vllis imbribus infundere terris fluenta. Surgentes aduersarij, quos securos victoriæ somnus hubertior laxata presserat sollicitudine, subitò videre sole fusso rutilare aquas: fuerunt qui inter regum populos bellatum putarẽt, quorum sanguine terra * maderet. Itaque in prædam festinantes passim sine ordine,

Arma Christiani orationes & lacrymæ. Ambr.

* viderat.

* eodémque.

* differebantur.

* vllis.

* auxilia precationis.

Moabitas intelligit de quibus 4. reg cap. 3.

* inundaret.

A sine modo currere, alius alium præuenire, sic præcipites in medium progressi hostium vallari, interfectiq; ingentem suis stragem dedêre. Ita * hortatus Propheta à patribus nostris sitim pariter & metum depulit, idémq; aduersus famem auxilium tulit. Nam cùm obsideretur Samaria, atque * in eo clausus maneret Rex Israël, grauis eos vrgebat fames, vt ne à nefandis quidem alimentis abstineretur, conuentus Propheta tantæ miseriæ deformitate, simúlque regis nuncio, qui putaret Prophetæ dissimulatione famem adoleuisse, respondit: Sequenti die, & hubertatem frumenti, & * vtilitatem videbis. Non credenti nuntio, dixit: ipsum quidem, quia non crederet non visurum, promissorum tamen fidem non defuturam: subitóque per noctem in castris Syriæ hinnitus equorum, curruum fragor, quadrigarum currentium fremitus, armorum * sonitus auditu metum incussere victoribus, quod in auxilium Hebræis multæ ac validæ gentes commeauissent, ac sese imminerent, vt arbitrabantur, periculo fuga eximere properauerunt. Nox consilium maturauit, terrorem auxit. Fugientibus itaque Assyriis, omnes, quas inuaserant copiæ, in castris die sequenti repertæ. Abundantia * vtilitatem creauit, * vtilitas fidem impleuit, mors incredulo ipsi quidem fructum eripuit, publicum tamen remedium non impediuit. Liquet igitur plurimos Patrum Duces, cùm minimè præliarentur, victoriam adeptos. Alios quoque bello superiores fuisse: quibus consulentibus, bellandi ius oraculo permissum foret. Denique victus Amalech: sed cùm Moses manus eleuaret, vicit Iesus Naue cùm solem sisteret. Vicit & Gedeon, cùm in aqua adiutores C probaret. Sampson etiam, cùm adhuc intaminatum crinem seruaret: vicit & Samuel, sed cùm adiutorem lapidem figere proposuisset. Triumphauit Dauid, cùm Bethsabeam (hoc est, filiam Sabbati) suo coniugio propheticis * ministeriis copulauisset: vicit etiã bello ciuili, quod refugiebat illatum: non inferebat (nil enim bello ciuili fœdius) solus qui potuit inferre: vicit & Asaph prælio, sed posteaquàm desperantibus suis, quòd numero essent inferiores dixit, nihil interesse, pauci an plures sint, cùm Deus paucos timentes se pluribus faciat validiores. Bonus profectò fide, si vsque ad finem perseuerasset: vicit & mulier armis quæ fidem Deo seruauit. At verò Saul victus est, quia Dei præceptum nõ custodiuit. Vulneratus Iosias, quia contra imperium in hostem processit. D Sanctus cæterùm, & ideo raptus, ne captiuitatem nostris debitã peccatis videret. Clamauit Nachao: non sum ad te missus, ferens eius fidei testimonium, sed inuoluit eum, sicut antè Amasiam, consortium degeneris societatis. Denique & ab homine Dei monitus erat, vt illos, quos ad belli societatem centum argenti talẽtis conduxerat, dimitteret, si vellet vincere. Cui dubitanti, quod tantum pretij amissurus foret, respõdit Propheta, quod haberet Dominus plura, vnde etiam argentum eidem restitueret: quo fretum conductis renunciasse auxiliis, vicisse cum paucioribus, ne ipsum quidem Deo istæ victoriæ mercedẽ soluisse. sed illicò ipsis simulachris, quæ victor cœperat, detulisse sacrificia, quasi eorũ beneficio vicerit, quæ in prædam captiuitatis redegerat. Sedechias ipse incumbentibus iam patriæ ruinis, per Hieremiam E conuentus Prophetam, cùm hostili obsidione premeretur, vt vrbem egredi non metueret, victorem futurum, si cœlestibus imperiis obtemperaret: aut captiuum si defendẽdum putasset, infidelitate semetipsum & suos decepit. Abductus erat ab Assyriis populus Iudæorum in Babyloniam, reliqui ad Ægyptios transferre se, qui resederant, deliberabant. Mandauit Dominus per Hieremiam Prophetam, & cęteros, vt vnius gẽtis essent imperio cõtenti, ne geminata captiuitas ærumnã augeret. Verùm illi post habentes oracula Dei facti sunt duarum captiui gentium, qui vnius gentis iugo exire impatienter desiderauerant. Itaque in Ægypto exules perseuerauerũt. At verò illi, qui in Assyrios ducti sunt, expleto tempore captiuitatis, quod pro peccatis populi Dominus

* sanctus.

* in ea.

* vilitatẽ.

* sonitus auditi.

* vilitatẽ.

* vilitas.

Aliã rationẽ nominis tradũt Hebræorum nominum interpretes.

* mysteriis.

constituerat, posteà Cyro imperante, remeandi facultatem adepti, reuerterunt cum gratia. Renouatum Dei templum est, Regum opibus Cyri & Darij, cæterorúmque Persarum muneribus: ipsi itaque qui euerterant, reparandi sumptum dederunt, restituerunt etiam ius Sacerdotum, coluimúsque inuenimus religionis. At verò nostri dum sacerdotium inter se comperunt, & apud Parthos ambiunt conferri sibi memoratum honorem, de religione mercaturam fecerunt. quid de Babylonis querimur? Nostris experti sumus deteriores: Illi nobis reddiderunt [a] omne ius religionis, illi Sacerdotum creationem restituerunt, & nostri eam Persis resudêre. Illi sacerdotales infulas permiserunt nostræ potestati, nostri eas Babyloniis vectigales fecerunt. Quid adiiciam cruentatum sacrarium sanguine, madere sacra limina, semiruta adhuc stare templi fastigia? Minor est circa nos ira Dei, quàm nostra contentio: illa nos captiuos fecit, ista sacrilegos: illa disseminauit Iudæos, hæc sustulit. Conferre, si videtur, quid intersit inter captiuitatem nostram & seditionem nostram. Captiuitas nostra gentibus infudit nostræ religionis consortium. Seditio nostra etiam Iudæis ademit religionis gratiam. Quis autem Romanos in Iudæam introduxit, nisi Hyrcani & Aristoboli contentio? Quis Sosium, nisi Herodes? Quis Antonium, nisi Sosius? Quis Cæsarem implorauit sibi Regem, nisi vos? Quis alius præter vos Antipatrum regno expulit, & libertatem in Antipatro? Et tamen non reprehendo, neque abnuo Florum in vos sceleste consuluisse. Sed querela Romanis deferenda fuit, non arma inferenda. Spreuistis Neronem, sed Vespasianus successerat: qui benignus natura, benignior tamen etiam studio esse potuit, quia in Iudæa imperium assumpserat: aut si non mouebat pietas, virtus certè eius vos debuit adigere, vt vobis consuleretis. Sed quomodo vobis nō parceret, qui pepercit Iosepho? Cui enim infestior, quàm mihi esse debuit? Quis maiora aduersum Romanos munimenta extruxit? Quis studiosius pro patria decernendum putauit? Postquàm vobis [a] bellando complacita conditio est, bellorum quidem initia non probabam, sed suscepta non deserebam: testantur hoc Iotapatæ vrbis, quæ bellantem adhuc testes erunt, fauillæ, me bello non [a] destitisse, nisi post eius ciuitatis ruinas: destituisse, quoad potui in illo euersæ vrbis sepulchro, pertulisse famem, ne Romanis me traderem: quæsisse veniendi ad vos effugia: sed deprehensum, non sponte egressum, maluisse petere cum meis, sed pepercisse Cæsarem: optasse vobiscum potiùs periclitari, non quòd probarem consilium, sed quò diligerem periculi vobiscum consortium [a] Gratias tamen Deo, quòd tanti sceleris non incidi societatem, ne seditionum inceptor existimarer: aut quia his miscerí nequiuam, parricidiū, quod mano declinare poteram, vel morte implerem. Certè ne sanctissimam matrem pro me dilaceratam cernerem, mœrórumque dispergi viscera, quæ miseranda quidem, sed tamen tolerabilius est ea pati, quàm fecisse. Quid igitur adhuc expectatis? An signa maiorum? Non ea nobis merita, non ea circa Dei cultum officia. Non ea Romanorum quæ Assyriorum infidelitas, qui accepto pretio discessionis fidem fregêre: nec recedendum, sed acriùs ingruendum putarunt. Quinetiam vt ex accidentibus colligamus diuinæ motum sententiæ, Deum Iudæis aduersari certum est. Denique Syloa, quæ ante bellum sicca fuerat, & omnes extra vrbem fontium venæ, quæ deesse ceßauerunt, vt aquas nostro deesset vsui, nisi pretio quæsita: nunc in vsus sedeunt suos, & Tito se aduenienti refundunt. Scaturiunt huberes venæ, atque ita aquarum redundantium omnia replentur, vt non solùm exercitui largè ad potum exhuberent, sed etiam equis, bellatoribus ac iumentis, pecoribúsque vniuersis, hortorum quoque irriguis non desit aquarum abundantia: vt tanquàm adnitentibus elementis victoriæ Romanæ largiores ctedas fundi meatus. Recognoscimus prodigia superiora, quæ etiam tunc nostræ vrbis præuenerunt captiuitatem: cessauit aqua Iudæis, refudit se hostibus, ne sitis obsidio impediretur. Nec mirum est, si recessit à Iudæis diuina gratia, quos ista flagitia circumuallarunt. A vero bonus vir plenum horroris non refugit diuersorium? & domum suam deserit, si quid in ea commissum sceleris agnouerit: declinat indignæ habitationis consortia, execratur conuersantium iniquitates: & dubitamus de summo & immaculato Deo, quòd abhorreat tantorum cōtagia flagitiorum: & funestorū scelerum auersetur attocitatē, nec demoretur in parricidarum conciliabulis, qui Dathan & Abirom, quia Mosem & Aaron præripiēdo sacerdotij munere lacessiuerant, separari ab innoxiis præcepit, ne pios aut macula contaminaret de consortio noxiorum, aut pœna inuolueret? Sed quid ego diutiùs sermonibus immoror, cùm plena horroris & gemitus omnia circumfundantur, templique excidium properetur? qui istud oculi spectare, qui sensus perpeti, quis tolerare potest animus? O saxis duriores, ferro rigidiores, qui in istis rerum humanarum prodigiis adhuc inter vos tanquàm ad virtutis æmulationē de scelere certatis, & quod est grauius, qui ipsi patriam destruitis, atq; eius augetis ruinas. Conuertimini aliquandò, aliquandò resipiscite, iudicate, & videte pulchritudinē patriæ, quam prodidistis, quæ vrbs, quod templum, quæ Sanctorum domicilia, sacrarūmq; penetralia, quę prophetarum opera vestris manibus euisceratur? In hæc quisquam flammas ducit, & sparsit ignes & incēdia ministrat, nec vllo affectu mouetur, nec ruptis in se sentiret rigor, resolueretur. Certè & insensibilia plerumq; in maximis rerum acerbitatibus sensus speciem [a] metiūtur, vt scopuli tremant, & madentes sanguine guttæ fluant: vos autem immobiles perseueratis, [a] vt quid melius post hæc superfit, quid dignius quod referuetis. Postremò si ista non mouent, quia apud pios præstantiora sunt, vestrarum saltem miseremini necessitudinum, ponite ante oculos filiorum vestrorum necem, aut ferro aut fame: & his acerbiorem, vxorum & filiarum seruitutem, quibus tuta libertas erit, pacto deditionis, aut captiua seruitutis vrbis euersione. Consulite dū licèt, ne grauiora post mortem relinquatis, quàm ante mortem fecistis. Nec ego liber ab huiusmodi periculo sum. Nam & ipse, quia cū vestris simul periclitatur sanctissima mihi mater, & chara vxor, haud ignobile genus, & quondam domus clara. Ac fortasse propter meos hæc me hortari arbitramini: occidite eos, & accipite insuper mercedem meum sanguinem, libenter hāc soluam mercedem vestræ salutis, si post me sapere potestis.

[a] Omne. alias deest.
[a] bellandi.
[a] destituisse.
[a] Gratia.
Siloes desectus.
[a] mentiétur aut si quid

Cap. XVII.

Ea Iosephus cum lacrymis vociferatus, plerosque de populo inflexit: vt ad Romanos confugerent, venditis quæ possidebant. Quos Titus quò quisque cupiebat, dirèxit: vt etiam cæteri prouocarentur Romanis se sine metu tradere. Confluebant itaque reperta egrediendi copia, securi salutis, si ad Romanos conueniretur, solliciti de seruitute, quibus libertas reseruaretur. Hi verò qui sequebantur Iohannem ac Simonem arbitros & incentores seditionis, magis scelerum pœnas, quàm aduersa bellis reformidabant: ideoque in rota sibi refugia opinabantur. Nec solùm ipsi non audebant egredi, sed etiam insidias prætendebant, ne cui liceret è populo exire. Maiórque cura erat egressionem suorum, quàm Romanorum ingressus cauere. Tenebantur itaque inuiti, & si quis deprehensus foret, graues pœnas dabat. Suspicio tenuis, grauissimæ causa mortis. Non argumentis veritas, sed suppliciis quærebatur. Si qui pecuniosi erant, afficto crimine [a] seditionis rapiebantur ad necem: si qui inopes, quia non habebant, quo se redimerent, morti patebant.

Iohannes & Simon incitatores seditionis.
[a] proditionis.

Cap. XVIII. Fames maxima.

Et iam grauis fames sæuire, atque amplius seditio grassari cœperat furore ac vesania: frumentum nō reperiebatur, nullus panis in publico vsu. Sicubi esse compertum fuerat, illicò domus expugnabatur. Iugulabatur ædium Dominus, vt frumenti conditor, quod occultauisset. Rursus non repertis frugibus, quasi diligentiùs absconditæ forent, tormenta exercebantur. Opta-

A bant plerique mortis compendium, cùm eos aut fames affliceret, aut crudelitas excruciaret. Denique qui seniores erant occidere dedignabantur, inuidentes beneficium mortis, quibus iam vehementior carnifex fames, miserabili macie visceribus exesis nuda ossa * tenuiare (a tenui cute) coeperat. Spirabant semineces solo adhuc spiritu, atque ægra trahebant cadauera. Sicubi purgamenta holerum vel casu lapsa, vel quasi arida proiecta adspexerant, * reliqua (a reliquo.) inualidi corpore, ore lambebant iacentia humi. Aut sicubi internata parietibus visa fuerat herba, rapientes succo infœlici miseram solantur famem. Qui ditiores erant, mensuram tritici toto censu emebant. Quid enim seruarent non profuturum? Qui pauperiores, vel ordei: ita vt nemo vendentem vel ementem videret. nunc enim omni grauius scelere ponebatur. Neque verò coquendi panis vsus expectabatur, ne mors præueniret, B aut mora proditurem accesseret. In occultis abditi, incoctum mandebant triticum, quibus vlla vel exigua frumenti copia erat. Nulla mensa, nullũ sedile, nulla lux: ne quis interueniret, atq; * improuisos (a improuisus.) deprehẽderet. Si sonus vllus, abscondebantur cibi, suspectę solitudines, frequẽtiæ parricidales, inter suus triste certamen. Omnem enim affectũ excludit fames, & maximè verecundiã. Esurientibus enim pudor dispendium vitæ, & detrimẽtum salutis est. Si quis vir, cui mulier esset, aut filij, aut nepotes, aliquid escæ haberet, vix fatebatur: similiter & mulieres. At cui mitior animus, vbi apposuisset alimoniam, de manibus eius exturquebatur. Miserabilis erat cibus, esca lacrymabilis, rapiebãt parentibus filij, parẽtes filiis, & de ipsis faucibus proferebatur. Plerisq; aliorũ vomitus esca fuit. Nec marcentia sumere vllus horror: aut verecundia, C adimere suis vitæ vltimæ stillicidia. Et hęc tam infœlicis species calamitatis metus erat, ne deprehenderetur. Clausis itaque foribus exercebatur, ne quis superueniret, qui de ore alienu cibum quæreret, & canum more vomitus alienos lingua sua lamberet. Sed ne hoc quidem impunè: nam vbicumque fores obseratæ, suspecta fraus alimenti absconditi. Prosiliebant ministri seditionum, clausa expugnabant, intolerabilia & nouæ crudelitatis exigebant supplicia. Nec ab ipsis quidẽ pudendis corporis abstinebatur. Per ipsa quoque pœna transibat, quòd in his grauior sensus pœnarum sit. Multi cùm iam percussores irrumpentes viderent, paratos rapiebãt cibos, ne vel ipsi defraudarentur supremo viatico, vel certè futuram mortem vlciscerẽtur: & quò grauior videbatur D crudelitas, non esuriebant ipsi, qui rapiebant cibos esurientibus. Raptois enim sibi aliorũ opes coaceruarant, & alienis cõditis pascebantur: cùm ipsi qui * cõgesserant (a cõgesserãt), esurirent ieiunióque contabescerent. Si qua maternu affectu percita, miserans vagitus infantiæ, succum ciborum ore proprio vellet infundere, pij operis pœnas luebat, suspensoque * ad ceruicem (a à ceruice.), vel hærente ad mamillas pignore simul transfigebantur. Plerique etiam beneficium putantes mori, egrediebantur vrbem, vt herbas vellerent, vel radices depascerentur, aut cortices arborum detraherent, si quid in his viriditas ad cibi solamina sumministraret, quos inuenientes Romani necabant. At qui hostem euaserat, in ipso portæ ruebat limine, fame rabidus, & ore inualidus, quem iam & ipsa mandendi officia destituissent. Regressos quoque excipiebat ferali E manus, quæ de gremiis miserorum summo quęsita periculo, per acerbissimũ extorqueret nefas, nec partem reseruaret pro mercede saltem periculi. Moriebantur itaq; maiore suorum quàm hostium impressione. Ea enim quæ etiam hostis indulserat, ciuis eripiebat: nec rapuisse tamẽ istiusmodi cibum proderat, quippe non multò post * virẽti (a al vrente) corpore turgescentibus * medijs (a inedijs.), intimorum dolore viscerum quatiebantur: aut aluo soluti deficiebant exhaustis viribus, vt voti pœniteret, quod ad tempus solatio erat, pòst supplicio: dein lacertis viridibus, cæterisque * serpentum generibus (a serpentini generis.) coctis exutis, pestem addebant. Nam equorum cadauera si fortè repetissent, inter se trahentes, prælio graui decerne-

A bant: nec ab hoste quidem, quæ * coacerbarentur (a coaceruarentur.) extria ferebantur. Nam cùm se de vrbe plurimi, cum filiis ac mulieribus egredientes in eam partem, quæ præruptorũ profundu præcipitiorum sinuauerat conrulissent, Romani veluti captiua * ducerent mãcipia (a abducerẽt), minoris prætertim ætatis velut validiorem ferirent, ne quis fortè bellãtibus obrepere auderet. Speculabantur, vt si quis cibi quærendi diligentia, dum rimatur radices agrestium, ad vlteriora spatia prodiret, interciperetur. Nec tamen circumfuso licèt hoste, cohibere se poterant, quibus fames audaciam dabat: cùm paruos liberos macie consumi, & aperta fame uia frustrà extendi, ferre non posset affectus parentum, quos socios sibi asciuerant ad periculum, ne pro se quasi fugæ suæ obsides, à seditionis autoribus occiderentur. (Iudaica clades.) Cogebat fames egredi, quibos beneB ficium erat ferro perire ieiunij comparatione. Contrà Romani, quia contemptores mortis eos arbitrabãtur, * vrgebant (a augebant) genera suppliciorum, verberantes priùs, * affligentes (a affigẽtes.) quoque patibulu crucis, quemcunque offenderant, quò vel cæterorum temeritas cruciatuũ specie à lacessendi insolentia reuocaretur. Miserando itaq; pallio Tito videbatur, tantarum acerbitas calamitatum. Capiebantur innumeri, quingenti fermè ad diem cruciabãtur, campósque ante vrbem miserabilis pompæ ordine præteaebant, vt de muris aspicerentur. (Quingenti patibulis affixi sunt. Iosep. 2. c. 11.) Miserabantur Romani, non mouebantur Iudæi: compatiebantur hostes, socij non flectebantur: faciliùs apud aduersarios pietas, quàm apud socios reperiebatur. Tamen accendebantur plerique indignatione, quòd in tantis malis deteriores fiebant, diuersis modis afflictus cerneres: vaC riasque pœnarum species, formas suppliciorum tam innumerabili multitudine, vt iam locus patibulis deesset, patibula corporibus. Furebat intus Simon, fremebat Iohannes, insidiabantur singulis per ministros suos: si quis fugere tentaret, tractos per humum discerpebat. Eorum quoque qui abierant proximi * cruciabantur (a trucidabantur.), aut cruci affixa plerorumq; cadauera suis, qui elapsi fuerant, ostentabantur. E diuerso etiam ipsi murum quadam patibulorum segete prætexuerãt, quasi de aduersariis triumphantes, si quos de suis ad Romanos velle cõfugere deprehendissent, vt cæteros * transgrediendi metus (a transfugiẽdi meta.) incesseret. Nullus locus immunis acerbitatis, foris captiuitas, intus fames, formido vtrobique minùs tamẽ timebantur arma, quàm tormenta, leuiusq; erat confici D tumultu potiùs hostico, quàm parricidio. Nec intermittebat tamẽ Cæsar inuitare factionum principes ad spem deditionis. Namque structis aggeribos denuntiabat, non longè absuturum operis effectum: imminere vrbi excidia, consulerent sibi, vt & salutem lucrarentur, & templum incendiis eriperetur. Id quò faciliùs crederent, amputatis plerique Iudæorum manibus dirigebantur, ne voluntario transfugio transisse ad Romanos æstimarentur, & quasi perfidis non deferrent fidem, vel eos ipsi necarent. At verò illi pro ammonitione sedula grauia retorquebant conuitia: funestiorem sibi humanitatem Cæsaris, quàm crudelitatem videri, quòd altera libertatem eriperet, altera vitam auferret: malle se liberos mori quàm seruos viuere, deuouisse animam suam in templo. E Immortalitatem futuram, si cum templo causti, aris ac focis patriis immorerentur. Nihil egisse Titum, eripuisse parua, dedisse plura: pro templo sibi Paradisum succedere, illósque se, qui pro templo Dei pugnauerint: transferendus tantùm, ne oculis suis triumphos Romanos viderent, & captiua iugo colla subiicerent. Consecrari paruulos suos, non interfici, quorum parentes cœlestiũ propugnatores fuerint sacramentorum. Quo commotior Titus, vt eos saltem eriperet, qui inuiti attinebantur, admoueri iussit machinas.

Cap. xix. Antiochus hortatur Cæsarem ad vrbis muros succidendos.

ERAT in exercitu Antiochi Comageni filius, qui venerat ad belli societatem, impiger sanè iuuenis, & manu promptus, sed consilio prouidus, qui moderatiunem Romani exercitus lentiorem ratus, nec considerans muneris difficultatem, insinuauit Cæsari, mirari se,

quòd cunctarentur Romani murum succidere. Risit Titus, & ait: Commune est opus. Eo sermone iuuenis sese proripuit cum his, quos armatos Macedonicum in morem promptiores habebat ad bellandum: namque & aliis subnixus aduenerat. Cohors tamen, quæ appellabatur Macedonum, & viribus corporis, & proceritate ipsa præstare æstimabatur. Quibus appropinquantibus bellum adoleuit. Contrà de muro promptiùs decernentibus, quos extrema vrgebant pericula, & successus præsentis certaminis animabat: cùm inferiores à superioribus frequentiùs transfigerentur, ad superiores non omnia perueniret spicula, filius tamen Regis iuuenta alacris, armis munitior, comitatu succinctior, alios eludebat ictus, repellebat alios, quos etiam vt caueret suggerentibus sociis, instruebatur: & ideò integer à vulneribus perseuerauit: sed de Macedonum cohorte plerique (quoniam pudori putabant, etiam naturæ aut munimentis cedere) pertinaciùs præliantes, ª vulnerantur. Itaque conatu irrito cessere superioribus: docti etiam ª viris Macedonibus si vellent vincere, & alacritatem Alexandri ad præliandum esse necessariam, & vincendi euentum. Namque ille cùm obsideret vrbem morantibus cæteris, & circa solennes machinas immorāte exercitu, appositis impiger scalis murum ascendit: fugatísq; præsentibus, qui de muro repugnabant, solus se in vrbem deiecit. Nec erat temporis, vt ipse sibi sine comite portas aperiret, cùm vrgerent pericula: sed immodicus animus, ac victoriæ auidus, in hostem prosiluit. Cessere agmina, sed quantos poterat solus prosternere? Deinde per diuersas vrbis plateas circunfundebātur hostes, si in vnā partem Alexander incumberet, aliis post se circumuallādi copiam daret. Retorquebat itaque victor ª ingressum suum, ne à populo circumdaretur. At illi conserti inter se vrgere cœperūt, inhorrescere super eum telorum vis maxima, resultabat galea tinnitu, clypeus fragore saxorum. Ac ni metuentes Duci irrupissent Macedones, victor innumerabilium gentium intra vrbem exiguā fuerat oppressus. Fuit igitur alacritatis, quòd murum insiluit, hostem deiecit, in vrbem solus triumphali saltu sese proripuit, impetu suo fugauit populos: fuit tamē etiam euentus, qui maximè Duci necessarius est, quòd tātis ingruentibus populis, tot sagittarum iaculis, tot ruentibus spiculis, nullus fuit lethali vulneri locus. Periculum itaque virtus attulerat, mortem quoq; alacritas inuexerat, si euētus bellantem deseruisset. Ingressi sunt Macedones prorupta porta; sic temeritas victoriam inuenit, & euētus periculum in gloriam vertit. Noster quoque Dauid cùm pugnaret aduersum gigantes ª innectus in hostem, à tergo percussorem habebat, sed ª liberantem ictus suos comes Regis Abisai præuenit. Verùm Alexandrum euentus seruauit, Propheram gratia.

ª vulnerabantur. ª viri Macedonici. ª gressum. ª inuentus ª librantē.

CAP. XX.

CENENTE itaque Antiochi Regis Comageni filio, & cognoscente non quòd formidinis, sed cautionis esset Romani exercitus perpensa moderatio, vt aggeribus & vineis, arietibus quoque & cæteris machinamentis murum adorirentur, extruebantur aggeres per numeros opere diuiso: præcipui quatuor insurrexerant, ex quibus vnus è regione munitionis (cui nomē Antonis) per medium ductus erat piscinam, quam Struthiam vocabant. Hunc aggerem quintus numerus triginta cubitorum in altitudinem fecerat, iuxta Iohannis sepulcrum. Quibus è diuerso Iohānes princeps seditionum cuniculum suffodit, & Romanorum opera suspendit: ignorātibus his, ª qui latenti cunieulo Iudæi machinati forent, quia fulturis tabularum materia æquè subiecta, superiora cuniculorum suspenderat, fraus omnis latebat. Itaque vbi opportunitas visa, ignem apposuēre, qui adultus sulphure & pice, quibus illita erat materies, quę fulturam cuniculo dabat, ligna omnia facilè consumpsit incendium, subiectorum ruina secuta est. Itaque Romanorum opera subitò lapsa, sonitum ingentem dedēre. Puluere itaque & fumo repleta omnia, plurimùm tenebrarum obduxerant, maiorémque terrorem induxerat latens causa.

ª quid.

Deinde vbi consumptis alimentis cæteris, quibus primò opertus erat, liber postea ignis ª eripuit, dolum prodidit, & Romanis ad præsens quidem formido periculi diminuta, sed euacuati laboris graue successit tædium simul quòd insultabant Iudæi, nō mediocris angebat pudor: & in reliquum parandę expugnationis spes refrixit. At in parte alia biduo post, cùm iam murus ariete quateretur, Teptheus de Galilæa, Magassalus, & Iabenus, & Agyras direptis facibus in machinamēta muralia prosiluerunt. Nihil his viris audacius, nihil terribilius eo bello ex vrbe in hostem processit. In medium namq; hostium proruētes non trepidauerūt, non retractauerūt, sed tanquam familiariū suorum consortiis immorati, non antè remeandū putarunt, cū vndiq; in eos pila, sagittæ, spicula iacerentur, quā subiectis ignibus adolerent obsidialiū instrumenta machinarum. Concursus ingens Romani exercitus, vt incendiū restingueretur: Iudæorum quoq; clamor & studium quo ª subtexerant impedimēta, Romanis ne subueniretur. Illi arietes properabant flammis subducere, isti adhuc spargebāt incēdia. Vnde cōprehensis omnib⁹, quæ vri poterant, Romanos flammæ circūuallauerant, nisi maturè consuluissent. Instabant enim acriter Iudæi, atq; hoc ipso, quòd in ea parte conatus irritos non habuerant, successus audaciam alebat. Deniq; non cōtenti iam munimentis muralibus, vltra progrediebantur, atq; ipsas Romanorum incessebāt custodias, & ad castellū, in quo prætendebant Romani vltrò euersum, perrexerāt. Et nisi Romani nominis gloria, & militiæ vetus disciplina, quæ munia huiusmodi deserere grauioris pœnę arceret formidine, furētibus repugnauisset, expugnatores vrbium ipsi propriis cesserāt munitionibus. Versa itaque species belli, & vsus obsidionis: catapultis, & velocioris generis iaculis sese defensabant Romani, vt Iudæos repellerent, quo ipsis antè genere resistebant. Inter quæ Titus aduenit, clamore excitus, & accersitus ad remedium, Romanis continuò vires additæ præsente Cæsare, & pudor aluit audaciam: Clamante Tito graue Romani nominis opprobrium, si versa vice suos amitterent, quibus iam hostium muri, qui diruerētur, defecerāt, diffidētes Iudæos munitionibus, sola niti temeritate: starent tantummodò Romani, victoriam nō defuturam. Itaque hortando pariter ac præliando Titus statuit suos, auertit Iudæos, qui non solùm animis ad mortem parati, sed ipso nisu corporis ingruebāt, vt Romanos gradu mouerent. Nec mediocre fuit periculum Cæsaris inter confusa omnia, cùm ab hoste socius non discerneretur, inter quæ Titus in medio versabatur: audax iuuenta, & gloriæ cupiditate ad præliandum acrior, quò celeriùs victoria cōsummaretur, in secundis triumphi ponens curam salutis.

ª erupit. ª subtexerent. Successus alit audaciam. Romani nominis graue opprobrium.

CAP. XXI.

DEPVLSIS tamen hostibus anceps consilium: alij reformandos aggeres, reparanda machinamenta muralia opinabantur: alij absistendum obsidionis periculis suggerebāt, deesse reparandi materiam, commune cum ª multis periculū, muro claudendam vrbem cōsultius arbitrabantur, vt conficeret fames ª defectis subsidiis alimentorum. Præponderauit huiusmodi sentētia, vt clauderentur, ne liberos excursus haberent, quò ampliùs & desperatione fugiendi, & indigentia cibi conficerentur. Diuisis itaque ª per numerum portionibus, properè murus surrexit, quo per circuitum omnem inclusa est ciuitas. Distribuit officia suis Cæsar, vt noctibus quoque custodiendi vices non omitterent. Prima vigilia ipse obeundi singulos custodiatū ordines munia curabat: secundam vigiliam Alexandro deputauit: denique per ordinem tribunis (prout cuiusque erat solertia comperta) vices mandatę. Castellis erat murus per interualla intextus, in his manus militum prætendebat, vigiles ex æquo sibi somnos, & tempora vigiliarum sortiebantur. Circumibant momentis omnibus murum, per spatia quisque præscripta suo muneri, de castello in castellum: per ordinem, & munerum vices nox frequentabatur. Præcisa vndique spes Iudæorum, clausisque se infude-

ª victis. ª defectos. ª per numeros.

rat fames, atque in ipsas populi medullas descenderat. Personabant omnia gemitibus deplorantium miserabilis mortis supplicia. * Repleta erãt vniuersa femine cum cadauerum. & si paululum expectares, intra momentum deficiebant, quos viuentes reperetas. Ipsi quoque, qui adhuc spirabant, macie confecti imaginem mortis gerebant. Exhausti fame, & tabe lutidi, nec oculos quidem faciles attollere; quia nullum vigorem naturalis motus, consumpta ieiunio substantia, dabat. Figura sola hominis remanserat, vsus interciderat. Simulachra cerneres, officia desiderares. Arida cutis siccis hærebat ossibus. Si leuis motus viuentem proderet, fœtor redarguebat: exiles artus & color ita niger, vt vmbram putares. Nec humandi miseris officia suppeditabant, exhaustis primò omnibus & continuò morituris. Et si cui vires aliquas recentior cibos dabat, congestio cadauerum spem ademerat, impossibilitatem incusserat. Plerique etiam condendis suorum funeribus immoriebantur, & inexpleta supremi muneris officia, suo quoque obitu derelinquebant. Ruebant super defunctos, quos susceperant muniendos, vt ipse quoque oneri accederet, cui leuando adoenerat, indigens eius ministerio quod alij deferebat. Nec erat vllus dolori locus in communi omnium calamitate, nisi quod autores tantæ miseriæ superuiuerent, nec tempus querelæ liberis quidem iam vocibus, si loqui possent. quid enim sibi iam morientes timerent, sed tamen mutis iam sensibus aspicientes templum, quasi inde vltio tam diri exitus deposceretur? Aruerant supremorum * numerum lacrymæ, quia omnem affectum vis mali clauserat. Obriguerat animus, omnis sensus hærebat, plusquàm lacrymanda tolerantibus: deerat iam terra tumulis, defossis omnibus intra vrbem locis, quæ potuerunt dare vsum sepulchri. Tentabãt aliqui inter duos muros, nonum ostium, veteremque vrbis procedere nocturno silentio: periculosa licèt, pia tamen furta persuaserant. Itaque pro vno plures insepulti iacebant, & eò quod vni deferre gestierant pro * bonorum munere defraudabantur: sed etiam vbi hostis deerat, fames operabatur. Sepultor plerunque præueniebat sepeliendum, & tumulo eo, quem alij parauerat, includebatur subitò exanimis: & lapsus cùm defodit, velut quodam studio operis sui, ius vindicabat. Et vbi terra deerat, tabulata innectebantur, vt defunctorum cadauera loculis includerentur. Plerique eos sibiipsi parabant manibus suis, ne deficeret huiusmodi ministerium, atque in his sese sæpe sponte condebant, suspecti ne mors præueniret, & sepultor deesset. Silebant omnia metu, inedia vocem ademerat, ciuitas plena mortis, & nullus eiulatus in exequiis totius vrbis & cùm sensus quidem doloris interierat, iniuria nõ desistebat. Non deerãt etiam in tantis malis, deteriores omnibus, violatores etiam sepultorũ: quid dicam non horruisse cùm illuderent mortuis, & gladiorum suorum aciem in defunctorum cadaueribus prætẽtarent? Nõnulli etiam viuentium adhuc * vegendis corporibus experirentur, si tela sibi * acuta forent, & hic tamen vsus plerisque rogantibus denegabatur, vt miseros ad grauiora supplicia fames depasceretur. Nequaquàm tamen vltio morituris deerat: nam quòd viui nõ potuerant, vindicabant se mortui, vltorem sui fœtorem creãtes, quo se de latronibus vlciscerentur. Qui grauiter fæmentes quærentésque remedium, speciem quãdam pietatis induerant: etiam ipsi, qui latrocinabantur, vt eos de publico ærario sepeliri iuberent. Sed vbi nequitum occurrere, de muro defunctorum reliquias in profunda præcipitia deiiciebant. Itaque aspiciens Titus præruptos specus plenos cadauerum, saniem * de laceratis visceribus innatantem, altè ingemuit, & manus ad cœlum eleuans testabatur, haudquaquàm illud sibi ascribendum, qui voluisset veniam dare, si deditio procederet, expectasse se vt pacem rogarent: paratum se vt incolumes seruaret, si bellum deposuissent: iubet itaq; aggeres rursus iacere, etiam, non propinquantibus syluis, quia succisa erant omnia suburbana nemora syluarum. Ve-

* Repletæ erant vniuersæ semitæ.

* muneris.

* bonorum operam mereri.

* figendis alij viuis.

* præacuta.

* dilaceratis. Titus testatur Iudæos diuinitus afflictos post cap. 41.

A hebant materiam milites, spe victoriæ solantes laborem. Nec tamen frangebantur animis principes seditionum. Furebat Simon, nec tantorum mortibus exsaturatus cedebat, & quia inimici deesse cœperant, in socios conuertebatur.

Deniqve nec Mathiam quidem, quo autore in vrbem receptus est * escruciatum necauit, nullius apud se conuictũ flagitij, sed insimulatum proditionis, & suspectum consilij, quod in vsum plebis sedulò, & sine vlla fraude, tanquàm familiari crediderat insinuandum. Id altè impressum aliquandiù tenuit, nec iam se vt amico credidit, sed aluit indignationem, indicio dissimulato, ergo insimulatũ apud se, quòd cum Romanis studio cõgrueret, & conueniret, rapi cum filiis iubet. * Accersitur, nec defensionis vlla copia datur, ante examen adiudicatur B supplicio, nec eius soboles excipitur, sed pœnæ adiungitur. Orabat non vitæ vsuram; sed mortis celeritatem, naturæ ordinem, vt prior occideretur, ne filiorum neces spectaret, nec superstes esset funeribus liberorum suorum, ipse continuò funus futurus: non impetrauit, quod ipsa pietas exigebat, etiam si nõ rogaret: * Hoc rogabat sibi reddi pro munere, quòd ei vrbem aperuisset: reus quidem patriæ, sed conciliator Simonis. Debuerit ille hanc pœnam ciuibus, debebat tamen ei Simon gratiam. Quo crudelior, qui nec amico pepercit, nec patrono receptionis suæ pœnam relaxauit. Ducitur ad supplicium pater cum tribus liberis: nam quartus fuga se exemerat. Statuitur in conspectu Romani exercitus insultationis specie, vt supplicium eius viderent, ad quos egredi desiderasset, adiberent te itaq; si possunt amici tui. C Deducuntur & filij, nec suprema liberis oscula dare, nec vltimo complexu filios suscipere permissus: nõ fraudatus tamen vocis * paternæ libertate, miserabili filios alloquio prosequebatur. Ego filij vobis hostem induxi, ego carnifices adhibui, quando Simonem ingredi in vrbem rogaui. Ille dies nobis mortis huius, ille parricidalis causa spectaculi. Merui fateor, nec culpam excuso: dũ vnum reprimere gestio, accersiui deteriorem. Ad auxilium Simon petitus, & ad parricidium patriæ cõuersus: sedula consilia in crimen deduxit. Rei * fuimus patriæ, qui defensorem quæsiuimus. Et rectè quidem soluimus pœnam imprudentiæ, nõ tamen perfidiæ. Absoluit nos Simon ipse, dum perimit: qui pronuntiat non sibi à me donatum, sed patriæ contuitu petitum, vt contra Ioannis D sæuitiam auxilio futurus, quàm primùm adesset, & Idumæos indureret. Putabamus, duobus inter se * conferentibus, liberam plebem futuram. Quis mihi crederet, non tibi id meo studio detulisse, sed de malis, hoc tolerabilius æstimauisse, nisi tu occideres? Sed quid ego sic loquor, quasi crimen excusem? Nihil sanè mea sententia grauius facere potui, quam quòd te in ceruicibus nostris locaui. Sed in eo patriæ reus, non tibi fuerim. Debuerim ego ciuibus mortem, sed tu mihi gratiam. Debuerim patriæ pœnam proditionis, quòd te induxerim. Tibi quando proditor esse cœpi? Si fugiendum potassem, cõsulueram mihi, non violaueram patriæ necessitudinem. Quis enim hostem non defugit, & hostem inuenium? At te ciuem putauimus, sed hostem inuenie E mus. Ad auxilium petitus, quid rependisti? Quid antè pollicitus? & quò posteà cõuersus? ingressus eras, vt hostem expelleres, non vt hostem exerceres: vt prohiberes ciuium neces, non vt ipse adiungeres: vt latrocinium repelleres, non vt ipse latrocinareris: sed vt subuenires innocenti populo. Cur in ipsum tua arma vertisti? Antè latrocinareris: sed vt subuenires innocenti populo. Cur in ipsum tua arma vertisti? Antè latrocinio * appetebantur, tu bellũ intulisti. Antè pauciores ad mortem rapiebãtur, tu stragem populorum fecisti. Quis proditor patriæ, quis Romana arma plus iuuit, nisi qui extinxit patriæ propugnatores? Nisi qui eripuit tantorum ciuium defensionẽ? Nisi qui ab hoste in socios detorsit mucronem? Hostis extra muros pacem offerebat, tu intra muros præliabare: ille obsidionem volebat soluere, tu expu-

Cap. xxii. Matthias à quo in vrbẽ receptus est Simon, occiditur.

* cod vet. inexcruciatum.

* Accersitur.

* Et hoc.

* patriæ.

Matthias prohibitus oscula dare mox morituris filiis verbis deosculabatur.

* sumus.

* confe- rentibus. Expostulatio Matth. contra Simonem.

* appetebamur.

gnationem approperabas: ille prohibebat incendia no-
stræ vrbis, tu flammas in ipsa templi iaciebas fastigia: ille
nostrorum contuitu Sacramentorum inducias dabat,
tu per ipsus sacrorum dies altaria Dei supremo vrbis ex-
cidio, Sacerdotum quoque sanguine restinguebas: Ille
muros, tu templum obsederas. ᵃ Cuacerbabo crimina
mea. Ego patriæ manus intuli, ego tuum furorem arma-
ui, ego hæc vniuersa deliramento quodam senectutis
ᵃ initia impressi. Agnosco, dementis ætatis impruden-
tiam. Confessione leuemus pudorem, quoniam negan-
do peccatum exuere non possumus. Duo præ cæteris
excidium patriæ accelerauimus: ego errore consilij, tu
proposito parricidij. Pendo igitur, patria tibi ᵃ deditas
pœnas: & hoc ipso Simoni gratias ago, quòd cineribus
tuis superstes non ero. Atque vtinam non liberis essem
superstes. Sed ad sceleris tui Simon acerbitatem, filio-
rum necis spectator adsistu, Metui, fateor, ᵃ quia Ioan-
nem pictum videre non potui, & te armatum elegi. O
præcipitem senectutem: imaginem timuimus, tyrannum
experimus. Ego fideiussor tuus, ego deprecator tuus
legationem pertuli. Ego te Dominum rogaui, percusso-
rem introduxi. Spectemus ergo quæ fecimus: Ioannis
nos cera terruit, Simonis latrocinia delectauerunt. Ac-
celeretur itaque pompa funebris, veniat carnifex, filios
ante ora patris, patrémq; uber uncet super filiorum ca-
dauera. Hauriam miserabilis senex ictum carnificis, su-
per colla pignorum ᵃ vibrantis securim. Quo spectaculu
nihil funestius, nisi ille qui iubet: Crudelis scelestæ, facio
quod præcipis, facio, sed inuitus. ᵃ Habet tamen conso-
lationem tantæ calamitatis. Patior quicquid miserri-
mum est dum tu iusseris. Quicquid est immanissimum
subeo libenter, te arbitro. Implesti mensuram scelerum
sæuissimorum, liceat saltem affari liberos, extremum pi-
gnoribus Vale dicere. ᵃ Sit vltimus locus osculis, quæ
nobis etiam cum feris communia sunt. Non prohibeba-
tur miserabilis amplexus naturæ, quem etiam defunctis
potest casus donare. Quod igitur ad pœnam præcepisti,
proficiet ad pietatem mihi. Cadam super funera mea, &
insepulta adhuc velut quodam corporis mei cespite, te-
gam, ne discerpant volucres, aut feræ deuorent. Lábam
lingua patria sanguinem meorum pignorum, & meum
diluam, ne lambant bestiæ: & fortasse addet hoc pietas,
& miseratio naturæ ipsius, vt arctissimo amplexu mo-
riens, liberos meos stringam: ne tu separare possis, cùm
velis. Certè si separabis corpora, animas tamen non se-
parabis. Sed satis iam lacrymarum viaticum sumpsimus:
Præite filij, & secuturo patri viam parate. Si potuero
consequi, comitabor simul, & erit illic impedimentu se-
nectus, quò viuentes iuuenes minùs consequar. Ad mā-
sionem præcedite, vt fessum patrem suscipiatis diutur-
no hospitio. Volui quidem præcedere ipse, & rogaui,
sed non impetraui, tamen ᵃ quòd innoxij estis, eò me-
liora vobis hospitia deferentur, quàm si ipse accersitoe
Simonis præuenirem. Grauat me illa legatio, licèt à ciui-
bus mandata, petente populo ᵃ suspecta. Præcedite ergo
filij, mundiore supernum iter carpentes vestigio. Et Ma-
chabæi matrem præuenerunt: sed illi ad præmium, ᵃ vos
ad supplicium. Spectauit tamen pia mater morientes fi-
lios, & supra suorum se volutans sanguinem, vidit com-
plectentes se inuicem fratres naturæ necessitudine, &
suo lætabatur triumpho, quem de tyranno conseque-
batur. Diuersa quidem patientium merita, sed eadem sæ-
uitia vtriusque præcipientis. Inuenit hoc Antiochus
Persica immanitate. Apud ipsos enim nouorum sunt
commenta suppliciorum. Tu executus es, ille tamen ser-
uauit vltimam matrem ad persuasionem regiæ volunta-
tis, tu seruari iussisti patrem ad cruciatum paterni dolo-
ris. Consolamini vos filij charissimi, patimur nos quod
passi sunt martyres. Simon statuit, quod persecutoe
barbarus inuenit, tyrannus præcepit. Proficiscamur
igitur volentes, & fugiamus conuentus latronum. Sa-
nè cùm in illam perpetuam domum ᵃ discesserimus; si
qui ad nos venerint, qui requirant, quid agit ille quon-

ᵃ Coacer-uabo. ᵃ exitia. ᵃ debitas. ᵃ qui. ᵃ librantis. ᵃ Habeo. ᵃ Sit vllus vltimis locus osculis. ᵃ quò. ᵃ suscepta. Iubet Mat. liberos præire ad mortē exēplo matris Machabæorum. ᵃ nos. ᵃ decesse-rimus.

A dam Dei populus, quid illis respondebimus? Maximè si
vobis, vepute iunioribus, integer æui Ionathas, mihi
Saul, vtpote peccatori occurrerit. Quid (inquam) dice-
mus, nisi populum illum Iuda nouellum dilectum quē
mare fugit, cui sol stetit, cessit Iordanis: populum (in-
quam) illum, cui peruius fluctus fuit, aer fertilis, terra
cœlestis: quæ non vt ᵃ vestra hæc terra, speciem corru-
ptionis induerit, sed resurrectionis gratiam assumpserit:
seruire nunc Idumæis, & subiectum esse Simoni latro-
num principi, nec seruitutem ipsam habere securam, nec
periculum cum libertate? Quid ad hæc responsurus pu-
tamus, qui elegerunt bello perire, quàm libertati patriæ
superuiuere? Quid etiam Matathiam responsurum Ma-
chabæorum autorem, qui ᵃ voluit obseruando legē sab-
bato feriatus mori, quàm præliatus viuere? Si audierit
B quomodo Simon, non solùm sabbato cædes ciuium in-
numeras agitauerit, sed ipsos sacerdotes Domini, neo-
menijs & omnibus sanctis festæ celebritatis diebus iu-
gulare coëgerit? Quantum ingemiscet Iechonias, cùm
audierit Simonem, qui seditionibus primò vrbem euer-
terit, cæde ciuium violauerit templi vetustam religio-
nem, conuentum toties, vt sui deditione, vrbem exueret
incendio, malle perire omnia excidio, vrbem, templum
exuri, plebem totam interfici, ne occupatæ incliner do-
minationis fastigium? Quantum (inquam) dolebit Iecho-
nias, licèt tempore malorum vrgentium minùs fœlix
imperio, melior tamen filio? Pater enim sibi minùs fœ-
lix esse, quàm patriæ licèt miserabiliter, piè tamen ma-
luit. Itaque se cum sua prosapia, egressus vrbem, Babylo-
nis obsidentibus in seruitium dedit, ne euersam patriam,
C ne populum Dei captiuum videret. Filius autem ærūna
pari, sed affectu impari: dum sibi metuit, & se in exilium,
& vrbem in excidium deduxit. Hic itaque infœlix pa-
triæ, nec sibi fœlix: qui & liberos suos & oculos amisit:
ille aut prudentior, qui captiuitatem ciuium sua redemit
captiuitate. Deniq; id exitus docuit: iste in regno senior,
ille iunior in seruitio defecit, quamuis ei posteà thro-
num regium, Babylonius Rex iuxta se constituerit, &
consilij detulerit prærogatiuam, miseræ calamitatis so-
latio. Denique tolerabilior iam mea sors est, ᵃ post libe-
rorum necem mori, quàm viuere: vt scias, quàm crudelis
sit, qui filios ante ora patris iugulet. Cuius etiam regalia
munera deteriora sunt, quàm pietatis vulnera. Aut enim
tam impia inferre primò non debuit, aut tam honorata
D posteà substituere, quasi quæuis dignitas redimi possit
filiorum amissione, aut compensari cædes sobolis quo-
uis vsu honoris: nulla profectò, nulla dignitas tantum
dolorem alleuat. Nullus honor curat hoc vulnus, nisi
sola mors, quæ sensum adimat, recordationem auferat.
Festina ergo percussor, remorare tamen, dum liberos vi-
deo, dum priusquàm moriantur, aspicio ne quis ætatis
forsitam immaturitate turbatus, mortem timeat, cùm
sæuiorem euadat tyrannum. beneficium est filij mori, ne
patriæ videamus captiuitatem: tolerabiliora corpora
quàm mentis vulnera. Iam tolerabilius & vestras neces
specto, quas refugiebam, ne spectem neces in commune
omnium, ne videā patriæ bustum, & totam vrbem sepul-
chrum eorum. Beatior tamen, qui mortuus fuerit, quàm
qui reseruatus. Summe Deus, ne inter innoxiorum gre-
E ges sternatur Simon cum liberis suis, spectet captiuus
quem intulit: imò minimè, minimè inquam, nam quem
potest cogitare, potest ferre, nec tamen ea imprecor.
Cōsideret quā grande nefas sit, quod non potest vel vo-
ce retorquere, qui patitur, quàm acerba vltio, quàm sæ-
ua commissi sceleris immanitas, quod optat patriæ capti-
uus superstes, quia peiora sunt vitæ ludibria, quā mortis
supplicia. Sed iam finis verborum sit. Festina carnifex,
dū cruentum sanguine filiorum gladium geris, ᵃ percute
patrem, vt ᵃ nullus refrigeret. Hoc solùm morituro me-
dicamentum est: hoc solo non sentitur ictus mucro-
nis, dolor vulneris. Percute sub conspectu Rom. exer-
citus, sicut imperatum est, vt spectent vindicaturi. Mi-
sereatur hostis, quia socius non miseretur: Iudicent Ro-

ᵃ nostra. Resurrectio. ᵃ maluit. Sup. lib. 1. Iechonias infelix imperio. ᵃ post liberorum mortem mori. Crudelis est, qui filios ante ora patris iugulat. ᵃ percutere. ᵃ vulnus.

mani, quia Simon occidit sine iudicio: testes sunt ipsi, me non proditorē patriæ, sed defensorem fuisse, qui pugnantem viderunt, non deserentem. Libens ego meis, si potuissem, hostem auertissem, nō hostem ᵃ accersissem: atque vtinam nec Simonem accersissem. Nec finis vllos adhibitus tantæ crudelitati. Iacebant adhuc cum patre insepulti liberi: adiungitur & sacrilegium spectaculo parricidali. Cæditur Ananias sacerdos, claro genere ortus, licèt nemo clarior sit splendore generis quàm munere religionis. Illo enim affectatur nobilitas, hoc non desideratur. Habeat sibi vetus prosapia diuersorū fasces honorum, habent & sacerdotia suos fasces: qui eleuantur non humeris, sed moribus. & attolluntur non virgarum proceritate, sed laborum perseuerantia, fidei altitudine, pietatis fastigio. Percussus est etiam scriba Aristæus claræ & ipse originis: & cum ipsis alij de plebe quindecim præeminentes cæteris, licèt iniustam necem, non nobilitas faciat, sed innocentia. Præoccupantur etiā viri vndecim, qui pariter conspirauerant, commoti scelerum eius atrocitate, & sibi quisque metuentes, quæ in alios exerceri videbant, quod infidelis etiam amicis foret, & spes ademptæ, populante vniuersos fame, Romanis iamiámque irrupturis: turbato Simone ad opem detentionis, bacchante ad officinam crudelitatis, facilique illecebra proditionis, quòd Iudas vnus ex ipsis turrim tuendā susceperat. Is igitur cùm Romanos vocaret, traditurum se pollicens turrim, fastidientibus aliis quòd tam serò proditio procederet, aliis dubitantibus, quia frequenter promissa deditione dolum parauerant, præuenit Simon, & de vniuersis conspirationis socius pœnam exegit: corpora quoque eorum de muro præcipitata.

ᵃ aduocassem.

Ananias Sacerdos occiditur.

Cap. xxxiii. xliii. Iosephus ad deditionem hortās Iudæos vulneratur.

CLAVSVS tenebatur Iosephi pater, nec ᵃ vllus ad eū accessus patebat. Eò studiosiùs Iosephus ad deditionem inuitabat Iudæos, & incōsultiùs murū successerat, vt liberaret patriā cū patre. Quo loci saxo caput percussus concidit: ac penè iactatis desuper telis oppressus fuerat, ni præcepto Cæsaris missi forent, qui eum protectū clypeis eriperent neci. Comperto mater filij sui vulnere, & insultantium latronum consternata vocibus, mortis eius formidinem simul & fidem induit: miserabiliter quoque deplorare occœpit: ad hos fructus fœcunditatis se reseruatam, vt nec officio viuentis filij potiretur, nec sepeliret defunctum. Voti quidem sui fuisse, vt ipse potiùs matri sepulturam daret: inter eius manus supremum exhalaret spiritum: ille frigidos artus deficientis foueret, ille vltimos ore anhelitus legeret, ille oculos morientis clauderet, ille spirantia adhuc ora componeret. Sed quia voto exciderat, solatium fuisse, si vel ipsa interesse potuisset filij morientis supremis, miserabili quidem sorte, sed tolerabili tamen, vt quem superstitem optauerat, eius vel funus teneret. Veruntamen vel de muro, inquit, spectare mihi mea funera liceat: & si contingere non licet, vtinam quidem nemo arceret. Sed quē metuam tanto destituta filio? Quid pertimescam, cui beneficium est mori? Vtinam in me tela sua omnes côtorqueant, omnes gladio me transfigant, quod viuens non potui, mortua saltem filij mei corpus veste mea protegam. Abundat vnius vestimentum ad sepulturam duorum: & fortasse quisquam hostium miserebitur, vt amictu filij matris oculos regat, & oculos oculis, manus manibus, ori ora connectat. Prorripiens itaque se ad muros, cœlum ipsum miserabili questu replebat. Insultabāt sui, flebant Romani: apud socios crudelitas, apud hostes misericordia. Figite (inquit) me, si qua est pietas, ego genui quem persequendum putatis. Ego infœlicia vbera dedi, me extinguite, si de illo vindictam quæritis.

Cap. xxxiiii.

DVM illa deplorat, ecce ad vocem matris processit Iosephus, & deflere cœpit quòd euaserit, cui dulce fuerat ante patriam mori, & pro patria dū salutaria suadet, procumbere. Sed iam non pro parentum contendere salute, qui depositi æuo cùm in carcere vitæ finem supremum exigant: liberantur, si moriantur: sed pro ara, pro templo, pro semirutis adhuc vrbis mœnibus trepidare.

A Obiecisse se vulneri, ne patriam euerti videret. Qua excitati querela, plerique ad Romanos transeundum iam, qua potuerunt via, subtraxerunt sese insidiis latrocinātium, & custodiis ᵃ protendentium. Quibus quidem Titus misericordiam promissam seruauit, sed alia grauior ærumna accidit. Namque vbi data alimenti copia, cœpit oneri esse cibus, qui priùs vsui erat, desuetisq; edendi officiis, ministerium feriabatur. Nulla vis dentium, vt cibū manderent, nulla arteriarum subsistētia, panem arrodere nullo poterant modo. Si quid sanè sorbuissent mollioris alimoniæ, interclusis iam faucium meatibus, strangulabantur. Obriguerant interiora viscerum, obstructi erant ductus ciborum. Aruerant iecoris venæ, quæ cibos attrahunt. Perierat vsus, auiditas cumulabatur, virtus defecerat, appetentia manebat. Ruebant supra cibos **B** miseri, & inuadendos morsus, more infantium meditabātur. Plerique visis alimentis, ipso gaudio deficiebant, atque inter exoptatos sibi cibos moriebantur: solari miseriam, quòd votum impleuerant. Sed erat pompa lacrymabilis, cùm plures à cibo ad periculum surgerent, quam ad salutem, vt & victus noceret. Inflabantur enim insolito cibo corpora potiùs, quàm reficiebantur, & quasi quodam ᵃ hydropisis morbo, distenta cute pœnas dabant. Et si quibus vlla adhuc virtus edendi, auiditas modum nescia, quod ferre non poterant, supra mensurā ingerebant, repentino cibo farti dirumpebantur. Quid enim graue nō erat, quibus erat grauis & solus affectus, vt obesset vidisse, quod desiderauerant? Incapaces enim affectuum per longam famem, oppressit etiam sensus naturæ: & ipse gaudij motus grauauit. Nihil igitur mi**C**rum, si exhaustis periculo cibus est. Denique post biduanum ieiunium, si quid auidiùs sumpseris, statim crudescit. Vnde plerisque moris est, vt succum lactis infirmis visceribus infundant, eoque cum melle permixto, temperent humorum exasperatam ieiuniis intemperantiam, & defectionem corporis, velut infantiam quandā, molliore cibo nutriant. Sic ergo nonnulli Iudæorum, qui ad Romanos confugerant, poterāt euadere, quadam arte pensantes moderamina cibi, donec desueta edendi cato, in suos rediret vsus. Nec hoc tamen profuit miseris, sed causa maioris exitij fuit. Nam cùm ex his plerique accepto cibo aluum purgarent, egesserant aliquid nummos aureos, quos absorbuerant, cùm adornarent fugam: re deprehensi, quia insidiatores omnia perscruta**D**bantur, non solùm dispendio, sed etiam periculo forent: Scelus enim ducebatur, aurum quenquam præter latrones habere. Hoc itaque posteà Iudæi, specie miserabili inter inquinamenta alui aurum legebant. Comperit id quidam ᵃ Assyrius, & ab vno in omnes opinio manauit. Quod genus hominum præceps ad auaritiam, & paratum ad perfidiam, nihil tam atrox sit, quod refugiat, nihil tam turpe, quod erubescat studio pecuniæ. A Syris in Arabas diffusa fama est, quibus & non minor auaritia, & feritas barbaricæ propior immanitati, eò quòd farti auro Iudæi forent: arripiunt quoscunque offenderant aduenientes, contra fas, contra leges deditionis, contra promissum Cæsaris, quòd occidi non licebat: incidunt adhuc viuentes, cruentisque manibus excutiunt **E** ventris secreta. Aluum scrutantur, & inter eius manantia purgamenta aurum requirunt, non minùs turpiter quàm illi, quos adigebat fames: insuper etiam sæua crudelitate. Multa acerba eo commissa prælio, nihil hoc vno acerbius. Denique vna nocte duo millia ferè virorum discissa sunt tali flagitio, diuisisque visceribus, quæstus suos Syria numerabat: Arabia negotiationis recensebat emolumenta, quæ sine transfretati maris periculis nouo crudelitatis commento in vsum lucri verterant, & mercem putabant: Quod etiam nunc in huiusmodi hominum genere reperias, & nonnullis sæpè Ægyptiorum, vt curandis funeribus negotientur, & officia humanitatis vendant mercaturæ compendiis. Misera fames auri, nihil sequendum putat, nisi quod ad præsens lucrosum: nihil honestum, quod pecuniæ

ᵃ prætendentium.

Multi Iudæorū viso cibo deficiebant.

ᵃ hydropisi.

Iudæi aurū absumptum infamis angustia, in excrementis recolligunt.

ᵃ è Syris

Vide Ioseph. de bel. Iud. lib. 6. cap. 15.

Arabes incidunt viuentium viscera vt ex iis corradāt aurum.

A vacuum. Grauis iamdudum, grauis inoleuit humanis affectibus quærendi cupido, & mercatura facta est vita hominum: væno & empto vtitur. Serpsit itaq; vitium in *a* vniuersos, vt iam tolerabilior commutatio mercium sit, quàm morum animorúmque. Infecit Syrorum auaritia etiam Romanum exercitum. Nihil enim facilius in alterum transit, quàm amor pecuniæ, & desiderium habendi: præsertim finitimas opes, quibus vicinus abundauerat. Nec est vlla passio, quæ magis virtutem animi effœminet, quàm cupiditas diuitiarum. Denique versutia laudi datur, paupertas probro habetur. Impediuit hoc vindictæ seueritatem, quia innumeri reperti tanto *a* furore obnoxij: ideóque Titus, qui vallare circumfuso exercitu Syros & Arabes proposuerat, contemplatione multitudinis reuocauit sententiam: vt superioris delicti gratiam faceret, & ne posteà committeretur, pœnam denuntiaret, verborumque austeritate *a* grauiori suos argueret, quòd auro succincti & argento, pretiosisque telis nitentes, nec arma sua erubescerent, vt tanto se dedecore dehonestarent. At verò Syros & Arabes increpare, quod immemores Romani nominis, dictu quoque *a* horrida excogitassent: venisse eos ad belli societatem, non ad exercitium flagitiorum. In exercitu Romano non solùm virtutem corporis, sed etiam mentis requiri: nec tantummodò fortitudinem in hostem, sed etiam disciplinæ normam spectari: ne crudelis, ne impius, ne insolens miles sit: sed ne prædę potiùs quàm victoriæ intentus. Ea grauia videri militiæ flagitia, & vindicari atrociter. Inter arma quoque leges valere, fide meliùs bella geri, quæ seruetur etiam hostibus. Si ergo & armatis deberet, quantò magis precantibus? Proinde cauerent ab huiusmodi flagitijs, ne & victoriæ exortes, & salutis fierent. Neque se diutiùs passurum, vt eorum scelesta flagitia Romanis ascriberentur, qui plus oneri, quàm vsui forent. Itaque repressit aliquantum, non excussit auaritiam Syrorum, vt arbitrum fugerent, non vt præceptum fouerent. Denique explorato priùs si fortè Romani militis deessent præsentia, de miserorum visceribus execrabile lucrum proferebant, nec tamen in omnibus sequebatur etiam prædæ euentus, sed in paucis, quò crudelior feritas: quia non solùm propter opes, sed etiam propter spem lucri plurimi extinguebantur: cùm latrones ipsi, & sæuiores piratæ latronibus, à latrocinio temperent, vbi prædam non senserint. Solius enim barbaricæ immanitatis est gratis nocere. Nam & ipsæ feræ, vt interficiant, prædam sequuntur. Foris itaque pœna acerba, intùs immanior Ioannes.

a vniuersos.

a furori.

a grauiùs.

a horrenda.

Inter arma leges valere & hostibus seruanda fides.

CAP. XXV. DENIQVE cùm talia gererentur a Syris, etiam si aliqui reuocarentur, indicio comperto, transfugere tamen alij non desinebant. Inter quos Manneus Lazari, qui asserebat per vnam portam sibi creditam centum quindecim millia mortuorum elata, additis adhuc octingentis octoginta funeribus, quod is seruendi vicem huiusmodi receptiset muneris: idque solo eorum numero collectum qui ex mercede publica sepulti forent, præter eos, quos sepelierant sui. Quæ autem sepultura, nisi vt de muro cadauera deijcerentur? Post ipsum plerique non ignobiles viri, confugientes ad Titum, sexcenta millia defunctorum fuisse, quæ per portas elata numerata sint, commemorabant. Eorum verò cadauerum, quæ propter infinitam pauperum multitudinem efferri nequiuerint, atque in maximis domibus, diuersorúmque operum spatijs constipata sint, numerum fuisse inæstimabilem. Et adhuc erat processus malorum, quæ iam superiorum omnium finem vicerant. Adhuc sæua obsidio, bellum graue: maioribus iam tamen Iudæorum animis, quàm viribus. Super omnia verò fames terrior, quæ insidiaretur iumentis aluum purgantibus, & vetusta conquireretur boum stercora: vt quod visu erat horribile, hoc fieret esca esurientibus. Miserabilis congeries insepultorum corporum, & circuitu longo terra ipsa tecta cadaueribus, repleta ante muros omnia, terribilis species, horror grauis, odor pestilens: qui nec victores,

Quidā viri nobiles deserentes ad Titum, sexcenta millia mortuorum per vnam portā elata.

A nec victos discerneret. Vtrisque simul noxius, & maiore Roman. impedimento, quibus necesse erat iacentes reliquias cruentato proterere vestigio: terra ipsius inculta, & succisis omnibus, quæ ad vsum militis & machinarum necessariò conueherentur. Per tredecim fermè in circuitu vrbis miliaria longè latéque vastata humus, & nudum gignentium solum. Omne illud pomerium, in quo ante memora viridantia, horti inhalantes floribus, diuersa pomaria, suburbana prædia gratam sui speciem dabant, si quis posteà vidit hospes, ingemuit: incola non recognouit, & ad genitalem regressus locum, cùm præsens adesset, patriam quærebat.

CAP. XXVI. REPARATIS itaque aggeribus & vineis, cæterisq; machinis obsidionis, renouatus est belli furor, quasi ad extremam operis manum vtrinque studijs conspiratum. Totius enim periculo certamina decernebantur; B quia & Romanis soluenda obsidio foret, si aggeres & arietes incenderentur, quibus per inopiam syluarum reparationis subsidia non suppetebant: & Iudæis excidium patriæ incumberet, si manu cederent, cùm quassata murorum repetitis arietum ictibus resoluerentur. Processere itaque Iudæi cum facibus adeò feroces, vt tanquàm cessuro sibi Romano exercitu, incendia in machinas spargerent, obsidionem soluerent. Sed exhaustæ iam vires fame, & res fractæ, priores successus negarunt, substantia defecerat, audacia manebat. Contrà Romanis maior pudor, si ab his, qui extremum fame spiritum traherent, victoria de manibus diriperetur. Conserto itaque prælio, repulsi Principes seditionis, ad murorum subsidia bello impares recurrerunt. Sed vbi dubia C murorum *a* cæsura repetitis ictibus, Ioannes haud incuriosus extremi subsidij circumspexit interiorem murum, quasi in C. literam duxit. Postero itaque die conuulsa parte murali, fragor labentis beneficij, & clamor Romani exercitus simul increpuit, quasi patrato excidio muri prolapsione. Sed vbi conclamatæ vrbis *a* insultauit sonus, versa vice rerum, noui muri species, improuisa Romanorum gaudia *a* restrinxit, Iudæorum audacia successit, quia periculum differebatur. Tunc Cęsar exercitum adhortari cœpit, vt nouum illum murum sine vlla cunctatione adoriendum putarent, quem constructio recens infirmum, & facilè solubilem proderet: auderent modò animis procedere, fragmenta muralia ascendendi facilitatem datura, vt prælianter Romani, Iudæis D de superiori loco decernentibus, adæquarentur. Et quia cunctantes videbat certi difficultate, validissimos quosque iuxta se congregans, in bellum accendebat tali oratione.

a cessura.

a resultauit.

a restrinxit.

CAP. XXVII. Oratio Cæsaris, suos animantis.

OMNIVM rerum exitus plus negotij, quàm principia habere, nulli incognitum est, fortissimi commilitones, quia consummatio suscepti muneris maiorem quærit laborem: siquidem toto libera mari currit nauis, etsi non semper à puppe ventorum aspirent flamina, gubernator tamen obliquat velorum sinus, & sine certagio scinditur fretum. Sed vbi ad portum venitur, opportuna aurarum temperies necessaria est, & angusto ingressus nauium coercetur limite. Maior itaque periculi cura, vbi spes propinqua: ædificantibus quoque plana exordia fundamentorum, sed ardua celsiorum o- E pera fastigiorum. Et plerumque in ipso operis claudendi fine, mercedis suæ munere defraudatur miserandus faber, aut culminis lapsu obrutus, aut instabili deceptus vestigio, vt ad inferiora decidat. De agricola quid dicam, cui procinctus laboriosior messis quàm segetis, vindemiæ quàm putationis: & adultis fructibus grauiora semper metuenda pericula? Nihil ergo nouum, si adhuc nos in ipso portu consummandi cursus periculum manet: quia per angustiora viarum scandendum est ad Antoniam: quò deiectis inde aduersarijs, superiorem occupantes locum, ac supra verticem locati hostium, ipsos quodammodo anhelitus eorum intercludamus. Sed difficilè hoc *a* nobis videtur commilitones, quasi verò ad ludum, non ad bellum conuenimus: in quo aut vin-

a vobis.

cendum, aut moriendum sit viris. Tunc ergo debueratis excusare, quando ad prælium veniebatis, vt vindicaretis cladem Romani exercitus, & maculatæ militiæ probrum dilueretis. Si Neronis tempore vlciscendam iniuriam Romani nominis æstimabatis, quid vos decet velle Vespasiano Imperatore? Lauemus superioris imperij notam, ne nostro adhæreat, quam Nero quidem remoturus per Vespasianum æstimabatur, Vespasianus per Titum in se transtuderit, nisi vicerimus: Exequenda nobis tantummodo supplementa victoriæ pater reliquit, quò fusis incassum tantis laboribus, dedecores inultíq; * referemus gradum, victoriam derelinquentes: quasi non leuius crimen sit de militia decedere, quàm victoriam deserere: illud enim formidinis, hoc proditionis est. Sed periculosum putatis in hostem descendere, & murum armis circumsonare: quasi verò muliebria de nobis, & non virilia opera ipsa natura expetat, quæ nobis ideò vitalem infudit spiritum, vt eum pro gloria libenter refundamus. Ad quæ igitur, nisi ad maxima quęque à Duce suo bellator adhortandus est? Nam vsitati operis adhortatio, non solùm conuentis, sed etiam conuenientibus affert pudorem, vt exigas, quod spontè debetur: id enim de se militem præstare oportet. Et tamen quid immoderatum à vobis exigo? Nónne præstat mori per virtutem, quàm viuere ad ignominiam? In medias Romanorum acies frequenter Iudæus exentit, ac sese hostilibus cuneis impauidus infundit, non ad spem victoriæ, sed ad indicium fortitudinis, & ostentationem gloriæ: Vos, quibus terra & mari nemo impunè adhuc restitit, quibus non est nouum vincere, & crimen non vicisse, cùm tanta habeatis vincendi suffragia, nec semel quidem proripuisse in hostem gradum non pudet? sed armatos otium tenere, & in procinctu positos, feriatis animis expectare, vt fames pro nobis dimicet, atq; inedia potiùs sua, quàm nostris fusi gladiis, in opprobrium nobis erubescendos vertant triumphos? Non pudet (inquam) strenui commilitones, vniuersarum victores gentium, nihil de armis sperare, nihil de viribus, sed de sola obsidione, & operiri quando hostis morbo consenescat, atque in suo moriatur lectulo? Et quæ potest esse sina bello victoria? omnia sunt repleta cadaueribus, deformes exuuiæ iacent, exangues reliquiæ defunctorum, nisi quos ipsi inter se suis manibus trucidauerunt. Quid timemus eos, quos iam fames, ignis, latrocinium, seditio exinsit? Quid destituimus diuina beneficia? Cuius enim nisi Dei nutu in sua collisi arma sunt? Destituti quoque subsidiis alimentorum nec vllus domestici finis futuris. Vereor ne iam & religionum videamur rebelles, qui & nostris, & suis religionibus infidos tam diu reseruamus. Verùm esto, sit atrox bellum & formidolosum. Quid enim vos belli demulceo facilitate? Sit victoria incerta, certum periculum. Nónne apud eos mihi sermo est, qui humana prudentia nouerint, in periculis promptiorem esse omnium animantium fortitudinem, quàm in remissioribus contentionibus? Feræ ipsæ cùm se circumuallatas * armis viderint, maiore in eos impetu ruunt, vt vi sibi aperiant iter. Et atrociora serpens latibulis excussus, infundit venena. Sunt etiam, quæ natura innoxia, in periculis tamen suis ad nocendum * fortiora sunt. Habent cerui sua arma, si quis se obuium ferat, & mortem cornibus repellunt. Habent & læsæ apiculæ suos morsus. Quid autem de viris bellatoribus apud Romanos loquar? cùm Leonides ille Lacedæmone genitus, prælıaturus aduersus innumerabilem Persarum exercitum, dixerit: Prandeamus in terris, apud inferos cœnaturi. Tantùm valuit apud Græcos hic sermo, vt non solùm da trecentis illis Lacedæmoniis viris, quibus ipse præerat, se nemo subtraxerit, præter vnum tantùm, quem superstitem posteà nullus recepit: sed etiam de cæteris qui simul ad bellandum processerant, nisi quos Leonides tanto degeneres bello repudiauit. Quid de Romanorum integris legionibus loquar? quos Cato Romanæ assertor facundiæ, & veri-

Margin: * referemus. — Iudaica temeritas. — * sensus. Feræ sibi impetu iter aperiunt. — * fonia sint. — Leonidis dictum ad milites.

A tatis syncerus interpres, asseruit cum exultatione ad bellum processisse: de quo se redituros non arbitrarentur, vniuersósque libenter procubuisse, nec mutarent sententiam. Beati, quorum nemo suis hostium victoriam fuga annuntiauit. De trecentis tamen Lacedæmoniis vir vnus subterfugit, & illi in angustiis prælıabantur, ne circumuenirentur. De Romanis legionibus nullus * vitæ elegit, sed omnes mortis hæreditatem, quorum vos posteri estis: si contemptu periculorum, quasi gloriosa indoles, virtutis prosapiam non abnuatis. Quis enim fortium virorum esse se mortalem non nouerit, omnibúsque positum finem viuendi? Quantò igitur melius patriæ impendere, quod naturæ debeas, & necessitatem commutare gloria: nec anhelæ senectutis suspiriis obnoxiam vitam * deiicere, nec feruentis ægritudinis casus reformidare, cùm depositis æuo quotidiana fastidia sint?
B Illorum autem, qui languore marcescunt, deficientibus viribus pariter ac sensibus, vt multorum opinio habet, animæ simul cum corpore sepulchru adiudicentur. At verò bellatorum, & strenuissimorum virorum, qui se pro patria, pro liberis, pro religione morti deuouerint, animas de vinculis corporis huius ferro absolutas: nulli dubium, quin purum illud æthereum elementum stellarum lumine refulgens, in cœlestibus suscipiat habitaculis, hospitio quodam supernæ quietis: in terris quoq; remanere, insigne aliquod * est gratiæ vel iniuriæ, vt & lãguore commaceratos obliuio abscondat; & aduersum pectus in hostem ferentes, si mors conuenerit, sequatur gloria. Ad hęc vos inuito pręmia cõmilitones, vt in hostẽ pergamus, quem clausum tenemus: & ascendamus in
C murum per ruinam muri validioris, quæ nobis velut quendam aggerem præstat, & æquatur muro inferiori. Quisquis virtutis vexillum præferens, primus in murum ascenderit, vel secundus, vel tertius, vel pluribus comes, haudquaquàm mihi non donatus opimo abibit munere, etsi nulla maior remuneratio, quàm fortitudinis gloria, quæ plerunque est tutior. Nam vbi primùm animis, & viribus confidentissimus quis ascenderit, fugient qui resistebant: aut ad inferiora se conferent, aut latibulis abscondent: ita quod maximo nunc periculo fit, si in inferioribus quærimus, sine labore magno sequetur, vt deiectis hostibus bellum conficiatur.

Vix sermonem Titus clauserat, & Sabinus se obtulit ex Syriæ viris, egregius bellator, & ante Cæsarem consistens, ait: obedire se imperiis, ascensioni paratum, si
D euentus sibi adesset, vt Cæsari placeret: si * destrueretur secũdis, nihil præter spem sibi accidere, qui iudicio proprio delegisset pro Cæsare mori. His dictis læuam extendens, clypeum suprà caput extulit, & dextera vibrans gladium, immane, quantum in arma insurrexerit: vt quiuis eum non recognosceret, quem paulò antè exilis corporis specie despicabilem putauerat, subitò cùm videret pergere in aduersum, & hostibus pariter, & muris minantem sese extendere, quasi iam celsior in subiectos præliaretur, & murum quateret manu. Sequebantur eum vndecim viri studiosi ad imitandum, sed impares ad consequendum. Repugnabant de muro Iudæi spiculis, saxis, sagittis: & quod cuiusque manus inuenerat telum, in Sabinum deiiciebatur. At ille intertitus, cursu
E concito insilit in fragmentorum aggerem, & in summo locatus, hostem auertit, dum proximus quisque formidat periculum. Sed dum se librat in murum attollens, & securus victoriæ in hostem intendit, lapsus in faciem, cum maximo sonitu ruit. Quo reuocati Iudæi, cœperunt iacentem missilibus vrgere. Ille genu nixus, & se protegens scutò, quàm diu potuit, à vulnere defendit, nec immunem reliquit, quem proximum reperit. Ad postremum tamen * confertus vulneribus, spiritum priùs quàm bellum deposuit, nec deiectus gradu, nec muro excussus est, nisi mortuus: tribus quoque aliis necatis, octo semineces, licèt à cæteris tamen exitio subtracti.

Nec * tantùm non terrori reliquis mors Sabini,

Margin: * vitam. — * degere. — * vel. — Cap. xxviii. Sabinus offert se Cæsari. — * destitueretur. — Sabinus telorum ictu decumbit. — * cõfectus. — Cap. xxix. — * tamen.

sed incentiuo fuit. Nam Romani viri, qui prætenderant vigiliarum [a] munia, compensare cupientes operis effectu, quod Sabini studio præuenti fuerant, viginti numero ineunt consilium magnum & memorabile: vt adunato quinti ordinis signifero, & duobus equestris militiæ viris, quos promptiores arbitrabantur, atque vno tubicine, quinta hora noctis silentio per aggeres sese fragmentorum muralium in superiora attollerent, cæsisq; custodibus, Antoniæ murū occuparent. Quo peracto, terribilior solito sonitus increpuit tubæ, vt fessi labore Iudæi, & somno soluti, de improuiso perturbarentur, quia omnia repleta hostibus crederent. Antè itaque fugere cœperunt, quàm veri fides pateret. Neque enim periculi sors, tenebrosæque noctis caligo patiebatur, vt quanti essent, cognosceretur. Et Cæsar audito sonore tubæ, armari exercitum iubet: ipse cum electis primus in murum ascendit, suis auxilio, hostibus impedimento. Illuxit dies, & iam Cæsar conspicuus è muro suos adhortabatur: alij manibus suorum in murum eleuabantur, alij per cuniculum, quem Ioannes ad subuertendos Romanorum aggeres defoderat, in vrbem se [a] deferebant. Versa in perniciem perfidis subsidia sua, exclusi vndique in templum se conferunt. Eo quoque volentes Romani irruere, cohibentur angustiis, armisque repelluntur. Fit in vestibulo graue prælium, nec iam spiculis aut sagittis, sed gladiis cominùs geritur, manus ad vulnera, gladius super gladium, ictus super ictum, percussor cæsorum sanguine perfundebatur, vt ipse potiùs percussus æstimaretur. In ipso templo furor bellicus dominabatur. Natabant pauimenta sanguine, morientium gemitus, vincentium clamores sine ordine & modo personabant: Romanos [a] perficiendi certaminis spes accenderat, Iudæis suprema patriæ excidia ademerant mortis formidinem. Hi sumptu gloriæ virtutem alebant, illi desperatione salutis omne effundebant virtutis viaticum, nec reseruabant.

[a] munere.

Cæsar murum conscendit.

[a] inserabāt.

Romani volentes irruere in templum prohibentur.

[a] conficiendi.

Cap. XXX.

Iuliani centurionis fortitudo.

Pulcherrimum quoque facinus adorsus est Iulianus Centurio, vir armis maximus, ex Bithynia profectus Prouincia, sed Romanis assuefactus disciplinis bellisque exercitus, & honoratæ militiæ clarus stipendiis. Qui cùm prope Cæsarem astaret, vbi [a] aduersos vidit Romanos, quia Iudæi numero præstabant, & adhuc Romani pauciores aderant, subitò de Antonia se proripuit, & insequentes auertit: nec sunt ausi resistere, ipsa specie præcellentissimi viri, & superba quadam vltra humanam formam virtutis autoritate, ita vt ipse Cæsar miraretur. O varia atque incerta, velut quædam bellorum alea, quæ sicut iactu quodam, ita casu quodam potiùs quàm virtute, plerunque inopinatis ludit euentibus, sufficiens nouus exitus. Nanque & hic iactus sunt, non tesseratum quidem, sed sagittarum, telorúmq; plurium, lapidum quoque, quibus sæpè victor sternitur alieno vulnere. Et dum aliena spolia rapit, ipse dispoliatur: velut hic Iulianus, qui tergo imminebat hostium, dū alios perimit, & claustro coërcet, ipsa alacritate incautior, confixum clauis calceamentum gerens, vsu militarium virorum: non considerauit polito lapide solum stratum, quod cauendum foret, sed quasi in campo præliaretur securus, labitur, & ingentem strage sua sonitum dedit. Nec potuit assurgere lubrico solo fusus, genu tamen se sustinens, regressum hostem repellebat, vt appropinquantes cæderet, iaculantes quantum posset, caueret. Sed ipsa fatigatus atque oppressus multitudine, solus licèt, quia nullus tanto se inserere periculo auderet, non despicabilis tamen, neque inultus, impigrè occubuit. Haud equidem, vt arbitror, tali dignus exitu fuit, vt tanta virtus viri sic deciperetur. Sed plurimùm in bello prudentia valet, quæ cauta semper & perspicax incertorum prouidet casus. Solus se de Antonia proripuit, solus in hostilia agmina ruit, solus se armatis miscuit, solus in templum Iudæos redire compulit. Vereor ne istud obfuerit magis, quia de templo fuerunt exterminandi Deo infideles, ideo lapsus non inuenit remedium. Spectabat Titus vincentem cum gaudio, periclitantem cùm ingenti dolore: volebat subuenire, sed longè aberat. Reuocabatur à suis, quia in milite vnius sors est, in Imperatore vniuersorum periculum: docebat exemplum, quid cauendum potiùs, quàm sequendum Cæsari foret. Denique sic consternati fuerunt socij, sic elati aduersarij, vt & corpus Iuliani in potestatem veniret hostium, quasi adhuc & defunctum timerent, si Romanis restitueretur. Cæteri Iuliano cæso, facili negotio cessere. Nondum enim ascenderant numerosi, & Iudæis occasu necis eius virtutem auxerat: promptissimis eo prælio ad repellendos Romanos Alexa & [a] Gitteo Ioannis coniuratis, qui factionis eius propugnatores forent: ex Simonis quoque parte [a] Malchio, & Iacobo Idumæorum Duce, egregiis bellatoribus: Arsimone quoque & Iuda tertiæ factionis viris pariter admitentibus, qui coniuncta manu pulsos Romanos intra Antoniam clausere.

[a] aduersos.

Mors Iuliani.

[a] Ioseph. Gyphteo.

[a] Ioseph. Malachia.

Cap. XXXI.

Contra Titus non munimento sibi, sed impedimento angustias Antoniæ ratus, iubet dirui munitionem eius funditus, vt congressuris iter in hostem aperiretur. Compertóque quòd solennitas Iudæis festorum dierum appropinquasset, præcepit interpretari Iosephū Hebræo sermone, quæ ipse alloqueretur. Quæ, malum, ratio Ioanni suaderet, vt [a] Romanos lacesseret. Si virtutis fiduciam gereret, eligeret alium pugnæ locum, eò progrederetur, dummodo vrbi parceret, templum non contaminaret, sacrificia festorum dierū non impediret. Relinqueret quos idoneos sacrificiorum ministeriis æstimauisset, fortitudinis suæ documentum vbi vellet, præter vrbem & templum, ederet, congressioni milites Cæsaris non defuturos: inuitum se cogi ad totius vrbis euersionem: cuius reliquias seruare vellet, si pateretur Ioannes: imminere templo faces, non quòd templum Romani festinarent exuere, sed è templo educere belli [a] incitatores. Si victos se crederent, manus darent: at si victores futuros sperarent, non intra claustra se reciperent, sed in campis defenderent, quò templum labentibus iam incendiis eriperetur, vacaret purificationibus. Et interpretante Iudæis Iosepho, cum silentio audita, tacitum vulgus probabat, sed metuebat sententiam suam pandere: quibus respondet Ioannes, nullum præstabilius Deo esse sacrificium, quàm pro aris, pro focis, pro templo ponere animam, viros Deo sacratos: & ideò si necesse sit, libenter procumbere pro libertate, tamen sperare se, quòd excidium perpeti non possit ciuitas Dei. Titus ad hæc: Meritò igitur puram Deo seruatis vrbem, & sanctum immaculatum, necando ciues, interficiendo innoxios, perimendo Sacerdotes? Talibus flagitiis non placantur diuina, sed offenduntur. Abdicastis deum vestrum sacrificiorum cultibus. Si tibi aliquis negaret cibum Ioannes, quæreres eum: Deo vestro suę hostiæ non immolantur, non redduntur sua munera, iugulantur homines, & adhuc putas Deum auxiliari? Reuerà sic gesta edocent, [a] testificantur cæsorum congeries, & cumuli vestrarum calamitatum. Quis hæc vidēs, non ingemiscat? Nec reprehenderem, quòd pugnares pro patria, si nollem parcere, si nollem patriam vestram aut templum reseruare. Neque enim digna Carthago, aut metuendus Hebræus Annibali, qui partem mediam orbis Romani [a] subegeraut, & tamen ipsa quoque reparata Carthago, quæ vsque ad excidium sui, rebelles ciuium animos tulit. Fide mea, salua hæc omnia tibi futura spondeo, veniam tibi salutis polliceor, non pro mercede sceleris, sed pro redemptione vrbis, vt à te redimam penitiorum culminum statum. Desinas moneo latrociniis tuis conturbare propositum pietatis Romanæ. Non [a] formidabitur Hierosolyma, vt diruatur: quando potior viribus reseruata est Antiochia. Certè Iechonias vester & Persis credidit, & vrbem egressus, commisit se cum suis proximis barbarico furori, ne propter se ciuitas euerteretur. Celebratur à vobis eius memoria, sicut vestri asserunt: adest Iosephus assertor tuus, celebritatisque testis, qua honoratis virum, qui pro patria se captiuitati

[a] cod. vet. vt Romanos in tēpli excidium lacesseret.

[a] excitatores.

Mori pro patria.

[a] testificātur.

[a] subegerat.

[a] formidabit.

se captiuitati obtulit. Seruauit enim & barbarus Persa, & ego tibi spondeo impunitatem. Certè & Iosephus arma Romanis aduersa intulit, crede promisso, cuius & exemplum præmisimus. Vadem tibi sponsionis nostræ Iosephum damus: imò iam dedimus, quem reseruauimus. Loquatur vobis sermone patrio, obliget se ritu quo soletis: non pudet me vadem quærere, fideiussorem dare, ne euersorem exhibeam, qui volo parcere. Flere ad hæc Iosephus, rogare Ioannem, deplorare patriæ statum, obsecrare sermone flebili, appellare vt ciuem, sed cæteris pertinaciorem: testare Dei omnipotentis gratiã, saluum fore eum cum suis, tantummodò desisteret excitare militem Romanum ad vrbis euersionem. Quem vbi flectere nequiuit, Non mirum, inquit, Ioannes, si perseueras vsque ad excidium patriæ, cùm iam reliquerint eam præsidia diuina. Sed mirùm quòd perituram non credis, cùm legeris propheticos libros, quibus excidia patriæ nobis annuntiata sunt, & reparata culmina, rursus à Romano diruenda exercitu. Quid enim aliud clamat Daniel? Non enim quod iam factum erat, sed quod pòst futurum, prophetabat: quę est abominatio desolationis, quam vociferatus est venientibus Romanis fore, nisi ista quæ nunc imminet? quod est illud oraculum, quod à nostris sæpè commemoratum est, à summo denuntiatum Deo: tunc scilicet perituram vrbem funditus, cùm ciuium manibus contribulis suus fuerit extinctus, nisi quod nunc impleri videmus? & fortasse, quia iam defendi templum non placet, interdicto maculatum sanguine, purgari incendio placet.

Subigẽdos Iudæos à Romanis prophetæ prædixerãt & Apostoli Pet. & Paul. Lact. li. 4. cap. 21. Inualuerãtque eiusmodi rumor. Suet. in Vespas. & Tacit. lib. 21

COMPLEVIT sermonem Iosephus, sed nullis Iohannes mouetur fletibus, nec promissis flectitur. Vrgebat Deus iamdudum perfidas mentes, ex quo impio se parricidio commacularunt, Christum Iesum cruci suffigentes. Hic est ille, cuius mors Iudæorum excidium est: Natus ex Maria, qui ad suos venit, & sui eum non receperunt. Quando enim suos non occiderunt Iudæi? Nõnne filium Saul sui occiderunt? Naboth Propheta à suis vtique lapidatus est. Iudæa fuit Iezabel, quæ iussit Iudæis, senioresque præceptum executi sunt. Iudæus Acbab, qui causa mortis eius factus est. Quanti alij à ciuibus ciues perempti, & tamen diu integra ciuitas mansit, etsi diruta à Babyloniis post annos innumerabiles, sed reparata posteà? Hoc est supremum excidium, post quod irreparabile templum, quia auerterunt sceleribus suis præsulem templi, reparationis arbitrum.

CAP. XXXII. Christi mors Iudæorũ excidiũ. Lact. Niceph. lib. 3. cap. 3. Naboth propheta à suis lapidatur.

CAP. XXXIII.

TALI affatu Cæsaris, & reperta oratione inflexa est aliquorum sententia, qui se subtrahere potuerunt, vt ad Romanos conuenirent. Cæteros reuocauit periculi metus, qui à latronibus intẽdebatur: (Et fortè quædam inclinatio mentium erat, ne plures eriperẽtur futurę euersioni) quos Cæsar confugientes ad se, quia erant inter eos & viri sacerdotales cum filiis, & * aliis splendidioris familiæ * viris, suscepit bona gratia, pollicens securitatem salutis, ius possessionum suarum, atque ad vrbem, cui nomen Gosna, direxit: ne quid offensionis oriretur ritu dispari & cultus diuersitate. Quod ab his, qui in vrbe positi repugnabant (seu quia huiusmodi suspicio incesserat, siue vllus composuerat dolo, ne plures dilaberentur) in argumentum est deriuatum necis, vt extincti obiicerentur. Eo comperto, reuocatos Titus iussit eum Iosepho propiùs muros obire, vt à suis agnoscerentur. Illi cum lachrymis gemitúq; magno, non sua deflere, sed patriæ templíq; excidia: rogare ciues, vt sequerẽtur Cæsaris fidẽ, eriperent templum parato incendio. nihil sibi aduersus legem præceptum, nihil de libertate imminutum. Acquiescerent & ipsi experirentur Rom. clementiam, quorum insuperabilem virtutem experti sunt.

* alij. * viri.

CAP. XXXIIII.

CVM talia miserabiliter deplorarent, proturbantur à suis, bellúmque accendunt, insiliunt Iudæi, atque in ipsa irrumpunt * temeritate penetralia. Omnes recessus, omnia secreta occupant, quæ inaccessa viris erant sacrorum exortibus. Romani quoque se prælio parant: temerantur interdicta Patrum belli necessitate, maiore tamen Romanorum, quàm suorũ reuerentia. Gentiles enim cũ formidine templũ spectabant, Iudæi cũ furore ac temeritate adibant, & madidas manus humano gerentes sanguine, ipsa attrectabant altaria. Titus tamẽ adhuc in proposito manẽs, alloquebatur Iohannẽ, & inuitum se deduci ad excidium vrbis, & templi contestabatur, dicens ad eum: Quid sibi volunt Iohannes, impressi illi ante fores templi apices elementorum? Nõnne significant neminẽ, nisi sacrarũ debere templo appropinquare? Quid illa septa pro templo? Nõnne vt conspectus arceant vniuersorum liberos, solísq; mysticis pateat secretorum cognitio: atq; his sit liber aspectus, quibus est legitimus ingressus? Prospectus excluditis peregrinorum, & accessus cogitis. Scribitis, vt nullus ingrediatur aduena, nullus peregrinus introëat, & peregrinum sanguinem intra templum funditis, aduenarúmq; simul & ciuium cruore vestra altaria commaculatis. Testificor ego non impressionis nostræ esse, sed vestræ præuaricationis, quòd violatis quæ vestra sunt. Ego alienus non exigo, imò obtestor, si velitis discedere, incolume templũ futurum: neminem Romanorum hostiles irrogaturum manus, nihil de vestris temerandum esse sacrificiis. Seruabo templum vobis * & proselytis: cultus enim sacrorum diuersus, sed operis communis vsus: Quod cultus fuit, à vobis recessit: quod operis est, victoribus remansit.

Ioseph li. 6. bel. c. 5.

* etsi nollitis.

VBI ne his quidem per Iosephum insinuatis reuocari Cæsar aduertit (factiosis enim principes putabant dissidentiæ potiùs, quàm pietatis esse tam frequentè desistẽdi conuentionem) ad prælium necessitate inuitus reuertitur, iubet adesse Romanos. Sed quia tantæ multitudini angustia impedimento erat, XXX. electis viris, singula deputat bellatorum millia. Non enim totum exercitum reciperent tam densa ædificiorum obstacula. Ipse quoq; simul descendere volens, reuocabatur à suis, ne in angusto nocturnis etiam plerunq; temporibus, quibus necesse erat insidiantiũ fraudi occurrere, periculi aliquid in se excitaret: cum ampliùs proficeret, si spectator belli adesset, quo vnusquisq; promptiùs sibi decernendũ arbitraretur, sub oculis Cæsaris præliaturo. Omnia enim, quæ circa templum gererentur, velut in theatro quodam, ex loco Antoniæ desuper visebantur. Inflexus ad eam sententiam Cæsar, Cereali mandat negotium, vt prætendẽtibus circa tẽplum Iudæis, hora noctis nona superueniret, cæterósque hortatur studiosè ingruere certamine, se quoque dimicantium meritis non defuturum, cùm desuper aut ignauiæ cuiusq; testis, aut virtutis arbiter pugnam examinaret: Cerealis præscripto tempore impigrè adest, sed custodes vigilantes reperit, prælium conseritur. Siquidem & intra templum siti non dormiebant, & congredientibus qui excubias obibant, facilè se cæteri ad bellum parabant. Conferto agmine, instabat * Romanus: Iudæi, dum claustris atque angustiis muniuntur, ne circumuenirentur, percursabant diuersa: vt frequentiùs sibi à suis esset periculũ, dum in tenebris non cognoscerentur, & plerunq; transfigerentur à sociis, dum hostes putantur. Quis enim nocte discerneret, socio an hosti occurreret? cùm interrogare serum esset, cauere vtile, cõsultum præuenire: & tolerabilior culpæ exitus, errare in alieno vulnere, quàm proprium eligere periculum, vbi hostis timetur. Ancipiti itaque per noctem periculo laborabant Iudæi, vel quod inferret hostis, vel in quo socius erraret. Nec minore per diem pernicie afflictabantur, nocte plus erat periculi à suis: per diem Romanus vehementior aderat, quem totius spectator certaminis Titus vel tacitus vrgebat. In horam quintam pugnatum est acriter: Iudæis quoque strenuè rebellantibus, vt neutra pars loco cederet.

CAP. XXXV. Iosephus non potuit suos mouere ad deditionem.

Cerealis præfectus exercitus.

* Romanis.

CAP. XXXVI.

DVM hæc inter se prælia gerunt, septem dierum spatio depositis omnibus, vsque ad fundamenta terræ, cuius castro, cui Antoniæ nomen, Herodes immunierat, latior facta est via, quæ ad templum ducebat: vt non solùm percursandi militibus esset facultas, sed etiam in munimentis constituendis, & coaceruandis aggeribus,

quantum esset necessarium locorum, pateret, quò pulsarentur etiam templi fastigia ruitura summa: per quæ Romanis intentiùs immorantibus, cùm * intolerabilibus famoe vigerentur Iudæi, cœperunt insidiari Romanorum iumentis, si quis bellatorum equum pabulo laxauerat, aut mulum leuando oneri necessarium, rapto auertebāt, nec solùm cibus eis dispendio Romanorum, sed etiam militiæ flagitio, * petebatur. Cuius * incuriæ probrum in exordio statim, præscripto necis supplicio, Cæsar remouit, fraudem tamen pertinacium non compescuit. Exclusi enim ab huiusmodi rapinæ necessario esurientibus alimento, herbarum subsidia captantes, destruendū murum, quem circa pomerium Titus duxerat, excogitauerunt, vt vagandi & exquirendi radices arborum, pabulorúmq; liberior fieret excursus, quos ad cuiusdam carceris vicem circuitus muri clauserat, nec erat iam, quo famem leuarent. Obrepunt itaque, & excursu repentino ad montem Oliueti ingruunt prætendentibus, nec illi commisso defuêre muneri, & tubæ classico de cæteris castrorum aut turrium munimentis alios accersierūt ad prælij * societatem. Conseritur pugna acrior in principio: dum pudor hos, illos fames vrget sæuo imperio ac necessario; sed confluentibus Romanis repelluntur Iudæi, atque ad vrbis suæ muros reflectuntur. Tunc vnus è turma equitum, Pedanius nomine, concito equo dextram extendit, & se paululùm inclinans, vnum de Iudæis fugientem suspendit, captiuum Cæsari ferens, gloriosæque victor rapinæ: velut lepusculum aquila, aut accipiter fulicam ante pedes Cæsaris viuentem deiecit. Quo delectatus admodum Titus, laudatum eum & honoratum dimisit.

* intolerabili.
* patiebatur.
* iniuriæ.
* necessitatem.
Pedanij fortitudo & audacia.

Cap. xxxvii.
* templum.

IAM circumfusæ * templi ardebant porticus, vbique luctus, vbique mors: foris bellum, intùs suprà bellum & incendium. Nec frangebantur animis Iudæi, putabant vindictæ perire, quicquid sine fraude gererent, vel insolentia. Quando aliter iam nequibant, prouocabant Romanos ad excidij celeritatem. Ionathes quidam exiguus corpore, despectu dignior, iuxta Iohannis sepulchrum lacessebat Romanos, vt secum, qui vellet, manu decerneret. Aliis despicientibus pusillitatem hominis, aliis fastidientibus cum eo decertare, quem continuò captiuum habituri forent, aliis considerantibus periculoso certamine rem geri cum viris, qui in extremis salutis non aliqua fortitudine, sed sola temeritate vindictam quærerent: nihilque laudis futurum, si vinceretur, excidio finitimus: & plurimum dedecoris, si quis lapsu aliquo communem victoriam turparet. Iactabat se insolentissimus, & metum obiiciebat victoribus: ennoiam ferens, quòd non suis viribus, sed alicuius auxiliis Romani inniterentur: nec Iudæos bello bustium, sed domesticis afflictos seditionibus. Erat in numero militum Romanorum Pudens nomine, qui præstrictus manibus cōtumeliis, dum inconsultè pudori consulit, salutem neglexit, atque ipsa indignatione incautior, vulneri patuit, fusúsque in terram, incussit sociis verecundiam: insultationis quoque causam Ionathæ simul & mortis reliquit. Námq; is successu lætus certaminis, & pompam attollens triumphi, dum tripudiat, atque exultat, concussóque clypeo simul & gladio proludit, excitauit in sua vulnera Centurionem Priscum, qui superba & tumida iactantem non tulit, atque incautum victoria penetrauit ictu sagittę. Quo stratus Ionathes, docuit in prælio neminem irrationabiliter insultare oportere: vbi victoris & victi conditio incerta, donec bellum claudatur.

Ionathes prouocat ad monomachiam.
Pudens incautus in certamine succubuit.
Priscus Ionathē interemit.

Cap. xxxviii.

AT in vrbe interiore, cùm hostem intra muros cernerent altissimis eminentem aggeribus, vniuersisque imminentem mœnibus, & tanquàm vulnus in corpore, ita periculum introrsum pergere reformidarent, intercidūt porticum septentrionalem ex ea parte, qua adhærebat Antoniæ, ne per ipsam hostis in templi superiora ascēderet, vel in inferioribus sitos superior vrgeret: & proxima quæque demerunt, ne populantibus incendiis templo finitima etiam templum ipsum ignis depasceretur,

A atque intercisa igni exurunt: ita quod ab hoste metuebant, priores cœperunt. Solomonis quoque porticum ad fraudem pararunt, vt culminum interiora replerent pice ac bitumine, quæ * infra fornicem summi laterent fastigij, simulatóque quòd eam vellent defendere, & frequentes hostes incesserent, solicitant Romanos, atque in sese excitant. Illi admotis scalis, summa porticus petunt, Iudæi loco paulatim cedere, quò plures Romani ascenderent. Hi certatim irrepere, tamen prudentiores suspecti dolum cauere: sed vulgus intentum victoriæ, præfestinare, vbi res fraude carere visa, plurimis quasi inter retia locatis, admouetur ignis fornicibus interioribus, atque * additis pice & bitumine, atque cæteris incendij nutrimentis, in totam diffunditur porticum. Circumuallabant flammæ victores Romanos, vt nec resi-
B stendi facultas suppeteret, nec fugiendi copia: quid facerent non reperiebant. Spectabat Titus suos periclitantes, indignans quidem, quòd iniussi ascenderant, sed miserans, quòd victores perirent. Plerique se præcipitio dabant, sed vbi incendium euaserant, fractis cruribus, collisi corpore moriebantur: nisi eius erat, si debiles superuenirent. Volebat subuenire Cæsar, nec poterat, hortabatur tamē proximos, clamabat vt auxilio suis essent. Has voces, hunc dolorem Cæsaris, pro supremo illi habebāt solatio. Hoc erat morituris viaticum, hoc se velut sublimi solantes sepulchro ad mortem festinabāt, quòd in visceribus Cæsaris reconderentur: nec vita eorum periret, quorum viueret gloria, qui morerentur pro Cæsare, relinquentes sui hæreditatem triumphum. Itaque alij circumueniebantur ignibus, alij præueniebantur:
C nec longè hostis, qui flammas fugientem feriret.

* intra.
* adiutus.
Cæsaris nominis fiducia.

LONGINVS tamē egregiæ virtutis vir, cùm prouocaretur à Iudæis, vt sese his committeret promissa salutis securitate, maluit se solum transfigere gladio, quàm maculare probro Romanæ indolis fortitudinem. Artorius autem satis astutè voce magna clamauit Lucium, dicens: Hæres mihi eris, si me decidentem exceperis. At ille miserandus occurrit ruenti, atque in se morituri necem transfudit. Verè bellicum testamentum, non atramento scriptum, sed sanguine: nec in charta, sed in mucrone. Quòd hæredem promisit, magnum planè ingenium, vt inueniret voluntarium mortis vicarium. Incensa est itaque porticus vsque ad turrim, quam Iohannes cùm bellum aduersus Simonem gereret, exædi-
D ficauerat super portas Regiæ domus, quam Ezechias sibi Rex ad habitandum condidit, reliquam eius partem ipsi diruerant Iudæi. Sequenti quoque die à Romanis exusta est omnis porticus septentrionalis, vsque ad porticum orientalem. Nam cùm suis ipsi manus iniicerent ædificiis, docuerunt Romanos * illis non parcere. Nuda erat iam templi facies, & sæua hominum fames: insidiabantur sibi inuicem, quis cui raperet cibum. Vbi alimenti suspicio, ibi bellum inter domesticos. Pugnabatur pro cibo, necabantur charissimi, discutiebantur defuncti, ne quis intra amictus eorum cibus lateret. Simulate aliqui mortuos æstimabantur, ne viuentes aliquid habere alimenti suspectarentur. Sed ne viuentes quidem, aut vitæ fungi munere, aut mortem simulare poterant. Verùm aperto ore sicut rabidi canes,
E auratum captantes spiramina, huc atque illuc circumferebantur inopia duce. Sæpè etiam quasi ebrij in eadem domicilia regrediebantur, vt iterum quæ vacua reliquerant, perscrutarentur. Et cùm alia famis solaria non reperirent, detrahebāt coria scutis, vt cibo essent sibi, quæ præsidia non essent. Mandebant calceamentorum: nec pudor erat solutum pedibus suscipere ore, & lingua lambere. Vetustæ quoque paleæ, quæ olim proiectæ fuerant, non mediocri studio requirebantur: & si quis reperrerat, grandi pretio mutuabat.

Cap. xxxix.
Longin. alias Longi. inuictus animus.
Artorius (qui & Argorius) militare testamentum.
* alienis.
Coria scutorum atque ipsa calceamenta Iudæis loco cibi erant. Niceph. lib. 3. c. 6.

Cap. xl.

QVID adnitar dicere factum Mariæ, quod cuiusuis barbari atque impij mens perhorrescat? Ea erat de locupletioribus fœminis regionis Pereæ, quæ trans Iordanem iacet, belli * horrore oborto, cum cæteris se in

* terrore.

Hierosolymitanam vrbem cōtulerat, quòd esset tutior: eò quoque suas deuexerat opes, quas principes factionum certatim inuasêre. Alimentorum etiam si quid pretio quæsiuerat, de manibus eruebatur. Exagitabatur à perfidis, dira imprecabatur, volebat mori, sed percussorem non inueniebat. Malebant insultare diutiùs, affligere grauiùs, quàm citò perdere. Putabant quamdiù viueret, prædam fore. Defecerant iam omnia, & delicijs assueta, asperiora palearum, vel coriorum dura non emolliebat. Sæua fames intimis se infudit medullis, exasperauit humores, mentem exagitauit. Habebat mulier infantulum quem genuerat. Vagitu eius excita, cùm se & paruulū commacerari videret, tantis victa immanitatibus, atque impar tam atroci calamitati affectū amisit: & pietatis genitalis vsu obliterato, dolorem absorbuit, furorem assumpsit. Conuersa itaque ad paruulum iam matrem oblita, & furens animi, sic ait: Quid tibi faciam

B

Mariæ ad paruulum conquestio.

paruule quid faciam tibi? Sæua te circunstant omnia, bellū, fames, incendia, latrones, ruinæ, cui te moritura credam, aut cui te tantillum relinquam? Sperauerā, quòd si adoleuisses, me pasceres matrem, aut sepelires defunctam: Certè si præuenires obitū, quòd ego te pretioso tumulo meis manibus includerem. Quid agam misera? viuendi tibi ac mihi nullum subsidium video. Omnia erepta nobis, cui te reseruabo? aut certè quo condam sepulchro, ne canibus alitibúsve, vel feris præda sis? Omnia, inquam, erepta nobis. Potes tamen dulcis meus, & sic matrem pascere, idoneæ ad cibum manus tuæ. O mihi suauia viscera tua, artus iucundi, priusquàm vos penitùs consumat fames, reddite matri, quod accepistis: redi fili in illud naturale secretum, in quo domicilio sumpsisti spiritum, in eo tibi tumulus defuncto paratur. Ipsa complectar, quem genui, ipsa exosculabor: & quod impatientia amoris habet, habeat vis necessitatis, vt ipsa deuorem meos artus, non simulatis, sed impressis morsibus. Ergo esto cibus mihi, furor latronibus, & vitæ fabula, quæ sola deest calamitatibus nostris. Quid faceres fili, si & tu filium haberes? fecimus quod pietatis fuit, faciamus quod fames suadet. Tua tamen causa melior, & quædam pietatis species, quia tolerabilius est, quòd matri dederis cibum visceribus tuis, quàm quòd te mater, aut occidere potest aut deuorare.

C

Maria diues mulier filiū famis tempore coxit & vorauit. Niceph. lib. 3. c. 7.

Hæc dicens, auerso vultu gladium demersit, & in frustra filium secans igni imposuit, partem comedit, partem operuit, ne quis superueniret: sed nidor incensi peruenit ad principes seditionis: continuóque odorem sequuti, introierunt mulieris hospitium, minantes necem, quòd ausa esset ieiunātibus ipsis edere, atque exortes eos facere cibi, quem reperisset. At illa, partem, inquit, vestram vobis seruaui, non fui auara nec inhumana: nolite indignari, habetis quod & vos edatis, de meis vobis visceribus cibum paraui. Considere ocyùs, mensam apponam, mirari habetis, & ministerium meum * indicate, quòd talem nullius inueneritis mulieris affectum, quæ vos nec dulcis filij fraudaret gratia.

** iudicate.*

Hæc dicens, simul redoperuit ambusta membra, & epulanda obtulit cum adhortatione huiusmodi sermonis: Hoc est prandium meum, hæc vestra portio, videte diligentiùs, ne vos fraudauerim. Ecce pueri manus vna, ecce pes eius vnus, ecce dimidium reliqui corporis: & ne alienum puteris, filius est meus, ne alterius opus arbitremini: ego feci, ego diligenter diuisi mihi quod manducarem, vobis quod reseruarem. Nunquàm mihi fuisti dulcior fili, tibi debeo, quod adhuc viuo. Tua suauitas animam tenuit meam, & produxit matri miseræ diem mortis. Subuenisti in fame, tu munus supremum senectæ, percussorum repressor. Venerunt necaturi, conuiuæ facti sunt: habebunt ipsi quod * tibi debeant, cùm epulas meas sumpserint. Sed quid refertis gradum, quid horrescitis animo, cur non epulamini quod mater feci? Possunt & vos delectare, quæ matrem exsaturarunt. Nō esurio iā, postquàm me filius meus pauit, abūdè exsatiata sum, famem nescio: Gustate & videte, quia suauis filius meus. Nolite fieri molliores matre, infirmiores mu-

** mibi.*

D

E

A liere. Aut si vos in meo vulnere misericordes estis, & nō suscipitis hostiam meam, atq; auersamini holocaustum meū, ego consummabo sacrificiū meū, māducabo quod reliquum est. Videte ne vobis opprobrio sit quòd fortiur vobis mulier reperta sit, quæ absumeret epulas virorū. Ego quidem tales paraui epulas, sed vos sic epulari matrem fecistis: me tenebat passio, sed vicit necessitas.

REPLEVIT continuò totam vrbem tanti sceleris nefas, & vtriusque tanquàm ante oculos positum, parricidalis conuiuij ministerium perhorrescebat. Cœperunt & ipsi incentores seditionis examinare post hæc, quos raperent cibos, ne similes escas inuenirent, & velut impudentes fonerent. Cœperunt vniuersi timere, ne diu viuerent, & mori vellent. Peruenit etiam ad Romanos huius facti immanitas. Nam plerique hoc horrore perterriti, ad hostem fugerunt. Quo comperto Cæsar, execratus infœlicis terræ contagium, manus ad cœlum eleuans talia protestabatur: Ad bellum quidem venimus, sed non cum hominibus dimicamus, aduersus omnem rabiem beluarum ac ferarum, quid * seu sibilum loquor? aduersus omnē impium immanitatem decernimus. Diligunt feræ fœtus suos, quos etiam in fame nutriunt, & quæ alienis corporibus pascuntur, à consimilium ferarum abstinent cadaueribus. Hoc vltra omnem acerbitatem est, vt membra, quæ genuit, mater voraret. Mundus ego ab hoc contagio, tibi me absoluo, quęcunq; in cœlo potestas es: Scis, scis profectū, quia intimo affectu pacē frequenter obtuli, & quod non pudet dicere, victor rogaui: quia parcere etiam ipsis tātorum flagitiorum prodigiorúmque autoribus volui, parcere populo, vrbē seruare: sed quid facerem repugnantibus, sed quid facerem aduersus suos furentibus? positis plerunque armis, quia illi à suorū cædibus nō desinebant, in bellum teneri, vt liberarem obsessos, nō perderem. ipsi nos de muris hortati sæpè sunt dimicare, ne grauiùs à suis perirent. Quales sunt ciues, quibus hostis remedio est? Audieram equidem intolerabilem huius esse populi ferocitatem, qui incredibilibus se opinionibus in omnem excitat insolentiam. De cœlo se genus ducere, ibi primùm induisse corporis formam cœli se fuisse incolas, descēdisse ad cultus terrarū, de terris ad cœlum redire, transisse per maria sicco pede, fugisse ante se fluctus maris, conuersa Iordanis fluenta in suū fontē recurrisse, stetisse solem, vt hi hostes suos vincerent, ne nox impediret: raptos in cœlū igneis curribus suos, præliatas pro se cœli potestates, & absentibus his vniuersas hostiū fusas copias, dormiētibus partam victoriam. Hęc compereram, sed putabam quòd diuina circa se iactarent beneficia, non vsquequaq; audaciam extenderent, vt se nec à Romanis vinci posse arbitrarentur. Agnosco itaq; cū his nobis esse prælium, qui se insuperabiles credant, cùm se iactitēt diluuij superstites, hæredes fluminum, terrarū hospites, viatores æquoreos, ascēsores æthereos, quibus vnda murus est, aër via, cœlum habitatio, cedunt flammæ, nec vincula tenent. Sitientibus petra fluit, ac sese fundit in potus. Esurientibus cœlum aperitur, cibus mittitur, carne volatilium castra implentur, & panem angelorum manducat homo. Stringuntur liquentia, amara dulcescunt, sol * statuit, tenebræ * illuminant. Postremò quid ampliùs potest esse, quando his audacia deesse potest? Qui, vt aiunt, mortui viuunt, & sepulti resuscitantur. Aduersus diuina quoq; conspirasse hos homines opinio frequens, & pœna indicio est. Ardent hodiè quoq; terræ propter incolarum impietatem: plerósq; etiam ex istis hiatus solũ absorbuit. Quamdiu igitur in his locis * morabimur? vbi & terrarum ruina est, vidimus & mare mortuum, vidimus etiam mortua terrarum nascentia, humum aridam, virentium fructuum vmbras inanes, foris gratiam, intùs fauillam. Quis dubitare potest, quin apud inferos versemur, apud quos etiā elemēta moriūtur? Ipsa quinetiam, quæ post mortem viuere solet, apud * quos naturæ pietas mortua & superstes defunctis religio? Quis enim parentes non etiam mortuos diligat? Quis enim amissos

Cap. xli. Vulgato Mariæ facinore Cæsaris exclamatio.

** sensibilia loquar.*

Idem cap. 41. sup. & Niceph. lib. 3. c. 6.

Iudæorum iactantia. Resurrectionis fides.

** statuitur. * illuminantur.*

** moramur.*

** hos.*

filios non amet, & loco pignorum teneat? Manet affectus, etsi pignus obiicit, perseuerat nomen naturæ, gratia non intercidit. Apud hos verò nec viuentē mater recognoscit filium, nec appellantem audit, nec vagientis miseretur: & propter vnius horæ execrabilem cibum parricidales * iniecit pignori manus. Sed quid quasi nouum arguo, cùm à parricidio fraterno generis sui ouimentem exordia cùm ipsius Abrahæ, quem appellant patrē, & disciplinæ autorem, ac sui principem cultus, in eo maximè fidem prædicent, quòd nec filio parcendum putauerit, cúmque sicut hostiam aris admouerit, atque holocaustum offerre non dubitauerit. Non condemno deuotionē, sed quæro pietatem: Alium quoque è suis vouisse aiunt victorem, vt quicquid sibi primùm occurrisset domum reuertenti, immolaret Deo suo: & cùm rediret, occurrisse filiā, atq; illum iniecisse filiæ manus, multáque alia huiusmodi exempla. Qualis ista gens, quæ religioni tribuat hominis necem, & sacrificium putet esse parricidium? Quis Deus possit hoc exigere, aut qualis Sacerdos, qui hoc possit deferre? Deniq; veterem illum quasi prudentiorem non fecisse aiunt, sed voluisse, istū quasi * consultiorem perseuerasse. Habeant suos ritus * duriatum homines, apud quos disciplina est filios occidere. Infœlix ciuitas, in qua talis officina, tale * mysterium est. Operiant eam ruinæ suæ, atque abscondant * inuidi ipsi contagionem, ne stellarum globus spectet, ne maculentur aurarum spiramina, purgatorius quoq; ille exuret ignis. Thyesteas dapes fabulam putamus, flagitium videmus, veritatem cernimus atrociorem tragœdiis. Ibi enim firmior sexus & partus alienus, hîc mulier, cui partus proprius fuerit cibus. Ibi aliena fraus, hîc propria voluntas. Ille doluit, hæc insultauit: digna talibus viris esca, qui pertinaciter bellando mulieres suas ad tale perduxerunt conuiuium. Equidem eos tantis malorum afflictos acerbitatibus iam furere arbitror, amentésq; factos, qui hæc non sentiant. Quare maturiùs bellum conficiamus, quia emendari non queunt: ingruamus instantiùs, vt fugiamus regionum istarum morientes aquas, terras ruentes.

* iniicit.

Iephte Abrahamum imitatur.

* inconsultiorem.
* dati tamē homines.
* ministerium
* mundi ipsius Purgatorius ignis.

Cap. xlii. His dictis admoueri templo arietes iubet, sed nihil validi ictus proficiebant. Pleríque tamen territi de ipsis seditionum Principibus confugēre ad Cæsarem, quos Titus tanquàm necessitate compulsos, non quasi promissum secutos dubitauit suscipere, sed fides temperauit iracundiam. Non cò loci tamen habuit, quò perfugas superiores, intentiúsque suos vrgere cœpit, vt vniuersi hostium discederēt perculsi metu: Sed vbi parietes inoffensos ab ictu arietum mole sua viderunt permanere, aluerunt audaciam: ingenio tamen Cæsar præueniens, ianuas argento opertas succendi iussit, quibus igne admoto argentum defluere cœpit: deinde paulatim etiam lignum ardere: Sic in porticum interiorē aditus patescere. Sed miseratus Cæsar, ne finitimis interioris vestibuli porticibus comprehensis, templum exureretur, ad consilium vocauit Duces exercitus, dicens: non cum insensibilibus sibi certamen esse, nec bellum cum ædificiis, quæ victoribus proficerent, si inexusta reseruarentur: Duces tamen asserebant † valitudinem parietum & munitionem templi, Iudæis in reliquum quoque incentiuo futuram, quibus esset grata insolentia, radices rebellionis eruendas funditus, ne iterū temeritas recrudesceret. Distulit tamen Cæsar consilij tractatum in posterum diem, verùm Iudæi se infundendos putarunt: sed Romani confertis clypeis, quamuis pauciores, primum impetum sustinuere. Nutabat tamen acies concursu innumerabilis multitudinis. Vnde Cæsar cum equitibus propesè affuit, proterens facilè, quos repetisset, atque hostile agmen reflexit, eo fretus, quia iam pateret vestibulorum portio. Maiore suorum manu sequente die disposuit in hostem irrumpere, templum succendere. Quod factum eripuisset vrbem incendio, nisi læua mens populi flammas in se hostium prouocasset. Iubet enim Cæsar restingui ignium globos, ne irrupturis impedimento forent.

Hierosol. enim muniss. testatur. Tacit. li. ar.

Ianuas templi argento incrustatas incendi iubet Cæsar.

† validitatem.

A Quod videntes Iudæi, dum insidiantur volentibus incendia templi restinguere, cæsis aliquibus, hostem accenderunt: vnus de Rom. semiustam nactus materiem, quæ de fastigio deciderat, adulto igne portæ admouit, quæ aurea nuncupatur, quòd auro vestitas habebat fores. Liquefactus illicò flammis auri rigor lignum nudauit, quòd velut intecto latere patuit incendio. Exustis itaque valuis, in interiora se templi penetralia inseruit ignis. Iámque portæ eius vestibula lucebant. Turbati omnes, qui se templi munimine defensabant, trepidare illicò, & quædā iam inclinatio mentium erat, illum diem esse templo excidialem, quia in ipso die quondam Babylonis ingruentibus fuerat incensum, quia erat decimus dies † Ioma mensis, quem iamdudum inter funestos annumerabant. In superiora quoq; se aurarum spiramine
B ignis attollens, victoribus lætitiam, victis tanta labe dolorē dignum infudit. Clamor quoq; vniuersorū exortus, nec multò post nuntius hostilis excidij Cæsari manifestum reddidit: qui se proripiens quanta poterat voce, restingui ignes iubebat. Sed neq; per tumultum audiendi facultas erat, neq; parcēdi voluntas, cùm Romani milites vindictæ studio feruerent, notáque pietas Cæsaris, inobedientiæ metum suis demeret, nulli fraudi suis futurum, cùm etiam hostibus ignosceretur. Nutu tamen & manu Titus reuocabat, quos poterat, mandabat aliquibus vt inhiberent impetus militum. Sed ira duce † adolebat incendium, hostem vrgebant desperationem salutis, iam sui prodigum, & totum se expendentem periculis. Vulgus maximè ignobile feriebatur, vbicunque occurrerat, quia nullis munitum armis, nec repellendo
C vulneri, nec retorquendo idoneum erat.

Decimo mensis Augusti, qui erat Iudæis fatalis, templum succensum est.

† Cod Vet. Loma. Suidas Loun. à Macedonibus Augustum dictū testatur.

† adolebāt.

Cap. xliii. Fatigatus itaque clamoribus Cæsar, gradum retulit, cùm flamma adhuc conclauia templi depasceebatur. Quibus deustis, in ipsam ædem se furens intulit. Qua specie pleriq; exanimati: alij se in ipsos † miscére ignes, quorum oculi ferre non poterant, vt superstites templo reseruarentur. Rursus concurrit Titus, cupiēs cuiusmodi ædes esset circunspectare. Cuius gratia motus, præcellentiorem omnium templorum fuisse operibus fatebatur. Mirabatur saxorum magnitudinem, metalli nitorem, venustatem operis, gratiam pulchritudinis. Nec immeritò tātam fuisse loci celebritatem pronuntiabat, vt eò ex locis omnibus conueniretur, quia tantum nō nisi summi Dei crederetur esse domicilium. Adiungebat honos fidem
D religionis, quo etiam barbarorum gentes templum illud venerabantur: & inferebant munera prædones † religionis, quæ tamen tunc diripiebant sui, & disperdebant latrones, irruentes in omnia quæ deposita viduarum fuerant vel pupillorum, tanquam de victoribus vindicarentur, si quid ex præda Romanis minueretur. Templum quoq; ardere conspicientes, ipsi incendebant cætera, ne quod excidio templi superstes esset ædificium: religioni deputantes, si omnia cum templo perirent. Nec adhuc tamen Iudæi perfidiam deponebant, quæ causa maioris † excidij fuit. Nam cum animi multorum inflecterentur, vt se, † fracto agmine, Romanis traderent, Pseudopropheta quidam iactare cœpit in excessu mentis suæ, templo diuina præsidia non defotura, vocare populum ad se velut quodam oraculo, adhuc se in templo suo ma-
E nere illicò repulsurum hostium cuneos, flammarum incendia. Sic miseri dum infœliciter falsis circumuentionibus credunt, dedecores atque inulti sicut pecora trucidabantur. Qui si voluissent credere, euidentia imminentis signa excidij habebant: quibus veluti claris vocibus admonebantur, finem sibi affore.

† mersere.

Tēpli pulchritudinē admiratur Imperator.

† regionis.

† exitij.
† facto agmine.
Pseudoprophetæ insania.

Cap. xliiii. Nam per annum fermè supra templum ipsum Cometes, passim ignis & gladij quandam præferens similitudinem, denuntiabat quoq; ferro & igni gentis & regni vrbisq; ipsius vastitatem futuram. Quid enim similitudo gladij, nisi bellum? Quid ignis, nisi incendium denuntiaret? Visus est autem, priusquàm populus à Romanis sese dissociaret: ipsis antè Paschæ diebus † Xantici mensis octauo die, & per singulas noctes hora circiter nona,

Prodigia euersionē Hierosl. portendentia.
Tacit. lib. 21.
Tertul. lib. in Iud. Niceph. lib. 2. cap. 4.
L cost. in osten.
† Ita apud Macedones Aprilis vocabatur. Suid.

templum & ara eius ita lumine refulgebat, quasi dies esset, per dimidium fermè horæ quotidiè manens: quod vulgus interpretabatur, cumulandæ gentis indicium videri, eóque impulsi sunt, tanquàm tempus assurei libertatis recipiendæ. Prudentiores contrà opinabantur, quòd id genus stellæ bellum soleat denuntiare. Nec quisquam arbitretur aliena nos à cultu nostro, & disciplina locutos. Primùm, quia non quid nobis videatur, astruimus, sed quid acciderit, quæve opiniones tunc temporis fuerint, quid prudentes senserint, quid imprudentes. Neque cum de secta Iudæorum aliquid dictum est, ita scriptum videatur à nobis, quasi in veritate cultus eorum, non quasi in vmbra & figura præmissos contexeremus, vt sequerentur perfectiora. Nam de signis stellarum etiam in Euangelio docemur, quia erunt signa in sole & luna & stellis. Vitulæ quoque parto asseruerunt, cùm immolanda astaret altaribus, in medio templi agnum editum, in ipsis sacrorum (quæ suprà memorauimus) celebritatibus. Orientalem quoque portam interiorem solido ære grauem, quæ soleret ad vesperam viginti virorum multo claudi labore, obseratam vectibus ferreis, per aliquot noctes spontè reseratam, & vix postea à custodibus clausam. Id quoque arbitrabantur plerique futurorum signum bonorum, quibus ingressuris porta aperiretur. Consultiores autem aiebant, custodiam templi resolutam videri, vt quæcunque intùs forent, ab hostibus diriperentur: exiret cultus, introiret vastitas, euacuaretur celebritas, sacrificium destrueretur. Quod etiam antequàm crucifixissent Christum Iesum liquidò significatum lectio docet. Post multos quoque dies, figura quædam apparuit inæstimabilis magnitudinis, quam plurimi circumspexere, sicut libri Iudæorum manifestarunt: & ante Solis occasum subitò visi in nubibus currus, & acies armatæ, quibus totius Iudææ regio, iisque eius vrbes incursarentur. In ipsa autem Pentecostes solennitate, ingredientes Sacerdotes in templi interiora nocturno tempore, vt sacrificia assueta celebrarent, primò motum quendam sensisse se prodiderunt, & sonum editum, posteà etiam audisse repentina voce clamatum: Transeamus hinc. Iesus quoque Ananiæ filius rusticola vir, ante annos quatuor quàm bellum Iudæorum populus adoriretur, in summa pace vrbis & abundantia, cùm scenopegia sacrificiis solennibus celebrarentur, templum ascendens, cœpit clamare: Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis, vox super Hierosolymam & super templum, vox super sponsos & sponsas, vox super omnem populum, hoc noctibus & diebus vociferabatur. Quo moti primores loci, corripuerunt eum, terribile vocis eius indicium perhorrescentes, & plurimis eum suppliciis affecère, quo saltem afflictus dolore, desineret terribilia & plena prodigiis denuntiare. At ille nec metu vllo, nec verberibus aut grauioribus interminationibus territus, vsum aut vocem mutauit, eadem denuntiationis perseuerantia & contextione sermonum, nulla obsecrationis interpolatione in iisdem manebat, iniuriæ negligens, affectu immobilis. Quod nequaquàm perfunctorium rati, sed in excessu mentis, vt erat, exprimi, detulerunt ad loci iudicem, qui tunc temporis à Romanis per id locorum, publica agitabat negotia. Is emandæ veritatis gratia, sæuissimis eum pœnis exulcerauit: quò magis perseueraret, eo vehementiùs corripi flagellis hominem iubens, vt si qua secretiora futuri tumultus comperisset indicia, manifestaret. At ille neque fleuit, neque rogauit, sed ad singula verbera non suum, sed patriæ excidium flebiliter †plorabat, dicens: Væ Hierosolymis. Neque interrogatus, quis esset, vel vnde, vel cur eadem diceret, responsum reddidit: sed tantummodò lamentationem illam patriæ, quæstu miserabili prosequebatur. Defessus itaque Albinus (hoc enim nomen viro) dimisit eum, tanquam dementi furore, quid diceret, non sentientem. At illa nemine sermonem vllum cum quoquam habebat, nec aliud loqui per reliquum tempus auditus est, sed hoc tanquam lugubre atque funereum canticum canens, diebus ac noctibus iugiter resultabat. Væ Hierosolymis. Neque verberanti conuiciabatur, neque cibum imparrienti gratias agebat. Vna erat ad omnes, eadémque plena funebris vlulatus responsio, & maximè sacrificiorum celebritatibus. Per septem itaque annos & quinque menses eadem verborum series, idem vocis sonus mansit. Itaque indefessus tanto tempore, vbi obsidio cœpit, eadem illa vociferari destiit, quasi cessare oporteret denuntiari, cùm adessent, quæ fuerant denuntiata. Sed vbi flamma cœpit pariter vrbem & templum inuoluere, circumiens murum, clamare iterum cœpit: Væ ciuitati, populo & templo. Et ad postremum addidit: Væ etiam mihi: & † fundibulo ictus, in eadem voce amisit spiritum. Vrbem quoque ipsam cum templo, vetustis literis scriptum erat tunc perituram, cùm tetragonum templum factum fuisset. Itaque siue obliti, siue obstupefacti ingruentium malorum necessitate, vbi occupata est Antonia, tetragonum circuitum templi fecerunt. Inter quæ illud præcellentissimum, quod in literis æquè vetustis, quas sacras vocabant, manebat impressum, quòd secundum illud tempus, futurus esset vir, qui de regione eorum imperium assumeret in orbem terrarum. Quæ res eos in tanto furore posuit, vt sibi nō solum libertatē, sed etiam regnum pollicerentur. Id alij ad Vespasianum referendum putarunt, prudentiores ad Dominum Iesum, qui † eorum in terris secundum carnem genitus ex Maria regnum suum per vniuersa terrarum spatia diffudit. Tantis itaq; rebus † aduenientibus, non putuerunt † capere, quod diuinitùs decernebatur.

FVGIENTIBVS itaque authoribus seditionum, cùm templum exurerent, Romani posuerunt signa intra circuitum templi ipsius, & contra portam Orientalem sacrificauerunt, Imperatorem Titum summis prædicantes vocibus. Intereà puer quidam eò loci, vbi etiam Sacerdotes erant, quos & inopia aquæ, & æstus finitimi incendij commacerabat siti, rogauit vnum de custodibus Romanis dexteram sibi dare, potum offerre. Porrexit illicò, ætatem pariter miseratus ac necessitatem: bibit puerulus: & quia sedulù innoxiæ creditum fuerat ætati, rapuit aquæ vas, & cursu sese proripuit, vt etiam Sacerdotibus bibendi copiam ministraret. Voluit sequi miles, sed non potuit comprehendere. Ille periculo suo Sacerdotum sitim leuauit. Bona fraus, quæ neminem læderet, subueniret necessitati. Denique miles ipse miratus est magis affectum pueri, quàm dolum detestatus, quòd in illa ætate atque excidio totius vrbis, & communi periculo, quid deberetur reuerentiæ sacerdotibus, quod potuit ministerium, non inexpressum reliquit. Nec multò pòst Sacerdotes confecti fame & siti, vitam rogarunt. Quos Titus iussit occidi, degeneris animi esse respondens, † vt templo & muneri superesset superuiuere.

IOANNI autem & Simoni, & cæteris Principibus seditionum rogantibus, vt paulispèr cessare iacula telorum & strepitum iuberet, dicendique sibi potestatem daret, ab indulgentia non abhorreret: facto silentio ita respondit: Serum, nequissimi, tempus ad misericordiam, cùm iam quid reseruetur, nihil relictum sit. Offerebam vobis, & despexistis, & diffidentiam putastis, non indulgentiam. At ego innoxia ædificia vestro scelere perire ingemiscebam, vulgus ignobile cogi ad mortem dolebam: parcere volebā, vos non sinebatis: suspendebā prælia, vos irruebatis: pacem offerebam, vos non recepistis. Alloquebar frequenter, crebrò conueniebam. Non pudet dicere, insolentiores vos feci rogando. Quid putabatis? quòd Romanæ acies vobis cederent, & multitudine circumueniretis victorem omnium terrarum exercitū? Quota portio orbis pugnauit, quia vniuersum nec regio vestra sustinere poterat, nec sinebat necessitas? Maior enim cura nobis tuendi orbis, quàm propagandi. Quocunq; eamus nihil est nouum, nihil est alienū, quibus omnis terra possessio est. Latrocinium hoc, quasi

Vitula edidit agnum. Porta vrbis sponte propria reseratur.

Acies in nubibus.

Voces in templo, Transeamus hinc. Tacit. lib. 21.

Ominosas agricolæ clamor.

† deplorabat.

† Cod. Vet. fundibalo: rectius forsan à fundibulario ictus: nam in Anaceph. legitur fundibali ictu. Iudæi obcæcati præsagia delectionis non intellexerunt.

Vide Ioseph. Suet. in Vesp. Tacit. lib. 21. Niceph. lib. 3. cap. 4.

† qui de regione eorū.

† monentibus.

† cauere.

CAP. XLV. Rō. fugatis seditiosis, Titū Imp. declarant.

Sacerdotalis reuerentia.

† quòd.

CAP. XLVI. Sermo Titi ad seditiosos.

næuum in corpore diu dissimulandum putauimus, aliquando commoti auferendum credidimus, ne fulgorem Imperij Romani vestra inobedientia & quædam interpolaret caligo: Sensistis Romanam virtutem non bellando, sed moriendo. Neque enim in campo vestra vidimus agmina, sed in muro, cùm vobis nec claustra prodessent ad tutamentum salutis. Quis enim murus resisteret, quibus Oceanus non restitit? Aut quæ ciuitas nostræ obsidioni inexpugnabilis foret septa præsidio murorum, cùm Britannias quoque Romana arma penetrauerint, muro frementis circumuallatas elementi: Substratus est nobis ille præruptus aquæ mons. Patres vestros, vt Iudaicæ fabulæ ferunt, rubri maris vnda, muri specie transeuntes, circumuallauit: Romana fortitudo murum Oceani perfregit. Non inuideo vobis aliena beneficia. Viderit vos mare & fugerit, vt clausi ab hoste fugeritis, quia perrumpere hostem non poteratis, nec sustinere. Nobis fuga Oceani damno fuisset, si fugisset. Gessimus antè bellum cum fluctibus, insanum mare antè superauimus, quàm ad hostem perueniremus. Excepit nos Britannia, iam victores elementorum. Quibus illi fidebant, nos subegimus, vt ad triumphi cumulum ipse Oceanus accederet. Sed fortè de virtute corporis

Germanorũ fortitudo prædicatur à Tito.

præsumebatis. Nunquid vos Germanis fortiores, quos septos Alpium muro, fortitudo Romana in seruitutem deduxit? Nec illa similia Tauri montis acclius collibus, aut Canopeis agminibus Ægyptiorum, cum quibus vobis bellandi vsus est. Supra nubes ascendimus, & de nube descendentes populos vicimus, aërium cunctis aperuimus iter. Iter æquoreum vobis non inuidemus, dummodo illud triumphantium fuerit, hoc fugientium. Romanæ itaque virtuti consederunt montes, amnes exaruerunt, amisso cursu, quem natura direxerat, & inflexo quò victores iubebant. Conuersus sit Iordanis vester, vt dicitis, atque in fontem reuerterit) vt vobis iter panderet:

Clœlia Romana virgo.

non eo Clœlia Romana virgo eguit, quæ ruptis vinculis hostem euasit, & fluuio decurrens, Romanis se intulit castris. Nec incendia vestra miramur, de quibus Hebræos pueros euasisse, maximos edere cantus soletis:

Q. Mutij factum audax.

Mucius noster nullo cogente manum admouit ignibus, nec remouit, donec victor incendij, miraculum hostibus suis infunderet fortitudinis, quæ flammas non senserit. Denique pacem rogarunt, qui triumphum sperabant. An verò cœlestia illa vos extulêre pabula, & esca pluuiarum aduersus virtutem Romanam? Sed considerare debuit altricem ipsam orbis terrarum Africam esse subiectam Romanæ fortitudini. Nobis serori, quæ omnes alit: in nostra potestate est fames omnium, & victus vniuersorum. Quod natura omnibus dedit, virtus Romana ius suum fecit. Ipsum Annibalem perculit, in exiliúmque coëgit, quem non capiebat orbis terrarum. Angustior ciuibus Africa fuit. Non idoneæ ad demorandum visæ Hispaniæ, arcta vianti Gallia, indigna Italia amicitiæ fœdere, & societatis consortio. Iactetis liceat,

† fulmina.
† fulminibus.

quòd † flumina militauerint vobis, & cœlestes potestates pugnauerint: Nos Annibalem inequitantem † fluminibus vicimus atque intonantem vndis. Ipsius tempestatibus quatiebatur mundus. Et ille muros nostros armis pulsabat. Neque verò necessarium fuit, vt hostes nostri, sicut Assyrij vestri dormientes extinguerentur, sed præliantes. Non enim in somnis victoria quæritur, sed in prælio: non virtutis adorea est, vbi sortita gratia. Hostes nostri non aquarum rutilo decepti renitentium ad solis exortum, in manus nostras inconsultiùs inciderunt, dum fulsi sanguinis specie, nos extinctos putauerunt, sed scientes & ad bellum parari, campos terrarum corporibus suis texere, ac proprio sanguine repleuerũt. Quæ vos fortitudo in tanta posuit insolentia? Non videbatis eos seruire nobis, qui vobis imperitarunt? Ægyptus, quæ vos affligere solebat, nobis annuum pendit tributum, & viam præbet vsque ad Indicos tractus, extra orbem terrarum egredi, atque alterum orbem quærere: maris secreta, Solis Oceanique vltima, & alterius orbis incolas nostro Imperio adiungere. Quid Antiochi regnum, qui vos grauibus supplicijs affecit? Ius quoque ipsum † ereptum religionis, nos ipsi vobis reddidimus, gloriosius arbitrantes imperare Regibus, quàm regnum tollere. Ipsa sedes Dominorum vestrorum Antiochia, nónne studiosè suos repudiauit, & nos Dominos elegit? Vos ipsi nónne ad nos confugistis, vt illos Dominos fugeretis? Non ipsi vos suscepimus, & aduersum illos defendimus? † Seruimus vobis, vt vestris legibus viueretis: dedimus potestatem vestris inseruire cultibus. Sacra vestra scire noluimus, sed honorauimus.

† eripuit.
† Seruauimus.

Posteà rebellandum putastis. Pompeius templum cepit, sed non diruit: vrbem occupauit, sed integra omnia reseruauit donaria. Pro quibus ô grati socij, hanc vicem nobis rependistis, vt tertiò rebellaretis. Fuerit Nero despiciendus, sed non in vno Romana virtus expendebatur: sed habebat militem Vespasianum, qui iam ad pacem reuocauerat Gallias: tam fortis in prælio, vt per illum & Nero vinceret, per illum Nero esset hostibus formidabilis: tam fidelis domino principi, vt solus Imperium non quæreret, quod solus merebatur. Sed Cestius læserat: querelam deferri decuit, non arma irrogari. Missus pater Vespasianus, qui improuisus potuit in imparatos se effundere: Galilæam circumibat, longinqua exurebat, vt vos deponeretis insolentiam, veniam postularetis. Ostendit virtutem, & cùm vniuersos clausos teneret, Ægyptum petiit, vt inducias resipiscendi daret. Insolentiores vos nostra absentia fecit, quia nos occupatos putastis. Sed nunquàm ita occupati sumus, vt absentes simus orbi terrarum. Nam & absentes adsumus, & longè positis propiùs assistimus. Namque vt anima in corpore omnia membra viuificat sua, sic Romana prouidentia omnibus Imperij sui partibus adest, & totum orbem Romanum, tanquam præsens gubernat. Nam si singulis animis illa vis diuina regendi corporis virtutem dedit, quantò magis Romano vigore, quo quasi vnum totius Imperij nostri corpus animatur, tuendi eius vitalem quandam substantiam subministrauit? Suspensum itaque bellum vos reparastis. Profecturus itaque pater ad vrbem Romam, à tyrannis recipiendam, me à sua diuisit societate, ne vobis suæ pietatis executor deesset. Veni ad bellum specie terrentis, affectu rogantis. Quoties à mœnibus vestris vocaui exercitum? Quoties posteà à penetralibus tẽpli retraxi? Quoties restinxi incendia? Quoties monui? Sed nunquam audistis. Nunc me demũ rogatis, quasi iam quicquã supersit, quale iam consumptũ est, & tamen à cæde, incendio, direptione exemi militem? Quid desideratis? quid adhuc statis armati? quasi daturi leges? non accepturi? Si deditionem petitis, deponite arma, iam nõ metuenda victoribus, sed superba victis, & plena insolentiæ: vt armati rogetis, quasi de fide nostra dubitandum vobis sit, aut adhuc virtutem lacessitis, bellum minantes? Populus extinctus est, templum ardet, vrbem tenemus. Quid reliqui speratis, nisi vt vita vobis donetur? Proinde ponite arma quasi victi, viuere vobis donabo, etsi non meremini, quia noluistis quæ vestra sunt † vobis conseruare.

† vobiscum seruare.

Tunc illi petere cœperunt, vt sibi obstrictis sacramento, ne vnquam se Romanis traderent, egrediendi per murũ potestatem daret, quò cum suis familiis in desertum pergerent, vrbem Romanis cedẽtes. Eo commotior Titus, Etiámne, inquit, conditiones nobis imperatis? Quin potiùs defensate patriam, adestote templo, omni virtute insurgite, seruate sacramentum mortis, quando vitæ repudiastis. Et simul iubet insurgere Romanos in necem hostium.

Deditionẽ victi recusant Iudæi.

Plurimi cœpere grauiore victorum indignatione labefactari: tradiderunt se tamen Zaræ Regis filij, & fratres eius, & plurimi cũ ipsis de plebe. Nec Titus, quamuis excitatus ad iracundiam, propositum suum soluit contuitu regalis fastigij, sed recepit confugientes: solius tantùm pietatis (quod maximum est) lucrum fecit. Nam prædam omnem domus regiæ, seditionis authores diripuêre, vt nihil ex ea ad Romanos perueniret.

CAP. XLVII.

Simul autem vt facto impetu, in aulam irruêre, duos de Romanis militibus inuadentes, vnum pedestris militiæ virum trucidauerunt: eques verò poposcit se ad Simonem duci, allegans se habere, quę memorato insinuaret principi seditionum. Sed perductus ad eum, cùm vana quædam attexeret, perimi iussus: dum percussor moratur, clausis iam fasciola oculis, sese proripuit ad Romanos. Qui cominùs prælianres suscepêre fugientem, perductúmque ad sese Titus quasi indignum † videri morte, qui ab hoste viuus potuerit capi, exutum armis iussit dimitti: reseruans ei quod per hostis ignauiam non amiserat, & auferens militiæ sacramentum, quod captus prodidit, fugitiuus dehonestauit. Id illi maiori supplicio fuit: apud viros enim grauiora militiæ probra, quàm mortis vulnera sunt. Repulsi tamen illicò Iudæi, ad superiora vrbis se contulere, relicta templi & vrbis defensione. Strages magna in eos qui residerunt exercebatur, semineci bus autem cadaueribus repletæ viæ. Iussit Cæsar etiam ad superiora admoueri machinas: quod videntes Idumæi, elegerunt viros, quos ad Titum mitterent, qui deditionem rogarent. Eo cognito, Simon præuenit, & † electis quidem petendæ deditionis viros intercepit. Sed Idumæi non multò pòst, quamuis destituti adiumento principum, cùm sustinere diutiùs vim nequirent, tradiderunt se exercitui Romano. Ita primùm fames, & ad postremum desperatio resistendi, deditionem pararunt. Nec Romani multa cæde iam fessi abnuebant vitæ indulgentiam, & studio captiua mancipia vendendi promptiores erant ad reseruandam salutem. Plurimi venales, sed pauci emptores: quia Romani habere in seruitutem Iudæos dedignabantur: nec Iudæi supererant qui redimerent suos, cùm se euasisse vnusquisque vel inopem gratularetur. Passim itaque se tradebant remoto metu, quoniam latrones aberant, Romani ignoscebant.

† viri.

Grauiora militiæ probra quam mortis vulnera.

† electos.

Plurimi Iudæorum venales pauci emptores.

CAP. XLVIII. Iesus offert Tito vasa ministeriorum Phinees custos gazophylacij comprehenditur.

Denique & Iesus vnus ex sacerdotibus, Thebuti filius se dedidit, & vasa sacerdotalium ministeriorum, lucernas duas, mensas, crateras, phialas, & omnia vasa aurea: sed & peripetasmata, & indumenta principum sacerdotij, cum lapidibus accepta fide salutis, volens tradidit. Comprehensus etiam Phinees custos gazophylacij demonstrauit sacerdotum purpuram multam, & coccum, & alia complura, quæ ad vsum reseruabantur. Cum quibus cinnamomum, & casiam, & aromata plurima, & thymiamata, vasa quoque sacramentorum multa: etiam ipse tradidit & vestem sacratam, sed coactus metu, vnde & veniabile apud suos flagitium fuit: tamen, etsi voluntas defuit, deesse virtus non debuit: Licet plerunque seueriùs iudicemus, quàm præcauere possumus, si ipsi in tali versemur necessitate: refugere tamen debemus † furti ministerium, & † indicium proditionis.

† facti.
† indicium.

CAP. XLIX.

Iamque insurrexerant aggeres, sed & ferire cœperant arietes murum superiorem septima die mensis, quem † Gorpiensem nuncupant: ventum ad supremum. Conturbati & perterriti ipsi quoque factionum principes, qui in extremis insultabant periculis, genibus singulorum aduoluebantur, opem orantes. Cernere erat, quàm miserabilis illa mutatio foret ex illo terribili ac superbo fastigio, in hanc humilem & plebeiam deiectionem, in lacrymas, fletus, pauorem. Necdum cesserat murus vrbis superioris, iam illi percursabant singulos, nihil superesse præsidij ingemiscẽtes, hostem ingressum arbitrabantur. Plerique tanquam iam de superioribus pugnantes, Romanos videre sibi videbantur: quod metuebant animo, oculis præfigurabant, & mentis pauor fiebat imago visus. Denique pro certo iam hostem ceruicibus suis incumbere credentes, quibus adhuc tres turres, Mariamne, & Phaselus, & Equestris supererant: cæteris validiores: deseruerunt superiora confugientes ad hypogea, vel retrusos specus. Ioannes tamen non multo post fame tabidus, & confectus ieiunio, tradidit se Cæsari, qui reseruatus ad triumphum, sed perpetuis vinculis innodatus, vsque ad mortem, magis trahens spiritum vitæ, quàm vllam voluptatem viuendi expertus, securum euasit. Simon autem latuit etiam intra exustæ vrbis ruinas, in hypogeis se cum paucis recondens fidelioribus. Iam Cæsar discesserat cremata vrbe æstimãs etiam Simonem aut igni exustum, aut ruina oppressum, aut à quocunque † homine interemptum. Verùm ille quamdiu cibus suppeditauit, in defossis specubus desodiebat introrsum. Sed vbi & cibus defecit, & nullus euadendi exitus patuit, subitò ad superiora erepsit, indutus veste candida, & purpureo desuper vestimento, vt terrorem quendam incuteret aspicientibus. Qui primò stupentibus militibus, Romanos mandat, vt ad ducem suum deducerent. Erat in eo loco Rufus Terentius, quem Titus loco præfectum militiæ dereliquerat. Quo adueniente interrogatus, quis esset: primò alia, pòst Simonem confessus est. Inde transmissus ad Cæsarem, & ipse ad triumphum reseruatus. Sed quia crudelia exercuerat in ciues, nec se Cæsari tradiderat, post triumphi pompam neci adiudicatus. Octaua die Gorpiei mensis concremata est ciuitas. Cæsa per omne tempus obsidionis innumera millia, decies centena millia (CX. myriades, vt plerique asserunt) Iudæorum tamen omnium, sed non omnium eiusdem regionis & loci, quia eò vndique conuenerunt tempore Paschalis festiuitatis. Captiui abducti ad nonaginta septem millia, latrones propè omnes perempti statim: qui validiores erant, per triumphum ducti, posteà bestiis obiecti, cæterísque suppliciis dati, per singulas fermè vrbes, qua iter agebat Titus, vt per vniuersos rebellionum supplicio metum spargeret.

† Gorpiæũ al. qui Septẽber nobis dicitur, vt Suidas docet.

Mentis pauor imago visus.

Tres turres vrbis Hierosol.

† milite.

Euseb. lib. 3. c. 8. vndecies centena millia. μυριάδες ι. προς και δέκα.

Ioseph. lib. 7. cap. 26. Niceph. lib. 3. c. 7. centũ myriades ĩtum.

CAP. L. Alanorum gens fera Scythiæ.

Per idem tempus Alani gens fera & diu ignota nostris, quòd interiorum locorum difficultate & claustro portæ ferreæ, quam Magnus Alexander prærupto Tauri montis imposuit iugo, cum cæteris feris, & indomitis introrsum gentibus, cohibebantur: Incolebant Scythicum Tanaim, finitimáque eius, & Mæotidis paludes, velut quodam clausi carcere memorati ingenio Regis, vt suas terras exercerent, alienas non incursarent. Sed siue ob sterilitatem locorum, quod auari vonis agricolæ, sperata culturæ non responderet fœcunditas, siue prædandi † cupiditate Regem Hyrcanorum, qui locis præerat, sollicitarunt, pretióne an * defensione incertum, vt reserata porta, eruptionis sibi copiam daret: quo impetrato, infudêre se genti Medorum, & impetrantibus eui velocibus equis, & aliis pariter ad dexteram nexis, in quos per vices, cùm foret libitum, desilirent, totam propè regionem percursauere: vt primò perturbarent omnia, maiorísque multitudinis speciem darẽt, aduersus quam nullus fugæ locus vacaret: deinde circumuentis omnibus, quantam vellent, strage edita, prædam abducerent. Erat enim regio populo frequens, & pecoris abundans, quæ nullo resistente, facilè pateret direptioni. Si quidem ipse Pacorus Medorum rex, in abstrusa loca se contulit, saluti potiùs quàm regno consulens; ita vt vxor eius, ac liberi, ac concubinæ captæ ab Alanis, centum talentis posteà redimerentur. Nec Tyridates Armeniæ rex immunis fuit periculi, sed alieno malo cautior, pestem præuidit: & viriliter quidem voluit occurrere, vt à finibus suis hostem auerteret. Dum præliatur tamen laqueo insertus, in potestatem hostium viuus concesserat, ni præacuto gladio nodum informem * velociter intercidisset. Nam insolentia quadam propriæ fortitudinis, & in cæteros despectu superbo, simul vt familiarem sibi eminùs decernendi consuetudinem, refugiendique * facultatem fraude tali prætexerent, laqueos iacere, atque hostem innectere, iis Alanis, bellandíque mos est.

† cupidine.
* Vel. exempl. an dissensione inter se gentium

Pacorus Medorum Rex.

* fortiter.

* facilitate.

CAP. LI.

Fuoit itaque Tyridates, cui euasisse satis fuit. Regnum autem suum depopulandum reliquit. Nam quasi accepta iniuria, quòd congredi ausus foret, vehementiùs Armeniam, quàm Medię regnum deuastauerunt. Opimi itaq. vtriusque regni spoliis, ad propria recursum fecere. Quorum comperta incursione, Titus Antiochiam contendit: sensim tamen, vt triumphatorem decebat, causámque dissimulans, per singulas vrbes pompam cele-

Titus ad Antiochiã contendit triumphans singulis in ciuitatibus.

brat victoriæ. Perimebantur in arena Iudæi, quacunque pergebant, ac dilacerati à bestiis, pendebant merita rebellionis. Antiochiæ quoque eos vetustis odiis gentilis populus insectabatur: eò quòd Reges Persarum quæ de Hierosolymitana vrbe donaria iure victoriæ vindicauerant, synagogis contulerant. Antiochenis de suo quoque alia largiti. Itaque coogestæ opes inuidiam facilè mouère. Nam vt illa nuoc omittamus, quæ aduersum Machabęos gesserint Sacerdotij competitores, & quantæ cladi ciuium fuerit ambitio, sicut suprà memorauimos. Antiochus posteà non ignobili genere ortus, sed moribus perditus afficto crimine, quòd Iudæi vrbem Aotiochiam incendio exurere conspirauissent, patrem proprium, qui esset de Iudæorum Primorthus & plerosque alios insimulatos gentilis impero multitudinis, ad mortem coëgit. Nec eo parricidio multorúmque cæde exsaturatus quieuit: sed posteà quoque nactus facultatem, quod fortuito incendio acciderat eiusdem vrbis porticus, & tetragonam plateam, maximámque partem ædificiorum cremari, fraude prædictæ coniurationis, iterum Iudæos vrgere cœpit, atque incessere, ac properè vniuersorum stragem fecisset, nisi aduenienti Tito reseruata cognitio foret metu, ne Cæsar vsurpato plurimorũ supplicio commoueretur. Ea res Iudæis saluti fuit.

CAP. LII.
Massadę expugnatur.
† Vet. Cod. Silvæ. Ios. l. 7. bel. c. 38 Syluæ.

MASSADA quoque plurimi se Iudæorum freti loci munimine cõgregauère, cuius expugnandi negotium Titus indignum arbitratus, quòd Imperatorem teneret, † Syllæ mandauit, cui summam in iisdem locis militiæ Romanæ, cauendique, ne quid iterum rebellionis oriretur, commiserat. Ipse Alexandriam contendit, & inde nauigio Romam transmisit. Sylla grauiter insistens iniuncto sibi muneri, Massadæ murum ariete dissoluit. Illi interiorem ligno composuère, eò quòd ad huiusmodi ictus machinamentorum muralis materies facilè non cederet. Sed Romani mutato bellandi genere, ignem iecère, qui & facilè ligno inhæsit, & sine vlla adoleuit mora. Magnus itaque adultus incendio flammæ ferebatur fragor, qui primùm Boreæ spiramine à munitionis partibus repellebatur, & Romanorum magis vineas exurebat. Deinde exorto Noti spiramine in castellum sese retorsit, ita vt cõflagraret omnis ille ligneus muralis obiectus materiæ consumptæ. Romani, quoniam nox interuenerat, securi victoriæ in castra sese receperant, vt sequenti die nudatos iam, atque omni exutos præsidio debellarent. Sed ne quis elaberetur, intextis castellum custodiis circumuallauerunt.

CAP. IIII.
Sermo principis Sicariorũ Eleazari ad populum.

DESPERATIS itaque rebus Eleazarus author turbatum, videns nil præsidij superesse, exorsus est sermonem, quem nos quasi epilogum quendam claudendo operi deplorabilem, more rhetorico non prætermisimus. Quid agimus Abrahamitæ veri, genus Regale, sacerdotalis gratiæ, virtute insuperabiles? non enim ex euentu victoriæ, quæ frequenter incerta est, sed ex propositi constantia virtus spectatur. Vnde colligere liquet, quia hostem subiicere fortis est, non mutare mentem virtutis esse. Iure igitur insuperabiles vos dixerim, si nullus adhuc vos mortis vicerit metus. Sed non ita vos pater instituit Abraham: qui in filio vnico docuit, non mortem eius, sed immortalitatem futuram, si pro religione immolaretur. Quid Iosiam prædicem, quo nemo fuit melior interpres religionis, contemptor mortis assertor libertatis? Namque is in illo suggestu Regali locatus, cui liceret differre mortem, tamen quia videbat propter peccata grauia captiuitatem plebis Israël futuram, bello se alieno miscuit, vitam refugit. Clamabat Nechao: Non aduersus te missus sum, sed aduersus Regem Israel: Ille tamen non priùs recessit, quam lethalem sagittæ ictum subiret. Quo fusus vulnere, indicio nobis est, vtrùm in bello meritum, an casus præponderet. Victus est Iosias * priorum instaurator sacrorum, victor Nechao omnium sceleratissimus: sed ille victus, nunc cum Angelis est, hic victor in suppliciis. Quis enim nescit, non in hac vita repositam esse mercedem hominibus, sed post huius absolutionem certaminis? Hic enim currimus, vt illic ad palmam perueniamus: hic certamen, ibi præmium est. Non ergo vlla hic longæuæ ætatis gratia est. Denique Abel citò * occiditur, Cain superuixit: ita mors innocentiæ fuit, & vita ærumnæ. Ex illo in eandem sortem successimus, vt viuere miserrimum fieret, mori beatum. Quid est enim vita, nisi carcer animæ quod intra hoc ergastulum clauditur, & carnali adhæret consortio? Cuius infirmitatibus quatitur, labore affligitur, ira conteritur, accenditur cupiditatibus, vexatur furore, nec se facilè attollere potest humi nexa, concreta puluere, stricta vinculo, neruis irretita. Non mediocris tamen potestas, vt corpus viuificet, atque infundat insensibili materiæ sensus vigorem, & hoc inuisibiliter singulis anima sua conferat, totúmque hominem regat, atque vltra mortalem prouehat fragilitatem, vt cognitionem capiat cœlestium secretorum, vt mentem intendat futuris. Itaque ad imaginem similitudinémque sui Principis non videtur, cùm sit in corpore sita, sed nec corporalibus oculis cernitur: nec ingressus eius, aut exitus eius vllo aspectu deprehenditur: instar quoddam diuini muneris repræsentans: Cùm ingreditur, vitam infundit: cùm excedit corpore, mortem operatur. Vbi anima, ibi vita: vbi ea defuerit, ibi mors est. Quicquid inuiserit, exsuscitat: quicquid reliquerit, statim soluitur, & continuò marcescit: infusione animæ, mortuus resurgit: discessione, viuus exanimatur. Quis ergo dubitet, quod et inesse videatur immortalitatis operatio, cui * virtus sit mortem auertere? Ea tamen sibi oneri est, quamuis aliis ad vsum redundet. Et quod corpori donat, sibi detrahit. Grauatur enim & quasi in terram inclinatur, cum isto mortali corpore. Itaque vita corporis, mors est animæ: & rursus corporis mors, animæ libertas videtur: dum enim sumus in isto corpore, seruit anima nostra, ac misera quidem seruitute, qua de paradiso exulat, & à suo principe peregrinatur. Vbi autem fuerit istius carnis absoluta vinculis, in illum purum, & splendidum superiorémque † reuolat locum, atque adest Domino Deo suo, sanctorúmque habitaculis fruitur, & beatorum gaudet consortiis: quòd nullam iam habeat cum mortuo societatem, & contubernium † cadaueribus dereliquerit, aspiret ei cœlestis gratia, nec vlla eam curarum humanarum solicitet exagitatio. Iudicio nobis est quies, quantam anima † per obitum corporis resumat gratia: sopito enim corpore, & quasi mortuis eius cupiditatibus, atque vniuersis motibus, cum sanctis sæpiùs conuersamur: recipimus quos amisimus: vt nobis & absentes adsint, & mortui viuant, & omnis quiescat dolor. Appropinquemus & consabulemur Deo, cognoscamus futura. Affectis requies, seruis libertas fit. Quod igitur dormientes somniamus, hoc defuncti adipiscimur. Et quod in somno imago, hoc in morte veritatis passio est, & libertatis gratia. † Vnde nonnullis gentibus mos est, vt ortus hominum fletibus, occasus gaudiis prosequantur: quòd illos ad ærumnam generatos doleant, hos ad beatitudinem rediisse gratularentur: illorum animas ad seruitutem venisse ingemiscant, istorum ad libertatem remissas gaudeant. Indorum quoque sapientes feruntur, cùm moriendi affectum induerint, protestari quòd discedere velint, neque vllum obstrepere. Deinde vbi apparatus mortis processit, insilire lætos ardentem pyram & astantibus valedicere: dolere mulieres, quasi subsidio destitutas, vel liberos paruulos quod derelinquantur, benedicere, alios, nec inuidere, quod ad meliores habitatores, ad splendidiora loca, puriorâque festinent consortia. Quid igitur de vobis aliud possum, cum etiam barbaris gentibus libertatem sequendi mors sit? Iamdudum itaque vos optimè mihi cognitos, & institutis † patris respondere paratos, quòd neque Romanis, neque cuiquam genti, nisi soli Deo seruiendum putetis, qui solus iustus, & verus omnium Dominus sit. Dies aduenit, qui probare operibus volũtatem

Margin notes: Abraham. — Iosias. — * piorum. — * occiditur. — Vita præsens carcer est animæ. — Anima quid in corpore. — * vitæ. — † reuocatur. — † cadaueris. — † post. — † Hoc ad Thraces refertur qui lucubratione habuerit & per Decaeano & Gymnosophistas cribuntur chores. — † patriis.

exigat, nec dehonestare veteris indolis claritudinem, vt in libertate geniti, dominationi vos hominum subiiciatis: præsertim cùm licuerit vobis antè seruire vel sine periculo, nunc autem necesse sit dura supplicia suscipere cum seruitute: si Romanorum imperio seruituros nos offeramus, quos primi omnium bello lacessiuimus, & vltimi adhuc armis tenemus, Imperatori non dedimus manus pacem offerenti, * Syllæ dabimus acerbitatem minanti? O miseri, ad quam spem istius vitæ nos reseruauimus? Esto, hostis ignoscat, quid proderit, cùm offensa Dei clara sit? ignes ab hoste in nos versi, mutata ventorum flamma, flammæ retortæ, vt nostra subsidia deurerentur. Quis poterit aduersante Deo viuere? nullus veniæ locus, sed manifestum imperium mortis voluntariæ. Quid enim nox interuenit, nisi vt nos hostis non præueniret, * aut deusto murali subsidio, continuò irrumperet: sed vt nobis exercendæ mutuæ necis tempus reseruaretur, liceréique cum liberis nostris, & necessitudinibus mori: ne videremus anhelos senes, ad vsque, à Romanis pertrahi, charissimas coniuges ad victoris libidinem rapi? Commoriamur patriæ*, ne simus superstites tanti dedecoris opprobrio. Quò igitur fugiemus à facie Dei, aut quò ibimus infenso nobis cœli Domino? Si cadant super nos mõtes, & concauis speluncis abscõdant, quomodo tamen poterimus declinare indignationem tantæ potestatis? Quò enim progrediemur, vbi non sit Deus, cum vbique ipse sit? An mediocria exempla sunt, quibus doceamur, quòd iamdudum genti nostræ pro peccatis nostris infensus sit, qui antè præsidebat? Quis hoc dubitet, cùm videat, quod in nos conuersæ manus nostræ sint: pluresque seditio domestica, quàm bellum extinxerit? Non donabo Romanis quòd vicerint, nec ipsi sibi hoc vendicant, qui sciunt quod omnes ferè nostris potiùs armis, quam alienis perierimus. Quæ enim Romana arma viderunt Cæsaræam inhabitantes Iudæi? Quorum feriato die sabbati, inter solennes nostrorum sacrorũ cultus, multitudo gentilium Cæsariensium repentino quodã impetu, & misso desuper furore succensa, viginti millia deleuit, omnes fugauit, vt totam vrbem exinaniret. Nõne Syriam totam *quidem impleuit dementia, vt Iudæi atque gentiles in iisdem vrbibus siti, & incolatus gratia sibi priùs necti, posteà inter se armis colliderentur, quò Romanis vadum futuræ victoriæ constitueretur? Nam quid de Scythopoli loquar, quò Iudæi primò contenderant, vt egnilem populum præuenirent, ne quid aduersus nostros, exemplo cæterarum vrbium, machinarentur? Itaque quos par fuit, coniunctis aduersum alienigenas viribus, bello decernere, (hæc è contrario aduersum se Iudæi decreuerunt, vt pars eorum aduersus cognatos, & proximos suos præliaretur. Deinde ipsi pro pretio laboris, & impensi sanguinis, à gentilibus perimerentur, quod prohibuerunt ipsi fieri gentilibus. Damasceni nulla existente causa, † octo millia Iudæorum strauerunt. Ascalonitæ duo millia quingentos. In vrbe quoque, cui Ptolomaïs nomen, cæsa duo millia. Alexandriæ verò vetus erat odium inter Iudæos, & gentium populos, ex quo Alexander Magnus vsus est studio Iudæorum ad Ægyptios subiiciendos: vnde condita vrbe ex æquo Iudæis, & Ægyptiis attributa priuilegia, & habitationes diuersæ, ne eorum cultus permisceretur: qui purificationes suas sine vlla volebant contagione seruare. Hinc frequẽtes inter eos conflictus fuêre, exorta iurgia, iudicium petitum. Nihil tamen ex tãti Regis temeratum liquet fuisse beneficiis, sed posteà à gentilibus exorto tumultu, cum Iudæorum necati aliqui, alij ad pœnam detinerentur, iniuria motum Iudæorum populum, aduersum authores iniuriæ insurrexisse, & cùm pertinaciùs se de ciuibus vltum iri vellent, inductum exercitum Romanum, qui sexaginta Iudæorum millia intra vrbem fuderit. Verùm quid in lemotibus moror, cùm excidium totius orbis, in vnius ciuitatis ruina deplorandum nobis sit? Vbi est maxima ciuitas Hierusalem? vbi decora Sion, vbi templum mirabile, vbi secundum illud tabernaculum, sanctitatis sacrarium: quo semel in anno solus Princeps sacerdotum solebat intrare, non sine sanguine, quem pro se offerret, & pro populi delicto? Profanatum est à gentibus, habitant in reliquiis vrbis, qui eam destruxerunt. Vbi, inquam, es ciuitas referta populis, venerabilis Regibus, acceptabilis Deo, grata sedes? Pauimenta tua de marmore, parietes tui fulgentes marmore, culmina tua pretioso splendebant marmore, portæ tuæ micantes auro, aliæ argento renitentes. Omnes iorei recti, & qui te iugiter inhabitabant, & qui ad te ex totius orbis terrarũ partibus conueniebant: vt non dubium sit totum in te mundum periisse. Nudata omnia, a culminibus erenata, à fundamentis diruta, facta est habitatio tua deserta, nec est qui in tabernaculis tuis inhabitet, & adhuc quenquam viuere liber, & non vixisse pœnitet? Duri oculi qui hæc videre possunt, immites animi qui velle possunt, vt quid tantis supersit doloribus: nõ quòd defecerint clades, sed quòd iam nulla requies. Quò enim circumferamus oculos, aut quid cernere delectet? Vrbs tota sepulchrum mortuorum est, solæ spectantibus occurrunt fauillæ, viæ vacuæ viuentium, repletæ cadaueribus. Miseri seniores cinerulenta canitie, & scisso amictu supra reliquias mortuorum sedent nuda tegentes ossa, quo defendant à volatilibus ac bestiis. Mulieres paucæ incolumes, quas miles impius ad turpitudinem, non ad vitam seruauerit. Quis hæc videns, & de compendinatione viuendi cogitans, audeat ad cœlum leuare oculos? Quis sic immemor patriæ, hostis suorum, pietatis alienus, expers dulcedinis, cuius tam feminei sit mollis spiritus? quis ita meticulosus, quem non pudeat his reseruatum? Vtinam quidem olim defuncti essemus, aut si vita superesset, oculorum lumen periisset, priusquam sanctam vrbem dirutam hostium manibus intueremur, templúmque hoc à maioribus nostris sacratum Deo, tam impie flammis cremari, aut sacerdotes in templo conspiceremus iacere interfectos. Emendemus ergo, quòd his superuiximus malis, vt videamur non vitæ studio distulisse mortem, sed virtutis inte- tione. Circumuallauit hostis omne munimentum, nil superest nisi aut nos, aut coniuges nostræ. Iam sibi filios nostros in auctione constituunt, certántque inter se, quis cuius abducat vxorem: vtrùm pro dignitatum meritis personarúmve ordinibus distribuendæ sint, an † sortibus subire cogendæ miserabiles. Nobis quoque parantur prodigia pœnarum, tormenta exquisitissima, non solùm ardentes flammæ aut diuersæ neces victricis ictu securis: duro quidem post vincula, post carcerem, post iugum supplicio, sed tolerabiliore viris, si ludibrio vacet, sed etiam auulsi artus viuentibus, & præcipuè truncatæ manus. Nec immeritò, quia defuerunt suo muneri, cùm possent sibi subuenire. Subeundi quinque morsus ferarum ad victorum spectaculum, quod diuersis iam celebratur arenis vrbium: vel exemplo nobis debet esse pudendum, vel visu miserabile, vt reseruemur aut bestiis, aut fratribus præliaturi. Quid ergo moramur? iam non est liberum nobis, quod metuimus, auadere. Sed liberos interficere nolumus per misericordiam, aut nosmetipsos per virtutem, necesse erit vt per germanos, aut propinquos nostros interficiamur per flagitium: hoc suadet affectus, illud victores exigunt. Si nolumus exequi ministerium pietatis, cogemur subire pompæ parricidalis ludibrium. Adoriamur ergo, quod prosit liberis coniugibúsque nostris: Si infirmiores sumus, auferamus eos cruciatibus futuris: si fortiores sumus, vincamus compassiones parentum, affectus necessitudinum: & in hoc vincamus hostem, cùm prædam tollimus: Hoc virtus exigit, hoc suadet pudor. Non timere mortem virtus est. Etenim ad mortem omnes nascimur, & ad mortem generamus liberos, quorum mora naturæ assignatur, captiuitas probro datur. Ergo quos non potuimus periculo eripere, eripiamus ludibrio. Misereamur igitur patres liberorum, mariti coniugum, omnes paruulorum misereamur, quod est

* Silæ.

* nec.

* quædam.

† Ioseph. octodecim millia. Damasceni octo millia Iudæorum strauerunt. Ascalonitæ bis mille quingẽtos.

Hierosolymorum celebritas.

† sortitus.

præcipuum nostri, dum est miserandi potestas: vt de nostro misereamur, ne ad dedecus videamur & nati, & reseruati. Quis enim possit perpeti patres ante ora filiorum, filios in conspectu parentum interfici? Trahi canitie fessos senes, vel ad necem, vel quod peius est, ad seruitutem, mulieres sparsis crinibus duci sub cōspectu coniugum, & violenter ad opprobrium trahi? Audite vocem paruuli vagientis vocantis patrem, vt auxilio sit petenti, cùm iam frustrà audias * reuinctas manus, & captiuæ ceruicis iugo * subditos. Ergo dum adhuc liberæ manus sunt, dum ferrum stringimus, aggrediamur opus, quod victor hostis miretur. Mulieres nostræ supremum coniugalis munus dilectionis, quasi dotale recipiant patrimonium. Has † illi claues refundimus † noui sanguinis † testimonio, vt sint nostræ hæredes libertatis. Hoc ipsæ hortantur, certè merentur, quæ volunt: cogendæ, quæ refugiunt: nec paruuli ferrum pauebunt, quod per ætatem nesciunt, quod suscipere à parentibus piis debent, vt verè fiant liberi. Nobis quoque quid erit præstantiùs? Si exuramus priùs castellum, frumenta tamen reseruemus, ne putent nos fame potiùs coactos, quàm studio virtutis inuitatos, mutuæ necis arripuisse ministerium. Donemus † illas escas refertas

* reuinctus * subditas. † illis. † nouo † testamēto † illis.

A sanguine, & si eas flammæ exusserit, nidor ipse frugum incensarum indicio erit periisse obsidentibus, quod obsessis abundauerit. Posthæc vnusquisque offerat se vulneri, & moriturus patriam tegat, supremóque amplexu obeat. Fiat nobis patria libertatis sepulchrum, quæ fuit dignitatis domicilium: hic tumultus funera nostra decet, vt septo virtutis tegamur. Tali accensi oratione, cæteri gladios strictos tenebant, oscula dabant coniugibus, amplexu suscipiebant liberos, illa lacrymantes & simul festinantes, vt hostis præueniretur. Hæc vobis, inquiunt, amoris pignora damus supremæ præmia necessitatis, & compresso viriliter affectu, † passionem excluserunt, cædem implebant: impauidæ mulieres se offerebant vulneri pro conseruatione pudicitiæ, mentémque suorum ipsæ induerant virorum. Cæsis itaque necessitudinibus, pignoribus quoque delegêre strenuos, qui supplementa cædis exequerentur. B Ita fusi omnes, nongenti sexaginta cum paruulis ac mulieribus: * vna mulier sola superfuit, quæ filios quinque in aquæductu abscondit, dum cæteri supremis intendunt necessitatibus: ea Romanis diluculo aduenientibus, ad vocem excita, index negotij fuit. Opes autem eorum, appositus ab ipsis priùs ignis consumpsit.

† Vet. Cod. omnes se molliēe cauerunt, & passionem excisaserunt Iudæi occidūt vxores * Iosephus verò de duabus retulit. idque contigisse aliqui scribunt 15 April ab expug. Hie. secūdo a natiuitate verò Christi. 74.

EGESIPPI DE EXCIDIO HIEROSOLYMITANÆ VRBIS, ANACEPHALAEOSIS, ID EST, OMNIVM PENE, QVAE IN superioribus dicta sunt libris repetitio.



ANNO XLII. post passionem Domini, Imperij verò Vespasiani primo, bellis asperis Iudæa, & seditionibus domesticis lacerabatur. Ipsa quoque eorum ciuitas Hierusalem* intestino prælio laborabat. Nulla intermissio, nulla requies, nullæ induciæ, momentis omnibus dimicabatur. Multi ruebant, innumeri iugulabantur. Sanguis fœdabat vniuersa, ipsáque replebat templi limina, passim ruebant cadauera: sagittis alij, alij missilibus feriebantur. Nullus locus periculo vacabat, nulla spes conuersionis, nulla fugiendi copia erat, mœsta omnia & plena horroris, & plena immanitatis, vbique luctus, pauor vbique, clamor mulierum, eiulatus senum, morientium gemitus, viuentium desperatio: vt miserabiles eos diceres, qui remanserant, beatos qui obibant. Quomodo decepta es populis tuis, quibus quondam videbaris beata? Quomodo expugnata es tuis armis, atque in te conuersæ sunt manus tuæ, quæ solebas siue armis vincere, & sine vllo prælio hostem ferire, cùm pro te Angeli dimicarent, & militarent tibi fluctus maris, terræ hiatus, cœli fragores? Exurge nunc Moses, & vide gentem tuam, & hæreditatem populi tibi crediti, perire manibus suis: aspice populum illum Dei, cui gradienti peruium mare patebat, cui esurienti escas cœlum subministrabat, sine mari clausum, sine Pharaone obsessum, sine terrarum sterilitate ieiunium. Exurge Aaron, qui aliquando propter offensam Dei, cùm mors plurimos depasceretur populi, stetisti inter viuentes ac mortuos, & mors stetit, atque obiectu corporis tui hæsit lues, nec transire potuit ad contagionem viuentium. Suscitare & tu Iesu Naue, qui muros inexpugnabiles Hiericho, tubis canentibus complanasti, & vide populum, cui exteros subiecisti, nunc eundem subiectum opprimi. Suscitare Dauid, exasperantem spiritum citharæ suauitate solitus excludere, & vide quemadmodum dominabatur furor, atque omnem suauitatem Psalmorum tuorum * ex perditorum sensibus † abluerit, & vnusquisque de principibus populum vniuersum ad mortem afferat, vt libertatem extorqueat, pro quo teipsum morti offerebas. Suscitare Elisee, qui hostē introduxisti in Samariam, & amicum fecisti. Per te in castris Syriæ qua-

*Cod. M S. ctino intra se prelio factiones ibi siquidē tres erant Ioannis, Simonis & Eleazari supra l. 5. c. 1

* expeditorum † abolcuerit

C drigarum increpuit fragor, & vox equitum & virtutis. Fugit hostis, euasit obsidionem Iudæus. Vbi nunc ista merita, & vbi nunc istæ operationes Sanctorum: Nec mirum, si miserunt Prophetarum opera, qui negauerunt Prophetarum arbitrum. Ideò in te Iudæa * arma conuertuntur, orationes tuæ nihil tibi prosunt, quia fides tua nihil operatur. Ideò aduersum te factus est populus tuus, quia in te conuersa est perfidia tua. Quod remedium quæritur, vbi author remedij non conciliatur? Quid putabas futurum, cùm tuis manibus vitam tuam extingueres, cùm tuis vocibus aduocatum tuum exterminares, nisi vt in te quoque inniceres manus? Habes, quod petisti. Eripuisti tibi Præsulem pacis, petisti necari vitæ tuæ arbitrum, concedi tibi Barrabam; qui propter seditionem factam in ciuitate, & homicidium missus fuerat in carcerem. Ideò salus abs te recessit, pax abiit, quies destitit: data est tibi seditio, datum excidium: D agnosce tibi hodiè Barrabā viuere, & Iesum mortuum. Ideò in te regnat seditio, pax sepulta est, vt crudeliùs à tuis pereas, & priùs, quàm ab alienis perires. Quid tantum miserabilis ciuitas, Romanus suis armis, quantum populus tuus malorum inuexit? Vt cum Romanis pugnares, tui fecerunt: pacem volebant Romani, tu bellum indixisti. Quid causæ erat, vt fortiores lacesseres? Durum sanè, quòd contra legem sacram templum gentilis intrauit: sed iam non erat Dei templum. Non eras Dei ciuitas, nec esse poteras, quæ eras mortuorum sepulchrum: præsertim tuorum, quos ipsa occideras, non quos ab hoste amiseras: quomodo enim poteras vitæ esse domicilium, quæ eras mortis habitaculum, diuersorium scelerum, latronum spelæum? Iacuerunt in te E Ananus † & Ioannes insepulti Sacerdotum principes, & illi dudum sacerdotalibus induti stolis, qui venerationi etiam exteris fuerant, deformes iacuerunt. Cadauera eorum esca volatilium, & deuoratio canum facta sunt, membris lacerati, & tota dispersi vrbe, vt deploratæ veteris sanctitatis species videretur tamen sacri nominis contumeliam, & speciosi quondam muneris deformitatem. Sed ipsa tibi horum indignitatis exordium fecisti, quæ in medio sinu tuo occidebas Prophetas, quæ lapidabas sanctos Domini: Ante templum Zacharias iacuit exanimis, iacuit inhumatus. Ergo sanguis tuus illum lauat. Quæ causa autem mortis fuit Anano, nisi quòd to-

* arma tua. † supra legitur Ananus & Iesus.

*insurgeret

crepuit populum tuum, qoia non * tesurgeret pro templi defensione, quia ex postulabat libertatem perditam, virtutem deseriam, calcatas veterum sacrorum reliquias, commaculata altaria? Relinquendum asserebat populum vsu simulachrorum insensibilium, & statuarum more nihil iam sentientem commaculatum. Muta enim animalia referre solent, vel vicissitudinem vindictæ, sentire iniuriam, incitati aculeo, declinare verbera. Qui ergo nec excitatur, nec declinare nouit quod noceat, similis est non sentientibus. Et reuera vbi illa libertas tua, cuius studio quondam non Ægyptiis, oon Palæstinis, non Assyriis, postea non Medis cedendum existimauisti? vbi est illa Machabæorum fides, quæ quondam in paucis fudit Babylonios? Persas fugauit? Demetrium perculit? Ad postremum in paruulis ac mulieribus Antiochi arma, gladios, incendiáque superauit: & pro obseruatione patriæ mon maluit, quàm regiis imperiis obtemperare. Vbi est illa deuotio Patrum, pulcherrima passionum omnium, qua se non pro liberis, non pro coniugibus magis, quàm pro templo Dei morti offerebant? Anteà & virga sacerdotalis floruit, recisa de syluestri radice: nunc & fides aret, & sepulta est pietas, & abiit omnis virtutis æmulatio. Nec mirum, si populus, qui à Deo recessit, & improbum contradictionis spiritum sequitur, in seipsum diuisus est. Quomodo enim pacem suam tenere poterat, qui pacem Dei repudiauit? Pax Dei Christus est, qui fecit vtraque vnum. Meritò ergo ex vno populo plures aduersum se facti sunt, quia noluerunt sequi diuisa sociâtem Iesum, sed secuti sunt coniuncta diuideotem furoris spiritum. Soluebas igitur Hierusalem mercedem perfidiæ tuæ, cùm ipsa tuis manibus destrueres munimenta tua, cùm tuis mucronibus foderes viscera tua, ita vt hostis misereretur: vt ille parceret, & tu sæuires. Videbas enim, quòd Deus aduersum te pugnaret, & Romanorum fungeretur partibus, vt ipsa tibi inferres voluntariam perditionem: ideò spectatores malebant esse Romani, quàm percussores, ne furentibus tuis inter se visceribus, manum admouere contagionis magis, quàm fortitudinis æstimarentur. Ad hæc nefandæ necis supplicia accedebat impia immanitas crudelitatis, vt sepulturam omnibus, qui vel in templo necati fuerant, vel circa vrbis plateas, negarent: nec humare cuiquam vacabat, dum bellis inter se occuparentur, ferendique magis quàm humandi cura vniuersos tenebat. Ita quodam furore occiderant pietatis officia, crudescebant impietatis ministeria, nihilque magis in tantis calamitatibus perierat, quàm misericordia, quæ sola solet alleuare miserias, solari ærumnas. Namque & hi, qui amiserant suos, non audebant humare propter formidinem, cùm grauis terror ingrueret à diuersæ factionis principibus: & hi, qui necauerant, alienos cauebant, ne quis illos præriperet ad sepulturam. Itaque necesse erat omnes timere, ne quod alteri donare vellent, id sibi sumerent: vel qood peius est, quem parauerant vsum sepulchri, eum ipsi non impetrarent. In templo igitur ipsi pro vnguentis benè olentibus, pro thymiamateriis benè spirantibus, pro diuersorum florum odoribus, grauis erat insepultorum cadauerum fœtor, quæ pluuia dissoluerat, quæ flamma ambusserat, quæ sol calefecerat. Omnes arms cæsorum ciuium diro odore fœtebant. Hinc resolutorum putredo viscerum, inde exustorum nidor sensus omnes, atque ora complebant viuentium, vt ipsi noo multò pòst grauiore morbo consumerentur, ac se superstites ingemiscerent, quòd duriore pœna perirent, eóque seruatos, vt viderent cum patria simul solui etiam leges naturæ, negari ius viuentibus, pacem ciuibus sepolturam defunctis, humana pariter atque diuina maculari ac pollui, permixta omnia. Criminosam esse misericordiam, religionis loco haberi crudelitatem, castrum in templo, bellom in limine, funus in altaribus: ea spectare oculis, quæ Prophetis denuntiantibus non credidissent futura. Nam de his dixerat Dauid: Polluerunt Templum sanctum tuum, posuerunt

Iniuriæ depulsio.

Christus fecit vtraque vnum.

B

C

D

E

* mortalia seruorum tuorum escas volatilibus cœli: Ef-
A fuderunt sanguinem eorum sicut aquam in circuitu Hierusalem, & oon erat, qui sepeliret. Simul enim tunc, & gentes venerunt in hæreditatem Dei, quæ auferrent omnia, & templum pollutum est suorum funeribus, & insepulta iacuerunt cadauera interfectorum ad escam auium, bestiarúmque voracitatem effusus sanguis, vt stagnaret in Templo, deesset qui sepeliret: quia viuentium in mortuos, à mortuis in eos, qui adhuc viuereot, furor transferebatur. Volebat aliquis defunctum humare, ipse extinguebatur. Et qui defunctum occiderat, in sepultorem transferebat iracundiam, vt illi sepulturam negaret: hunc extinguebat rursos, qui sepultorem occiderat, maiorem crudelitatem circa defunctum exercebat, vt iam nihil debeotem odio, non sententiam supplicia, spoliaret supremo naturæ debito. Quid illis accidere aliud poterat, qui diuina nō recipiebant oracula? Irridebant prophetarū annuntiationes, fas omne calcabant, futuráque, vt fierent, ipsi accelerauerunt. Erat enim sermo vetus & frequens, tunc perituram Hierusalem, & sancta eius exurenda, cùm seditio belli legem incesserer, & domesticæ manus templum Dei contaminarent. Nec hoc quidem intellexerunt: Quoties enim excisa domus Dei? quoties seditio? quoties bellum? & nunquàm illa vrbs periit, nisi cùm Dominum verè Templum Dei domesticis manibus crucifixerunt. Propter quòd & illud audiant: Soluite templum hoc, & in tribus diebus resuscitabo illud. Quid enim aliud nisi sacrilegium fuit? cùm impias manus extenderent in autorem salutis, cùm lapidarēt eum, cùm verberarent, cùm corriperent, cùm occiderent?
C Tunc verè * sancta eorum assumpsit ignis diuinus. Nam exusta à Babyloniis, reparata est. Postea destructa à Pompeio, reformata iterum. Sed penitus exusta, vbi Iesus venit, & spiritus diuini soluta euanuerunt. Oportuit hoberiore quadam deploratione præire nos funus quoddam paternæ solemnitatis, & velut quasdam exequias prosequi, ac soluere iuxta Maiorum instituta. Sed veniamus ad summam euersionis Hierusalem, & ad deiectionem Iudæorum. Meritò siquidem deiiciendi & viles habendi fuerant, qui vniuersis pretiis chariorem Iesum, triginta denariorum pretio à discipulo compararant: non vt eum haberent tanquàm Dominum, sed vt de terra viuentium tollerent velut iniquum. Quare iure de hæreditate sua, viliores paleis, in omnem terram ventilati sunt à gentibus, quas formidauerant, ne sibi locum & gentem tollerent. Et qui triginta denariis Iesum compararant ad perdendum, iustè posteà triginta capita suorum viderunt vendi vno denario ad illudendum. Quia igitur penè omnes Iudæi in necem Domini nostri Iesu Christi vnanimiter consenserunt imminente vindicta penè omnes à totis regionibus ad azymorum diem festum congregati, bello subitò circumfusi sunt: vt primò quidem illis pestifera lues ex loci angustia nasceretur, deindè citiùs fames. Quòd autem caperet multitudinem hominum tantam ciuitas, certum erat ex his, qui sub Cestio fueraot. Enumeratis enim tunc viris ciuitatis à Floro, Neroni significare cupiente contemnenti nationem, à Pontificibus petierat, vt si quomodo possent, multitudinem numerarent. Illi autem cùm dies festus
E adesset, qui Pascha vocatur, quando à nona quidem hora vsque ad vndecimam hostias cædunt, per singula autem quasi contubernia, oon pauciorum quàm decem hominum fiunt, solum enim epulari non licet, multi enim * vicini conueniunt: hostiarum quidem ducenta, & quinquaginta sex millia, & quingentas numerauerunt. Fiunt autem vt denos epulatores, per singulas imputemus vicies centena, aut septingenta millia, sancti omnes & puri. Nec enim leprosis aut vitiliginosis, aut semine fluentibos, quos * gynæcieos vocant: nec mulieribus menstruo cruore pollutis, neque aliis inquinatis participare sacrificia permittebantur. Sed nec alienigenis quidem, nisi qui religionis causa venissent. Magna verò hæc multitudo ab extraneis congregabatur. Tunc

*monicimia.

Christi mors Iudæorum exitium.

* Sācta sanctorum absumpsit

Iudæorum triginta veniuot denario. Multitudinē obsessorū omnis ætatis sex centena millia fuisse testatur Tacit. li. 22. vide Nicep. lib 3. cap. 5.

* ex Iosepho legi debet, viceni.

* legēdam putat quidā ex Iosepho gonorricos.

tamen veluti in carcerem tota gens fato conclusa est, & farta hominibus ciuitas, bello obsidebatur. Itaque omnem superat humanam, & diuinitùs emissam pestem numerus peremptorum, quos partim palàm occiderunt, partim ceperunt Romani. Rimantes enim cloacas, & sepulchra eruentes, quos offendissent, occidebant. Inuenti sunt autem ibi plus quàm duo millia, quorum alij manu sua, plures autem mutuis se vulneribus interfecerunt, cùm fames alios corripuisset. Luebant enim scelerum suorum supplicia, qui postquàm Iesum crucifixerunt diuinorum arbitrum, posteà etiam discipulos eius persequebantur: plerique tamen Iudæorum, gentilium plurimi crediderunt in eum, cùm præceptis moralibus operibúsque vltra humanam possibilitatem profluentibus inuitarentur, quibus nec mors quidem eius vel fidei, vel gratiæ finem imposuit: imò etiam cumulauit deuotionem. Ininiêrunt quoque parricidales manus, atque autorem vitæ interficiendum ad Pilatum deduxêre: reluctantémque cœperunt perurgere iudicem: in quo tamen non excusatur Pilatus, sed Iudæorum amentia * coacerbatur: Quia nec ille adiudicare debuit, quem reum minimè deprehenderat, nec isti sacrilegium parricidio geminare, vt ab his, qui ad redimendos & sanandos eos sese obtulerat damnaretur. Quamuis enim idem Pilatus manus lauerit, dicens: Mundus ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis: nequaquàm tamen minus extitit reus, qui gloriam Dominicæ agnoscens resurrectionis, prædicare inuitus studuit, sed credere perfidus contempsit, sicut testatur eiusdem epistola, Cæsari in hunc modum directa.

Christiani diuinitus admoniti Pelli commigrarant ante excidiũ Hieros. Nicep. li. 3. cap 3.

*coacervatur.

Epistola Pilati ad Claudiũ Cæsarẽ.

Pontius Pilatus Claudio salutem. Nuper accidit, & quod ipse probaui, Iudæos per inuidiam se suósque posteros crudeli condemnatione punisse. Denique cùm promissum haberent Patres eorum, quòd illis Deus eorum mitteret de cœlo sanctum suum, qui eorum Rex meritò diceretur, & hunc se promiserit per virginem missurum ad terras: istum itaque me præside in Iudæam Deus Hebræorum cùm misisset, & vidissent eum cæcos illuminasse, leprosos mundasse, paralyticos curasse, dæmones ab hominibus fugasse, mortuos etiam suscitasse, imperasse ventis, ambulasse siccis pedibus super vndas maris, & multa alia fecisse, cùm omnis populus Iudæorum eum filium Dei esse diceret, inuidiam contra eum passi sunt Principes Iudæorum, & tenuerunt eum, mihíque tradiderunt, & alia pro aliis mihi de eo mentientes dixerunt, asserentes istum magnum esse, & contra legem eorum agere. Ego autem credidi ita esse, & flagellatum tradidi illum arbitrio eorum. Illi autem crucifixerunt eum, & sepulto custodes adhibuerunt. Ille autem militibus meis custodientibus, die tertio resurrexit: in tantum autem exarsit nequitia Iudæorum, vt darent pecuniam custodibus, & dicerent: Dicite, quia discipuli eius corpus ipsius rapuerunt. Sed cùm accepissent pecuniam, quòd factum fuerat, tacere non potuerunt. Nam & illum surrexisse testati sunt se vidisse, & se à Iudæis pecuniam accepisse.

Calumniæ Iudæorum de Christo.

Hæc ideù ingessi, ne quis aliter mentiatur, & æstimet credendum mendaciis Iudæorum. De quo ipsi perfidi testantur, dicente Iosepho historiarum scriptore, quòd fuerit illo tempore vir sapiens (si tamen oportet, inquit, virum dici) mirabilium creatorem operum, qui apparuit discipulis suis, post triduum mortis suæ viuens secundum Prophetarum scripta: qui & hæc, & alia innumerabilia de eo plena miraculis prophetauerũt. Ex quo cœpit congregatio Christianorum, & in omne hominum penetrauit genus: Nec vlla natio Romani orbis remansit, quæ cultus eius expers relinqueretur: si nobis non credunt Iudæi, vel suis credunt: hoc dixit Iosephus, quem ipsi & maximum putant. Et tamen in eo, quòd verum locutus est, propter historiæ fidem, quia fallere nefas putabat, & non credidit propter duritiam cordis, & perfidiæ intentionem: non tamen veritati præiudicat, quia non credidit, sed plus addidit testimonia, quia nec incredulus, & inuitus negauit: In quo Christi Iesu claruit æterna potentia, quòd eum etiam principes Synagogæ, quem ad mortem comprehenderant, Deum fa-

Iosephi de Christo testimonium.

A rebantur. Et verè quasi Deus sine exceptione personarum, aut vlla mortis formidine locutus, excidium quoque templi futurum annuntiauit, sed non eos templi iniuria commouit. Sed quia ab eo in flagitiis, & sacrilegiis corripiebantur, hinc ita exarsit, vt interficerent eum, quem nulla habuissent tempora. Nam cùm alij † prædicando metuerint facere, quæ fecerunt: hic in potestate habebat, vt omnia, quæ fieri vellet, † imperaret. Octauo igitur die Septembris mensis concremata est ciuitas, cæsa per omne tempus numero decies centena millia. CX. myriades, vt plerique asserunt: Iudæorum tamen omnium, sed non omnium eiusdem regionis aut loci, quia eò vndique conuenerant tempore Paschalis solennitatis: captiui abducti nonaginta septem millia. Denique tanta captiuorum præ multitudine vilitas fuit, vt triginta à Romanis vno numismate sub corona venderentur. Peracta igitur obsidione, iussit Cæsar Titus

†precando.

†imperaret

Iudæorum internecio & panolethria. Nice. lib. 3. cap. 7.

B funditus euertere ciuitatem, ac templum, vt adimpleretur verbum Domini Iesu prædicantis: † Amen dico vobis, non derelinquetur lapis super lapidem, quin destruatur: talis quidem finis Hierosolymorum obsidionis fuit. Eandem verò vrbem Hierosolymam Chananæorum quidam potens condidit, qui patrio sermone vocaretur Rex Iustus, quam primò Solymam nuncupauit, posteà templum addidit: vnde Hierosolyma dicta ciuitas est. A principio suos incolas habuit degente Chananæorum. Dauid primus vir Hebræus Chananæos expulit, constituit suos, qui in ea sibi domum Regiam fecit. Voluit & templum Deo condere, sed prohibitus oraculo, Solomonem hæredem reliquit: qui templum,

†Vide Nicep. l. 3. c. 8.

Sopraca. 9. lib. 5.

C quod ipse vouerat ædificaret. Solomon itaque templum fundauit. Reliqui quoque Reges ad ornatum vrbis addidêre plurima: inuidia ex magnificentia orta est. Inter omnia tamen opera templum præcellebat amplissimo opere & fulgenti marmore, peripetasma pretiosum & maximum, cocco & hyacintho byssóque intextum, ex purpura non otiosa materia tantæ diuersitatis, sed cuius species rerum latentium mysterium signaret: eò quòd eius esset templum, qui cœlo, & aëri, terræ & mari, quasi creator elementorum dominaretur, atque omnia solus regeret, & gubernaret. Cocco enim igneum cœlum figuratur, hyacintho aër, bysso terra, mare purpura, quæ conchyliis maritimis inficitur: vt duo ex colore, duo ex generatione colligas. Denique princeps sacerdotum

D hæc quatuor indumento suo exprimere consueuerat, quando maxima celebritas erat festorum dierum, quasi totum mundum indueret, pro populo supplicaturus, in eius figura, qui venturus erat princeps Sacerdotum Iesus, vt tolleret peccatum mundi. Fœmora princeps Sacerdotum linteo interiùs opetimento tegebat, eò quod præ cæteris in Sacerdote fides mentis quæritur, & corporis castimonia, quæ succingere debeat carnis intemperantiam. Duo erant tabernacula facta, vnum interius, aliud exterius: in hoc semper introibant sacerdotes: in illud interius, quod sanctum appellabatur, semel introibat princeps sacerdotum, non sine sanguine, quem offerret pro se & pro populi ignorantia atque delicto. Hoc significante Spiritu sancto venturum Iesum, qui verè solus intraret in interiora diuinorum pene-

Colores sacerdotales.

Tabernacula duo.

E tralia sacramentorum, & arcana substantiæ cœlestis, qui nosset omnia solus, patrem quoque sanguine suo toti mundo reconciliaret, vt & cœlestium & terrestrium misereretur. Denique posteaquàm venit, pacificauit omnia per sanguinem crucis suæ, quæ in cœlo vel in terra sunt. Intus thymiamaterium, intus mensa, intus lucerna. Thymiamaterium, quòd ita ad Deum Patrem, sicut incensum, dirigatur maximè sacerdotalis oratio. Mensa, quòd in ea passio Christi sit, & mysteria sacramentorum. Vnde Dauid dicit: Parasti in conspectu meo mensam, cuius velut duodecim panes, duodecim Apostoli testes sunt passionis eius ac resurrectionis. Lucerna, quæ sub candelabrum ponitur, antè sub modio erat, id est, legis mensura: nunc est in gratiæ plenitudine,

Hunc candelabri formam describit Ioseph. lib. 7. c. 24.

hepta-

heptamycho frequens lomen effundens, eò quòd Spiritus S. septem maximarum gratiarum virtutibus Dei templum illuminet. Trinitatis igitur cognitio in interioribus erat templi, quæ dicebantur sancta sanctorum, vbi reposita quondam virga Aaron floruit: quòd gratia sacerdotalia in Christo ampliùs esset operatura post mortem, qua mundum redemit. Iudæi ergo si voluissent credere, euidentia imminentia excidij signa habebant, quibus velut claris vocibus admonebantur finem sibi affore. Nam per annum fermè supra templum ipsum cometes arsit gladij quadam pendentis similitudine, denuntians quoque ferro & igni, gentis & regni vrbisque ipsius vastitatem futuram. Quid enim similitudo gladij nisi bellũ, quid ignis nisi incendiũ denuntiaret? Visus autem est priusquam populus à Rom. sese dissociaret. Ipsis verò Paschæ diebus vndecimi mensis octauo die, per

Trinitatis cognitio.

Supra cap. 44. lib. 5.

B

singulas noctes hora circiter nona templum & ara eius ita lumine refulgebat, quasi dies esset per mediam ferè horam quotidiè manens: quod vulgus interpretabatur cumulandæ gentis indicium videri: eòque impulsi sunt tanquam tempus afforet libertatis recipiendæ. Prudentiores contrà opinabantur, quòd hoc genus stellæ bellum soleat denuntiare. Ne quisquam arbitraretur nos aliena à cultu nostro & disciplina locutos, primum non quid nobis videatur astruimus, sed quid acciderit, quæve opiniones tunc temporis fuerint, quid prudenses senserint, quid imprudentes: neque cùm de secta Iudæorum quid dictum est, ita scriptum videatur à nobis quasi in veritate cultus eorum, non quasi in vmbra, & figura præmissum contraxerimus, vt * sequeremur

*sequerẽtur Ioseph. lib. 7. c. 12.

C

perfectiora. Nam de signis stellarum etiam in Euangelio docemur, quia erunt signa in Sole & Luna & in stellis. Vitulæ quoque assueuerunt partu, cùm immolanda astaret altaribus in medio templi agnam edisam in ipsis sacrorum, quæ suprà memorauimus, celebritatibus. Orientalem quoque portam interiorem solido ære grauem, quæ soleret ad vesperam viginti virorum claudi labore, obseratis vectibus ferreis, per aliquot noctes spontè reseratam, & via posteà à custodibus clausam. Id quoque arbitrabantur plerique futurorum signum bonorum, quibus ingressuris porta aperiretur. Consultiores autem aiebant custodiam templi resolutam videri, vt quæcunque intùs forent ab hostibus diriperentur, exiret cultus interior & vastitate euacuaretur, celebritas sacrificorum destrueretur, quod etiam & antequàm crucifigerent Christum Iesum liquidò significatum lectio

D

docet. Post multos quoque dies figura quædam apparuit inæstimabilis magnitudinis, quam plurimi circumspexêre (sicut libri Iudæorum manifestarunt) & ante solis occasum subitò visi in nubibus currus, & acies armatæ: quibus totius Iudææ regionisque eius vrbes incursarentur: ipsa autem Pentecostes solennitate ingredientes sacerdotes in templi interiora, nocturno tempore vt sacrificia assueta celebrarent, & motum primò quendam sensisse se prodiderunt, & sonitum editum, posteà etiam audisse repentina voce clamatum: Transeamus hinc. Iesus quoque Ananiæ filius ruricola vir, ante quatuor annos, quàm bellum Iudæorum populus

Iesu Ananiæ lamentationes.

E

adoriretur, in summa pace vrbis, & abundantia cùm scenopegia sacrificiis solemnibus celebrarentur, templum ascendens cœpit clamare: Vox ab oriente, vox ab occidente, vox à quatuor ventis, vox super Hierosolymam, super templum, vox super sponsos & sponsas, vox super omnem populum. Hoc noctibus atque diebus vociferabatur. Commoti primores loci corripuerunt eum, terribile vocis eius indicium perhorrentes, & plurimis eum suppliciis affecêre, quo saltem afflictus dolore, desineret terribilia & plena prodigiis denuntiare. At ille nec metu vllo, nec verberibus, aut grauioribus interminationibus territus, vsum aut vocem mutauit, sed in eadem denuntiationis perseuerantia, in eodem contextu sermonum, sine vlla obsecrationis interpolatione manebat, iniuriæ negligens, affectu immo-

A

bilis. Quod nequaquam perfunctorium rati, sed in excessu mentis, vt erat, exprimi, detulerunt ad loci iudicem, qui tunc temporis a Romanis per id loci publica agitabat negoria. Is rimandæ veritatis gratia, sæuissimis eum pœnis exhulcerauit. Quò magis perseueraret, eò vehementiùs corripi flagellis hominem iubet, vt si qua secretiora futuri tumultus indicia comperisset, manifestaret. At ille neque fleuit, neque rogauit, sed ad singula verbera, non suum, sed patriæ excidium flebilites deplorabat, dicens: Væ Hierosolymis. Neque interrogatus quis esset, vel vnde, vel cur eadem diceret, responsum reddidit: sed tantummodo lamentationem illam patriæ questu miserabili prosequebatur. Defessus itaque Albinus (hoc enim nomen viro) dimisit eum tanquam dementi furore, quid diceret non sen-

B

tientem. At ille neque sermonem vllum cum quoquam habebat, neque aliud loqui per reliquum tempus auditus est, sed hoc tanquam lugubre atque funereum canticum canens, diebus ac noctibus iugiter resultabat, Væ Hierosol. neque verberanti conuitiabatur, neque cibum impertienti gratias agebat: vna erat ad omnes eademque plena funebris vlulatus responsio, & maximè sacrificiorum celebritatibus. Per septem itaque annos & quinque menses eadem verborum series, idem vocis sonus. Mansit itaque indefessus tanto tempore: vbi obsidio cœpit, eadem ille vociferari destitit, quasi cessari oportet denuntiationem cùm adessent, quæ fuerant denuntiata. Sed vbi cœpit flamma vrbem pariter & templum inuoluere, circumiens murum clamare

C

cœpit iterum: væ ciuitati & populo & templo. Et ad postremum addidit, væ etiam mihi, & fundibulari ictu in eadem voce emisit spiritum. Vrbem etiam cum templo, vetustis etiam litteris scriptum erat, tunc perituram, cùm tetragonum templum factum fuisset. Itaque siue obliti, siue obstupefacti ingruentium malorum necessitate, vbi occupata est Antonia tetragonum in circuitu templi defecerunt. * Interque illud præcellentissimum, quod in litteris æquè vetustis (quas sacras vocabant) manebat impressum, quòd secundum illud tempus futurus esset vir, qui de regione eorum imperium assumeret in orbẽ terrarũ. Quæ res eos in tanto furore posuit, vt sibi nõ solùm libertatem, sed etiam regnum pollicerentur. Id alij ad Vespasianum referendum putarunt, prudentiores ad Dominum Iesum, qui

* Inter quæ Hac de re nõ nihil Ioseph. Suet. in Vesp. Tacit. li. 22. Niceph. li. 3. cap. 4.

D

secundum carnem genitus ex Maria, regnum suum per vniuersum mundum diffudit. Tantis itaque rebus * manentibus, non potuerunt cauere, quod diuinitùs decernebatur. Manifestam enim Dei in se cognoscentes iram, ad consolationis alicuius remedium pertingere renuerunt, tanta sceleris obnubilatio mentium oculos obduxerat. Desperatis siquidem & eorum rebus, autor turbarum Eleazarus, inter cætera diffidentiæ verba, abiectionis suæ à Deo sic conquestus est: O miseri, ad quam spem istius vitæ nos reseruamus? Esto, hostis ignoscat, quid proderit cùm Dei offensa clara sit? ignes ab hoste in nos versi, mutata ventorum † flamma, flammæ retortæ, vt nostra subdia demererentur. Quis poterit aduersante Deo viuere?

* monentibus.

† flamma.

E

Nullus veniæ locus, sed manifestum voluntariæ mortis imperium. Quid enim nox interuenit, nisi vt nos hostis non præueniret? nec deusto murali præsidio continuò irrumperet? Sed vt nobis exercendæ mutuæ necis tempus reseruaretur, liceretque cum liberis nostris & necessitudinibus mori, ne videremus anhelos senes, anúsque à Romanis pertrahi, charissimas coniuges ad victoris libidinem rapi. Commoriamur patriæ, ne simus superstites tanti dedecoris opprobrio. Quò igitur fugiemus à facie Dei, aut quò ibimus infenso nobis cœli Domino? Si cadant super nos montes, & concaui specubes abscondant, quomodo tamen poterimus declinare indignationem tantæ potestatis? quò enim progrediemur, vbi non sit Deus, cùm ipse vbique sit? An mediocria exempla

sint, quibus doceamur, quòd iamdudum genti nostræ pro peccatis nostris mœstus sit, qui antè præsidebat? Quis hoc dubitet, cùm videat, quod in nos manus nostræ conuersæ sint, pluresque seditio domestica, quàm bellum extinxerit? Non donabo Rom. quòd vicerint, nec ipsi sibi hoc vendicant, qui sciunt, quòd omnes ferè nostris potiùs armis, quàm alienis periemus: quinque Rom. arma viderunt Cæsaream inhabitantes Iudæi, quorum feriato die sabbathi inter solemnes nostrorum sacrorum cultus multitudo gentilium Cæsariensium, repentino quodam impetu, & misso desuper furore succensa, viginti millia deleuit, omnes fugauit, vt totam vrbem exinaniret. Nónne Syriam totam quidem impleuit dementia, vt Iudæi atque gentiles in iisdem vrbibus siti, & incolatu gratia sibi priùs nexi postea inter se armis colliderent, quò Romanis vadum futuræ victoriæ constitueretur? Nam quid de Scythopoli loquar? B quo Iudæi primò contenderant, vt gentilem populum præuenirent, ne quid aduersus nostros exemplo cæterarum vrbium machinaretur? Itaque quos par fuit coniunctos aduersum alienigenas viribus bello decernere, hæc è contrario aduersum se Iudæi decertauerunt, vt pars eorum aduersus cognatos & proximos suos præliaretur. Deinde ipsi pro pretio laboris, & impensi sanguinis à gentilibus perimerentur, quod prohibuerunt ipsi fieri in gentibus. Damasceni nulla existente causa, octo millia Iudæorum strauerunt. Ascalonitæ* duo millia quingentos. In vrbe quoque cui Ptolomais nomen, cæsi duo millia. Alexandriæ verò vetus erat odium inter Iudæos & gentium populos, ex quo magnus Alexander vsus est studio Iudæorum ad Ægyptios subijciendos: C vnde condita vrbe ex æquo Iudæis & Ægyptiis attributa priuilegia, & habitationes diuersæ ne eorum cultus permisceretur, qui purificationes suas sine vlla volebant contagione seruare. Hinc frequentes inter eos conflictus fuêre, exorta iurgia, iudicium petitum. Nihil tamen ex tanti Regis temeratuio liquet fuisse benefieus, sed posteà à gentilibus exorto tumulto, cùm Iudæorum necati aliqui, alij ad pœnam detinentur: iniuria motum Iudæorum populum aduersum autores iniuriæ insurrexisse: & cùm pertinaciùs se de ciuibus vltum* iri vellent, inductum exercitum Rom. qui sexaginta Iudæorum millia intra vrbem fuderit. Verùm quid in locoribus moror, cùm excidium totius* vrbis in vnius ciuitatis ruina nobis deplorandum sit? Vbi est maxima ciuitas D Hierusalem? vbi decora Sion? vbi templum mirabile? vbi secundum illud tabernaculum sanctitatis sacratium, quo semel in anno solus Princeps Sacerdotum solebat intrare non sine sanguine, quem pro se offerret & populi delicto? Profanatum gentibus, habitant in reliquiis vrbis, qui eam destruxerunt. Vbi, inquam, es ciuitas referta populis, venerabilis Regibus, acceptabilis Deo, gratiæ sedes? pauimenta tua de marmore, parietes tui fulgentes marmore, culmina tua pretioso splendebant marmore, portæ tuæ micantes auro, aliæ argento renitentes. Omnes interfecti, & qui te iugiter inhabitabant, & qui ad te ex totius orbis terrarum partibus conueniebant, vt non dubium sit totum in te mundum periisse. Nudata omnia, à culminibus cremata, à fundamentis diruta: facta est habitatio tua deserta, nec est qui in E tabernaculis tuis inhabitet, & adhuc quenquam viuere libet, & non vixisse pœnitet? Duri oculi, qui hæc videre possunt: immites animi, qui velle possunt vt tantis supersint doloribus, non quod defecerit clades, sed quod iam nulla requies. Quò enim circumferamus oculos, aut quid decernere delectet? vrbs tota sepulchrum mortuorum est, *solem spectantibus occurrunt fauillæ, viæ vacuæ viuentium, repletæ cadaueribus. Miseri seniores cinerulenta canitie, & scisso amictu supra reliquias mortuorum sedent, nuda tegentes ossa, quo defendant à volatilibus ac bestiis. Mulieres paucæ incolumes, quas miles impius ad turpitudinem, non ad vitam seruauerit. Quis hæc videns & de compendinatione

* Ioseph. octodecim millia.

* ire.

* vrbis.

Sanctuariũ.

Clades Hierosolymitana.

* sole.

A ne viuendi cogitans, audeat ad cœlum leuare oculos? Quis sic immemor patriæ, hostis suorum, pietatis alienus, expers dulcedinis, cuius tam semiuiri sit mollis spiritus? Quis ita meticulosus, quem non pudeat his reseruatum? Vtinam quidem olim defecti essemus, aut si vita superesset, oculorum lumen perisset, priusquam sanctam vrbem dirutam hostium manibus intueremur, templúmque hoc à maioribus nostris sacratum Deo, tam impiè flammis cremari aut sacerdotes in templo conspiceremus iacere interfectos. Emendemus ergo, quod his superuiximus malis, vt videamur non vitæ studio distulisse mortem, sed virtutis intentione. Circumuallauit hostis omne munimentum. Nil superest, nisi aut nos, aut coniuges nostræ: iam sibi filios nostros in auctione constituunt, certántque inter se, quis cuius abducat vxorem, verùm pro dignitatum meritis personarúmve ordinibus distribuendæ sint, aut sortibus subire B cogendi miserabiles, nobis quoque parantur prodigia pœnarum, tormenta exquisitissima: non solùm ardentes flammæ, aut diuersæ neces victricis ictu securis: duro quidem post vincula, post carcerem, post iugum supplicio, sed tolerabiliore vitis, si ludibrio vacet, sed etiam auulsi artus viuentibus, & præcipuè truncatæ manus. Nec immeritò, quia defuerunt suo muneri, cùm possent sibi subuenire. Subeundi quoque morsus ferarum ad victorum spectaculum, quod diuersis iam celebratur arenis vrbium: vel exemplo nobis debet esse pudendum, vel visu mirabile, vt reseruemur, aut bestiis, aut fratribus præliaturi. Et id genus alia multa Eleazarus in medium proferebat diffidentiæ & desperationis plena. C Ex quibus omnibus, & ipsis rerum euentibus cùm Iudæi sibi manifestè iratum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, & eum, qui ad oues tantum domus Israël perditas venerat, oderunt, odientes crucifixerunt, & gloriam resurrectionis euacuare moliti sunt. Nam si non cognouissent, ter adeò nequaquàm extitissent. Vnde ipse de eis Dominus: Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt & me & patrem meum. Cognouerunt siquidem * ex patre, quomodo & dæmones dicentes: Scimus quòd sis filius Dei: videntes mirabilia, audientes mirabiliora, sed non cognouerunt rei veritatem: D quia duri corde detrectauerunt credere. Si enim credentes verè cognouissent, nunquam Dominum gloriæ (vt sit Paulus) crucifixissent. Hinc Propheta: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit. Quid per bouem, nisi prædicator sanctus quisque, intelligitur, in semine verbi Dei illaborans? Quid per asinum, nisi brutus gentium populus designatur? qui audiens pastoris cuiuslibet prædicationem, mox ad præsepe Domini cucurrit, vt pabulo verbi Dei adhæreret. Benè autem post quadraginta & duos visitationis suæ annos Israël à terra promissionis exterminatur, quia post quadraginta egressionis ab Ægypto annos, in eam introductus perhibetur; in quibus duas decalogi lapideas secundò suscepit tabulas, per quas præsignauit biennium, ad euersionis E numerum destinatum; in quibus etiam maximè notanda est ænei serpentis exaltatio, cuius respectu quisque moribundus vitæ restituebatur? Sicut enim illo temporis spatio & manna pasti sunt, & per mediatorem Mosen legem tabulis descriptam lapideis acceperunt, & qui in articulo mortis serpentem non respexerunt exaltatum, perierunt: sic intra hoc euersionis tempus verum manna (vnde dictum fuerat: Ego sum panis viuus, qui de cœlo, &c.) haurire salubriter renuentes, verúmque mediatorem Christum Iesum, de quo præcinebatur: Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam meipsum audietis: quem si quis non audierit, exterminabitur de populo suo: eiusque legalia in seipso vera petra descripta sequi dissimu-

* ex patre forsan legendum.

lantes, exaltatum in cruce, & à mortuis surrexisse, sub articulo miserrimæ euersioois credere respuentes, à terra promissionis exterminati, perierunt: vt populus ille, qui sedebat in tenebris, & habitabat in regione vmbræ mortis, lucem æternam videns resurrectionis, in eam

A cum plenitudine sua introeat, & sic reliquiæ Israël saluæ fiant, quatenus ex duobus parietibus, vna conferatur in resurrectione Ecclesia super illum lapidem angularem, qui faciet vtraque vnum Dominum nostrum Christum Iesum, qui viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

S. MELITONIS EPISCOPI SARDENSIS, DE TRANSITV VIRGINIS MARIÆ, LIBER.

DE S. MELITONIS LIBELLO DE TRANSITV SANCTISSIMÆ VIRGINIS DEI-PARÆ.

INiecit mihi scrupulum, initio, Gelasij P. M. Decretum, ac deinde me permouebat venerabilis Bedæ censura, vt S. Melitonis Libellum hunc de Virginis Deiparæ transitu, ex hac Bibliotheca expungerem: quòd ille quidem (D.D. Hieronymum & Augustinum, opinor, sequutus) non indicato Authore, Libellum de Mariæ transitu, inter Apocrypha Scripta reiiceret; hic verò, ex Apostolicorum Actuum historia, inscitiæ mendaciique damnaret nominatim; quia nonnullos noui, inquit, præfato volumini contra authoritatem B. Lucæ, incauta temeritate præbere *assensum. At cùm dici possit, per-multa eo decreto reiecta, tolerari ab Ecclesia magnóque commodo perlegi à Theologis, ac fortè etiam non huius Libri damnari doctrinam; sed ementitum esse Authoris nomen, designari tantùm: Quòd verò ad venerabilis Bedæ censuram attinet; cùm nullus in hoc Libello sit lapsus ille ex quo totum illius corpus infamat (huius enim Historiæ tempus, non in secundum sed in 22. annum à Christi in cælos Ascensu reiicit) ac proinde non hunc reprehendi, sed fortè illum alterum, in quem D. Ioanni Euangelistæ ascriptum, se incidisse ait Iacobus Archiepiscopus Genuensis; suspicio sit: facilè persuasit mihi antiqua multorum Latinorum, in sanctissimam Dei param pietas, vt historiam hanc de illius transitu sancto Melitoni Sardium Episcopo, à Tritthemio attributam; (adiectis Græcorum Patrum testimoniis, quibus eius fides magis ac magis constat) legendi studiosis, in hac Bibliotheca proponerem amplectendam.*

His tamen non obstantibus certum est librum hunc esse falsò S. Melitoni adscriptum apocryphum, nullius auctoritatis, immixtis nonnullis planè reiiciendum. In Hispanico indice iubetur expungi omnia a cap. 8. vsque in finem operis.

CAPVT I.

MElito, seruus Christi, Episcopus Ecclesiæ Sardensis; venerabilibus in Domino fratribus, Laodiceæ constitutis; in pace, salutem. Sæpè scripsisse me memini de quodam Leucio, qui nobiscum cum Apostolis conuersatus, alieno sensu & animo temerario discedens à via iustitiæ, plurima de Apostolorum actibus in libris suis inseruit: & de virtutibus quidem eorum multa varia dixit; de doctrina verò eorum, plurima mentitus est, asserens eos aliter docuisse; & stabiliens qoasi ex eorum verbis sua nefanda argumenta. Nec solùm sibi sufficere arbitratus est; verum etiam Transitum beatæ semper Virginis Mariæ genitricis Dei, ita impio deprauauit stilo, vt in Ecclesia Dei non solùm legere, sed etiam nefas fit audire. Nos ergo, vobis petentibus, quæ ab Apostolo Ioanne audiuimus; hæc simpliciter scribentes, vestræ fraternitati direximos: credentes, non aliena dogmata ab hæreticis pullulantia; sed Patrem in Filio, Filium in Patre, Deitatis & indiuisæ substantiæ Trina manente Persona: neque duas hominis naturas conditas; bonam scilicet, & malam; sed vnam naturam bonam, à Deo bono conditam: quæ dolo Serpentis, est vitiata per culpam, & Christi est reparata per gratiam.

CAPVT 2.

S. Ioannes cur præ cæteris dilectus sit à Christo.

IGitur cùm Dominus noster & Saluator Iesus Christus, pro totius Seculi vita confixus clauis, Crucis penderet in ligno: vidit circa Crucem, Matrem suam stantem, & Ioannem Euangelistam, quem præ cæteris Apostolis peculiarius diligebat, eò quòd ipse solus ex ipsis virgo degeret in corpore. Tradidit igitur ei curam sanctæ virginis matris Mariæ, dicens ad eum; *ecce Mater*

B *tua:* & ad illam, inquit; *Ecce filius tuus:* Et ex illa hora, sancta Dei Genitrix in Ioannis cura specialius permansit, quandiù vitæ istius incolatum transegit. Et dum Apostoli mundum, suis sortibus, in prædicatione sumpsissent; * ipsa in domo Parentum illius, iuxta montem Oliueti consedit.

* Ipsa, in domo Parentum illios; &c.] *Virginem vtpote dilecto discipulo commendatam habebat domus eius quæ erat in Sion, illic degentem, & huic tanquam matri Dei, honor ab omnibus exhibebatur. Simon Metaph.*

Videor mihi videre Sanctis sanctiorem mannæ vrnam super aliquem lectum recumbentem in inclyta ciuitate Dauidis, in qua
C *typice pascha peregit Christus, &c. Hæc est arx Ecclesiarum, hæc est habitaculum Apostolorum: In hac cùm ille Theologus accepisset Deiparam, subministrabat ei quibus opus habebat: Hæc est mater Ecclesiarum: In hac vitam egit Dei mater postquam surrexit filius à mortuis: In ea ergo B. Virgo iacebat super aliquem lectum: fœlicissimum Lectum! Damasc. Serm. de dorm. Deip.*

CAPVT 3.

SEcundo itaque, & vicesimo anno postquam Christus deuicta morte cœlum conscéderat; dum die quadam, desiderio Christi succensa Maria, sola intra domus istius receptaculum, lacrymaretur: ecce Angelus, magni luminis habitu resplendens, ante eam astitit & salutatioois
D verba persoluit, dicens; Aue benedicta à Domino; suscipe illius salutem, qui mandauit salutem Iacob, per Prophetas suos: Ecce, inquit, ramum palmæ, de Paradiso Dei attuli tibi, quem portare facies ante feretrum tuum, cùm in die tertia assumpta fueris de corpore: Ecce enim expectat te Filius tuus, cum Thronis & Angelis, & vniuersis cœli Virtutibus. Tunc Maria dixit ad Angelum:

Pero abs te ergo, vt congregentur ad me omnes Apostoli Domini mei Iesu Christi. Cui Angelus dixit: Ecce, inquit, hodiè, per virtutem Domini mei Iesu Christi; omnes Apostoli assumpti, huc ad te venient. Et ait illi Maria: Rogo vt mittas super me benedictionem tuam, vt nulla potestas inferni occorrat mihi in illa hora qua anima mea fuerit egressa de corpore; & ne videam Principem tenebrarum. Ait autem Angelus ad eam: Potestas quidem inferni non nocebit tibi; benedictionem autem æternam dedit tibi Dominus Deus tuus, cuius ego seruus sum, & nontius: non videndi autem Principem tenebrarum; effectum non à me tibi dandum existimes, sed ab illo quem tu in tuo sancto vtero baiulasti: ipsius est enim potestas omnium in secula seculorum. Et hæc dicens Angelus, cum magno splendore discessit. Palma autem illa fulgebat nimia luce. Tunc Maria exuens se prioribus indumentis; induit meliora. B Et accipiens Palmam quam susceperat de manu Angeli: egressa est in montem Oliueti, & cœpit orare & dicere: Non ego fueram digna, Domine, suscipere te; nisi tu misertus fuisses mei; sed tamen ego custodiui thesaurum tuum quem commendasti mihi: Ideóque peto à te (rex gloriæ) vt non noceat mihi Potestas Gehennæ. Si enim Cœli, & Angeli ante te tremunt quotidiè; quantò magis homo de terra conditus, cui nihil residet boni, nisi quantùm acceperit à tua bonitate? Tu es enim Dominus Deus semper benedictus in secula! Et cùm hæc dixisset; reuersa est in hospitium sum.

Secundo itaque & vicesimo anno.] *Cùm ætate prouecta ad multam senectutem peruenisset, & esset præsens peregrinationis tempus; per Angelum se migraturam esse, edocta est à filio:* C *vt & antea, quo tempore in eius ventrem ingressurus erat, fuerat illi nunciatum. Cùm igitur excessus sui mysterium didicisset; eam rem lætitia tanta, quanta verbis explicari non potest, maternam indicans, statim iussit lumina plurima domum deferri, idque factum est: &c. Simon. Metaph.*

Caput 4.

Et ecce subitò, dum prædicaret beatus Ioannes in Epheso, die Dominica, hora diei tertia; terræ motus factus est magnus: & nubes eleuauit eum, & suscepit eum ab oculis omnium; & adduxit eum ante ostium domus, vbi erat Virgo Deipara Maria. Et pulsans ostium, statim ingressus est. Cùm videret autem eum D sanctissima virgo Maria; exultauit in gaudio, & dixit: Rogo te, fili Ioannes; memor esto verborum Domini Iesu Christi, magistri tui, quibus me commendauit tibi. Ecce enim die tertio decessura sum de corpore: audiui autem consilium Iudæorum dicentium; expectemus diem quando moriatur quæ portauit illum Seductorem, & corpus eius igni comburamus.* Vocauit ergo sanctum Apostolum Ioannem, & introduxit eum in secretarium domus, & ostendit ei vestimentum sepulturæ suæ, & palmam illam luminis quam acceperat ab Angelo, præmonens eum, vt illam faceret ferri ante lectum suum, cùm duceretur ad sepulturam, & *iret ad monumentum.*

Vocauit ergo sanctum Apostolum &c.] *Tota domus mundata est, lectus, item thalamus ornabatur, & conuocabantur quotquot erant cognati & vicini, vt cum ea lætitiæ fierent participes. Demum parata erant omnia ad excessum: Significant itaque iis qui conuenerant, id quod filius ei per Angelum nuntiauerat: Ostendit autem brauium quod sibi fuerat datum ab eo: Id verò erat ramus palmæ, vt linguæ assuefacta vera loqui de eo dixerant, Signum victoriæ mortis, & vitæ imago immortalis; Sicut etiam Hebræorum pueri id faciebant eius filio, inspirati diuinitus, Simon. Metaph. Serm. de dorm. Deip.*

Caput 5.

Cui beatus & dilectus Apostolus Ioannes ait: Quomodo ego solus parabo tibi, Domina, exequias; nisi A venerint fratres mei, discipuli & coapostoli Domini nostri Iesu Christi; ad reddendum honorem corpusculo tuo? Et factum est; & ecce, subitò, per imperium Dei, omnes Apostoli de locis in quibus prædicabant verbum Dei,* eleuati in nube rapti sunt, & depositi ante ostium domus, in qua habitabat Maria Domini mater & salutantes se inuicem, mirabantur, dicentes; Quæ causa est ob quam Dominus nos hic in vnum congregauit? Aduenit autem cum eis Paulus, ex Circuncisione conuersus; qui assumptus fuerat cum Barnaba in ministerium gentium. Cúmque inter eos esset pia contentio, quis ex eis prior oraret ad Dominum, vt ostenderet illis causam ipsorum, & Petrus Paulum hortaretur, vt prior oraret; Paulus respondit, dicens: tuum est istud officium, primum inchoare; maximè cùm sis electus à Deo columna Ecclesiæ, & tu præcedis omnes in Apostolatu; meum autem minimè: nam ego minimus sum omnium vestrûm, & tanquam abortiuo visus est mihi Christus; nec me vobis æquare præsumo: tamen gratia Dei sum id quod sum.

Omnes Apostoli de locis, &c.] *Cùm autem adesset iam tempus excessus; illa quidem vera vitæ mater in Sion iacebat in grabbato: Aderat verò is qui domo eam exceperat Ioannes; aderant etiam quicunque erant electi in Hierusalem, amicæque & cognatæ simul astabant. Virgo igitur ad Ioannem virginem aspiciens, cùm pauca loquuta esset cum eo: Demum, Duas, inquit, tunicas quas toto vitæ tempore habui tegumentum mei corporis, eas dari iubeo hisce 2. mulieribus; &c. Deindè è cœlo descendit quidem eius filius, diuinam illius assumpturus animam; Per nubem autem congregat suos Discipulos, vt venerandum eius corpus mandarent sepulturæ; &c. Ne autem videatur inane esse quod dictum est de congregatione Apostolorum, quæ facta est in dormitione Virginis, satius fuerit summatim addere quæ à Dionysio Areopagita dicuntur in libro de diuinis nominibus cap. 3. &c. Sim. Metaph.*

Apostolos, iussus diuinus, nempe nubes tanquam quoddam rete vrgebat ex finibus terræ, veluti quasdam aquilas cogens, vt Matth. 24. Aderant ergo ij, vt Verbo, sic matri eius ministraturi; & vt pretiosam hæreditatem hausturi ab ea benedictione: Simul autem aderant eorum asseclæ successores, benedictionis & ministerij futuri participes: Sed neque cætus Patriarcharum & Angelorum aberat; &c. Damascen. Sermon. de dorm. Deip.

Caput 6.

Tunc omnes Apostoli gaudentes super humilitate Pauli, vnanimiter consummauerunt orationem suam. Et cum finem orationis fecissent, & dixissent, Amen: Ecce subitò venit ad eos Deo dignus Apostolus Ioannes, & indicauit eis omnia hæc. Ingressi ergo Apostoli domú, inuenêrunt matré Domini nostri Mariam, & salutauêrunt eam dicentes: Benedicta tu à Domino qui fecit cœlum & terram; Quibus illa ait: Pax vobiscum sit, fratres electi à Domino: & interrogauit eos dicens: Quomodo huc venistis? Qui illicò narrauerunt ei quomodo vnusquisque ex ipsis à spiritu Dei eleuatus in E nube, & depositus ibidem aduenissent. Quibus ipsa dixit: Dominus vos huc adduxit in solatium ferendum angustus quæ venturæ sunt mihi. Nunc ergo deprecor vos, vt sine intermissione, omnes vnanimiter vigilemus, vsque in illam horam, qua Dominus venturus est, & ego de corpore hoc sum recessura.

Falsissimum; id est. Nam nullas fuit Deipara in morte passa est angustias. Vide scolium Margarinum quod sequitur.

Angustus quæ venturæ sunt, &c.] *Hodie vitæ thesaurus, gratiæ abyssus (nescio quomodo dicam audacibus & non trementibus labris) morte vitali tegitur, & ad eam sine metu accedit illa quæ peperit eum, qui ipsam fregit ac dissoluit; si tamen mortem vocare oportet eius sacratissimum & vitalem è vita excessum.* Damasc. Serm. de dorm. S. Deip. *Quomodo audebat interitus, in corpus quod vitã suscepit? Sunt hæc aliena & omnino remota à diuina anima & corpore. Hanc, mors, sanctum aspiciens extimuit: Eius enim Filium aggressa, didicit ex iis quæ passa*

est; & cum ipsa experientia didicisset fuit castigata &c. Damasc. ibidem.

CAP. 7.

CVmque consedisset, & consolantes eam, triduo in Dei laudibus perstitissent, ecce die tertia, circa horã tertiam diei, super omnes qui erant in domo illa repentè sopor irruit, & nullus omnino vigilare potuit, nisi soli Apostoli, & tres tantummodo virgines quæ sacræ virgini comites erant. Et ecce subitò aduenit Dominus Iesus cum magna multitudine Angelorum, & splendor magnus in locum illum descendit, & erant Angeli hymnum dicentes, & collaudantes Dominum. Tunc Saluator locutus est, dicens: *Veni electa mea*, pretiosissima Margarita: intra in receptaculum vitæ æternæ.

CAPVT 8.

TVnc Maria prostrauit se in pauimento, adorãs Dominum, quæ dixit: Benedictum nomen gloriæ tuæ Domine Deus meus, qui dignatus es me humillimam ancillam tuam eligere, & arcanum tui mysterij mihi commendare. Memor igitur esto mei rex gloriæ. Tu enim scis quia in toto corde meo dilexi te, & custodiui thesaurum à te mihi creditum. Suscipe itaque me Domine ancillam tuam, & libera me à potestate tenebrarum, vt nullus Sathanæ impetus occurrat mihi, nec videam tetros spiritus occursantes; cui saluator respondit: Cùm ego missus à Patre pro salute mundi fuissem suspensus in cruce; ad me princeps tenebrarum venit: Sed dum nullum sui in me operis vestigium inuenire præualuit, victus, & conculcatus abscessit: Vidi, & tu ergo videbis eum quidem communi lege humani generis, per quam sortiris finem mortis, nocere autem non poterit tibi quia nihil in te habet, & quia tecum sum, vt eruam te. Veni igitur iam secura, quia expectat te cœlestis vitæ militia, vt te introducam in Paradisi gaudia. Et hæc dicente Domino exorgens beatissima virgo de pauimento, accubuit super lectum suum, & gratias agens Domino Deo, emisit spiritum. Viderunt autem Apostoli tantum lucis candorem, vt nulla mortalium lingua dignè possit effari. Vincebat enim omnem candorem niuis, & vniuersi metalli, & argenti radiantis magni claritate.

Morituris apparet Dæmon.

CAPVT. 9

TVnc Saluator locutus est, dicens: Surge Petre, tu & reliqui Apostoli, & corpus Mariæ dilectæ meæ accipite, & deferte illud in dexteram partem ciuitatis ad orientem, & inuenietis monumentum nouum, in quo ponentes eam, expectate donec veniam ad vos. Et hæc dicens Dominus tradidit animam sanctæ matris nostræ Mariæ, Michaëli Archangelo suo, qui est præpositus Paradisi, & princeps gentis Hebræorum: & Gabriel Archangelus ibat cum ea. Dominus autem Saluator noster, statim in cœlum cum Angelis receptus est.

CAPVT 10.

TRes autem virgines quæ ibidem erant, & vigilabant; susceperunt corpus beatissimæ parentis Mariæ, & lauerunt illud funerum more. Cúmque exuissent illam vestibus suis; sacrum corpus illud tanta claritate resplenduit, vt tangi quidem posset pro obsequio, videri autem species præ nimia luce coruscante, non posset: & nihil splendor apparuit magnus, & sentiebatur, dum lauaretur corpus mundissimum, *& nulli horrore sordis infectum.* Cumque vestissent eam lintheis & indumentis mortalibus, paulatim lux illa euanuit. Et erat facies beatæ genitricis Dei Mariæ similis floribus lilij, & odor suauitatis magnæ egrediebatur ex ea, ita vt ei similis suauitas inueniri nulla posset.

Cadauerũ abluendorum mos.

CAPVT 11.

TVnc igitur sanctum corpus imposuerunt feretro, dixerúntque ad inuicem Apostoli: Quis Palmam hanc ante feretrum eius portabit? Tunc Ioannes ait ad Petrum: Tu qui præcedis nos in Apostolatu, debes palmam hanc ante feretrum meritò ferre. Cui Petrus respondit: Tu solus ex nobis virgo es electus à Domino: & tantam gratiam inuenisti, vt super pectus eius recumberes. Insuper dum ipse pro salute nostra in crucis stipite penderet, hanc tibi ore proprio commendauit: Tu igitur portare debes hanc palmam, & ego suscipiam ad sustinendum sacrosanctum hoc & venerabile corpus vsque ad locum monumenti. Cui Paulus ait: Et ego qui minor sum omnium vestrûm, portabo tecum. Cúmque consensissent omnes, Petrus eleuans a capite feretrum, cœpit psallere, & dicere: *Exiit Israel de Ægypto*, Alleluia. Sustinebat autem cum eo Paulus, sacrum beatæ semper virginis Mariæ corpus, & Ioannes ante feretrum præferebat palmam luminis. Cæteri verò Apostoli psallebant voce suauissima.

Psalmodia in funere Deiparæ.

Exiit Israël, &c.] *Iudæa congrega filios tuos: Hierusalem exclama, iubila dedue Dei Metropolim, canta Dauidice, dic apertè; In exitu Israel de Ægypto, &c. Andr. Arch. Cret. in Enc. de dorm. Deip.*

CAPVT 12.

ET ecce nouum factum est miraculum. Apparuit enim corona nubis super feretrum magna valde, sicut apparere solet magnus circulus iuxta splendorem Lunæ. Et Angelorum exercitus erat in nubibus, canticum suauitatis emittentium, & resonabat terra sonitu dulcedinis magnæ. Tunc egressus de ciuitate populus ferè quindecim millia hominum, mirabantur, dicentes: Quis est sonitus tantæ suauitatis? Tunc fuit vnus, qui diceret illis: Maria mater Iesu exiit modò de corpore, & discipuli Iesu circa eam laudes dicunt. Et respicientes viderunt coronatum feretri lectulum magna gloria, & Apostolos cantantes voce magna*. Et ecce vnus ex illis, qui erat princeps sacerdotum Iudæorum in ordine suo repletus est furore & ira, & dixit ad reliquos: Ecce tabernaculum illius qui nos turbauit & omne genus nostrum, qualem gloriam nunc accipit. Et accedens voluit euertere feretrum, & corpus ad terram deiicere. Et statim aruerunt manus eius à cubitis, & adhæserunt lectulo. Et eleuantibus Apostolis feretrum, pars eius pendebat, & pars hærebat ad feretri lectulum, & torquebatur supplicio vehementi, ambulantibus Apostolis, & psallentibus Domino: *Angeli verò qui erant in nube percusserunt populum cæcitate.*

Et ecce, vnus ex illis, &c.] *Aiunt, cùm indefensio mentis fuissent ij qui tollebant beatum corpus matris Dei; Hebræum quendam seruum peccati, & qui fœdus inierat cum errore, incantorem seruum Caiphæ, cùm effectus esset diaboli instrumentum audaci & inconsiderato impetu, & infalici impressione irruisse in diuinissimum illud tabernaculum; & cum ambabus manibus grabbatum furiosè apprehendisset; &c. amaram collegit vuam; &c. Damasc. Serm. de dorm. Deip.*

Cum hoc sacrum & impollutum corpus in Gethsemane efferretur, Iudæis qui inuidia semper repleti fuerunt, ne tu hoc quidem succurrit tacere, sed ad eius quod fiebat, splendorem claudere oculos, & ad innatum eis motum animi erumpere. Quis ergo erat aliis insanior & impudentior, is cùm venerandum portaretur grabbatum, in id irruit plenus inconsiderato impetu & furore. Eius autem scopus erat hunc sacrum lectum allidere in terram, & tali afficere iniuria, vt qui vir audacia esset insignis: Non neglexit autẽ diuina iustitia, sed manus quæ grabbatum apprehenderat, ex vlnis protinus fuerunt abscissa. Verum quæ in partu totum orbem

terrarum gaudio repleuerat, non erat in morte vlli omnino molestiæ causa futura, &c. Et quoniam ille carebat manibus, nec poterat eas extendere ad preces, emittit lacrymas ex oculis, & sic petit curationem: Disciplinam autem simul vide & medicationem: Statim enim qui lectum ferebant, constiterunt; accedit verò is qui passus fuerat sectionem, & partibus quæ amputatæ fuerant vlnis applicatis (hoc autem sufferat Petrus) statim consecuta est manuum curatio. Sim. Metaph.

CAP. 13.

TVnc princeps ille clamabat dicens: Deprecor te dilecte Deo Petre, ne me despicias in tanta necessitate, quia tormentis magnis crucior valde. Memor esto quòd quando in prætorio ancilla ostiaria te recognouit, & dixit cęteris, vt calumniarentur tibi, tunc ego locutus sum pro te bona. Tunc respondens Petrus ait: Non est meum auxiliari tibi; si autem credideris toto corde in Dominum Iesum Christum, quem in suo sancto vtero hæc cui calumniatus es, virgo portauit, & post partum virgo permansit, clementia Domini & larga eius pietas, quæ saluat indignos, dabit tibi salutem. Ad hæc ille respondit: Nūquid non credimus? sed quid faciemus, quia inimicus humani generis excæcauit corda nostra, & cōfusio operuit vultum nostrum ne confiteamur magnalia Dei, maximè cùm ipsi malediximus contra Christum palàm clamantes, Sanguis eius super nos, & super filios nostros? Tunc Petrus ait: hæc maledictio iis solis nocebit, qui infideles permāserint. Conuertentibus autem se ad Deum, misericordia nō negatur. Et ille ait, omnia credo quæ dicis, tantum precor miserere, ne moriar.

CAPVT XIIII.

TVnc Petrus fecit stare lectulum, & ait illi: Si credideris toto corde in Dominum Iesum Christum, soluentur à feretro manus tuæ. Et cùm dixisset, hoc credo: statim solutæ sunt manus eius à feretro, & cœpit stare pedibus suis, sed erant brachia eius arida, & non discessit ab eo supplicium. Tunc Petrus ait illi: Accede ad corpus, & osculare lectulum quoq;, & dic Credo in Deum, & in Dei filium, quem ista portauit Iesum Christum, & credo omnia quæcunque locutus est mihi Petrus Apostolus Dei. Et accedens, osculatus est lectulum, & statim omnis dolor abscessit ab eo, & sanatæ sunt manus eius. Tunc cœpit laudare, & benedicere Deū largiter; & de libris Moysi testimonium reddere laudibus Christi: ita vt etiam ipsi Apostoli mirarentur, & flerent præ gaudio laudantes sub illa nomen Domini.

CAPVT XV.

PEtrus verò dixit ad eum: Accipe palmam hanc de manu fratris nostri Ioannis: & ingrediens ciuitatem inuenies populum multum cœcatum, & annuntia eis magnalia Dei, & quicunque crediderint in Dominum Iesum Christum; impones palmam hanc super oculos eorum, & videbunt cœci: Qui autem non crediderint, permanebunt cœci. Qui cùm fecisset ita, inuenit populum multum plangentem, & dicentem: Væ nobis, quia similes facti sumus Sodomitis cœcitate percussis. Nil superest iam nobis nisi vt pereamos. Cùm autem audissent verba principis loquentis, qui sanus fuerat, crediderunt in Dominum Iesum Christum: & imponente eo palmam super oculos eorum, receperūt visum. *Quicūque* tantum ex eis permanētes in duritia cordis, cæci mortui sunt. Et regressus princeps sacerdotum ad Apostolos, retulit palmam, referens omnia quæ fuerant facta.

CAPVT XVI.

MAriam autem portantes Apostoli peruenerunt ad locum vallis Iosaphat, quem ostenderat illis Dominus. Et posuerunt eam in monumento nouo, & clauserunt sepulchrum. Ipsi verò sederunt ad hostium monumenti, sicut mandauerat eis Dominus: Et ecce subitò aduenit Dominus Iesus cum innumerabili exercitu Angelorum magnæ claritatis radio coruscante, & dixit Apostolis; Pax vobiscum. At illi respondentes dixerunt: Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodū sperauimus in te. Tunc Saluator locutus est eis, dicens: Antequam ascēderem ad Patrem meum, pollicitus sum vobis dicens; quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super Thronos duodecim, iudicantes duodecim Tribûs Israël. Hanc ergo ex Tribubus Israël elegit iussio Patris mei, vt habitarem in ea: *quid ergo vultis vt faciam ei?* Tunc Petrus, & alij Apostoli dixerunt: Domine præelegisti hanc ancillam tuam fieri immaculatam tibi thalamum, & nos seruulos tuos in ministerium tuum. Omnia ante secula præsciuisti cum Patre, & Spiritu sancto, cum quibus tibi est vna deitas, æqualis & infinita potestas. Sic ergo visum nobis fuerat famulis tuis, etiam rectum esse; vt sicut tu deuicta morte regnas in gloria, ita resuscitans Matris corpusculum, tu tecum duceres eam lætam in cœlum.

CAPVT XVII.

TVnc Saluator ait: fiat secundùm verbum vestrum. *Et præcepit Michaël Archangelo, vt animam sanctæ Mariæ deferret.* Et ecce repente Gabriel Archangelus reuoluit lapidem ab ostio monumenti, & ait Dominus: *Surge amica mea*, & proxima mea; quæ non sensisti corruptionem per viri contactum, non patiêris resolutionem corporis in sepulchro. * Et statim surrexit Maria de tumulo, & benedicebat Dominum, & prouoluta ad pedes Domini, adorabat eum, dicens: Non ego tibi condignas gratias possum rependere Domine pro impensis beneficiis tuis, quæ mihi ancillæ tuæ conferre dignatus es. Sit nomen tuum, Redemptor mundi, Deus Israël, benedictum in secula.

Et statim surrexit Maria, &c.] *Gethsemane suscipe nouam Reginam, &c. Cautè & diligenter sanctum custodiatur. Si conseruetur quidem, manens in ipso, erit communis possessio quæ adorabatur ab Angelis & hominibus: Si quid autem contigerit admirabile & præter opinionem, & trāslatum fuerit id quod est impollutum; esto prædicans miraculum: narrato translationem iis quæ postea sunt consequuturæ generationibus; supernis quidem Spiritibus concedens spiritum Dei matris, nobis autem datis quasi ex perenni fonte instar vnguenti sanctificationem corporis: Accurramus simul omnes ad Deiparam chori Patrum & Patriarcharum, &c. Andr. Arch. Cret. Serm. de dormit. Sanctiss. Deip.*

Talia sunt, ô Deip. supermundanæ tuæ dormitationis mysteria, &c. Hæc quæ ante & post sepulturam sunt monumenta, ad prosequendum eam quæ plane ignoratur translationem; &c. Andr. Cret. ibidem.

Sic igitur sanctissimum corpus præclarissimo imponitur monumento, sed hinc tertio die ad cœlestes cursus in cœlestia curricula transfertur: non enim hoc diuinum habitaculum &c. coërceri in sinu terræ: Sed quomodo, quod ex ea cōstitit Verbo corpus integrum tertia die surrexit ex monumento, sic decebat eam eripi è sepulchro, & ad filium transferri; &c. Hanc eius dormitionem nocturnis oblectemus stationibus; &c. Tu vero ô sacrorum sepulchrorum sacratissimum, post Domini quidem sepulchrum, vbi est aurum purum quod Apostolorum manus in te recondiderunt; vbi est pelagus curationum, desiderabile & amabile corpus Deiparæ. Quid in sepulchro quæritis eam quæ ad cœlestia translata est tabernacula? Non licet mihi iussis diuinis resistere. Corpus sacrum & sanctum relictis syndonibus cùm me sanctificatione impertiisset, abiit raptum in sublime comitantibus Angelis & cœlestibus omnibus: nunc diuina in me habitat gratia: Ego fons perennis curationum, remedium aduersus dæmones, ægrotantibus officina medicinæ. Videtis, fratres, quæ nobis porrigit sepulchrum gloriosissimum? Quod autem hæc ita se habeant, scriptum est

Euthymiacæ Hist. lib. 3. cap. 40. Iuuenalem Hierosolymitanum interrogatum à Marciano & Pulcheria in Concilio Chalced. de reliquijs Deip. Constantinopolim aduehendis, respondisse, Apostolos momento temporis sub inde sublatos conuenisse Hierosolymam ad eius dormitionem, extitisse illic visionem Angelicam, & auditam præstantiorum prælatam hymnodiam. Post depositum verò corpus in Iethsemane, Angelorum choream & hymnodiam mansisse tres dies perpetuos; post quos cessante hymnodia, cùm Apostolorum vnus qui abfuerat, corpus adorare vellet; aperuerunt quidem loculum in omni parte intemeratum, sed ea tantùm in quibus compositum fuerat corpus miro odore fragrantia reperierunt. Tunc autem aderant cum Apostolis Sanctissimus Timotheus, & magnus Dionysius Areopagita, sicut ipse testatur; &c. Damasc. Serm. de dormit. Deip. Niceph. Hist. lib. 2. cap. 23. citat scripta Iuuenalis Episcopi; & Apostolum ab exequijs absentem ait fuisse D. Thomam.

A

CAP. XVIII.

ET osculatus eam Dominus recessit, & tradidit eam Angelis, vt deferrent eam in Paradisum. Et ait Apostolis: Accedite ad me. Et eùm accessissent, osculatus est eos, & ait; *Pax vobis*; quoniam ego semper vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Et statim cùm hæc dixisset Dominus, eleuatus in nube receptus est in cælum, & Angeli cum eo, deferentes beatissimam Dei genitricem Mariam in Paradisum Dei. Apostoli autem suscepti sunt à nubibus, & reuersi sunt vnusquisque in sortem prædicationis suæ, narrantes diuina magnalia, & laudantes Dominum Iesum Christum, qui viuit & regnat cum Patre, & Spiritu sancto, in vnitate perfecta, & in vna diuinitatis substantia, in sæcula sæculorum Amen.

PALLADII, EVAGRII DISCIPVLI LAVSIACA QVÆ DICITVR HISTORIA.

Ex Præfatione Gentiani Herueti.

DE monachorũ vita, moribus, & institutis, cùm multi multa sparsim scripserint, Lausus præpositus veilẽ Historiam: Cassianus collationes, Sophronius Hierosolymitanus Paratum & nouũ paradisum titulo ediderit: Hieronymus aliquorum vitas, Basilius in resceticto regulas, Damianus & Odo res gestas: duo tamen celeberrimi & magni nominis authores, Palladius, & Theodoretus, ea literarum monumentis mandauerunt, quæ (cùm ij de quibus scribunt, Sytiòtæ & Tabennesiòtæ videlicet, vel illorum temporibus, vel paulò ante eorum tempora vixerint) aut à viris fide dignis qui ea viderõt accepêre, aut ipsi suis oculis præsentes perspexêre. Quorum alter quidem, nempè Palladius, anteà Latinè versus, sub Heraclidis nomine in lucem exiit, sed non integer, cùm in eo plus quàm triginta vitæ desiderentur. Itaque non satis habui id quod ei deerat supplere nisi eum denuò à capite verterem. Hoc autem esse opus Pallady, nemo dubitauerit qui legerit Caput 44. lib. 11. ecclesiastica historiæ Nicephori: Palladius (*inquit*) Euagrij discipulus, vitas sanctorum optimè exposuit. *Non dubitauit etiam qui legerit, cap. libri 8. Hist. Trip. Cass. & 23. Socratis scholastici: qui loquẽs de Sanctis de quibus paulò antè scripserat, hæc dicit:* Si quis autem velit scire ea quæ ipsi egerint, & fecerint, & quæ ad eorum qui audierunt locuti sint vtilitatem, & quemadmodum eis obedirent bestiæ; à Palladio Monacho scriptus est liber vnus, qui Euagrij quidem erat discipulus, de iis autem omnia accuratè pertractauit; In quo etiam meminit mulierum quæ par vitæ institutum cum viris priùs dictis susceperunt. *Quòd autem his liber scriptus sit ad Lausum; probatur testimonio Ioannis Damasceni in libro qui inscribitur*, de iis qui in Fide dormierunt. *Quòd si quis dixerit, id quod Macario ab eo ascribitur, non inueniri in hoc nostro Opere: duorum alterum, necesse est, vel id fuisse in hoc opere tempore Damasceni, & fuisse posteà ab hæretico aliquo malitiosè sublatum; vel eum librum qui inscribitur*, de doctrina Patrum, *fuisse etiam Palladio conscriptum, quem constat fuisse è Græco conuersum; cùm, de capite mortui, miraculum quod Macario ascribit Damascenus, iisdem verbis in eo opere referatur, libro quarto, capite de exemplis & doctrinis vitæ spiritualis. Non est autem quòd à Palladio nostro Ciceroniana expectetur eloquentia. Nam cùm ipse nullo adhibito orationis ornamento, humilique ac planè plebeio stilo visus sum mihi fidelis interpretis non functurus officio, si aliter vertissem quàm scripsisset. Leges ergo non vt ex eius lectione sis eloquentior, sed vt melior, & in iis quæ ad pietatem & pulcherrimæ historiæ cognitionem pertinent, eruditior, imitatus videlicet vitam angelicam eorum virorum, qui in carne minùs carnalem vitam sed angelicam degêrunt. Iuxta exemplum quod & sibi proposuit Theodosius princeps optimus, qui quarto cuiusuis hebdomadis die ieiunabat, hymnos Deo cum sororibus alternis canebat, & ne ab asceterio Monachorum aula sua differret, spiritus verba semper in ore habuit, cum episcopis & sacerdotibus congressus, obscuros locos, τεῖχε, & nodes scripturarum, haud aliter quàm si sacris ipse initiatus esset, explicuit, noctu libris legendis αὐτόματον lucernam excogitauit, ἀμνηστίαν id est iniuriarum remissionem inuexit. Sacerdotes adeò dilexit, vt Episcopi Chebronensis defuncti sagulum sub imperiali chlamyde gestauerit: tanti fecit Monachos, vt à quodam excommunicatus cui quidpiam denegauerat, non priùs cibum sumpserit quàm ab eodem diu multùmque quæsito, vinculis solutus esset. Vix autem Palladius imperante Theodosio. Vale.*

Vt probè scias, lector, quisnam Palladius fuerit, accipe iudicia Patrum de ipso. S. Hieronymus, cuius in hac re iudicium probat S. Gelasius I. præfatione in libro aduersus Pelagianos ait. Palladius seruilis nequitiæ hæresim Pelagianã instaurare conatus est. S. Epiphanius Epist. ad Ioannem Ierosolomitan. sic inquit: Palladium verò Galatam, qui quondam nobis charus fuit, & nunc misericordia Dei indiget, caue quia Origenis hæresim prædicat & docet, ne forte aliquos de populo tibi credito ad peruersitatẽ sui inducat erroris. Hæc S. Epiphanius. At res Pallady gestas, vafritiẽ & odium in S. Hieronymum pluribus exponunt. Annal. Ecclesiastico tomo 5. Ex quibus omnibus disces, quo fides adhibenda sit hæretico homini Origenistæ & Pelagiano, in his præsertim quæ de quibusdam sui similibus monachis eodem fuligine tinctis in hoc opere prodit, ac maximè verendũ ne aliquos pro sanctis vendidet, qui fuerunt Origenistæ, vel Pelagiani sagaci coniectura suis locis in opere quosdam istius furfuris indicabimus. Vt magis autem faciem & intima Palladij introspicias, scito ipsum fuisse discipulum Euagrij Pontici Origenistæ hæretici toties ab Ecclesia damnati, de quo plura annotauimus tomo 5. initio libri Euagrij. Hoc de se testatur Palladius in hac Lausiaca, cum ait Respondi me esse peregrinum & de Galatiæ partibus venire, & vnum ex Euagrij fratribus esse confessus sum. Idem affirmarunt Socrates lib. 4. cap. 18 & Nicephorus lib 11 cap. 44. vt nihil mirum sit, si eodem luto errorum, quo magister, tinctus Palladius fuerit. Quocirca in hoc opus laudant Socrates & Nicephorus, vt nominatim infirmas multa illis inuisa visa & recktacita certum est illos, qualis Palladius fuerit, non penitus perspectum habuisse.

PRÆFATIO AVTHORIS.

Huius libri argumentũ.

In hoc libro scripta est quæ in virtute vtebantur exercitatio, & admirabilis vitæ agendæ ratio, beatorum & sanctorum Patrum, qui degebãt in solitudine, vt eos æmulentur ac imitentur, qui cœlestem volunt vitam agere, & quæ ad regnum cœlorum deducit, vitam ingredi: Queritur Cassian. sub finem col. 19. sanctarum fœminarum vitas ab historiographis iunioribus prætermissas: auúmq; mulierum memoria, & inclitarum matrum à Deo inspiratarum, quæ magno & forti animo virtutis exercitationis peregêre certamina, vt exemplar proponatur, & amor excitetur iis quæ continentiæ ac castitatis volunt coronam redimere, ex sententia & voluntate viri, qui est varia ac multiplici doctrina præditus, moribus pacificus, & corde pius, mentéque religiosus, & in iis quæ sunt opus egentibus communicandis liberalis, & propter morum bonitatem multis viris eximiis est in summis honoribus præpositus, & omnino custoditur virtute diuini spiritus. Qui quidem nobis iussit, vel si verùm potiùs dicere oporteat, ad eorum quæ sunt meliora cõtemplationem, hebes nostrum & obtusum excitauit ingenium, vt ad proponendam ad imitandum virtutum exercitationis decertationem sanctorum, & immortalium, & spiritalium patrum nostrorum, qui vt Deo placerent, in dura & aspera tractatione corporis vitam egerũt, præclarorum athletarum vitam à nobis descriptam ad eum mitteremus, vniuscuiusque ex magnis euidentes prædicando virtutes. Diuini autem huius & spiritalis desiderij amator est, Lausus, cui post diuinum auxilium, mandata est custodia diuinitus afflati & religiosi imperij. Ego igitur qui & lingua sum ineruditus, & spiritualem cognitionem summis quodammodo labiis attigi, & indignus sum qui recenseam spiritalem vitam sanctorum patrum, & si reformidem præcepti magnitudinem, quod meas vires superat, & iussum ægrè feram, qui & magnam externam sapientiam, & spiritalem requirit intelligentiam, reueritus tamen primum, & eius qui ad hoc exequendum nos excitauit, virtutem, & reputans eorum qui hæc legent vtilitatem,

A & extimescens periculum quod essem aditurus, etsi iure parere recusarem, cùm egregium primùm iussum diuinæ adscripsissem prouidentiæ, magnâque vsus essem diligentia, sanctorum patrum intercessione erectus, ad ea sum aggressus, veluti quodam compendio præclarorum athletarum, & magnorum virorum summa solùm certamina & signa describens. Nec solummodò clarorum virorum, qui optimam ac præstantissimam ex virtute vitam egêre; sed etiam beatarum mulierum, quæ in excellentissimæ vitæ genere se honestè exercuere. Et aliquorum quidem ex iis sacros vultus, vt ipse coram viderem sum dignatus, qui iam antè sunt consummati in certamine pietatis, aliquorum autem cœlestem vitæ institutionem didici à diuinis athletis. Multas autem vrbes & multos vicos, & omnem speluncam, & omnia tabernacula deserti monachorum pedestri itinere obiens, B diligentissimè consideraui eorum pietatem ac religionem. Atque cùm quæ partim quidem ipse vidi scripsissem, partem autem quæ a sanctis Patribus audiui, magnorum virorum certamina, & mulierum, quæ propter spem in Christum erant fortiores quàm earum ferebat natura, huius libri scriptis mandassem, misi ad tuas aures amicas diuinorum eloquiorum, optimorum virorum, & religiosorum decus, fidelissimique & religiosi imperij splendor, germane & Christi amice serue Dei Lause, pro ea quæ mihi inest exiguitate, vniuscuiusque ex Christi athletis tam masculis quàm fœminis insigne nomen exprimens, & ex multis & magnis vniuscuiusque certaminibus pauca breuiter exponens. Plurimo-C rum quoque genus etiam adiiciens, & vrbem, & locum mansionis. Meminimus autem virorum & mulierum, qui ex virtute quidem vitam perfectè instituerunt, propter arrogantiæ autem matrem inanem quæ vocatur gloriam, in infimum inferorum barathrum, & fundum præcipitati fuerant, & quæ longo tempore & plurimo labore sibi pepererant, amplectenda, & acerrimo studio comparanda exercitationis benefacta, vno temporis momento arrogantia & vana de se persuasione amiserant: gratia autem nostri Seruatoris, & sanctorum Patrum prouidentia, & viscerum miseratione, erepti sunt à spiritalibus diaboli laqueis, & sanctorum precibus recuperauerunt priorem vitam quam agebant ex virtute.

EXEMPLAR EPISTOLÆ SCRIPTÆ AD LAVSVM præpositum, ab Heraclide Episcopo Cappadociæ.

Beatum censeo tuum esse institutum. Par est enim vt incipiat epistola à beatitudine, quòd cùm omnes vanis rebus inhient, & lapides ædificent, ex quibus nullam capiunt vtilitatem, ipse velis docere rationes ædificij. Solus enim est vniuersorum Deus qui nequit doceri quandoquidem & ipse per se, est, & ante se non habet alium. Alia autem omnia doceri possunt, quoniam sunt & facta & creata. Atque primi quidem ordines magistram habent summam trinitatem. Secundi autem discunt à primis. Tertij autem a secundis. Et sic deinceps, & per ordinem, vsque ad extremos. Qui enim sunt præstantiores honore & virtute, docent eos qui sunt inferiores cognitione. Qui ergo existimant se egêre magistris, aut non parere iis qui docent in charitate, laborant morbo ignorationis, quæ est mater arrogantiæ. Inter quos primas partes tenent ad interitum, qui eodem vitio exciderunt à cœlesti habitatione in aere volantes dæmones, vt qui aufugerint ab iis qui erant in cœlo magistris. Non enim dictiones aut syllabæ sunt doctrinæ, quas nonnunquam habent etiam qui sunt pessimi: sed mores rectè compositi, & molestiæ, & terroris, metus, & iræ vacuitas, & in rebus omnibus fiducia ac dicendi libertas, & quæ rationes non secus gignit quàm ignis flammam mansuetudo. Nam si ita non esset non diceret magnus magister suis discipulis: Discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde: non verborum ornatu instituens & dirigens apostolos, sed morum bonitate neminem molestia afficiens, præter eos qui verbum habent odio, & oderunt magistros. Oportet enim animam, quæ Deo conuenienter exercetur, vel fideliter discere ea quæ non nouit, vel apertè docere ea quæ scit. Si enim alterutrum horum nolit, laborat insania: Defectionis enim principium est doctrinæ satietas, & verbi fastidium, quod semper esurit anima eius qui Deum diligit. Vale ergo, & sis sanus, & fortis, & tibi Deus concedat vt persequaris Christi cognitionem.

LAVSO PRÆPOSITO, PALLADIVS EPISCOPVS CAPADOCIÆ S.

*CVM multi multa & varia diversis temporibus scripta vitæ reliquerint, quorum alia quidem, ex Dei supernæ gratia inspiratit-
ne sunt ad ædificationem & securitatem eorum qui fideli proposito sequuntur dogmata servatoris: alia autem, ex corrupto, & quod
hominibus placere cupit proposito, luxuriant ad eorum consolationem qui inanis gloriæ morbo laborant: alia autem ex importuna qua-
dam insania, & dæmonis qui quæ sunt honesta habet odio, impulsione ad lætum hominum perniciem, & intemeratæ catholicæ Eccle-
siæ labem, ira & arrogantia irruperint in mentes stultorum, ut vitam honestam & puram obscurarent: visum & mihi quoque humi-
liter propter spem in Christum, & magnificentiæ tuæ iussum reuerenti, vir studiosissime primum omnium narrare ea quæ ad me perti-
nent, & ætatem, & mentis meæ ad virtutem, in Deum profectum, incipiendo à iuuenili ætate. Cùm tricesimum quidem & tertium
annum agerem in conuersatione cum fratribus & vita solitaria: vicesimum autem episcopatus, totius autem vitæ meæ quinquagesimum
tertium: necessarium existimaui, spiritalis vtilitatis gratia, tibi cupienti in scriptis narrare, quæ à sanctis patribus recte & ex virtute
gesta sunt, tam masculis quàm fœminis, quos & ipse vidi, & de quibus audiui ab animis fidelissimis, cum quibus versatus sum in
Ægypti solitudine, & in Libya, & Thebaide, & Syene, sub qua sunt etiam qui dicuntur Tabennesiotæ. deinde in Mesopotamia, Palæ-
stina, & Syria & in partibus occidentis, & Roma, & in Campania, & in iis quæ sunt circa eas partibus: ut tibi ab initio accuratissi-
mè in hoc libro exponam instar narrationis. Ut cum habeas honestum & animæ utile monumentum, perpetuum & non intermit-
tendum pietatis & religionis medicamentum, omnem quidem obliuionis dormitationem, quæ ex cupiditate rationis experte in anima in-
generatur, omnem autem in fide dubitationem, omnésque in rerum usu sordes & parcitatem, omnémque dubitationem pusillique &
abiecti animi vitium, & nimiam ad iram propensionem, perturbationémque, & ægritudinem rationis expertem, & intempestiuum ti-
morem per id expellas: & ne à corrupti mundi vana spe pendeas, effugias: perpetuo autem desiderio in spe ad Deum proficias, & in pro-
posito pietatis, sis & in via dux tuus, & eorum qui tecum sunt, & eorum qui tibi subiiciuntur, & maximè piorum imperatorum.
Per quæ quidem bene facta omnes qui Christum diligunt, Deo vniri properant, expectantes scilicet quotidiè resolutionem animæ à cor-
pore, prout scriptum est. Coarctor cupiens dissolui & esse cum Christo: est enim multo melius. Et illud. Para in exitum opera tua, &
præpara te in agrum. Qui enim semper mortis meminit, quæ necessariò omnino veniet, & non tardabit, in magnis nō offendet, sicut scri-
ptum est: In omnibus operibus tuis, memento nouissima, & in æternum non peccabis. Neque verò præter alia omnia hæc te fallat bre-
uis admonitio narrationum: neque respuas rudem & inornatam dictionem. Non est enim diuinæ doctrinæ, ornata, & ad ostendendam
sapientiam composita vti oratione, sed verbis persuadere veritati, vt scriptum est. Aperi os tuum verbo Dei, & iudica omnia sanè.
Et rursus: Ne declines à narratione senum: Ipsi enim didicerunt à patribus eorum. Ego itaque, vir cognitionis Dei studiosissime, aliqua
ex parte sequens hoc dictum, multos conueni sanctos. Neque verò ea cogitatio mihi aliud agenti in mentem venit, sed cum triginta
atque adeò bis totidem dierum viam confecissem, & Dei gratia pedestri itinere, omnem Romanorum regionem peragrassem, vitæ mole-
stiam nihili feci si conuenire possem virum pium ac Dei amicum, vt lucrifacerem quod non habebam. Si enim qui me est longè præ-
stantior, atque adeò fortè etiam, vniuerso mundo, multósque superauit & vitæ agendæ ratione, & cognitione, & spiritali intelligentia,
& fide in Christum beatus apostolus Paulus, Tarso in Iudæam profectus est, vt conueniret Petrum, & Ioannem, & Iacobum: & ideò
velut glorians id narrat, referens suos labores, ad eos incitandos qui in socordia & otio vitam transigunt, dicendo; Ascendi Hierusa-
lem vt viderem Cepham, non contentus sola fama illius virtutis, sed desiderans eius quoque intueri faciem: quanto magis ego qui sum
innumerabilium talentorum debitor, debui hoc facere, non illos sancto beneficio afficiens, sed mihi peccatori vtilitatem afferens. Nam
ij quoq; qui patrum vitas conscripserunt, Abrahæ, & Isaac, & Iacob, & Mosis, & Heliæ, & Ioannis, & eorum qui deinceps conse-
quuntur, non narrarunt vt eorum illustraretur gloria, sed vt prodessent iis qui eas legerent. Hæc ergo cum scias fidelissime & in primis
venerande Christi serue Lause, teipsum sæpè admonens, feras patienter nostras ineptias, vt piam tuam mentem custodias. cui natura est
insitum vt diuersis vitiis, quæ sub aspectum cadunt & quæ non cadunt, tanquàm vndis agitetur, potest autem sedare sola perpetua ora-
tione & propria tui ipsius cura. Multi enim etiam ex fratribus paulò religiosioribus, qui & de exercitationis & eleemosyna labori-
bus sibi placebant. & de cœlibatu perfectáque & absoluta virginitate se iactabant, & in diuinorum eloquiorum meditatione animum
vehementer intendebant, & rerum bonarum disciplina freti erant, aberrarunt ab impatibilitate temeraria suæ sententiæ, feruentes, vt*
Perditio eorum qui se statui perfectiori addixerūt. *qui alicuius scilicet pietatis prætextu negotij gerendi cupiditate laborarent: ex qua oriuntur & gerendi negotij nimiæ solicitudines, &
ad mala negotia animi applicationes. quas consequuntur cura alienorum negociorum, quæ honestorum negotiorum curam euellunt radi-
citùs, quæ est mater propria suipsius curæ. Esto ergo, rogo te, fortis in omni intelligentia, non pingues & nitidas efficiens diuitias. quod
quidem certè fecisti, eas satis minuens, impertiendo iis qui indigent: eaq; ad exercendam virtutem tibi fuere ministeria, cùm nec impetu
aliquo, nec ulla quauis ratione careret anticipatione, neque vllo prætextu quo placeres hominibus, iureiurandi obligasses tuam liberam eli-*
Votum. *gendi voluntatem, sicut multis euenit hominibus, qui cùm non comedendi vel bibendi contentiosa vanæ gloriæ seruos fecissent liberum
arbitrium, necessitate iurisiurandi, eò rursus miserabiliter succubuerunt, vel vitæ amore & ignauia, vel imbecillitate corporis, vel cupi-*
Ratio contra peccatū. *ditate alicuius voluptatis periurium patientes. Si ergo & ratione participes, & ratione abstineas, nunquam peccabis. Diuina est enim
in nobis ratio, quæ ab iis quæ sunt in nobis motionibus exterminat quidem ea quæ [illegible] noxia, asciscit autem ea quæ sunt vtilia. Iusto*
1.Tim.1. *enim, inquit, lex non est posita. Melius est ergo vinum bibere cum ratione, quàm aq[illegible] cum fastu & superbia. Atq; mihi quidem aspi-
ce, eos qui cum ratione pietatis ac religionis vinum bibunt, esse viros sanctos: eos autem [illegible] inconsideratè, & citra rationem, cum arro-*
Nihil fastu perniciosius. *gantia aquam biberunt, esse homines prophanos & corruptos. & nec amplius vituperes aut laudes materiam cibi aut potus: sed beatam
vel miseram iudices mentem eorum qui rectè vel malè vtuntur materia. Bibit aliquando Ioseph vinum apud Ægyptios: sed non fuit
mente læsus, erat enim animo munitus. Aquam autem biberunt Pythagoras, & Diogenes, & Plato, inter quos etiam Manichæi. &*
Quomodo à cibo & potu abstinendum. *reliquus cœtus Theologorum, Philosophorum, & eò vana eos perduxit opinionis intemperantia, vt ipsum Deum vniuersorum effectorem
ignorarent, & inanima simulachra adorarent. Vsum vini tetigerunt ij quoque, qui cum beato Petro Apostolo erant discipuli, adeò vt
ipsi domino, & eorum magistro omnium autem Seruatori, id probro daretur, ob participationem increpantibus Iudæis & dicentibus,*
Cassia.lib.5. Iust. *Quare discipuli tui non ieiunant, sicut Ioannis discipuli? Et rursus insultabant discipulis, & exprobrantes dicebant infideles: Magister*
Matt.11. *vester cum publicanis & peccatoribus comedit & bibit. De pane autem & aqua non reprehendissent, nisi de obsonio & vino scilicet, ij*
Matt.6. *qui vini quidem potionem vituperant, aquæ verò laudant & admirantur. Respondet autem Seruator pulchrè dicens: Venit Ioannes in*
Marc.2. *via iustitiæ, neque comedens, nec bibens (carnem scilicet & vinum, nam absque aliis non potuisset viuere) & dicunt, dæmonium habet.*
Luc.5. *Venit filius hominis comedens & bibens: & dicunt: Ecce homo vorax & vini potor. amicus publicanorum & peccatorum, propterea*
Matt.11. *quòd comedat & bibat. Quid nos ergo faciemus? Nec eos qui vituperant sequamur, nec eos qui laudant. Sed vel cum Ioanne ratione*
Ieiunandū cū ratione. *ieiunemus, etiamsi nobis dicant Iudæi, Dæmonium habetis. vel cum sapientia Iesu vinum bibamus, si corpus indigeat etiam si nobis di-*
Rom.16. *xerint, Ecce homines voraces & vini potores. Neque enim re vera esca est aliquid, nec potus, sed fides quæ per charitatem extenditur
operibus. Cùm enim omnem actionem fides fuerit consecuta, condemnari non potest qui comedit & bibit propter fidem. Quidquid enim*
Matt.7. *non est ex fide, peccatum est. Sed quando aliquis ex voluptariis, vel ex iis qui quodlibet aliud peccant, dixit, Fide participo, vel aliquid*

aliud ago, à ratione aliena cupiditate, vel corrupta conscientia imminens fidei, labitur. Seruator enim distinxit, dicens: A fructibus ipsorum cognoscetis eos. Quòd autem fructus eorum, qui diuina ratione vitam instituunt & spiritali intelligentia, sit ex diuina, Apostoli sententia, charitas, & gaudium, & pax, & longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas, est extra controuersiam. [Galat. 5.] *Ipse enim dixit beatus Paulus: Fructus autem spiritus est hoc & hoc. Quòd autem qui studet tales habere fructus, citra rationem, aut inconsideratè, aut intempestiuè non comedet carnes, nec bibet vinum, neque cum vlla mala cohabitabit conscientia, rursus dixit idem beatus Paulus: Omnis qui certat, ab omnibus abstinet.* [Ratio, tempus, discretio. 1. Cor. 9.] *cùm sana quidem est caro, abstinens ab iis quæ pingue faciunt. Quòd si sit ægra vel mœrore confecta, vel aliquo casu afflicta, tunc vtetur quidem vel cibo vel potione tanquam medicamento, ad ea curanda quæ molestiam afferunt.* [Ægrotis & cibus & potus licitus est, vt iis vtantur quasi medicamentis.] *abstinebit autem ab iis quæ sunt animo noxia, ira & inuidia, vana gloria, tristitia, & detractione, superbia & elatione, Deo agens gratias. Cùm de his itaque satis disseruerim, tuæ rursus pietati aliam affero adhortationem. Fuge pro viribus eorum virorum congressiones qui nullam habent vtilitatem, & pellem exornant aliter quàm conuenisat: etiam si sint orthodoxi, non solùm hæretici: & lædunt hypocrisi, etiam si cano capite & corrugata fronte præ se ferant longitudinem temporis. Nam vt propter mores generosos ab eis nihil lædaris: id certè quod videtur esse minimum, te sauciabit. Insolens enim redditus, animo afferreris, eos irridens. Quod quidem tibi detrimentum afferet, vt qui in superbiam incideris. Super lucidam autem fenestram persequere & virorum & mulierum sanctas congressiones; vt per eorum veluti subtiliter scriptum librum, possis tuum cor apertè videre, & per collationem probare socordiam tuam vel diligentiam. Multa enim sunt quæ probitati ferunt testimonium:* [Quæ probitati ferat testimoniū.] *color vultus, qui in ea vita quæ degitur efflorescit: & vestium ornatus, & mores compositi, & modestia orationis, & verba non exquisita & affectata, elegans sententia, cogitata sensáque sapientia.* [Eccl. 10.] *Dominus autem vires dabit sua mansuetudini, & omnibus qui sequuntur scopum pietatis, etiam si vel desidia, vel casus aliquis acciderit. Amictus enim, & gressus pedis, & risus dentium annunciabit de ipso, vt ait Prouerbium. Incipiens itaque tibi narrare vitam sanctorum patrum, neque eos, qui sunt in vrbibus, vel vicis, vel speluncis, vel solitudinibus tibi ignoti, prætermittam oratione: adjiciens eos etiam qui sunt in cœnobiis.* [Vita angelica monachorū: monasteria enim sunt castra Dei, in quibus contra spiritales nequitiæ regis Christi excubent milites & exercentur tyrones.] *Neque enim locus quæritur in quo se rectè, & ex virtute gesserunt, sed modus rectè eorum institutionis, per quam Christi auxilio vitam egerunt angelicam.*

VITA ISIDORI PRESBYTERI ET DOROTHEI.

SECT. I.

[I. & II. Isidorus Socr lib. 4. cap. 18. Sozo lib. 6. cap. 29. Nice lib. 11. cap. 34. & post sect. 102.]

CVM ergo primùm venissem in Alexandrinam ciuitatem, secundo consulatu magni Theodosij, magni imperatoris, qui propter suam rectam in Christum fidem nûc est cum angelis: in ipsa ciuitate incidi in quẽdam virum admirandum, & omni ex parte ornatum, sermone, moribus, & cogitatione, nempè Isidorum, qui erat & presbyter & Xenodochus Alexandrinæ ecclesiæ. Is dicebatur prima quidem iuuentute versans in solitudine, peregisse certamina exercitationis. Cuius etiam cellam vidi ego in monte Nitriæ. Offendi autem eum senem septuaginta annos natum: qui cum vixisset alios quindecim annos, in pace obiit. Hic sanctus vsque ad horam obitus nihil lineum gestauit extra vitam, non balneo est vsus, non tetigit carnes, nunquam à mensa recessit repletus ad satietatem: [A quibus abstinuerit Isidorus. In ieiunio lautícies.] Erat autem corpore à Dei gratia tam bene contemperato, vt omnes qui ignorabant eius victus rationem, persuasum haberent eum lautè viuere & opiparè. Huius virtutes animæ si velim sigillatim narrare, narrantem me tẽpus deficiet, qui erat adeò mitis, benignus & pacificus, vt etiam infideles eius inimici, propter rectam in Christum fidem, vel eius vmbram venererentur, ob insignem viri bonitatem. Tantam autem habuit spiritalem gratiam & cognitionem sanctarum scripturarum, & comprehensionem diuinorum dogmatum, & etiam in ipso conuiuio hora solita refectionis fratrum, sancti huius fieret mentis excessus, mutúsque euaderet ipse & obstupesceret; & cùm rogaretur vt quæ in excessu euenerant narraret, diceret: Mente sum peregrinatus ab aliqua raptus contemplatione. [Extasi & raptus mẽtis. Cibus beatitudinis.] Scio ego eum sæpè in mensa fuisse lachrymatum: & cùm rogaretur causam cur esset lachrymatus, audiui eum dicentem: Pudet me vesci cibo à ratione alieno, cùm sim ratione præditus: & sim futurus in paradiso deliciarum, & replendus ambrosiæ nutrimento, propter eam quæ nobis à Domino data est potestatem. Is erat Romæ notus cuncto senatui & procerum vxoribus, quo tempore cum beato Athanasio episcopo priùs recesserat, deinde cum sancto Demetrio episcopo. [Athanasius.] Is cùm abundaret opibus, & iis quæ sunt ad vsum necessaria, non scripsit testamentum decedens,

A non pecuniam reliquit, non rem vllam suis sororibus, quæ erant virgines: sed eas Christo cõmendauit, dicens: Deus qui nos creauit, vobis quoque victum prouidebit sicut & mihi. Erat autem conuentus virginum, quæ erãt cum sororibus eius, septuaginta. [Conuentus virginum.] Is, cùm ad eũ venissem adolescens, & rogarem vt ad vitã cooptarer monasticam, mea adhuc ætate lasciuiente, & non opus habente sermonibus, sed laboribus qui carnem subigerent, duráque & aspera viuendi ratione quæ corpus compesceret: [Monacho iuueni non tam sermonibus quàm laboribus opus est.] is, inquam, tanquam bonus domitor pullorum, duxit me extra ciuitatem ad eas quæ dicuntur cellæ eremiticæ circiter quinto ab vrbe lapide: & me tradidit cuidam Dorotheo exercitatori Thebano sexagesimum annum agẽti in spelunca, & iubet me implere apud ipsum tres annos ad domandas animi perturbationes. Sciebat enim
B senem agere vitam admodum duram & asperã. [Vita abbatis. Doroth. 15. Niceph. lib. 11 cap. 35. Dorothei exercitium in Cassiod. lib. 8. cap. 1.] & postquàm annorum numerum implessem, rursus ad eum reuerterer, mandauit ob reliquam doctrinam spiritalem. Cùm autem non potuissem apud eum implere numerũ trium annorum, eo quòd in morbum incidissem vehementem, ab eo recessi ante tempus præstitutum. Erat enim eius vitæ ratio longè asperrima, squallida, & planè arida. Toto enim die, atq; adeò in ipso æstu meridies, in solitudine quæ est propter mare, colligebat lapides, & ex eis semper ædificans, & cellas faciens, eas cedebat iis qui non poterant ædificare, singulis annis cellam faciens. Cùm autem ego aliquando huic sancto dixissem, Quid agis pater, in tanta senectute corpusculum tuum occidens caloribus intolerabilibus? [Affligendũ corpus, ne illud nos occidat.] Respondit mihi, dicens:
C Illud me occidit, ego quoque ipsum occidam. Comedebat autem singulis diebus sex vncias panis, & minutorum olerum decem. Aquæ autem bibebat quantum sufficiebat. Deum autem testor me nunquam eum cognouisse pedes extendisse, non dedita opera dormiisse, aut super lectum; [Victũ parat suis manibus. Dorotheus.] sed per totam noctem sedens contexebat cathenam ex ramis palmarum, vt ex eo sibi victum pararet. Cùm autem suspicarer eum, cùm adessem solummodò, tam extrema vsum esse exercitatione, sciscitatus sum vt scirem à cõpluribus eius discipulis, an perpetuò vteretur tã accurata exactáq; exercitatione, qui quidẽ manebãt ipsi quoq; deinceps seorsum, se rectè & ea virtute gerentes. Hi mihi dixerunt quòd à iuuẽtute vitam suam ita instituit, nunquàm dedita opera dormiens, nisi

quod inter operandum vel comedendum aliquandò conniuebat oculis deiectis. adeò vt sæpè frustum quoq; ex eius ore excideret esus tempore propter nimiam dormitationem. Cùm autem ego aliquando cogerem hunc sanctum paululum iacere super stoream ægrè ferens mihi dixit: Si quando persoaseris angelis vt dormiant, tum virtutis studioso quoque persuaseris. Quodam autem die, ad puteum suum me misit circa horam nonam, vt implerem cadum, quò eo in refectione vteretur cùm instaret hora cibi capiendi. Accidit autem vt cùm accessissem, infra in puteo viderem aspidem, & præ metu aquam minimè haurirem, sed currendo reuersus ei nunciarem, dicens: Perimus Aba, vidi enim aspidem inferius in puteo. Ille autem honestè subridens, quoniam mei magnam habebat rationem, & caput quatiens, dixit: Si visum fuerit diabolo in omnem puteum inicere serpentes, & aspides, vel testudines, aut alia venenata animalia, in omnes fontes aquarum: tu manebis nunquam bibens. Ipse autem è cella egressus, cùm per se hausisset, bibit ieiunus, cùm prius signaculo crucis muniisset, & dixisset: Quò venit Seruator, illic viribus caret diaboli improbitas.

Ne sopor obruat virtutis studiosum.

Miraculũ.

Aspis in puteo.

Crux contra venenum.

ACTA ET TEMPERANTIA POTAMIANÆ. SECT. II.

III.
Potamiana Euseb lib. 6.cap.4. Niceph lib. 5.cap.7. Constantia Potamianæ.

BEatus ergo Isidorus Xenodochus, qui beatum Antonium contuetetur, narrauit mihi se ab eo audiuisse rem dignam quæ mandetur litteris. Potamiana quædam puella formosissima, tempore Maximini persecutoris, fuit ancilla cuiusdam intemperantis & libidinosi. Quam cùm multum rogasset, & ei varia promisisset eius Dominus, eam non potuit decipere. Quo factum est vt is tandem furore percitus, eam traderet præsidi Alexandrino, qui erat eo tempore, tanquam Christiana, & quæ tempora & imperatores insectaretur maledictis propter persecutiones. pollicitus se ei magnam pecuniæ vim daturum ob eius calamitatem, dicens: Si ei persuaseris vt meo desiderio assentiatur, eam custodi nullo affectam supplicio. Quod si mansisset in ea quam ab initio ostenderet austeritate, rogauit vt ea supplicio affecta moreretur: ne, dicens, viua meam irrideat intemperantiam. Producta autem ante tribunal virgo fortis, diuersis ad pœnas sumendas comparatis instrumentis, corpore fuit excruciato, & aduersus multas ac varias rationes mente tanquam turris firma ac stabilis resistebat. Inter instrumenta autem suppliciorum, crudelius quoddam cæteris tormentum ab eo qui tunc erat iudex inuentum est. Iubet enim magnum lebetẽ pice repletum vehementissimo igne accendi. Cũ bulliret ergo pix & valdè arderet, conuersus ad illam beatam sæuus præses, dixit: Abi pare voluntati Domini tui: alioqui, vt intelligas, iubeo te deuolui in lebetem. Illa verò respondit, dicens: Absit vt sit iudex adeò iniquus, qui me iubeat parere libidini & intemperantiæ. Ille itaque furore percitus, iubet eam exui, & in lebetem inici. Illa verò vocem emittit, dicens: Per caput imperatoris quem tu times, si statuisti sic me supplicio afficere, ne iusseris me exui; sed iube me paulatim in picem feruentem demitti, vt videas quantam mihi largitus est patientiam Christus quem tu ignoras. Quæ sic paulatim demissa, spacio trium horarum, emisit spiritum, cùm pix peruenisset ad eius collum.

Potamiana in lebetem bullientis picis cum matre Marcella proiicitur. Nicep.lib. 5 cap.7.

VITA DIDYMI COECI. SECT. III.

Hic Didymus tametsi & sanctitate & doctrina vir magnus ab initio fuerit, vt plura de eo Patrum elogia testantur, & tandem in Origenis errores præcipitatus, & præcipuus Origenista habitus tanquam hæreticus condemnatus est vna cum Origene & Euagrio Pontico in quinta Synodo generali, vt auctores sunt S. Tharasius Episcopus Constantinopolitanus in confessione fidei, quæ habetur in septima Synodo, actione 3. Nicephorus lib. 17. hist. cap. 27. Cedrenus in Annal. Eundem cum eisdem damnauit quoque S. Martinus Papa, & Martyr in Concilio Lateranensi secretario 5. canone 18.

IIII.
Hieron. in catal. Niceph lib. 9 cap.17. Cassiod.lib. 8 cap.8. Didymus cæcus an. do.376. Psal.145. Græcè est σοφοτίζει, sed lege φωτίζει.

PLurimus ergo cœtus sanctorum virorum & mulierum tunc fuit consummatus in ecclesia Alexandrina, qui fuit inuenti digni terra mitium. Inter quos consummatur etiam beatus scriptor Didymus, qui fuit orbus. Cum quo fuit mihi quater congressio, cùm decem annorum interiecto interuallo ad eum proficiscerer. Is autem consummatur natus annos octoginta quinque. Fuit autem is orbus, vt qui cùm esset quatuor annos natus, oculos amiserit, vt ipse mihi narrauit, & neque literas didicit, neque ventitauit ad præceptores. Habebat enim secundum naturam magistram, firmam ac validam propriam conscientiam. Tanta autem spiritalis cognitionis fuit exornatus gratia, vt re vera impleretur in eo quod scriptum est: Dominus illuminat cæcos. Vetus enim & nouum testamentum interpretabatur ad verbum. Dogmata autem subtiliter & tam strenuè exponebat, vt omnes veteres superarit cognitione. Is cùm aliquando me cogeret in cella facere orationem, ego autem nollem, mihi dixit narrans: Ter in hanc cellam ingressus est beatus Antonius vt me viseret. qui a me rogatus faceret orationem, statim genu flexit in hac cella, neque commisit vt quod dixeram iterũ repeterem, re ipsa quidem docens in obedientia. Quare si tu quoque eius vitæ vestigia sequeris, vt qui sis monachus & hospes ob virtutem, omnem depone contentionem. Hic ipse hoc quoque mihi narrauit. Cùm quodam die, aiebat, de vita miseri Iuliani imperatoris, vtpote persecutoris essem sollicitus, & animo angerer: accidit vt propter hanc sollicitudinem ad vesperam vsque seram nihil comederem, & cùm in sedili sederem, me somnus oppirmeret, & viderem in extasi equos albos cum insessoribus percurrentes, & anunciantes: Dicite Didymo; Hodiè hora septima mortuus est Iulianus. Surge ergo & comede: & quod tu scis domum mitte ad episcopum Athanasium, vt ille quoque hoc sciat. Notaui autem, inquit, & horam & diem & hebdomadem & mensem: & sic inueni.

B. Antonius.

Mors Apostatæ Iuliani reuelatur Didymo. Niceph c. 35 lib 10. Sozom.lib. 6 cap 2. idem Alexandrinum decus, oraculum sui temporis theologorũ Didymus à pueritia cæcus cum elementa prima ei discẽdi essent tantum auditione profecit celeritate ingenij, vt poeticam, oratoriam, philosophica, & quod penè incredibile Mathematicarum artium obscura & theorematum speculationũque arcana exactè addidicerit. Et cum cæcus esset litterarum notitiam manuum contractatione assecutus esse dicitur. Nam earum formas in tabella altius exculptas, sæpius tangendo agnouit. Niceph.lib 9 cap.17.

ALEXANDRÆ VITA. SECT. IIII.

V.
Alexandra monumento per 12. annos se inclusit.

NArrauit autem mihi quoque hic beatus de quadam ancilla nomine Alexandra, quæ relicta ciuitate in monimento se inclusit, per foramen accipiens quæ ei erãt necessaria, neque in virorum neque in mulierum conspectum veniens spatio duodecim annorum. Duodecimo autem anno aiunt beatam cùm dormiisset, seipsam composuisse, adeo vt quæ solita erat ad eam venire, cùm illi non respondisset, nobis renunciauerit. Cùm nos ergo accessissemus, & monimẽti ostium aperuissemus, ingressi sumus, & inuenimus eam obdormisse. De ea autem dicebat etiam beatissima Melania Romana, cuius vitam narrabo tempore & loco conuenienti. Huius, inquit, beatæ faciem non potui intueri. stans autem ego circa foramen, eam rogaui vt mihi diceret causam propter quam secessit quidem à ciuitate, seipsam autem inclusit monimento. Illa autem, inquit, per foramen me est allocuta dicens: Quidam, inquit, insano mei amore tenebatur; & ne eum viderem, molestia afficerem, vel in inuidiam vocarem, malui me viuam in hoc monimentum inferre, quàm offendere animam quæ facta est ad Dei imaginem. Cùm autem ego ei dixissem, Quomodo ferre potes serua Christi Dei, cum nullo omnino colloqui, sed sola pugnare cum desidia & cogitationibus? mihi respondit, dicens: A mane vsque ad horam nonam

S. Melania.

Cur se incluserit Alexandra. Quibus vacaret Alexandra. Piæ meditationes.

oro, per horam nens linum. Reliquis autem horis mente reuoluo vitam sanctorum patrum, & patriarcharum, & certamina beatorum apostolorum, & prophetarum, & martyrum. Postquam autem aduentarit vespera, cùm Dominum meum glorificauero, cibum capio, plurimas horas noctis perseuerans in oratione, & finem expectãs quando hinc dissoluar cum spe bona, & apparebo ante faciem Christi Dei. Non prætermittam autem narratione eos quoque qui ita vixerunt, vt speciem quidem præ se ferrent pietatis ac religionis, sed eam contemnerent, ad laudem quidem eorum qui rectè & ex virtute se gerunt, & vt cauti sint & attenti ij qui legunt.

DE QVADAM VIRGINE QVÆ laborat amore diuitiarum.

V.

Sect. V.

Erat quædam Alexandriæ virgo solùm nomine, habitu quidem humilis, animi autem instituto parca, gloriosa, & insolens & laborans auaritia, auri potiùs quàm Dei amans: ex rebus suis nulli vnquam exhibens, non hospiti, non pauperi aut afflicto, non monacho, nõ virgini, non ecclesiæ vel obolum vnum. Ea multis sanctorum patrum admonitionibus incitata, non repellebat graue pondus diuitiarum. Erat autem ei quoque genus, ex quo sororis suæ filiam in filiam adoptauerat. cui noctu & diu sua pollicebatur, cùm ipsa excidisset ab opibus cœlestibus. Nam hæc quoque est vna species fraudis diaboli, qui prætextu amoris in cognatos, efficit vt nascatur auaritia. Nam quòd ei nulla sit cura generis, hinc patet. Ipse enim docuit, & fratrem, & matrem, & patrem occidere. Idque est ex scripturis extra controuersiam. Sed etsi videatur nonnullis curam cognatorum inferere, non hoc facit quòd illis benè velit, sed vt eorum qui ei parent animam apertè exerceat ad iniustitiam, cùm ipse sciat latam sententiam, quæ dicit: Iniusti regnum Dei non possidebunt. Potest autem aliquis & spiritalis motus intelligentia, & diuino desiderio, neque suam negligere animam, & cognatis opem ferre, si quid eis defuerit. Quando autem quis ita totam suam instituit animam, vt ea despiciatur & obruatur præ cura cognatorum, is incidit in legem, vt qui suam pro vano æstimet animam. Canit autem Dauid quoque psalmographus de iis qui animæ curam gerunt, dicens in timore Dei, Quis ascendet in mõtem Domini? Pro eo quod est, Rarò. Aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde, qui nõ accepit in vano animam suam. Illi enim animam suam in vano accipiunt, qui existimant eam dissolui vnà cum hac carunculà: qui virtutes spiritales negligunt. Huic virgini, quæ solo nomine sibi parauerat appellationem, moribus autem erat aliena ab exercitatione, cùm venam, vt dicitur, vellet incidere ad leuãdam auaritiam, sanctissimus Macarius presbyter & præfectus Ptochotrophij eorum qui sunt corpore mutilati, talem actum excogitat. Erat enim à iuuentute lapidarius. Ad eam autem accedens dicit: In me inciderunt pulchræ gemmæ, smaragdi, & hyacinthi. nec scio an sint furtiuæ, an alicuius mercatoris. Non constituitur enim eis pretium, cùm æstimationem superant. Qui habet autem, vendit eas quingentis nummis. Si ergo tibi visum fuerit eas accipere, da quingentos nummos. potes ex vna gemma accipere quingentos, reliquis autem vti ad variandum mundum filiæ tuæ sororis. Cùm autem quæ dicebatur virgo, tota penderet à puella: inescatur eius ornandæ cupiditate: & procidit ad eius pedes, & dixit: Rogo te ne quis alius eas accipiat. Eam ergo adhortatur sanctus dicens: Veni vsque ad domum meam, & eas aspice. Illa autem noluit, sed ei præbet quingentos denarios, dicẽs: Rogo te, ipse eas, vt vis, cape. Nolo enim videre hominem qui eas vendit. Cùm autem quingentos denarios ab ea accepisset S. Macarius dat eas ad vsum Ptochotrophij. Cùm autem multum tempus præteriisset, quoniam existimabatur Alexandriæ senex vir esse summè pius ac misericors, vixit autem ad centum vsque annos, cuius tempore nos quoque fuimus, verebatur eũ admonere. Tandem cùm eum inuenisset in ecclesia, dicit ei: Rogo te quid iubes de lapidibus pro quibus dedimus nummos quingentos? Ille ei respondit, dicens: A quo die mihi dedisti aurum, eos impendi in pretium gemmarũ, & si velis eas videre, veni in hospitium. Illic enim sitæ sunt gemmæ, & vide. Quòd si tibi non placeant, tolle aurum tuum. Venit autem illa lubentissimè. Habebat autem Ptochotropium, in superiori quidem parte mulieres, in inferiori autem viros. Cùm ea autem accessisset, introducit eam in vestibulum, & dicit ei sanctus Macarius, Quid vis primum videre, hyacinthos, an smaragdos? Ea verò illi dicit, Quod tibi videtur. Ille verò eam ducit in partem superiorem, & ostendit ei mulieres mancas, ac mutilatas, & orbatas oculis, & dicit ei, Ecce hyacinthi. Deinde deducit eam in partem inferiorem, & ostendit ei viros, dicens: Ecce smaragdi, & existimo non inueniri his pretiosiores. Quòd si tibi non placeant, accipe aurum tuum. His ergo sic gestis, pudore affecta virgo exiit, & domum reuersa magnum accepit dolorem, quod hanc rem ex Deo non fecisset, sed adducta necessitate. Postea autem gratias egit presbytero, cùm puella cuius curam gerebat, post nuptias mortua esset sine liberis, ipsáque deinceps vitam suam rectè instituit.

Virgo insolens & auara.

Deut. 12.

1 Cor. 6.

Quomodo possit quis cognatis succurrere citra animæ naufragiũ. Cassia. col. 24. c. 11.

Psal. 23.

Qui in vano animam suam accipiunt.

S. Macarius quo astu virginem reduxerit.

Ptochotroph.

Domus hospitalis mutilatorum.

Pauperes & ægroti gẽmæ sunt maximi pretij.

VITA ABBATIS ARSACII, ET eorum qui cum eo erant.

VII.

Sect. VI.

Cvm ego cum multis sanctis essem congressus, & versatus tres annos in monasteriis quæ sunt Alexandriæ, & mansissem cum magnis, studiosissimísque & optimis viris circiter bis mille, omni virtute ornatis: illinc recedens veni in montem Nerriæ. Inter hunc montem autem & Alexandriam positus est lacus, qui dicitur Maria. Is autem continet ad millia septuaginta. Quem cum transmisissem, per diem vnum & dimidium, veni in montem ad partem meridionalem. In quo monte sita est ingens solitudo, quæ pertinet vsque ad Æthiopiam & Mazicos & Mauritaniam. In eo autem habitant ad quinque millia virorum, qui vtuntur vario vitæ genere, vnusquisq; vt potest & vult, adeò vt liceat & solum manere, & cum duobus, & tribus, & cum quo velit numero. In hoc monte sunt septem pistrinæ, quæ & illis seruiunt, & Anachoretis qui sunt in vasta solitudine, viris perfectis, numero sexcentis. Cũ ergo toto anno in monte habitassem, apud beatos & sanctos patres, magnum Arsacium, & Putuphastum, & Hagionem & Chronium, & Serapionem; & multis antiquorum patrum spiritualibus narrationibus, ab ipsis essem stimulatus: veni in intimam solitudinem. In hoc monte Nerriæ vna est maxima ecclesia, & in ipsa ecclesia, sunt tres palmæ, ex quibus vnaquæque habet † flagellum suspensum. Et est vnum quidem ad castigandos monachos qui delinquunt: alterum verò ad puniendos latrones, si quando inciderint: tertium verò ad corrigendos eos qui fortè veniunt, & in aliqua delicta incidunt. Adeò vt quicunq; delinquũt, & conuincuntur meruisse vt dent pœnas palmam amplectantur, & tergo plagas præfinitas accipiant, & sic dimittantur. * Prope ecclesiam autem positum est Xenodochium, in quo venientem hospitem toto tempore accipiũt, etiam si biennium aut trienniũ voluerit manere donec velit sua sponte recedere: permittẽtes ei vna hebdomada manere in ocio. Aliis autem diebus ipsum deinceps attrahunt ad opera aut in horto, aut in pistrino, aut in coquina? * Quod si fuerit quispiam cuius sit habenda ratio, dant ei librum legendum, non permittentes ei vt cum vllo colloquatur vsq; ad horam sextã. In hoc monte degunt etiam medici & placentarij. Vtuntur etiam vino, & vinum illic venditur. Hi autem omnes suis manibus

Arsacius. Niceph. lib. 11. cap. 37. Sozom. lib. 6. cap. 29.

De monte Nerria. Nice. lib. 11. cap. 38.

Maria lac⁹.

Quinque, mille Anachoretarum in monte. Sic hodie sunt in monte Atho 12. Monasteria ordinis D. Basilij quæ tributi nomine Turcæ pendunt 6000. obolorum. Ecclesia.

† Flagelli monachorum Iosephi tamen reprehendit eos qui maxillam colaphis offerrent propter illud Matt. 5. Si quis dexteram & cassiam col. 16. c. 20. ob idque flagellantium habitu sunt hæretici, de quibus Alph. Prateol. & vo. later.

* Xenodochium.

a Doctior sex.

manibus faciunt vestem lineam, adeò vt sint omnes minimè egêtes. 4. Circa horam autem nonam licet stare & audire in vnoquoque monasterio hymnos & psalmos Christo canentes, & preces ad hymnos emittentes, adeò vt existimet quispiam se sublimè elatum transmigrasse in paradisum deliciarum. veniunt autem ad ecclesiam sabbato solùm & dominico. Sont autem octo presbyteri qui præsunt huic ecclesiæ, in qua quandiu viuit primus presbyter huius ecclesiæ, nullus alius offert, nec iudicat, nec habet sermonem: sed tacitè solum cum eo sedent. 6 Hic magnus Arsisius, & alij multi cum eo senes, quos nos vidimus, fuerunt æquales tempore magno Antonio. Atque mihi quidem narrauit hic magnus Arsisius, se Amon quoque vidisse Netriotem, cuius animam vidit assumi Antonius, & deduci ab angelis. Is dicebat se etiam Pachomium vidisse Tabennesiotem, virum prophetam, ter mille virorum Archimandritam: cuius narrabo postea virtutes.

4. Hymni.

5. Octo presbyteri.

6 Arsisius.

DE SANCTO AMON ET EIVS coniuge. Sect. VII.

VIII. Amon. an. do. 374. de quo & Nicep. li. cap. 41. li. 8. Cassiod. lib. 2. c. 11.

Dicebatur autem Amon hoc modo vixisse. Cùm esset, inquit, parentibus orbatus adolescens circiter viginti duo annos natus, vt à suo patruo mulieri iunctus est matrimonio: & cù nò posset resistere necessitati quã ei afferebat patruus, visum est ei & corona redimiri & sedere in thalamo, & omnis sustinere quæ fiunt in matrimonio. Postquã autem omnes essent egressi, qui in thalamo & lecto dormituros collocauerat, surgit beatus Amon, & claudit fores: & sedens vocat beatam & germanam suam coniugem, & ei dicit: adesdum domina soror: Deinde rem tibi narrabo. Hoc quo coniuncti sumus matrimonium, nihil habet eximiũ. Rectè ergo faciemus si ab hinc vnusquisque nostrum seorsum dormierit, vt Deo placeamus, intactam nostram reddentes virginitatem. Et cùm è sinu suo paruum libellum protulisset, tanquam ex persona Apostoli & Seruatoris, legebat puellæ quæ erat ignara literarum, plurimam lectionis partem, adiiciens ex sua diuinitus inspirata doctrina, & in vita, in virginitate & castitate degenda eam instituens. Quo factum est vt illa Christi gratia repleta, diceret: Ego quoque Domine mi persuasum habeo fore vt castam vitam libenter agam, & si quid iubes hoc deinceps faciã. Ille verò, Ego inquit iubeo, & rogo vt vnusquisque nostrum seorsum maneat. Ea verò hoc non tulit dicés, Maneamus in eadem domo, sed in diuersis lectis. Viuens ergo cum ea decem & octo annos in iisdem ædibus, toto die vacabat horto & balsamero. Operabatur enim balsamum, quæ balsamus instar viris plantatur, vt in qua colenda & amputanda multum laboris ponatur. Vespere ergo domum ingrediens, & faciens orationes, cum ea comedebat. Et rursus nocturnas preces fundens & synaxim peragens, summo mane ibat in hortum. Cũ hæc sic fierent, & peruenisset vterque ad impassibilitatẽ, vim & efficaciam habuere preces Amonis. Postremò autem ei dicit illa beata: Est aliquid quod tibi dicam Domine mi, vt si me audieris, mihi planè constabit, quòd verè ex Deo me diligas. Is verò ei dicit, Dic quod velis. Ea verò dicit illi: Æquum est vt tu qui es vir pius & religiosus, & exerces iustitiam, & similiter ego qui eandem viam instituti sum secuta, seorsum maneamus, & multi ex eo capiant vtilitatem. Non par est enim vt propter me tanta & talis occultetur tua virtus philosophiæ, qui mecum propter Christum cohabitas in castitate. Is verò cùm ei gratias egisset, & gloriam Deo dedisset, ei dicit: Rectè tibi visum est domine soror, & si hoc tibi placet, tu habeto hanc domum: ego verò abibo, & aliam mihi domum faciam. Qui cùm ab ea esset egressus, ingressus est in interiora mõtis Netriæ. Nondum enim tunc illic erant frequentia monasteria, & sibi fecit duos cellarum tholos. Et cùm vixisset alios viginti duos annos, & rectè summam exercitationis virtutem exercuisset, in vi-

Amon cohortatur coniugem ad virginitatem.

Amonis exercitium.

Vis preces.

Amon vxoris consilio seorsum habitat.

Amon ad montem Netriæ cõcedit 3000. discipulorum habés. Niceph. li. 13. cap. 34.

A ta obiit monastica, vel potiùs translatus est sanctus Amon, natus sexaginta duos annos, bis in anno vidés beatam vitæ suæ consortem. Cùm is ergo solus esset in Netriis, ferũt ad eũ puerum rabie exagitatum, vinctum cathenis. Canis enim rabiosus mordẽdo illi rabiẽ dederat. Seipsum ergo totum laniabat, vt qui intolerabilẽ morbum ferre non posset. Postquam ergo vidit eius parẽtes ad supplicandum procedentes: Quid mihi, inquit, labores exhibetis ô homines, ea petentes quę mea merita superant, cùm in vestris manibus præsto sit auxilium? Reddite enim viduæ bouem quem clanculum occidistis: & sanus reddetur vobis puer. Illi verò cùm conuicti essent, læti fecerunt quæ iussa fuerant: & eo orante puer sanus euasit. Accesserũt autem alij eius visendi gratia. Ad quos dixit vir sanctus, tentandi eorum anima gratia: Afferte ad me dolium vnum, vt habeam satis aquæ ad eos qui
B veniunt excipiendos. Ii autem promiserunt seipsos allaturos. Cùm autem alterum pœnituisset, vbi in vicum venisset, dicit alteri: Nolo occidere camelum, neque ei dolium imponere, ne moriatur. His auditis, alios, suis iunctis asinis, magno labore dolium sursum portauit. Præueniens autem Amon ei dixit, Quid quod socij tui camelus est mortuus, interim dum huc venisti? Is autem reuersus inuenit eum à lupis deuoratum. Multa quoque alia hic vir fecit. Hoc autem miraculũ narrauit B. Athanasius Alexandriæ episcopus, scribens in vita Antonij, quòd cùm aliquando monachi ad ipsum missi essent ab Antonio, erat enim in interiori solitudine, Antonius, cũ ad ipsum venissent, surrexit senex, & ambulabat cum eis: & cùm esset trãsiturus Lycũ fluuium, cum eius disci-
C pulo Theodoro, verebatur exui, ne seipsum videret aliquando nudum: & interea dũ de ea re differeret, inuẽtus est trãs fluuium, vt qui absq; cymba in ecstasi traiecisset, translatus ab angelo: Fratres autẽ natatu transmiserunt. Postquam autem accessit ad Antonium, primus ei dixit Antonius: Cùm Deus mihi multa de te reuelasset, & tuã translationem mihi significasset, te ad me accersiui necessariò, vt cùm nobis inuicem frui licuisset, pro nobis inuicem intercederemus. Cùm autem eum collocasset in quodam loco longè separato, hortatus est ne recederet ante translationem. Cùm autem ipse seorsum fuisset consummatus, vidit Antonius eius animam in cœlum assumptam ab angelis. Hic est ergo Amon qui sic vixit & sic obiit. Hunc Lycum fluuium ego cum meo pontone aliquando transmisi, est enim fossa magni Nili.
D

Puer à rabiosi canis morsu curatur.

Restitutio aliuni.

Qui parcit bouis ne opera misericordiæ impleat bonorum incurrit naufragium.

Athanasius scripsit vitã S. Antonij.

Ecstasis.

Vidit Antonius animã Amonis. Niceph li. 8. cap. 41.

VITA ABBATIS OR. Sect. VIII.

Hic est ille Or hæreticus Origenista, quem Euagrius Ponticus inter sanctos alios suo de vitis Patrum lib. ro immeritò inseruit, vt auctor est S. Hieronymus epistola ad Ctesiphontem, en quales sanctos nobis obtrudat Palladius, vide scolium nostrum tomo 5 ad initium operis Euagrij, vbi quoque obseruauimus, ex decreto S. Gelasij Primo idem esse iudicium Romanæ Ecclesiæ de huiusmodi hominibus, & S. Hieronymi.

IX. In hoc monte Netriæ fuit vir admirabilis Abbas Or nomine, habés monasteria mille fratrum, habitu Angelico pręditus: vt qui cùm esset nonaginta annos natus, nihil amisisset de corpore; erat enim vultu nitido & alacri: adeò vt cùm vel solùm videretur vir esset reuerẽdus.
E Is cùm longè antè se in vlteriore exercuisset solitudine, postea in propiori solitudine congregauit monasteria, palude propriis plantata manibus, cũ ligna non essent in eo loco, adeò vt esset densa sylua in solitudine. Dixerunt enim nobis qui cum eo erant patres, quod ne germen quidẽ illic erat, quãdo vir ille venit ex solitudine. Ipsam autem plãtauit, ne propter res necessarias, qui ad ipsum conueniebant fratres, cogerentur circuire. sed eorum omnem gerebat curam Deum orans, & pro eorum salute decertans, vt nihil eis deesset necessarium: nec esset eis vllus socordiæ prætextus. Is primùm quidem degens in solitudine, vescebatur herbis & dulcibus radicibus: aquam quoque bibebat quando inueniebat; in precibus & hymnis toto tempore perseuerans. Postquam

OR quis. Nic. lib 11. cap. 34.

Monasteria mille fratrum.

Victus OR abbatis.

Angelica apparitio. Alludit ad ea quæ Abrahæ sunt dicta. O R tiendiduerat.

autem peruenit ad perfectã ætatẽ senectutis, angelus ei apparuit in somnis, dicens in solitudine. Eris in gentem magnã, & magnus tuæ fidei credetur populos. Qui per te autẽ salui fient, erunt decies mille: quos si hic lucrifeceris, totidem tibi parebũt in futuro sæculo. Neq; quidquam dubitaueris, ait ei angelus. Nihil enim tibi deficiet eorum quæ sunt ad vsum necessaria vsque ad mortem tuam, quoties Deũ inuocaueris. Hæc cùm audisset, venit ad propinquam solitudinem, seorsum primùm degens, sibi quodam paruo cõstructo tuguriolo, solum compositis contentus oleribus. sæpè etiam semel solùm vescens in hebdomada. Atque erat quidem primum illiteratus. Postquam autem venit ex solitudine in terram habitatam, ei gratia fuit data diuinitus, & scripturas capromebat memoriter. Ei enim libro dato à fratribus, ita deincept legebat tanquam peritus literarum.

Tria millia monachorum.

Aliam quoque acceperat gratiam, nempe dæmonum expellendorum, adeò vt multi ex iis qui laborabant, etiam eo nolente, clamantes eius vitam ostenderent. Alias quoq; curationes non cessabat peragere. Quo factum est vt ad eum cõuenirent tria millia monachorum. Cùm eos autem vir ille vidisset, lætitia affectus eos salutauit & cõplexus est. Cùm pedes eorum propriis lauasset manibus, cõuersus est ad doctrinam. erat enim valdè peritus literarũ, vt qui hanc gratiam accepisset diuinitus. Cùm autem scripturarũ multa soluisset capita, & fidem tradidisset orthodoxã, adhortatus est ad preces. Viris enim magnis mos est, nihil carnis admittere, priusquam spiritale alimentum animæ tradiderint. Hæc autem est Christi communio.

Eucharistia cibum præcedat.

Cũ eius ergo fuissent participes, & egissent gratias, hortatus est ad mensam, ipse semper inter sedendum eos admonens eorum quæ sunt bona & honesta, & dicẽs eis ea quæ pertinẽt ad salutem. Fuit ergo hic vir clarus in multos patres, adeò vt cùm multi ad eum venirẽt monachi, omnes præsentes fratres conuocans, in vno die eis cellas faceret. vno quidem subministrante lutum, altero verò laterem, alio autem hauriente aquam.

O R fratri cellas ædificat.

Perfectis autẽ cellis, ipse præbebat venientibus quæ erãt necessaria. Is falsum fratrem qui ad eum aliquãdo venerat, & vestes suas occultauerat, cùm coram omnibus arguisset, in medium produxit. Quo factum est vt nemo auderet deinceps apud eum mẽtiri cùm tantam haberet gratiam, quam per honestam suam vitam sibi collegerat. licebat autẽ videre multitudinem eorum qui cum ipso erãt monachorũ in ecclesia, tanquam angelorum choros Deum laudantiũ. Magnam huic sancto, suo testimonio tribuit virtutẽ vniuersa fraternitas: præcipuè autẽ homo Dei Melaniã, quæ hunc montẽ ante me est ingressa. Ego enim eũ non offendi viuum. Hæc autem præclara de hoc viro narrabat, quòd nec vnquam sit mẽtitus; neque iurauerit, neq; vlli malè sit precatus; neque locutus sit nisi opus esset.

Melania.

VITA ABBATIS PAMBO.
Sect. IX.

X. Pambo anno 374. de quo plura Socrat. lib. 4. cap. 23. Niceph. ca. 24. lib. 9. Aurum despicere. Melaniæ donum. Pambo vasa argentea dono accepta dispensat egenis.

HVius montis accola fuit etiam Abbas Pambo, qui fuit magister Dioscuri episcopi, Ammonis & Ioãnis filij fratris Dracontij viri admirabilis. Hic Pambo multa quidẽ habebat & varia priuilegia. Inter cætera autem siue rectè & ea virtute ab eo gerebantur, hoc habebat quo erat reliquis superior quòd scilicet aurum & argentũ despiciebat quantũ postulat ratio dominica. Vnde mihi narrauit beata Melania, quòd cùm ab initio Roma venisset Alexandriam, & de eius virtute audisset à B. Isidoro presbytero & Xenodocho, qui de eo mihi narrauit, & ad ipsum deduxit in solitudinẽ. Ad eum aiebat, attuli vasa argentea trecentarũ librarũ argenti, rogans eũ vt rerum mearum esset particeps. Ille autem, inquit, operans, & ramos texens mihi benè dixit, voce magna dicẽs: Deus det tibi mercedem. & dixit suo œconomio Theodoro: Accipe & ea dispensa vniuersæ fraternitati quæ est in Lybia & in insulis. hæc enim monasteria magis indigent, et præcipiens vt ex eo nihil daret iis qui erãt in Ægypto, propterea quòd sit regio ditior & abundantior. Ego autem, inquit, stans ea pectabam, vt vel benedictionibus ab eo honorarer, vel verbo saltem laudarer ob tãtum donum. Cũ verò nihil omnino ab eo audissem, ei dixi: Domine, vt scias quantũ sit: Sunt trecentæ libræ argenti. Is autẽ rursus cũ ad hoc ne omninò quidẽ annuisset, & nec ad vasis quidem thecã attendisset, respõdit: Ea à te attulisti ô fili. Non opus est vt à te discã quãtitatem ponderis. Qui enim montes appendit & syluas statera, multò magis scit quantitatem tui argenti. Si enim hæc mihi dares, rectè mihi pondus dixisses. Sed si Deo ea obtulisti, qui ne duos quidem obolos despexit, sed eos plus quàm omnia æstimauit, tace. Sic ergo, inquit, dispensauit gratia Domini, dum ingressa sum in hunc montem. Breui autem pòst tempore dormiit homo Dei, nec ægrotãs, nec in vlla parte corporis dolorem sentiens, sed sportam contexens me accersiit, & cùm adesset iam extremus stimulus, dicit mihi. Cape hanc sportam à meis manibus, vt mei memineris. Nihil enim habeo aliud quod tibi relinquam. Et cũ hoc dixisset, excedit sine febre cùm esset annorum septuaginta, Domino commendans spiritum.

Ne quis eleemosynæ precium faciat.

Quem cũ ego sepelissem, & linteis sancti corpus inuoluissem & deposuissem, recessi à solitudine, vsq; ad diem mortis, mecum habens illam sportam. Hic Pambo cùm esset moriturus, in ipsa hora excessus, eum circunstantibus beato presbytero & Ammonio, viris inclytis, & reliquis fratribus, dicitur hoc dixisse: Ex quo veni in hunc locum solitudinis, & meam ædificaui cellam, & hic habitaui, nullus fuit dies quo non aliquid operis fecerim meis manibus: nec memini me ab aliquo panem gratis datum comedisse: nec me in hanc horam pœnitet alicuius sermonis quem dixerim: & sic ad Deum recedo, vt qui nec pius quidem ac religiosus esse cœperim.

Verba Pambonis morientis.

Hoc quoque de eo ferebant testimonium Christi serui, Origenes & Ammonius, quòd nunquam de re aliqua interrogatus, quæ vel ad scripturam, vel ad actionem negociùmve aliquod pertineret, statim responderit; sed diceret: Nondum inueni quod respondeam. sæpè autem hoc quoque adiecit. Præteribant enim tres menses, & non dabat responsum, dicens: Nondum comprehendi. Tam considerate quidem ex Deo dabat responsa, vt à Deo cum omni metu omnes acciperent. Dicebatur enim hãc virtutem etiam suprà magnum Antonium, & super omnes sanctos exercuisse, nempè vt esset in loquendo accuratus & perfectus.

Origenes. Ammonius.

VITA ABBATIS PIOR.
Sect. X.

FErtur autem præter alia hæc quoque actio sancti Pambon, quòd Pior qui se in vita exercebat monastica, ad eius cellam aliquando accedens, proprium panem detulit. Cùm eum autem Pamboo reprehendisset, dicens: Cur hoc fecisti? Respondit Pior, Ne te grauarem. Itaque tacitus eum dimisit. Post aliquantum autem temporis accedens magnus Pambon ad cellam Pior, panem suum secum madefactum attulit. Ab eo autem rogatus quãnam de causa panem attulisset madefactum, respondit Pambon. Ideò madefeci ne ego quoque te grauarem. XI.

Pior posteà Sect. 75.

VITA ABBATIS AMMONII ET
fratrum simul cum sororibus.

Sect. XI.

Hic Ammonius fratresque eius fuere palam hæretici Origenistæ, qui ex Aegypto Constantinopolim fugientes, magnarum turbarum in Ecclesia causa fuere, quos nimium execrati sunt S. Hieronymus epist. ad Ctesiphontem, & Theophilus Alexandrinus epist. ad S. Epiphanium, quæ est 67. apud S. Hieronymum. Horum res nefarie gestas, & turbas ab ipsis excitatas ex certissimis auctoribus & monumentis exactissime exponit tomus 5. Annal. Eccles.

AMmonius, qui fuit magni Pãbo discipulus, simul cũ tribus fratribus & duabus sororibus, cùm per- XII.

Ammonius anno.

374. Cass. Eod. lib. 8. ca. 1. Niceph. lib. 11. cap. 37.

uenissent ad summum pietatis ac religionis, venerunt in A solitudinem, & seorsum fecerunt virumque monasterium, virorum scilicet, & mulierum; ita vt satis magnum intercederet spatium. Quoniam autem insigniter doctus erat virorum optimus Ammonius, quædam ciuitas desiderauit eum habere Episcopum. Qui cùm accessissent ad beatum Timotheum Episcopum, rogarunt eum vt eis Episcopum ordinaret Ammonium. Ille autē dicit; adducite eum ad me, & ego eum vobis ordinabo. Cùm ergo cùm magno auxilio iuissent ad eum comprehendendum, is conuersus est in fugam. Cùm vidisset autē se iam esse comprehensum, suas eos rogabat. Cùm ij autem non parerent, iurauit se nec rem non suscipere, neq; posse egredi è solitudine. Vbi autem non cedebāt, ipsis videntibus, arrepto forfice sinistram * autem sibi abscidit ad imum vsque eis dicens: Nunc intelligite fieri B non posse vt ego fiam quod me cogitis, cùm lex prohibeat ne ad sacerdotium proueharur is cui sunt aures amputatæ. Cùm sic ergo eum dimisissent, recesserunt, & ad Episcopum venientes hæc ei renunciarunt. Is autem eis dicit: Hæc lex in vsu sit apud Iudæos: Mihi autem si vel truncatum naribus adduxeritis qui sit bonis moribus, ego eum ordinabo. Euntes ergo eum rursus rogabant. Cùm ipse autē non pareret, aggressi sunt eum vel vi adducere. Is autē eis iurauit, dicens. Si me coēgeritis, etiam linguā meam exscindam. Eo itaque post hæc dimisso, recesserunt. Huius Ammonij fertur hoc miraculum. Nunquam, inquiunt, turpis voluptatis carunculæ suæ insurrectio eius corpus inuasit: sed ferrum candēs suis membris admouebat, adeo vt esset totus vlceratus. Eius autem mensa talis fuit à iuuentute vsque ad mortem quòd crudis scilicet vesceretur. Nihil enim vnquam comedebat quod igni fuisset admotum præter panem. Vetus autem & nouum testamentum discebat memoriter: & in doctorum virorum Athanasij & Basilij scriptis ita erat versatus, vt decies mille & sexcentos versus proferret: vt de eo ferunt testimonium magni quoque patres in solitudine. Huius autem feruntur etiam prophetiæ. Tātum autem valebat in consolandis fratribus qui erant in solitudine, quantum vllus alius. Hoc ei suo suffragio tribuebat Euagrius, qui erat vir discernendi vi præditus, se nullum hominem vidisse qui esset magis impatibilis, & alienus ab omnibus animi perturbationibus.

Renuit episcopatum Ammonius. quanquam præstat prædicare quam contemplationi vacare dixit Protogenes ca. 35. li. 11. Niceph. ob id ab Euagr. reprehensus est.

* Inde παρώτης est dictus Ammonius.

Ammonius carnis non sensit rebellionē. Memoria Ammonij Beniamin anno 374. Cass. lib. 8. cap. 10. Niceph li. 11. cap. 35.

Olen sacro curati morbi Iob patientia. Integrous homo.

* Mihi Palladius præceptoris sui Euagrij dogma de impassibilitate Stoica hic obtrudere conatur. Vide notam ad centum libro Euagrij tomo 5.

VITA ABBATIS BENIAMIN.
Sect. XII.

XIII. Nisi non enim ne Episcopus fieret mortem precib* exoptauit Niceph. li. 13. ca. 17. Et certè indignus est sacerdotio quisquis nō fuerit ordinatus Inuitus l. si quē. quam c. de Episc. & cler.

IN hoc monte Nitriæ fuit vir admirabilis, qui vocabatur Bēiamin, qui rectè & ex virtute vitam egit annis octoginta. Qui cùm summè virtutem exercuisset, dignatus fuit gratia curationum. adeò vt cuicunq; manus imposuisset, aut quod benedixerat oleum dedisset, qui laborabat, liberaretur ab omni ægritudine: Hic qui tāta gratia dignus fuerat habitus, octo mensibus ante obitum fuit hydropicus. & eius corpus vsque adeò intumuit, vt propter dolores inueniretur alius Iob nostri temporis. Cùm nos autem assumpsisset Dioscorus Episcopus, qui tunc erat presbyter montis Nitriæ, me, inquā, & beatum Euagrium, dicit nobis: Adeste, videte nouum Iob, qui in tāto corporis morbo & tanto tumore, immensam habet patientiam cùm gratiarū actione. Accedentes ergo vidimus tantam molem eius corporis, vt paruum eius digitum non possemus complecti digitis duarum manuum. Cùm autem morbi grauitatem non possemus fixis oculis intueri, nostros oculos auertebamus. Tunc dicit nobis beatus ille Beniamin: Orate filij ne meus internus homo sit hydropicus. Hoc enim corpus neque cùm benè se haberet, mihi quidquā profuit, neque cùm malè, me læsit. Illis ergo octo mensibus factus est illi currus latissimus, in quo sedebat assiduè: vt

A qui non posset in lecto accumbere, propterea quæ sunt corpori necessaria. Cùm autem laboraret hoc morbo immedicabili, medebatur alijs qui tenebantur quibusuis ægritudinibus. Necessarium itaque duxi morbum huius sancti exponere, ne nobis alienum videatur si viris iustis aliquis casus accidat. Egregio ergo illo viro mortuo, sublatum est limen ostij & postes, vt posset corpus efferri ex cella. Tanta erat moles corporis beati & inclyti patris Beniamin.

Æger aliis medetur.

VITA APOLLONII QVI COGNOminabatur ἀπὸ πραγματευτῶν, id est à negotiatoribus.
Sect. XIII.

XIIII. Apollonius an. do 374. al. Cassiod. lib. 8. cap 1. Nicep li 9. cap 14. lib. 11. cap. 35.

QVidā Apollonius nomine ἀπὸ πραγματευτῶν, id est, B à negotiatoribus, cū mundo renunciasset, & montem Nitriæ habitasset, & nec artem discere posset nec literas, quod ætate esset prouectus: viginti annis quibus vixit in monte hanc habuit exercitationem. Suis pecunijs & suis laboribus emēs Alexandriæ vasa medica omne genus, vniuersæ fraternitati ea suppeditabat ad morbos. & licebat eum videre vsque ad horam nonā discurrentem obeundo monasteria, & ostium ingredientem, & visentem num quis decumberet. Portabat autē vuam passam, mala punica, oua, panē siligineum, & ea quibus opus habent ægroti. Hanc sibi conferentem inuenit vitæ rationem vsque ad senium Christi seruus. Qui cū esset moriturus, alteri sibi simili sua reliquit friuola, rogās eum vt idem obiret ministerium. Nam cùm quinque millia monachorum illum montem habitent, illi quoque C opus est curatione, quòd sit locus desertus.

Apollonius medicum se & pharmacopolā præstat fratribus.

VITA PRÆSII ET ESAIÆ.
Sect. XIIII.

XV. & XVI. Pæsius & Esaias Nicep lib 9. c 14. vtrūque non habet Sozom. li. 3. cap. 14.

ALij Pæsius & Esaias nomine, fuerūt fratres patre mercatore, qui quidem cū pater eorum esset mortuus, diuiserunt facultates quas habebant in mobilibus: in nummis quidem quinque millia, in vestibus autem & seruis quæ inuenta fuerant. Ij inter se deliberarunt, & sibi consulentes, dicebant: Quodnam vitæ iter ingrediemur, ô frater! Si exerceamus mercaturam quam pater noster exercuit, nos relinquemus alijs nostros labores: & fortè incidemus in pericula, vel latronum vel maris. Agē ergo frater, vitam aggrediamur monasticam, vt & patris nostri lucremur facultates, & nostras animas non D perdamus. Placuit ergo vtrisque scopus vitæ solitariæ. Sed inuenti sunt alius in alio discrepantes. Cùm itaque pecunias diuisissent, & reliqua omnia hunc quidem sibi scopū proposuerunt vt Deo placerent, sed diuerso vitæ instituto. Vnus enim omnia dispergens, dedit monasterijs, & ecclesijs, & custodijs, & cū artem didicisset ex qua sibi panem pararet, exercitationi operam dabat & orationi. Alter autem eius nihil dispersit, sed facto sibi monasterio, & paucis assumptis fratribus, quemlibet excipiebat hospitem, quemlibet curabat ægrotum, quemuis senem retinebat, cuiuis pauperi dabat. Sabbato & Dominica, tres aut quatuor mensas statuens, eos qui erant egeni excipiebat. Hoc modo vitam suā consumpsit. Ambobus autem mortuis, diuersæ beatitudines vtrisque daE bantur à fratribus, vtpotè quòd essent inorati ambo virtute perfecti. & alijs quidem placebat vita eius qui renunciauerat; alijs verò, ea quæ communicabat omnibus egentibus. Cùm ergo inter fratres incidisset contentio, propter horum beatorum diuersum vitæ institutum, & maximè propter laudes diuersas, vadunt ad beatum Pambo, & ad eum referunt vt de hac re respondeat, volentes scire vtrùnam sit melior vitæ ratio. Is autem eis dicit: vterique sunt perfecti apud Deum. Alter quidem functus est munere Abrahæ, qui omnes excipiebat: alter verò suscepit firmissimum & constantissimum zelum Eliæ Prophetæ, vt Deo placeret. Et cùm alij quidem ei dicerent, Quomodo fieri potest vt ea tois pedibus hi sint æquales? vt qui exercitatorem præferrent, & dicerent: Præceptum impleuit Euangelicum, vt qui

Fratres ambo solitudinē spirant.

Vitæ diuersum institutum.

Contentio fratrū, quis beatior.

Angelica apparitio. Alludit ad es quæ Abrahæ sunt dicta.
O R. nuditates.

autem peruenit ad perfectã ætatẽ senectutis, angelus ei apparuit in somnis, dicens in solitudine. Eris in gentem magnã, & magnus tuæ fidei credetur populus. Qui per te autẽ salui fient, erunt decies mille: quos si hic lucrifeceris, totidem tibi patebũt in futuro sæculo. Neq; quidquam dubitaueris, ait ei angelus. Nihil enim tibi deficiet eorum quæ sunt ad vsum necessaria vsque ad mortem tuam, quoties Deũ inuocaueris. Hæc cùm audisset, venit ad propinquam solitudinem, seorsum primùm degens, sibi quodam paruo cõstructo tuguriolo, solum compositis contentus oleribus. sæpè etiam semel solùm vescens in hebdomada. Atque erat quidem primum illiteratus. Postquem autem venit ex solitudine in terram habitatam, ei gratia fuit data diuinitus, & scripturas expromebat memoriter. Et enim libro dato à fratribus, ite deinceps legebat tanquam peritus literatum. Aliam quoque acceperat gratiam, nempe dæmonum expellendorum, adeò vt multi ex iis qui laborabant, etiam eo nolente, clamantes eius vitam ostenderent. Alias quoq; curationes non cessabat peragere. Quo factum est vt ad eum cõuenirent tria millia monachorum. Cùm eos autem vir ille vidisset, lætitia affectus eos salutauit & cõplexus est. Cùm pedes eorum propriis lauasset manibus, cõuersus est ad doctrinam, erat enim valdè peritus literarũ, vt qui hanc gratiam accepisset diuinitus. Cùm autem scripturarũ multa soluisset capita, & fidem tradidisset orthodoxã, adhortatus est ad preces. Viris enim magnis mos est, nihil carnis admittere, priusquam spiritale alimentum animæ tradiderint. Hæc autem est Christi communio.

Tria millia monachorum.

Eucharistia cibum præcedat.

Cũ eius ergo fuissent participes, & egissent gratias, hortatus est ad mensam, ipse semper inter sedendum eos admonens eorum quæ sunt bona & honesta, & dicẽs eis ea quæ pertinẽt ad salutem. Fuit ergo hic vir clarus in multos patres, adeò vt cùm multi ad eum venirẽt monachi, omnes præsentes fratres conuocans, in vno die eis cellas faceret. vno quidem subministrante lutum, altero verò laterem, alio autem haurientem aquam. Perfectis autẽ cellis, ipse præbebat venientibus quæ erãt necessaria. Is falsum fratrem qui ad eum aliquãdo venerat, & vestes suas occultauerat, cùm coram omnibus arguisset, in medium produxit. Quo factum est vt nemo auderet deinceps apud eum mẽtiri cùm tantam haberet gratiam, quam per honestam suam vitam sibi collegerat. licebat autẽ videre multitudinem eorum qui cum ipso erãt monachorũ in ecclesia, tanquam angelorum choros Deum laudantiũ. Magnam huic sancto, suo testimonio tribuit virtutẽ vniuersa fraternitas: præcipuè autẽ homo Dei Melaniã, quæ hunc montẽ ante me est ingressa. Ego enim eũ non offendi viuum. Hæc autem præclara de hoc viro narrabat, quòd nec vnquam sit mẽtitus, neque iurauerit, neq; vlli malè sit precatus; neque locutus sit nisi opus esset.

O R. fratri cellas ædificat.

Melania.

VITA ABBATIS PAMBO.
Sect. IX.

X.
Pambo an. do. 374. de quo plura Socrat. lib. 4. cap. 13. Niceph. ca. 14. lib. 9.
Aurum despicere.
Melaniæ donum.
Pambo vasa argentea dono accepta dispensat egenis.

Hvius montis accola fuit etiam Abbas Pambo, qui fuit magister Dioscuri episcopi, Ammonis & Ioãnis filij fratris Dracontij viri admirabilis. Hic Pambo multa quidẽ habebat & varia priuilegia. Inter cætera autem siue rectè & ex virtute ab eo gerebantur, hoc habebat quo erat reliquis superior quod scilicet aurum & argentũ despiciebat quantũ postulat ratio dominica. Vnde mihi narrauit beata Melania, quòd cùm ab initio roma venisset Alexandriam, & de eius virtute audisset à B. Isidoro presbytero & Xenodocho, qui de eo mihi narrauit, & ad ipsum deduxit in solitudinẽ. Ad eum aiebat, attuli vasa argentea trecentarũ librarũ argenti, rogans eũ vt rerum mearum esset particeps. Ille autem, inquit, operans, & ramos texens mihi benè dixit, voce magna dicẽs: Deus det tibi mercedem. & dixit suo œconomo Theodoro: Accipe & ea dispensa vniuersæ fraternitati quæ est in Lybia & in insulis. hæc enim monasteria magis indigent, ei præcipiens vt ex eo nihil daret iis qui erãt in Ægypto, propterea quòd sit regio ditior & abundantior. Ego autem, inquit, stans expectabam, vt vel benedictionibus ab eo honorarer, vel verbo saltem laudaret ob iãtum donum. Cũ verò nihil omnino ab eo audissem, ei dixi: Domine, vt scias quantũ sit: Sunt trecentæ libræ argenti. Is autẽ rursus cũ ad hoc ne omninò quidẽ annuisset, & nec ad vasis quidem thecã attendisset, respõdit: Ea à te attulisti ô fili. Non opus est vt à te discã quãtitatem ponderis. Qui enim montes appendit & syluas statera, multò magis scit quantitatem tui argenti. Si enim hæc mihi dares, rectè mihi pondus dixisses. Sed si Deo ea obtulisti, qui ne duos quidem obolos despexit, sed eos plus quàm omnia æstimauit, tace. Sic ergo, inquit, dispensauit gratia Domini, dum ingressa sum in hunc montem. Breui autem pòst tempore dormiit homo Dei, nec ægrotãs, nec in vlla parte corporis dolorem sentiens, sed sportam contexens me accersiit, & cùm adesset iam extremus stimulus, dicit mihi. Cape hanc sportam à meis manibus, vt mei memineris. Nihil enim habeo aliud quod tibi relinquam. Et cũ hoc dixisset, excedit sine febre cùm esset annorum septuaginta, Domino commendans spiritum. Quem cũ ego sepeliissem, & linteis sancti corpus inuoluissem & deposuissem, recessi à solitudine, vsq; ad diem mortis, mecum habens illam sportam. Hic Pambo cùm esset moriturus, in ipsa hora excessus, eum circunstantibus beato presbytero & Ammonio, viris inclytis, & reliquis fratribus, dicitur hoc dixisse: Ex quo veni in hunc locum solitudinis, & meam ædificaui cellam, & hic habitaui, nullus fuit dies quo non aliquid operis fecerim meis manibus: nec memini me ab aliquo panem gratis datum comedisse: nec me in hanc horam pœnitet alicuius sermonis quem dixerim: & sic ad Deum recedo, vt qui nec pius quidem ac religiosus esse cœperim. Hoc quoque de eo ferebant testimonium Christi serui, Origenes & Ammonius, quòd nunquam de re aliqua interrogatus, quæ vel ad scripturam, vel ad actionem negociumve aliquod pertineret, statim responderit; sed diceret: Nondum inueni quod respondeam. sæpè autem hoc quoque adiecit. Præteribant enim tres menses, & non dabat responsum, dicens: Nondum comprehendi. Tam considératè quidem ex Deo dabat responsa, vt à Deo cum omni metu omnes acciperent. Dicebatur enim hãc virtutem etiam suprà magnum Antonium, & super omnes sanctos exercuisse, nempè vt esset in loquendo accuratus & perfectus.

Ne quis eleemosynæ pretium sequat.

Verba Pambonis morientis.

Origenes. Ammonius.

VITA ABBATIS PIOR.
Sect. X.

XI.
Pior postea Sect. 75.

Fertur autem præter alia hæc quoque actio sancti Pambon, quòd Pior qui se in vita exercebat monastica, ad eius cellam aliquando accedens, proprium panem detulit. Cùm eum autem Pambon reprehendisset, dicens: Cur hoc fecisti? Respondit Pior, Ne te grauarem. Itaque tacitus eum dimisit. post aliquantum autem temporis accedens magnus Pambon ad cellam Pior, panem suum secum madefactum attulit. Ab eo autem rogatus quãnam de causa panem attulisset madefactum, respondit Pambon: Ideò madefeci ne ego quoque te grauarem.

VITA ABBATIS AMMONII ET
fratrum simul cum sororibus.

Sect. XI.

Hic Ammonius fratresque eius fuere palam hæretici Origenistæ, qui ex Ægypto Constantinopolim fugientes, magnarum turbarum in Ecclesia caussa fuere, quos nominatim execrati sunt S. Hieronymus Epist. ad Ctesiphontem, & Theophilus Alexandrinus epist. ad S. Epiphanium quæ est 67. apud S. Hieronymum. Horum res nefariè gestas, & turbines ab ipsis excitatos ex certissimis auctoribus & monumentis exactissime exponit tomus 5 Annal. Eccles.

XII.
Ammonius ann. do.

Ammonius, qui fuit magni Pãbo discipulus, simul cũ tribus fratribus & duabus sororibus, cùm per-

374. Cassiod. lib. 8. ca. 1. Niceph. lib. 11. cap. 37.

Renuit episcopatum Ammonius. quanquam præstat prædicare quàm contemplationi vacare dicit Protogenes ca. 35 li. 11. Niceph. ob id ab Euagr. reprehensus est.

* Inde μονώτης est dictus Ammonius.

uenissent ad summum pietatis ac religionis, venerunt in solitudinem, & seorsum fecerunt vtrumque monasterium, virorum scilicet, & mulierum; ita vt satis magnum intercederet spacium. Quoniam autem insigniter doctus erat virorum optimus Ammonius, quædam ciuitas desiderauit eum habere Episcopum. Qui cùm accessissent ad beatum Timotheum Episcopum, rogarunt eum vt eis Episcopum ordinaret Ammonium. Ille autē dicit; adducite eum ad me, & ego eum vobis ordinabo. Cùm ergo cùm magno auxilio iuissent ad eum comprehendendum, is conuersus est in fugam. Cùm vidisset autē se iam esse comprehensum, stans eos rogabat. Cùm ij autem non parerent, iurauit se nec se tem non suscipere, neq; posse egredi è solitudine. Vbi autem non cedebāt, ipsis videntibus, arrepto forfice sinistram * autem sibi abscidit ad imum vsque eis dicens: Nunc intelligite fieri non posse vt ego fiam quod me cogitis, cùm lex prohibeat ne ad sacerdotium proueharur is cui sunt aures amputatæ. Cùm sic ergo eum dimisissent, recesserunt, & ad Episcopum venientes hæc ei renunciarunt. Is autem eis dicit: Hæc lex in vsu sit apud Iudæos: Mihi autem si vel eruocatum naribus adduxeritis qui sit bonis moribus, ego eum ordinabo. Euntes ergo eum rursus rogabant. Cùm ipse autē non pareret, aggressi sunt eum vel vi adducere. Is autē eis iurauit, dicens. Si me coëgeritis, etiam linguā meam exscindam. Eo itaque post hæc dimisso, recesserunt. Huius Ammonij fertur hoc miraculum. Nunquam, inquiunt, turpis voluptas carnunculæ suæ insurrectio eius corpus inuasit: sed ferrum candēs suis membris admouebat, adeò vt esset totus vlceratus. Eius autem mensa talis fuit à iuuentute vsque ad mortem quòd crudis scilicet vesceretur. Nihil enim vnquam comedebat quod igni fuisset admotum præter panem. Vetus autem & nouum testamentum discebat memoriter: & in doctorum virorum Athanasij & Basilij scriptis ita erat versatus, vt decies mille & sexcentos versus proferret: vt de eo ferunt testimonium magni quoque patres in solitudine. Huius autem feruntur etiam prophetiæ. Tātum autem valebat in consolandis fratribus qui erant in solitudine, quantum vllus alius. Hoc ei suo suffragio tribuebat Euagrius, qui erat vir discernendi vi præditus, se nullum hominem vidisse qui esset magis impatibilis, & alienus ab omnibus animi perturbationibus.

Ammonius carnis non sensit rebellionē. Memoria Ammonij Beniamin anno 374. Cassi lib. 5. cap. 10. Niceph li. 11. cap. 35.

* Oleo sacro curati morbi Iob patientia. Interous homo.

* *Miser Palladius præceptoris sui Euagrij dogma de impossibilitate Stoica hic obtrudere conatur. Vide notum ad initium libri Euagrij tomo 5.*

VITA ABBATIS BENIAMIN.
SECT. XII.

XIII. Nisi non etiā ne Episcopus fieret mortem precib* exoptauit Niceph li. 13. ca. 17. Et certè indignus est sacerdotio quisquis nō fuerit ordinatus Inuitus l. si quēquam c. de Episc. & cler.

IN hoc monte Nitriæ fuit vir admirabilis, qui vocabatur Beniamin, qui rectè & ex virtute vitam egit annis octoginta. Qui cùm summè virtutem exercuisset, dignatus fuit gratia curationum, adeò vt cuicunq; manus imposuisset, aut quod benedixerat oleum dedisset, qui laborabat, liberaretur ab omni ægritudine: Hic qui tāta gratia dignus fuerat habitus, octo mensibus ante obitum fuit hydropicus. & eius corpus vsque adeò intumuit, vt propter dolores inueniretur alius Iob nostri temporis. Cùm nos autem assumpsisset Dioscorus Episcopus, qui tunc erat presbyter montis Nitriæ, me, inquā, & beatum Euagrium, dicit nobis: Adeste, videte nouum Iob, qui in tāto corporis morbo & tanto tumore, immensam habet patientiam cùm gratiarū actione. Accedentes ergo vidimus tantam molem eius corporis, vt paruum eius digitum non possemus complecti digitis duarum manuum. Cùm autem morbi grauitatem non possemus fixis oculis intueri, nostros oculos auertebamus. Tunc dicit nobis beatus ille Beniamin: Orate filij ne meus internus homo sit hydropicus. Hoc enim corpus neque cùm benè se haberet, mihi quidquā profuit, neque cùm malè, me læsit. Illis ergo octo mensibus factus est illi currus latissimus, in quo sedebat assiduè: vt qui non posset in lecto accumbere, propterea quæ sunt corpori necessaria. Cùm autem laboraret hoc morbo immedicabili, medebatur alijs qui tenebantur quibusuis ægritudinibus. Necessarium itaque duxi morbum huius sancti exponere, ne nobis alienum videatur si viris iustis aliquis casus accidat. Egregio ergo illo viro mortuo, sublatum est limen ostij & postes, vt posset corpus efferri ex cella. Tanta erat moles corporis beati & inclyti patris Beniamin.

Æger alijs medetur.

VITA APOLLONII QVI COGNOminabatur ἀπὸ πραγματευτῶν, id est à negotiatoribus.
SECT. XIII.

XIIII. Apollonius anno 374. pl. Cassiod. lib. 8. cap. 1. Nicep li. 9. cap. 14. lib. 11. cap. 35.

QVidā Apollonius nomine ἀπὸ πραγματευτῶν, id est, à negociatoribus, cū mundo renunciasset, & montem Nitriæ habitasset, & nec artem discere posset nec literas, quòd ætate esset prouectus: viginti annis quibus vixit in monte hanc habuit exercitationem. Suis pecunijs & suis laboribus emēs Alexandriæ vasa medica omne genus, vniuersæ fraternitati ea suppeditabat ad morbos. & licebat eum videre vsque ad horam nonā discurrentem obeundo monasteria, & ostium ingredientem, & visentem num quis decumberet. Portabat autē vuam passam, mala punica, oua, panē siligineum, & ea quibus opus habent ægroti. Hanc sibi conferentem inuenit vitæ rationem vsque ad senium Christi seruus. Qui cū esset moriturus, alteri sibi simili sua reliquit friuola, rogās eum vt idem obiret ministerium. Nam cùm quinque millia monachorum illum montem habitent, tali quoque opus est curatione, quòd sit locus desertus.

Apollonius medicum se & pharmacopolā præstat fratribus.

VITA PRÆSII ET ESAIÆ.
SECT. XIIII.

XV. & XVI. Præsius & Esaias Nicep lib 9. c. 14. vtrūque non habet Sozom li. 3. cap. 14.

ALij Præsius & Esaias nomine, fuerūt fratres patre mercatore, qui quidem cū pater eorum esset mortuus, diuiserunt facultates quas habebant in mobilibus: in nummis quidem quinque millia, in vestibus autem & seruis quæ inuenta fuerant. Ij inter se deliberarunt, & sibi consulentes, dicebant: Quōdnam vitæ iter ingrediemur, ô frater? Si exerceamus mercaturam quam pater noster exercuit, nos relinquemus alijs nostros labores: & forte incidemus in pericula, vel latronum vel maris. Agē ergo frater, vitam aggrediamur monasticam, vt & patris nostri lucremur facultates, & nostras animas non perdamus. Placuit ergo vtrisque scopus vitæ solitariæ. Sed inuenti sunt alius in alio discrepantes. Cùm itaque pecunias diuisissent, & reliqua omnia hunc quidem sibi scopū proposuerunt vt Deo placerent, sed diuerso vitæ instituto. Vnus enim omnia dispergens, dedit monasterijs, & ecclesijs, & custodijs, & cū artem didicisset ex qua sibi panem pararet, exercitationi operam dabat & orationi. Alter autem eius nihil dispertit, sed facto sibi monasterio, & paucis assumptis fratribus, quemlibet excipiebat hospitem, quemlibet curabat ægrotum, quemuis senem retinebat, cuiuis pauperi dabat. Sabbato & Dominica, tres aut quatuor mensas statuens, eos qui erant egeni excipiebat. Hoc modo vitam suā consumpsit. Ambobus autem mortuis, diuersæ beatitudines vtrisque dabantur à fratribus, vtpotè quòd essent inuenti ambo virtute perfecti. & alijs quidem placebat vita eius qui renunciauerat; alijs verò, ea quæ communicabat omnibus egentibus. Cùm ergo inter fratres incidisset contentio, propter horum beatorum diuersum vitæ institutum, & maximè propter laudes diuersas, vadunt ad beatum Pambo, & ad eum referunt vt de hac re respondeat, volentes scire vtrānam sit melior vitæ ratio. Is autem eis dicit: vterque sunt perfecti apud Deum. Alter quidem functus est munere Abrahæ, qui omnes excipiebat; alter verò suscepit firmissimum & constantissimum zelum Eliæ Prophetæ, vt Deo placeret. Et cùm alij quidem ei dicerent, Quomodo fieri potest vt ex suis pedibus hi sint æquales? vt qui exercitatorem præferrent, & dicerent: Præceptum impleuit Euangelicum, vt qui

Fratres ambo solitudinā spirant.

Vitæ diuersum institutum.

Contentio fratrū, quis beatior.

omnia vendiderit & dederit pauperibus, noctu & diu perseuerans in orationibus, crucem ferens & sequens Seruatorem: contrà autem alij de altero contenderet, dicentes: Hic ex tuis pedibus, tot & talia viscera ostēdit in omnes egentes, vt exiret & sederet in viis regiis, & qui erant afflicti colligeret, & opem ferret, neque solum suam recreauit animam, sed etiam aliorum, ægrotos curās & eis dans auxilium: eis dicit beatus Pambo. Rursus vobis dicam. Ambo sunt apud Dominum. vnicuiq; autem vestrum de iis satisfaciam. Hic si non vsque adeò se exercuisset, non fuisset dignus illud bonum consequi. Ille rursus qui recreabat ac reficiebat hospites, & egenis ministrabat, ostensus est Domino pro viribus æqualis. Ipse enim dixit, Ego non veni ministrari, sed ministrare. Hic ergo minister etsi videbatur habere onus ex labore; attamen ex ipso quoque habuit recreationem. Expectate autem vt à Deo quoque de his habeam reuelationem, & postea scietis cùm veneritis. Intermissis ergo aliquot diebus redierunt, de his magnum illum rogantes. Senex autem respondit illis dicens: Apud Deum vidi vtrosque simul stantes in paradiso.

Matt. 20.

VITA MACARII IVNIORIS.
Sect. XV.

XVII. QVidam ætate iunior, nomine Macarius, decem & octo annos natus cum luderet, cùm suis æqualibus ad lacum qui dicitur Mariam, pascens pecora cædem fecit inuoluntariam. Is cùm nemini hoc dixisset, venit in solitudinem, & eò processit metu & Dei & hominum, vt non senserit se tribus annis mansisse sine tecto in solitudine. Est autem illa terra arida, idq; sciūt omnes, tam qui auditione acceperunt, quàm qui ex ipsa norunt experientia. Hic ipse Macarius sibi postea ædificauit cellulam: & cùm in ea vixisset alios viginti & quinq; annos, tāta gratia dignus est habitus, vt despueret dæmones solitudini insultantes. Ego cum eo versatus longo tempore, ab eo didici quomodo affecta esset eius ratio ob peccatum cædis. Dicebat autem tantum abesse vt doleret, vt etiā gratias ageret de crimine cædis. Fuit enim cædes inuoluntaria mihi causa salutis. Dicebat autē, ex scripturis afferens testimoniū cædis, quæ à magno Dei ferno Mose facta fuit in Ægypto, quòd nisi propter cædem & metum Pharaonis non dignus habitus fuisset Moses visione Domini, & tanto dono, & conscriptione sanctorum eloquiorum spiritus. Nam cùm effugisset ex Ægypto, peruenit in montem Sina. Hæc autē dico non muniens viam ad cædem aliquam; sed potiùs ostendens esse etiam virtutes quæ oriuntur ex casu, quando nō vult quis sua sponte ad bonum accedere. Ex virtutibus enim aliæ quidem sunt quæ ex voluntate, & ex nostro animi instituto proficiscuntur: aliæ verò quæ ex casu nascuntur.

Macarius ob cædem [illegible] Sozo. li. 8 c. 1. Niceph. li. 11. c. 35.

Salutare infortunium Soz. lib. 8 c. 29 Virtutes sunt à casu & electione.

VITA ABBATIS NATHANAEL.
Sect. XVI.

XVIII. EX veteribus sanctis fuit quidā alius, optimus Christi athleta, nomine Nathanaël: Eum ego non offendi in carne. Dormierat enim quindecim annis ante meum aduentū in montem. Cùm autem in eos incidissem qui cū hoc sancto se exercuerant, & fuerant in tempore æquales: de viri virtute libenter sum eos sciscitatus. Mihi autem eius quoq; cellam ostenderunt: in qua nullus adhuc habitat, quòd sit terræ habitatæ propinquior. Ille enim beatus tunc eā condidit quādo rari fuerant anachoretę. Narrarunt autem mihi egregiam eius exercitationem: nempè quòd tantā habuerit in cella tolerantiam, vt nūquam dimotus sit à proposito, cū ab initio fuisset illusus à dæmone, qui omnes illudit, qui cum labi fecerat in socordiam & animi mœrorem, & cum è cella exegerat, visus est enim esse tristis & animo angi in prima cella. Illinc itaque recedens, ædificauit aliam propius vicū. Postquam ergo perfecit cellā, & in ea habitauit tres vel quatuor menses, accedit noctu dæmon taurina pelle indutus sicut lictores, præ se ferens speciem militia pannos induentis, taurina pelle edens strepitus. Cui succensus, dixit beatus Nathanaël: Quis tu es qui hæc facis in meo hospitio? Dæmon autem respondit: Ego sum qui te ex tua prima cella exegi, & nunc veni vt te ex hac quoque fugem. Cùm ergo cognouisset beatus Nathanaël se fuisse illusum, reuersus est ad primam cellam: & spacio triginta septem annorum non est egressus extra fores, contendens cum dæmone, qui tot & tanta ei fecerat vt eū cogeret è cella egredi, vt ne ea narrare quidem liceat. Atq; inter cætera quidem hoc machinatus est bonorū inimicus, nempè vt eum probro ac dedecore afficeret ad eius abrumpendum institutum. Cùm septem sancti episcopi sanctum inuisissent, aut ex Dei prouidentia, aut ex suggestione illius tentationis, eum propemodum deturbauit à proposito. Cùm enim episcopi postquā eum inuisissent, orassent, & post orationem exirent, ne gressum quidē vnum pedis eos comitatus est vir egregius, ne daret locum inimico bonorū. Ei ergo dicūt diaconi episcoporum: Superbè te geris, ô Abbas, qui non deducis episcopos. Is verò didicit eis: Ego & dominos meos episcopos colo, & omnē clerum honoro. Sumq; ego peccator omnium hominum peripsema. his autem omnibus & toti vitæ, quod in me est proposito sum mortuus. Ego enim habeo scopum occultum, quem scit Dominus, qui nouit occulta mei cordis, cur eos non sum comitatus. Cùm ergo hic quoq; actus non successisset dęmoni, rursus talem suscipit figuram. Nouem mensibus ante dormitionē athletæ, trāsformatus est in puerum duodecim annos natū, tanquam agentem asinum panē in sporta ferentem. Qui puer cū serò vespere esset propè cellam, simulabat cecidisse asinum & se clamare: Abba Nathanaël, miserere mei, & porrige mihi manū. Ille autem audiuit vtique vocem pueri: & aperto ostio cellæ, stans intus ei dicebat: Quis es, & quid vis tibi faciam? Respondet Dæmon: Ego sum huius monachi minister; & fero panes. Quoniam est agape tui non frattia: & cras illucescente sabbato opus est oblationibus. Rogo ergo te ne me despicias, ne deuorer ab hyænis. Sunt enim hyænæ in his locis. Stans ergo mutus beatus Nathanaël, præ ingenti eius misericordia caligabat conturbatus visceribus, & reputabat apud se quid faceret, dicens: Aut futurum est vt transgrediar mādatum, aut à proposito excidam. Postea pia apud se reputans cogitatione, dixit: Melius est ne labefactem tot annorum propositum ad ignominiam afficiendum & vincēdum diabolum. Cùm itaq; Dominum rogasset, dicit puero qui cum eo loquebatur: Audi puer, aut quicunq; sis. Credo in Deum quem colo, qui dominatur cuiuis spiritui, quòd si auxilio re vera egeas, Deus tibi mittet auxilium, & neque hyænæ, neq; aliquid aliud tibi malè faciet. Sin autem es tentatio, hoc quoque Deus mihi exhinc iam reuelabit, & clauso cellæ ostio est ingressus. Pudore autem affectus dæmon quòd sic quoque esset victus, resolutus est in turbinem, onagrisque exsultantibus ac fugientibus & strepitum edentibus assimilatus, sic euanuit. Hoc fuit certamen beati Nathanaël, & hæ sunt virtutes eius exercitationis, & pugnæ inuictæ aduersus aduersarium.

XVIII. Nathanaël.

Dæmon Taurina pelle insultat.

Septem episcopi inuisunt Nathaëlem.

Dæmon in pueri figura.

Agape Oblatio.

Firmum Nathanaëlis propositum.

Confidentia.

VITA ABBATIS MACARII ÆGYptij, & Macarij Alexandrini. Sect. XVII.

SAnctorum & immortalium patrum, Macarij Ægyptij & Macarij Alexandrini, egregiorum & inuictorum athletarum, honestæ vitæ certamina, quę sunt multa & magna, & incredulis propè incredibilia, & narrare vereor, & scriptis mādare, ne fortè mei tanquā mendacis fiat mentio. Quòd autē Deus perdat omnes qui loquuntur mēdacium, licet apertè videre sanctum Spiritū pronunciante. Cùm ego ergo per Dei gratiam nō mentiar, hominum fidelissime Lause, ne sis quoque ipse incredulus de patrum certaminibus: sed gloriare potiùs in æmu-

XIX. & XX. Macarij florebant anno 379. de quibus Niceph. li. 9. cap. 14. lib. 11. cap. 42 & 43. Cassiod. li. 8 ca. 7. Sozom. lib. 6. cap. 29.

latione exercitationis eorum qui verè sũt Macarij, hoc est beati. Atq; primus quidẽ Christi athleta, nomine Macarius, erat genere Ægyptius. Secundus autem ætate, sed in iis quæ sunt monachorũ præcipua primas partes obtinens, qui ipse quoque vocabatur Macarius, erat Alexandrinus qui vẽdebat bellaria. Et primùm quidem narrabo virtutes Macarij Ægyptij, qui vixit nonaginta annos integros: Ex his in solitudine annos sexaginta. Cùm triginta annos natus ascendisset, essétq; ætate iunior, tã toleranter tulit labores exercitationis totum decenniũ, vt magna quadã & insigni dignus haberetur distinctione, adeò vt vocaretur παιδαριογέρων, id est, in puerili ætate senex; quoniã citiùs quàm pro ætate profecerat virtutibus. Cùm esset quadraginta annos natus, & potestatem accepit contra spiritus, & gratiam curationum, & spiritum futurorum prædictionis. Dignus quoq; est habitus honorando sacerdotio. Cũ eo habitarunt duo discipuli in intima solitudine, quæ vocatur Scete. Ex quibus vnus quidem erat ei minister, qui semper propè ipsum inueniebatur, propter eos qui veniebant vt curarentur. Alter autẽ seorsum sedebat in cella. Procedente autem tẽpore, cùm sanctus perspicaci oculo præuidisset, dicit suo ministro Ioanni nomine, qui postea factus est presbyter in loco sancti Macarii (Presbyteratu enim dignus fuerat habitus magnus Macarius) Audi me frater Ioãnes, & fer æquo animo meam admonitionem, eáque tibi proderit. Tentaris enim, inquit, & te tẽtat spiritus auaritiæ; sic enim vidi: & scio quòd si meã æquo animo tuleris adhortationẽ, in Dei timore consummaberis & in eius opere, & laudaberis, & in tuum tabernaculum non appropinquabit flagellum. Quod si non audieris, in te veniet finis Giezi, cuius vitio laboras. Cõtigit autẽ vt sancto quidem non obedierit post eius mortem: sed obedierit ei qui Iudæ alligauit laqueũ propter auaritiã. & post alios quindecim aut viginti annos, cũ bona pauperũ sibi vsurpasset, ita laborauit elephantia, vt non inueniretur integer locus in eius corpore, in quo quis posset figere digitum. Hæc est prophetia sancti Macarij. Ac de cibo quidem & potione superuacaneum est dicere, cùm nec apud iis socordiores monachos qui sunt extrà, inueniri possit ingluuies aut vlla citra delectum & discrimen viuendi ratio alia ab iis qui sunt in illis locis, cùm propter inopiã rerum necessarium, tum etiam propter zelum qui est ex Deo, vnoquoq; contendente vincere proximum diuersis vitæ institutis. De alia autem exercitatione cœlestis huius viri, Macarii inquam: dicebant hunc sanctus esse assiduè in ecstasi, & maiori tempore, vel cùm Deo, vel in rebus versari cœlestibus, cuius etiam sciuntur res diuersæ. Ægyptius quidam libidinosus, captus amore cuiusdã mulieris ingenuæ, quæ viro nupserat, cùm non posset cã inescare propter pudicitiam & castitatem erga suũ maritum Parthenicum conuenit improbus præstigiatorẽ, dicens: Aut eam incita vt me amet; aut arte tua effice vt eius maritus eam dimittat. Cùm ergo præstigiator satis ab eo accepisset, vsus est suis præstigiis & incantationibus: & cùm non posset eius animum mouere vt ei assentiretur, effecit vt videretur equa iis qui eam intuebantur. Cùm ergo foris venisset eius maritus, aspexit vxorem suam in forma equæ: cúmq; in suo lecto cubuisset, alienum ei videbatur quòd in suo cubili equa iaceret. Flet ergo eius maritus, & lamentatur quod rem nõ inueniat: & quòd existimans se alloqui bestiam, responsum non assequatur: præterquã quod solummodo eã videbat irasci. vnde magis angebatur animo, cùm intelligeret eã esse suam vxorẽ, curiosis autem hominũ artibus esse mutatã in equam. His de causis accersit vici presbyteros, & domum adducit, & eis eam ostendit. Sed nec it cognouerunt calamitatem quæ ei acciderat. Tribus ergo diebus neque fœnum, comedit vt equa: neq; panem, vt homo, vtroque alimento priuata. Tandem vt Deus glorificaretur, & videretur virtus sancti Macarij, ascendit in cor mariti eius ducere eam in solitudinem ad sanctum virũ: & cùm eã capistro ligasset vt equã duxit in solitudinẽ.

Niceph. li. 9. cap. 14.

Sacerdotiũ inter monachos honorandum.

Spiritus auaritiæ Simonia. 4. Reg. 5.

Macarius in extasi frequenter vt & Ioannis col. 19 cap. 4. Cassian.

Præstigiator amoris precibus mulierem equam facit.

Dum autem appropinquassent, steterunt fratres propè cellã sancti Macarii cũ eius marito contendẽtes & dicẽtes: Cur huc adduxisti hãc equam. Is autẽ dicit, Vt misericordiã consequatur sancti oratione. Illi verò dicunt ad eũ, Quid mali habet? Ille eis dicit: Quam videtis equam, ea misera est vxor mea. neq; scio quẽadmodũ mutata sit in equã: & iam sunt tres dies ex quo nihil comedit. Illi autẽ cũ hæc audiissent, retulerũt ad seruũ Dei Macarium, eo iam intus pro illa orante. Ei enim Deus reuelauerat, ipsis ad eum venientibus, & ideò orabat vt sibi declararetur causa propter quàm hoc euenerat. Respõdit autem sanctus Macarius fratribus qui ei renonciauerant: Adduxitne aliquis huc equam? dicunt, ita. Is verò eis dicit. Equi vos estis, qui habetis equorum oculos. Illa enim est fœmina, ita vt est creata, non trãsformata, sed sic solũ apparẽs oculis eorũ qui sunt decepti. Quæ cũ esset adducta, aquámq; benedixisset, & in eius nudũ caput infudisset, super eius caput est precatus: statimq; effecit vt omnib⁹ videntibus videretur fœmina. Cum autẽ misisset ei cibũ afferri, fecit eam comedere: & eam sic curatam dimisit cũ suo marito, Deo agentes gratias. Ea autem admonuit vir Dei, sic dicens: Nunquã ecclesiã deseras: nunquam abstineas à communione Christi sacramentorum. hæc enim tibi acciderunt, quòd iam quinque hebdomadis non accessisti ad intemerata nostri Seruatoris sacramenta. Alia est actio magnæ eius exercitationis. Magnæ vitæ suæ tẽporeà cella sua in dimidium vsq; stadium fodiẽs cuniculum, summã effecit speluncam: etsi quãdo complures ei essent molesti, occultè è sua cella egrediẽs, ibat in speluncam, neq; quisquàm eum inueniebat. Narrauit autẽ nobis quidam ex studiosis eius discipulis, quod recedẽs vsq; ad speluncam per cuniculum, dicebat viginti quatuor orationes: & rediens, totidem. De eo exiit fama quòd mortuũ suscitauit: vt persuaderet hæretico qui non cõfitebatur esse resurrectionem corporum. Et tum constans hęc fama in solitudine. Ad hunc sanctũ adductus est aliquãdo à matre propria lamentante adolescens qui vexabatur à dæmone, à duobus adolescentibus ex vtraq; parte constrictus. Hunc autem ita vexabat dæmõ. Triũ modiorum panes postquã comedisset, & calicem aquæ bibisset, vtraq; eructans, cibos resoluebat in vaporẽ. Ab eo enim, non secus ac igne consumebantur quæ comederat & biberat. Est enim ordo quoq; dæmonum qui dicitur igneus. Sunt enim dæmonum quoque sicut hominum differentiæ, non mutata essentia, verum mente diuersa. Hic ergo adolescens cùm ei mater nõ suppeditaret, sæpè sua comedebat excrementa, & lotium bibebat. Flente ergo eius matre, & aliena in sui filij inerente calamitatẽ & sanctum valdè obtestante & rogante illũ accipiens innictus Christi athleta Macarius, supplex pro eo Deũ orauit. Post vnum autem aut alterum diem, remisit dæmon vexationem. Tunc ergo dicit matri adolescẽtis dominus Macarius. Quantum vis vt filius tuus comedat? Illa autem respondit, dicens: Rogo te iube eum solum comedere decem libras. Eam autem increpãs vt quæ nimium dixerat, dixit: O mulier, cur hoc dixisti: Cùmque septem dies orasset cum ieiunio, expulso ab eo pernicioso dæmone ingluuiei, constituit ei vescendi rationem ad tres vsque libras panis, quas deberet ipse comedere si operaretur. Cùm hoc modo Dei gratia puerum emundasset, eum matri reddidit.

Reuelatur Macario cur id contigerit.

Aquæ benedictæ virtus.

Sacramenta accipere frequenter bonum est

Orationum frequentatione resurrectio Niceph. lib. 9. cap. 14. Cassian. col. 15. cap. 3.

Dæmon comedens cibos resoluit non digerit.

Dæmonum differentiæ.

Demoniacus vocatissimus.

Has res admirabiles & præter opinionem fecit Deus per sanctum Macarium. Eum ego non conueni. dormiebat enim anno antè quàm ego ingrederer in solitudinem. Conueni autem eum qui erat eius socius in fidei operibus, & idem venerabile nomẽ quod ipse habebat: Dico autem sanctum Macarium Alexãdrinum, qui erat presbyter earũ quæ dicũtur cellarũ. In quibus cellis ego nouem annos habitans, ex quibus tres annos mecum vixit ille Macarius, inquietè sedens, eius quidem optimæ viuendi rationis alia quidem vidi opera & signa; alia verò didici ab iis qui cum eo vixerunt. Is cùm apud magnum virum & patrem Antoniũ electos palmæ ramos

A quo ista didicerit. Palladius.

vidisset, quos ipse laborauerat, petiit ab eo vnum manipulum ramorum palmæ. Dixit autem ei Antonius; Scriptum est: Non concupisces res proximi tui. Et cùm id solum dixisset, rami omnes statim tanquam ab igne torrefacti sunt. Quod quidem cùm vidisset Antonius, dixit Macario; Ecce spiritus S. requieuit super te: erísque mihi deinceps hæres mearum virtutum. Hinc rursus eum inuenit diabolus in solitudine, corpore valdè defatigato, & dicit ad eum; Ecce accepisti gratiam Antonij: cur non vteris auctoritate, & à Deo petis cibum, & vires ad iter ingrediendum? Is autem dicit ad eum, Virtus mea, & laus mea Dominus. Tu autem ne tentaueris seruum Dei. Facit ergo diabolus vt ei phantasma appareat, camelus onera baiulans & errans per solitudinem habens omnia ad vsum necessaria. Qui cùm vidisset Macarium, propè eum assedit. Is autem suspicatus esse phantasma, sicut erat, constitit ad orandum. Is verò protinus à terra fuit absorptus.

Deut. 7. Non concupiscendum.

Diabolus aggreditur Macarium.

Aliquandò rursus venit hic Macarius Alexandrinus ad magnum Macarium qui erat in Scete. & cùm ambo essent Nilum transmissuri, accidit vt ipsi maximum Pontonem ingrederentur: in quem ingressi sunt duo tribuni cum magno fastu & apparatu, vt qui intus haberent rhedam totam æneam, & equos frenis aureis, & quosdam eos stipantes milites satellites, & pueros torquibus & aureis zonis ornatos. Postquam ergo tribuni viderunt ipsos veteribus pannis indutos, & sedentes in angulo: humilem illam & tenuem viuendi rationem beatam iudicabant. Vnus autem ex ipsis Tribunis, dixit ad ipsos, beati estis vos qui mundum illuditis. Respondens autem Macarius qui erat vrbanus, dixit eis: Nos quidem mundum illusimus: vos autem illusit mundus. Scias autem te nō tua sponte hoc dixisse, sed prophetice: Ambo enim vocamur Macarij, hoc est, beati. Is autē eius sermone compunctus cùm domū venisset, vestes exuens, delegit vitam agere solitariā, multas faciens eleemosynas. Rursus cū aliquādo cupisset vesci vuis recentibus perbellisque ad se missis, ostendens continentiā, eas misit ad alium fratrem laborātem, qui ipse quoque vuas desiderabat. Qui cùm eas accepisset, & magna affectus esset lætitia, suam celare volēs continentiam, eas misit ad alium fratrem laborantē, qui ipse quoq; eum cibum appeteret. Cùm ille quoq; accepisset, rursus hoc ipsum fecit, etsi ipse valdè vesci cuperet. Postquā autem ad multos fratres deinde venerunt vuæ, cùm nullus eis vesci voluisset, postremus qui eas acceperat, eas rursus misit ad Macarium, tanquam magnum ei donū largiens. Qui cùm rē curiosè inquisiisset, admiratus, & Deo actis gratiis ob tantā eorum cōtinentiam, ne ipse quidem ex iis tandem comedit. Atq; hæc quidem est magni Macarij exercitatio, quam ego & multi accuratè apud ipsum didicimus. Si quod opus exercitationis aliquem vnquam fecisse audiit, omninò id ardenter effecit.

Beata viuendi ratio in vilibus pannis.

Mundus illuditur.

Domita cibi cōcupiscentia.

Cùm ab aliquibus audisset Tabennesiotas per totam quadragesimam nulla re vesci quę igni esset admota, statuit hic sanctus septem annis nihil comedere quod per ignem transisset. & toto illo septēnio nihil gustauit prę ter cruda olera vel legumina humectata. Cùm hoc ergo rectè gessisset, aspernatus est hanc viuendi rationem. Audiit autem ab aliquo alio hic monachorū optimus, quòd quidam monachus comedebat libram panis. Quem æmulatus, fregit quod habebat buccellarum, & immisit in lagenam, statuens solummodo tantum comedere, quantum manus eius sursum ferret. Magna est autē hæc in tractando corpore asperitas. Festiuè enim nobis narrabat. Plura quidem frusta apprehendebam: sed non sinebat efferre ob angustiam foraminis. Publicanus enim mihi nō permittebat omnino vesci. Totos ergo tres annos hāc exercuit continentiā, quatuor vel quinq; vncias comedens, & aquam quæ eis responderet. Olei autē sextarium toto anno consumebat in alimentū. Alia athletæ exercitatio. Statuit indomitus hic vir somnum superare. Etenim vtilitatis gratia hoc ipse narrauit. Totis viginti diebus & noctibus non sum tectum ingressus, vt somnum vincerem, cùm interdiu quidem æstu arderem,

Quadragesimæ ieiunium.

Somnum superare.

A noctu verò algore rigerē. Quòd nisi, inquiebat, tectū citiùs essē ingressus, & somno vsus essem, ita mihi esset arefactum cerebrū, vt deinceps agerer in ecstasim: & quod ad me quidem attinet, vici somnū, quod autē ad naturam opus habeurē, ei cessi. Ei aliquando molestiam exhibuit spiritus fornicationis: & tunc condemnauit seipsum sedere nudū sex menses, in palude Scetes, quæ est in vasta solitudine, in qua possūt culices vel sauciare pelles aprorū, vt qui sint æquè magni vt vespæ, adeò vt in toto eius corpore infixerint aculeos: vt nonnulli existimauerint eum esse leprosum. Reuersus ergo in suam cellulam post sex menses, ex voce cognitum est eū esse Dominū Macarium. Is cupiit aliquando, vt ipse nobis narrauit, quod in hortis erat, ingredi monumentū quod dicitur κηποτάφιον, Ianne & Mābre, magorum qui erant tēpore Pharaonis, B vt id videret, vel etiam vt cōueniret eos qui illic erant dæmones. Dicebatur enim plurimos, eosq; ferocissimos, in eo loco ab illis collocatus esse dæmones per infamis artis eorū excellentiam. Hoc autem monumentum factum est à Ianne & Mābre fratribus, qui propter magicæ artis excellentiam primas partes habebant illo tempore apud Pharaonē. Vt qui ergo illo vitæ suæ tēpore maximam in Ægypto haberēt potestatem, construxerūt illud opus ex lapidibus quatuor pedum magnitudine. & suū illic fecerunt monumentū: & cùm multū illic auri deposuissent, & omne genus arbores plantassent, maximum quoque puteum aquæ foderunt. est enim locus qui cedit facile. Hæc autem omnia fecerunt, sperantes post suum hinc discessum, frui deliciis in illo paradiso. Tandē ergo quoniam nesciebat viam quæ ad eum ducit hortum, Dei ser- C uus Macarius, cōiectura quadam sequebatur astra. & sicut Nautæ qui transmittunt maria, totam persuasit sanctus solitudinē: & cùm aliquot etiā accepisset arūdinea, vnā statuit in vnoquoque miliari, vt per eam rediret. Cū ergo intra nouem dies totā illam persuasisset solitudinē, & esset propè illū hortū, succedente nocte parū dormiit. Immanis verò dæmon qui semper aduersatur Christi athletis, cùm collegisset omnes illas arundines dormiente Macario, & circiter ad vnum lapidem a monimento ad eius caput posuisset, recessit. Postquam ergo surrexit, inuenit colligatas arundines quas ipse fixerat signi causa. Fortasse autem hoc quoq; fuit Dei permisso ad maiorem eius exercitationem, vt non speraret in arūdinibus, sed in Dei gratia, quæ per columnā nubis deduxit Israël D quadraginta annis in terribili illa solitudine. Dicebat autem Macarius: Cū propiùs accessi ad illud monimētum, ex eo egressi mihi occurrerunt ad septuaginta dæmones variis formis præditi: alij quidem clamātes; alij verò exilientes; alij verò cū magno fremitu in me stridentes dentibus. Alij verò tanquam corui volantes, audebant meo vultui insultare, dicentes: Quid vis Macari, tētator monachorū? Quid ad nos accessisti? An non nos quoque aliquē ex monachis vexauimus? Quæ nostra sunt, tu cū tuis similibus illic habes, nēpè solitudinem: & illinc nostros cognatos fugauistis. Nihil est nobis tecum commune. Quid loca nostra inuadis? Tanquam Anachoreta, contētus esto solitudine. Qui hunc locum ædificarunt, eum nobis assignarunt, non potes hic manere. Quid quæris E ingredi in hanc possessionem, in quam nullus ex viuis hominibus est ingressus, ex quo fratribus qui hoc condiderunt sunt à nobis hic factæ exequiæ? Et cùm multa adhuc facerent & insultarent dęmones, dixit eis sanctus Macarius; Ingrediar tantùm, & videbo, & hinc recedam. Dixerunt autē dæmones, Hoc nobis promitte in tua cōscientia. Dicit autem Christi seruus, Hoc faciā. Dæmones autē euaderunt. Ingrediente autem eo in paradisum, ei occurrit diabolus cum stricta romphæa, ei minitans. Ad quem hanc vocem respondit sanctus Macarius: Tu venis ad me in stricta romphæa: & ego contra te ingrediar in nomine Domini Sabaoth, in acie Dei Israël. Ingressus autem contemplatus sum omnia: in quibus inueni etiam cadum æneum, catena ferrea pendentem ex puteo, iam tempore consumptum, & fructum malorum

Spiritus fornicationis.

Culices maximi.

κηποτάφιον monumentum Iannis & Mābris κηποτάφιον, id in horto sepulchrum.

Qui Chenceres Ægyptius rex fuit Fulg. li. 8 cap. 12.

Variæ dæmonum apparitiones.

Intrat Macarius dæmonibus.

Descriptio sepulchri magorum.

Punicorum quæ nihil intus habebant; fuerant enim arefacta à sole, & plurima aurea donaria. Cùm sanctus ergo illinc recessisset absq; tumultu & citra vllam perturbationem, reuersus est per viginti dies in suam cellā. Cùm

Tentatur esuriens.

autem defecissent panes & aqua quam portabat, in magna erat afflictione. Viginti enim diebus ingrediens per solitudinem, vt existimo nihil omnino gustauit, vt etiā res ostendit. Fortassè autem tentabatur quoque intolerantia. Et cùm iam parum abesset quin collaberetur, visa est ei quædam puellæ speciem præ se ferens, vt ipse narrabat, mūda linea veste indota, & tenēs vrnam aqua stillantem; quam dicebat Macarius abfuisse ab eo circiter vnum stadium. Qui tres dies ingressus est eam videns cū vrna tanquam stantem, & eum prouocantem, non valētem eam assequi; spe autem bibendi, trium dierum laborem fortiter sustinuit. Postquam apparuit multitudo bufalarum, ex quibus vna stetit ex aduerso eius habens vitulum. Sunt enim multæ in illis locis, & vt dicebat nobis

Lactatur Macarius à Bufala.

Macarius, vber eius lacte fluebat: & desuper sonuit vox ei dicens: Macari accede ad bufalā, & lactare. Cùm ergo, inquit, ad eam accessissem & lactatus essem, mihi suffecit. Vt autem maiorem gratiam ostenderet Dominus, docens meam paruitatem, iubet bufalam me sequi vsq; ad cellam. Illa verò parens iussui secuta est, me quidem lactans, suum autem nolens vitulum. Aliquando rursus cùm puteum foderet hic virtute præditus, ad recreādos

Aspidis morsu non obfuit Macario.

Monachos: ibi autem erat propè folia & sarmenta illic posita: morsus est ab aspide: est autem venenatū & exitiosum animal: aspidem apprehendens sanctus ambabus manibus, eam discerpsit, dicens: Cùm te nō misisset Deus meus, quomodo ad me ausus es accedere? Cùm ipse rursus magnus audisset Macarius, quòd haberent præclarum vitæ institutum Tabennesiotæ, veste mutata, & assumpto mundano habitu operarij, spacio quindecim dierū peruenit Thebaidem, ingressus per solitudinem. Et

Pachomius postea sect. 38.

cùm venisset in monasterium Tabennesiotarum, quæsiuit eorum Archimandritam, nomine Pachomium, virū probatissimum, & qui gratiam habebat propheticā. Cui quidem sancto tunc reuelatus fuerat magnus Macarius. Cùm ergo eum cōuenisset, dicit ei Macarius: Oro te, suscipe me quæso in tuū monasterium, vt fiam monachus. Dicit ei magnus Pachomius: Non potes deinceps fieri monachus, qui iis tā prouectus ætate: nō potes te exercere. Sūt fratres qui se exercēt à iuuētute & laborem tolerant. Tu autē in hac ætate nō potes ferre tentationes:

Monachi assuescant à iuuentute.

offenderis, & exibis & nobis maledices. Neque eum accepit, nec primo die, nec secundo vsq; ad septem dies. Ille verò fuit cōstans, manens ieiunus. Postea autem dixit ei senex Macarius: Suscipe me Abbas, & nisi ieiunauero, & fecero ea quæ ipsi operā, iube me eijci ex monasterio. Persuadet fratribus magnus Pachōmius vt eū admittāt. Est autem vnius monasterij conuētus, mille quadringēti viri vsque in hodiernum diem. Ingressus est ergo. Cùm autem præteriisset aliquantum temporis, aduenit qua-

Quadragesima.

dragesima, & vidit senex Macarius vnumquēque suscepisse diuersas viuendi rationes: aliū quidē comedere vespere, aliū verò post duos dies: alium post quinque: alium

Ieiunia portentosa.

stare per totā noctem, interdiu verò sedere ad opus. Ipse autem cū aliquot palmæ ramos sibi madefecisset, stetit in vno angulo, & donec quadraginta dies impleti essent, & aduenisset Pascha, nō sumpsit panē, non aquam, non genu flexit, non sedit, non accubuit; nihil aliud gustauit præter pauca cruda crābes folia, quæ sumebat die dominico, vt videretur comedere, & nō incideret in arrogantē de se persuasionē: & si quādo egrediebatur ad aliquid necessariū, citò rursus ingrediēs, stabat ad opus, os nō aperiens, sed stās silentio, nihil aliud faciens præterquā silentiū in corde exercens, & faciens orationem, & ramos palmæ operans quos habebat in manibus. Cùm autem hæc vidissent omnes exercitatores illius Monasterij, se-

Æmulatio monachorū murmure.

ditionem excitarūt aduersus suum præfectum. Vndenā nobis adduxisti hunc hominem sine carne ad nostri cōdemnationem? Aut eum hinc eiice, aut, vt scias, nos om-

A nes hinc recedimus. Cùm hæc autem à fratribus audisset magnus Pachomius, de eo est sciscitatus. Et cùm didicisset eius vitæ agendæ rationem, Deū rogauit vt ei reuelaretur quisnā sit. Reuelatū est autē ei eū esse Macariū

Pachomius agnoscit Macarium reuelatione.

monachum. Tunc eius manū prehendit magnus Pachomius, & eū foras educit: & cū eum deduxisset in domum oratorij vbi est ara, & esset amplexus, ei dicit, Adesdum venerande senex: Tu es Macarius, & me id celasti. Multis abhinc annis cupij te videre eū de te audirem: Ago tibi gratias, quòd filios meos subegeris, ne se iactent & magnificè circumspiciant propter suam exercitationem. Rogo ergo te, recede in locum tuum; Nos enim satis ædificasti, & ora pro nobis. Tunc ab ipso rogatus, & cum omnibus fratribus orātibus, sic recessit. Aliquādo rursus narrauit nobis hic vir impatibilis: Quando rectè gessissē omnem vitæ monasticæ agendæ rationē, tunc veni ad a-

B liud spiritale desideriū. Statui enim quinque dies solam mentem meā ita componere, vt à Deo auelli non posset,

Quibus modis mētem in cælestia erigeret Macarius.

& nihil aliud omnino cogitaret: & cùm id apud me statuissem, clausi meā cellam & aulam extrinsecus, vt nulli darem responsum. Et steti incipiēs à secūda, & mēti præcipiens, & ei dicens: Vide ne descendas de cælis, Habes Angelos, Archangelos omnes supernas potestates, Cherubin & Seraphim, Deum horū omnium effectorem: Illic versare: ne sub cælos descenderis: ne incideris in mūdanas cogitationes. Cùm duos autē, inquit, dies & duas

Dæmō cōbussit omnia Macarij.

noctes perseuerassem, ita irritaui dæmonem, vt ipse fieret flamma ignis, & combureret omnia quæ habebā in cella, adeò vt etiam storea supra quā stabam igne arderet, & sic me quoque existimarem totum conflagrare.

C Tandem timore affectus tertio die destiti ab hoc proposito: cùm nō possem amplius mentem meam tenere indiuulsam: sed descendi ad huius mūdi cōtemplationem.

Presbyter cancro curatur.

Deo fortassè permittēte, ne hoc mihi reputaretur in superbiam. Ego ad eū accessi aliquādo: & inueni extra eius cellam iacētem quendam vici presbyterum, cuius caput ita erat exesum à morbo qui dicitur cancer, vt etiam ipsum os totum appareret in vertice. Is accessit ad ipsum vt curaretur: nec eum admittebat ad colloquium. Rogaui autem eū, dicens: Miserere huius miseri; & saltē da ei responsum. Is verò mihi respondit, dicens, Est indignus qui curetur: amandata est enim eius disciplina. Quòd si velis eū curari, persuade ei vt deinceps abstineat à ministerio sanctorū sacramentorū. Ego autē ei dico, Quam-

Sacerdos indignè celebrans punitur. Sacrificare.

D obrem quæso, is verò dicit: Fornicās faciebat peregit ministerium, & ideò castigatur. Nunc ergo si metu desistat ab eo quod ausus est facere per contemptū, Deus ipsum curabit. Postquā ergo dixi ei qui affligebatur, iureiurando est pollicitus se non amplius sacrificaturū. Tunc eum accepit, & dixit ei: Credisne esse Deum quem nihil latet? Respondet ille: Maximè, rogo te, Deinde ei dicit Macarius, Non potuisti Deum illudere. Dicit ille, Non potui domine mi. Dicit ei Macarius, Si agnoscis tuū peccatū, & Dei disciplinam propter quā hæc subiisti, corrigitor in posterum. Qui confessus est peccatum, & spopondit

Confessio peccati & sponsio.

se non amplius peccaturum, neq; altari ministraturum, sed potius laicam amplexurū. Deinde sic sanctus ei manus imposuit: & paucis diebus fuit curatus: capilliq; ei creuerunt: & sanus domum rediit Deum glorificās: egit

E autem magno quoque Macario gratias. Hic sanctus habebat diuersas cellas: Vnam quidem in Scete quæ est in-

Quadragesima. Curatio insanorum.

terior in solitudine: & vnam in Liba: & vnam in cellis: & vnam in mōte. Et aliæ quidem carebant ostio, in quibus dicebatur sedere in quadragesima in tenebris: alia autem erat angustior, in qua nō poterat pedem extendere: alia autem latior, in quā cōueniebat eos qui ad ipsū veniebant. Hic curauit tātam multitudinē eorum qui vexabantur à dæmonibus, vt ea non cadat in numerum. Cùm nos autem illic essemus, virgo nobilis deducta est ad eum è Thessalonica, quæ multis annis laborabat paralysi. Hanc viginti diebus vngēs oleo sancto suis manibus, & orans, sanā remisit in suam ciuitatem. Quæ cū recessisset, ad eum copiosam misit oblationem. Me autem

Dæmoniacus sanatur Sacri Olei & aquæ virtute.

præsente, adductus est ad eum puer qui vexabatur à spiritu. Ei autẽ manũ imponens in capite, & alteram suprà cor, tãdiu orauit donec fecisset ipsũ pẽdere ab aëre. Tanquã vter ergo puer inflatus, adeò intumuit, vt esset maximi põderis: & cùm repẽtè exclamasset, per omnes sensus aquã emisit. & cùm rursus desiisset, redit ad eam in qua priùs erat mensuram, & tradidit eum patri, cùm vnxisset oleo sancto: & cùm aquã infudisset, præcepit ne quadraginta diebus carnes tangeret, nec vinum: & sic eum curauit. Eum aliquando subierunt cogitationes vanæ gloriæ, quæ eum è cella eiiciebant, & suggerebant vt honesto consilio & iusta de causa Romam veniret pro beneficio eorum qui ægrotabant. valdè enim in eum operabatur gratia aduersus spiritus. Postquã autem longo tempore non obediit, valdè agitabatur. Cadẽs verò in limine cellæ, foras pedes emisit, & dicit: Trahite & vellite ô dæmones; Ego enim non abeo meis pedibus, iurans fore vt iaceat vsque ad vesperam, & nisi eum excutiant, non esse auditurũ. Cùm autem diu procubuisset, surrexit. Cũ nox autem aduẽtasset, ei rursus exhibuere negotium: & cùm duorum modiorum sportam implesset arena, & imposuisset humeris, peruadebat totam solitudinem. Huic occurrit Theodosius Cosmetor genere Antiochenus, & ei dicit, Quid portas Abba? Cede mihi onus, & ne vexeris. Ille autem dixit, Vexo eum qui me vexat: nam eũ sit remissus & ignauus, suggerit mihi peregrinationes. Cũ autem diu permouisset, ingressus est cellam cõtrito corpore. Narrauit autem nobis Dei quoq; seruus Paphnutius, præclari huius sancti discipulus, quòd cùm quodam die sederet in aula sanctus Macarius, & Deum alloqueretur, C hyæna acceptum suum catulum, qui erat cæcus, attulit ad sanctum Macarium: & cùm capite pulsasset ostium aulæ, ingressa est, eo adhuc sedente, & proiecit catulum ad eius pedes. Cùm autem accepisset catulum sanctus Macarius, & spuisset in eius oculos, orauit, & statim vidit: & cùm mater eum tractasset & accepisset, ita exiit. Die autẽ sequenti pellẽ magnæ ouis attulit ad sanctum Macarium: & cùm sanctus vidisset pellem, hæc dixit hyænæ: Vndénam hanc habuisses, nisi ouem alicuius deuorasses? Quod ergo proficiscitur ab iniuria, ego à te non accipio. Hyæna autem humi inclinato capite, genu flectebat ad pedes sancti, & ponebat pellem: Ipse autem ei dicebat: Dixi me non accepturum, nisi iuraueris te nõ ampliùs offensuram pauperes comedendo eorum oues. D Illa verò ad hoc quoque capite suo annuit, vt quæ sancto assentiretur Macario. Tunc accepit pellem ab hyæna. Beata autem Christi ancilla Melana dixit mihi se illã pellem accepisse à Macario illo, quod appellabatur munus hyænæ. Quid verò mirum est apud viros mũdo crucifixos, si hyæna beneficio affecta, ad Dei gloriam & honorem seruorum eius, id sentiens ad eum munera attulerit? Nam qui in Daniele Propheta mansuefecit leones, huic quoque hyænæ largitus est intelligentiam. De eo autem dictum est, quòd ex quo fuit baptizatus, humi non spuerit, cùm essent sexagiota anni ex quo fuerat baptizatus. Forma autem eius erat huiusmodi. Oportet enim me quoque tibi hoc significare, Christi serue, vt qui hoc sciã optimè, cùm mea paroitas ei fuerit tempore æqualis. Erat autẽ eius forma satis minuta ac mutila & E rara, pilos solũ habẽs in labro. Quinetiam in suprema parte genæ habebat paucos: Nam propter ingentes laboris exercitationes, ne pili quidem ei enati sunt in genis. Ad hunc sanctum Macarium cùm quodam die venissem, & essem animo valdè anxius, dico illi: Abba Macari! Quid faciam, quoniam me affligunt cogitationes, mihi dicentes: Nihil facis, recede hinc. Respondet mihi dicens sanctus pater Macarius: Dic tu tuis cogitationibus: Propter Christum custodio parietes. Hæc ô studiose & amantissime Christi serue, ex multis & magnis signis & certaminibus incliti & virtute præditi Macarij significaui. Hic Macarius nobis narrauit, erat enim presbyter, se obseruasse tempore communionis Christi sacramentorum, se Marco exercitatori nunquam dedisse oblatio- A nem, sed ei Angelum dedisse ex ara: solum autem se vidisse digitum manus eius qui dabat.

Miro onere se affligit Macarius.

Paphnutius.

Hyæna præmiũ adfert Macario.

Macarius sputo illuminat hyænæ catulũ.

Adiuratur Hyæna.

Humi non spuit Macarius.

Palladius cõsolit Macarium. Marcus Heremita Eucharistiam ab Angelo accipit, Niceph. lib. 11. cap. 35.

VITA ABBATIS MARCI. Sect. XVIII.

Cum esset autem hic Marcus iunior, discebat memoriter vetus & nouum testamentum, etãque insigniter miris, & summè temperans. Quodam ergo die cùm satis ocij haberem in cella mea, in extrema iam eius senectute ad eum venio, & ostio eius cellæ assideo. Quẽ ego, vt potè qui essem adhuc rudis, extstimabam esse supra hominem sicut erat: & auscultabam quidnam diceret vel faceret. Is autem intus solus, cùm iam centum annos transegisset, & dentes amisisset, secum pugnabat, B & cum diabolo, & dicebat: Quid vis deinceps κακόγηρε id est, male senex. Ecce iam & vinum bibisti, & oleum tetigisti. Quid vis deinceps παμφάγε, id est, vorax in canicie, & κοιλιόδουλε, id est ventri seruiens, probro & contumeliis te ipsum afficiens? Et diabolo dicens, Recede à me diabole, consenuisti mecum in dissensionibus. Fecisti me bibere vinum, & sumere oleum, me reddẽs voluptarium. Adhuc-ne tibi aliquid debeo? Apud me nihil inuenis quod velis diripere. Recede à me deinceps inimice hominum. Ac veluti se prouocans & irritans, secum loquebatur, dicendo: Adesdum ô nugator in canicie vorator, & belluo in senectute; Quandiu ero tecum!

XXI. *Marcus anno 374. de quo Nicepho. lib. 11. cap. 35. Cassiod. li. 8. c. 1. Soz. li. 6. cap. 29. Marcus iam senex secum & cum diabolo disputat.*

VITA ABBATIS MOSIS, QVI FVIT *ex latronibus.* Sect. XIX.

Fvit quidam Moses nomine, Æthiops genere, niger, seruus cuiusdam qui regebat rempublicam. quem propter morum improbitatem & latrocinij crimẽ proiecit eius Dominus. Dicebatur enim etiam vsque ad cædes progredi: cogor enim dicere facta eius improbitatis, vt postea ostendam virtutem eius pœnitentiæ. Narrarunt ergo aliqui eum fuisse præfectum magnæ cateruæ latronum. Cuius inter cætera latrocinandi opera, hoc quoque fertur, quòd infesto & vindictæ cupido animo erat in pastorem, qui ne rẽ aliquam effectam redderet, ei fuerat impedimẽto, dum cum canibus gregis noctu abiset. Quem cùm vellet occidere, obibat locum, in quo eius oues habebant stationẽ. Ei autem significatũ est ipsum esse trans Nilum: D & cùm fluuius illo tempore inũdaret, & plus quàm mille passus pateret latitudine, ensem tenens mordicus, & tunicam qua erat indutus imponens suo capiti, natando sic transmisit fluuiũ. Dũ autẽ tranataret, potuit pastor se abscondere alicubi infodiẽs. Cùm ergo Mosi cœptum non successisset, occisis quatuor egregiis arietibus, & catena alligatis, Nilum rursus tranauit: & cùm in paruã quandã villam venisset, excoriauit arietes: & cũ quæ erant carnis optima comedisset, & pelles pro vino vẽdidisset: cùm satis octodecim ebibisset, illinc ad quinquaginta lapides est profectus, vbi habebat collegium. Hic princeps latronum serò tandem casu aliquo qui ei acciderat compunctus, tradidit seipsum monasterio: & ad tantam processit pœnitentiam, quantam res ipsæ indicarunt. Inter cætera autem E dicitur, quòd cùm quatuor latrones in eum in cella sedentem irruissent, ignorantes eum esse Mosem, beatus Moses eos tanquam saccum paleæ ligatos, & humeris imposuit, & ad fratrum portauit ecclesiam, dicẽs; Quoniam nõ licet mihi alicui facere iniuriam, inueni autem eos me aggressos, quid de iis iubetis fieri? Hoc modo autem comprehensi à sancto Mose, Deo confessi sunt: Et cùm cognouisset eum esse Mosem, qui fuit aliquãdo insignis princeps latronum, Christum eo nomine glorificãtes, illi quoque mundo renunciarũt propter eius pœnitentiam, & euaserunt monachi probatissimi: sic cogitantes, si hic qui tantum valebat viribus, latrocinia carni faciens, sic Deum timet: quid nos adhuc nostram salutem differimus? Beatum autem Mosem (sic enim o-

XXII. *Moses anno 374. de quo ea Soz. Cassia. li. 8. ca. 1. Cassia. col. 1. & 2. Niceph. li. 11. c. 36. c. 46. Arrianum designatus Episcopus non vult ab Arrianis consecrari. Theod. li. 4. hist. Eccl. cap. 21.*

Mira hominis conuersio: latro fit monach⁹. Soz. lib. 9. ca. 19. Epiphania vocatur Saltes quem dicit continere stationes viginti duos.

Tentatur Moses ad fornicationem.

Consulit Isidorum.

portet eum vocare) deincepsaadorti sunt dæmones, ad fornicatoriæ intemperantiæ impellentes eum cōsuetudinem. qui vsq; adeo ab ipsis fuit tentatus, sicut ipse narrauit, vt parum abfuerit quin eum ab instituto dimouerent. Cùm autem accessisset ad magnum Isidorum, qui sedebat in Scete, tertio ad eum retulit de bello fornicationis. Cui respondit sanctus: Ne conturberis ô frater: sunt principia; & ideò te vehemētiùs inuaserunt, priorē requirentes consuetudinē. Sicut enim canis cū assueuerit in macello ossa rodere, non recedit à cōsuetudine: sed si fuerit clausum macellū, & nemo ei dederit, fame enectus non amplius accedit. Sic tu quoque, si permanseris in tuæ continentiæ exercitatione, mortificans mēbra tua, quæ sunt supra terram, & excludens ab ingressu ingluuiem quæ parit intemperantiā, ægrè ferens dæmon, vt qui cibos non habeat quia accendant, à te recedet. Cū ergo fecisset Christi seruus Moses, & ab illa hora seipsum inclusisset in cella, maxima in omnibus exercebatur tolerantia, maximè autem in abstinentia à cibis: vt qui nihil aliud sumeret præter panis sicci vncias XII. plurimum operans, & quinquaginta orationes quotidiè peragens. Porrò autem quamuis suum liquefecisset corpusculum, permansit tamen inflammatus, & præcipuè in somnis. Cùm autem surrexisset, conuenit quendam aliū monachum sanctum probatissimum, & ei dicit; Quid faciam Abba? Rationi meæ tenebras offundunt somnia animi, vt qui eis ex veteri consuetudine delecter. Dicit ei ille sanctus: Non cohibuisti mentem tuam à visis quæ in eis versantur: ea de causa hæc sustines. Fac ergo quod dico. Dede te paulatim vigiliæ, & ora sobrius: & ab his citò liberaberis. Cùm hoc autem monitum audisset vir præclarus, tanquam ab eo qui erat artifex experientia: in cellam reuersus, dixit ei, quod quidem sua sciat consciētia, tota nocte non dormisse: non orationis prætereà flexisse, vt somni fugeret tyrannidem. Cum annis ergo sex mansisset in cellas, totas noctes stans in medio cellæ, & Deum orans assiduè, & non claudens oculos, non potuit intemperantem vincere cupiditatem. Re vera enim non potest verè castigari cupiditas. Cùm enim seipsum liquefecisset laboribus, turpem illam affectionem non potuit subigere. Posthæc aliam sibi suggessit rationem asperæ vitæ agendæ. Egrediens hic pugil Satanæ (vanè enim cum eo decertaoit) noctibus abibat ad cellas monachorum, qui se exercendo consenuerant in laboribus, & per se aquam non poterant amplius importare: & accipiens hydrias eis nescientibus, illas aqua implebat. Habent enim in illis locis aquam certa distantem longitudine. Alij quidem ad duos lapides: Alij verò ad quinque: Alij verò ad dimidiū. Vna ergo nocte qua hoc faciebat, dæmon qui eum obseruauerat, non amplius ferēs athletæ fortitudinem, cū ipse se inclinasset in puteū, vt vnius monachi impleret hydriam, clauam quandam ei impegit in lumbos: & eum in eo loco reliquit iacentem mortuum, nihil omnino sentientem, neque quid, neque à quo id passus sit. Cùm ergo alio die venisset quidā monachus ad aquam hauriendam, eum illic inuenit iacentem, linqui animo. Is autem id renūciauit magno Isidoro presbytero Scetę: Qui abiens cū aliquot alijs eum accepit, & tulit in ecclesiā. Ille verò anno toto ægrotauit, vt vix corpus eius & anima conualuerit. Tunc dicit illi magnus Christi Sacerdos Isidorus: Cessa deinceps frater Moses, cōtendere cū Dæmonibus: & ne sic eis insultaueris. Est enim modus quoq; fortitudinis in exercitationes. Is autem illi dicit: Non cessabo cum eis pugnare, donec mihi cessauerit phātasia somniorum. Tunc ei dicit sanctus Isidorus Presbyter, In nomine Domini nostri Iesu Christi, ab hoc temporis articulo cessarunt turpia tua somnia. Bono deinceps & fidenti animo cōmunica sacramentis. Ne enim gloriareris, vt qui tua exercitatione vicisses affectionem, ideò vehemēter in te suam exercuit potestatem, ad tuam vtilitatem, ne incideres in animi elationem. His auditis reuersus est in cellam, quietè deinceps attendens moderato instituto exercitatio-

Quid faciendum contra fornicationis spiritum.

Col. 5.

Abstinentia à cibis.

Quinquaginta orationes.

Quid contra vitiosa somnia.

Moses noctu hydrias monachorum replet aqua.

Dæmon in Mosen irruit, eius ori fistulam ingerit. Cassi. col. 7. cap. 27.

Moses ægrotat.

Mosē vides propter somnia turpia non cōmunicasse, ita cauent Iust. martyr, in quæst. & patres in decretis Cassia. col.

A nis. Post duos autem vel tres menses rogatus à beato Isidoro presbytero exercitator Moses: Nunquid amplius ei molestiam exhibuisset spiritus, respondit: Ab illa hora qua mihi precatus est Christi seruus, nihil mihi accidit eiusmodi. Dignatus est autem hic sanctus gratia aduersus dæmones: adeò vt sicut nos muscas hyeme contemnimus: ita, atq; adeò amplius, hic magnus Moses contēneret dæmones. Hæc est vita quam egit Moses Æthiops, qui ipse quoque numerabatur inter magnos. Obiit autē septuaginta quinque annos natus in Scete, cùm factus esset presbyter, relictis septuaginta quinque discipulis.

7. cap. 10. 22 ca 4 & infra sect. 63. Moses factus presbyter.

VITA ABBATIS PAVLI.
SECT. XX.

B MOns est in Ægypto, abducens in vastam Scetes solitudinem, qui appellatur Pherme. In hoc monte sedent circiter quingenti homines qui exercentur. Inter quos fuit etiam quidā nomine Paulus, monachus optimus, qui toto suo tempore hanc egit vitam: Nunquam opus attigit, nec vllum suscepit negotium: nil vnquam accepit ab aliquo, præterquam quod posset in ipso die comedere. Fuit autē eius opus & exercitatio orare perpetuò. Hic habebat trecentas preces expressas & præstitutas, totidem habens in sinu calculos, & in vnaquaque oratione iaciens vnum calculum. Is cùm accessisset ad sanctum Macarium qui dicitur politicus, eius conueniendi gratia & propter spiritalem vtilitatem ei dicit: Abba Marci, valdè affligor, coēgit eum Christi seruus dicere causam propter quam molestia afficiebatur. Is ve- C rò ei dicit.

XXIII. Paulus Abbas Nice. li. 11 c. 36. Cass. li. 8. cap. 1. hist. trip.

Paulus ad calculū fundit 300 orationes. Huius Pauli puritatem & castitatē qui ne mulierem videre potuerit & miracula refert Cassian. col. 7. cap. 26.

DE VIRGINE QVÆ FACIEBAT
septingentas orationes. SECT. XXI.

IN quodam vico habitat quædam virgo, quæ tricesimum annum iam exercetur. De qua multi mihi narrarunt, quòd præter sabbatum & dominicam nullo alio die vescitur, sed toto tempore trahens hebdomadas, & post quinque dies comedens, facit septingentas orationes. Hoc cùm didicissem meipsum reprobaui, quòd vir creatus his viribus corporis, non potuerim facere plus quàm trecentas orationes. Et respondet sanctus Macarius dicens: Sexagesimus annus agitur ex quo centum constitutas facio orationes, & laborans manibus ea quæ D sunt ad alimentum necessaria, & fratribus vtilitatē reddens congressionis: nec mea me iudicat ratio, quòd fuerim negligens. Si tu autem cùm trecentas facias orationes, iudicaris à conscientia: apertè ostendis te non purè orare, vel posse plures orationes facere quàm facias.

XXIIII. Virginis abstinentia. 700. orationes. 100. orationes continuæ publicis rebus implicato, non minoris pretij quàm 100. nihil aliud agentis.

DE CRONIO PRESBYTERO.
SECT. XXII.

CRonius quidam mihi narrauit presbyter Nitriæ. Cùm essem, inquit, iunior ab initio, & propter animi angorem & tristitiam fugerem ex monasterio mei Archimandritæ, errans perueni ad montem sancti Antonij. Sedebat autem beatus Antonius inter Babylonem E & Herculeas in vasta solitudine quæ fert ad mare rubrum, circiter triginta millibus à fluuio. Cùm ergo venissem ad eius monasterium quòd est propè fluuium, in quo sedebant eius discipuli Macarius & Amatas, qui eum etiam cùm dormiisset sepelierunt, expectaui quinque dies, vt conuenirem sanctum Antonium. Dicebatur autem accedere ad hoc monasterium, aliquando quidem post decem dies, aliquando verò post viginti, aliquando verò post quinque, prout expediebat pro beneficio eorum qui veniebant ad monasterium. Conuenerāmus ergo diuersi fratres, diuersis de causis. Inter quos fuit etiam Eulogius Alexandrinus monachus, & cum eo alius membris mancus: qui quidem propter talem causam accesserunt.

XXV. Cronius centum & decem annorum monach. Niceph. lib. 11 cap. 37.

Eulogius Alexandrinus.

DE EVLOGIO ALEXANDRINO, *& eo qui erat membris mancus*, SECT. XXIII.

XXVI. Eulogius Niceph li. 11. cap. 23.

Hic Eulogius fuit disciplinarum liberalium scholasticus, qui diuino amore sauciatus, propter desiderium immortalitatis, renunciauit tumultibus: & cùm omnia suas dispersisset facultates, sibi reliquit paucos nummos, cùm non posset operari. Cùm ergo per se angeretur animo, & esset tristis, & neque vellet cum aliis congredi, neque vt solus esset satis sibi persuaderet, inuenit quendam mancum ac mutilatum in foro proiectum, qui nec manus habebat nec pedes. Ei solum lingua remanserat integra ad alloquendum eos qui incidebant. Eulogius autem stans, cum fixis in eum oculis, & Deum rogat: & cum Deo hoc modo paciscitur, dicens: B Domine propter nomen tuum accipio hunc mutilatum & eum me recreaturum ac refecturum spondeo vsque ad horam mortis eius: vt ego quoque per eum saluus fiam. Largire ergo mihi Christe patientiam vt ei inseruiam. Et ad eum accedens, dicit ei: Vis ergo te domo accipiam, & te recreem ac reficiam? Ille ei dicit: Vtinam dignatêris, sed ego sum indignus. Vado ergo, inquit, & adducam asinum, & te hinc auferam. Cum magno autem gaudio est assensus is qui erat mutilatus. Eum ergo sustulit & portauit in suum hospitiolum: eiúsque curam gessit in omnibus quibus opus habuit. Perpetuis ergo quindecim annis, is qui erat mutilatus, beneuolè ab eo curabatur tanquam pater, vt qui lauaretur, vngeretur, foueretur, & portaretur manibus Eulogij, & supra suam dignitatem quidem custodiretur, morbo autem conue- C nienter reficeretur. Post quindecim autem annos inuasit dæmon eũ qui erat mutilatus, volens priuare Eulogium mandato & proposito, & mutilatum à refectione, & Dei gratiarum actione, seditionémque excitat in Eulogium, multisq; eum probris cœpit insequi, adeò vt eum etiam appeteret maledictis dicẽs deinceps: Abi hinc scelerate fugitiue. Suffuratus es alienas pecunias: & dominũ spoliasti: & meo prætextu vis latere, vt qui prætextu benè faciendi me acceperis in hospitiolum, & propter me vis esse saluus. Eulogius autem eor eius lenibat, dicens: Ne Domine, ne hæc dixeris: sed dicas quãnam in re tibi fuerim molestus, & eã corrigam. Mancus autem dicebat arroganter: Nõ fero has assentationes: aufer me hinc, & proiice in foro: recuso tuam curationem. Dicebat autem D Eulogius: Rogo te, patere tui curam geri, & dic si quid sit tibi graue Domine mi. Mutilatus autem magis incensus ei dicebat: Nõ possum amplius ferre tuam subdolam & ironicam adolationem: Non placet mihi hæc vita parca & sordida, ego volo vesci carnibus. Pariẽs autem Eulogius carnes ad eũ attulit. Cùm eas autem vidisset qui vexabatur, Non satis est mihi tecum esse solũ, turbas volo. Ei autẽ dicit Eulogius: Ego ad te iam adducã monachorum multitudinem. Ille autem rursus ægrè ferens, dixit; Væ mihi misero: Tuum aspectũ ferre non possum: & tu ad me adducis tui similes, qui cùm sint ociosi, comedũt. Et insolenti voce seipsum lanians, vociferabatur, dicens, Nolo, nolo, in forum deduci volo. O violẽtia: abiice me vbi inuenisti. Dico quod si habuisset manus, in animum induxisset vel se suffocare, vel sibi ense manus inferre. E Cũ dæmon sic eum efferasset, postea se confert Eulogius ad propinquos monachos: & dicit eis: Quid faciam? Ad desperationem me deduxit mutilatus. Dicunt ei, Quamobrem? Ille autem, Me, inquit, grauiter afficit, nec scio quid faciam. Abiiciam ipsum, sed Deo dedi dexteram: & timeo. Non abiiciã, me dies noctésq; malè habet. Nescio quid faciam. Ei dicunt illi absolutè: Adhuc viuit magnus ille (sic enim vocabant sanctum Antonium) Ascende ad ipsum, mutilatum imponens in nauigium: & defer eum in monasterium: & expecta donec magnus venerit à spelunca, & ad eum refer iudiciũ: quòd tibi dixerit, sta illius sentẽtiæ. Deus enim tibi dicit per ipsum. Verbis eorum morem gessit Eulogius, & mutilato blandiens, cùm eum

Mira in mutilatum Eulogij humanitas.

Mutilatus agitur spiritu dæmonico: & in Eulogium murmurat.

Mutilatus vult vesci carnibus.

Quid agat de mutilato Eulogius consulit S. Antonium.

A immisisset in cymbam pastoralem, noctu egressus est ex vrbe, & tulit eum in monasterium discipulorum magni Antonij. Accidit autem vt alio die veniret magnus serò vespere, vt narrauit Cronius, amictus chlamyde pellicea. Ingressus est ergo in suum monasterium. erat autem hæc eius consuetudo vt alloqueretur Macarium, & eum interrogaret: Frater Macari, venerunt ne huc aliqui? Respondebat Macarius, Venerũt. Dicebat autem magnus, Sunt ne Ægyptij an Hierosolymitani? Dederat autem magnus ei signum, dicens, Cùm videris venisse aliquos quibus est minus negocij, dic, Adsunt Ægyptij. Quando autem videris venisse aliquos religiosiores & paulo considerantiores, dic, Sunt Hierosolymitani. Rogabat ergo magnus pro more, dicens fratri Macario, Sunt Ægyptij fratres, an Hierosolymitani? respondet Macarius, dicens, Est mixtura. Quando ergo dicebat Macarius, Sunt Ægy- B ptij, dicebat ei magnus: Para eis lentem, & da eis quod comedant, & faciebat eis vnam orationem, & dimittebat eos. Quando autem dicebat, Sunt Hierosolymitani, sedebat per totam noctem, & eis dicebat ea quę pertinẽt ad salutem. Sedens ergo illo vespere, dicit: Vos omnes accersit magnus: cumque nullus ei dixisset quod nomen haberet scholasticus, cùm serum esset vesper, vocat eum dicens, Eulogi, Eulogi: & cùm ter proclamasset, & scholasticus Eulogius non respondisset, putans aliquẽ alium vocari hoc nomine, dicit ei magnus: Tibi dico Eulogi, qui venisti ab Alexandria. Tunc ei dicit Eulogius, Quid iubes quæso? Dicit ei magnus, Quid huc venisti? Respõdit ei Eulogius, dicens: Quis tibi reuelauit nomẽ meum, rem quoque propter quam veni reuelauit? Dicit ei san- C ctus Antonius, Didici quare venisti. Sed dic coram fratribus, vt ipsi quoque audiant. Iussus autem à magno Eulogius, dixit coram omnibus. Hunc mutilatum inueni ego in foro proiectum & neglectui habitum: Eius autem misertus, Deum sum precatus vt daret mihi gratiam in ipsum tolerantiæ: Dexteram quoque dedi Deo, quòd in morbo eius curam geram, vt & ego per ipsum saluus fiam, & ipse à me recreetur: Sunt autem quindecim anni ex quo simul versamur, sicut etiam tuæ sanctitati reuelata sunt omnia. Sed nescio quidnam mali à me passus, post tot annos me summè vexat, & in animo habui ipsum eiicere, ipso me ad hoc cogente. Ea de causa veni ad tuam sanctitatem, vt mihi consulas quidnam debeam facere, & ores pro me: me enim vexat grauiter. D Dicit ei magnus Antonius graui & austera voce, Abiicias tu eum Eulogi: at qui eum creauit, non abiicit: Si tu eum abiicis, Deus ei excitabit te meliorem qui eum colligat. Conticuit Eulogius, & extimuit cùm hæc audisset. Relicto autem Eulogio magnus Antonius, incipit lingua flagellare mutilatum, & ad eum exclamare: Mutilate, maculate, cœlo & terra indigne, Non cessas cum Deo pugnare, & tuum fratrem irritare? Nescis esse Christum qui tibi ministrat? Quomodo audes hæc loqui aduersus Christum? Non propter Christum se tuo mancipauit seruitio? Cùm ergo eum quoque verbis coërcuisset increpantibus, eos dimittit: & cùm disseruisset cum fratribus de iis quę erant vnicuique necessaria, rursus accedit ad Eulogium & mutilatum, & dicit eis: Ne vsquam immoremini ô fratres, sed abite in pace, & ne inuicem E separemini, deposita omni molestia quam vobis iniecit dæmon: & cũ bona dilectione reuertemini in cellam in qua longo tempore versati estis. Iam enim mittet Deus ad vos. Hæc enim tentatio in vos excitata est à Satana, quoniam scit vos iam ad finem peruenisse, & futurum esse vt coronas à Christo accipiatis, ipsum per te, & te per eum: Nihil ergo aliud cogitaueritis. Quòd si veniens Angelus non inuenerit vos in eodem loco, futurum est vt coronis priuemini. Citò ergo festinãtes ingressi sunt, & venerunt in suam cellam in fine agapes: & intra viginti quatuor dies obiit beatus Eulogius resolutus ad Dominum, & intra tres alios obiit is qui erat corpore mutilatus, sed anima firmus ac robustus, qui ipse quoque in manus Dei suum commendauit spiritum. Cùm

Chlamys pellicea sancti Antonij.

Hospitum discretio. adhortationes sancti Antonij.

B. Antonio reuelatur nomen Eulogij.

Non abiiciendi egeni & ægroti quamuis difficiles. Mutilatus cæditur & obiurgatur.

Dimittuntur in pace Eulogius & mutilatus.

Agapæ, conuiuium ad quod conueniebant pauperes Christiani.

Obitus Eulogij & mutilati.

ergo aliquanto tempore versatus esset Cronius circa loca Thebaidis, descendit in monasterium Alexandriæ, & accidit vt beati quidem Eulogij obitus à fraternitate celebraretur tricesimus dies, manci autem tertius. Cùm hoc ergo didicisset Cronius, obstupuit: & acceptum Euangelium, vt fidem haberent audientes, posuit in medio fratrum: & eis iurauit, narrans magni Antonij de his præscientiam, & de omnibus quæ acciderunt. & dicens: Horum ergo verborum fui interpres, cùm beatus Antonius Græcè nesciret. ego verò sciebam vtramque linguam, & eis sum interpretatus: iis quidem qui Græcè, quæ à magno dicta sunt: ipsi autem sancto Ægyptiacè, quæ dicta sunt ab Eulogio.

Confirmatur superior historia.

DE CONTEMPLATIONE QVAM *vidit Abbas Antonius.* SECT. XXIIII.

XXVII. Visio S. Antonij.

HOc quoque narrauit Cronius illa nocte magnum eis narrasse Antonium: Ego, aiebat, anno integro oraueram vt reuelaretur mihi locus iustorum & peccatorum: Vidi autem gigantem nigrum altissimum, qui ad nubes vsque pertingebat, habebat autem manus ad cælũ vsque extensas, infra autem erat lacus qui mare æquabat magnitudine. Vidi quoque animas tanquam aues sursum volantes. Et quæcunque quidem eius manus & caput superuolabant, seruabantur ab Angelis. Quæ autem à manibus eius verberabantur, incidebant in lacum. Ad me itaque vox peruenit quæ dicebat: Quas vides animas superuolasse caput Gigantis & eius manus, eæ sunt animæ iustorum, quæ quidem ab angelis seruantur in paradiso. quæ autem à manibus eius percutiuntur, eæ in inferno demerguntur: quæ quidem attractæ fuerunt à voluntate carnis, & odium secutæ sunt, & referendæ iniuriæ cupiditatem.

Paradisus & infernus.

VITA ABBATIS PAVLI *simplicis.* SECT. XXV.

XXVIII. Paul' Simplicius vitam scripsit D. Hieron. Nicep li. 8. cap. 40. Cassio. li. 2. cap. 11. deprehensa in adulterio coniuge intrat monasterium.

NArrauit autem sanctus Dei Hierax, & Cronius, & plures alij ex fratribus de quibus sum dicturus, quòd quidam Paulus agrestis agricola, insigniter innocens, & vita simplex, vxorem duxerat mulierem formosissimam, sed moribus improbam, quæ longissimo tempore peccans eum latuit. Aliquãdo autem de improuiso ingressus domũ suã, inuenit eos turpia perpetrantes, deducente Paulum prouidentia ad id quod erat sibi conducibile: eámq; cùm vidisset cum eo, cùm quo habebat stupri consuetudinem, honestè ac dedecorè risit, & eis exclamauit dicens: Benè est, benè est: reuera nõ est mihi curæ. Per Iesum, ego eam nõ accipiam amplius, abi eam tibi habe & eius filios: ego enim recedo, & efficior monachus. Cùm nulli autem dixisset aliquid, pertransit octo monasteria, & abit ad sanctum Antonium, & pulsat ostium. Egressus autem sanctus Antonius, eum interrogat: Quid vis? Et dicit Paulus: Volo fieri monachus. Respondet ei Antonius: Senex sexagenarius non potest hic fieri monachus, sed potiùs abi in vicum, & operare, & vitam dege operariam, Deo agens gratias: nõ potes enim sustinere afflictiones solitudinis. Respondet senex, & dicit: Si quid me docueris, illud faciam. Dicit ei Antonius: Dixi tibi te esse senem, & non posse esse monachum, abi: Si enim vis esse monachus, ingredere cœnobiũ vbi sunt complures fratres qui possunt tuam ferre imbecillitatẽ. Ego enim solus hîc sedeo, quinq; dierum spacio interiecto comedens, idq; esuriens. His ergo verbis Paulũ abigit. Postquã autem eum non admisit, clauso ostio Antonius tribus diebus foras non est egressus, propter se, nec propter ea quæ essent sibi vsui. Senex autem permansit non recedẽs. Quarto verò die cùm eum premeret necessitas, aperto ostio egressus est, & cùm rursus vidisset paulum, ei dicit: Abi hinc senex, Quid mihi es molestus? nõ potes hic manere. Dicit ei Paulus: Fieri nõ potest vt ego alibi quàm hic moriar. Cùm aspexisset autem Antonius,

Paulus pergit ad S. Antonium an. do. 327. est enim ascensus ad ordinãdum modo fiat maioris continentiæ desiderio. Cassian. col 17 cap. 14 id factitasse sauraitenses scribit Nenbrig. cap. 15.

A & vidisset eum non ferre ea quæ sunt ad victum necessaria, nõ panem, nõ aquam, non aliquid aliud, & iã quartũ diem perseuerasse ieiunium, cogitauit apud se, Ne forte moriatur, vt qui non sit assuetus ieiunare, & meã maculet animam. Eum ergo admittit. Tunc ei dicit Antonius: Potes esse saluus si habeas obedientiã, & quòd à me audieris hoc feceris. Paulus autem respondẽs dixit: Faciam quæcunq; iusseris. Talémque vitæ asperæ agendæ rationem in illis diebus suscepit Antonius, qualẽ quãdo erat in principio iuuentutis. Eius ergo mentem probans Antonius, ei dixit: Sta, & ora in hoc loco, donec ingrediar, & afferam tibi quod opus erit. Ingressus autem speluncam, per fenestram animaduertit eum in eo loco totam hebdomadam manere immobilem, cùm ab æstu torreretur. Egressus autem post hebdomadam, cùm ex palmis

hist. & sermõe Abbatẽ Cassianus col 19. Obedientia monacho necessaria. Cassian. lib. 4 inst. & coll. 18 & 19 Mira hominis in orando perseuerantia. Ne murmurator fiat monachus.

B ramos madefecisset, ei dicit: Accipe, & cõtexe catenam, vt me vides. Texit senex ad horam vsque nonam quindecim vlnas magno labore. Cùm autem vidisset Antonius id quod contexuerat, id minimè ei placuit, & ipsi dicit: Malè contexuisti, retexe & denuò cõtexe, cùm iam septimo die ieiunus ageret, idque cùm esset grandis ætate. Tantum autem eum hac de causa afflixit, vt ægrè ferens senex fugeret Antonium, & vitam monachorum. Is autem eosdem ramos & retexuit & iterum contexuit cum magno labore, quòd ex contextura prima fuissent corrugati. Cum ergo vidisset magnus Antonius eum nec murmurasse, neque animum abiecisse, neque vultum suum omnino auertisse, & neque vel tantillum succensuisse, propter eum est compunctus, & sole occidente ei dicit, Patercule, vis comedamus fragmentum panis?

C Dicit ei Paulus: Vt tibi videtur, Abba. Hoc quoque rursus inflexit Antonium, quòd nõ ad cibi nunciũ protinus accurrerit, sed ei potestatem permiserit. Para ergo, inquit, mensam. & obediit. Fert panes Antonius, & imponit mensæ quatuor paxamidia, sex vnciaria: & sibi quidẽ vnum madefecit, erant enim sicci. Illi autem tres. Psalmũ psallit Antonius quem nouerat: & cùm eum duodecies cecinisset, duodecies orauit vt in hoc quoque Paulum probaret. Senex autem simul precatus est ipso magno Antonio promptius & alacrius. Mallebat enim, vt arbitror, pascere scorpios, quã vna viuere cum adultera. Post duodecim autem orationes, Paulo dicit magnus Antonius: Sede, inquit, & ne comedas vsque ad vesperam, sed solum attende esculentis. Cùm autem fuisset vespera, &

Duodecies orare canereque Psalmum.

D Paulus non comedisset, dixit ei Antonius: Surge, ora, & dormi. Ille autem mensa relicta sic fecit. Media autẽ nocte excitauit eum ad orationem, & vsq; ad horã nonam produxit orationes. Mensa autem rursus apposita, cùm & rursus cecinisset & orasset, serò vespere sederunt ad comedendum. Cùm ergo comedisset magnus Antonius vnum paxamidium, aliud non tetigit. Senex autem comedens tardiùs, adhuc tenebat paxamidium quod cœperat. Expectabat ergo Antonius donec perfecisset, & dicit ei: Comede Patercule, etiam vnum aliud paxamidium. Dicit ei Paulus: Si tu comedas, ego quoque comedam; te autem non comedente, nec ego comedam. Dicit ei Antonius: Mihi sufficit. Sum enim monachus, Respõdet ei Paulus: & mihi sufficit: nam ego quoque volo fieri monachus. Surgit rursus, & facit duodecim orationes: & psallit duodecim psalmos. Et post orationes primi somni parum dormiunt, & rursus expergiscuntur ad psallendum à media nocte ad diem vsque. Deinde misit eum ad obeundam solitudinem, dicens ei: Veni huc post tres dies. Cùm hoc autem factum esset, & quidam fratres ad eum venissent, obseruabat Paulus Antonium quidnam vellet eum facere. Is autem dixit ei: Tacens ministra fratribus, neque aliquid gustaueris donec fratres fuerint iter ingressi. Postquam autem tertia iam impleta esset hebdomada ex quo non comederat Paulus, fratres eum rogabant, Qua de causa taces? Dicit ei Antonius, Quid taces? colloquere cum fratribus: ille verò est collocutus. Cùm aliquando ei fuisset allata vrna mellis, dixit ei Antonius: Frange vas, & mel effundatur:

Magna probatio

E

Expergisci media nocte ad orãdum.

Mira obedientia.

Sic autem fecit. Et ei rursus dicit, Collige rursus mel cõcha, ne sordes aliquas inferas. Et rursus iussit eum aquã haurire toto die. Et rursus cùm vestem eius dissoluisset, iussit consuere. Tantam denique hic vir possedit obediẽtiam, vt ei etiam data sit gratia diuinitus, nempè vt eiiceret dæmones. Postquam ergo vidit senem magnus Antonius, promptè eũ esse ad omnia secutum in vitæ exercẽdæ ratione, ei dicit: Vide frater, si sic indies potes, mane mecum. Dicit ei Paulus: An quid mihi possis amplius ostendere, nescio. Nam ea quæ vidi ego quoque facio facilè & citra laborem, Deo mihi opem ferente. Tunc ei dicit Antonius alio die: In nomine Iesu, ecce factus es monachus. Cùm autem satis supérque compertum haberet in omnibus magnus & beatus Antonius esse admodum perfectam animam Christi seruum, vt qui esset admodum simplex, post certos menses, Dei gratia opem ferente beato Antonio, facit ei deinceps cellam ad tres vel quatuor lapides à sua cella. Et dicit ei: Ecce Christi virtute opem ferente tu factus es monachus. mane deinceps seorsum, vt etiam facias periculum dæmonũ. Cùm ergo anno vno per se habitasset Paulus simplicissimus, & gratia dignatus est aduersus dæmones & aduersus omne genus morbos, se perfectè gerens in virtute exercitationis.

Obedientia & simplicitas Pauli.

Quodam ergo die adolescentulus, qui supra modum grauiter vexabatur à dęmone, allatus est ad beatum Antonium, habens principalem sæuissimum dæmonem, qui etiam ipsum cœlum maledictis & probris insequebatur. Cùm igitur adolescentem obseruasset magnus Antonius, dicit iis qui eum ducebant: Non est hoc meum opus, nam contra hunc ordinem dæmonum, nempè principalem, nondum sum donatus gratia: sed hæc est Pauli gratia simplicis. Abiens ergo magnus Antonius ad probatissimum Paulum, ipsos quoque deduxit, & dicit ei: Abbas Paule, Eiice hunc dæmonem ab hoc homine, vt sanus ad sua redeat, & Dominum glorificet. Dicit ei Paulus: Tu verò quid? Dicit ei Antonius: Non est mihi ocium, est aliud quod agam: & relicto illic puero, reuersus est magnus Antonius in suam cellam. Cùm ergo surrexisset innocens senex, & efficacem fudisset orationem, dicit prouocans dæmoniacum. Dicit Abbas Antonius: Egredere ab homine. Dæmon autem eum probris ac maledictis exclamabat dicens: Non egrediar improbe nugator senex. Accepta itaque pelle sua ouilla, verberabat eum in tergo, dicens: Egredere, dixit Abbas Antonius. Dæmon autem maledictis insequebatur Paulum & Antonium, Helluones isti in senectute, Veternosi, insatiabiles, qui propriis nunquam sunt contenti: Quid est vobis commune nobiscum? Quid in nos exercetis tyrãnidem? Tandem dicit ei paulus: Aut exibis, aut abeo vt id dicam Christo, isque faciet vt sit tibi væ. At Iesum quoq; probris & maledictis insectabatur immitis ille dæmon, clamans, Non exibo. Ea de causa indignatus Paulus aduersus dæmonem, egressus est è suo hospitio in ipso puncto meridiei. Æstus autem Ægyptiorum intercedit cognatio cum fornace babylonio. Stans ergo sanctus senex tanquam columna super petram, sic orat Christum dicens: Tu vides, Iesu Christe, qui fuisti crucifixus sub Pontio Pilato, me non descensurum ex hac petra, neque esurum, nec bibiturum donec moriar, nisi me nunc audieris, & hunc dæmonem ab homine eieceris, & à spiritu immundo ipsum liberaueris. Adhuc cum Iesu loquẽte simplici & humili Paulo, priusquã ipse preces perfecisset, exclamauit dæmon dicens: recedo, recedo, vi egredior, & per tyrannidem expellor, discedo ab homine, nõ amplius ad eum accedo: Pauli simplicitas & humilitas me expellit: neque scio quò abeam. Protinúsq; exiit dæmon, & mutatus est in maximum draconem circiter septuaginta cubitorum, receditque reptans in mare rubrum, vt impleretur quod dictum est per sanctum spiritum: Fidem quæ demonstratur iustor annunciabit. et rursus alibi: Super quem respiciam, loquit Dominus, nisi super mansuetum, & humilem, & tremẽtem verba mea? Solent enim humiliores dæmones eiici ab hominibus fide principalibus: principales rursus dæmones fugari ab humilibus. Hæc sunt miracula sancti Pauli simplicis & humilis, aliaque plura & his maiora. Hic vocatus est simplex à tota fraternitate.

Adolescens dæmoniacus per Paulum curatur.

Pelle ouina indutus Paulus, id est, melota.

Humilitas pellit dæmones.

Prouer. 12.

Esaiæ 66.

VITA ABBATIS PACHON.

Sect. XXVI.

Qvidam Pachon nomine cùm peruenisset ad annũ septuagesimum, sedebat in Scete. Accidit autem vt ego vexatus ab affectione fœmineæ cupiditatis, cogitationibúsque & visis nocturnis, ferrem difficiliter. Cúmque parùm abesset quin propter hanc tentationem exirem è solitudine, quòd me hæc animi perturbatio ageret vehementissimè, vicinis quidẽ meis rem nõ exposui, sed neque meo magistro Eulogio: sed latenter veniens in solitudinem, quindecim diebus versatus sum cum patribus senescentibus in solitudine, qui erant in Scete. Inter quos incidi etiam in sanctum virum Pachonẽ. Cũ ergo inuenissem eum sinceriorem & magis versatũ in exercitatione, ausus sum ei meum animum aperire. Dixit autẽ mihi ille sanctus: Ne tibi videatur res aliena. Hoc enim non tibi accidit ob delicias ociumque & negligentiam. Nam & mores tibi ferunt testimonium, & penuria eorum quæ sunt necessaria, & quòd nulla sit hic tibi cõsuetudo cum fœminis. sed potiùs hoc tibi accidit ab aduersario ob studium virtutis. Est enim triplex hostis qui impellit ad fornicationem. Aliquando enim nos caro inuadit luxurians, & quæ nimis lautè & delicatè est curata. Aliquando autem in nos insurgũt motus animi propter cogitationes. Aliquando autem ipse quoq; dæmon in nos exercet tyrannidem propter inuidiam. Nam ego quoque multa obseruans, hoc inueni. Ecce me, vt vides, hominem senem. Cùm iam quadragesimum annũ degã in hac cella, curam gerens meæ salutis, & ad hanc ętatem peruenerim, tentor vsque in hodiernum diem, & iuraui dicens: Iam duodecim annis postquàm transegi annum quinquagesimum, nullam diem nec noctem intermisit qua me non inuaserit. Cùm itaque suspicatus essem Deũ à me recessisse, quandoquidem tanta in me dæmon vteretur potestate potiùs delegi mori absque ratione, quàm vitio affectionéque corporis me turpiter gerere. Egressúsque à cella mea, & obiens solitudinem, inueni speluncam hyænæ. In quam speluncam me nudum immisi toto die, vt feræ egressæ me deuorarent. Postquam autem fuit vespera, prout scriptum est: Sol cognouit occasum suum. Posuisti tenebras, & facta est nox. In ipsa transibunt omnes bestiæ syluæ. Catuli leonum rugientes vt rapiant & quærant à Deo escam sibi. Egressæ ergo feræ in illa hora, & masculus & fœmina, me à pedibus ad caput vsque odoratæ sunt, circumlingentes. Cúmque expectarem fore vt deuorarer, à me recesserunt. Cũ ergo illic tota nocte iacuissem, non fui deuoratus. Existimans ergo Deum omninò mihi pepercisse, surrexi. Rursus verò in cellam redij. Cùm autem se paucis diebus continuisset dęmon, me est adortus vehementiùs quàm anteà, vt parum abfuerit quin blasphemarem. Transformatus enim cùm esset in puellam Æthiopissam, quam in mea iuuentute videram æstate spicas legẽtem, ea mihi visa est meis insidere genibus, meque vsque adeò commouit, vt putarem me cum ea coiuisse. Furore ergo percitus impegi ei colaphum, eaque sic euanuit. Hoc autem mihi crede dicenti. Biennio non poteram ferre manus meæ fœtorem. Cùm ergo hac de causa pusilli & abiecti animi euasissem, & de me omnem spem abiecissem, egressus sum pererrans vastam solitudinem, & inueni paruam aspidem. Quam cùm accepissem, eam admoueo meis genitalibus, vt vel sic morsus morerer: & cùm eius caput virilibus applicassem, vt quæ mihi fuissent causa tentationis, ne sic quidem morsus sum gratiæ prouidentia. Post hæc autem audiui vocem dicentem mihi in mea cogitatione: Abi Pachõ, decerta. Ideò enim permisi in te tantam exerceri potestatem, ne tibi esses elatior & arrogantior

XXIX. Pachon anno 380. Niceph. li. 11. cap. 36. Tentatio luxuriæ.

Tres causæ libidinosarum cogitationum.

Desperat acriter à dæmone tentatus.

Psal. 103.

Pachoni feræ obsequuntur.

Dæmon specie puellæ tentat.

Humilitas ex tentatione.

gantior spiritus, perinde ac ipse posses hanc superare affectionem: sed tuam agnosceres imbecillitatem, & in tuæ vitæ instituto nunquam haberes fiduciam, sed recurreres ad Dei auxilium. Sic autem admonitus & confirmatus, ad cellam suam reuersus, & deinceps sedens cum fiducia, & nullam belli curam gerens, reliquos dies egi in pace. Dæmon autem cùm cognouisset meam eius despicientiam, pudore deinceps affectus, ad me non accessit amplius. His verbis cùm ad luctam aduersus Satanam me confirmasset, & ad bellum instruxisset, & aduersum dæmonem fornicationis me parasset ac docuisset, dimisit, iubens vt forti animo me gererem in omnibus.

VITA ABBATIS STEPHANI.

XXX.

Sect. xxvii.

Stephanus curat omnes afflictos.
Sozo. lib. 6. Niceph. lib. 11. cap 36.
Stephani ægritudo.

STephanus quidam Libs genere, sedit sexaginta annos ex transuerso Marmaricæ & Mareotæ. Is cùm fuisset summè versatus in exercitatione, & esset discernendi potestate præditus, hanc gratiam est consecutus, vt quicunque eum conuenirct, à quacunq; cruciaretur molestia, is molestia vacuus ab eo recederet. Fuit autem is quoque notus beato Antonio. Peruenit autem etiam ad nostra vsque tempora. Atque ego quidem cum eo non sum versatus propter viæ longitudinem. Sanctus autem Ammonius & Euagrius qui eum conuenerunt, narrauerunt se eum inuenisse in talem prolapsum ægritudinem in ipsis locis testiculorum, & pœnis summum vlcerasse cancrum, qui φαγέδαινα dicitur. Eum, aiebant, C inuenimus dum à quodam medico curaretur, & manibus quidem operabatur, & palmæ ramos contexebat, & nobiscum etiam loquebatur: reliquo autem corpori manum adhibebat chirurgus. Erat autem Dei gratia, ea præditus patientia, vt perindè affectus videretur, ac si corpus alterius secaretur: & cùm eius membra rescinderentur, non secus atque essent pili insensiles, ita mansit immutabilis: tam insigniter & admirabiliter erat à Deo instructus. Cùm nos autem, inquit, partim angeremur, partim verò terreremur, quòd tanti viri talis vita in tantum morbum incidisset, & tales medicorum exactiones, nostras autem cogitationes sensisset beatus Stephanus; dicebat nobis: Ne ex hac re offendamini ô filij. Nihil enim quod Deus facit, ad malum vnquam facit, sed ad D bonum finem. Fortasse enim membra merentur supplicium: & melius est ea hic dare pœnas, quàm post excessum ex hoc stadio. Cùm nos ergo sic est hortatus, & verbis confirmauit ad tolerantiam, ædificauit ad fortiter ferendas afflictiones. Hæc autem narrauit, ne videatur nobis alienum, quando viderimus aliquos sanctos incidisse in tales calamitates.

Patientia
Cassiod. lib. 8. cap. 1.
Nic lib. 11. cap. 36.

DE VALENTE QVI EXCIDIT.

XXXI.

Sect. xxviii.

Valens.
1. Cor. 4.
Elationis vitium.

FVit quidam Valens, genere quidem Palæstinus, mente autem Corinthius. Corinthiis enim vitium inflationis tribuit S. Paulus. Qui cùm venisset in solitudi- E nem, ipse quoque plures annos habitauit nobiscum. Eò autem processit superbiæ, vt deceptus sit à dæmonibus. Ex eo enim quod ipse paulatim deciperetur, fecit vt ipse de se magnificè ac præclarè sentiret, tanquam cum eo versarentur angeli. Quodam certè die, vt narrabãt, cùm operaretur in tenebris, acum dimisit qua cõsuebat sportam. Quam cùm ipse non inuenisset, dæmon ei fecit lampadem, & inuenit acum. Hoc nomine rursus inflatus magnificam de se induit opinionem, & vsque adeò elatus est, vt etiam contemneret ipsam sacramentorum communionem. Cùm autem Christus Dominus eius esset miseritus, sic prouidit vt eius detrimentum citò fieret manifestum vniuersæ fraternitati. Accidit vt qui-

A dam venientes hospites afferrent ad fraternitatem bellaria in Ecclesiam. Porrò autem cùm eas accepisset sanctus Macarius presbyter noster, misit ad vnumquemq; in cellam circa manipulum: inter quos etiam ad Valentem. Cùm autem accepisset Valens, eum qui attulerat contumelia affecit, & verberauit, & ei dicit: Abi & dic Macario: Non sum te deterior, vt tu ad me mittas benedictiones. Cùm cognouisset ergo sanctus Macarius eum esse seductum, accessit vno die postea ad eum exhortandum, & ei dicit: Valens, illusus es, desine. Postquam autem non audiuit eius admonitiones, recessit. Cùm ergo certò sibi persuasisset dæmon, eum eius deceptioni maximè fidem habuisse, abit, & figuram Seruatoris induit, & noctu accedit in phantasmate, mille angelis lampadas tenentibus, & rotam igneam, in qua visus B est figuram exprimere Seruatoris, vnúsque eum præcedit, & dicit: Christus dilexit tuum institutum tuámque viuendi libertatem & cõfidentiam, & venit vt te videat. Egredere ergo è cella, & nihil aliud feceris, nisi cùm procul eum videris, procumbens eum adora, & ingredere in tuam cellam. Egressus ergo cùm vidisset apparatum lampadum, circiter à stadio procul Antichristum adorauit. Alio itaque die adeò fuit emotæ mentis, vt ingrederetur ecclesiam, & fraternitate congregata diceret: Ego non habeo opus communione, Christum enim vidi hodiè. Tunc patres eum anno vno vinxerunt, & in ferreos cõpedes coniecerunt, & curarunt, precibus, eiúsque contemptione, vitáque austeriore detrahentes eius persuasionem. nam vt dicitur, sunt contrariorum cõtraria medicamenta. Necesse est autem eorum quoque qui sunt C tales vitam in hoc libro inserere, ad securitatem eorum qui insidunt. sicut etiam sanctis plantis accessit lignum paradisi, nempè cognitio boni, & mali: vt si quando cõtigerit eos in aliqua re se rectè gerere, non se efferant & se iactent de virtute. Nam sæpè quoque virtus efficitur occasio prolapsionis, quando non recto scopo facta fuerit. Scriptum est enim, Vidi iustum pereuntem in sua iustificatione: id quoque est vanitas.

Bellaria Ecclesiæ donata.
Sup. sect. 17.
Dæmõ fallaci Seruatoris specie illudit.
Quotidie communicabant.
Genes. 2.
Eccl. 7.

DE ERONE.

XXXII.

Sect. xxxix.

Eron.

FVit quidam Ero nomine, mihi vicinus, Alexandrinus genere, vrbanus adolescens, bono ingenio, vita mū- D dus. Qui ipse quoque post magnos labores & præclaros sudores, ab arrogantia arreptus & elatione, præcipitatur: & aduersus patres superbus euasit & insolens: & Macarium quoque presbyterum affecit contumelia, dicens: Qui tuæ doctrinæ parent, decipiuntur. Non oportet enim alios magistros attẽdere præter Christum. abusus est autem testimonio quoque ad peruersum scopum suæ stultitiæ, dicens: Ne vocaueritis magistrum super terram. Qui ipse quoque mentem adeò habuit obtenebratam vana persuasione suæ opinionis, vt fuerit etiam ferro vinctus cùm nollet conuenire ad sacramẽta. Amica autem veritas. Fuit is vitæ instituto admodum subtili & accurato, adeò vt multi dicant, quibus cum eo inter- E cessit consuetudo, quòd sæpè non nisi post tres menses comedebat, contentus communione sacramentorum, & sicubi ei apparuisset olus agreste. Accepi autem ego quoq; eius experientiam cum beato Albino, cùm irem in Scetem. Aberat autem Scete à nobis quadraginta miliaria. In his quadraginta miliaribus nos bis comedimus, & ter aquam bibimus. Ille verò cùm nihil gustasset, pedes ingrediens, pronunciauit memoriter 15. Psalm. Deinde magnum Psal. Deinde epistolam ad Hebræos: Deinde Esaiam, & partem Ierem. Deinde Luc. Euangelist. Deinde Prouerbia. Eum autem ambulantem nõ poteramus consequi. Is postremò arreptus à mali dæmonis operatione, vt qui ageretur ab igne vehementissimo, in sua quidem cella sedere non poterat: profectus autem Alexandriam diuino quodam consilio, clauum clauo

Ne monachos seniores afficiat cõtumelia.
Vox similis nostrorum hæreticorũ.
Matth. 23.
Ieiuniorum portentosum.
Albinus.
Eronis mira memoria.

Vera Anzustiniae sententia, nullos esse peiores quam qui à monasterijs defecerunt.

Hic diabolo illusus se noctu in puteum abiecit Cassian.col.2. capp.5.

extrusit. Sua sponte enim incidit in promiscuum & indifferentem rerum vsum, inuenta postea salute inuoluntaria. Accessit enim ad theatra & equestria certamina, & versabatur in cauponis. Is autem cùm gulæ esset deditus & ebrietati, incidit in cœnum fœminæ cupiditatis. & cùm peccare constituisset, cum quadam Mima congressus, vlcus suum aperuit. Cùm hæc sic fierent, diuino quodam consilio enatus est ei anthrax in glande: & tempore semestri vsque adeò ægrotauit, vt eius virilia membra computruerint, & sua spõte ceciderint. Cùm postea autem conualuisset, reuersus est ad hoc vt ea sentiret quæ Dei sunt, & venit in solitudinem, hæc omnis confitens patribus, & cùm non peruenisset ad operationem, paucis post diebus obdormiit.

DE PTOLEMÆO QVI EXCIDIT.

XXXIII.

SECT. XXX.

Climax locus in Sceti.

ALius quidam rursus nomine Ptolemæus, cùm narratu difficilem, vel potiùs quæ narrari non potest vitam trãsegisset, habitauit enim vltra Scetem in ea quæ dicitur κλῖμαξ, id est scalæ. Est autem locus, qui sic dicitur, in quo nemo potest habitare, propterea quòd puteus fratrum distet decem & octo miliaribus. Cùm is ergo multa vasa fictilia portasset, & Decembri & Ianuario mense rorem collegisset, est enim permultum roris in illis partibus, & spongia ex lapidibus expressisset, perstitit illic habitans annos quindecim. Qui abalienatus à doctrina & congressione virorum sanctorum, & vtilitate, & continua sacramentorum communione, à recta via vsque adeò recessit, vt quod nonnulli dicunt impij casu omnia fieri, is quoque infelix id fateretur, dæmone erroris deinceps in eum obtinente imperium. Hic enim inimicus vano huic homini suggessit, vt diceret res nullam habere essentiam: sed omninò esse omnia ex eo quod mundus ferretur sua sponte. In huius ergo animam hæc immisit omnium vitæ hostis, dicendo: Cum res ita se habeant, quid frustrà teipsum foris domas? Quidnam te adiuuabit Ptolemeę, si non sit remuneratio? Quænam autem tibi sufficeret merces tot & tantorum laborum, etiamsi esset qui redderet? Quódnam autem est iudiciũ quod minantur scripturæ, si nulla sit prouidentia? His Satanicis circumseptus cogitationibus miserrimus Ptolemæus, dicitur esse emotæ mentis, & hucusque errare in Ægypto, & seipsum dedisse gulæ, & ebrietati, cum nemine conuersans, sed mutus forum obiens, miserabile & lachrymabile spectaculum Christianorum oculis, ludibrium autem iis qui vitam nostram nesciunt. Hæc autem calamitas immedicabilis miserum inuasit Ptolemæum, ex rationis experte sui persuasione; quòd à seductore dæmone illusus, existimaret se habere cognitionẽ super omnes Sanctos Patres. Per quam inflatus, lusu ipsius hostis, præceps datus est in profundum interitus. cùm nullum vnquam conuenisset ex Sanctis Patribus qui sapienter gubernauerant, nec eorum fuerit fundatus spiritali doctrina, sed inuentus absque gubernatore, in extremum mortis profundum cecidit, & sicut arbor viridibus foliis comata, & fructibus ornata, quæ vno temporis momento omnibus simul est nudata, reddita est arida. Nam vt scriptum est, Quibus non est gubernatio, ij cadunt vt folia.

Ptolemæi Hæresis, quòd casu fiãt omnia.

Negatur prouidẽtia dæmone suggerẽte. Qui stat, videat ne cadat.

Prouerb.11.

DE VIRGINE LAPSA.

XXXIIII.

SECT. XXXI.

Austeritas sine charitate periculosa.

NOui rursus quandam virginem Hierosolymis quæ saccum gestauit sexennio, & fuit inclusa: nec aliquid accepit ex iis quæ tenderit ad voluptatem, sed summam continentiam exercuit inter fœminas. Postea autem à diuino deserta auxilio propter summam superbiã lapsa est, & aperta fenestra admisit eum qui ei inseruiebat, & cum eo fuit commixta: eo quòd non diuino proposito, & ex charitate se exerceret, sed vt humanæ scenæ seruiret, quod quidem est vanæ gloriæ & praui instituti. Nã cùm eius cogitationes occupatæ essent in damnandis aliis, incitaretur autem furore à dæmone superbiæ, eóque valdè delectaretur: ab ea recessit sanctus angelus custos temperantiæ. Ideò autem scripsimus, ô virorum fidelissime, & vitam eorum qui se rectè & ex virtute gesserunt, & eorum qui post multos labores per ocium & socordiam à summo & perfectissimo vitæ instituto exciderunt, capti à diabolo omne genus laqueis: vt vnusquisque ex suæ vitæ instituto intelligens occulta retia hostis bonorum fugiat eius laqueos. Cùm sint ergo multi, iiq; magni viri & mulieres, qui ab initio se rectè gesserũt in honesto instituto exercitationis, tandem autem fuerunt euersi radicitus ab omnium hominum aduersario: ex multis facta mentione paucorum, plurimos prætereo silentio: vt qui neque ipsos erigam, neq; mihi prosim, dum in iis multum immoror, & eximios Christi athletas negligo, non narrans virtutes diuinæ eorum exercitationis.

Dæmonum laquei.

VITA ABBATIS ELIÆ.

SECT. XXXII.

XXXV.

Elias abbas.

ELias quidem optimus exercitator, fuit virginum amantissimus, curã gerens partis imbecillioris. Sunt enim tales animæ, quibus fert finis testimonium, quòd id faciant ex virtute. Is cùm misertus esset ordinis fœminarum quæ se exercẽt, haberet autẽ facultates in Athlebe ciuitate, ædificauit magnum monasterium: & illic cõgregauit omnes quæ errabant virgines, consequenter eorum in omnibus curam gerens: suppeditãs eis omnia quæ ad vsum pertinent necessarium, hortos, & earum oracula, & vt semel dicam, omnia quę postulat vita exercitationis. Eæ autem ex diuersis vitæ institutis & priuata deductæ consuetudine, inter se depugnabant assiduè. Cùm ergo oporteret hunc sanctum & eas audire, & efficere vt pacem inter se seruarent; collegerat enim ad trecentas; & necesse ei fuerat esse earum intercessor biẽnio, licet ætate iuueni. erat enim circiter triginta aut quadraginta annos natus: is tentatus fuit à voluptate. A monasterio autem recedens ieiunus, errauerat per solitudinẽ duos dies, hoc rogans, & dicens: Aut occide me, ne ipsas videam afflictus, aut meam aufer affectionem, vt earum curam gerãm vt postulat ratio. Cùm fuisset ergo vespera, eum somnus oppressit in solitudine. Venientes autem ad eum tres angeli vt ipse mihi narrauit, eum retinentes, ei dicunt: Cur exiisti ex monasterio fœminatum? Rem itaque eis narrauit, dicens: Timui ne & illas læderem & meipsum. Dicunt ei angeli: Si te ergo liberauerimus ab hac affectione, redibis, & earum curam geres? His assensus est. Ab eo autem iusiurandum exigunt. narrabat autem iusiurãdum. Iura nobis tale iusiurandum: Per eum qui mei curam gerit, earum curam geram. Hoc eis iurauit. Tunc angeli eum tenuerunt: vnus manus; & alter pedes; tertius autem accepta nouacula, excidit eius testiculos tanquam in ecstasi, non verè, sed quadam visione. Visus est ergo in illa ecstasi veluti excisus fuisse, & curatus. Post hoc interrogant ipsum angeli dicentes: Sensisti vtilitatem aliquam? Eis dicit ille: Valdè magnam accepi vtilitatem, valdè enim leuatus sum, & persuasum habeo me esse liberatum à labore, & affectione. Tunc angeli ei dicunt: Abi ergo ad tuum monasterium. Reuersus est autem post quinque dies, eum lugente toto monasterio, quandoquidem cùm esset propè, eas corrigebat assiduè quantum in illo erat. Cùm autem postea vixisset alios quadraginta annos, affirmabat patribus, quòd ab eo tempore non ascenderat in cor eius affectio cupiditatis fœminæ. Hæc est gratia sancti viri Eliæ, & hæc exercitatio, & quemadmodum curam gessit monasterij virginum.

Monasteriũ Virginum.

Elias rector 300. virginum tentatur voluptate.

Tres angeli.

Angeli castrarunt Elyam vt Petrus & Paulus Methodium Constantinop. quod se carnis contumeliam sentire quereretur. Cuspinian.

VITA ABBATIS DOROTHEI.

XXXVI. Sect. XXXIII.

Dorotheus inclusus, rector tamen virginum.

CVi successit Dorotheus vir probatissimus, qui in bona vita, & quæ in agendo versatur, consenuit. Qui cùm non posset quidem sic curam gerere monasterij vt hic beatus, neque mansisset in illa cella: in ipso monasterio in superiori cœnaculo seipsum inclusit: & fecit fenestram quæ spectabat ad monasterium fœminarum, quam claudebat & aperiebat. Perpetuò ergo assidebat fenestræ procurans vt inter eas pugnæ cessarent. Sicque in superiori cœnaculo consenuit, neque sursum ascendentibus fœminis, neque illo potente descendere: Non enim stabant scalæ.

DE AMMA PIAMVM.

XXXVII. Sect. XXXIIII.

Piamũ donatur gratia prophetiæ.

FVit quædam virgo Piamum, quæ annos vitæ suæ vixit cum matre propria, sola cum sola vespere comedens, & linum nens. Hæc digna est gratia prædictionis futurorum inter homines. Accidit aliquando in Ægypto cùm Nilus ascenderet, vt vicus vicum inuaderet. Pugnant enim pro aquarum diuisione, adeò vt sequantur cædes & sauciationes. Potentior ergo vicus eius vicum inuasit, & venit virorum multitudo cum lanceis & clauis, vt eius vicum excinderet. Adstitit autem ei angelus reuelans eorum inuasionem: & accersitis vici presbyteris, eis dicit: Exite, & ex hoc vico occurrite eis qui veniũt contra vos, ne vos quoq; vnà cum vico pereatis, & rogate eos vt desistãt à pugna. Territi autem presbyteri ei ad pedes procumbunt, eam rogantes & dicentes: Nos non audemus eis ire obuiam; scimus enim eorum temulentiam & petulantiam. Sed si facis misericordiam & in totum vicum & in domum tuã, ipsa eis egredere obuiam. Illa autem cùm non assensa esset, veniẽs in suam domunculam, stetit tota nocte orans & genuflectens, Deúmq; rogans, dicendo: Domine qui iudicas terram, cui nihil placet quod est iniustum. Cùm hæc ad te venerit oratio, virtus tua eos sistat immobiles tanquam columnã, vbicunque eos deprehenderit. Ij autem circa horam primam, à tribus miliaribus, in loco fixi tanquam columna, labefactari non poterant. Illis quoque reuelatum est quòd illius intercessionibus factum est eis impedimentum. Iique ad vicum mittentes pacem petierunt, dicentes: Agite Deo gratias, & precibus Piamum quæ nos impedierunt.

Oratio irruẽtes sistit vt lapis immobiles.

VITA ABBATIS PACHOMII, ET eorum qui cum ipso erant.

XXXVIII. Sect. XXXV.

Pachomius abbas ab Angelo cõstituitur de quo plura Nicep. lib. 9. cap 14. Sozom. lib. 3. cap. 13. Cassia. lib. 5. inst. & col. 2,

TAbennesis est locus qui sic vocatur in Thebaïde, in quo fuit Pachomius Monachus, vir ex iis qui vixerunt in summo & perfecto vitæ instituto: adeò vt is fuerit dignatus & futurorum prædictionibus & angelicis visionibus. Is fuit valdè amans pauperũ, & magna charitate in homines. Eo ergo sedente in hac spelunca visus est ei angelus Domini, qui ei dicit, Pachomi, ea quidem quæ ad te pertinent rectè & ex virtute gessisti: Superuacaneè ergo sedes in hoc loco. Agè ergo, egredere, & congrega omnes iuniores monachos, & habita cum eis, & sequens formam quam dabo tibi, eis leges constitue. Eíque dedit tabulam æneam, in qua hæc scripta fuerant: Concede vnicuique vt comedat, & bibat pro viribus comedentium, eis quoque manda opera quæ proportione conueniant ac respondeant, & neque ieiunare prohibe nec comedere. Sic quidem fortibus fortia manda opera, imbecilla autem & leuia iis qui se magis exercent, &

A sunt imbecilliores. Fac autem diuersas cellas in eadem aula, & tres in cella maneant. Ab omnibus autem cibus in vna domo capiatur. Dormiant autem, non recumbentes, sed extructis sibi sedibus paulò supinioribus, & illic suis impositis stragulis dormiant sedentes. Noctu autem gestent lebitones lineos, succincti. Habeat vnusquisque ex his pellem ouillem albam laboratam. Absque ea neque comedant, neque dormiant. Ingredientes autem ad Christi communionem, sabbatho & dominica zonas soluant, & pellem ouillem deponant, & cum sola cuculla ingrediantur. Fecit autẽ eis cucullas molles tanquam pueris: in quibus etiam iussit imponi figuram crucis purpuream. Iussit autem esse viginti quatuor ordines fratrum, ex numero viginti quatuor literarum; præcepítque vnicuique ordini imponere nomen elementum

Regula monastica diuinitus data. Niceph. ibid.

Perceptio Eucharistię.

Quid significet monachorũ habitus. Cassianus lib. 5. de hab. monachi Niceph lib. 6. cap 14.

B Græcum ab. A. B. & quæ deinceps sequuntur, vsque ad Ω. vt dum interrogarat Archimandrita de aliquo in tanta multitudine, sciscitetur eum qui est ab eo secũdus, quonam modo se habet ordo A. aut quomodo se habet ordo B. Rursus saluta R. sequendo quoddam proprium nomen literarum: & simplicioribus quidem & sincerioribus impones nomen I. * difficilioribus autem X. & sic conuenienter institutis eorum & vitæ & moribus, vnicuiq; ordini elementum literæ accommodabis, Solis spiritalibus intelligentibus ea quæ significantur. Scriptum autem erat in tabula: Si venerit hospes alterius monasterij quod habet aliam formam, cum eis nec comedat nec bibat, & nec ingrediatur in monasterium, nisi fuerit inuentus in via. Porrò eum qui semel ingreditur, nec potest cum eis ad triennium sustinere certamen, non admittes.

* Huius loci explicationẽ petes ex. 14 c 9. hist. Nice. Hospites monasteriorum.

C Sed cùm opera fecerit difficiliora, sic prodeat in stadium post triennium. Comedentes autem velent capita cucullis: ne frater fratrem videat mandentem. Comedenti non licet loqui, nec extra quadram & mensam vsquam aliò oculos conuertere. Constituit autem vt per totum diem facerent duodecim orationes, & in nocturnis vigilijs duodecim, & in matutino duodecim, & hora nona tres. Quando autem videretur comedendum esse multitudini, constituit vt vnusquisque ordo in vnaquaque oratione psalmum priùs caneret. Cùm autem magnus Pachomius contra angelum diceret, esse paucas orationes, ei dicit angelus: Has constitui, vt parui quoque possint procedere ad perficiendam regulam, nec eis sit molestum. Qui autem sunt perfecti, non opus habent vt leges eis ferantur.

Orationes.

D Nam cùm per se sunt in cellis, totam suam vitam attribuunt contemplationi. His autem legem tuli, qui mentem minimè habent intelligentem, vt sicut serui contumaces, metu Domini totum vitæ institutum implentes, securè, & liberè degant. Cùm hæc ordinasset angelus, & implesset ministerium, recessit à magno Pachomio. Sunt autem hæc monasteria quæ formam hanc obtinuerunt, habentia virorum circiter septem millia. Est autem primum & magnum monasterium, in quo ipse habitat beatus Pachomius, quod alia peperit monasteria, continens numerum circiter mille quadringentorum virorum.

Regulę imbecillioribus quoque esse accommodatæ.

7000. monachorum. Niceph lib. 9. cap 14.

E

VITA ABBATIS APHTONII.

XXXIX. Sect. XXXVI.

Aphtonius.

INter quos etiam seruus Dei qui vocatur Aphtonius, qui est mihi germanus ac sincerus amicus, qui nunc obtinet secundum locum in illo monasterio. Quem vt qui sit potens in Christo firmúsque ac stabilis, nec facilè offendi possit, mittunt ad suos vsus Alexandriam. vt vendat quidem eorum opera, emat autem quæ sunt eis necessaria. Sunt autem alia quoque monasteria quæ constant ex ducentis & trecentis animabus. Atque in Spaniam quidem ingressus sum ciuitatem, in qua monasterium constat ex viris trecentis. Exercent autem omnem artem, & ex iis quæ supersunt, ædificant etiam mo-

Monachorum Pachomij labores: operantem enim monachum dæmone vno pulsari otiosum verò innumeris dicit Cassian lib. de spe. acced. cap. 23. Monachi memoriter tenebant scripturas. Sepultura virginum monialiũ.

lierum monasteria, & custodias. Manè ergo surgentes ij quibus sua vice hoc munus obtingit, alij quidem sunt occupati in culina; alij vero versantur in mensis parandis, mensæ imponentes panes & olera agrestia, oliuas, caseos, & comminuta olera. Atque ingrediuntur quidem qui minus sunt robusti, hora sexta, & comedunt, vt qui sint imbecilliores: Alij nona: Alij serò vespere: Alij post biduum: Alij post triduum: Alij post quatriduum: Alij post quinque dies, adeò vt vnumquodque elementum horam propriam significet. Sic autem erant eorum quoque opera: Alius quidem laborat in agro colendo, Alius in horto, Alius in pistrino, Alius in æris officina, Alius in fabricando, Alius in consuendis calceis, Alius in pulchrè scribendo, Alius contexebat magnas sportas, Alius canistros & sportulas. Memoriter autem omnes expromunt scripturas. Horum est B mulierum quoque monasterium circiter quadringentarum, quod habet eandem viuendi formam & idem institutum, præter pellem ouilem. Et sunt quidem mulieres trans fluuium Nilum, Viri autem ex aduerso earum. Si virgo autem obierit, reliquæ virgines cùm eam ad sepulturam concinnauerint, efferunt, & eam ponunt ad ripam fluuij. Traijcientes autem fratres cum palmis & ramis oliuę & psalmodia, eam transmittunt, & in suis monumentis sepeliunt. Præter presbyterum autem, & diaconum nullus transit ad monasterium fœminarum: idque die dominico.

DE VIRGINE DE QVA FVERAT dictum falsum testimonium.

Sect. XXXVII.

Calumnia claustralis.

Missa non celebratur pro desperatis Cassiã. col. 2. c. 5.

IN hoc monasterio fœminarum hæc res accidit. Sutor secularis cùm traiecisset per ignorantiam, quærebat opus. Egressa autem vna iunior quàm eius postularet ratio, est enim locus desertus, inuita eum conuenit, deditque ei responsum: Nos habemus nostros sutores. Alia autem quæ eius viderat colloquium, cùm processu temporis inter eas exorta esset contentio, ex diaboli suggestione, præ summa malitia & animi excandescentia, eam calumniata est apud fraternitatem propter id colloquium. Cum qua concurrerunt paucæ quæ non adeò magna ferebantur malitia. Illa autem dolore confecta, vt quæ talem subiisset calumniam, quæ ne in eius quidẽ D mentem venerat, nec rem potuisset tolerare, se clam iecit in fluuium, & sic obiit. Cùm autem id sensisset ea quę ipsam fuerat calumniata, & vidisset se malitiosè eã fuisse calumniatam, & fraternitati tantum attulisset dolorem, ipsa quoque se clàm suffocauit, cùm factum ægrè ferret. Cùm autem venisset presbyter, reliquæ virgines ei rem renunciauerunt. Iussit itaq; pro nulla harum fieri oblationem. Eas autem quæ non pacem agebant, vt quæ consciæ erant illius quæ fuerat calumniata, & quæ dicta sunt crediderant, septennium segregauit, eas excommunicans. In hoc monasterio fuit alia virgo quæ propter Christum simulabat stultitiam, & se emotæ esse mentis præ se ferens, præter hæc virtutem optimè exercuit, se in ea præclarè gerens, seque reddens abiectam, & humilem. Hanc vsque adeò reliquæ sunt aspernatæ, vt E nec cum ea quidem vescerentur, id illa excipiente cum lætitia. Discurrens itaque in culinam, exhibebat aliis omne genus ministerij, adeò vt nec horam quidem vnã intermitteret, sed tanquam ancilla seruiret. erátque hæc beata, vt dicitur, spongia monasterij, re vera implens id quod scriptum est in Euangelio: Qui vult inter vos esse magnus, sit omnium seruus, & omnium minister. Et rursus alibi: Si quis videtur esse inter vos sapiens in hoc seculo, fit stultus, vt fiat sapiens. Atque aliarum quidem virginum erat huiusmodi habitus, vt essent tonsæ, & haberent cucullos in capite. Ipsa verò panno caput obuoluta, obibat earum omnium ministerium. Eam nulla ex trecentis vidit mandentem omnibus annis vitæ

Matth. 2. Marc. 10. 1. Cor 3. Virgines tonsæ & cucullatæ.

A suæ. In mensa nunquam sedit, neque vnquam fragmentum panis comedit: sed micarum mensas spongia colligens, & ollas lauans, his erat contenta. Neque verò ea vnquam induit calceos, neque aliquem affecit contumelia, non murmurauit, non paruum vel magnum quid est locuta, etsi contumelia afficeretur & pugnis tunderetur, & maledictis appeteretur, & plurimi eam abominarentur.

Tolerantia virginis.

DE SANCTO PITIRVM.

Sect. XXXVIII.

XLII.

DE hac sancta, sancto Pitirum Anachoretæ, qui sedebat in Porphyrite, viro probatissimo in virtute exercitationis, adstitit reuelans angelus, qui ei dixit: Cur tibi places, & te magnificè circumspicis ob ea quæ à te rectè & ex virtute geruntur, vt qui sis pius & religiosus, & sedeas in hoc loco? Vis videre mulierẽ te magis piam ac religiosam? Abi in monasterium fœminarum Tabennesiotarum, & inuenies illic vnam quæ habet diadema in capite: ea est te melior, quæ cum tanta turba decertans, & omnibus indiscriminatim seruiens, cor nunquam abduxit à Deo, etsi ab omnibus superbè contemnatur. Tu autem etiamsi hic sedeas, per vrbes tamen vagaris cogitatione, qui orbem habitabilem nunquam calcasti pedibus. Surgens autem magnus Pitirum, venit vsque ad monasterium Tabennesiotarum: & rogat magistros vt liceat ei transire vsque ad monasterium fœminarum. Vt qui esset ergo inter patres magnæ existimationis, & consenuisset in exercitatione, bono ac fidenti C animo transmisso fluuio eum intrò duxerunt. Cùm autem orassent, petiit magnus Pitirum vt virgines omnes coràm ex facie videret. Cùm omnes ergo in medium accessissent, illa non apparuit. Tandem dicit ei sanctus Pitirum: Cunctas ad me adducite. Cùm autem dicerent, Adsumus omnes, dicit ei, Deest vna quam ostendit mihi angelus: eæ verò dicunt: Vnam habemus Salem, quæ est in culina: Sic enim vocant illic eas quæ non sunt sanæ mentis. Dicit ei magnus: Illam quoque adducite, sinite vt eam videam. Iuerunt itaque ad eam vocandam. Illa verò nequaquam obediit, vt quæ rem sentiret. Nam fortè ipsi quoque fuerat reuelatum. Eam ergo vi trahunt, ipsi dicentes: Sanctus Pitirum vult te videre (erat enim is D magni nominis.) Ea ergo adducta, vidit magnus eius faciem, & pannum in capite & frõte eius, & cadens ad pedes eius, dicit ei: Benedic anima. Cadens autem ad pedes eius ipsa quoque dicebat: Tu mihi benedic Domine mi. Cum hoc autem cunctæ vidissent, obstupuerunt, & ei dixerunt: Ne tibi fiat probrum ac vituperium: est enim sale, eis dicit sanctus Pitirum: Vos estis sale. Hæc enim & me, & vobis est melior: est Amma (sic enim vocant matres spiritales) & quęso vt ea dignus inueniat in hora iudicij. Eæ autem cùm audissent, ceciderunt ad pedes eius flentes, & confitentes omnes quòd beatam diuersis modis afficerent contumelia: alia quidem, dicens: Ego hanc semper subsannabam: alia, Ego eius humilem habitum irridebam: & alia, Ego eam tacentem afficiebam contumelia. & rursus alia, Ego quadræ eluuiem sæpe in eam E effudi. alia, Ego ei plagas inflixi: alia rursus, Ego ea sum quæ ei pugnos incussi: alia rursus, Ego sinapio eius nares asperli. & vt semel dicam significabant omnes se eam variis affecisse contumeliis. Cùm harum ergo confessionem accepisset sanctus Pitirum, & pro eis simul cum ipsa orasset, & diu esset consolatus venerandam Christi seruam, sic exiit. Paucis autem post diebus cùm ab omnibus valdè honoraretur, & ab omnibus obseruaretur, nõ ferens beata gloriam & honorem quo afficiebatur ab omni fraternitate, & excusationes onus esse arbitrans, clam exiit ex monasterio: & quónam iuerit, aut quem locum subierit, aut vbi obierit, nemo cognouit in hodiernum diem.

S. Pitirum adit virginum monasterium.

Amma virgo a sororibus pro insana habita omnibus erat sanctior.

Non de facie iudicandum.

DE ABBATE IOANNE VRBIS LYCO.

Sect. XXXIX.

Ioannes Lycus floruit an. Do 374. fabrilia primo tractauit.

FVit quidam Ioannes in vrbe Lyco, qui à puero quidem didicit artem fabrilem, cui fuit frater tinctor. Postea autem cùm esset circiter vigintiquinque annos natus: & cùm quinque annos versatus esset in monasterio, secessit solus in montem Lyco, & in cacumine montis factis sibi tribus tholis, ingressus, seipsum inædificauit. Atque erat quidem vnus tholus ad vsus carnis: vnus autem vbi operabatur: alius verò vbi orabat. Is cùm cōplesset triginta annos, inclusus, & ab eo qui ei ministrabat, per fenestram accipiens quæ erant ad vsum necessaria, dignus est habitus gratia futurorum prædictionis. B quem donum habere prophetiæ planè factū est ex operibus. Etenim cuncta quę à Deo in mundum veniebant, in primis pro imperatori Theodosio priùs significauit: & quæ rursus euentura erant priùs annunciauit, nempè & tyrannorum in eum insurrectionem, & rursus velocem eorum interitum, & quæ in eum irruebāt gentium delectionem. adeò vt cùm quidam dux exercitus ad eum venisset sciscitatum an Æthiopes qui sunt in Syene esset superaturus, quæ quidem est principium Thebaydis: ij autem tunc irruperant, & eorum finitimam regionem vastauerant: et autem dixit Ioannes, Si ascenderis, eos comprehendes, vinces, & subiunges, & clarus eris apud imperatores, id etiam factum est: & quæ acciderunt, cōfirmarunt eius prædictionem. Dicebat autem Christianissimum imperatorem esse morte sua moriturum. C Habuit autem hic vir admirabilem quoq; & quæ modum superabat, prophetiam, vt audiuimus ex patribus qui ad eum ventitabāt, quorum vita fuit probata apud omnes qui illic erant. Quod autem de eo nihil narrarunt ad gratiam, sed minus quàm mereretur, hinc facilè sciri potest. Nam cùm ad eum venisset quidam tribunus, & supplex peteret vt permitteret vxorem suam ad eum venire, quæ multa passa fuerat, & volebat eum videre, venturam Syenem, vt pro ipsa priùs oraret, & eam data benedictione dimitteret. Is autem qui iam quadraginta annis non viderat mulierem in spelunca, cùm esset nonagenarius, & nec ipse vnquam esset egressus, nec sibi permitteret videre mulierem, recusabat videre eius vxorem. D Sed nec vir vllus ad eum vnquam est ingressus: solum enim benedicebat per fenestram, & salutabat eos qui accedebant, cum vnoquoque disserens de eo quod volebat. Cùm ergo instaret tribunus, rogans an iuberet suam venire coniugem degebat enim in solitudine quinto ab vrbe lapide, is autem non annuisset, dicens id non posse fieri, tristem dimisit hominem. Vxor autem non cessabat die & nocte marito exhibere molestiam, & iureiurando affirmare se nusquam abituram nisi videret propheram. Postquam autem beato Ioanni à marito renunciatum est iusiurandum vxoris, eius fide intellecta, dicit ad ipsum: Hac nocte ab ea videbor in somnis: nec amplius pergat in carne videre meam faciem. Vxori autem renunciauit maritus ea quæ pater dixerat. Videbat autem mulier in somnis prophetam ad ipsam E venientem. Cui dicit, Quid tibi mecum rei est mulier? Quid meam cupiuisti videre faciem? Non sum ego propheta, aut iusti locum obtineo: Homo sum peccator, & similiter atque vos patibilis: oraui tamen pro te & domo mariti tui, vt fiat vobis secundum fidem vestram. Ite ergo in pace. Et cùm hæc dixisset, recessit. Cùm autem excitata fuisset mulier, renunciauit marito verba prophetæ: & narrauit figuram & habitum, & per maritum ei misit agendas gratias. Cùm enim autem vidisset beatus Ioannes, occupans ei dixit, Ecce impleui quod postulaueras: Eam enim videns, monui ne me videret amplius; Sed ite in pace. Alterius autem præpositi vxor absente marito ferebat vterum. Cum autem peperisset,

Ioānes donatur gratia prophetiæ. Cassiodor. li.8.ca.1. Niceph. lib.11.c.34. Cassian. id eius tribuit obedientię. l.4. Inst.ca.23. Theod. Imp. euentum belli prædicit. Postea sect. 41.

Mulierem videre recusauit Ioann.

Videtur Ioannes in somnis ab vxore tribuni.

Prædicit præposito absentis vxoris periculum.

eò ipso die quo eius maritus conuenit patrem Ioannem, A animi deliquio venit in periculum. Ei autem sanctus annunciauit, dicens; Si vidisses donum Dei, & quòd tibi natus sit hodie filius, Deum glorificasses, sed mater eius propemodum venit in periculum; cùm veneris igitur, inuenies infantem septem dies natum, Et impone nomen Ioannes: cúmque eum rectè educaueris, & ad annum septimum venerit, mitte eum ad monachos qui sunt in solitudine. Et hæc quidem ostendebat miracula iis qui veniebant ab exteris. Suis autem ciuibus propter suum vsum assiduè ad ipsum venientibus, & præsciebat & prædicebat futura: & quæ ab vnoquoque occultè facta fuerant, & de Nilo, & de futura anni fertilitate eis significabat. Similiter autem Dei quoque minas ad eos venientes priùs annunciabat, & eius auctores arguebat. Atque ipse quidem beatus Ioannes non peragebat aper- B tè curationes. Dans autem oleum curauit multos ex iis qui laborabant. Senatorij enim cuiusdam viri vxor, quæ oculos amiserat, & habebat pupillas obductas albugine rogauit maritum suum vt ad ipsum deduceretur. Cùm is autem diceret eum nunquam conuenisse mulierem, ea autem rogaret vt ipsi solum significaretur, & pro ipsa id efficeret, ille sic fecit, & misit oleum. Cùm tres autem dies solum inunxisset oculos, respexit, & Deo apertè egit gratias. Et quid opus est dicere de aliis eius operibus quæ ipsis oculis accepimus? Eramus enim septem fratres in solitudine Nitriæ, ego & beatus Euagrius, & Albinius, & Ammonius. Quærebamus autem scire accuratè quænam esset huius viri virtus. Dixit autem magnus Euagrius, lubenter C scirem ab aliquo qui norit examinare & mentem & orationem, cuiúsnam modi sit vir. Si enim ego eum non potuero videre, eius autem vitæ institutum accuratè audire potuero alio narratore, discam, vt eum conueniam. Quòd si non didicero, non ibo vsque ad montem. Cùm hoc autem audissem, & nemini quidquam dixissem, quieui vnum diem, alio autem occlusi cellam: & cùm me & ipsam Deo commendassem, profectus sum vsque ad Thebaidem. Cùm eò autem decem & octo dierum spacio peruenissem, partim quidem pedibus, partim verò nauigando in flumine. erat autem tempus ascensus, in quo multi ægrotabant, quod mihi quoque accidit. Cùm venissem autem, inueni clausum eius vestibulum. Fratres enim posterius ædificarunt maximum vestibulum, quod capiebat viros circiter cen- D tum. Quod claue claudentes, aperiebant sabbato & dominica. Cùm ergo didicissem causam propter quam erat clausum, silentium egi vsque ad sabbatum. Et cùm venissem hora secunda, in congressione eum inueni assidentem in fenestra, per quam videbatur consolari eos qui accedebant. Cùm me autem salutasset, dixit per interpretem, Cuiúsnam es, & cur venisti? coniicio enim te esse ex conuentu Euagrij. Dixi autem me esse hospitem ex Galatia, & confessus sum me esse ex sodalitate Euagrij. Interim autem dum loquerentur, ingressus est Præses regionis, Alypius nomine. Ad quem accurrens, desiit mecum colloqui. Cùm ergo parùm secessissem, dedi eis locum eminùs. Cùm essent autem collocuti diutiùs, tristitia sum affectus, & murmuraui aduersus venerabilem E senem, quòd me quidem contempsisset, illum autem honorasset, & ob id animo cōturbatus, in animo habebam eo contempto recedere. Vocato autem interprete Theodoro nomine, dicit ei, Vade, dic illi fratri vt æquo animo ferat. Iam dimitto præsidem, & eum alloquar. Visum est ergo mihi tolerantes ferre, vt qui animaduertissem eum esse spiritalem. Cùm exisset autem præses, me accersito dicit mihi: Cur contra me fuisti indignatus? Quid inuenisti quod te iure offenderet, quòd illa animo reputasti quæ neque mihi adsunt, neque te decent? An nescis scriptum esse: Non opus habent sani medico, sed malè habentes: Te, quando volo, inuenio, & tu me, & si te non fuero consolatus, alij te consolantur fratres & alij patres. Hic autem qui per mundana negotia erat deditus

Designatur monachus infans nondum natus.

Oleo Ioan. oc[u]s curabat.

Ne in sapientem murmuret quis quasi cōtemptus.

[a] Matth.9. [b] Marc.10. Luc.5. Quibuscū maximè colloquendum.

diabolo, & cùm breui temporis spacio respirasset, vt seruus qui aufugit à Domino, accessit vt aliquam caperet vtilitatem. Absurdum ergo fuisset vt eo relicto tecum versarer, cùm tu assiduè vaces saluti. Cùm eum ergo rogassem vt pro me oraret, exploratum habui eum esse virum spiritalem. Tunc vrbanè mecum iocans, cùm sinistram maxillã mihi sensim pulsasset, dicit: Multæ te manent afflictiones: & grauia bella passus es vt exires è solitudine, timoréque affectus es, & distulisti: pios autem prætextus & rationi consentaneos afferens dæmon te suscitat. Tibi enim suggessit & patris tui desiderium, & fratris tui & sororis tuæ in vita monastica institutionẽ. Ecce ergo bonum tibi affero nũcium: Ambo salui sunt, mundo enim renunciarunt, & pater tuus est adhuc victurus septem annos. Esto ergo forti & constanti animo in solitudine, nec eorum causa velis abire in patriã.

B

Luc. 9.

Scriptum est enim, Nemo qui manum admouit aratro & est conuersus, est aptus regno cœlorum. Ex his ergo verbis adiutus & satis roboratus, Deo egi gratias, cum intellexi eos qui me agebant prætextus esse peractos. Deinde rursus mihi dicit vrbanè mecum iocans, Vis fieri episcopus? Dixi autem, Nequaquam. Sum enim. Is autem mihi dicit, Vbi? Dixi ego, In coquinis, in penu, in mensis, in doliis: Ea diligenter inspicio, et si vinum acuerit, id segrego, bonum autem bibo. Similiter ollam quoque diligenter inspicio, et si sal defuerit vel condimenti aliud, eam condio, & sic eam comedo. Hic est meus episcopatus, mea, inquam, inspectio, me enim ad eum delegit gula. Is verò dixit subridens: Mitte ridicula: Futurum est vt eligaris episcopus, & multum labores, & affligaris.

Culinarius episcopus.

C

Si ergo fugis afflictiones, ne exeas è solitudine. In solitudine enim nemo te potest ordinare episcopum. Ego autem eius verborũ sum oblitus. Tribus enim pòst annis & splene & stomacho laboraui. Illinc autem à fratribus missus sum Alexandriam, timens ne fierem hydropicus. Ab Alexandria autem consuluerunt medici vt aëris gratia irem in Palæstinam. habet enim, quod ad meam attinet temperaturam, subtilem aërem: A Palæstina autem veni in Bithyniam, & in ea nescio quomodo an humano studio, an potentiori voluntate, Deus scit, dignus habitus sum ordinatione, quæ meas vires superat, in eum casum incidens quẽ Ioãnes prædixerat: Et vndecim mẽsibus latens in cella tenebrosa, recordatus sum illius beati qui mihi prædixit ea quæ passus sum. Porrò autẽ hoc quoq; mihi narrabat, tanquã profuturus ad hoc vt per narrationẽ me deduceret ad patienter ferendã solitudinem.

Palæstina aëris est optimi.

D

Quadraginta annos versor in hac cella. Nõ vidi faciem fœminæ, non vllum nummum, non vidi aliquem mandentem, non comedentem nec bibentem me vidit aliquis. Cùm ergo ab eo recessissem, veni in solitudinem in loco cõsueto, hæc omnia narrans beatis patribus, qui post duos menses venerũt & sunt cum eo collocuti, iiq; hæc nobis narrarunt. Cùm ad eum venissemus, læto vultu nos excepit & salutauit, se hilarem vnicuiq; ostendẽs. Rogabamus autẽ eũ vt statim pro nobis perageret orationem. est enim hic mos patribus qui sunt in Ægypto. Is autem nos interrogauit num inter nos esset clericus aliquis. Postquam autem omnes non esse diximus, nos omnes circumspiciens, agnouit eum qui erat occultus.

E

erat autem vnus ex nobis qui dignus fuerat habitus diaconatu, cum esset vnus frater eius rei conscius, cui etiam præcepit vt nemini diceret. Qui causa humilitatis & in talium patrum comparatione, vix se dignum censebat Christiani appellatione, tantum abest vt alicuius dignitatis. Manu ergo eum ostendens, dicebat omnibus: Hic est diaconus. Cùm is autem assiduè negaret, & latêre conaretur, è fenestra eius manum apprehensum osculatus est, & admonens eum hortatus est dicens: Ne irritam facias gratiam Dei fili, ne mentiaris donum Dei inficians. Mendacium enim alienum est à Christianis, & siue sit in re magna, siue in parua, non est tamen laudabile, cùm dicat Seruator, Mendacium est à malo. Is verò conuictus tacuit, accipiens paternam eius reprehensionem. Cùm

Diaconi manum osculatur Ioannes.

Mendaciũ Christiano fugiẽdum.

Ioan. 8.

A

preces autẽ compleuissemus, vnus frater ex nobis, quem iam tertiana febris vehemens tenebat, rogabat vt curaretur. Cùm autẽ dixisset frater, ei conferre afflictionẽ propter exiguã quæ ei inest fidẽ, tradẽs tamen oleũ iussit eũ coniungi. Cùm is autẽ se vnxisset, quidquid intus habebat per os emisit, & à febre omninò liberatus, propriis pedibus recessit ad hospitiũ. Licebat autẽ videre hominẽ nonagenariũ toto corpore ita afflictum, vt præ exercitatione ne barba quidẽ nata esset in facie. Nihil enim aliud comedebat quàm fructus, idque post solis occasum in summa senectute, cùm se priùs multũ exercuisset, & neque panẽ sumpsisset, neq; aliquid ex iis quæ igni admota veniunt in vsum. Cùm ipse autẽ nos iussisset sedere, Deo egimus gratias, quòd eius frueremur cõgressione. Is autem cùm tanquam germanos suos filios longo tempore

Oleo curatur febricitans.

B

accepisset, ridenti vultu hæc nobis est locutus. Vndenã ô filij, & ex quanam regione ad hominem abiectũ & humilem accessistis? Postquam autem diximus patriam, & adiecimus: Pro vtilitate animarũ nostrarum ad vos venimus ab Hierusalem, vt quod auditione acceperamus, id cerneremus oculis. Sunt enim aures minùs fideles oculis, & auditionem quidem sæpè consequitur obliuio: rei autem visæ nõ deletur memoria: sed menti quodammodo imprimitur historia. Ad nos ergo dixit beatus Ioannes. Et quid mirandum visuri ô filij charissimi, tantũ itineris & laboris tolerãtes huc venistis, homines abiectos & humiles videre cupientes, qui nihil habent spectatu dignum nec admiratu? Vbique autem sunt admirandi & laude digni Dei prophetæ & apostoli, qui legũtur in Ecclesiis, quos oportet imitari. Valdè autem miror, inquit,

Aures minus fideles oculis.

C

vestrum studium, quemadmodũ tot contemptis periculis, ad nos venistis propter vtilitatem, cùm nos præ socordia ne ex ipsa quidem speluca velimus progredi. Sed agè nũc, inquit, etiamsi res vestra sit laude digna, ne tanquã re aliqua præclarè gesta, vobis sufficere putetis. Sed imitemini virtutes quas patres vestri persequuntur. Quòd si etiam omnes possederitis, quod quidem est ratum, ne sic quidem vobis ipsis credideritis. Quidã enim qui sic considerũt, & ad ipsum virtutum fastigium peruenerunt, tandẽ ex alto ceciderunt. Sed videte num preces vestræ se rectè habeant: num cõturbata sit cordis vestri puritas: num mens vestra inter orandum sit occupata aliis negotiis, num aliqua alia mentem subiens cogitatio, auertat ad aliquid aliud: num aliqua cogitatorũ memoria animo exhibeat molestiam.

Exhortationes Ioannis.

D

Vidête num mundo verè renunciastis: num ingressi estis tanquam nostram speculantes libertatem: num ad vanam gloriam vestras virtutes venamini, vt ad ostẽtationem videamini hominibus nostra opera imitantes. Vidête ne vobis facessat negocium animi perturbatio, ne honor & gloria & laus humana: ne rerum factarum curæ simulatio, aut amor proprius. Ne putetis vos esse iustos: neq; de iustitia gloriemini, ne propter virtutes efferamini. Ne orantibus cognationis memoria animo insideat. Ne memoria cõmiserationis aut alicuius alterius rei, neque ipsius vniuersi mundi vobis succurrat. Sin minus; rex efficitur vanitas, quãdo quis Dominum alloquens, deorsum impellitur ab iis quæ ex aduerso trahunt cogitationibus. Hæc

E

autem mentis prolapsio vnicuiq; accidit qui hunc mũdum nõ omninò abnegauit, sed vel naturæ vt ei placeat. Permulta enim quæ aggreditur, eius mentem diuidunt curæ corporeæ & terrestres: & dum deinceps disputat cum animi perturbationibus, non potest Deum videre. Sed nemo ipsam cognitionem debet accuratè & exactè contemplari, ne si fortè fuerit indignus tali possessione & eius aliquam partem fuerit consecutus, existimet se totum comprehẽdisse, & omnino labatur in interitum. Sed oportet semper moderatè & piè ad Deum accedere, quantum potest vnusquisque meore progredi, & quantum possunt homines consequi. Oportet ergo mentem eorum qui Deum quærunt, ocium agere ab aliis omnibus. Vacate enim & cognoscite, inquit, quòd ego sum Deus. Qui ergo Dei cognitionem ex parte est conse-

Deũ maxime vacandũ. Psalm. 45.

cutus, vniuersam enim nemo potest accipere, consequitur quoque aliorum omnium cognitionem: & videt mysteria Dei illa et ostendentis, & præuidet futura: & contemplatur reuelationes, quales sancti: & efficit virtutes: & obtinet à Deo omnem petitionem. Alia quoque multa dixit de exercitatione, & quòd oportet expectare mortem tanquam vitam bonæ translationis & non imbecillitatem intueri corpoream: & nec vel quibuslibet obuiis implere ventrem. Nam qui, inquit, fuerit satiatus, eadem capit consilia quæ ij qui viuunt in delitiis: sed tentare oportet per exercitationem etiam appetitionum parare impatibilitatem. Nec quærat aliquis ea quæ sunt parata, & animi relaxationem: sed nunc sit imbecillus afflictúsque & oppressus, vt regni Dei latitudinis possideat hæreditatem. Oportet enim nos per multas afflictiones intrare in regnum Dei. Est enim, inquit, angusta porta, & arcta via quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui eam inueniant; &, Lata est via quæ ducit ad perditionem: & multi sunt qui ingrediútur per eam. Et oportet, inquit, nos hic contemnere, cùm paulò pòst eamus ad vitam æternam: nec oportet aliquem efferri ob ea quæ rectè à se gesta sunt, sed semper esse humilem, & longiores persequi solitudines, quando senserit se efferri. Humano enim propinqua vicis, eos etiam qui erant perfecti sæpè offendit. Quod etiam psallit Dauid cui tale quid acciderat. Ecce elongaui fugiēs, & habitaui in solitudine. Expectabam eum qui saluum me facit à pusillanimitate & tempestate. Hoc autem accidit multis quoque ex nostris fratribus, & propter arrogantiam exciderunt à scopo.

Act. 14.
Matth. 7.
Psal. 54.

NARRATIO ABBATIS IOANNIS de eo qui lapsus est.

Sect. XL.

XLIIII. ERat enim, inquit, quidam monachus, qui in propinqua solitudine degebat in spelunca, & omnem ostenderat exercitationem, & propriis manibus panem sibi quærebat. Postquam autem permansit in orationibus, & profecit virtutibus, in seipso deinceps habuit fiduciam, fretus pulchro suæ vitæ instituto. Qui autem tentat, eum quoque, sicut Iob, expetiit ad tentandum: & ei vespere præbet phantasiam formosæ mulieris errantis per solitudinem. Quæ cùm ostium inuenisset apertum, ingressa est speluncam, & procumbens ad viri genua, petiit vt sibi illic liceret quiescere, vtpotè quòd nox eam apprehēdisset. Ille autem cùm eius esset misertus, quod quidem non debuit, eam admisit in speluncam: & de errore illam est percontatus. Illa verò & narrauit, & blanda ac fallacia verba inspersit; & sermonem diu cum eo protraxit. Eum autem sensim nescio quomodo pellicebat ad amorem, pluràque deinceps verba inter se cōferunt, ridéntque ac subrident, cúmque ipsa multo sermone seduxit, & deinde contrectatione manus & genæ & ceruicis: & tandem exercitatorem redegit in seruitutem. Cùm autem ille internis versaretur cogitationibus, deinde vt qui iam rem haberet in manibus reputans opportunitatem & voluptatis explendæ securitatem, cogitationi assentitur, & tentat eum ea habere consuetudinem, vt qui iam euasisset insipiens, & equus insaniens. Illa verò cùm repentè magna voce exclamasset, euasit euanescens ex eius manibus non secus ac vmbra aliqua. Risus autem in aëre auditur multorum dæmonum qui ipsum increpabant, & in fraudem induxerant, & magna voce ad ipsum clamabant: qui se exaltat, humiliabitur. Tu autem vsque ad cœlos quidem exaltatus, humiliatus verò es vsque ad abyssos. Exinde surgit manè nocturnum luctum attrahens: & cùm totum diem transegisset in lamentatione sua desperata salute, quod non debuit, in mundum reuersus est. Hoc est enim maligni studium, vt quando quempiam irriserit, eum redigat ad insipientiam, vt non possit deinceps surgere. Vnde ô filij, non est nobis conducibilis propinqua vicis habitatio: neque mulierum collocutio, vt ex quibus oriatur memoria quæ non potest deleri, quam ex visu attrahimus & collocutione. Sed neque debemus animum despondere, & nos ipsos detrudere ad desperationem. Iam enim ij quoque qui non spem abiecerunt, non fuerunt priuati Dei misericordis clementia.

Ne quis propriis virtutibus glorietur, contra huiusmodi Cenodoxiam Pl. Cassiani li. 11. instruit.

Dæmō specie mulieris illudit monacho.

Luc. 14.

Ne quis desperet, sed emendet.

Caueat monachus mulierum collocutione: nam videre malum audire peius, tangere pessimum visus aliicit, auditus inflammat, tactus polluit.

DE FRATRE QVI DVCTVS FVIT Pœnitentia, eiusdem Abbatis Ioannis narratio.

Sect. XLI.

XLV. ERat. n. inquit, alius adolescens in ciuitate, qui multa mala fecerat, & grauiter peccauerat. Qui Dei nutu, propter multa peccata compunctus, veniens ad sepulchra, priorem suam vitam deflens, pronus cadens in faciem, & non audens vocem emittere, nec Deum nominare, neque supplicare, ipsa quoque vita seipsum indignum existimans. Et cùm ante mortem se inclusisset in sepulchris mortuorum, & suam vitam deceret, gemebat ex profundo cordis. Cùm iam autem ab eo tempore præterisset hebdomada, noctu ei adsistunt dæmones, qui eius vitæ priùs damnum attulerant, clamantes & dicentes: Vbi est ille scelestus & profanus, qui libidinibus & lasciuiis exsatiatus, nunc nobis intempestiuus, temperans & honestus repentè apparuit: & quando non potest amplius, tunc vult esse Christianus & probis compositísque moribus? Ecce quidnam tibi boni amplius futurum expectas, cùm sis nostris malis impletus? Non hinc citò exurges? Non venies ad ea quæ sunt nobiscum consueta? Te manent scorta & caupones. Non venies, & fructis cupidinibus, cùm sit cuncta alia tibi spes extincta? Velox ad te omninò veniet iudicium, qui sic teipsum perimis: & cur miser festinas ad supplicium? Cur autem contendis tibi pœnas citiùs infligere? Multáque alia dicentes, Noster es, in nostrum ordinem es relatus, exercuisti omnem iniquitatem, Tu es nobis omnibus obnoxius, & audes fugere? Non assentieris? non respondebis? Non simul egredieris? Postquam autem ille constans in fletibus, ne aures quidem eis præbebat, & nec verbum eis respondebat, cum diu vrgentibus dæmonibus; postquam, inquam, nihil effecerunt, eadem sæpè illi dicentes, acceperunt eum mali & turpes dæmones, & totum eius corpus malè mulctarunt, eum grauiter flagris cædentes: & cùm eum grauiter trouissent, abierunt eo relicto semimortuo. Ille autem nihilo secius immobilis iacebat vbi eum reliquerunt, rursus gemens postquam animum collegerat. Cùm autem eius necessarij eum inuestigassent & inuenissent, & causam eius quod ipsius corpori acciderat didicissent, rogabant eum vt domum rediret. Is autem cùm vim ei sæpè attulissent restitit. Rursus autem sequenti nocte eum iisdem de causis peius quàm prius affecerunt dæmones: & ne sic quidem eius consanguinei ei persuadent vt emigret, dicens satius esse mori quàm viuere in talibus vitæ maculis. Tertia nox propè modum fecit vt excederet ab hominibus, cùm crudelibus tormentis in eum inuasissent dæmones, & eum vexassent vsque ad extremum. Postqoam autem viderunt eum non concessisse, recesserunt homine relicto exanimi. Recedentes itaque exclamarunt, dicentes, Vicisti, vicisti, vicisti: Neque ei amplius aliquid mali occurrit: sed in purissimo sepulchro purè ? habitauit dum vixit, puram exercens virtutem. Is Deo quoqua fuit preciosus, & virtutibus, & miraculorum effectionibus, adeò vt & multos in admirationem induxerit, & ad zelum adduxerit & æmulationem honestorum institutorum. Hinc factum est vt multi quoque ea iis qui de se valde desperauerant, bonas actiones aggressi sint, & se rectè gesserint, eísque factum est id quod dicit scriptura: Omnis qui seipsum humiliat, exaltabitur. Præcipuè ergo ô filij, exerceamus humilitatem, quæ est fundamentum primum omnium virtutum. Nobis autem multum

Dæmones insultant pœnitenti.

Resistite diabolo & fugiet a vobis.

Luc. 14.

Humilitas fundamentum virtutum miracula præponderat Cassian.

col 15. ca. 7. quoque confert solitudo longior & remotior.

ALIA NARRATIO ABBATIS IOANnis, de eo qui lapsus, ductus est pœnitentia.

SECT. XLII.

XLVI.

Visiones.

FVit enim alius quoque monachus, qui vlteriorem occuparat solitudinem, & multis annis se rectè & ex virtute gesserat. Qui cùm esset deinceps senio confectus, tentabatur à dæmonum insidiis. Silentium enim valdè amplectebatur exercitator: & in orationibus & hymnis, & multis contemplationibus diem transigebat: & visiones quasdam videbat, partim quidem vigilans, partim verò etiam in somnis, & somni propemodum expers tenebatur à vita incorporea: non terram plantans, neque victus vllam curam gerens; neque in plantis quærens quod egêti præberet corpori. Sed neque auium aucupium, neque vllum animal persequebatur: sed fiducia plenus, ex quo ex regione habitabili illuc migrarat, nullam habebat rationem vt ei permaneret corpus nutritum, sed omniũ oblitus, se perfectò sustinebat in Deum desiderio, expectans vocationem, & ex hoc mundo migrationem: & vt plurimum quidem alebatur delectatione eorum quæ non cernuntur & sperãtur, & neque diuturnitate ei corpus liquebatur: neque mœrebat tristisq; erat anima; sed in quodam honesto ac venerãdo statu bonum habebat habitum. Verùm enim verò Deus eum honorans, post prolixum temporis interuallum, dabat ei super mensam panem duorum vel trium dierum, vt & videretur, & esset, & eo vteretur, & ingrediens in speluncam, quando sentiebat corpus indigere, inueniebat nutrimentum, & cùm adorasset & cibum sumsisset, hymnis rursus fruebatur, perseuerans in precibus & contemplatione, in dies germinans, & se tradens præsenti virtuti & futuræ spei, semper magis magísque progrediens: & ferè iam de meliori sua sorte confidebat, tanquam iam eam haberet in manibus, quod etiam fuit ei causa lapsus, cùm propemodum exciderit per eam quæ ipsum postea inuasit tentationem. Quid enim non dicimus eius eum qui propè fuit casum? Postquam enim ad hanc processit cogitationem, paulatim impudẽs eo deuenit vt existimaret se esse pluris quàm alios, & iam maius quid possidere quàm alij homines & cum talis esset, iam deinceps in seipso habuit fiduciam. Et ergo gignitur haud ita diu pòst primom parua quædam animi remissio, vt ne videretur quidem esse remissio. Deinde oritur maior negligentia, quæ deinde eousque progressa est, vt sentiretur. Nam & ex somno tardiùs surgebat ad hymnos: & erant preces paulò ociosiores, nec hymnus adeò prolixus. & dicit ei anima se velle requiescere; & mens ei annuit: & fluctuabant & vagabantur ei cogitationes: & iam occultè aliquid absurdi meditabatur: sed prior assuefactio adhuc exercitatorem quodammodo abducebat, veluti quidam motus ex priori illa incitatione: & eum interim conseruabat. Et aliquando post solitas preces ingressus vespere, inuenit panem super mensam, qui ei suppeditabatur diuinitus: & se reficit, quo tempore nec illas execrabiles abiecit cogitationes, neque reputauit animam lædi à contemptione: neque conuersus est ad quærendam mali curationem; sed parum duxit parum abesse quominus excideret ab iis quæ decet facere. Amor itaque cupiditatis eum raptum cogitatione in regionem abduxit habitabilem. Cùm se tamen interim cohibuisset in diem sequentem, ad consuetam conuersus exercitationem, cùm orasset & hymnos dixisset, ingressus speluncam, inuenit quidem panem sibi appositum, sed non tam diligenter confectum nec tam purum, sed sordidum & inquinatum. Qui etsi esset id admiratus, & tristitia affectus, sumpsit tamen, & se refecit. Successit tertia nox, & triplex malum addidit. Etenim mens eius citò irrupit in cogitationes. Ita autem erat ei affecta memoria, vt videretur vnà cum eo adesse fœmina & simul accumbere: & eam rem habebat in oculis, & eam veluti facere perseuerabat. Egressus tamen est tertio quoque die ad opus, & preces, & hymnos: sed non habens amplius mundas cogitationes, sed frequenter conuersus in altum tollebat oculos, eos hoc & illuc torquens: eius enim pulchrum opus interrumpebant memoriæ cupiditatum. Vespere ergo reuersus pane indigens, illum quidem inuenit in mensa, veluti corrosum a muribus aut canibus, & foris siccas quasdam reliquias. Tunc ingemiscit quidem & lacrymatur: sed non quantum satis esset ad coërcendam nequitiam. Nutritúsque, non quantum volebat, se parabat ad quietem. Eum autem aceruatim inuaserunt cogitationes, eum vndique circundantes: & eius mentem oppugnant, & captiuum statim in mundum abducunt. Surgens autem tuit versus regionem quæ habitatur, ingrediens noctu per solitudinem. Cùm autem dies eum apprehendisset, & quæ habitatur regio adhuc procul abesset, & eum æstus affligeret, defessus est. Vndequaque autem in orbem considerans circumspicit, an alicubi appareret monasterium, in quod ingressus requiesceret; quod etiam accidit, eum excipientibus quibusdam piis & fidelibus fratribus, qui cum eum tanquam patrem germanum aspexissent, vultum eius & pedes lauerunt: & cùm orassent, mensam apposuerunt: & rogarunt vt quæ erant apposita sumeret cum charitate. Postquam autem se refecit, postularunt fratres vt verbum salutis ab eo acciperent, & quânam ratione possent seruari a laqueis diaboli, & quemadmodum superarent turpes cogitationes. Is autem ipsos tanquam pater filios admonens, hortabatur vt essent fortes & constantes in laboribus, vt qui essent paulò pòst in summa quiete collocandi. Multa quoque alia cum eis disserens de exercitatione, eos valdè iuuit. Cùm autẽ cessasset ab admonitione, & se parũ percollegisset, considerabat quemadmodum alios admonẽs, se nõ monebat nec corrigebat, & se esse victũ intelligens, cursu, rursus redit in solitudinem, seipsum deflens, & dicens: Nisi quia Dominus mihi opem tulit, propemodum in inferno habitauit anima mea. Propemodum in omne malum sum reductus. Propemodum me in terra confecerunt. Et in eo factum est quod dictum est, Frater qui à fratre adiuuatur, est tanquam vrbs munita & excelsa, & tanquam murus qui non potest corruere. Quanquam abhinc toto vitæ tempore luxit perpetuò, multatus mensa quæ ei dabatur diuinitus & panem suum quærens cum labore. Nam cùm se in spelunca inclusisset & sibi saccum & cinerem substrauisset, non prius è terra surrexit, nec cessauit flere, quam vocem Angeli audisset ei dicentem in somnis: Accepit Dominus tuam pœnitentiam, & tui est misertus: deinceps autem vide ne decipiaris. Ad te enim venient fratres quos admonuisti, & afferent ad te benedictiones, quas cùm acceperis, vesceris cum ipsis, & perpetuò Deo ages gratias. Hæc ergo vobis narraui, ô filij, vt humilitatem exerceatis, seu in paruis seu in magnis esse videamini. Hoc est enim primum præceptum Seruatoris qui dicit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: & ne decipiamini à dæmonibus qui vobis visa & phantasias excitant. Sed si quis ad vos venerit, aut frater, aut amicus, aut mulier, aut pater, aut magister, aut mater, aut soror, primùm extẽdite manus ad orationem: & si sit phantasma, fugiet à vobis. Etsi vos decipiant dæmones aut homines vobis assentatores & laudãtes, ne eis pareatis, nec mente efferamini. Nam me quoque sæpè nocte sic deceperunt dæmones, & neque me sinebant orare nec quiescere, quasdam mihi phantasias præbentes tota nocte: & manè illudentes humi procumbebant, dicentes: Condona nobis Abba quòd tibi labores præbeamus tota nocte. Ego autem dicebam, Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: ne tentetis seruum Domini. Quare vos quoque ô filij, quietẽ persequamini, vos semper exercentes ad contemplationem: vt puram possideatis mentem Deum rogantes. Nam ille quoque

Pœnitens donatur quotidiano pane diuinitus.

Præsumptio qui officiat saluti Cass. lib. 2. Instit.

Priuatur pane qui defuit De. famulari.

Psal. 93.

Prouer. 18.

Pœnitentia lapsi.

Math. 5.

Psal. 6.

Quæ vita melior actiua an contemplatiua.

est bonus exercitator, qui assiduè in mundo exercetur, & qui honestis occupatur actionibus, qui humanitatem ostendit & clementiam, hospitalitatémque & charitatem, & facit eleemosynas, & benefacit aduenientibus, & opem fert laborantibus, & permanet citra vllam offensionem. Est quidem hic quoque valdè bonus. Versatur enim in actione, & præcepta exequitur: sed in rebus terrenis occupatur. His quidem certè præstantior est & maior qui versatur in cõtemplatione, qui à rebus agendis se transfert ad intelligentiam, eas res aliis relinquens prouidendas. Ipse autem & seipso abnegato, & sui oblitus, scrutatur cœlestia, Deo omnium solutus & expeditus assistens, à nulla autem alia cura retrò auulsus. Qui est enim huiusmodi, vnà cum Deo degit: vnà cum Deo versatur, assiduis hymnis Deum semper celebrans. Noui enim ego hominem in solitudine, qui decem annos cibi B terreni nihil gustauit: sed ei angelus tertio quoque die cœlestem cibum ad eum afferebat, & ei in os iniiciebat, isque erat ei instar cibi & potus. Scio quoque ad hunc hominem in phantasia venisse dæmones, ostendentes angelicos exercitus, & currus ignis, & multos satellitis tanquam alicuius regis venientis: & ei dicentes, In omnibus te rectè & ex virtute gessisti ô homo. De cætero me adora: & tanquam Eliam te assumam. Dicebat autem apud se monachus: Adoro quotidiè regem meum & seruatorem, & is hic esset ille, non hoc à me peteret. Postquam autem ei dixit quod habebat in animo; Dominum meum & regem habeo, Deum, quem semper adoro: tu autem non es rex meus: ille protinus euanuit. Hæc autem tanquam de alio disserens, instituta vitæ suæ & res gestas volebat celare. Qui autem vnà cum eo erant patres, eum dicebant hæc vidisse. Hæc & alia multa nobis narrans beatus Ioannes, & tres dies ad nonam vsque disserens, nostras curauit animas. Cùm autem dedisset nobis benedictiones iussit ire in pace, nobis quoque dicta quadam prophetia. Hodiè, aiebat, venerunt Alexandriam epinicia maximè pij Theodosij, propter de medio sublatum tyrannum Eugenium: & oportet imperatorem mori morte propria: quod quidem re vera ita fieri contigit. Licebat autem cernere multitudinem eorum qui cum ipso erant monachorum, in ecclesia, veluti quosdam iustorum choros, lucidis vestibus indutos, & hymnis assiduis Deum glorificantes. Postquam autem multos quoque alios patres vidimus, venerunt fratres nobis annunciantes consummatum esse beatum Ioannem modo quodam admirabili. Nam cùm iussisset vt tres dies neminem finerent ad se venire genibus flexis ad orationem, consummatus est, ad Deum veniens. Cui gloria in secula.

Ieiunium decem annorum.

Dæmones assumant speciem Angelorum.

Dies sublati tyranni solennis.

DE POEMANIE.

Sect. xliii.

IS quoque cum Christi ancilla Pœmanie, quæ ad eum videndum accesserat, non est quidem collocutus: significauit autem ei quoque quædam arcana. Ei autem præcepit, dicens, Descendens à Thebaide, ne deflectas Alexandriam: quandoquidem futurum est vt cadas in E tentationes. Ea autem magni Ioannis prædictionem vel nihil ducens, vel eius oblita, deflexit Alexandriam vt videret ciuitatem. In itinere autem propè vrbem Nicie, ad eam accesserunt naues quiescendi gratia. Egressi autem famuli, ex quadam insolentia cum illius loci habitatoribus, amentibus & profligatis hominibus, manus conseruerunt. Qui quidem vnius quidem eunuchi digitum secuerunt: alium autem occiderunt: Dionysium autem sanctissimum Episcopum, in fluuium, ignorantes, proiecerunt: & illam ipsam conuitiis & maledictis; & reliquos omnes seruos sauciarunt.

Ioãnis prædictio. Quod piscis inuando, hoc monachus in oppido: dicit magnus Antonius apud Hieronym.

A VITA ABBATIS AMMONA, ET eorum qui cum ipso erant.

Sect. xliiii.

VIdimus autem alium quoque virum Thebaide nomine Ammonem, patrem ter mille monachorum, quos etiam nominabat Tabennesiotas, qui habebant magnum vitæ agendæ institutum: vt qui & ouillas pelles ferrent; & vultu tecto comederent: & se deorsum inclinantes, ne quis eos aspiceret. & tantum exercerent silentium, vt viderentur esse in solitudine, vnoquoque occultè peragente suum vitæ institutum. solum autem specie quadam in mensa sederent, conantes se inuicem latere. Aliqui enim ex his semel vel bis manum ori admouebant, tangentes panem vel oleum, vel aliquid ex iis quæ erant apposita: & cùm de vno quoque obsonio semel gustassent, contenti erant hoc alimento. Alij autem panem sensim mandentes, alia autem accipientes citra simulationem, sic perseuerabant. Alij autem suis tantum pergustabant: à reliquis autem abstinebant; quæ cùm vt erat consentaneum, essem admiratus, non prætermisi eam quæ ex eis capitur vtilitatem.

XLVIII. Ammonis 3000. monachi Cass. lib. 8 cap. 1. Tabennesiotarum leges Nicep. lib. 6 c. 14. Cassiani lib. 4. Inst. Monastica dieta.

DE ABBATE BE.

Sect. xlv.

VIdimus autem alium quoque senem, qui lenitate superabat omnes homines, nomine abbatem Be, C de quo affirmabant fratres qui apud ipsum versabantur, eum numquam iurasse, numquam de aliquo mentitum esse; neque aliquo verbo increpasse, neque iratum fuisse; erat enim eius vita valdè quieta, & mores mansueti, vt qui statum haberet angelicum. Erat autem valdè quoque humilis & seipsum vilipendens. Cùm nos autem multum rogaremus, vt adhortatorium nobis sermonem diceret, vix in animum induxit vt nobis pauca dissereret de mãsuetudine. Is, cùm Hippopotamus aliquando vastaret vicinam regionem, stans prope fluuium, rogatus ab agricolis, visa belua ingentis magnitudinis, ei præcepit, dicens: Denuncio tibi in nomine Iesu Christi, ne amplius vastes hanc regionem. Illa autem tanquam ab Angelo loco pulsa, omninò euanuit. Sic etiam ali- D quando abegit crocodilum.

XLIX. Be abbatis integritas, Bénum vocat Niceph. lib. 11. c. 34.

Belluæ grassanti imperat Abbas Be.

DE ABBATE THEONA.

Sect. xlvi.

VIdimus etiam alium non procul à ciuitate, in solitudine, nomine Theona, virum sanctum, in domuncula seorsum inclusum, qui tempore xxx. annorum silentium exercuerat. Is cùm plurimas virtutes perageret, habebatur ab eis pro propheta. Exibat enim ad ipsũ multitudo ægrotantium, quibus manus imponens per fenestram, dimittebat eos abire saluos. Licebat enim videre ipsum habentem vultum Angeli lætis oculis & totum plenum maxima gratia. Is, cùm non multò antè tempore latrones eum noctu inuasissent, existimantes se multum auri apud eum inuenturos, & vellent eum occidere, precatus est, & manserunt immobiles ad portas eius vsque ad matutinum. Cùm turbæ autem manè ad eum accessissent, & eos igni mandare in animo haberent, vnum tantum verbum ad eos est locutus: Sinite eos abire sanos, sin minus; à me fugiet gratia curationum. Ij verò ipsum audierunt, non audebant enim contra eum dicere: & protinus abiêre latrones ad ea quæ erant circumcirca monasteria, mutati moribus, & de iis, quæ fecerant ducti pœnitentia. Erat autem vir eruditus in triplici gratia sermonum, in scriptis Romanis, Græcis, & Ægyptiacis, sicut à multis & ab illo ipso audiuimus. Cum enim nos agnouisset esse hospites, scribens in

L. Theon. anno. 374. Silentium. 30 annis obseruatũ, Niceph. lib. 11. cap. 34. Latrones redduntur immobiles sicut & ipsi tidioois oratione, Nicep. li. 2. cap. 34. Theon doctus genere linguarũ. Cassiod. lib. 8. cap. 1. Hic Theon propter illud Christi Matth. 10. Qui pluris fecerit patrem & matrẽ,

&c est me indignus. vxori valẽ-ti renuntiauit. Caſſ col. 21. c. 9.

tabella, Deo propter nos egit gratias. Comedebat au-
tem ſemina non cocta. Noctu autem, vt aiunt, egredie-
batur è cella, & congregabatur cum feris: & eas probat
ex es quam habebat aqua. Erat enim videre veſtigia bu-
balorum, & onagrorum, & quarundam capreatum, cir-
ca eius monaſterium, quibus ſemper delectabatur.

DE ABBATE ELIA.

Sect. XLVII.

LI. Elias eremita. Nicep. l. 11 cap. 34. Ieiunium mirabile.

VIdimus autem alium quoque ſenem in ſolitudine
Antinoi, quæ eſt metropolis Thebaidis, Eliam no-
mine, qui natus erat centum & decem annos. Super eum
dicebant ſpiritum Eliæ prophetæ requieuiſſe. Erat enim
valde celebratus, vt qui in terribili illa ſolitudine egiſſet
ſeptuaginta annos. Non poteſt aut oratio pro dignita-
te narrare aſperam illam ſolitudinem, quæ eſt in monte
in quo ille ſedebat nunquam deſcendens in eam quæ ha-
bitatur regionem. Eſt enim quædam ſemita eorum qui
ad ipſum accedunt einſmodi, vt vix poſſint inſiſtere ve-
ſtigiis ij qui accedunt. Erat autem ſedens ſub quadam
petra in ſpelunca, adeò ipſum quoque videre eſſet for-
midabile. Tremebat autem iam totus, vt quem ſenectus
opprimeret. Multa autem ſigna quotidiè peragebat, nec
ceſſabat mederi ægrotantibus. Dicebant autem qui apud
ipſum erant patres, neminem meminiſſe eius aſcenſus in
montem. Comedebat autem in ſenectute tres vncias pa-
nis, & tres oleas veſpere. In iuuentute autem ſemper ſe-
mel comedebat in hebdomada.

VITA ABBATIS APPOLLO

Sect. XLVIII.

LII. Apollos à Nicep. nominatur. c. 34. l. 11 Caſſian. col 24. c. 11. Eſa. 19. Simulachra Ægypti ad ingreſſum ſeruatoris corruunt. Sozom. li. 5. a. 20 Caſſio. l. 6. cap. 42. Nicep. cap. 91. li. 10. itẽ author Tropolon. Bertorius Apollo diuinitus præficitur. Dæmon ſuperbiæ. Oratio aſſidua.

VIdimus autem alium quoque virum ſanctum in
Thebaide, in finibus Hermipolis: in quam Serua-
tor venit cum ſancta Maria & Ioſeph implens prophe-
tiam Eſaiæ quæ dicit: Ecce Dominus ſedet ſuper nubem
leuem: & veniet in Ægyptum, & quatientur manufacta
Ægypti à facie eius, & cadent in terram. Vidimus illic
quoque templum, in quo ingreſſo vrbem Seruatore, ce-
ciderunt omnia ſimulachra in faciem ſuper terram. Vi-
dimus autem illic in ſolitudine, virum Apollo nomine,
qui monaſteria habebat ſuper montem. Erat enim pater
monachorum circiter quingentorum, qui erat valdè cla-
rus & celebratus in Thebaide, erántque eius magna ope-
ra; & magnas virtutes per eum faciebat Dominus, &
plurima ſigna & admirabilia per eum efficiebantur. Hic
enim cùm à pueritia multam oſtendiſſet exercitationem,
in perfecta ætate talem eſt conſecutus gratiam. Cùm
enim eſſet octogenarius, ſibi magnum congregauit mo-
naſterium virorum perfectorum, qui poterant omnes
ferè ſigna efficere. Is cùm quindecim annos natus à mũ-
do feceſſiſſet, & quadraginta annos in ſolitudine tranſe-
giſſet, & in ea omnem virtutem exercuiſſet, viſus eſt po-
ſtea audire Dei vocem dicentis ei: Apollo, Per te ſapien-
tiam ſapientum in Ægypto, & prudentiam gentium
abolebo. Perdes autem mihi cum eis etiam ſapientes Ba-
bylonis & de medio tolles omnem cultum dæmonia-
cum, & nunc valde in eam quæ habitatur regionem:
Generabis enim mihi populum peculiarem, æmulato-
rem bonorum operum. Is autem reſpondens, dixit, Au-
fer à me Domine arrogantiam: ne fortè elatus ſupra fra-
ternitatem, mulctet omni bono opere. Ei autem rurſus
dixit vox diuina: Mitte manum tuam ſuper collum
tuum: & deinde pones eam, & infodies arena. Is autem
cùm ſtatim manum miſiſſet ſuper collum apprehen-
dit paruum Æthiopem: & eum infodit in arena clamanr-
tem, & dicentem, Ego ſum dæmon ſuperbiæ. Et rurſus
facta eſt vox ad eum, dicens, Vade quoniam quod à Deo
petieris, accipies. Is autem cùm primùm hoc audiſſet,
profectus eſt in eam quæ habitatur regionem, tempore

A Iuliani tyranni: & tunc venit in propinquam ſolitudi-
nem. Cùm quandam autem paruam occupaſſet ſpelun-
cam, manebat ſubter montem. Eius autem opus erat to-
to diurno ſpatio preces edere; noctu quidem centies; in-
terdiu autem toties, flexis genibus. Eius autem alimen-
tum tunc quoque ſicut prius, admirabili & præter opi-
nionem ratione à Deo ſuppeditabatur. Ei enim in ſoli-
tudine per Angelum afferebatur nutrimentum. Eius au-
tem indumentum erat lebiton, & paruum linteum in
eius capite. Hæc enim ei manebant in ſolitudine, nec ve-
teraſcebant. Erat autem in ſolitudine propinqua terræ
quæ habitatur, faciens ſigna & virtutes admirabiles in
virtute ſpiritus: quas propter miraculi inſignem magni-
tudinem nemo poteſt omnes dicere, ſicut audiuimus à
ſenibus qui cum eo verſabantur, qui ipſi quoque erant
viri perfecti, & præerant multis fratribus. Fuit itaque
B protinus clarus ac celebratus, tanquam nouus aliquis
propheta vel Apoſtolus qui veniſſet noſtro ſeculo; &
cùm magna fama de eo ſparſa eſſet omnes qui circum-
circa habitabant monachi, ſemper ad eum veniebant, &
tanquam patri germano, ſuas offerebant animas. Is au-
tem alios quidem hortabatur ad cõtemplationem, alios
verò inſtituebat vt perſequerentur virtutem quæ verſa-
tur in actione, primum oſtendens opere ea quæ ipſos
facere admonebat ſermone. Sæpe enim eis oſtendens
exercitationem; dominica ſolum cum eis verſabatur,
ipſe quidem non amplius ſumens quàm olera quæ ſua
ſponte naſcuntur in terra, non panem interim vel legu-
men, non ex fructibus arborum aliquid comedens, nec
quæcunque igni admota veniunt in vſus hominum.
C Cùm autem tempore Iuliani aliquando audiſſet, fra-
trem in exercitu captum vinctum teneri in cuſtodia, ac-
ceſſit ad eum cum fraternitate, rogans eum & admonens
vt eſſet fortis & conſtans in laboribus, & deſpiceret pe-
ricula ſibi imminentia. Dicit enim eſſe ſibi tempus certa-
minum, vt nunc quoque mens eius probetur inſultu
tentationum. Poſtquam autem his verbis eius animum
confirmauit, adueniens Tribunus qui quodam ſceleris
ferebatur impetu, cum quidam ei de ipſis ſignificaſſet,
clauſis portis cuſtodiæ, & ipſum, & omnes qui cum eo
erant monachos incluſit, tanquam futuros aptos ad mi-
litiam, & cùm eis quot ſatis eſſent cuſtodes conſtituiſſet,
domum rediit, nec auditione quidem ab eis rogari ſuſti-
nens. Media autem nocte, lampadem ferens Angelus ap-
D paret cuſtodibus, lumine illuſtrans omnes qui erant in
carcere, adeo vt præ ſtupore hiantes ſtarent cuſtodes.
Qui cùm ſurrexiſſent, eos rogarunt vt omnes abirent,
eis apertis ianuis. Fatebantur enim eſſe ſatius pro iis mo-
ri, quàm quæ ad eos diuinitus veniſſet libertatem, qui ci-
tra rationem detinebantur, deſpicere. Tribunus itaque
cum magiſtratibus, manè veniens in cuſtodiam, conten-
debat vt viri egrederentur è ciuitate. Dicebat enim do-
mum ſuam cecidiſſe terræ motu, & è ſuis ſeruis optimos
oppreſſos fuiſſe. Ij autem hæc audientes Deo gratias
agentes, abierunt in ſolitudinem, erántque omnes ſimul,
vt dicit Apoſtolus, habẽtes cor vnum & vnam animam.
Docebat autem quotidiè ornari virtutibus, & machi-
nas diaboli in cogitationibus in principio protinus pro-
pulſare. Contritio enim capite ſerpentis, totum corpus
E eſt mortuum. Iubet enim Deus vt obſeruemus caput
ſerpentis. Id autem eſt, ne in principio admittamus ma-
las & turpes cogitationes, non ſolùm vt obſcœnas
animi noſtri phantaſias deleamus. Conari autem nos in-
uicem ſuperare virtutibus: & ne quis in his laudibus al-
tera videatur inferior. Hoc autem, inquit, ſit vobis argu-
mentum, profectus virtutum quando fueritis vacui affe-
ctionibus & appetitionibus: hæc enim ſunt Chriſti do-
norum principium. Quando autem à Deo habuerit ali-
quis oſtenſionem miraculorum, ne nimium intume-
ſcat, nec efferatur cogitatione, tanquam ſit iam magis
honoratus quàm alij: neque vt oſtentans quòd talem
gratiam acceperit: ſin minus, ſeipſum decipit mente ca-
ptus, & gratia mulctabitur. Habuit ergo hanc magnam

Veſtimentũ non veteraſcens.

Apo. tẽpore Iuliani, an do. 374.

Tribunus vult cogere monachos ad militiã. Nicep. cap. 27. lib. 11.

Act. 4.

Obſeruãdum caput ſerpentis.

doctrinam in sermonibus, quam nos quoque sæpè postea ab ipso audiuimus: In operibus autem, efficiebat in tota. Omnis enim petitio ei statim dabatur à Deo. Quinetiam videbat quasdam reuelationes.

Reuelationes factæ S. Apollini.

Vidit enim suum fratrem natu maximum, qui ipsi quoque fuerat consummatus in solitudine, & ipso pulchro vitæ instituto eum superauerat, cum quo ipse quoque longo tempore vixit in solitudine. Videbatur ergo eum videre sedentem in eodem throno cum Apostolis, cùm ei reliquisset suarum virtutum hæreditatem, & sic pro ipso intercedebat, Deum rogans, vt esset velox eius translatio. Visus est autem ei dixisse Seruator, oportere eum adhuc paruo tempore esse in terra ad multorum perfectionem, donec multi fiant eius virtutis æmulatores. Magnus enim monachorum populus credetur eius fidei, & pius exercitus, vt gloriam dignam laboribus consequatur à potentiore. [B] Hæc vidit, quæ etiam euenerunt. Nam cùm multi vndique ex auditione ad eum conuenissent monachi, & per eius doctrinam & conuersationem plurimi omnino mundo renûtiassent, facta est fratrum cohabitatio, cùm ad quingenti fratres simul apud ipsum communem vitam haberent & vnam mensam, tota veste candidati, & in eis impleta est scriptura quæ dicit: Lætare desertum sitiens, erumpe & clama quæ non parturis: quoniam multi sunt filij desertæ magis quam virum habentis.

Esa. 54.

Nam impletum quidem est hoc eloquium propheticum in ecclesia quæ congregata est ex gentibus. Perfectum est autem in hac etiam Ægyptiaca solitudine, quæ plures filios Deo, exhibet quam terra quæ est habitata. Vbi enim sunt in vrbibus tot greges eorum qui salui fiunt, quot Deo exhibent quæ sunt in Ægypto solitudines? [C] Quot sunt enim hic populi, tot sunt illic in desertis monachi. Ac mihi videtur dictum Apostoli etiam in ipsis esse impletum: Vbi enim abundauit peccatum, superabundauit & gratia.

Rom. 5. Cur Deus tot monachos Ægypto suscitarit. Cassian. col. 5. Monachorum sanctitas gentiles cõuertit. Nicep. lib. 11. cap. 41.

Abundauit enim in Ægypto multus & impius idolorum cultus, adeò vt in nulla gente magis: Canes. n. & simias quidam colebant: alij, allia & cæpe: & ex vilibus oleribus multa deos existimabant, vt ipsum sanctum patrem hæc narrantem audiuimus, & reddentem causam prioris ignorationis. Nam bouem quidem aiebat in deos referebant gentes quę priùs apud nos habitabant: quoniam per ipsum exercentes agriculturam, victum sibi parabât: aquam autem Nili, quoniam irrigat omnes agros: Terram quoque colebant vt quæ esset aliis omnibus regionibus fertilior.

Apin. lee herod. Arnob. Lact. Theop. & gyral. Syntag. 1. Vnde in Ægypto tam multi dij.

[D] Reliquas autem abominationes, canes & simias, & reliquam omnem animantium & olerum colebant turpitudinem, quatenus eorum vsus fuit eis occasio salutis, qui tempore Pharaonis homines occupatos tenuit, quando ille Israëlem persequens submersus est. Vnusquisque enim id in quo fuit occupatus, cum Pharaonẽ non esset secutus, hoc in deos retulit, dicens. Hoc fuit mihi Deus hodiè, per quod effectum est vt non perirem vnà cum Pharaone. Hæc quidem in sermonibus habuit sanctus Apollo. Ante sermones autem scribendum est quę possedit in operibus. Fuerunt enim aliquando gentiles propè accolentes in locis omnibus: & decem pagi, & qui erant ei propinquiores, magis colebant dæmones. Erat autem templum maximum in vno vico, & simulachrum maximè insigne: [E] Lignea autem erat hæc, statua Pompam autem ducebant, eam per vicos circumferentes sacerdotes, qui bacchabantur cum multitudine, veluti pro aqua fluuiatili celebrantes mysteria. Accidit autem vt illo tempore illic adesset Apollo cum paucis quibusdã fratribus. Postquam autem vidit multitudinem repentè dæmoniacè furẽtem per regionem, flexis Seruatori genibus, fecit omnes gentiles repentè immobiles.

Gẽtiles redduntur immobiles. Imbecillitas idolorũ.

Cùm autem non possent ex illo loco progredi alius alium trudẽtes, & æstu toto die torrerentur, ignorantes vnde hoc eis euenisset sacerdotes eorum dixerunt esse quendam Christianum habitantem in eorum finibus sub solitudine, qui hæc faceret, dicentes de Apollo: & oportere ei supplicare. Sin minùs, fore vt veniant in periculum. Postquam autem qui procul habitabant auditis clamoribus & lamentationibus, [A] accesserunt, & eos rogarunt. Quidnam est dicentes, quod vobis repentè accidit: quo pacto hoc factum est? Illi autem dixerunt se nescire, nisi quòd virum habebant suspectum, dicentes oportere illum placare, alij verò testabantur se eum vidisse accedentem: & sic rogarunt eos vt eis citò daretur auxilium, adductis bobus conati sunt mouere simulachrum: Id autem manebat tanquam immobile cum ipsis sacerdotibus. Cùm nullam ergo euadendi rationem inuenissent, miserunt per accolas legationem ad Apollo, vt illinc liberati ab errore recederẽt. His autem Apolline significatis, celerrime descendit homo Dei: & cùm orasset, omnes soluit à vinculo. Hi autẽ omnes vno animo ad ipsum processerunt, vniuersorum seruatori credentes, & Deo qui facit admirabilia, idolo [B] protinus igni mandato. Quos omnes catechesi institutos adiecit ecclesiis. Multi autem ex his in hodiernum vsque diem degunt in monasteriis. Huius autem rei fama peruasit in omnes partes: & multi crediderũt in Dominum, adeò vt nullus amplius gentilis nominetur in eius finibus. Non multò post autem tempore, duo pagi inter se bellum incipiunt cõmittere, pro agris decertantes. Postquam autem est Apollo renunriatum, statim ad eos descendit, inter eos pacem conciliaturus. Qui erant autem ex parte aduersa non parebant, sed contrà dicebât, freti vno latronum principe, vt viro ad bellum præstantissimo. Cùm enim ergo Apollo vidisset contra dicentem, dixit ei: Si parueris, ô amice, rogabo Dominum meum vt tua peccata remittantur. Is autem vbi hoc audiuit, non cunctatus, abiectis armis, eius genibus aduolu- [C] tus supplicauit: & pace facta eius intercessione, suos remisit ad propria. Cùm ij autem pacem egissent, & abiissent, insignis eorum propugnator, Apollo de cætero sequebatur, promissum apertè exigens. Quem cùm assumpsisset beatus Apollo in propinqua solitudine, admonuit & hortatus est, vt patienti & constanti esset animo, posse enim Deum ei cõdonare. Vbi autem nox aduenit, ambo viderunt in somnis se astare ante tribunal Christi. Vtrique autem contemplabantur Angelos, Deum vnà cum iustis adorantes. Cùmque ipsi vnà cum eis procubuissent patrem adorauerunt: & vox ad eos facta est Dei dicẽtis: Quæ est societas luci cum tenebris? aut quæ pars est fidelis cum infideli? quid verò stat cum iusto homicida, cùm sit indignus tali contemplatione? Tu autem abi [D] ô homo: tibi enim est concessus huic tardè natus perfuga. Qui cùm alia multa vidissent & audissent admirabilia, quę neque audet oratio dicere, neque auris audire, exterriti annuntiarunt iis qui cum eis conuersabâtur. Omnes autem maxima inuasit admiratio vtrisq; vnam narrantibus visionem. Permansit autem cum exercitationibus is qui non erat amplius homicida, vsque ad mortem vitam suam corrigens, ex lupo in simplicem & innocentem agnum mutatus. In eo quoque impleta est Esaiæ prophetia, dicentis: Lupi & agni simul pascentur; & leo & bos simul comedent paleas: licebat enim illic quoque videre Æthiopes cum monachis se exercentes, & multos virtutibus superantes, & scripturam in eis impletam quæ dicit: Æthiopia præueniet manum eius Deo.

Esa. 5.

Psal. 67.

Aliquando autem decertabant gentiles aduersus Christianos [E] rusticos pro suis finibus, erat autẽ multitudo vtrorumque armatorum, quibus adstitit Apollo pacem inter eos concilians. Ei autem restitit gẽtilium in pugna princeps, qui erat vir grauis & sæuus, affirmabat autem & dicebat se non esse daturum pacem vsque ad mortem. Is autem ei dicit, Atque adeò tibi fiat quod elegisti: Nullus enim præter te occidetur. Tibi autem mortuo non erit terra sepulchrum, sed ventres ferarum & vulturum te implebuntur.

Princeps negans se daturũ pac. ipse solus occiditur.

Atque adeò oratio effectum protinus est sortita, cùm ex vtraque parte nullus sit interfectus præter principem. Quem etiam cùm in arena tumulassent, manè inuenerunt membra laniata ab hyænis & vlturibus. Illi autẽ cùm vidissent miraculum, & euentum eius quod dixerat, omnes seruatorem deprecantes,

eum prædicabant prophetam. Erat autem antea in montis spelunca sanctus Apollo cum quinque alijs fratribus, qui primi fuerunt eius discipuli, cùm recenter venisset è solitudine. Cùm autem aduenisset dies festus Paschæ, & Dei cultum implessent, erant esuri ea quæ inueniebantur (erant autem aliquot sicci panes, & quædam olera reposita) Eis autem dixit Apollo, Si sumus fideles ô filij, & germani Christi filij; petat vnusquisque vestrûm à Deo id quod eius animo gratum est ad vescendum. Illi verò ei vniuersum permiserunt, existimantes se esse indignos tali gratia. Cùm læto autem vultu orasset, & omnes dixissent Amen, protinus noctu venerunt in speluncam quidam viri penitus incogniti, qui dicebant se venire à longinqua regione: & omnia ferebant, ea etiam de quibus ne auditione quidem acceperant, & quæ non nascuntur in Ægypto, horti fructus omnis generis, vuas, & mala punica, & ficus intempestiuas, quin etiam quosdam inuentus mellis fauos, & vrnam recentis lactis, & nicolaus panes maximus, & puros lupinos è regione externa. Ij autem qui ea attulerant, cùm solummodo tradidissent, tanquam missi à viro magno & diuite, protinus properè recesserunt. Cùm quæ erant autem esculenta percepissent, ea illis suffecerunt vsque ad Pentecosten: adeò vt ipsi quoque mirarentur & dicerent fuisse ea verè à Deo missa. Quidam autem ex monachis rogabat patrem vt statim Deum pro ipso oraret, vt gratiam aliquam, consequeretur: cùm ipse autem orasset ei datur gratia humilitatis & mansuetudinis, adeò vt mirarentur omnes eum esse tam mansuetum. Has autem eius virtutes narrarunt nobis qui cum ipso erant fratres, hæc multis quoque attestantibus fratribus. Etenim cùm non multo autè tempore fuisset aliquando fames in Thebaide, qui autem ea loca accolebant populi audiissent, quod qui erant apud eum monachi, præter spem omnem & opinionem alerentur; vno animo apud ipsum accederant cum vxoribus & liberis simul benedictionem petentes & alimentum. Is autem nihil veritus ne cibus eis aliquando deesset, dabat omnibus venientibus vnicuique quod in diem sufficeret. Relictis autem tribus solis magnis sportis cum panibus & fame inualescente iubet sportas afferri in medium, quas ipso die erant esuri monachi: & audientibus omnibus fratribus & populi multitudine, dixit magna voce: Non potens est manus Domini hæc implere? Hæc autem dicit Spiritus sanctus: Non deficiet panis ex his sportis donec nouo frumento fuerimus satiati. Et affirmarunt omnes qui tunc aderant, eis panes suffecisse quatuor menses. Similiter autem & in oleo & frumento, adeò vt veniret Satanas & ei diceret: Num tu es Elias, aut alius ex prophetis & Apostolis quòd hæc facias? Is autem dixit ipsi: Quid enim Non homines sancti fuerunt Apostoli & Prophetę, qui hæc nobis tradiderent? An tunc quidem aderat Deus, nunc autem peregrè est profectus? Potest autem Deus hæc semper facere, & nihil erit quod ipse non possit. Si ergo Deus est bonus: cur tu malus? Quid verò non oportet nos quoque dicere ea quæ vidimus? nempè quòd fratres ingrediebantur cum sportis, ad mensas panes afferentes, & cùm comederent quingenti fratres ad satietatem, eas rursus plenas accipiebant? Aliud quoque miraculum, quod videntes obstupuimus, par est dicere. Cùm enim ad vos venissemus spatio trium dierum, cogniti sumus, procul visi à fratribus, qui ex eo audierant de nostro ad eos aduentu, qui quidem properè accurrentes nobis venerunt obuiam, psallentes (est enim hic mos apud omnes monachos) & cùm proni in terram adorassent, nos deosculati sunt, nos sibi inuicem ostendentes, & dicentes: Ecce venerunt fratres, de quibus pater noster dixit tribus antè diebus, dicendo. Post tres dies venient ad nos fratres, venientes Hierosolymis. Et alij quidē nos deducebant: alij verò nos retro sequebantur, psallētes, donec propè ipsum venimus. Cùm autem audisset pater vocem psallētium, venit nobis obuiam vt mos ei erat erga omnes fratres, & cùm nos vidisset ado-

Cibi diuinitus dati.

Nicolaï ab Augusto appellatæ sunt placētæ quę donatæ ei fuerāt à Nicolao quinquagesimo habitabat, qui etiam scripsit ad Herodem Iudæorū Regem de gentibus mirabilibus. Ex theca Photij. tēpore famis populū pascit Apollo. Nō deficit panis sporta. Deus semper est omnipotēs. Aliud miraculum.

A ranit primus se in terra extendens, & cum surrexisset, est osculatus: & postquā introduxisset, orauit, & pedes nostros manibus lauit proprijs, & hortatus est ad refectionem. Hoc autē faciebat omnibus fratribus qui ad ipsum veniebant. Qui enim cum ipso erant fratres, alimentum non priùs accipiebant quam eucharistiæ Christi communicassent. Hoc autē faciebant hora nona diei. Deinde cum sic comedissent sedebant audientes eum docentē omnia præcepta, vsque ad primum somnum. Illinc alij quidē ex ipsis secedebant in solitudinē, scripturas tota nocte memoriter expromentes. Alij verò illic perseuerabant assiduis hymnis Deum laudantes ad diem vsq, quos ego vidi his oculis, cùm vespere hymnos cœpissent, vsq; ad matutinum non cessasse à cantu. Multi certè ex iis hora nona solum descēdebant de mōte: & Eucharistiam sumentes, rursus ascendebant, contenti spirituali nutrimēto vsque ad aliam nonam. B Hoc autem multi ex iis faciebant multus dies. Licebat autem eos videre exultantes in solitudine: adeò vt nullam eiusmodi aliam exultationem in terra videre liceat, nec lætitiā corpore: Nēque enim erat inter eos aliquis mœstus aut tristis. Sed si quis videbatur præ se ferre tristitiā, statim pater Apollo ex eo rogabat causam, & quæ erant in occulto vniuscuiusq; cordis renūtiabat. Dicebat autē, Non oportet esse tristes propter salutē, cū futuri simus hæredes regni cœlorū. Tristes autē, inquit, erunt gentiles: flebunt Iudæi, lugebunt peccatores: Iusti autem lętabūtur. Et qui terrena quidē animo agitant, lætantur in rebus terrenis; nos autem qui tanta spe digni sumus habiti, quēadmodum non lætamur perpetuò? cùm nobis Apostolus suadeat vt semper lætemur, C & oremus sine intermissione. Quis autem dixerit eius in sermone gratiam, & reliquas eius virtutes, quas propter summum miraculum siluimus, auditas vtique ex ipso & ex alijs. Cùm autem de exercitatione & vitæ instituto nobiscum sepè seorsum disseruisset, sepè etiam dixit de suscipiendis monachis quòd oportet adorare fratres aduenientes: Non enim ipsos, aiebat, sed Deum adorasti: vidisti enim, inquit, fratrem tuum, vidisti Dominū Deum tuum, & hoc, inquit, ab Abraham accepimus: & quod oporteat, inquit, nonnunquam cogere fratres ad refectionem, à Lot, accepimus, qui coëgit Angelus: & quòd oportet si fieri potest, monachos quotidiè cōmunicare sacramentis. Qui enim se ab eis procul amouet, Deus quoq; procul ab eo recedit; qui autem hoc facit assiduè, D assiduè suscipit seruatorem; est enim, inquit, vox saluatoris, Qui comedit carnem meam, & bibit meum sanguinem, manet in me, & ego in eo hoc confert monachis salutaris passionis cōmemorationem continēter facientibus, quotidiè etiam se præparare, vt omni ex parte digni sint qui suscipiant cœlestia sacramenta: quandoquidem sic quoque cōsequimur remissionem peccatorum. Catholica autem & generalia ieiunia nō licet soluere sine ingēti necessitate. In quarta enim feria traditur Seruator & in parasceue crucifigitur. Qui ea ergo soluit, seruatorē vnà tradit, & vnà crucifigit. Sed si ad vos veniat frater qui opus habet vt reficiatur cùm sit ieiunium, ipsi soli mensam apponite: sin autem nolit, ne cogitatis. Habemus enim communem traditionem. Multum autem reprehēdebat eos qui ferrum gestabant, & comam nutriebant. E Hi enim, inquit, se ostentant & quærūt placere hominibus, cùm oporteat ipsos potiùs corpus soluere ieiuniis, & quòd bonū est facere in occulto: Ij verò non sic, sed se propalant omnibus. Et quis opus pluribus: omnis enim eius doctrina est eius vitæ instituto similis, quē nec qui scribere potuerit nec dicere. Plurima ergo nobiscū seorsum tota sæpe hebdomada disserēdo, tandem dimittens dixit: Habēte pacem inter vos, ne separemini in via. Cùm autem dixisset iis qui cum ipso erāt fratribus, quisnam ex ipsis vellet nos deducere, sanctus Apollo tribus viris delectis, qui valerent & sermone & vitæ instituto, erāntque periti linguæ Græcè & Romanæ & Ægyptiacæ, cum eis nos dimittens, iussit eis ne nos prius relinquerent, quam satisfactum esset nostro videndorum pa-

trum

Perceptio Eucharistiæ præcedat cibum.

Eucharistia sola viuebat

Tristitia fugienda quia desperationē inducit. Cassi lib. 9. Instit ca. 13.

1. Thess. 5.

Cogēdi hospites ad refectionem. Gen. 18. Gen. 19. Quotidie cōmunicare debent monachi. Ioan. 6. Per sacramētum altaris consequimur remissionem peccatorū. Cassian col. 22 & 7. cap. 30 liberatur Andronicus à dæmone. Ieiuniū. 4. & 6. feriæ nō soluendū Cassian. li. 5. Inst. ca. 24. Draco miræ magnitudinis. Luc. 10.

ctum desiderio, quos si quis vellet omnes videre ad eos aspiciendos tota vita non sufficeret. Cùm nobis ergo benedixisset, amendauit, dicens: Benedicat vos Dominus ex Siō: & videatis bona Hierusalē omnibus diebus vitæ vestræ. Nobis autem ambulātibus meridie per solitudinem, vidimus tractum magni draconis qui tanquam trabes erat protractus per arenam. Quem cum vidissemus, nos magnus timor inuasit; Qui autem nos ducebant fratres hortati sunt ne timeremus, sed essemus bono animo: & sequeremur draconis vestigium. Videbitis enim fidem nostram, cum ipsi simus eum manu nostra superaturi. Multos enim, inquit, & dracones & cerastas manu interfecimus, sicut scriptum est. In eis enim implebatur illud, Dedi vobis potestatem ambulandi super serpentes & scorpiones, & super omnem potestatem inimici. Nos autem qui ferebamur incredulitate, & maiori eramus affecti formidine, rogabamus eos ne iremus per vestigia draconis, sed recta via. Vnus autem frater ex ipsis magna animi alacritate, cùm nos eo in loco dimisisset, profectus est in solitudinem, quærens beluam. Quam cum inuenisset non procul ab antro, magna voce exclamabat draconem esse in spelunca: & vocabat ipsos, vt ad se venirent visuri quid esset euenturum: & hortantibus nos aliis fratribus ne timeremus, cum magno metu abiimus visuri beluam. Nobis autem repente occurrens frater vnus, manu nos traxit in suum monasterium, dicens nos non posse ferre impetum beluæ, & maximè quòd nondum vidissemus talem beluam & tam vasta magnitudine, vt quæ sit plus quàm quindecim cubitorum. Cum nos ergo iussisset manere in loco, abiit ad fratrem dicens ei vt recederet à cauerna: conabatur enim ille à loco non recedere, priusquam interfecisset draconem. Cui cum persuasisset, eum ducit ad nos increpantem modicam nostram fidem. Quiescentes autem apud illum fratrem, qui circiter vnum milliare remotum habebat monasterium, satis refecti sumus. Ille autem nobis narrabat, in illo loco in quo ipse sedebat fuisse virum sāctum, cuius ipse fuit discipulus, nomine Amun, qui in illo loco plurimas fecit virtutes, ad quem sæpè latrones venientes, accipiebant eius panem & alimenta. Hæc ergo ægrè ferens, cum vno die egressus esset in solitudinem, adduxit secum duos magnos dracones, & iussit eis vt in eo loco manerent, & portam custodirent. Homicidæ autem cùm pro more venissent, & vidissent miraculum, præ stupore hiantes ceciderunt in faciem. Egressus autem inuenit eos mutos & ferè semimortuos, & cum eos excitasset, probris eos afficit, dicens: Videte quātum estis bestiis agrestiores. Nam isti quidem propter Deum nostræ parent voluntati, vos autem neque Deum timuistis, neque Christianorū estis reueriti religionem, introductis autem eis in cellam mensam apposuit, & monuit vt mores mutarent. Illi autem surgentes, protinus multis visi sunt meliores: non multo post autem ipsi quoque visi sunt eadem signa facere. Aliquando autem, inquit, cùm vnus magnus draco propinquam vastaret regionem, & multa occideret animalia, quicunque habitabāt iuxta solitudinem, omnes simul venerūt ad patrem, rogantes vt deleretur belua ex eorum regione. Is autem eos ita dimisit, vt qui eis tristitia affectis nihil prodesset. Manè autem surgens, venit in eum locum quo trāsitura erat belua. Postquam autem ter flexit genua ad orationem, in ipsum veniebat belua, magno cum stridore grauē emittens anhelitū, & intumescens ac sibilans, tetrūmq; edens spiritum. Is autem nihil territus, ad draconem cōuersus, dixit, Vincet te Iesus Christus, filius Dei viui, qui est magnum draconē victurus. Idque cū dixisset, protinus disruptus est draco, per os omne virus euomens, cum sanguine. Cùm autē venissent rustici postridiè, & illud magnum vidissent miraculum, & non ferrent spiritum in animal multā arenam cōgesserunt, patre illic eis adstāte: ad draconem enim licet mortuum, non audebāt accedere. Puer autem, inquit, pascēs cum repētè vidisset adhuc viuum draconem, statim emota mente fuit exanimatus.

Vita Abbatis Amun.

Duo dracones portæ monasterij custodes.

Draco disruptus precibus abba Amun.

Iacuit itaque puer nihil spirans in loco tota die in solitudine. Cum eum autē sui in vespere inuenissent parum spirantem, totum inflatum ex ecstasi, deducūt ad patrem, ignorantes causam eius quod acciderat. Cùm iā autem orasset & eum vnxisset oleo, surrexit puer narrans id quod fuerat deprehensum. Quare vir maximè motus ad interimendum draconem est conuersus.

Amun oleo puerum curauit.

VITA ABBATIS COPRE PRESBYTERI.

SECT. XLIX. LIIII.

Erat autem illic quidem presbyter, qui monasterium propè habebat in solitudine, Copres nomine, vir sanctus, propè octogenarius, qui ipse quoque plures faciebat virtutes, morbis medens, & multas faciens curationes, & dæmones expellens; & res multas efficiens, atque adeò quasdam in nostris oculis. Is ergo postquam nos vidit, salutauit, & pro nobis orauit, & postquam pedes nostros lauisset, sciscitatus est à nobis quæ in mōdo fierent, nos autem rogauimus vt ipse nobis potiùs exponeret sui vitæ instituti virtutes, & quomodo ei Deus esset dona largitus, & quanam ratione fuisset particeps eius gratiæ. Is autem nulla eo nomine elatus superbia, nobis suam vitam narrauit, & maiorum suorum qui ipsum superarunt, quorum ipse vitæ institutum est imitatus. Non est, inquit, ô filii quod à me fit admirabile, si conferatur cum iis quæ in vita gesta sunt à patribus nostris. Et cum narraret nobis Copres presbyter quæ rectè & ex virtute gesta fuerant à patribus, vnus ex fratribus nostris dormitans, vt qui iis quæ dicebantur fidē nequaquam haberet, videt in eius manibus librum admirabilem scriptum literis aureis, & canum virum adstantem & minaciter ei dicentem: Non audis attentè lecturā, sed dormitas? Is autem conturbatus, nobis eum audientibus statim quod viderat Romanè exposuit. Eo autē hæc nobis adhuc dicente, venit quidam rusticus habens cyatum arenæ, qui expectabat donec impleslet narrationem; rogauimus autem nos presbyterū, Quid sibi vult rusticus cum arena? nobis respondit pater, dicens: Filioli mei Nō oportebat me gloriari apud vos, neque ea nunciare quæ gesta sunt à patribus: ne mente elati amittamus mercedem: propter studium autē vestrum & vtilitatem, quòd tam procul ad nos venistis, nō fraudabo vos vtilitate, sed quæ per nos Seruator gessit, narrabo præsentibus fratribus. Sterilis erat ager qui est propè nos: & rustici qui ipsum possidebant, seminantes, vix semen duplicatū metebant: Vermis enim nascēs in spica, totam messem consumebat. Agricolę autem catechismo à nobis instituti, & effecti Christiani, rogarunt nos vt oraremus pro messe. Dixi autem eis, Si habetis fidem in Deum vel arena deserti fructum vobis afferet. Ij autem nihil cunctati, cum hac arena quæ à nobis calcatur sinus implessent, attulerunt, rogantes vt benediceremus. Postquam autem sum precatus vt illis fieret secundum ipsorum fidem, ipsi eam cum frumento seminarunt in aruis suis, & repentè eorum ager ita multiplicauit fructum, vt omnem superaret Ægyptum. Hoc ergo facere soliti, nobis quotannis exhibent molestiam. Vnum autem, inquit, magnum miraculum præbuit mihi Deus multis præsentibus. Cùm enim in ciuitatem aliquando descendissem, inueni quendam virum magum, qui populos seduxerat. Cùm autem non possem ei publicè persuadere, dixi conuersus ad multitudinem, Magnum rogum in platea accendite, & ingrediamur in flamma, & qui ex nobis illęsus à flamma manserit, is habet bonam fidem. Postquam autem hoc factum est, & turbæ rogum citò accenderunt: ipsum mecum trahebant in ignem. Is autem dicit, Vnusquisque seorsum ingrediatur: debésque primus ingredi qui iussisti. Cùm autem in nomine Christi signatus essem ingressus, flamma in hanc & illam partem diuisa, me nulla affecit molestia, cùm semihoram in ea essem moratus. Turbæ autem viso miraculo exclamarunt, &

Copri virtutes Sozō. lib 6. ca 28. Cassiod. li. 8. cap 1. Niceph. li. 12. cap. 34.

Fruges fide multiplicitur.

Copri certamen cum præstigiatore.

Crucis signū seruat ab incēdio.

cogebant illum pyram peruadere: is autem nolebat, timore affectus. Cùm eum autem accepissent populi in medium protruserunt, & totus flamma ambustus, eiectus est è ciuitate, clamantibus populis: Planè viuentem exurite. Me autem turbæ accipientes, & laudibus prosequentes, deduxerunt in ecclesiam. Cùm autem ego aliquando per quoddam templum transirem, quidam ex gentibus suis idolis sacrificabant; Dixi autem eis: Cur cùm sitis participes rationis, sacrificatis iis quæ carent ratione: vósque estis de cætero iis magis expertes rationis? Illi autem vt qui rectè dixissem, me statim sunt secuti, credentes Seruatori. Cùm autem esset mihi aliquando hortus in agro propinquo, propter eam quæ ad nos veniebat fraternitatem, & quidam pauper eum operaretur, ingressus est quidam gentilis vt furaretur olera. Vbi verò ea suffuratus recessisset, eáque tribus horis non potuisset coquere, sed mansissent in lebete qualia acceperat, vt potè quòd aqua minimè calefieret, vir se colligens, acceptà olera ad nos detulit, rogans vt nobis condonaretur erratum, & vt fieret Christianus, quod etiam factum est. Erant autem hac ipsa hora hospites, fratres qui ad nos venerãt, propter quos tempestiuè admodum ad nos allata sunt olera. Quæ cùm comedissemus, egimus Domino gratias duplici accepta lætitia, & ex salute hominis, & ex refectione fratrum.

Olera furto rapta coqui nõ possunt.

B

VITA ABBATIS SVRI.

LV. Sect. LI.

Surus. Oratione Surus transferri impetrauit.

ABbas autem Surus, inquit, & Esaias, & Paulus sibi inuicem repentè occurrerunt ad fluuium, viri pij & egregij exercitatores, inuisuri magnum abbatem Anuph. Distabat autem eorum interuallum tribus mansionibus: & dicunt ad se inuicem: Ostendat vnusquisque nostrûm suum vitæ institutum, & quemadmodum fuit in hac vita à Deo honoratus. Abbas autem Surus dixit eis: Peto à Deo donum, vt nos virtute spiritus indefessi ad locum perueniamus: & cùm ipse solum orasset, inuentum est protinus paratum nauigium, & ventus secundus, & momento temporis inuenti sunt in loco, cùm aduerso flumine nauigassent.

VITA ABBATIS ESAIÆ

LVI. Sect. LI.

ESaias autem dicit eis: Et quid mirum, ô amici, si vir nobis occurrerit, qui vitam narret vniuscuiusque.

VITA ABBATIS PAVLI.

LVII. Sect. LII.

Paulus huius mentio est 19. col. Cassiani. Pauli prædictio.

PAulus autem dicit eis: Si Deus nobis reuelauerit, quòd post tres dies assumit hominem? Cùm autem paulò vlteriùs processissent, vir eis obuiam factus eos salutat. Paulus autem ei dicit, Dic nobis quæ rectè gessisti; Nam post crastinum diem abibis ad Deum.

VITA ABBATIS ANVPH.

LXVIII. Sect. LIII.

Nicep. li. 2. cap. 14. Magna vitæ perfectio.

DIxit autem eis Anuph, Benedictus Deus qui mihi hæc quoq; significauit, & vestrum vitæ institutum & aduentum. Cùm autem dixisset quæ vnusquisque eorum rectè gesserat, et posuit deinceps quæ ipse fecerat dicens: Ex quo Seruatoris nomen professus sum in terra, ex ore meo non est egressum mendacium, humani cibi nihil sumpsi, me cœlesti alimento alente quotidiè angelo: nullius alterius rei cupiditas in cor meum ascendit, præterquam Dei: Nihil ex rebus terrenis occultauit mi-

A hi Deus, quod non significarit & ostenderit meis oculis: Non interdiu somnum cepi, non noctu requieui, Deum quærens, Vnà mihi semper adfuit Angelus mundi, ostendens potestates, lumen cogitationis meæ nunquam fuit extinctum, omnem petitionem accepi à Deo protinus. Vidi sæpenumero Deo assistentes myriades, Vidi choros iustorum, Vidi martyrum congeriem, Vidi monachorum vitæ institutionem, opus autem omnium Deum laudabat. Vidi Satanam igni traditum Vidi Angelos eius punitos, Vidi iustos lætantes in æternum. Hæc & multa alia narrans, tertio die tradit animam: eámque statim suscipientes Angeli & chori martyrum in cœlos sustulerunt, ipsis videntibus & hymnos audienbus.

Visiones Anuph.

VITA ABBATIS HELLENIS.

Sact. LIIII. LIX.

Hellen sine ignem gestat Soz. lib. 6. c. 28. Niceph lib 11. Cassiod. lib. 8 c. 1 ca 34. Gallat. 5. Abstinẽdũ à cibo ne lædatur anima. Matth. 4. Luc. 4. Hellen oratione obtinet à Deo impetrat. Helleni feræ aluet.

QVidam autem alius pater, qui vocabatur Abbas Hellen, cùm ab ineunte ætate se fortiter exercuisset, sæpenumero ignem gestabat in sinu, incitans eos qui propè erant fratres ad ostendenda signa, dicens eis: Si vos verò exercetis virtutis signa, de cætero ostendite. Aliquando autem cùm per se esset in solitudine, incessit eum mellis desiderium: cùm verò illicò fauor inuenisset sub petra dixit, Recede à me intemperans cupiditas: Scriptum est enim, Spiritu ambulate: & desiderium carnis non perficietis: eísque relictis abiit. Cùm autem iam tres hebdomadas ieiunasset in solitudine, iouentis qui disiecti erant fructibus, dixit; Non commedam ne- C que attingam aliquid ex iis, ne fratrem meum scandalizem, nempè meam animam; Scriptum est enim, Non in alimento solùm viuet homo. Cùm autem adhuc aliam ieiunasset hebdomedam, postea dormitauit, & veniens Angelus in somnis, ei dixit: Surge & tolle ea quæ inueniuntur, & comede. Is autem surrexit, & circumquaque aspiciens, vidit fontem in orbem herbas delicatas germinasse. Cùm autem & potum sumpsisset, & comedisset olera, affirmabat nihil sibi vnquam fuisse iucundius. Cùm paruam autem speluncam in loco inuenisset, mansit illic paucos dies ieiunus. Vbi autem aiebat alimento, orabat flexis genibus: ei autem protinus apponebantur esculenta omnia, & panis calidus, & oliuæ, & varij fructus. Aliquando autem inuisit fratres suos: & cùm D eos multum monuisset, contendebat in desertum, afferens quædam ad vsum necessaria. Cùm autem vidisset quosdam onagros pascentes, sit ipsis: In nomine Iesu Christi, veniat vnus ex vobis, & suscipiat onus meum. Is autem statim ad ipsum accessit. Cùm autem suppellectilem ei imposuisset, & ei insedisset, vno die peruenit ad speluncam. In sole verò ab eo positis panibus & fructibus, cùm ad ea venissent feræ vt solent ad fontem, & panes solum tetigissent, mortuæ sunt. Accessit enim aliquando ad quosdam monachos cùm esset dies dominicus, & dixit eis, Cur hodiè non egistis synaxim? Cùm ij autem apertè dicerent, Eo quòd non venerit presbyter. Dixit autem eis, Ego ibo & eum vocabo. Ij autem dixerunt non posse aliquem transmittere alueum propter altitudinem: Quinetiam dicebant eo in lo- E co esse beluam maximam, nempè crocodilum, qui multos homines consumpserat. Is autem non cũctatus, statim surgẽs profectus est ad vadum. Quem cùm belua statim tergo excepisset, transmisit. Cùm autem in agro inuenisset presbyterum, rogauit ne despiceret fraternitatem. Ille autem eum videns multis cõsutis pannis obsitum, rogauit vndénam pannum habuisset, dicens, Habes vestem animæ pulcherrimam, ô frater: eiúsque humilitatem & frugalitatem admiratus, eum secutus est abeuntem ad fluuium. Cùm autem qua transueherentur cymbam non inuenissent, vocem emisit abbas Hellen, aduocans crocodilum. Is autem ei statim obediens aderat, tergum substernens. Rogauit autem presbyterum vt cum eo ascenderet. Is verò timore affectus cùm vidisset

Synaxis die dominica peragenda.

Crocodilo vectus est Hellen.

beluam, retrocessit. Cùm aotem eum teneret admiratio & eos qui trans fluuium habitabant fratres, vidéres eum cum belua transmittentem alueum, ille ascendens in terram, vnà secum attraxit beluam, dicens melius esse ei vt moreretur, quàm interemptarum animarum acquireret supplicium. Ea autem cadens protinus est mortua. Tres autem dies permanens apud fratres, sedebat docens eos præcepta, & quæ erans occulta vniuscuiusque consilia apertè enuncians: hunc quidem diceos vexari à fornicatione, illum verò à vana gloria: alium à delicijs: alium ab ira, & alium quidem pronuntiabat esse mitem, alium verò pacificum, illorum quidem vitia, horum verò virtutes arguens. Hæc autem audientes, mirabantur dicendo re vera ita esse. Eis autem dixit, Parate nobis olera. Hodiè enim ad nos venient plures fratres. Cùm illi autem adhuc pararēt, superuenientes fratres se inuicem salutarunt. Rogauit autem eum quidam ex fratribus, volens vnà cùm eo degere in deserto. Eo autem dicēte non posse illum sustinere tentationes dæmonum, is contentiosiùs se omnia toleraturum asseuerauit. Cùm eum autem excepisset, iussit habitare in alia spelunca. Ad eum autem noctu aduenientes dæmones, eum suffocare aggrediebantur, cùm eum primum turpibus perturbassent cogitationibus. Illi verò eum victus admonuerunt. Ille autem excurrens renuntiauit abbati Helleni quæ euenesant. Ipse autem cùm ei figuram impressisset, iussit eum deinde manere securè. Cùm autem aliquando panes ei defecissent in spelunca, adueniens Angelus in figura fratris, eius attulit nutrimentum. Rursus autem ipsum aliquando quærentes fratres decem numero, errabant per solitudinem, septimo iam die ieiuni permanenses. Cùm verò eum inuenissent, iussit eos in spelunca refici. Ille qui nihil habebat quod eis apponeret, dixit eis: Potens est Deus mensam parare in deserto. Statim autem quidam adolesceos panione ipsis orantibus pulsauit fores. Cùm autem aparuisses, viderunt adolescentem habentem magnam sportam panis, & oliuarum. Iis autem susceptis, comederunt, Deo agentes, gratias, cùm adolescens statim euanuisset. Hæc & alia multa miracula cùm nobis narrasset pater Copres, nósque benignè & humaniter tractasset, induxit in suum hortum, ostendens nobis palmas, & alias arbores frugiferas, quas ipse plantauit in solitudine, admonitus à fide rusticorum quibus dixit: Potest desertum fructus producere iis qui fidem habent in Deum. Postquam enim vidit, vt aiebat, eos qui arenam seminauerant, & eorum agrum fructum tulisse, ipse quoque ideo aggressus, idem est consecutus.

Exhortationes Hellenis.

Angelus panē esurienti ministrat.

Parat Deus mensam in deserto.

VITA ABBATIS APPELLE.

LX. Sect. LV.

Vidimus autem alium, quoque presbyterum in partibus superioris regionis, Appellem nomine, virum iustum, qui fabricæ ærariæ artem primùm tractauit, & exinde conuersus est ad exercitationem. Is cùm ad eum venisset diabolus in figura mulieris, quo tempore ad vsum monachorum quædam tractabat fabrilia, ferrea lamina ex igne rapta, éque manu propter festinationem, totum eius vultum & corpus combussit, eúmque audierunt fratres vlulantem in cella. Ab eo tempore vir ille semper manu tenebat ferrum ignitum, nec lædebatur: Is cùm nos benignè & humaniter accepisset, narrauit nobis de viris præclais & Deo dignis qui cum eò fuerant & erant adhuc superstites.

Appelles an. du. 374. Cassiod lib. 8. c. 1. Nice. l. 11. cap. 34. Ferrū ignitum illæsus gestabat Appelles.

VITA ALTERIVS IOANNIS

LXI. Sect. LVI.

Est, inquit, in hac solitudine frater noster nomine Ioannes, alterius quidem iam ætatis, omnes autem monachos superans virtutibus, quem nemo potest citò inuenire, quod semper in solitudinibus locum loco commutet. Is primùm stans tres annos sub quadam rupe, orauit perpetuò, non sedens omnino, non dormiens, nisi quantum somni stans suffurabatur: & dominica solum sumens eucharistiam, afferente ei presbytero, nihil aliud comedebat. Atque adeò cùm quodam die se Satanas transfigurasses in presbyterum, ad eum abibat celeriùs, præ se ferens se ei velle dare Eucharistiam. Cùm eum autem agnouisset beatus Ioannes dixit ei: O omnis fraudis & malitiæ pater, inimice omnis iustitiæ, non cessabis decipere animas Christianorum, sed audes sanctis insultare sacramentis? Is autem ipsi respondit: Parum abfuit quin te deiectum lucrifecerim; nam sic quoque seduxi quendam ex tuis fratribus: & mente motum deduxi ad insaniam. Pro quo cùm multi iusti multum rogassent, vix potuerunt efficere vt esset sanæ mentis. Hæcque cùm dixisset dæmon, ab eo secessit. Cùm autem essent disrupti eius pedes ex eo quòd tanto tempore stetisset immobilis, & exiret sanies, adueniens Angelus tetigit eius corpus, dicens: Christus erit tibi verus cibus, & sanctus Spiritus verus potus. Interim autem tibi sufficit spiritale nutrimentum, ne repletus euomas: & cùm eum curasset, dimouit à loco. Deinceps autem vitam egit in solitudine, circumiens, & herbis vescens. Dominica autem inueniebatur in eodem loco sumens communionem. Cùm paucos autem palmæ ramos petisset à presbytero, efficiebat cingula animalibus. Cùm verò vellet quidam claudus ad eum venire vt curaretur, & asinum solummodò inscendisset: vbi primùm eius pedes tetigêre cingulum, quod fuerat à sancto viro factum, fuit illicò curatus. Alias autem ægrotis mandabat benedictiones, & à morbis liberantur protinus. Porrò autem reuelabatur de eius monasterijs, quòd quidam ex iis qui sunt in ipsis, vitam non rectè instituunt, & per presbyterum ad cunctos scribit epistolas: quòd illi quidem sunt ocio dediti, hi verò contendunt ad virtutem; & inuenta est sic se habere veritas. Scribit autem ad eorum quoque patres quòd quidam ex his sunt de fratrum salute minus solliciti; alij verò eos quantum satis est exhortantur: annuntiauítque vtrorumque honores & supplicia. Et rursus alios quoque prouocans ad statum perfectiorem, admonebat vt à sensilibus se transferrent ad ea quæ percipiuntur intelligentia. Tempus est enim, inquit, deinceps tale vitæ ostendere institutum. Non debemus enim, inquit, omni tempore permanere pueri & infantes, sed iam nos perfectioribus applicare cogitationibus, & magni & excelsi animi virtutem attingere, & cæteras maximas virtutes aggredi. Hæc & complura alia nobis pater de patre narrabat, quæ quidem, propterea quòd excedāt miraculi modum, omnia non scripsimus: non quòd non sint vera, sed propter incredulitatem aliquorum. Nos autem satis de his certiores facti sumus, cùm multi & magni viri ea nobis narrauerint, qui suis viderunt oculis.

Ioānes Eucharistia nutrit.

Diabolus specie presbyteri Eucharistiam ministrat.

Angelus Ioannem sanauit.

Dominica die cōmunicandum.

Curatur claudus attactu cinguli. Nice. lib. 11 ca. 30.

DE ABBATE PAPHNVTIO.

Sect. LVII. LXII.

Vidimus autem locum quoque Paphnutij Anachoretæ, viri magni & virtute prædíti, qui haud ita multo ab hinc tempore consummatus est in regione, quæ est circa Heracleotas Thebaidis, de quo multi multa narrarunt.

Paphnutius huius meminit Nic. li. 9 ca. 14. Præterea Cassianus coll. 3 & ca. 15. col. 18 eius patientiā mirabilem refert.

DE TIBICINE.

Sect. LVIII. LXIII.

Is enim post multam exercitationem Deum rogauit, vt ei significaretur cuinam ex eis sanctis qui se rectè gesserunt esset similis: Angelus autem visus ei dixit, Es

Cui similis Paphnut⁹. Conuersio mirabilis.

nis ad monasticen. Eripitur virgo a latronibus per latronem.

similis Tibicini qoi degit in hac ciuitate. Is autem studiosè ad euio profectus, eius vitæ institutum ab eo est sciscitatus, & omnia eius vitæ facta est perscrutatus. Is autem ei dixit id quod etiam erat verum se esse peccatorem & ebriosum, & scottatorem, haud ita longo autem ab hinc tempore se ex arte latrocinandi eò contulisse. Cùm autem accuratè examinaretur quidnam vnquam rectè ab eo gestum esset, dixit se nullius rei honestæ sibi esse conscium, nisi quòd cùm aliquando latronis vitam ageret, Christi virgine,cui erat à latronibus vitiom afferendum, liberaui, & noctu ad vicum vsque reduxerit.

Eleemosyna latronis.

Rursus autem, inquit, inueni aliquando formosam mulierem errátem, in solitodine fugatam ab apparitoribus & curialibus præsidis, propter publicum mariti debitum, & errorem suum deflentem. Sciscitatus sum autem ex ea causam fletus.

Nulli infructuosa est pœnitentia.

Illa autem dixit, Ne me roges, Domine, nec miseram examínes, sed tãquam ancillam tuam abducas qoo velis: nam cùm maritus tempore biennij ob debitum publicum trecentorum aureorum sæpe fuerat flagellatus, & in carcere inclusus, & tres mihi charissimi filij abrepti fuerint, ego recedo fugitiua locum loco commutans, nunc autem etiam errans per solitudinem, sæpe inoenta, & assiduè flagellata iam tres dies permansi ieiona in solitodine. Ego autem eius som misertus, inqoit latro: & cùm eam deduxissem in speluncam, dedi ei trecentos aureos, & deduxi eam vsque ad ciuitatem, & eius maritum liberaui cum liberis citra vllum probrum & contumeliam. Cui respondit Paphnutius: Ego quidem nullius rei talis mihi som conscius, in exercitatione autem omninò audisti me esse celebrem. Non enim vitam traduxi in ocio. Mihi ergo Deus de te reuelauit, te rebus gestis nihilo me esse inferiorem. Si ergo, ô frater, non parua à dignitate toi habetur ratio, ne tuam animam temerè neglexeris. Is autem statim proiectis quos habuit in manibus tibiis, & lyræ musicæ harmonia spiritalem traducta melodiam, virum secutus est in desertum. Cùm autem tribus annis se pro viribus exercuisset, & in hymnis & orationibos vitæ suæ tempus peregisset, in cœlum iter direxit, & cum choris Angelorum & iostorum ordinibus connumeratus, requieuit.

DE PROTOCOMITE.

LXIIII. Sect. lix.

VBi ergo illum qui se exercuerat virtutibos, priùs ad Deum misit, maiori & accuratiori vitæ instituto quàm priùs esset, sibi imposito, rogauit Deum vt sibi significaretur cuinam ex sanctis esset similis, & rursus vox diuina ad eum facta est, dicẽs: Es similis vicini pagi Protocomiti. Is autem ad eum abiit celerrimè, & cùm ipse pulsasset ostium, processit ille, vt ei mos erat, ad accipiendum hospitem, & cùm pedes eios lauisset & mensam apposuisset hortatus est vt vesceretur. Cùm autem facta eius sciscitaretur, & ei diceret: Narra mihi, ô homo institutum vitæ tuæ: multis enim monachis, vt mihi Deus ostendit, euasisti superior; ille dixit se esse peccatorem, & indignum nomine monachorum. Cùm autem instaret percunctari, homo respondit dicens: Non habeo quidem necesse narrare ea quę à me facta sunt: sed quoniam dicis te à Deo venisse quæ mihi adsunt referam. Iam agitur tricesimus annus ex quo me à mea vxore separaui, cùm ter cum ea solum habuissem consuetodinem, & tres ex ea filios suscepissem, qui etiam mihi ad meos vsus inseruiunt. Hospitalitatem autem nunqoam intermisi vsque in hodiernum diem. Non gloriatur aliquis ex comitibus se hospitem ante me excepisse: Non egressus est pauper, nec hospes ex mea aula vacuis manibus, qui non prius rationi conoenienter esset viatico sustentatos: Non vidi pauperem infortunio affectum, cui non suppeditarim quod satis fuit solatij; Non accepi personam filij mei in iudicio, non ingressi sunt in domum meam

Hospitalitatis exempla.

fructus alieni: Non fuit lis aliqua quam non composuerim, & pacificauerim: Non increpauit aliquis meos filios quòd se inhonestè gererent: Non tetigerunt fructus alienos mei greges: Non seminaui primus agros meos, sed cùm eos omnibus proposuissem communes, colligebam ea quæ erant reliqua: Non concessi vt pauper opprimeretur à potentia diuitis: non affeci aliquem molestia in vita mea: nunquam malum iodicium protoli in aliquem. Hæc à me esse facta Deo volente mihi sum conscius. Cum autem viri virtutes audisset Paphnutius, eius caput osculatus est dicens: Benedicat te Dominus ex Sion; & videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Psal. 127.

In iis enim te rectè gessisti; voom autem tibi restat qood est caput virtutum, nempè Dei omni ex parte sapiens cognitio, quam non poteris sine labore consequi, nisi cum teipsum à mundo abnegaris, crucem accipias, & sequaris Seruatorem. Is autem vbi hæc audiit, statim nec suis quidem valere iussis, virum secutus est in montem.

Perfectio vitæ mundi abnegatio.

Et cùm venissent ad fluuium, scapha non inuenta, iussit Paphnutius eum flumen traiicere pedibus, quod propter altitudinem nemo illo tempore pedibus traiecerat. Cùm autem transiissent, & eis peruenisset aqua vsqoe ad cingulum constituit eum in quodam loco. Cùm se autem separasset, Deum rogauit vt eiusmodi hominibos videretur præstantior. Non multo autem interiecto tempore, vidit viri animam assumi ab angelis, Deum laudantibus & dicentibus: Beatos quem elegisti & assumpsisti, habitabit in atriis tuis, & rursus iustis respondentibus & diceotibus: Pax multa diligentibus legem tuam, & non est eis scandalom: & tunc cognouit virum esse consummatum. Psal. 64. Psal. 118.

DE MERCATORE

Sect. lx. LXV.

CVm aotem perseueraret Abbas Paphnutius Deum venerari precibus & multiplicare ieiunia, rursus orauit vt sibi ostenderetur cuinam esset similis. Dicit ei rursus vox diuina, Similis es mercatori quærenti bonas margaritas: Sed surge deinceps, & ne cunctare. Tibi enim occurret vir cui es assimilatus: cùm ille autem descendisset, vidit virum quendam mercatorem Alexandrioum, pium & Christi amantem; vicies mille aureis negociantem, cum centum nauibus, descendentem ex superiore Thebaide, qui omnes suas facultates & merces distribuerat pauperibus.

Mercator opes pauperibus distribuit.

Is cum suis filiis decem saccos leguminum ad eum afferebat. Et quid hæc, ô amice, ei dixit Paphnutius. Is autem dixit ipsi, Sunt fructus meæ mercaturæ, qoi Deo offeruntor ad iustam refectionem. Quid autem hæc, inquit, ipsi Paphnutius, & tuo nostro nomine non fueris? Is autem confessus est ad se id stodiosè contendere. Ei respondit Paphnutius: Qnousque ergo in terrenam exerces negotiationem, nec cœlestia attingis mercimonia? Sed hæc quidem est aliis dimissuros, tu verò iis te adiungens quæ sunt maximè opportuna sequere Seruatorem, ad eum venturus paulò pòst.

Mercator fit Monachus, is est fortassis, quem Sozom. Solonem vocat. li. 6. c. 31 & Niceph. li. 11. cap. 38.

Is verò nihil differens, iussit filios suos reliqua diuidere pauperibus. Ipse autem cùm io montem ascendisset, & seipsum in eo loco inclusisset, vbi doo priores consummati fuerant perseuerabat in orationibus. Paruo autem elapso tempore relicto corpore factus est ciuis cœlestis. Postquam autem eum quoque præmisit in cœlos, ipse etiam despondit animum vt qui se non posset amplius exercere. Assistens autem Angelus ei dixit: Huc deinceps accede; Sis quoque, ô beate, in æterna Dei tabernacula: venerunt enim prophetæ te in suos choros accepturi. Hoc autem non tibi priùs declaraui, ne si fuisses elatus, de tuis detraheretur meritis. Cùm ergo vno solo die superuixisset, & per reuelationem venissent quidam presbyteri, omnibus illis narratis, tradidit animam. Apertè autem videntes presbyteri

eum assumi io choris iustorum & Angelorum, Deum laudabant. A

VITA ABBATIS APOLLONII.

LXVI. Sect. LXI.

Apollonius an. 374 de quo Sozo. li. 6. cap. 29. Cassiod. lib. 2. cap. 3. Niceph. hist. 9. c. 14.

FVit in Thebaide quidam monachus nomine Apollonius. Is plurimas ostendit virtutes & facta egregia: Dignus quoque fuit habitus donu doctrinæ supra multos qui tunc fuêre insignes virtutibus. Is in tempore persecutionis addens animum Christi confessoribus, multos effecit martyres. Porrò autem ipse quoque comprehensus custodiebatur in carcere, ad quem veniebant qui ex gentibus erant nequiores, & cum eo disputabant, incessebántque maledictis, & irridebant. B

DE PHILEMONE MARTYRE, ET iis qui cum ipso fuere martyribus.

LXVII. Sect. LXII.

Subita mutatio impij.

ERat autem quidam ex ipsis Choraules, vir nequitiis famosus, qui accedens eum appetebat contumeliis, dicens eum impium & impostorem, & planum, & qui ab omnibus habebatur odio, & qui debebat mori citiùs. Cui dicit Apollonius, Miserebitur tui Dominus ô homo: & eorum quæ dicta sunt, nihil tibi reputabitur ad peccatum. Hæc autem cùm audisset ille choraules, Philemon nomine, mordebatur animo, à verbis eius compunctus. Statim autem ad tribunal profectus, coram iudice se sistit, & ei dicit populo præsente: Iniustè facis ô iudex, qui viros pios & nulli culpæ affines punis: nihil enim mali faciunt nec dicunt Christiani. Ille autem cùm ipse hæc diceret, in principio quidem æstimabat eum loqui ironicè & ludificari. Postquam autem eum vidit persistere, Insanis, inquit ô homo, mens tibi repentè est emota: ille autem, Non insanio, inquit, ô iudex iniustissime: Sum enim Christianus. Is autem multis blanditiis vnà cum turba ei conabatur persuadere. Postquam autem vidit immobilem ei omne genus tormenta adhibuit. Cùm autē rapuisset Apollonium, & multis eum affecisset contumeliis, ipsum vocabat tanquam planum. Apollonius autem ei dixit, Optarem, ô Iudex, vt tu & omnes præsentes hunc meum errorem sequeremini. Is autem eo D hæc dicente, iussit ambos igni tradere toto inspiciente populo. Cùm autem in flamma essent præsente iudice, vocem ad Deum emittit beatus Apollonius, toto populo audiente & iudice: Ne tradas Domine bestiis animam confitentem tibi: sed teipsum nobis apertè ostende.

Psal. 73.

Nubes autem roscida & lucida adueniens, viros texit igne extincto. Admiratæ autem turbæ & ipse iudex, dicebant, Vnus est Deus Christianorum. Maleficus verò quispiam hæc renuntiat præsidi Alexandriæ. Qui cùm crudeles quosdam & immanes elegisset protectores & apparitores, eos misit vt vinctos adducerent iudicem & Philemonem. Ducebatur ergo vna cum eis Apollonius, & quidam alij confessores. Cùm omnes autem iter ingrederentur, eum inuasit gratia, & cœpit docere milites. E Vbi autem ipsi quoque compuncti crediderunt Seruatori, erant omnes vno animo vincti. Quos omnes cùm vidisset præses à se non posse dimoueri, iussit proiici in profundum maris. Hoc autem fuit eis signum baptismatis.

Christiani naufragantes baptizantur.

Cùm eos autem sui inuenissent disiectos in littore, fecerunt omnibus ædem vnam, vbi nunc multæ virtutes peraguntur. Tanta autem fuit viri gratia, vt de iis quæ esset precatus statim exaudiretur, eum sic honorante Seruatore. Quem etiam nos in martyrio precati, vidimus, cum iis qui cum ipso fuerunt testificati, & Deum adorantes, eorum tabernacula salutauimus in Thebaide.

Miracula ad reliquias.

VITA ABBATIS DIOSCVRI presbyteri. Sect. LXIII.

LXVIII.

Dioscori sub nomine meminerūt 303 Cassia. & Nic. l. 11. c. 34. arcent à sacramētis torpia somnia superius sect. 19.

VIdimus autem alium quoque presbyterum in Thebaide, nomine Dioscurum, patrem centum monachorum: qui cùm ad Dei gratiam esset accessurus dicebat eis, Videte ne quis qui noctu phantasiam habuit mulieris, audeat accedere ad sancta sacramenta. Ne quis ex vobis visis & phantasiis pulsus somniet. Nam qui absque phantasiis fiunt fluxus seminis, casu fiunt: nec ex vniuscuiusque libero animi arbitrio insunt, sed absque voluntate. Procedunt enim ex natura, & ex redundanti materia excernuntur. Quocirca nec sunt peccato obnoxij. Visa autem ac phantasiæ procedunt ex libera eligendi volūtate, & sunt argumentum mali animi. Oportet autem, inquit, monachum transilire etiam legem naturæ: corpus autem liquare, nec inueniri in vllo inquinamento carnis, sed carnem liquefacere, & non concedere, vt in ipsa redundet materia, frequentibus & prolixis ieiuniis. Sin minus autem, nos ad appetitiones & desideria incitant. Non oportet autem monachum attingere appetitiones animi. In quo enim differt à mundanis, quos sæpè videmus abstinere à voluptatibus propter sanitatem corporis, aut propter, aliquas alias causas à ratione minimè alienas? Quanto autem magis, inquit, curanda est animæ sanitas & spiritus?

Hortatio nes Dioscuri.

LXIX. Deuenimus quoque ad Nitrenses, vbi multos & magnos vidimus Anachoretas: partim quidem indigenas, partim verò etiam hospites, qui se inuicem superabant virtutibus, & magno studio se exercebant, & in vita se C inuicem contendebant superare: & alij quidem ex ipsis versabantur in contemplatione, alij verò in actione. Cùm vidissent autem aliqui ex ipsis non procul venientes aliqui quidem nobis cum aqua occurrerunt, & alij quidem pedes nostros lauabant; alij verò vestes mundabant; alij verò ad cibum inuitabant; alij autem ad contemplationem & Dei cognitionem, & quod vnusquisque ex iis poterat, in eo studebat nos iuuare. Et quid dixerit quispiam omnes eorum virtutes, cùm nihil possit dicere pro dignitate? Habitant itaque locum desertum: & habent cellas magno inter se interuallo disiunctas, vt nullus possit procul agnosci ab altero, neque cito videri, nec vox audiri: sed degunt in multa quiete, vnusquisque per se inclusus. Solum autem sabbato & D dominico congregantur in ecclesiis; & se inuicem excipiunt. Multi autem ex iis sæpè etiam quatuor dies inueniûtur in cellis, absque eo quod se videant inuicem, præterquam in synaxi; & alij quidem ex his veniebant ad synaxim à tertio & quarto lapide: tam longè sunt remoti à se inuicem. Tantam autem habent inter se charitatem, etiam supra reliquam fraternitatem, vt multis qui cum ipsis salui esse voluerint vnusquisque studeat suam cellam eis dare ad se reficiendum.

Nitrenses seorsim deguat.

Nitrenses anachoretę.

DE ABBATE AMMONIO ET IIS qui erant cum ipso.

Sect. LXIIII. LXX.

Ammonius

E VIdimus autem patrem quoque eorum qui illic erant, nomine Ammonium, habentem eximias cellas & atrium, & puteū, & reliqua necessaria. Cùm autem ad eum venisset quidam frater qui volebat saluus fieri, & ei diceret vt ipsi inueniret cellam ad habitādum, illicò egressus, præcepit ei ne egrederetur è cellis, donec ipsi inuenisset aptum habitaculū, & cum ipsi reliquisset omnia quæ habebat cum ipsis cellis, seipsum inclusit in paruam cellam. Quòd si plures erant qui conueniebant volentes salui fieri, congregabat vniuersam fraternitatem, & illo quidem tradente lateres, hoc verò aquam, perficiebantur cellæ in vno die: Eos autem qui erant habitaturi in cellis, in Ecclesiam vocabant ad conuiuia. Dúmque illi se recreant & exhilarant, vnusquisque

Institutum vitā monasticæ Ammonij.

cùm è sua cella ouillam suam pellem aut sportam pane vel cæteris implesset necessariis, deferebant ad nouas cellar, vt nulli nota esset vniuscuiusque oblatio. Noctu autem venientes habitaturi suas cellas repentè inueniebāt omnia necessaria. Multi autem ex ipsis neque panem comedebant nec fructus, sed solum intyba agrestia. Quidam autem ex ipsis tota nocte non dormiebant: sed sedentes vel stantes vsque ad manè, perseuerabant in oratione.

Antea Sect. 11.

VITA ABBATIS ISIDORI ET eorum qui erant cum ipso.

LXXI. Sect. LXV.

Isidor. hic alter est à Pelusiota de quo Nicep. li. 14. ca. 35. Monasterium mille monachorū Presbyteri monachorū Ianitores & administri Nic. lib. 11. cap. 34.

VIdimus autem in Thebaide monasterium cuiusdam magni Isidori, quod intus habebat mille monachos. Habebat autem intus puteos & hortos, & quæcunque sunt ad vsum necessaria, nemine egrediente extrà monasterium. Sed erat presbyter ianitor, qui nullum permittebat egredi, neque alium ingredi, præterquam si quis vellet vsque ad mortem illic permanere nusquam progrediens. Porrò autem eos qui portam ingrediebantur, in paruo habitaculo excipiebat hospitio, & cùm manè dedisset benedictiones, in pace ducebat. Duo autem ex ipsis presbyteri solum exibant, opera fratrum administrantes, & referebant ea quæ erant ipsis ad vsum necessaria. Dixit autem mihi is qui portam custodiebat presbyter, eos qui intus sunt sanctos esse tales, vt possint omnes signa efficere: & neminem ante decessum in morbum incidere: sed quando vniuscuiusque venisset translatio, id omnibus prius significantem & se reclinantem, dormire.

VITA ABBATIS AMMONA presbyteri. Sect. LXVI.

LXXII.

Ammo. an. do. 370. hūc ex Sozom. Cass. l. 8. c. 1. & Nic. li. 11. cap. 35. Piammon vocant. Huius habetur cōtinētia apud Cassiod. col. 17. c. 24. & do. 1. Angelus resignat nō communicantes. 2. Ammon curatur per Angelum.

ESt autem alia quoque solitudo in Ægypto, maritima quidem, sed difficillima: in qua multi & magni habitant Anachoretæ, quæ est prope vrbem Diolcon. Vidimus autem illic presbyterum virum sanctum & valdè humilem, & assiduè videntem visiones, nomine Ammonam. Is aliquando offerens Deo cultum videt Angelum stantem à dextris altaris, & signantem fratres accedentes ad gratiam & scribentem in libro eorum nomina. Cùm autem non adfuissent aliqui in synaxi, vidit deleri eorum nomina, qui post tres dies sunt mortui. Eum sæpè torquentes dæmones in tantam adduxerunt imbecillitatem, vt non posset ipse stare ad aram, nec offerre. Angelus autem veniens, eius manu adprehensa, protinus eum confirmauit, & sanum ad aram statuit. Cuius tormenta cùm vidissent fratres, obstupuerunt.

DE ABBATE IOANNE.

LXXIII. Sect. LXXII.

Ioannes abbas Nic. li. 11 cap. 35. Cass. col. 19.

VIdimus autem alium quoque in Diolco, Ioannem nomine, patrem monasteriorum, qui ipse quoque multam habebat gratiam & abrahæ habitum, & barbam Aaron: efficiebat autem virtutes atque curationes: & qui multos curauit paralyticos & podagra laborantes.

VITA ABBATIS PITYRIONIS ET eorum qui cum ipso erant.

LXXIIII. Sect. LXVIII.

Piterius à Cassion. nominatur. lib. 8. Pitirion à Nic. l. 9. c. 14

VIdimus autem in Thebaide altum montem fluuio imminentem, valdè terribilem præcipitem, & monachos illic viuentes in speluncis. Eorum autem pater erat nomine Pityrion, qui fuit vnus ex discipulis Antonij, & tertius qui illum locum excepit: qui quidem multas virtutes efficiebat, & efficaciter spiritus expellebat. Cùm enim successisset Antonio & eius discipulo Ammonæ meritò etiam successit hæreditati diuitiarum qui multos quidem alios quoque apud nos habuit sermones, quinetiam de discretione spirituum accuratè disseruit, dicēs esse aliquos dæmones qui sequuntur animi motus, & nostras affectiones ad malum sæpè conuertunt. Quisquis ergo, ô filij, dicebat is nobis, vult exigere dæmones, priùs in seruitutem rediget affectiones animi. Qualem enim quis superarit affectionem, eius quoque expellit dæmonem. Oportet autem vos paulatim vincere affectiones, vt earum expellatis dæmones. Si quis ergo gulam superauit, expellit eius dæmonem. Is autem comedebat bis in hebdomada, dominica & quinta feria, paruum farinæ iusculum: nec poterat aliquid aliud sumere, propterea quòd suum habitum ita formasset.

Quis possit dæmones fugare. Pitirion bis in hebdomada comedit.

VITA EVLOGII PRESBYTERI.

Sect. LXIX. LXXV.

Eulogius cogitationes nouerat Cassio. li. 8. cap. 1. Niceph. lib. 11 cap. 34. Eucharistiā nō assumebat turpe cogitans. ita Sect. 39.

VIdimus autem alium quoque presbyterum, nomine Eulogium, qui in offerendis Deo donis, tantam accepit gratiam cognitionis, vt vniuscuiusque ex iis qui accedebant monachis mentem cognosceret. Is cùm sæpè vidisset aliquos monachos ad aram accessuros, eos reuinuit, dicens: Quomodo audetis ad sancta accedere sacramenta, cùm habeatis malas cogitationes? Et tu quidem hac nocte animo versasti turpem fornicationis cogitationem. Alius autem in animo suo reputauit, dicens nihil referre an peccator an iustus accedat ad Dei gratiam. Alius autem de dono dubitauit, dicens, Nunquid me accedentem sanctificabit? Parum ergo secedite à sanctis sacramentis, & ex animo agite pœnitentiam, vt sit vobis remissio peccatorum, & sitis digni Christi communione. Nisi enim primum mūdaueritis cogitationes, non poteritis ad Christi gratiam accedere.

VITA SERAPIONIS PRESBYTERI.

Sect. LXX. LXXVI.

Serapion an. 174. Cassiod. lib. 8. cap. 1. Decē millia monachorū sub Serapione. Pauperum cura. Cassi. l. 10. test. ca. 11.

VIdimus verò etiam in partibus Arsenoite presbyterum quendam nomine Serapionem, patrem multorum monasteriorum, & qui præest multæ fraternitati, vt qui sint decies mille numero, magnāmque per fratres exequitur dispensationem, cùm omnes simul, tempore messis, omnes suos fructus ad ipsum afferant, quos pro messis mercede acceperunt, vnusquisque frumenti annuos duodecim artabas, qui sunt veluti quadraginta qui à nobis dicuntur modij, & ex ad ministerium pauperum per se dispensat, adeò vt deinceps in ea quæ est circumcirca regione nullus sit pauper, sed etiam mittat ad eos qui sont Alexandriæ pauperes; sed neque prædicti patres per totam Ægyptum vnquam neglexerunt hanc administrationem, sed ex laboribus fraternitatis, nauigia plena frumento & vestimentis pauperibus miserunt Alexandriam: propterea quòd rari essent apud ipsos qui egēret.

VITA ABBATIS POSIDONII.

Sect. LXXI. LXXVII.

POsidonij Thebani multa quidem sunt eáque narratu difficilia quemadmodum erat mitis, & in se exercendo acerrimus, & quanta fuerit in eo innocentia. Nescio an vllum talem conuenerim. Viai enim cum eo anno vno in Bethleem, quando sedit vltra Pœmænium, & multas vidi eius virtutes. Atque inter cætera ipse mihi quodam die narrauit. Cùm habitarim, inquit, in loco Prophyrite anno vno, toto anno nullum homi-

nem conueni, non audiui sermocinationem, non panem tetigi, nisi si quando paucis vteret dactylis, & sicubi herbas inuenirem agrestes. Quo quidem tempore cùm mei panes aliquando defecissent, egressus sum è spelunca, vt ventrem in orbem terræ habitabilem: & cùm toto die ambulassem, vix aberam à spelunca duo miliaria. Cùm ergo circumspexissem, video equitem militis habitum præ se ferentem, habentem in capite galeam tiariferam, & cùm coniectassem eum esse militem, profectus sum vsque ad speluncam: & inueni canistrum vuarum & ficuum nuper decerptarum. Quem cùm accepissem, lætus veni ad speluncam, habens duobus mensibus cibos illos ad meam refectionem. Hoc autem miraculum fecit beatus Posidonius in Bethleem. Quædam mulier grauida habebat spiritum immundum, & in ipso tempore quo erat paritura, laborabat in partu, ipsam continente spiritu. Cùm ergo à dæmone vexaretur mulier, aduenit eius maritus, & rogauit sanctum illum vt adesset, & nobis ingressis ad orandum, cùm stetisset & precatus esset, post secundam genu flexionem, eiecit spiritum. Surgens autem dixit nobis, orate: modò enim expellitur immundus spiritus. Oportet autem esse aliquod signum vt de eo fiamus certiores. Egrediens autem dæmon, diruit à fundamento totum aulæ parietem. Mulier autem sexennio non fuerat locuta. Postquam autem egressus est dæmon; & peperit, & locuta est.

Possidonius curat grauidā à spiritu immundo.

Dæmon egrediens dat signum.

DE HIERONYMO.

xxxviii.

Sect. lxxii.

Vel Possidonius iste vaticinans aduersus S. Hieronymum fuit impostor, vel Palladius odio in S. Hieronymum quod est propensius, aperte mentitur, & vtabor in eundem furit, sed haud credo lector impudenti Origenista, & Pelagiano Palladio, dum maledicentiæ frena effundit in sanctissimum virum Angelis venerandum.

Propter Rufinum amicū videtur Palladius fuisse iniquior. Hieronymo, cui tantum tribuit Cassian. ad extremum libri de incarnatione vt eum catholicorum magistrum nominet cuius scripta per vniuersum mundum quasi diuinæ lampades rutilant cui etiam tantum concessit D. August. vt dicat: Nemo sciuit, quod Hieronymus ignorauit.

HVius sancti noui hanc quoque prophetiam. Hieronymus enim quidam presbyter habitabat in illis locis, qui in sermone Romano magna erat virtute ornatus, & præclaro ingenio: sed tanta fuit eius inuidia, vt ab ea obrueretur virtus doctrinæ. Cùm ergo multis diebus cum eo versatus esset sanctus Posidonius, dicit mihi in aurem.

xxxix.

Ingenua quidem Paula quæ eius curam gerit, præmorietur liberata ab eius inuidia. Vt autem arbitror, propter hunc virum non habitauit vir sanctus in his locis, sed eius peruadet inuidia vel vsq; ad proprium fratrem: Résque ita accidit. Etenim beatum Oxyperentium Italum is hinc expulit: & Petrum alium quendam Ægyptium: & Symeonem, viros admirabiles, quos ego adnotaui. Narrauit mihi hic Posidonius continentissimus & virtutis obseruantissimus, quod quadraginta abhinc annis panem non gustasset, neque acceptæ iniuriæ sit recordatus vsque ad diei dimidium. Hæc sunt certamina & signa præclari Christi athletæ Posidonij, quæ fecit prouidentia eius quæ est omnium virtutum maxima: & in his est insignis finis vitæ huius beati.

VITA SERAPIONIS SINdonitæ.

xxxxiii.

Sect. lxxiii.

Serapion. Cassian. coll. 2. c. 15. & col. 5.

FVit alius quidam Serapion sindonites (nam præter sindonem nihil vnquam induebat) qui exercuit magnam possessionem & facultatum vacuitatem. Cùm esset autem imperitus litterarum, memoriter dicebat omnes scripturas. Et neque ob possessionum egestatem & scripturarum meditationem potuit in cella quiescere. Non quòd traheretur à terrena materia; sed orbem terræ obiens, se rectè & ex virtute gerebat. Natus enim erat hac natura: Sunt enim naturarum non substantiarum differentiæ. Narrabant itaque patres, quòd cùm quendam accepisset exercitatorem qui cum eo luderet, se in quadam vrbe gentilibus vendidit histrionibus viginti nummis, & cùm signasset nummos, eos apud se seruabat. Tandiu autem permansit & seruiit mimis qui eum emerant, donec eos fecit Christianos, & eos abduxit à theatro, præter panem & aquam nihil sumens, neque præ meditatione scripturarum ore silens: longo autem tempore primus compunctus est mimus, Deinde mima, Deinde vniuersa eorum familia. Dictum est autem quòd quo tempore eum ignorabant, lauabat pedes amborum. Ambo ergo baptizati, à theatro recesserunt: & cùm ad vitam honestam & piam processissent, virum valdè reuerebantur. Ei itaque dicunt: Adesdum frater, nos te liberabimus, quandoquidem ipse nos liberasti à turpi seruitute. Dicit ergo eis; Quandoquidem Deus est operatus, & salua facta est vestra anima, vobis dicam mysterium actus. Ego vestræ animæ misertus, cùm essem liber exercitator genere Ægyptius, ea de causa meipsum vendidi, vt vos seruarem. Quoniam autem hoc fecit Deus, & per meam humilitatem salua euasit anima vestra, accipite aurum vestrum, vt etiam aliis opem feram. Illi autem cùm multum rogassent & affirmassent, dicendo, Te tanquam patrem & Dominum habebimus, solū mane nobiscum, non potuerunt ei persuadere. Tunc dicunt ei, Da aurum pauperibus, nam id nobis fuit causa salutis. Sed saltem post annum nos inuisas, & sic ab iis abiit. Is frequentibus peregrinationibus peruenit in Græciam, & cùm tribus diebus moratus esset Athenis, non fuit qui ei panem præberet. Nam neque æs ferebat, neque peram, non pellem ouillam, nihil horū. Cùm autem venisset quartus dies, valdè esuriit. Res est enim grauis fames inuoluntaria, quæ adiutricem habet incredulitatem: & stans super tumulum ciuitatis, in quo congregabantur qui erant viles & abiecti in ciuitate, cœpit vehementer & cum planctu lamentari, & clamare, Viri Athenienses, ferte opem. Ad quem accurrentes omnes qui pallium gestabant & pileum, dicunt ei: Quid habes, vndénam es, & quid pateris? Is verò dicit ipsis, Genere quidem sum Ægyptius, ex quo autem absum à vera mea patria, incidi in tres fœneratores. Et duo quidem à me recesserunt ex soluto eis debito; cùm non haberem de quo me accerserent. Vnus autem à me non discedit. Illi ergo studiosè quærentes de fœneratoribus vt eis satisfacerent, ipsum rogabant, Vbi sunt? Quis est qui tibi exhibet molestiam? Ostende nobis eum, vt tibi feramus auxilium. Tunc eis dicit: Molestiam mihi exhibuit auaritia, & gula, & fornicatio. Et à duobus quidem sum liberatus, auaritia scilicet & fornicatione. Neque enim aurum habeo, neque aliquid aliud possideo, non fruor deliciis quæ sunt nutrices huius morbi. Quocirca nihil mihi exhibent amplius molestiæ. A gula autem non possum recedere: Iam enim quatuor diebus nihil comedi, & mihi pergit venter molestiam exhibere, quærens consuetum debitum, sine quo non possum viuere. Tunc quidam philosophi suspicati eum esse mendicum, dant ei nummum. Quem acceptum posuit in officina panaria, & accepto pane recessit, statim profectus à ciuitate, & in eam non reuersus amplius. Tunc cognouerunt philosophi eum verè fuisse virtute præditum: & cùm pistori dedissent precium panis, acceperunt nummum. Cùm autē venisset in loca Lacedæmonis, audiuit quendam ex primis ciuitatis, esse Manichæum simul cum tota domo, alioqui virum bonum. Et rursus seipsum vendidit in primo actu. Et cùm intra duos annos ipsum abduxisset ab hæresi & eius vxorem, adduxit ad ecclesiam. Tunc eum amantes, non amplius babebant tanquam

Imperitia summa doctrina.

Se vendidit Mimis vt eos lucrifaceret Christo.

Fames grauis.

Tres perniciosi fœneratores.

Serapion vendidit se viro Manichæo vt ipsum reduceret ab errore.

fetuum, sed tanquam germanum fratrem & patrem, & Deum laudabant. Post hæc seipsum coniecit in nauem tanquam in Romam nauigaturum. Nautæ autem coniicientes eum vel intulisse sumptus, vel in auro habere quod expenderet, nihil aliud percuntati eum exceperūt, alius alium existimantes accepisse eius vtensilia. Cùm autem ipsi enauigassent, & abessent quingentis stadiis ab Alexandria, cœperunt vectores vesci circa occasum solis, cùm Nautæ priùs comedissent. Viderunt autem eum primo die non comedere. & putauerunt causam esse nauigationem. Similiter, & secundo, & tertio, & quarto die.

Serapion ieiunat.

Quinto autem die vident ipsum sedentem quietum, dum omnes comederent: & dicunt ei, Homo, cur non comedis? Is verò dicit eis, Quoniam non habeo quod edam. Cùm ergo inter se quæsiissent quis eius accepisset vtensilia vel impensas, vidissent autem neminem accepisse, neque enim habebat aliquid, cœperunt cum eo contendere. Quomodo sic ingressus es absque impensis? Quomodo dabis nobis naulum? Quónam te malefiris? Is verò eis dicit, Ego nihil habeo: Auferte me & abiicite vbi inuenistis. Illi verò, Ne si centum quidem aureos nobis dares, lubenter huc fecerimus, cùm sit nobis ventus adeò secundus. Scopum ergo vrgeamus, peragentes quæ sunt nobis proposita. Sic fuit in naui, & eum aluerunt Romam vsque.

Vita abbatis Domnis.

Cùm autem Romam venisset, curiosè indagauit qui esset in ciuitate magnus exercitator aut exercitstrix. Inter quos incidit in quendam Domnionem, cuius lectus curauit ægrotos post mortē.

LXXXV. Lectus curat ægrotos.

Cùm ergo in eum incidisset & ex eo vtilitatem accepisset, erat enim vir & moribus ornatus & eruditione, & ab eo didicisset quisnam esset illic alius exercitator aut exercitatrix, cognouit esse quandam virginem silentium agentem & quiescentem, quæ iam vigintiquinque annis in cella erat inclusa, & cum nemine vnquam colloquebatur.

Mirum virginis silentium.

Cùm autem eius domum didicisset, venit, & dicit vetulæ quæ ei inseruiebat. Dic virgini me necesse habere eam conuenire, Deus enim me misit. Cùm autem duos vel tres dies intermisisset eam conuenit postea, & ei dixit: Quid sedes? Ea verò dicit ipsi, Non sedeo, sed ambulo. Is verò dicit, Quo ambulas? Illa verò dicit, Ad Deum. Is autem dicit: Viuisne, an es mortua? Illa verò ei dicit, Credo in Deum me esse mortuā: Qui enim carne viuit, non potest non ambulare. Is autem dicit ei, Vt me ergo certiorem reddas te esse mortuam, fac quod facio.

Quid sit mundo esse mortuū in decens. Monachi dicuntur mundo mortui.

Ea illi dicit, Impera mihi quæ possunt fieri & faciam. Is autem dicit ei, Nihil est quod non possit mortuus, absq; eo quod non potest esse impius. Tunc dicit ei, Descende & progredere. Ea verò respondit: Iam agitur vicesimus quintus annus ex quo non sum progressa: & cur progrediar? Ei autem dicit, Si mortua es mundo, & tibi mundus: idem est tibi progredi & non progredi. Ergo progredere: Illa verò progressa est. & postquam progressa fuit vsque ad quandam ecclesiam, ei dicit in ecclesia: Si vis ergo me certiorem reddere quòd verè sis mortua, & non amplius viuis placens hominibus: fac quod facio, & sciam te esse mortuam. Et itaque dicit: Exuens sicut ego omnia vestimēta, ea impone humeris, & transi mediam ciuitatem, me in hoc habitu præeunte. Illa verò ei dicit: Hac te minimè honesta multos offendam: & poterunt dicere me esse emotæ mentis & dæmoniacam. Is autem dicit ei: Et quid tibi est curæ, si dixerint te esse emotæ mentis & dæmoniacam? tu enim es eis mortua. Tunc illa ei dicit: Dic si quid aliud velis, neque enim ad hunc vsque modum me venisse glorior. Tunc ei dicit: Ecce ergo, ne amplius te iactes & tibi placeas, tanquam omnibus magis pia & mundo mortua, Ego enim sum te magis mortuus: & re ipsa ostendo me esse mortuum mundo. Nam citra vllam animi perturbationem & pudorem huc facio. Tunc cùm eam ad humilitatem instituisset, & eius fregisset arrogantiam, recessit. Sunt autem multa quoque alia quæ pertinent ad impassibilitatem. Is decedit cùm ageret annum ætatis sexagesimum, in ipsa Roma sepultus.

DE EVAGRIO CELEBRI Diacono.

SECT. LXXXIIII.

LXXXVI.

Dignum patella operculum Palladius Origenista celebrat suum præceptorem Euagrium hæreticum, pariter Origenistam, ab Ecclesia sæpius condemnatum. Sed qualis fuerit Euagrius habes in nota nostra ad librum Euagrij tomo 5. huius bibliothecæ, vt hinc cernas hæretico de hæretico & eiusdem hæresis mystæ prodenti quantum sit deferenda fides.

Euagrius de quo pl. Socr lib 4. hist. cap. 18. Sozo. lib. 6. cap. 40. Nic lib. 11. cap 42. Sapien. 4.

DE Euagrio claro Christi diacono, qui vixit instar apostolorum, non est æquum tacere, sed ea litteris mandare ad ædificationem eorum qui sunt lecturi, & ad bonitatis Seruatoris nostri gloriam, æquum arbitratus, ab alio expono, & quemadmodum venerit ad institutū monasticum, & quomodo cùm se dignè exercuisset, moritur quinquaginta quatuor annos natus, in solitudine. Qui, vt scriptum est, In breui consummatus, impleuit longa tempora. Fuit enim re vera eius anima grata Domino. Is genere quidem fuit Ponticus, ciuitatis Iberorum, filius presbyteri, lector promotus à sancto Basilio episcopo ecclesiæ Cæsareæ ad Argeum. Post decessum autem sancti Basilij episcopi, attendens eius aptitudinem, sapientissimus, & à perturbationibus animi alienus, & omni doctrina clarus Gregorius episcopus Nyssenus, frater episcopi cui datur honor inter apostolos, eum ordinat diaconum.

Gregorius Nyssenus F. S. Basilij ordinat Euagrium. Nectarius.

Illinc cùm venisset sanctus Gregorius episcopus in magnam synodum Constantinopolitanam, reliquit eum beato Nectario episcopo, cùm esset omnium disserendi artis peritissimus. Floruit ergo in magna ciuitate, in disputationibus iuueniliter exultās aduersus omnem hæresim. Accidit autem vt is qui propter morum insignem bonitatem honorabatur à tota ciuitate, configeretur à simulachro muliebris concupiscentiæ, vt ipse nobis narrauit postea cùm esset mens eius libera. Eum autem vicissim amauit muliercula: Erat autem ea vna ex primis.

Euagrius agitur concupiscentia in mulierē.

Euagrius autem, & Deum timens, & suam veritus conscientiam, & habens ante oculos dedecus turpitudinis, & quam hæreses de alienis malis cōcipiunt lætitiam, Deum supplex rogauit vt ab ipso impediretur scopos quem sibi proposuerat mulier, quæ eū vrgebat cupiditate, & eius insano tenebatur desiderio. Cumque vellet ab ea recedere, non poterat, vt qui eius obsequij blandis detineretur vinculis. Haud multò post autem eam quæ præcessit orationem, antequam rem esset expertus, adstitit ei visio angelica præ se ferens speciem militum præfecti, quę eum rapit, & ducit tanquam in iudicium, & conijcit eum in eam quæ dicitur custodiam, collari ferreo eius collo iniecto, & catena ferrea alligatis manibus, iis videlicet qui ad ipsum venerant, ei causam minimè dicentibus.

Visio deterretur ab amore libidinosa. Euagrius in ecstasi. Angelus amici speciē induit.

Ipse autem qui pungebatur conscientia, existimabat se ea subire eius gratia, arbitrans maritum mulieris de hac re iudicem conuenisse. Animi itaque admodum anxius constitit Euagrius, dum de alia causa ageretur, & de aliis propter tale crimen haberetur quæstio. Post magnum ergo illum metum & summum animi angorem, angelus qui ab initio præbuerat visionem, ita transformatur vt videretur adesse germanus & sincerus amicus Euagrij valdè obstupefactus, & tristitia affectus ob tantam vinculorum infamiā, & dicens ei vincto inter catenas quadraginta reorum: Cur cum tanta ignominia detineris cum reis, domine diacone? Ille ei dicit, Re vera quidem nescio: suspicor autem N. qui est ex præfectis, me detulisse motum zelotypia citra vllam rationem: & vereor ne magistratus fuerit ab eo corruptus pecunis, & me maximo afficiat supplicio. Dicit ei is qui amici figuram susceperat: Si audias amicum, tibi consulo, Non tibi expedit degere in hac ciuitate. Dicit ei Euagrius, Si Deus me liberauerit ab hac calamitate, & me videris Constantinopoli, scias me iure subire hoc supplicium, & esse dignum alio maiore. Dicit ei amicus: Si ita habet, fero ad te sanctum

[Iurat Euagrius super Euangelia se egressurum ciuitatem. Venit Hierosolymã.]

Euangelium, iura mihi in eo, quòd recedes ab hac ciuitate, & tuæ animæ curam geres: & te liberabo ab hac necessitate. Euagrius autem, Rogo te, inquit, iurabo vt volueris: me solummodo libera ab hac nube tenebrosa. Interim autem ei affert sanctum euangelium: & exigit iusiurandum. Euagrius autem ei iurat per euangelium verbis sic conceptis: Non manebo hic præter vnum diẽ, idque vt meas vestes in nauem immittam. Cùm autem processisset iusiurandum, ad se redit ab ecstasi quæ ei noctu euenerat. Cúmque surrexisset, cogitauit: Etsi mihi fuit datum iusiurandum in ecstasi, iuraui tamen. Omnibus ergo quæ habebat in nauem coniectis, venit Hierosolyma, & illic excipitur à beata Melania Romana. Rursus cùm diabolus eius cor tanquam Pharaonis indurasset, vtpotè adolescẽtem & ætate luxuriantem, eum rursus incessit dubitatio, & animi fuit ancipitis, B eùm tamen nemini quidquam dixisset. Quo factum est vt & vestes rursus mutaret, & in differendo ei veternum afferret vana gloria. Sed Deus qui impedit omnium nostrum interitum, ei rursus attulit calamitatẽ, rursus in febrem

[Morbo reuocatur Euagrius.]

coniiciens. & deinde in longum morbum, tempore semestri eius carnem macerans, quæ ei afferebat impedimentum ad virtutem, medicis dubitantibus, & non inuenientibus modum curationis. Dicit ergo ei beata Melania: Non placet mihi fili, morbus tuus diuturnus: Dic ergo mihi quæ habes in animo? non est enim verus hic tuus morbus. Confessus est ergo ei rem quæ sibi euenerat Constantinopoli. Dicit ei beata, Promitte mihi teste Domino, te vitæ monasticæ scopum esse secuturum, & ego licet peccatrix, orabo Deum, vt detur tibi

[Amictus monasticus.]

tempus commeatus, & vitæ terminus. Is autem est as- C sensus. Cùm ea autem orasset, intra paucos dies conualuit: cúmque is surrexisset, ab illa ipsa est amictu monastico indutus, & peregrè proficiscitur in montem Nitriæ qui est in Ægypto. In quo cùm habitasset biennio,

[Austeritas eius qui delicatam vitam fuerat secutus.]

tertio ingreditur solitudinem. Cùm itaque vixisset quatuordecim annis in iis quæ dicuntur cellis, comedebat quidem panis libram in die: trimestri autem tẽpore olei sextarium: vir qui in molli, delicata, & lauta vita fuerat educatus. Faciebat autem centum orationes: scribena annuatim precium solum eorum quæ comedebat: eleganter enim scribebat celerem characterem. Cùm ergo intra quindecim annorum spacium mentem expiasset, dignus est habitus dono cognitionis & sapientiæ, & dis-

[Euagrij Ἀντιῤῥητικὸς. Niceph. lib. 11. cap. 42. Cassiod. lib. 8. cap. 1. Dæmones in habitu clericorum. Crucis signum.]

cretionis spiritum. Is composuit tres sacros libros mo- D nachorum, qui dicuntur Ἀντιῤῥητικὰ, hoc est Contradictoria, suppeditans artes quibus sit vtendum aduersus dæmones. Ei aliquando grauem exhibuit molestiam dæmon fornicationis, vt ipse nobis narrauit: & tota nocte stetit in puteo cùm esset hyems, adeò vt eius carnes cõcrescerent. Aliquando autem rursus ei molestiam exhibuit spiritus blasphemiæ: & quadraginta diebus non est tectum ingressus, vt ipse nobis narrauit, adeò vt corpus eius, non secus ac corpus ferarum animantium, scateret muscis. Ei tres apparuerunt dæmones in habitu clericorum, de fide cum eo inquirentes. Et vnus quidem dicebat eum esse Arrianum, alter verò Eunomianum, Tertius autem Appolinaristam: & eos paucis superauit spiritu sapientiæ. Rursus cùm quodam die periisset clauis ecclesiæ, serra cruce signata, manu trudens eam aperuit, E Christo inuocato. Is à dæmonibus adeò fuit flagellatus, & variorum dæmonum tantam fecit experientiam, vt

[Præuidet futura.]

ij non possint facilè enumerari. Vni ex discipulis suis, quæ post decem & octo annos erant euentura ei dixit, omnia ei prædicens in specie. Dicebat autem hic beatus, Ex quo veni in solitudinem, nõ tetigi lactucam, non minutum olus, non aliquid viride, non fructum, non vuam, non lauacrum, non carnem, non panem, non vinum, neq; omnino aliquid ex iis quæ per ignẽ transeũt, præter quædam olera cruda, & modicum aquæ. Postea autem sextodecimo anno instituti vitæ suæ actæ absque decoctione ignis, cùm caro, propter imbecillitatem corporis & stomachi, opus haberet vt aliquid sumeret quod

A per ignem trãsiisset, panem quidem tetigit, nequaquam autem sumpsit cocta olera, sed vel ptisanam, vel legumina duos annos. In his corpus consumebat hic beatus, viuificans animam sancto spiritu, in epiphaniis in ecclesia communicans. Nobis autem narrabat hic generosus Christi athleta circa tempus mortis. Iam sunt tres anni ex quo non sum amplius vexatus à cupiditate carnis. Si autem post vitam ita ex virtute actam, & immensum laborem exercitationis, cúmque vel maximè inflexibilem, & sobriam perpetuò orationem, hunc immortalem adeò inuasit bonis infestus & exitiosus dæmon: quid ab execrabili dæmone pati putamus eos qui sunt socordiores, propter suam negligentiam? Huic sancto significata est aliquando mors patris sui, & dicit ei qui renunciauit, Desine blasphemare: meus enim pater est immortalis: Deum autem dicebat. Hucusque est enim exactissimum & perfectissimum vitæ institutum insignis Euagrij.

[Euagrius in Epiphania communicabat.]

[Euagrius non afficitur morte patris sui. Nicep. lib. 11. cap. 43.]

VITA ABBATIS PIOR. LXXXVII.

Sect. LXXV.

[Niceph. lib. 11 cap. 37. Cassiod. lib. 8 cap. 1. Votum.]

QVidam Pior nomine, Ægyptius genere, ætate iuuenis, cùm mundo renunciasset, exiit è domo paterna: & propter insignem amorẽ spiritalem, Deo est professus se nullum ex suis visurum amplius; quinquaginta ergo post annis, soror eius quæ cõsenuerat, & ab aliquo resciuerat fratrem suum viuere, veniebat in mẽtis emotæ periculum, nisi ipsum videret. Cùm autem non pos- C set venire in vastum desertum, rogauit illius loci episcopum vt scriberet ad sanctos patres qui erant in solitudine, vt ipsum mitterent, & eum videret. Cùm ergo ei vis magna afferretur, patribus obediens, statuit vno alio adsumpto, abire: & significauit domui sororis fratrem suũ Pior aduenire, & foris stare. Cùm autem sensisset strepitum ostij, & quòd eius soror ei veniret obuiam, Pior clausis oculis, clamauit ad ipsam: O soror N. Ego sum Pior frater tuus, ego sum: ecce, vide, aspice quantum velis. Illa ergo facta certior Deum glorificauit, & cùm multa fecisset, non potuit ei persuadere vt domum ingrederetur: sed oratione facta in limine, reuersus est in solitudinem, propriam patriam illic sibi virtute comparans. Hoc eius fertur miraculum, quòd cùm fodisset in loco D quem ædificauit, inuenit aquam amarissimam, & donec decessit illic permansit, se aquæ concludens amaritudine, vt suam ostenderet tolerantiam. Multi autem monachi post eius mortem cùm in cella manere contendissent, non potuerunt vnum annum id efficere. Est enim locus terribilis, & alienus ab omni consolatione.

[Monastica obedientia necess. Cassia. lib. 4. Inst. Mulier fratrem suum Pior videre desiderans, à fratre illuditur.]

VITA ABBATIS MOYSIS Libyci.

Sect. LXXVI. LXXXVIII.

[Moses Libycus. Sozo lib. 6. cap. 29.]

MOyses Libycus fuit vir mitissimus, & maxima charitate præditus. Is dignus est habitus dono curationum. (Is hoc narrauit,) In monasterio, inquit, E eram valdè iuuenis, & fodiebam maximum puteum, latum viginti pedes. In eo cùm tres dies fodissemus viri octoginta, & venam consuetam, & quæ aspiciebatur transiissemus circa cubitum, aquam nõ inuenimus. Magna ergo affecti molestia, deliberabamus de desistendo ab opere. Dúmque de eo deliberaremus, ad nos adueniens Pior ex vasta solitudine, in ipsa sexta hora æstus, cùm esset senex, indutus sua pelle ouilla, & cùm nos salutasset, dicit nobis post salutationem: Quid animum abiecistis homines modicæ fidei? Vidi enim vos iam ab hesterno die abiecisse animum. Quod cùm dixisset, in putei fossam statim demisit scalas, & cum eis facit orationem: & accepto ligone, & tertio ictu incusso, dixit: Deus sanctorum patriarcharum, ne irritum & inutilem

[Pellis ouilla pro Veste.]

Piae obtinuit aquam precibus. Niceph lib. 11.cap.37.

feceris laborem seruorum tuorū, sed mitte ad eos vsum aquæ: & statim aqua erit, vt nos omnes ea aspergeremur. Et cùm rursus orasset, abiit, dicens, Hac de causa missus sum: & aperta est. Cùm autem illi vim facerent vt illic comederet, non potuit in animum inducere, dicens, Non ideò missus sum. Hæ sunt res admirabiles Pioi præclaræ columnæ tolerantiæ: & hic est finis illius virtutis, qui pro amato fonte fruitur perpetuo dulcedinis fluento cum magno spiritali gaudio.

VITA ABBATIS CHRONII.

lxxxix.

Sect. lxxvii.

QVidam qui dicebatur Chronius, ex vico qui dicitur Phœnix, cùm à suo vico qui est prope solitudinem B mensus esset decies mille quingentos passus dextero pede numeratos, illic precatus fodit puteum, & cùm aquā inuenisset pulcherrimam, quæ in profundo aberat quinque vlnis, illic quoque sibi ædificauit paruum hospitiolum, & ex quo die seipsum collocauit in monasterio, Deum rogauit ne reuerteretur in locum qui habitatur.

Ala & sacerdotium.

Cùm pauci autem anni præteriissent, dignus fuit habitus presbyteratu, circiter trecentorum virorum circa ipsum congregata fraternitate. Hæc ergo fertur eius virtus exercitationis, quòd cùm sexaginta annis arae assedisset fungens sacerdotio, non egressus est è deserto: non extra laborem manuum comedit panem.

Vita abbatis Iacobi. cx.

Cum eo habitauit quidam Iacob è vicinis, qui cognominatus est Claudius, vir summa cognitione præditus. Erant autem ambo noti beati Antonij.

VITA ABBATIS PAPHNVTII Cephala.

xci.

Sect. lxxviii.

CVm ergo quodam die conuenisset etiam Paphnutius qui dicebatur Cephala, qui quidem habuit donum cognitionis diuinarum scripturarum, veteris & noui testamenti, omnem eam interpretans, cùm non legisset scripturas: erat autem adeò modestus, vt celaret virtutem propheticam. De quo dicitur, quòd octoginta annis non habuit simul duas tunicas. Cùm vnà hos conuenissemus, ego & beati diaconi Euagrius & Albinus, quærebamus scire causas fratrum qui decidebant vel labebantur in honesta vita.

DE CHEREMONE.

xcii.

Sect. lxxix.

De eo qui fodiebat puteum. xciii. xciiii.

ACcidit enim illis diebus vt Cheremon exercitator sedens decederet, & inueniretur mortuus sedens in cathedra, & tenens opus in manibus. Accidit etiam vt alius frater fodiens puteum, obrueretur à puteo. Accidit etiam vt alius veniens à Scete, siti aquæ moreretur.

DE STEPHANO LAPSO.

xcv.

Sect. lxxx.

Vnde solitario intēperantia.

INter quos commemorauimus etiam Stephanum qui in turpem lapsus est intemperantiam: & Eucarpum, & Heronem Alexandrinum, & Valentem Palæstinum, & Ptolomæum Ægyptium, qui erat in Scete. Simul ergo rogauimus quænam esset causa, quòd qui sic viuunt in solitudine; ex iis alij quidem mente decipiuntur, alij verò erumpunt in intemperantiam. Hoc ergo responsum nobis dedit sanctus Paphnutius vir maxima cognitione præditus: Quæcunque fiunt, in duo diuiduntur, in

A Dei placitum, & Dei permissionem. Atque quæcunque quidem fiunt ex virtute ad Dei gloriam, ea fiunt Dei placito. Quæ verò damnosa, periculosa, & quæ infortunia & casus important, ea fiunt Dei permissione. Permissio autem ex egestate rationis vel infidelitate eorum qui deseruntur.

Dei placitū & permissio.

Fieri enim non potest vt qui piè viuit & rectè cogitat, incidat in ignominiæ lapsus, vel imposturæ dæmonum. Quicunque ergo prauo scopo ac instituto, nempe vt hominibus placeant, & arroganti cogitatione, virtutem videntur aggredi, ij in casus incidunt, Deo eos deserēte ad eorum vtilitatem: vt cùm per derelictionem mutationem senserint, aut propositum, aut actionem corrigant.

Nihil malo proposito aggrediendum, etiam si boni speciē habeat.

Nam aliquando quidem peccat propositum, quando fit malo scopo, vt sæpè accidit intemperantem, prauo scopo facere eleemosynam in adolescentulas propter turpem finem: & actionem esse rationi consentaneam, vt Orphanæ, & quæ exercetur monachæ, dare auxilium. Accidit autem recto quoque scopo facere eleemosynam, in ægrotos, vel eos qui euersi sunt bonis, vel eos qui consenuerunt, sed parcè & cum murmuratione: & esse scopum quidem rectum, actionem autem scopo indignam. Oportet enim misericordem misereri in hilaritate & largitate.

Omnia in hilaritate. Hilarē datorem diligit Deus.

Hoc quoq; dicebat: In multis animis sunt dotes quædam præcipuæ: In aliis quidem, bonitas ingenij, in aliis verò aptitudo ad exercitationem: sed quando non fit propter ipsum bonum & ex diuino scopo, neque actio, neque ingenij bonitas, neque ij qui dotes habent præcipuas, non bonorum datori Deo ascribentes, sed suo libero arbitrio, ingenio, & sufficientiæ: qui tales sunt, relicti à prouiden-C tia, incidunt in facta turpia, turpes perpessiones, probráque & dedecora. Derelicti ergo, per aduenientem humilitatem & pudorem, sensim nescio quomodo expellunt arrogantiam, quam susceperant ex ea quæ virtus reputabatur.

Magnum arrogantiæ malum. Monachi hypocritæ mors horrenda apud. Niceph.lib. 14.cap.51. Hinc & multi labuntur, in hæreses.

Qui enim est inflatus, qui de bonitate inquam ingenij effertur, & Deo non ascribit bonitatem ingenij, neque eam quæ sibi suppeditatur cognitionem, sed vel suæ exercitationi, vel naturæ abducit ab eo Deus angelum prouidentiæ. Quo auerso, superatus à viribus aduersarij is qui effertur ob bonitatem ingenij, incidit in intemperantiam propter insolentiam, vt ablata teste temperantia, non videantur credibilia quæ dicuntur ab ipsis, fugientibus piis doctrinam quæ ex tali ore procedit, tanquam fontem qui scatet hirundinibus: vt im-D pleatur quod scriptum est: Peccatori autem dixit Deus, Cur tu enarras iustificationes meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Eorum enim animæ qui vitiis laborant, sunt re vera diuersis fontibus assimiles.

Psal. 49.

Nam qui sunt gulæ & vino dediti, lutulentis fontibus. Qui verò tenentur auaritia & plura habendi cupiditate, fontibus ranas habentibus. Inuidi autem, qui habent aptitudinem cognitionis, fontibus serpentes habentibus, in quibus semper fluctuat ratio, propterea quòd nemo haurit ex ipsis, propter morum acerbitatem.

Auari, inuidi & gulosi quibus similes.

Quocirca ter rogat Dauid, bonitatem & disciplinam & cognitionem. Nam absque bonitate cognitio est inutilis. Etsi correctus quidem fuerit is qui est huiusmodi deposita causa derelictionis, nempe arrogantia, & assumpserit humilitatem & sui modum cognouerit, ne-E que aduersus aliquem se efferens, & Deo agens gratias, ad eum rursus reuertitur quę testimonio fulcitur cognitio. Orationes enim spiritales, quæ non habent vitā honestam & temperantem simul æquitatē, sunt spicæ quæ à vento intereunt: quæ habent quidem figurā, sed ab eis ereptum est alimentum.

Orationes infructuosæ.

Omnis ergo lapsus, siue fiat per linguam, siue per sensum, siue per actiones, siue per totū corpus, conuenienter proportioni arrogantiæ, fit per Dei derelictionem parcentis iis qui derelinquuntur. Si enim cum temperantia, eorum quoque bonitati ingenij. Dominus tulerit testimoniū suppeditando eloquētiam, dæmones ipsos facit superbia, se extollentes cū immūditia. Hæc autē vobis dico, ô viri, vt cùm videritis aliquem vita quidem peruersum, oratione autem aptum

Vita peruersus & eloquēs est dæmonis imitator, & hæreticus.

ad persuadendum recordemioi dæmonis qui in sacra scriptura cùm Christo loquitur, & testimonij qood dicit: Set pens autem erat prudentissimus omnium bestiarum quæ erant super terram: eui prudentia potiùs detrimentum attulit, cùm alia virtus non concurreret. Oportet enim eum qui est fidelis & bonns, ea quidem animo (Genes. 2.) sentire quæ dat Deus: loqui autem quæ sentit, facere autem quæ loquitur. Si enim eum veritate verborum non concurrat vitæ cognatio, panis est sine sale, vt dicit Iob. (Iob 40.) Qui est autem talis, minimè comedetur. Quòd si etiam comedatur, conuert eum qui comedit in malam habitudinem. Si comedetur enim, inquit, panis sine sale: etsi est gustus in verbis inanibus, non impleta verborum testimonio. (Tribulationes immissæ ad correctionem. 2.Cor.12.) Ex derelictionibus ergo, vna quidem est vt virtus occultata manifestetur, vt virtus Iob, Deo respódente & dicente: Ne reiicias iudicium meum, neque putes me tibi aliter respondisse: sed vt iustus appareas, es B enim mihi uotus qui noui occulta. Sed quoniam ignoraris ab hominibus, suspicantur enim nonnunquam me à te coli propter diuitias, ideò feci vt in casum incideres. Demessui diuitias, vt ostédam eis tuam gratiarum actionem & philosophiam. Alia autem propter auertendam superbiam, vt in Paulo. Relictus est enim Paulus casibus, & colaphorum incussionibus, & diuersis iactatus afflictionibus, & dixit, Datus est mihi stimulus carnis, vt me colaphizet, ne fortè extollatur, ne fortè cùm miraculis quies & rerum successus & honor ei accedens, eum in arrogantiam inuceret diabolicam. Superbia elatus relictus quoque est paralyticus propter peccatum. Cui (Ioan.5.) dixit Dominus: Ecce sanus factus es, noli amplius peccare. Derelictus quoque est Iudas, qui pluris fecerat pe- C (Act.1.) cuniam: Quocirca fuit etiam suffocatus. Derelictus (Gen.27.) quoque est Esau, & incidit in intemperantiam, vt qui stercus intestinorum præposuerit benedictioni paternæ, adeò vt cùm hæc omnia sensisset Paulus, dixerit de aliquibus: Quoniam enim non probauerunt Deum habere in cognitione, tradidit eos in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt. De aliis autem qui videbantur habere Dei cognitionem cum mente corrupta (Rom.1.) & inani tumore, dicit: Quoniam enim cùm Deum cognouissent, non vt Deum glorificauerút, aut gratias egerunt, tradidit eos Deus in passiones ignominiæ: adeò vt nos ex eo cognoscamus fieri non posse vt cadat aliquis in intemperantiam qui non fuerit derelictus à Dei prouidentia, propter negligentiam & socordiam eorum qui D derelinquuntur, & deseruntur ad hoc vt hæc eis eueniant.

VITA ABBATIS SOLOMONIS.

xcvi. Sect. lxxxi.

(Solomon.) IN Antinoi ciuitate regionis Thebaidis quadraginta annos versatus, eo tempore accepi etiam cognitioné eorum quæ sunt illic monasteriorum. Nam circa ciuitatem sedent viri circiter bis mille, manibus viuentes, & se summè exercentes. In his sunt etiam Anachoretæ qui (Anachoretæ in speluncis rupium.) seipsos incluserunt in speluncis rupium. Inter quos est Solomon vir mansuetissimus & temperatissimus, & qui donum habet tolerantiæ. Is quinquaginta annos degit in spelunca, sibi victum suppeditans manibus: & didicit totam scripturam.

VITA ABBATIS DOROTHEI.

xcvii. Sect. lxxxii.

(Dorotheus.) FVit etiam quidam Dorotheus, presbyter in alia spelunca habitans, qui in summa bonitate ipse quoque vitam vixit inculpatam, dignúsque est habitus presbyteratu, & ministrabat fratribus qui sunt in speluncis. Huic aliquandò Melanium iunior, magnæ Melaniæ neptis, de qua dicam postea, misit quingentos

A nummos, rogans eum vt ministraret fratribus. Is autem cùm tres solos accepisset, misit reliquos ad Dioclem Anachoretam, virum summa cognitione præditum, dicens: Est me sapientior frater Diocles, & potest eos integrè & innocenter dispensare, vt qui me meliùs sciat eos quibus sit meritò ferendum auxilium. Nam hi mihi sufficiunt.

VITA ABBATIS DIOCLIS.

Sect. lxxxiii. xcvii

HIc Diocles in grammatica quidem primùm edoctus, cùm se postea dedisset philosophiæ, tandem (Diocles à Philosopho monachus.) trahente eum gratia, ætatis annum agens vicesimum B octauum, renunciauit quidem disciplinis liberalibus, se Christo verò coniunxit, & iam tricesimum annum agit in spelunca. Is dicebat nobis quòd mens quæ cogitatione recessit à Dei contemplatione, fit vel dæmon, vel bestia. Nobis autem rogantibus quónam modo, sic dixit: Mens quæ recessit à Dei contemplatione, necessariò (Ne mens recedat à Dei contéplatione. Cassian. col. 9 cap. 6. & 9. col. 23. à Deo recedere mori est.) incidit vel in dæmonem cupiditatis, vel in spiritum iræ. Et cupiditatem quidem dicebat beluinam, iram verò dæmoniacam. Cùm ego autem contradicerem: Quomodo fieri potest vt mens humana sit cum Deo sine intermissione? ipse dicebat, quod in quacunque cogitatione vel re pia & diuina fuerit anima, ea est cum Deo.

VITA ABBATIS CAPITONIS.

C Sect. lxxxiiii. xcix.

PRopè eum manebat quidam Capito à latronibus, (Capiton.) qui cum quinquaginta annos impletset in speluncis, quatuor millibus longè ab vrbe Antinoi, non abiit à spelunca vsque ad fluuium Nilum, dicens se non posse turbas conuenire, eò quòd aduersarius ei adhuc resistat.

VITA ANACHORETÆ QVI illudebatur.

Sect. lxxxv. c.

D CVm his vidimus etiam alterum Anachoretam, qui ipse quoque erat similiter in spelunca. Is somniis illusus œstro vanæ gloriæ, vicissim illudebat eos qui decipiebantur, ventos pascens, & habebat quidem in corpore temperantiam, & propter senectutem, & propter tempus, & fortè etiam propter vanam gloriam: vanæ autem gloriæ intemperantia corruptus erat eius animus.

VITA SANCTI EPHRAIM Diaconi.

Sect. lxxxvi. ci.

E AVdiisti omninò de Ephraim diacono ecclesiæ Edessenorú. Fuit enim vnus ex iis qui digni sunt, de (Ephraim Soz. lib.3.c. 15 li.6.cap. 34.) quibus fiat mentio à sanctis Christi seruis. Is cùm spiritus viam dignè peregisset, & à rectà non declinasset, dignus est habitus gratia naturalis cognitionis, quam consequitur Theologia, & postremò beatitudo. Cùm ergo (Nicep. li 9. c. 16. Theod. l 4 cap. 2 . Auari frumentum sinunt putrescere.) vitam exercuisset quietam, & multis iam annis ædificaret eos qui veniebant; postea è cella progressus est hac de causa. Cùm magna fames inuasisset ciuitatem Edessenorum, misertus omnium qui peribát agrestium, processit ad eos qui erant diuites in ciuitate, & dicit eis: Cur non miseremini humanæ naturæ quæ interit? sed frumentum vestrum sinitis putrescere ad condemnationem animarum vestrarum. Se autem excusantes, dicunt: Non habemus cui credamus, ad hoc vt panem sub-

ministret esurientibus: Omnes enim res cauponantur. A Is verò dicit eis, Quid ego vobis videor? erat autẽ apud omnes in magna existimatione, non falsò, sed re vera. Ei itaque dicunt, Nouimus te hominem Dei. Mihi itaque de cætero credite. Ecce, me propter vos eligo hospitum exceptorem. Cumque pecuniam accepisset, & in fixis vallis septum construxisset, & lectos ad trecentos statuisset, curabat eos qui famescebant: eos quidem qui deficiebant sepeliens, eorum verò qui spem vitæ habebant curam gerens: & vt semel dicam, hospitium & ministerium propter famem quotidiè exhibens ex iis quæ suppeditabantur. Impleto ergo anno cùm successisset fertilitas, & omnia rectè succederent, cùm nihil haberet amplius quod ageret, ingressus est in suam cellam, & post mensem est mortuus, cùm Deus ei hanc occasionem præbuisset instar coronæ in extremis diebus. B Reliquit autem scripta quoque studio digna, quæ magnam viri virtutem testantur.

Ephraim succurrit famescentibus.

Reliquit trecentas versuũ myriadas Niceph. eod. & alia scripta de quibus Senens. in bibl.

VITA ABBATIS IVLIANI.

CII.

SECT. LXXXVII.

Huius fit mentio 3. l. Soz. cap. 14.

AVdiui à quodam in illis partibus fuisse Iulianum virum maximæ exercitationis, qui cùm carnem suam supra modum liquefecisset, ossa solum & pellem circumferebat. Is in extremis finis sui diebus dignus est habitus gratia curationum.

VITA ABBATIS INNOCENTII.

CIII.

SECT. LXXXVIII.

Innocẽtius.

DE beato Innocentio presbytero Oliueti, à multis quidem audisti: nihilo secius autem à nobis quoque audies, qui tres annos cum eo viximus. Is fuit longè simplicissimus. Cùm autem is fuisset illustris in palatio inter magistratus Constantini imperatoris, mundo renunciauit, profectus à matrimonio. In quo etiam habuit filium, Paulum nomine domesticum, qui militabat. Is eùm peccasset in filiam presbyteri, imprecatus est proprio filio Innocentius, Deum rogans, & dicens: Domine, da ei spiritum: ne amplius inueniat eius caro tempus peccandi: melius arbitratus eum pugnare cum dæmone quàm cum intemperantia. D Quod etiam factum est. Nam nunc quoque adhuc est in monte Oliuarum, ferrum gestans, & castigatus à spiritu. Hic Innocentius adeò fuit misericors, (fortasse autem videbor etiam nugari dum vera narro) vt sæpè suffuraretur à fratribus, & daret egentibus. Fuit autem summè simplex & innocẽs: Is dignus est habitus dono aduersus dæmones, & ad eũ aliquando adductus est nobis videntibus adolescens quem inuaserat spiritus & paralysis, & ego cùm vidissem, voluerim apertè matrem expellere eius qui fuerat adductus desperans eum posse curari. Accidit autem vt interim veniens senex hanc videret adstantem, deflentémque, & eiulantem, propter inenarrabilem calamitatem filij. Lachrymatus ergo præclarus senex & commotus visceribus, accepto adolescente ingressus est in suum martyrium, quod ipse ædificarat, in quo sitæ sunt reli- E quiæ Ioannis Baptistæ: & cùm pro eo orasset vsque ad horam nonam ab hora tertia, sanum reddidit adolescentem & eodẽ die & paralysim expulit & dæmonem. Erat autem talis eius paralysis vt spuens puer tergum suum conspueret, ita erat inuersus. Aliud rursus fuit eius signum: Quædam anus quæ ouem amiserat, accessit ad eum flens: Quam secutus dicit ei, Ostende mihi locum vbi amiseris. Ea verò ducit eum ad loca quæ sunt circa Lazarum. Stans ergo orauit. Qui suffurati autem erant adolescentes, ipsam priùs occiderant. Dum ergo ipse oraret, nemine confitente, carne occultata in vinea, aliundè veniens coruus stetit supra furtum, & rursus euolauit. Cùm beatus autem animaduertisset, vidit mactatam victimam. Et sic iuuenes ad pedes eius accedentes confessi sunt se occidisse, & iustum precium fuit ab eis exactum.

Innocẽtius è matrimonio monachus.

Gratia contra dæmones.

Martyrium locus orationis Reliquiæ sancti Ioannis Baptistæ.

VITA ABBATIS ADOLII.

CIIII.

SECT. LXXXIX.

Adolius Adolij quadragesimale ieiuniũ.

RVrsus noui Hierosolymis quendam nomine Adolium genere Tarsensem, qui cùm venisset Hierosolyma, ingressus est viam valdè immutabilem: non quam multi ingressi sunt, sed selecto sibi quodam nouo vitæ instituto. Se enim super hominem exercuit, vt etiam ipsi dæmones horrentes eius austeritatem, ne ad eum quidem auderent accedere. Propter summam autẽ exercitationem & vigiliam, existimatus est esse spectrum. In quadragesima enim comedebat post quinque dies: toto autem alio tempore, vno die interiecto. Hæc autem fuit eius res magna. A vespera vsque ad illud tempus quo congregabatur fraternitas in oratoriis, in olueto, in colle assumptionis vnde ascẽdit Iesus, perpetuò stabat psallens & orans, & ieiunabat: & siue pluebat, siue grandinabat, manebat immobilis. Impleto autem tempore consueto, excitatorio malleo pulsabat cellas omnium, eos congregans ad oratoria, & in vno quoque oratorio vnà cum eis psallens vnam aut duas antiphonas, & vna cum eis orans, & sic die appropinquante ibat in cellulam, & re vera fratribus eum exuentibus, & vestes exprimentibus tanquam eas lauaturi, eum aliis induebant. Et cùm quieuisset vsque ad horam tertiam, psalmodia excitatus C erat ei intentus vsque ad vesperam. Hæc est ergo virtus Adolij Tarsensis, qui fuit consummatus Hierosolymis, & ibi dormiit.

Oratoria in medio cellularum.

DE ABRAMIO.

SECT. LXXXX.

CV.

Abramius, claudam sanauit. Veteres monachos Ægyptiæ dedit Cassiat. col. 15 cap. 4. & 5.

FVit quidam Abramius genere Ægyptius, qui vitam asperrimam & maximè agrestem egit in solitudine. Is animo sauciatus ab intempestiua persuasione, veniẽs in ecclesiam, contendit cum presbyteris, dicens, Noctu à Christo ordinatus sum presbyter. Suscipite me vt sacerdotem. Patres cùm abduxissent eum à solitudine, & D ad vitam deduxissent crassiorem, & magis indifferentem, curarunt eum à superbia, deducentes eum ad cognitionem suæ imbecillitatis, illusum à dæmonibus.

VITA ABBATIS ELPIDII.

SECT. LXXXXI.

CVI.

Elpidius.

IN Amorthæorum speluncis quæ sunt in Hierichu, quas olim construxerant fugientes Iesum Naue, qui tunc populabatur alienigenas, in monte Luca fuit, quidam Elpidius Cappadox genere, postea autem dignatus presbyteratu monasterij, factus à Timotheo Corepiscopo Cappadociæ, viro sufficientissimo. Is habitauit in quadam spelunca, & tanquam in exercitatione ostendit E continentiam, vt omnes obscuraret. Viuit enim viginti quinque annos, vescens solum sabbatis & dominicis, Stans autẽ totas noctes cantabat. Is tanquam regi apum futuro, in medio fraternitatis cohabitans, illum montem ædificauit: licebátque illic videre apud vnumquemque diuersos modos exercitationis vitæ. Hunc aliquando Elpidium, & verè Elpidiũ, qui re vera spe gaudebat, & propter Christum sustinebat afflictionem, noctu psallentem nobis vnà cum eo psallentibus, ipsum pupugit scorpius. Quem cùm calcasset stans, non mutauit habitum corporis: tanta tolerantia nullam duxit rationem doloris quem inussit scorpius. Porrò autem cùm quodam die quidam frater teneret frustum scalarum, id accepit sanctus dum sederet in margine montis, & infodit tanquam

Elpidius comedit tãtum sabbatis & dominicis.

Vitis enatæ miraculum.

tanquam plantans, etsi non esset tempus. Vsque adeò autem creuit, & tam ampla vitis euasit, vt tegeret totam ecclesiam.

VITA ABBATIS ÆNESII. SECT. LXXXXII.

CVII. CVm hoc sancto Dei athleta vnà etiam fuit consummatus inclitus Dei seruus Ænesius, vir magnæ existimationis, & qui fuit insignis in exercitatione.

VITA ABBATIS EVSTATHII. SECT. LXXXXIII.

CVIII. Eustathius Sozom. lib. 3. cap. 13. Elpidij patientia. Scilicet Christiani orabant ad orientem.

ET eius frater Eustathius ei honore æqualis, promptóque & alacri animo, exercens vitæ certamina. Eò autem processit beatus Elpidius impatibilitate corpus macerans, vt sol eius ossium fabricam perspicuè ostenderet. Fertur autem hoc quoque in eius virtutis narrationibus à studiosis eius discipulis, quòd totis viginti quinque annis non fuit conuersus ad occidentem etsi speluncæ ostium esset positum in montis cacumine. Neque post horam sextam solem qui imminebat capiti, vidit vnquam inclinantem ad occidentem. Neque stellas quæ in occasu oriuntur vidit viginti annis. Hic magnus athleta patientiæ, ex quo ingressus est speluncam, non descendit de monte donec fuit sepultus. Hęc sunt cœlestia facinora coronati & inuicti athletæ Elpidij, qui nunc degit in paradiso.

VITA ABBATIS SISINNII. SECT. LXXXXIIII.

CIX. HVius discipulus Sisinnius nomine, qui prodiit quidem ex seruili fortuna, fide antè liber, genere Cappadox. Oportet enim genera quoque significare ad gloriam Christi qui nos reddit claros genere, nósque deducit ad beatam & veram nobilitatem, nempè regnum cœlorum. Hic cùm fuisset longo tempore apud beatum Elpidium, acris athleta virtutum exercitationis, vt qui sex vel septem annis didicisset viri virtutes, & fortitudinem laborum in exercitatione, is postea seipsum inclusit monumento. In eo autem constitutus tres annos, perseerauit in orationibus, non noctu, non interdiu sedens, non accumbens, non foras egrediens. Is assecutus est gratiam aduersus dæmones. Nunc autem reuersus in patriam, dignus est habitus presbyteratu, ab eo collecta fraternitate virorum & mulierum dato testimonio impatibilitatis per honestam vitæ institutionem, & mascula expulsa sua cupiditate, & fœminarum mollicie constricta continentia, adeò vt impleatur quod scriptum est: In Christo Iesu non est masculus & fœmina; non est seruus, nec liber. Est autem etiam insigniter hospitalis, etsi careat possessionibus, in vituperium diuitum qui minimè impertiuntur.

Sisinnius monumēto se includit ad orationem.

Galat. 3.

VITA ABBATIS GADDANA. SECT. LXXXXV.

CX. Gaddanas. Sozom. lib. 6. cap. 34. Exsiccatur manus Iudæi volentis percutere Gaddanam.

NOni ego senem quendam Palæstinum genere, Gaddanam nomine: qui toto vitæ suæ tempore vixit absque tecto, vixit autem circa Iordanem. Hunc beatum eremitam, cùm Iudæi moti æmulatione, in locis quæ sunt circa mare mortuum adorti, stricto gladio inuasissent, accidit vt tale fieret miraculum. Dum ensem extolleret, & vellet Gaddanæ afferre interitum, exsiccata est manus eius qui ensem tenebat, ísque illi ita cecidit vt non sentiret. Hoc auxilium à Deo latum est beato Gaddana.

VITA ABBATIS ELIÆ. SECT. LXXXXVI.

CXI. Monachi in spelūcis.

RVrsus quidam Elias monachus probatissimus, in iisdem locis habitabat in spelunca, & cùm esset vitæ honestissimæ & in primis religiosæ, vacabat continentiæ, & orationi, omnes aduenientes benignè excipiens. Quodam ergo die cùm complures fratres ad eum accessissent, erat enim illàc eis transeundum, ei panes defecerunt, iuránsque nobis affirmabat dicens, Propemodum sum exanimatus ob cibi penuriam. Ingressus ergo cellam mœrore animi confectus, quòd nescirem quemadmodum in eos qui aduentarant, implerem pro viribus mensuram charitatis, inueni tres recentes panes illic positos, quos lætus accepi & apposui. Cùm autem viginti viri comedissent ad satietatem, superfuit vnus panis. Eum autem cùm sustulissem, vsus sum eo viginti quinque diebus. Hæc domini gratia facta est eùm hospitali Elia, cuius laborum remunerationes paratæ sunt apud benignum Dominum.

Panes dari & multiplicari diminutus.

DE SABBATIO. SECT. LXXXXVII.

QVidam Sabbatius nomine, Hierichuntinus genere, cùm haberet vxorem, propter Dei timorē adeò amauit monachos, vt ipse obiret cellas & omnē solitudinem noctibus, & in vno quoque monasterio foris poneret vnum modium dactylorum, & oleum quod satis esset, propterea quòd pane nō vescantur qui in Iordane sunt exercitatores. Huic continentium monachorum dextero mēse stratori, cùm is quodam die tulisset sanctis quæ exercitationi erant necessaria, maligni æmulatione ei leo occurrit, inimico monachorum excitante immanem feram aduersus ministrum monachorum, studente & illos priuare refectione, & hunc suo proposito. Et cū fera eum comprehendisset à lapide vnus ex monachis, suis vnguibus eum protrusit & euertit. Sed qui docuit in Daniele leones ieiunare, prohibuit ne eum qui seruabat præcepta deuoraret leo, etsi valdè esuriret. Quo factum est vt accepto senis asino recederet. Qui enim ei vitam donauerat, feræ quoque famem exsatiauit.

CXII. Sabbatius.

Leo insilit in Sabbatium.

DE PHILOROMO PRESBYTERO. SECT. LXXXXVIII.

REligiosissimum presbyterū Dei que amantissimum Philoromū in Galatis conuenimus, & cum eo longo tempore versati sumus, qui fuit vir exercitatissimus. Is ortus quidē est ex matre serua, patre verò libero. Tantam antē virtutum nobilitatem ostēdit in vitę Christianæ institutione, vt etiā ipsi qui sunt in genera in superabiles, eius vitam angelis æqualē reuerentur, & efficacem virtutem exercitationis. Is mundo renunciauit in diebus Iuliani execrandi imperatoris, & liberè cum hoc impio est locutus generosus Christi athleta Philoromus, quem iussit radi, & à pueris ei astanti alapis impingi. Is verò rē fortiter & toleranter tulit, & ei egit gratias, vt ipse nobis narrauit. Hunc præclarum virum in principio adortum est bellum fornicationis & gulæ, vt dicebat, quod tyrannidem exercens exagitat multitudinem. At is veluti immensum incendium multa aqua extinxit, summa cura continentiæ, ferrum gestando, & se concludendo, & abstinendo à cibis, & vt semel dicam, ab omnibus coctis, & in his se fortiter gerendo ac tolerando propter ingluuiem. Qui cùm id vicerit, potuit hymnum victoriæ canere, sic dicens: Exaltabo te Dominē, quoniam suscepisti me, non lætificasti inimicos meos supra me. Hic à spiritu fornicationis variè oppugnatus, perseuerāuit quadraginta annos in monasterio. Is autem narrabat, dicēs, Triginta & duos annos nullum fructum tetigi. Cū autem, inquit, timiditas me summè oppugnasset, adeò vt vel interdiu pertimescerem, mę inclusi sex annos in monimento: & ea ratione euasi superior, ex impatibilitate bellum gerens cum spiritu, qui mihi hanc imponebat seruitutem. Huius viri insignis magnam curam gerebat beatus Basilius Episcopus, qui delectabatur eius austeritate, constantia, & in opere diligentia, qui adhuc in hodiernum diem à calamo & charta non recessit, cùm sit-

CXIII. Philoromus.

Iulianus apostata illudit Philoromum. Tentatio fornicationis & gulæ quomodo retundatur.

Psal. 29.

S. Basilius Philoromi familiaris.

netos annum octogesimum. Dixit huic beatus: Ea quo sum iniciatus & regeneretus ex spiritu & aqua, vsque in bodiernum diem, alienum panem gratis nó comedi, sed eum qui ex propriis laboribus ad nos venir diuinitos. Ducentos quinquagiota nummos ex opere manuum mearum dedi iis qui erant manci ee muoli, neq; vlli vnquam feci iniuriam. Is pedestri itioere veoit Romam vsque ad orandum in martyrio sanctorum Petri & Pauli. Peruenit xurem etiam vsque ad Alexandriam, cùm vouisset, in martyrium venerandi athleræ Marci. Dignux autem, ioquit, sum habitus, qoi voti grxtia, bis propriis pedibus venirem Hierosolymaxd bonoranda loca sxncta: & ipse mihi suppeditaui impensas. Dicebat aurem nobis, vt vtilitatem ex eo caperemus. Non memini me vnquam animo à Deo meo recessisse. Huius beati Philoromi talia sunt certamina, & in hia est inuicta victoria, & beatorum laborum eat edditur finis, corona gloriæ immarcescibilis.

Peregrinatio Romæ. Vita peregrinationis.

VITA BEATI SEVERIANI
& eius vxoris. Sect. LXXXXIX.

CXIIII. Seuerianus & Dosphoria.

IN Ancyra Galatiæ, in ipso loco contigit mihi alloqui quendam Seuerianum vnà cum eius cóiuge Dosphoria, nec eorum magnam baboi experieniiam. Ij quidem multa spe bone tepleti sunt & suos frustrantur filios, re vera io futura iotueutes. Suotum enim prædiorum reditus consumuot in egenos, babeutes quatuor filios & duar filias: quibus ne vitis quidem sarmentum dederunt præterquam iia quę nupserant. Dicebant aotem reliquis suis filiis, Post nostrum decessum omnia sune vestra: Quandiu aotem sumus superstites, oos possessionũ nostrerum fructus colligemus, eos distribuentes ecclesiis, & monasterus, & xenodochiis, & omnibos egentibus. In quibus boc quoque est eorum virtutis egregiæ. Cùm esset magna sames, & qoæ omnium bominum peruadebat viscera, qui tune erant hæreses traduxerunt ad rectam opinionem. Nã cùm in multis prædiis horrea sux aperuissent, ea præbebant in alimẽtum pauperum: adeò vt ex hac inexplicabili eorum beoig nitate in voam rectè fidei consonaniiam conuenetint, qui erãt hæreticæ opioionis. Deo gretias egeores ob simplicem eorum fidem, & immensam beneficentiam. Alia eutem exercitatio eorum erar admirabilis. Vestis eorum habitus erat maximè venerandus, etárq; in eis magna & quæ dici nequit victus teuuitar, erant valdè modici sumptus, alimentorũ frugalitate contenti quantá vire requirebat, pietatem in Deum mirandum in modũ exercenter; in agris degentes plurimo tempore: semper fugientes ciuitares, & vitia quæ ex eis oriuntur: ne ex iucunda cum turba conuersatione tumultus ciuiles ettraherent, & exciderent à Dei ptuposito. Propter bæc omnia borum beatorum rectæ vitæ facinora, hinc iam intelligentibus oculis aspiciunt æterna bona quæ parxta sunt à Dei gloria.

Seuerianus dum viuit, bona pauperibus distribuit.

Vitæ solitariæ descriptio.

VITA ELEEMONIS MONACHI.
Sact. C.

CXV. Eleemon.

VIdimus in hac ciuitate monachum patrem monasteriorum, qui ooo inducebat in animum cum vllo bomine vel pauco tempore colloqui. Is vicesimum anoum agens in eaercitatione, boc habuit vitæ institutum, vt permaneret xpud ciuitatis episcopum virũ sanctissimũ. Est autem adeò benignus & misericors, vt etiá noctu circumeat, & misereatur eorum qui indigent. Is non negligit custodiam non nosocomium, oon Prochinm, non diuitem, nuo pauperem, sed fert opem omoibos, apud diuites quidem, vt immitee & immisericordes, verba faciens de misericordia: voicuique aotem ex indigentibus prouidens quæ sunt oecessaria, eos qui pugnant pacificans, oudis suppeditans indumenta, ægrotis medicamenta efferens ad curationem. Quod autem solet fieri in omnibus magnis ciuitatibus, in ea quoque fiont. In porticu enim ecclesiæ iacet moltitudo maneorum ee mutilatorum quotidianum victum emendicantium, qui partim quidem vxores noo duxerunt, pertim verò etiam duxerunt. Quodam ergo die accidit vt voius borũ vxor pareret in porticu, & in ipsa byeme. Ee ergo clamãte cũ ab illo intolerabili dolore pũgeretur, audiuit hic beatus vlulatũ, oreos in ecclesia, & relictis sibi consuetis precibus, egressus respexit: & cùm neminem inuenisset qui illi xdesset in hac necessitate, ipse functus est vice obstetricia: non abhorrens fastidium quod consequitoe molieres parientes, mulierum insensibilitatem ei largiente hac profundissima eleemosyna. Atque vestium quidem quibus est indutus precium non est voius oboli. Cibus xutem contendit cum vestibus: libello autem noo sustinet incumbere, à lectionibus eum abducente clementia. Si quis ex fratribus ei librum donauerit, eum statim vẽdit & distribuit pauperibus. Iis sutem qui seiscitabantur, Cur hæe vendis? dicebat: Qui possum meo persuedere magistro me eius artem eccuratè didicisse, nisi illo ipso vsus fuero ad artem rectè exercẽdam? Hic immortalis cùm in hac actione bucusque permansisset, perpetuò germinans memoriæ oomen reliquit illi, quæ est circumcirca, regioni. Ipse fruens æterno gaudio in regno cœlorum, recipiens digne pręmia beatis laboribus, & qui esurientes bic nutriit, & nudis dedit vestimenta, nooc apud bonorum operum remonetatorem fruitur omne genus deliciis.

Eleemonis mira pietas.

Verè hic Eleemosynarius.

VITA ABBATIS BISARIONIS.
Sect. CI.

CXVI. Bisarion. Simplex tunica.

FVit quidam senex, possessionibus carens, & misericors, nomine Bisarion. Is cùm venisset in quendam vicum, vidit mendicum nudum in foro mortuũ, vnam quidem fereus tuoicam conuenienter euangelicæ traditioni, & paruom superbumerale. Nihil enim possidebat præter hoc necessariũ tegumentum. Habebat eutẽ semper quoque paruum euangelium sub axilla, aot ad sui faciendũ periculũ num perpetuò voci Domini obediret: eut potiùs gestans sermouem quem eret opere executus. Tam admirabili entm vita vsus est hic vir & citra vllum dedecus, vt perinde ac terrestris angelus cœleste iter legitimè peregent. Hic ergo cùm vidisset reliqoias, se protinus exuens superbumerali, eo induit mortuum. Et rursus cùm parum processisset, nudo egenti occurrit: & stetit epud se disceptans, & sic ratiocinans: Quomodo ego quidem qui muudo renonciaui veste induor, frater eutẽ meus algore concrescit? Si ergo ego eũ siuero exanimari, ero omoioò causa mortis proximo. Quid ergo exuens-oc scindã, & partem distriboam, an totũ dabo ei qui est factus ad Dei imaginem? Sed quid mibi & illi erit vtilis pars quæ scinditur? Et cũ epud se disceptasset, dixit: Damnine aliqoid patiemur, si plus quá sit præceptum faciamus? Generosus itaque hic ethleta, prõpto & elacri animo vocat pauperem in vestibulum: & cum eum dimisisset indutum, sterit nudus, se operiens manibus, genua flectens & subsidens, solum habens sub axilla verbum quod facit diuites. Etus autem consilio & prooidentia transiens quidam Ireuarche, agnouit senem, & dixit prosimo suo socio: Respice illuc. Non est hic senex abbas Bisarion? Cùm is autẽ dixisset, maximè; de qoo descendens rogauit sanctum, dicens, Quis te eauit? Ille verò dextera protendens euangelium, Hoc, inquir, me eauit. Statim eutẽ se soa veste exuens Irenarcha, perfectũ militem, inquir, & protinus gestans velnti quandam paruam vestem monachorũ, à mundo latens recessit: declinans laudẽ eius qui suom vidisset vitæ institutum, eũ qui est ab occulro bonorem celando expectans. Hic ipse postquam omne præceprum euangelicum rectè esset execurus, cũ nihil huius mundi amplius haberet in animo, ad diuinorum dictorum perfectiorem executionẽ, cũ io transitu vidisset paoperem, cursu in forum cõtendit, vbi cùm paulisper constitisset, vendidit euangelium.

Bisarion pauperem vestit suo habitu, ipse interim nudus, vt & D. Martinus quendã apud Ambianenses Seuer. Sulp. lib. 2.

Irenarchæ, tranquillitatis publicæ & securitatis studiosi latrunculatores l. Munerum. ff. de muneri. & honor. tales in principum aulis curiosi cod. de Curiosis & stationariis.

1. Ex Euagr. Niceph. li. 11. cap 41. hoc factum suppresso nomine refert, quáuis Fulgos. lib. 4 cap 8. Serapion tribuat qui & vendidit semetipsum vt viduæ succurreret.

Paucis igitur pòstdiebus, qui cum eo erat abbatis discipulus oulas nomine, rogauit senem, dicens: Quid paruo libello factum est ô abba? Cui senex placidè: verbum pulchrum admodum & valdè seuum est locutus, sic dicens: Ne tristitia afficiaris, ô frater. Nam vt illic habeamus fiduciam; propter obedientiam, vendidi ipsum sermonem, qui mihi semper dicebat. [1] Vende quæ habes, & da pauperibus. Sunt autem aliæ quoque tea plurimæ ex virtute gestæ huius magni patris. Cum quo nos quoque digni habeamur habere partem, gratia Christi, Amen.

VITA BEATÆ MELANIÆ ROmanæ. Sect. CII.

CXVII. Melania quã admirãdam vocat Nicep. lib. 14. c. 52.

NEcessarium autem existimaui virilium quoque & honestatum mulierum meminisse in hoc libro, quibus Deus æqualia donauit præmia viris quiex virtute vitam egêre: & ipsis reddidit coronam eorum qui ipsi placuerunt, ne molles seneræque reddantur quæ sunt socordiores, & prætextum quærant & excusationem, tanquam quæ sint imbecilliores ad certamina virtutis, & ad honestam vitam agendam. Atque multas quidem vidi pias ac religiosas, & plurimas virtutis ergò conueni & virgines & viduas. Inter quas erat etiam beatissima Melania Romana, quæ fuit quidem filia Marcelli consularis, vxor cuiusdam viri qui erat in magna auctoritate, cuius nominis non rectè memini. Hęc cùm esset vidua agẽs annum vicesimum, diuino amore digna fuit habita, & nemini quidquam dicens, prohibebatur enim iis temporibus. Valête tenente imperium, cùm curasset vt filij sui nominaretur tutor, ipsa acceptis suis mobilibus & in nauem iniectis cum aliquot famulis & mulieribus, cursu nauigauit Alexãdriam: & cùm illic res suas vendidisset, & in aurum minutum conuertisset, ingressa est in montem Nitriæ, sanctos patres conueniẽs, Pambo, & Orsisium, & Serapionem magnum, & Paphnutium Scetiotem, & Isidorum confessorem Episcopum Hermipolis, & Dioscorum, & versata est apud eos circiter annum dimidium, obiens solitudinem, & vidẽs omnes sanctos. Post hæc autem cùm Augustalis Alexãdriç relegasset Isidorum, & Pitimium, & Adelii, & Paphnutium, & Pambo, & inter eos etiam Ammonium Parotum, & duodecim episcopos, & presbyteros in Palæstinam circa Diocæsareã, ipsa eos est secuta, eis ex suis propriis pecuniis subministrãs. Cùm autem prohiberentur ministri, vt narrabant: conuenerunt enim sanctum Pitimium, Isidorum, & Paphnutium, & Ammoniũ hæc fortis mulier induta seruuli caracalla, vespere eis ferebat quæ erãt ad vsum necessaria. Cùm autem id cognouisset consularis Palæstinæ, & vellet sinum suum implere, sperauit fore vt ei fumo oculos præstringeret, & ab ea aliquid exprimeret: eámq; retentam coniecit in carcerem, ignorans eius libertatem. Hæc autem significat ei dicẽs; Ego illius quidem sui filia, huius verò vxor, qui in terra sum genere clarus; nunc autem sum Christi ancilla. Neque meum vilem habitum despexeris, possum enim me si velim extollere, nec potes mihi hac in re fumo oculos præstringere, neq; ex rebus meis aliquid accipere. Ne ergo fortè ignorans in aliquod crimen incidas, quænam sim tibi declaraui. Oportet enim aduersus stolidos, tanquam cane & accipitre vti animi elatione, & in tempore eorum superbiæ in ipsos immittere. Tunc certè iudex cùm hæc accepisset, se excusauit, & eam adorauit: & iussit eam absq; vllo impedimẽto cum sanctis viris versari.

Melania Romana sub Valente.

Melania monachis subministrat necessaria.

VITA RVFFINI PRESBYTERI. Sect. CIII.

Palladius Origenista, & Gennadius, & Cassianus Pelagianis fauentes multis laudibus Rufinum extulerunt: at S. Hieronymus Rufinum tanquam hæreticum perpetuò insectatus est, cuius iudicium cum ipsa Romana ecclesia nos etiam probare par est. sic enim inquit S. Gelasius Primus in Romano Concilio 70. Episcoporum. Sed quoniam beatus Hieronymus eu aliquibus Rufinum de arbitrij libertate notauit; illa sentimus quæ beatum Hieronymum sentire cognoscimus. Et non solum de Rufino sed etiam de vniuersis, quos vir sæpius memoratus zelo Dei & fidei religione reprehendit. Hæc S. Gelasius. Rufini res simcerissime ex probatis auctoribus excerptas exhibent tibi Tomus 4. & 5. Annal. Eccles.

HÆc, postquam hi fuerunt reuocati, monasterio ædificato Hierosolymis, viginti septem annos versata est in Hierusalem, habens conuentum virginum circiter sexaginta. Cum qua vixit etiã nobilissimus & moribus simillimus & fortissimus Rufinus ex Aquileia ciuitate Italiæ: qui postea dignus est habitus presbyteratu: quo non est inuẽtus inter homines nec doctior nec mitior. viginti autem & septem annis excipiebant eos qui veniebant Hierosolyma voti causa, & episcopos & monachos & virgines, & omnes qui aduẽtabant, suis fouebant expensis. Iuuerunt quoque habitum qui est secundum Paulinum, circiter quadringentorum virorum vitam monasticam agentium. & omnem hæreticum ex Pneumatomachis, hoc est ex iis qui bellum gerũt aduersus sanctum spiritum, persuasum introduxerunt in ecclesiam: & clerum qui erat in eo loco, & donis & alimẽtis honorantes, sic vitam transegerunt, neminem offendentes, sed omnem propemodum orbem terræ iuuãtes: Atque de admirabili quidem & sancta muliere Melania superiùs quidem narraui attingendo leuiter: nihilò secius autem reliqua, vel potiùs ea quæ teneo memoriã de eius virtutib⁹, adiexam oratione, nempe inenarrabilem religiosissimę mulieris beneficentiam, per quem cũ beatum incorruptionis indumentum suis texuisset laboribus, & quæ non potest marcescere gloriæ coronam, suis pecuniis, proprio suo capiti fabricata esset & induisset cum multa fiducia hinc excessit ad Dominum. Me ergo incipientem narrare præclara huius beatæ facinora, si volo dicere quæ scio, tempus deficiet. Quantam quidem opum materiam ea cõsumpsit in egentes, cœlesti correpta desiderio, non arbitror flãmam ignis si in copiosam inciderit materiam, tantam posse exurere. Hoc autem non est meum solum narrare, sed etiam eorum qui Persidem & Britanniam, & omnes habitant insulas. Beneficiorũ enim & largitionũ huius immortalis fœminæ nõ Occidẽs, non Oriens, non Septẽtrio fuit expers, nec meridies. triginta enim & septem annos hospites excipiẽs, illis ea quæ erãt vsui suis præbuit sumptibus, ecclesiisq; & monasteriis & hospitiis & carceribus, & vt semel dicam, nullus ex iis qui eam conuenit, non est aliquã partẽ eius opum consecutus, suppeditantibus ei consanguineis, & ipso filio, & curatoribus quotannis pecunias. Fa autẽ eùm in hospitalitate adeò perseuerauerit, ne palmũ quidem terræ possedit. Non abstracta est à cupiditate filij, non eam diuitiæ à charitate in Christi vnigeniti filij desiderium. Sed eius precibus adolescens & ad summam peruenit doctrinam, moribúsque fuit ornatissimus, claróque & illustri fuit matrimonio coniunctus, & mundanos est honores consecutus: qui duos quoque habuit filios, qui testarentur iustum matrimonium. Multis itaque post annis cùm de neptis statu audisset, & eam nupsisse, & velle seculo renunciare: verita ne fortè in aliquam malam abriperentur doctrinam, vel hæresim, vel malã vitam, anus sexaginta annos nata nauem ascẽdit, & Cæsarea nauigans viginti dierum spacio Romam venit. Atque illic quidem cùm esset, beatissimum virum maximæ æxistimationis clarissimum Aprianum, qui erat gẽtilis, catechesi instituit, & Christianum fecit, persuasítq; vt contineret etiam cum sua vxore, eius autem sorore, Auita nomine. Cùm autem suam quoque neptem confirmasset Melanium vnà cum eius marito Apriano, & catechesi instituisset Albinam nurum suam vxorem autem sui filij: & persuasisset his omnibus vendere quę habebant, Roma eos eduxit: & ad honestum ac tranquillum vitæ portum deduxit. Et sic depugnauit aduersus omnes bestias, nẽpè eos qui erãt ordinis senatorij, & eorum vxores prohibentes eam renunciare reliquis suis ædibus. Christi autem ancilla eis dicebat; Filij, plusquam

CXVIII. Ruffin⁹ cuius meminit Augu. passim & Socrates cap. 1. lib 2. Nicep lib. 10 cap 18. & Cassian. lib de Incar. 7. vbi eũ appellat Christianæ philosophiæ virum haud contemnendũ, de quo qui plura desiderabit legat præfationem nostrã in eius opera quæ nuper edidimus. Votum Hierosolymitanum.

Sabellianos notat Macedonianos & Marathonios, qui πνευματομάχοι dicti sunt. Soc. lib 2. ca 45 Melaniæ beneficentia.

Aprianus.

Continentia coniugum.

1. Ioan. 2.

quadringentis ab hinc annis scriptum est, Vltima hora est. Quid ergò lubentes ac volentes immoramini in vanitate vitę? ne fortè veniant dies Antichristi, & non possitis frui vestrix opibus, & rebus maiorum vestrorum? Cúmque omnes his verbix liberasset, duxit in Siciliam: cúmque reliqua omnia sua vendidisset, & precium accepisset, duxit Hierosolyma, & cùm facultatex diuisisset, intra quadraginta diex dormiit in bona senectute & summa mansuetudine, & veneranda memoria: relicto etiam monasterio Hierosolymis & sumptibus monasterij. Postquam autem hi omnes Roma abscessissent qui catechesi instituti fuerant à beata Melania, barbarica quędam procella, quæ etiam in prophetiis iam olim posita fuerat, in Romam irruit, & nec æneax quidem statuas reliquit in foro, sed omnia barbarica diripienx insolentia corrupit: adeò vt Roma quæ mille & ducentis annis pulcherrima fuerat & frequentissima dirueretur, fieretque deserta, & vt ait Sibylla, ῥύμη hoc est vicus, non Roma. Tunc qui catechesi fuerant instituti, & ei maximè aduersati, Deum laudauerunt qui rerum mutatione persuasisset incredulis, quòd aliix omnibus redactix in seruitutem, eæ solæ saluæ fuerint familiæ quæ Domino fuerunt holocausta studio beatæ Melaniæ.

Roma iuxta Sybillam diruta sit vicus.

VITA PARVÆ MELANIÆ.
SECT. CIIII.

CXIX. Melanion.

NOn est autem iustum vt iunioris quoque in carne Melaniæ vitam despiciamus, & neptis magnæ Melaniæ tantam virtutem tacitam prætereamus, quæ longè fortè præstat prudentibus & studiosis vetulix. Hanc ergo ætate iuuenem, pietatis autem sententia vetulam, parentes inuitam nuptum dedêre, eam iungentes matrimonio viro vrbis Romæ primario. Hæc semper stimulata auiæ suæ narrationibus, tantum fuit sauciata, vt matrimonio non posset inseruire. Cùm autem ei nati essent duo filij masculi: iique decessissent, tantum eam cepit odium matrimonij, vt dixerit marito suo Pipiano filio Seueri qui erat ex Præfectis: si volueris quidem mecum cohabitare vt ratio dictat temperantiæ, & te Dominum agnosco, & profiteor meam vitam esse in tua potestate. Sin autem hoc tibi graue videtur vtpotè iuueni; res omnes meas tibi habe, & solum sine me esse liberam, vt satisfaciam meo quod est ex Deo desiderio, facta hæres eius quæ est ex Deo virtutix meæ auiæ, cuius etiam nomen gero. Si enim vellet nos Deus degere in hoc mundo, & frui rebus mundanix, non filios mihi natos accepisset immaturus. Cùm autem lõgo tempore inter se cõtenderent, Deus postea misertus adolescentis, ei quoque zelum immisit religionis, vt ipse quoque mundi vniuersæ renuntiaret terrenæ materiæ, adeò vt impletum fuerit quod scriptum est ab Apostolo: Quid enim scis mulier an virum seruabis? Vicesimo ergo suæ ætatis anno mundo renunciat. Et primum quidem omnia sua serica super humeralia tegumenta dedit altaribus, reliqua autem serica indumenta cùm conscidisset, res diuersas fecit ecclesiasticas. Argentum autem & aurum cùm credidisset cuidam Paulo presbytero monacho, id per mare misit ad Orientem. Atque Ægypto quidem & Thebaidi decies mille nummos: Antiochiæ autem & eius partibux nummos decies mille: Palestinæ nummos deciex mille distribuit. Ecclesiis autem quæ sunt in Occidente, & monasteriis, & xenodochiis, & omnibus egentibus per se ipsam suppeditauit, & suppeditat his quadruplo plura. Liberauit autem seruorum qui voluerunt octo millia. Reliqui enim noluerunt, sed maluerunt manere cum fratre eius. Omnes autem possessiones quas habuit in Hispania, & in Gallia, & in aliis ciuitatibus, cùm vendidisset, eas ad tres vsque nummox distribuit. Quæ autem habebat in Sicilia, Campania, & Aphrica, sibi reliquit vt suppeditare posset monasteriis & egenis. Hæc est sapientia in primis religiosæ, & quæ mentem senilem susceperat de pecuniæ materia, Melaniæ iunioris. Hęc autem erat eius exercitatio: Post diem vnum comedebat. In principio autem post quinque, variè ancillis suis seruiens: quas etiam secum vnà reddidit exercitatricex. Iam verò ipsa quoque multox ex suis cognatis docẽs ad zelum diuinum, fecit vt similiter atque ipsa religiosè Deum colerent. Hæc est vita iuuenis Melaniæ per Dominum nostrum Iesum Christum.

Narrationibus auiæ stimulatur iunior Melania.

1. Cor. 7. Renunciare mundo. Ornamenta altaris.

Melanion quomodo sua distribuerit.

DE ALBINA.

HAbebat autem secum quoque matrem Albinam, quæ similiter exercetur, & similiter rursus seorsum dispergit suas pecunias. Habitant itaque in agris, aliquando quidem Siciliæ, aliquãdo verò Campaniæ cum eunuchis quindecim, & virginibus & ancillis. CXX.

Albina de hac & multis sequentibus vide tom. 1. & 2. Epi. D. Hieron.

DE OPIANO.

SImiliter autem Opianus quoque eius quondam maritus, nunc autem in opere virtutis adiutor vnanimis, qui exercetur cum triginta monachis, & legit diuinas scripturas, hortòque colendo est intentus, & congressionibus. Non paruo autem nos honore affecerunt cùm Romam venissemus propter beatum Ioãnem episcopum, nox reficientes, & abundantissimis viaticis excipientes, accersentes æternam vitam Domini nostri Iesu Christi, & optimæ vitæ institutionis. Ad eum accessit vir proconsularis, nomine Pammachius, qui cùm mundo renunciasset, vitam egit optimam, & suas opes partim viuux dispersit, partim autem moriens reliquit pauperibus. Similiter etiam quidam nomine Macarius ex Vicaria. Constantius quoque assessor Præfectorum Italiæ, insignes viri & eruditissimi, qui peruenerunt ad summũ pietatis & religionis, quos existimo adhuc nunc quoque esse in carne, optimam instituendæ vitæ rationem exercentes, beatámque vitam & nulli exitio obnoxiam expectantes. Inter quos fuit etiam Paula Romana mater Toxotij, vxor N. ad spiritalem vitæ institutionẽ accommodatissima. Cui impedimento fuit Hieronymus quidam Dalmata. Nam cùm posset superare multas, ne dicam cunctas, vt quæ ad vitam ex virtute gerendam esset optimo ingenio prędita, eam sua inuidia impediit, ipsam trahẽs ad scopum proprium. Cuius filia nunc quoque exercetur in Bethleem, nomine Eustachium: quam ego nõ conueni. Dicitur autem esse temperatissima, habens conuẽtum quinquaginta virginum. Inueni autem Veneream Ballomeci comitis filiam, quæ onus cameli rectè dispersit, & liberata est à vulneribus quæ oriuntur ex materia. a Et beatam Theodoram Tribuni filiam, quę ad tantam processit egestatem possessionum, vt ipsa eleemosynam accipienx sit mortua. In monasterio Hiesicha propter mare, noui mulierem. b Vsiam, longè in omnibus honestissimam. Et eiux sororem c Adoliam, quæ ipsa quoq; vixit in virtute, & non pro eius quidem dignitate, sed pro suarũ virium facultate vixit in zelo Dei. Noui autem etiam Basianillam Candiani ducis exercitus filiam, quæ ipsa pio & alacri animo virtutem exercuit, & in hodiernum vsque diem certamina acriter exequitur. Et Photinam virginem summè honestam: filiam Theodisti presbyteri in Laodicea. Vidi autem Romæ quoque Asellam honestam Dei virginem, quæ honestè cõsenuit in monasterio, mulier longè mitissima, & quæ retinebat conuentus, in quibux vidi & viros & mulieres in cathechesi recenter institutos. Vidi etiam beatam Auitam Deo dignam cum eius marito Priniano, & eorum filia Eunomia, in omnibus Deo benè placentes, vt apertè facilè traducti fuerint à dissoluta & voluptaria vita ad honestam & continentem vitæ institutionem, in his quoq; digni habiti vt in Christo dormirẽt, ab omni quidem peccato liberi, perfectè in honesto certamine decertantes, in bona memoria vitam suam relinquentes. In ciuitate Ancyra, sunt multæ quidem aliæ virgines, nempè ad decem millia, duo autem vel plura, quæ exercentur,

CXXI.
De Pammachio. CXXII.
De Macario. CXXIII.
De Constantio. CXXIIII.
De Paula Romana. CXXV.
De Eustachio. CXXVI.
Quid fuerit odio Origenista Palladium S. Hieronymum & S. Paulam ineptissime garrire? Quorum sanctitate tanto clarior, quanto Palladij nequitia detestabilior.
De Venerea. CXXVII.
a De Theodora cap. 5. li. 17. Niceph. cum viriti habitu monasticum vitam egisse, illatamque de infante calumniam patienter scribit tulisse.
CXXVIII.
b De Vsia. CXXIX.
c De Adolia. CXXX.
De Photina De Asella. CXXXI.
De Auita. CXXXII.

& in omni virtutis institutione militant, omnésq; temperantiæ legibus claræ & insignes fœminæ, & diuinum certamen studio exequentes. Inter quas principatum obtinet in pietate Magna honestissima fœmina & probissima. Quam nescio quid sim nominaturus, virginem, an viduam. A matre enim vi viro coniuncta, eum tamen variis mescans dilationibus, & corporis morbos prætexens, à corruptionis vicio & integra & intacta permansit, vt dicunt eius necessarij. Cúmque paulò pòst decessisset eius maritus omnium simul facta est hæres vnica, & temporalibus deinceps commutans æterna, totam seipsam Deo obtulit, summè curam gerens vitę quę semper manet, suis famulis honestè imperans, agens vitam laboriosissimam & plenam temperantia, in cógressu tã seuera vt ipsum eius aspectũ reuererentur etiam excellẽtissimi episcopi propter insignem pietatem & religioné. Atq; ipsa quidem superuacaneã & nimiam opum materiam, possessionum vacuitatis igne cõsumpsit, quæ autẽ supererant ea cõstituit ad subministrationem monasteriis, ptochotrophiis, xenedochiis, pauperibus trãseuntibus, episcopis, orphanis, viduis, & omnibus egentibus suppeditans auxilium, non cessabat hilariter operari pietatem latẽter & per se & per seruos fidelissimos, ab ecclesia non recedens noctu maximè: in omnibus in virtute se exercens propter spem eius quæ verè est vita.

De Magna. gaaav.

Opum optima largitio.

DE VIRGINE QVÆ EXCEPIT Athanasium episcopum.

Totam hanc narrationem de virgine S. Athanasium sex annos occultante, fide mutare magnis ostenditur argumẽtis Tom. 3. Annal. Eccles. anno Christi 356. cap. 85. & seqq.

CXXXV. Virgo Alexa. D Athanasium celante. Sozom. lib. 5 cap. 6. Niceph. li. 10. cap. 6.

NOui ego Alexandriæ virginem, quam offendi natã circiter septuaginta annos. Ei clerus vniuersus dabat testimoniũ, quòd cùm esset iuuenis nata annos circiter viginti, & longè formosissima, fugiebatur ab iis qui erãt studiosi virtutis propter pulchritudinẽ, ne inureret eis aliquam labem ex suspicione. Quãdo ergo accidit vt Arriani struerent insidias beato Athanasio Alexandrino episcopo per Eusebiũ, qui erat eo tempore præpositus sub Constantio Imperatore, nefariorum criminum eum accusantes & calumniãtes: vitãs iudicari à corrupto iudicio, apud neminẽ ausus est delitescere, nõ apud cognatum, non amicum, non clericum, nõ apud aliquẽ alium, sed repentè episcopatum ingressis præfectis ministris & eum quærentibus, accepto suo Stichario & cereo media nocte cõfugit ad hãc virginem. Illa autem fuit rei nouitate obstupefacta. Dicit ei episcopus, Quando quidem quæror ab Arrianis nefariorum criminum ab eis accusatus: Ne ergo & ego veniam in malam existimationem, & in peccatum coniiciam eos qui me volũt afficere supplicio, ea de causa fugere cõstitui: Mihi ergo Deus reuelauit hac nocte me apud nullum aliũ posse esse saluum, nisi apud te. Illa ergo præ magno gaudio omni eiecta dubitatione, cùm tota esset Domini, prompto & alacri animo occultauit sanctissimum episcopum sex annos, quandiu vixit imperator Cõstantius, ipsa & eius pedes lauans, & excrementa expurgans, & in aliis quæ erant ei vsui inseruiens, librósq; ei commodans & præbens. neque vllus sex annos nouit Alexandriæ, vbinã ageret beatus Athanasius episcopus. Postquã ergo fuit annonciata mors imperatoris Constantij, & peruenit ad eius aures, honesto & venerabili habitu indutus rursus noctu fuit inuentus in ecclesia. Quem videntes omnes magna sunt affecti admiratione, vt qui ipsum viuum accepissent ex mortuis, simul etiã postulãtes eius amici de latebris quæ ab eorum ignoratione inueniri non poterant. respondit itaque beatus Athanasius germanis suis amicis, Ea de causa ad vos non confugi, vt verè iurare possetis, & aliòqui etiam propter inuestigationem ad illam confugi de qua nemo suspicari poterat, vtpotè formosam & iuniorem, duo bona procurans, & illius salutem: illi enim profui, & meæ existimationi & securitati.

Sticarium est interior alba vestis sacerdotalis.

Miram virginis obsequium in Athanasium.

Athanasius redit ad suos.

VITA AMMÆ TALIDA.

CXXXVII. Amma Talida.

IN ciuitate Antinoi sunt fœminarũ monasteria duodecim. In quibus conuenit etiam Amma Talida, quæ octoginta annos fuerat in exercitatione, vt narrabat ipsa & eius vicinę. Vnà cum ea, habitabant sexaginta adolescentulæ. Eam autem adeò diligebant, vt ne esset quidem clauis aulæ monasterij, vt in aliis: sed ipsa ab eius amore detinerentur. Eò autem impatibilitatis processit anus, vt cùm ego essem ingressus & consedissem, ipsa quoque ingressa sit, & vna mecum sederit, & magna libertate meis humeris manum imposuerit.

VITA AMMÆ TAOR.

CXXXVIII. Amma Taor, μαφόριον.

IN hoc monasterio erat virgo huius discipula, nomine Taor, quæ triginta annos versata erat in monasterio. Ea vestem nouam aut μαφόριον, aut calceum noluit accipere, dicens; Non est mihi opus ne etiam cogar progredi. Aliæ enim omnes die dominico progrediuntur in ecclesiam grana communionis: Illa autem in monasterio manebat pannis obsita, operi assiduè assidens. Ea autem fuit tam eleganti aspectu, vt parum abesset quin etiam valdè constantes deciperentur eius pulchritudine, nisi insigne præsidium habuisset temperantiam, quæ ad metum & verecundiam deducebat honestate impudicos oculos.

DE VIRGINE QVÆ renonciauerat.

CXXXIX. Martyr hîc dicitur qui breui futurus erat martyrium vt alias ex Tertull. & Cyp. annotauimus. Martyrium autem est oratorium dedicatum in honorẽ martyris.

ERat quædam mihi vicina, cuius vultum quidem non vidi. Nunquam enim, vt aiunt, est progressa ex quo renunciauit. Cùm autem implesset sexaginta annos in exercitatione cum matre sua propria, erat postea vita excessura. Ad eam autem accedens martyr qui erat in eo loco nomine, Collothus, ei dicit: Hodie es itura ad Dominum, & visura sanctos omnes. Veni ergo & prande nobiscum in martyrio. Cùm ergo manè surrexisset, & se induisset, & in sporta panem accepisset & oliuas, & minuta olera, post tot annos est egressa: & cùm venisset in martyrium, orauit, & cùm toto die obseruasset tempus in quo nullus erat intus, & sedisset, rogauit martyrem dicens, Benedic cibos meos, Colluthe sancte. & me in via comitare tuis precibus. Cùm ergo comedisset & rursus orasset, domum venit circa occasum solis. Et cùm dedisset matri suæ opus Clementis Stromatei in prophetam Amos, Dixit ei: Da id episcopo relegato. Et dixit ei, Ora pro me, Vado enim ad Dominum meum, decessit ipsa nocte. Cúmque nec febri laborasset, nec ei caput doluisset, sed seipsam ad sepulturam composuisset, in manus Dei emisit spiritum.

DE VIRGINE QVÆ LAPSA est, & egit pœnitentiam.

CXL. Cantor decipit virginem.

QVædam virgo exercitatrix manens cum duabus aliis virginibus, se exercuit nouem vel decem annis. A quodam autem cantore inescata cum eo habuit stupri consuetudinem, & cùm vtero concepisset peperit. Cùm autem in summum odium venisset apud eum qui ipsam deceperat, in profundo compunctus est animo, & ad eam peruenit mensuram pœnitẽtiæ, vt in ea perseuerans se fame vellet occidere, hoc cum lacrymis orans, Deúmque rogans, & dicens: Deus magne, qui omnium nostrum peccata portas, & immensum totius mundi vitium, qui non vis mortem peccatorum & eorum qui labuntur interitum, sed misereris vniuersæ creaturæ. est enim voluntas tua vt omnes seruentur. Si ergo me quoque quæ pereo vis esse saluam, in hoc mihi tuam ostẽde bonitatem, & nunc tua ad me perueniant mirabilia, & iube hinc abduci fructum meæ iniquitatis. Nam nisi hoc

Oratio pœnitentis.

fiat:ego hac de causa vel me laqueo suffocabo, vel meipsam disperdam. Cùm sic oraret, fuit exaudita. Nam qui natus fuerat infans non multò post decessit. Ab illo ergo die non amplius conuenit eum qui ipsam redegerat in seruitutem, sed se totam insigniter dedens continentiæ ægrotis mancisque ac mutilatis seruiens triginta annus, ita Deum placauit, propiciumque reddidit; vt quidam sancto presbytero reuelaretur illam Deo magis placuisse in pœnitentia quàm in virginitate. Hæc autem scribo, ne eos qui multa peccant, & ex animo ac sincerè agunt pœnitentiam contemnamus, sicut hæc beata quæ cor suum contriuit, & in humilitate vitam suam liquefecit, non despecta fuit à Domino eorum qui ducuntur pœnitentia.

Pœnitens Deo gratior iusto.

DE FILIA PRESBYTTERI & Eustathio diacono.

CXLI.

Lector iniustè accusatus de stupro.

CViusdam presbyteri filia virgo in Cæsarea Palæstinæ lapsa, ab eo qui ei vitium attulerat docta fuerat, vt quendam ciuitatis lectorem calumniaretur: & quòd corrupta esset in eum culpam conferret. Cùmque ferret ventrem, à patre suo examinata, nominauit lectorem. Hoc cùm audisset presbyter, conturbatus retulit ad episcopum. Hoc cùm audisset episcopus, conuocauit concilium sacerdotum, fecitque vocari lectorem, déque eo habuit quæstionem, rem examinans. Rogatus autem ab episcopo rem non fatebatur lector: Nam quod factum non fuerat, quomodo dici poterat? Ægrè ergo ferens episcopus, grauissima voce ei dicebat, Non fateberis lapsum tuum, vt agens pœnitentiam ô infelix, & plene immundiciæ? Respondebit lector, Rogo te: Dixi id quod res est, hanc rem ad me nihil pertinere. Planè enim culpa careo, vt qui de ea ne cogitauerim quidem: Sin autem vultis audire id quod non est, dicam, Feci. Hoc cùm ipse dixisset, deposuit eum episcopus ab officio lectoris. Post hoc cadens ad pedes episcopi, rogauit dicens: Si hoc tibi visum est Domine episcope, vt quoniam dixi, Næ, lapsus sum, sim separatus à communione, & non sim dignus esse clericus tuæ sanctitatis, iube vt mihi ab hoc tempore ea detur in vxorem: Neque enim ego sum deinceps clericus, neque illa virgo. Cùm hæc audisset episcopus & presbyter eam tradidit pater eius lectori: sperans fore vt iuuenis benè esset in eam affectus, & alioqui credens non posse eum excindi è consuetudine. Cùm eam autem adolescens accepisset in manus ab episcopo, & eius patre, eámque esset consulatus, abduxit & deposuit in monasterio mulierum, rogans eam quæ illic erat prima ministra fraternitatis, vt eam illic tolerarent vsq; ad partum eius. Illa verò relicta in monasterio, lector abiés seipsum inclusit in cella sordida, vitæ summam suscipiés asperitatem, ad Christum accedens in corde contrito cū multis lacrymis & gemitibus. Tu Domine meas actiones nosti, qui scis omnia, quem nihil latet, neque est vllus locus occultus in quo quis se abscondat à tua quæ omnia aspicit potestate, qui vides omnia priusquā fiant. Tu solus vides profunda cogitationum, & omnis mentis conceptio à te cernitur, perindè ac si aspiciatur oculis. Tu cùm cogitatorum sis acer examinator perfectè iudicas. Tu es qui eos arguis, qui appetuntur calumniis, cui nihil placet iniustum. Omne autem momentum stateræ iustitiæ est à te semper, qui es lux ad quam non patet aditus: & omne opus hominis est coram te. Est ergo tui iusti & immutabilis iudicij, ius quoque meum pronunciare. Efficaciter autem orante adolescente, & in ieiunio diligenter perseuerante, intra breue tempus adfuerunt dolores eius partus. Cúmque aduenisset hora, adfuit etiam iustum Dei iudicium, afferens vehemētem & intolerabilem dolorem ei quæ fuerat calumniata, gemituum immensa multitudo, labores partus inenarrabiles, inferni suppliciorum visiones terribiles, hanc miseram fortiter obsidentes, & infans propter magnitudinem non prodibat ex vtero. Præteriit dies primus & secundus, & dolores erant intolerabiliores. Aduenit tertius & quartus, & secutus est dolor multis partubus grauior: Quintus & sextus & septimus tenebrosus, & infelix mulier ex multo dolore versabatur in inferis. In omnibus his diebus māsit neque omninò cibū sumens, nec tantillum somnum videns, sed luctibus & grauissimis dolorum tormentis succedentibus, post hęc omnia, viciatæ & falsæ accusatricis cor inflexibile, victam à Dei potestate quæ non cadit sub aspectum, intolerabilibus doloribus addidit etiam confessionem, lugubri voce exclamans: Hei mihi misera, venio in periculum ne peream, vt quæ in duo mala inciderem, nempe in calumniam & fornicationem, & amissa virginitate sum tradita detractioni: & cùm mihi sit ab alio allatum vitium, accusaui lectorem. Cùm hæc autem audissent virgines monasterij, patri eius omnia renunciarunt. Pater autem veritus ne condemnaretur vt calumniator, siluit duos dies: rursus autem misera, se inuicem excipientibus acerbis affligebatur doloribus, cùm non posset deinceps vel viuere vel mori. Cúmque id effugit, oritur dies octauus, & rursus nonus, grauissimis perpetuarum vertiginum tenebris eam offuscantes. Cùm ergo eius magnos eiulatus non ferret conuentus, hę cursum festinantes renunciant episcopo, iam esse nonum diem ex quo illa confitetur se accusasse lectorem, nec posse parere, quod ipsum sit calumniata. Episcopus autem cùm hæc audisset à virginibus, ad lectorem mittit duos diaconos, ei omnia significans, & vt pro ipsa oraret, vt misera mulier liberaretur ab iis necessitatibus. Egregius autem adolescens, neque eis dedit responsum, nec aperuit ostium, sed a quo die ingressus est in cellam, non exiit, implés consuetam regulam ieiunij, & Deo preces fundens. Flexus autē patrei, & filiæ sinę misertus, veniens ad episcopum, eum valdè rogauit, vt pro ea orationes fierent in ecclesia. Et cum pro ea preces fusæ essent ab omnibus ad Dominum, ne sic quidē misera liberata est à necessitate. Eius enim qui per calumniam fuerat accusatus, orationes Dominum mouentes, arcebant, ne eorum preces admitterētur. His sic gestis surgens episcopus iuit ad cellam in qua erat lector, & cùm pulsasset ostium, nolebat is aperire. Cū diu autem foris fuisset episcopus, ille autem intus, iubet episcopus tolli ostium, & ingressi inuenerunt adolescētem in oratione perseuerantem, & humi procumbentem. Quem multum rogans episcopus, ei dicit, Frater Eustathi lector, in apertum prolata calumnia Dei prouidentia, & exauditis tuis orationibus, miserere eius quæ in te peccauit, quæ tormentorum flagellis fuit excruciata. Miserere deinceps miseræ, & surgens solue quod ligasti, precibus enim hæc patitur, & dic Domino vt eam liberet à partu ventris. Cùm autem inclitus lector intensè oraret simul cùm episcopo, statim misera liberata est à necessitate, enixa infantem, rogans omnes vt ei remitteretur iniquitas ipsius iusti intercessione: & illum egregium virum habuerunt omnes deinceps loco martyris. Nam cùm se deinceps liberasset ab omni solitudine, peruenit ad summum vitæ quæ ex virtute agitur, adeo vt is sit dignus habitus spiritali gratia. Hęc autem scripsimus, ne quis calumniatus alloqueretur his inimici retibus, & incidat in dolores carnis intolerabiles, sicut hæc priùs scripta est falsa accusatrix, postquam autem à corpore fuerit liberatus, tradatur æternis intolerabilibus tormētis, & quæ nunquam desinent. Deum enim ad iram prouocat is qui calumniatur. Qui autem per calumniam accusatur, idque fert pio & æquo animo, & eius in apertū prolationem permittit precibus, expectans iustum Dei iudicium, sicut hic à Christo coronatus, is & quoad eius fieri potest, laudetur & in honore habetur, & æternam coronam consequitur. Discamus ergo quàm sint insuperabiles vires orationis, quæ & fideles confirmat, & peccatorū miseretur, & flectit ac monet omnium creatorem, & eos coronat qui se ex virtute rectè gerunt, & eis qui in ea perseuerant, largitur regnum cœlorum.

Oratio iniustè delati.

Puerpera cogitur purgare stupri quē falso accusauerat cuiusmodi fi-

mile quidpiam Cassiod. 8. hist. cap. 14. & Niceph. li. 17. cap. 25. de Simeone.

Episcopus ipse etiam pergit ad cellam lectoris Eustathij.

Precib' lectoris eripitur misera à partus doloribus.

Qui calumniam patitur expectet Dei iudicium.

VITA SANCTÆ SILVANIÆ.

CXLIII. Siluania. CXLIII.

ILlo tempore contigit vt nos simul nauigaremus ab Ælia in Ægyptum, deducentes beatam Siluaniam virginem, vxorem autem fratris Rufini, qui fuit ex Præfectis. Inter quos erat etiam nobiscum Iubinus tunc quidem diaconus, nunc autem episcopus ecclesiæ Ascalonis, vir pius & eruditus. Cùm autem vehementissimus nos æstus inuasisset, & peruenissemus Pelusium, accidit vt Iubinus accepta pelui, pedes & manus palmis lauaret aqua frigidissima, & postquam lauisset, super pelliculam humi stratam requiesceret. Cùm autem illa id aduertisset, vt mater sapiens germani filij eius increpauit mollitiem, dicens: Qui in animum inducis, illam agẽs ætatem viuente adhuc tuo sanguine vsque adeò tuam fouere carunculam, non sentiens damna quæ ex eo oriuntur: Cõfide, confide, ecce ago annum ætatis sexagesimum: Præter extrema manuum mearum, non pes meus aquam tetigit, non vultus, neque vllum ex membris meis, etiamsi me variæ inuaserint ægritudines, & cùm à medicis cogerer vti balneo, non induxi in animum carni reddere debitum, non in lecto quiescens, non lectica vsquam gestata ingrediens. Hæc cùm esset doctissima, doctrinam amore complexa, noctes mutabat in diem, omnia antiquorum qui commentarios ediderunt scripta percurrens, Gregorij, & Stephani, & Pierij, & Basilij, & quorumdam aliorum præstantis virtutis virorũ viginti quinque myriadum, nõ leuiter, nec temerè hæc percurrẽs, sed elaboratè septies vel octies vnumquemq; librum perlegẽs, vt horũ verborũ gratia in altũ erigeretur, spe bona seipsam autem efficiens spiritalem, & ad Christum euolans, immortales ab ipso acceptura remunerationes.

Siluaniæ austeritas.

Siluaniæ studium.

DE OLYMPIA.

CXLIIII. Olympias comitissa. Soz li. 8. ca. 24. Niceph. li. 13. cap. 24.

EIus vestigia est secuta, & omnem virtutem diuinæ vitæ spiritualis, in primis venerãda & honesta Olympias, & quæ vitæ quæ ferret in cœlum summo zelo tenebatur, diuinarum scripturarũ sententiã secuta in omnibus. Fuit autẽ secundum carnem filia Seleuci ex comitibus, vera autẽ Dei filia secundum spiritum: neptis autem Ablaoij qui erat ex præfectis, aliquot autem dies sponsa Nebridij qui fuit ex Præfectis Constantinopolis. Ipsa autem reuera fuit vxor nullius. dicitur autem dormisse virgo incorrupta, effecta diuini verbi coniunctrix, coniunx autem totius veræ humilitatis, communicans & ministrans omnibus egentibus. Ipsa cùm omnes illas infinitas & immensas dispersisset diuitias, absolutè & indiscriminatim opem ferebat omnibus. Non enim vrbs, non rus, non solitudo, mansit expers largitionum huius inclitæ virginis, Sed & ecclesiis suppeditauit ad donaria deputata sacrificia: & monasteriis, & cœnobiis, & xenotrophiis, & custodiis, & relegatis: & vt semel dicam, in omnem orbem terræ dispersit eleemosynas. Hæc beata processit vsque ad extremum terminum humilitatis: vltra quem nihil possit inueniri amplius, vita sine vlla inani gloria: species nequaquam ficta, benigni mores, facies non fucata, corpus florens, mens non gloriosa, animus ab arrogantia alienus, cor minimè turbulentum, somni expers vigilia, spiritus non curiosus, charitas immensa, quæ comprehendi non potest communicatio, vilis & contempta vestis, infinita continentia, recta cogitatio, in Deum spes æterna, cum eleemosyna quæ non potest narrari, ornamentum omnium humilium, cui multæ sunt accensæ tentationes ex operatione eius, qui est sua sponte malus & omnis boni expers, nempè Dæmonia: quæ pro veritate non parua adiit certamina; quæ & diu affatim vixit, in immensis lachrymis: Omni humanæ naturæ subiecta propter Dominum: cum omni pietate sanctis subdita episcopis, venerans presbyteratũ, honorans clerum, tenerens exercitationem, suscipiens virginitatẽ, opem ferens viduitati, curam gerens orbitatis, protegens senectutem, ægrotos inuisens, peccatorum miserens, errantes in viam deducens, in omnes vtens misericordia, profusè autem in pauperes, multisque infidelium in catechesi institutis vxoribus, etiam ad victum eis ferẽs auxilium, semper memorabile nomẽ benignitatis reliquit per totam vitam. A seruitute in libertatem innumerabilium seruorum restituens examina, reddidit eos honore æquales suæ nobilitati: vel potius, si vera dicere oporteat, facti sunt hoc sancto habitu nobiliores. Neq; enim eius indumentis inueniri potuit quidquam vilius. Nam iis etiam qui sunt pannis valde obsiti, indigna erant huius sanctæ tegumenta. Tanta autem erat eius mansuetudo, vt etiam longè superaret simplicitatem ipsorum puerorum. Nulla vituperatione à vicino quidem vnquam inuenta est apud hanc quę Christum gestabat, sed omnis eius vita non vitalis, erat in compunctione & frequenti profluuio lachrymarum, & potiùs videre licebat fonti æstate sua deficere fluenta, quàm huius non sublimibus & Christum semper videntibus oculis lachrymas deficere. Et quid in his immoror? Quo enim magis meus versabitur animus in duræ instar saxi animæ narrandis certaminibus & virtutibus, eò magis inuenientur verba à factis remotiora. Nec me existimet aliquis hæc splendidè & magnificè colligere de hac vel maximè impatibili, & perquirere reliquias totius Olympiadis, quæ fuit pretiosum vas sancti spiritus: sed qui his oculis viderim huius beatæ vitam & angelicam institutionẽ, vt qui fuerim spiritualis huius germanus amicus, & eius cognatis familiarissimus: adeo vt multæ eius pecuniæ sint à me ex eius sententia distributæ. Hæc ergo non amplius de cætero quæ sunt carnis sapiens, subiecta principatibus, obediens potestatibus, venerans presbyteratum, honorans vniuersum clerum, confessione quoque digna est habita pro veritate, importunorũ maledictorum multis acceptis procellis. Cuius vitam inter confessores referunt, quicunque pij habitant Constantinopolim: vt quę proximè matrem periclitata sit in iis quæ sunt ex Deo certaminibus: & in his mortua beatam accepit gloriam, & in infinito seculo coronata pompam agit, nulli interitui obnoxiam, cum sanctis & sibi similibus, in sempiternum mansiones habitans, & bonorum operum à Christo Domino cum fiducia accipiens remunerationes.

Niceph. li. 13. cap. 24. viginti mẽses cũ marito vixisse scribit: quo defuncto omnẽ substantiam egentibus distribuerit.

Laudes Olympiadis. Cibus & somnus Insidiatores pudicitiæ.

Seruos redemit Olympias.

Huic vel D. Ioannes Chrysostomus abiturus in exilium vale dixit, eiusque se commendauit precibus. Niceph. cap. 20. li. 13. & cap. 24. beatæ Olympiadis sepultura miraculo eligitur, cuius reliquiæ varias sanationes operantur, dæmones expellũt, quorum vnus mulieris talo incumbebat.

DE CANDIDA.

CXLV. Candida. Ornatae Ecclesias.

POst hanc æquali quoque modo in Domino viuens, beata Candida, Traiani vxor ducis exercitus cùm & ad summam peruenisset honestatem, & rationi conuenienter ornasset ecclesias, & venerata esset episcopos pro dignitate Christi sacramentorum, & omnem Christi clerum apertè honorasset, & suam filiam instituisset in sorte virginitatis, eam præmisit ad Christum donum suorum illium: postea autem ipsa quoq;, temperantia & castitate & pecuniæ dispersionibus filiam suam est consecuta. Hanc ego vidi egregiam mulierem tota nocte laborantem & molentem, & propriis manibus facientem panẽ oblationis, ad vires corporis deprimendas: & dicẽtem: Cùm non sufficiat ieiunium, hanc ei do sociam laboriosam vigiliam, vt Esau dissolutam, eneruémque lasciuã. Ea ab iis quæ sunt sanguine prædita & animata omninò abstinuit, nisi quòd sumebat pisces & oleum & olera: idque solum in die festo. Omni autem alio tempore contenta erat oxycrato & pane arido. In hac vitæ asperitate, cùm beata requie obdormisset hæc mulier inclyta, nunc fruitur bonis æternis, quæ sunt parata iis qui dilexerunt vitam quæ ex virtute agitur.

Abstinentia à carnibus.

DE GELASIA.

CXLVI. Gelasia ad hanc extat D. Hieronymi epistola.

COnsequenter zelo huius bonæ fœminæ, veritatis viam ingressa est, piè trahens iugum virginitatis, in primis veneranda Gelasia, cuiusdam Tribuni filia. Huius optimæ hæc fertur virtus, quòd sol nunquam oc-

Iratum

[A] cidit super eius dolorem, non aduersus seruum, non aduersus ancillam, non aduersus aliquem alium. Hæc beata cùm effugisset viam eorum qui sunt acceptæ iniuriæ memores, quæ fert ad mortem æternam, euasit hunc malum diaboli stimulum, nempè odij & maleuolentiæ, & cùm desideraret æternam peccatorum remissionem, remisit parua delicta, vt ipsa quoque inueniret maiorum remissionem.

DE IVLIANA.

CXLVII. Iulianæ huius obliti sunt Euseb. lib. 6. & Nicæ cap. 14. & 18 lib 5. Liber Origen carmine scriptus.

QVædam nomine Iuliana, virgo in Cæsarea Cappadociæ, dicta est esse & doctissima & fidelissima, quę Origenem scriptorem fugientem gentilium insurrectionem excepit, eum duos annos occultans suis sumptibus, & suo ministerio virum alens. Inueni autem hæc [B] in antiquissimo libro scripto versibus, qui quidem scriptus erat manu Origenis. Hunc librum inueni ego apud Iulianam virginem in Cæsarea, qui apud ipsam erat occultus. Dicebat autem se accepisse à Symmacho interprete Iudæorum. Non fuit autem alienum ab instituto opere, posuisse virtutes harum fœminarum, sed vt sciamus, quòd ex diuersis occasionibus licet lucrari, si velimus.

DE FOEMINA NOBILISSIMA quæ fuit semper virgo.

CXLVIII. Liber Hippolyti. Huius Corinthianæ virginis & aliorũ qui mira arte pudicitiam seruarunt historias recenset Niceph. lib. 7. cap 13. & Suidas de Hypatia. Tentatur Virgo. Baal consilio prostituebent gẽtiles quos tormentis corrumpere nõ poterãt clamantes non ad leonem sed ad lenonem. Tertul. apol. cap. v.

IN alio libro antiquissimo, scripto ab Hippolyto, qui fuit familiaris apostolorum, inueni talem narrationem. Fuit quædam nobilissima virgo & formosissima, [C] quæ in vita ex virtute agenda exercebatur Corinthi. Hanc illo tẽpore detulerunt ad iudicem, qui erat gẽtilis in tempore persecutorum, vt quæ maledictis incesseret, & tempora, & imperatores, & simulachra. Proponebãt autem eius pulchritudinem harum rerum cauponatores, impio iudici fœminas insano amore depereunti. Is verò, equinis auribus, & fœminas insanè amãtibus cogitationibus, accepit calumniã. Ea autem producta ad hominẽ sceleratum, multò magis insana captus est intẽperantia. Postquã autem omnibus aduersus eam adhibitis machinis huic Dei homini persuadere nõ potuit: variis tormentis subiecit fortem fœminã. postquã autem ne in his quidem id quod volebat est assecutus, vt qui nõ posset eam abducere à Christi confessione: in eam insaniens [D] crudelis, non tradit eam tormentorum cruciatibus, sed castam & temperantem fœminam ponens in prostibulo, iussit ei qui eas possidebat, dicens: Hanc mihi cape: & tres nummos ex ea ad me defer quotidiè. Is autẽ aurum exigens ex turpi actione, eam tradidit volentibus in officina abominandi flagitij. Cùm hæc ergo nouissent qui tenebantur insano amore mulierum, assidebant sceleratæ exitij officinæ, mercedem dantes inhonestę operationis. Illa autem virgo honestissima & in primis veneranda, & verba declinans quæ possent ad fraudem pellicere, suppliciter eis dicebat, rogans: Habeo vlcus in loco occulto quod mirãdum in modum malè olet, & timeo ne vos mei odium capiat propter vlcus auersandum. Concedite ergo mihi paucos dies, & tunc licebit vobis vel [E] me habere gratis. His verbis persuasos intemperantes amandabat beata. Assiduis autem precibus Deum placãs, & compunctus supplicationibus eum inflexit ad misericordiam. Attendens ergo Deus qui nouit cogitationes, quomodo casta pudicitiæ curam gerebat ex animo, in illis diebus pro salute omnium tale quid struxit. Quidam adolescens Magistrianus, specie formosus, mente pius, cui Deus zelum immisit spiritalem adeò ardẽtem, vt etiam mortem contemneret: Is cùm prætextu intemperantiæ eo accessisset, profundo vespere ingreditur ad eum qui illas alebat, & dat ei quinque nummos, & dicit ei: Concede mihi manere hac nocte cum hac puella. In locum ergo occultum cum ea ingressus, dicit ei, Surge, serua te ipsam. & cùm eam suis vestibus induisset, tunica,

CXLIX. Magistrianus adolescens formosus seruat virginem.

[A] camisia, & chlamyde, & omnibus virilibus, dicit ei, Egredere, te summa chlamydis parte contegens. Quæ cùm sic fecisset, & se totam signo crucis muniisset, egressa ex illo loco omnino incorrupta & impolluta, seruata est Christi gratia, & causa adolescentis qui eam suo sanguine liberauit à turpi vicio. Sequenti autem die res fuit cognita: & productus est Magistrianus ad sæuissimum iudicem. Cùm autem strenuum Christi athletam examinasset impius, & omnia didicisset, iussit eum obiici bestiis, vt etiam malis infestus dæmõ in eo afficeretur ignominia. Nam cùm existimasset virum fortem in nefarium inijcere supplicium, eum effecit duplicem Christi martyrem, vt qui & pro sua anima præclarè decertauerit, & pro illa beata in laboribus strenuè perseuerauerit. Quocirca duplici honore & duabus coronis dignus est habitus à Christi benignitate.

Crucis signum tempore apostolorum.

Martyrium Magistriani.

DE VXORE VIRI SENATORII.

CL.

MEmini autem alterius quoque historiæ, & bonum est eam non præterire. Dicitur de Magnẽtino insurrectore, quòd habuerat stupri consuetudinem cum multis gẽtilibus: & animum adiecerat vt rem etiam haberet cum Christianis. Eæ autem malebant mori, quàm prodere pudicitiam. Cùm ergo venisset in vnam vrbem amauit quandam vxorem viri senatorij ex Præfectis. Timore autem affectus eius maritus dixit ei, Mitte, tolle eam. Cùm autem venissent ad eam milites, dixit eis mulier, Expectate parumper donec mundum meum componam, cui sum assueta. Ingressa autem suum cubile, [C] accepto ense, eum suis infixit visceribus. Audiant virgines & erubescant, quæ profitentur se Christum habere spõsum, & praua eum produnt libidine. Nobis autem det vnicuique Deus seruare virginitatem, & exultantibus clamare cum psalmographo. Confige in timore tuo carnes meas: A iudiciis enim tuis timui. &c, Viuo autem iam non ego: viuit verò in me Christus. Concedatur autem vt vos quoque dicatis sobriæ: Ego patrueli meo & patruelis meus est mihi, aliquando quidem sponsus, aliquando verò frater: vt nihil cogitetur carnale. Si enim audieris spõsum & sponsam, significat spiritalem vnionem cum patre. Vidimus autem alios quoque patres & monachos per totam Ægyptum, multas virtutes & signa facientes: quorum non meminimus propter multitudinem, sed pauca pro multis narrauimus. [D] Quid enim dixerit aliquis de superiori Thebaide quæ est per Syenẽ: in qua sunt viri valdè admirabiles, & multitudo monachorum infinita, quorum non crediderit aliquis vitæ instituta, vt quæ vitam humanam superant: qui etiam mortuos in hodiernum vsque diem suscitant, & super aquas ambulant, sicut Petrus: & quidquid Seruator per sanctos effecit Apostolos, ea nunc quoq; efficit. Sed quia magnum imminebat periculum, si vltra Lyco transiremus, propter latronum irruptionem, non ausi sumus videre illos sanctos. Neq; enim prædictos patres vidimus sine periculo: neq; sine labore aspeximus sacras has fœminas: sed multa priùs passi, & propemodum periclitati, vix assecuti sumus, vt ea videremus. Septies enim in mortem incidimus. In octauo autem malum nos nõ at[E]tigit, cùm Deus nos omnino seruasset. Semel enim quinque dies & noctes ambulantes per solitudinem, fame & siti propè fuimus exanimati. Aliquãdo autem in acutas & asperas paludes incidentes, & pedes nostros perforãtes, vt dolores essent intolerabiles, propemodum frigore enecti sumus. Tertio autem, cœno ad lumbum vsq; inhæsimus, & non erat qui eriperet: & has beati Dauid voces exclamauimus, Saluũ me fac Domine Deus, quoniã ingressæ sunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in lutum profundi, & non est substantia: &, Serua me à luto, vt ne infigar. Quartum autem fuit aquæ multitudo, quæ affluxit ex Nili incremento, cùm quatuor dies per aquas ambularemus, & in ostiis propemodum abrupti. Tunc clamauimus, dicentes, Ne nos demergat tem-

Mulier se ense transfigit ne stuprũ pateretur, talium exempla refert Aug. lib 1. Ciuit. Euseb. li. 8. & Nic. li. 7. cap 12. Psal. 118. Galat. 2.

Eremitarũ Thebaidis miracula. Quinis periculis peregrinatus est Palladius.

Psal 68.

pestas aquę: nec me deuoret profundum. Quinto autem incidimus in latrones in litore maris, venientes in Diolcon: qui nos etiam eousque sunt persecuti voletes comprehendere, donec nobis paruus relinqueretur spiritus, vt qui nos decies mille passus essent persecuti. Sexto autem, Nilum nauigātes, propemodum euersi ac submersi sumus. Septimum fuit, quando in palude Mareotide, vbi charta nascitur, abiecti sumus in quandam paruā insulā desertā: & tres noctes & dies sub dio mansimus, magno frigore & imbribus nobis imminentibus: erat enim tēpus Epiphaniorum. Octauum autem supernacaneum quidem est narrare: sed tamē est vtile. Nam cùm nos per quendam locum venissemus Nitreas, erat in ea regione quoddam magnum concauum, in quo multi remanserant crocodili, cùm aqua recessisset ex agris. Tribus ergo crocodilis in margine fossæ extensis, accessimus visuri beluas putātes eas esse mortuas. Illæ autem statim in nos irruerunt. Nobis autem magna voce Dominum nominantibus, Christe adiuua nos, statim beluæ tanquam ab angelo auersæ, seipsas in aquam sunt iaculatæ. Nos autem Nitreas magno cursu contendimus, illā vocem Iob meditantes, vbi dicit: Septies ex necessitatibus liberabit te, in octauo autem te non attinget malum. Deo ergo agimus gratias, qui nos ex tot liberauit periculis, & nobis magna ostendit spectacula.

Mareotidis lacus. Epiphania. Iob. 5.

VITA FRATRIS QVI CVM eo versabatur.

CLI. Sodalis Palladij.

CVm ergo pauca dixero de fratre qui mecum versatur à iuuentute vsque in hodiernum diem, hic deinceps finem imponam orationi. Eum ego cognoui longo tempore cùm comederet, omni gulæ affectione caruisse, & itidem cùm ieiunaret, affectū non fuisse, vt qui, vt arbitror vicisset affectionem: longè remotum ab auaritia, contentum præsentibus: non se ornātem vestibus: contemptum gratias agentem: pro germanis amicis pericula adeuntem: Dæmones expertum plus quàm millies: adeò vt quodam die cum eo dæmon pactus sit & dixerit, Paciscere mecum te vel semel peccaturum: & quam mihi in hac vita dixeris, eam ad te adducā. Et rursus cùm aliquando quatuordecim noctes cum eo depugnasset, vt mihi narrauit, & noctu traxisset, ipsum est allocutus dicens: Noli adorare Christum, & ad te non accedam. Is respondens dixit: Propterea eum adoro, & innumerabilibus amplius partibus glorifico, & adorabo, quoniam hoc te malè habet. In centum & sex venit ciuitates, & in plurimis est etiam aliquo tempore versatus. Mulieris nullam habuit experientiam ne in somnis quidem, nisi si se somniaret belligerari. Ter eū noui escu-

Dæmonis pactio Semel peccaturus.

A lenta accepisse ab angelo: Quodam die eùm in extrema solitudine ne micam quidem haberet, inuenit in pelle ouina tres panes calidos paxamidios: aliquando rursus vinum & panem: Aliquando rursus venit ad eum vox, dicens; Noui tibi deesse cibos: vade & accipe ab N. frumentum & oleum. Cùm ergo venisset ad illum ad quem missus fuerat, is ipsi dixit, Iussit quidam te accipere triginta modios frumenti, & duodecim sextarios olei. De eo potero gloriari ac prædicare qualis esset: quem noui sæpè esse lachrymatum propter eos qui ex necessitate laborabant inopia. Præbebat ergo si quid habebat, carne excepta. Noui etiam eum esse lachrymatum propter eū qui ceciderat in peccata, & eum qui ceciderat adduxisse B lachrymis ad pœnitentiam. Is mihi aliquando hoc narrauit. Deum rogaui, vt neminem compungeret maximè ex diuitibus & improbis, vt mihi aliquid darent quod esset ad vsum necessarium. Mihi autē hoc sufficit, quòd dignus sim habitus, qui horum omnium meminissem quæ scriptis mandaui. Non enim sine Dei numine hoc factum est, vt mens tua moueretur vt iuberet me hunc librum scribere, scriptis, inquam, tradere vitam horum virorum. Tu autem, fidelissime Christi serue, ac venerāde Lause, & caput mihi amicissimum & maximè germanum, hunc librum libenter legens, magnam tuæ immortali animæ præbebis vtilitatem in iustorum resur- C rectione, inclitorum rectæ vitæ athletarum instituta, labores, & tantam tolerantiam, vitæque duriter actæ patientiam assumens. Quamobrem ea prompto & alacri animo sequere, bona & incorrupta spe nutritus, semper retrò videns dies qui antè sunt breuiores: & ora primæ; teipsum conseruans alienum à reprehensione, & custodiens integrum: qualem te noui & habui, à consulatu Tatiani vsque in hodiernum diem: & qualem te rursus noui meliorem moribus, & electum præpositum in cōseruando maximè pio cubili. Nam cùm tu in tanta dignitate in tot & tantis pecuniis, & tanta potestate, non fecisti peius quàm Dei postularet metus. Is est Christo D dedicatus qui audiit à diabolo: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Sed eum Dominus pudore affecit, dicens; Vade post me. Quem quidem tu quoq; imitans, fluentibus expulsis diuitiis, & adumbrata gloria vitæ præsentis cœlestem desiderasti & incorruptam vitam regnumque æternum, & manentem gloriam, & bona arcana quæ neque oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. Quorum nos Dominus efficiat hæredes cum sanctis eius patriarchis & prophetis, & apostolis & martyribus, & iis quorum mentionem fecimus in hoc libro, gratia ipsius Seruatoris nostri Iesu Christi, cum quo Patri gloria cum sancto Spiritu, In sæcula sæculorum. Amen.

Pellicea Vestis Hos Paximadios panes appellat paximacia Cassiā col. 2. cap. 19. erant vix vnius libræ & bis cocti nō mutuandi, hinc mutuādo, bis coctum significat. Conclusio libri. Mat. 4.

ABBATIS IOANNIS MOSCI, COGNOMENTO EVIRATI, PRATVM SPIRITVALE,

CVM ADDITIONIBVS D. ALOYSII VERON. EPISCOPI CONTRA OMNES HÆRESES.

Aloysius Lipomanus Episcopus Veronensis, sincero Lectori.

LIBER hic, quem in tertia huius septimi Tomi parte legendum exponimus, Pratum spirituale nominatur, ex Græco Latinus per doctum virum Ambrosium Camaldulensem monachum redditus, quem adhuc typis excusum non nisi vernacule, atque ea Italica lingua habuimus. Tanta autem spiritualium flosculorum amœnitate refertus est, vt in Paradisi deliciis ortus esse videatur. In eo siquidem antiquorum monachorum, & aliorum patrum Deo ex intimis præcordiis feruentium redolet vitæ splendor, regularis disciplinæ obseruantia pudicitiæ, & continentiæ norma, victus, & vestitus parsimonia, contra hæreticos inuicta constantia, in ieiuniis, vigiliis, & orationibus assidua perseuerantia, & erga Dominum Iesum Christum eximius, & inæstimabilis amor, quinetiam admirabilia quædam, ac Spiritu sancto plena responsa, quæ legentium mentes spirituali quadam dulcedine perfundunt, sanctarum denique mulierum inuicta fides, castitas incomparabilis, & felix earum in Deo consummatio. O si tales modò inueniremus milites Christo feruentes, quàm illustris, quàm splendida, quàm decora esset Ecclesiæ nostræ facies, quam adeò deiectam, & obsoletam, ac supra pelles Salomonis, atque Moysi Æthiopissam (proh dolor) denigra-

ram conspicimus. Quod autem libro huic integra fides præstari possit, nec inter apocrypha censeatur, facit duorum amplissimorum Patrum Græcorum testimonium, quorum alter est Photius Patriarcha Constantinopolitanus, alter Ioannes Damascenus, qui in fine primi libri, quem pro imaginibus scripsit, quoddam mirabile factum, quod in hoc libro describitur, narrat, hac nota præmissa, ἐκ τοῦ λειμωναρίου τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν Σωφρονίου ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων. hoc est, Ex paruo prato sancti Patris nostri Sophronij Archiepiscopi Hierosolymorum. Ioannes præterea Diaconus, postea Romanus Pontifex, in quarto libro, quem de beati Gregorij vita scripsit, caput 63. huius voluminis mentionem fecit, dum mirabile illius sancti Pontificis factum recenset, sic inquiens: Sed ne solo verbo tanti præsulis humilitas inculcari credatur, superest, vt ex Græcorum relationibus ad me nuper interpretatis eadem patris humilitas vitiis operibus demonstretur, in quibus videlicet ita refertur; Enarrauit nobis Abbas Ioannes Persa, sanctus, & venerandus vir existens: & cætera, quæ sequuntur, prout in Prato hoc spirituali capite 151. habentur. Sed quod his omnibus maius est, in secunda Nicæna synodo, quæ pro cultu venerabilium imaginum contra Iconoclastas celebrata est, Actione quarta ita legitur: Eustachius venerabilis monachus presbyter, & Præses mansionis Maximi dixit: Et ego, patres sancti Sophronij patris librum affero continentem multorum sanctorum vitas: & si placet, adducatur. Sancta synodus dixit, legatur. Stephanus itaque monachus acceptum librum legit, Eiusdem patris nostri Sophronij è Limonario. Dixit Theodorus Abbas Æliotes quod erat quidam inclusus: & cætera. Vbi totum caput 45. quod in hoc libro habetur, ad verbum redditur. Nihil est ergo quod de fide libri ambigere possis. Verum, scio statim moueberis, & dices: Quæ adduxisti pro libri commendatione, magnum scrupulum menti iniiciunt, namque tam Damascenus, quàm Synodus librum Sophronio Patriarchæ Hierosolymitano inscribunt, tu verò sub nomine Ioannis cuiusdam Euirati ad Sophronium Sophistam illum scribentis euulgas. Quomodo ergo hæc conuenire possunt inter se? Dubium sanè haud contemnendum, & quod me ipsum quoque prima fronte valde commouit. Sed profundius postea cogitanti omnis dubitationis caligo perfacilè dimota est. Scriptor libri prorsus Ioannes Anachoreta fuit. Id tibi ex capite 77. voluminis ipsius liquidò cõstare poterit. Photius quoque hunc ipsum authorem libri Ioannem Moschum (natione fortasse) fuisse asserit, cuius cognomen Interpres Latinus forsan Euiratum reddidit. Verum Sophronio his de causis attribuitur. Vel quia ad ipsum pro charissimum socium inscribitur, vt quemadmodum & Rhetoricorum Ciceronis ad Herennium, & eiusdem ad Atticum epistola ad Herennium, & ad Atticum libri nuncupantur, sic Sophronij liber hic dicatur, quia ad Sophronium dirigitur, atque ex eo maximè quod ad vsum illius imprimis conscriptus est. Namque author ipse in epistola, quam libro præmittit, fatetur se ex hoc prato coronam Sophronio cõtexuisse, ac per eum aliis deinceps obtulisse. Seu quia in hoc libro dicta, & gesta ipsius Sophronij pro maiori parte continentur. Nam is totius itineris libri huius authoris fuit individuus comes, & quæcunque ambobus ambulantibus occurrerunt, vel quærentibus respondere contigit, diligentissimè descripta sunt. Quare etiam hæc verba sæpissimè iterata videbis: Venimus ego, & Dominus meus Sophronius sophista ad Abbatem talem: & cætera. Et ideò semper etiam plurali locutione vtitur dicens: Perreximus, accessimus. Vidimus. Narrauit nobis senex monasterij dux. Per quæ omnia conspici datur, scriptorem nunquam solum fuisse in his, quæ narrat, perquirendis. Sicut ergo Platonis Phædrus, Timæus, Gorgias, & Parmenides; & Tullij liber de senectute, Cato maior inscribuntur, à personis, quæ ibi colloquentes, & disputantes inducuntur, quid obstabit huic libro, quin Sophronij dicatur, cum in eo is ambulãs, visitans, sperans, interrogans & respondens, vbiq; ferè asseratur? Aut demum ex illa causa Sophronio ascribitur, quoniam vnà cum Ioanne prædicto conscriptor (vt ita dicam) fortè eiusdem libri fuit. Lege huius voluminis caput 77. & in eius principio ita scriptum reperies: Ego, & Dominus meus Sophronius perreximus ad Philosophi Stephani domum doctrinæ gratia: & cætera. Deinde in fine eiusdem capitis hoc modo scriptum legitur: Ista cùm audiuimus, innuit mihi Dominus meus Sophronius, & recessimus, & dixit mihi: Verè, Abba Ioannes, hodie nihil vltra studeamus: satis enim ædificati sumus. Hæc ergo scripsimus, vt & vos pariter ædificemini. Vna ergo ex his rationibus, seu potius omnibus simul accedentibus, iure, meritóque liber iste Sophronij nomine inscriptus videtur. Nec te moueat, quod in hoc libro Sophronius hic nõ appellatur Hierosolymorum Patriarcha: Sed Sophista. Nam vocabulum hoc non in malam olim partem, sicut fit modò passim, sed in bonam accipiebatur, nec aliud designabat, quàm sapientem, & prudentem hominem: qualis fuit & Libanius ille, ad quem multæ Magni Basilij epistolæ directæ fuerunt, ipsum maximis præconiis efferentes. Potuit ergo vir iste primo & Monachus esse, & Sophista nuncupari, inde vero ad sanctam Hierosolymorum sedem assumi ex qua, tanquam digniori loco, postea denominationem acceperit. Quo autem tempore viri hi, qui librum conscripserunt, claruerint, pro certo non habetur. Verum cùm magni Gregorij Romani Pontificis huius nominis primi factum narrent, & synchronorum Cæsarum, videlicet Anastasij, Tiberij, Mauritij, & Zenonis mentionem faciãt, & in sexta Synodo hic liber adducatur, coniectura assequi possumus, circa annũ Domini sexcentesimũ, illum fuisse conscriptum. Lege ergo lubenti animo, & fide certa opus istud, candide lector, cuius exemplum ex Apostolica Bibliotheca accepimus, & ita mores, & vitam tuam ad eius lectionem compone, vt talium, tantoriúmque virorum, quos hic descriptos inuenies, dignus æmulator existas, postmodum verò eorum cõsortio in æterna beatitudine fœliciter adiungare. Quod tibi, & mihi Dominus præstare dignetur, & omnibus, qui Dominum Iesum diligunt in synceritate. Vale.

Idem Miraculum in olio libris, Hæreticorũ dolo vitiat, legitur eiusdem Syn. Act. 5. in quo citantur consequenter huius lib cap. 42. & 180.

IOANNES EVIRATVS DILECTO SVO IN CHRISTO SOPHRONIO SOPHISTÆ.

PRatorum faciem verno maximè tempore esse iucundissimam, fili charissime, perspicuum omnibus est, quam scilicet omnigenum florũ grata varietas efficit, intuentium in se prouocans aspectũ, ac prætereuntes detinẽs, ipsosq; variè pascens. Namque arridet oculis, ac mulcet olfactum. Huius verò patris pars rosarũ rubore vernat, pars item albescẽs liliis, ab aspectu roseo tuẽtes ad se facilè aduocat. Alia item ex parte violæ rutilãt, coloréq; suo purpurã Regis imitantur. Prorsusq; varius, ac differẽs florũ innumerabiliũ aspectus, atq; fragrãtia, vndiq; gratiam pullulat. Huiusmodi præsens quoq; opus arbitrare, sancte, ac fidelissime fili Sophroni. Quippe reperies in eo virtutes sanctorum virorum, qui temporibus nostris claruêre, ac iuxta Psalmistæ sententiam, Secus decursus aquarum plantati sunt. Qui cùm omnes Deo accepti maximè, gratíque fuerint, alius tamen alio virtutis genere magis decoratur, atque ex hac suaui varietate virtutum, grata venustas, amœnáq; facies surgit. Ex his ego flores pulcherrimos decerpens, coronam tibi ex immarcessibili, ac perenni prato contexui, fidelissime, eámque tibi, ac per te omnibus offero. Quamobrem præsens quoque opus Pratum appellare placuit, propter oblectationem, suaue olẽtiam, & vtilitatem, quam ex eo legentes capient. Virtus enim, vitæ, morúmque honestas est, ad quam non sola diuinarum rerum meditatio, fidésque recta ducit, verùm & aliorum conuersatio, vitáque virtutibus plena in scriptis tradita.

Quacirca hoc mihi negocium assumpsi confidens in Domino, fili charissime, idque vestræ charitati persuasum esse cupiens, quia apis in morem, vtilia quæque, ac verè proficentia, sanctorum patrum rectè facta pro animarum lucro descripsi.

VITA SANCTI SENIS IOANNIS, ET DE SPELVNCA SAPSAS. CAPVT I.


Rat senex quidam habitans in monasterio Abbatis Eustorgij, Ioannes nomine, quem sanctus Elias Archiepiscopus Hierosolymorum voluit Ducem monasterij constituere. Ille verò non acquiescebat dicens: In montem Sina orationis causa pergere volo. Archiepiscopus autẽ cogebat eum, vt prius Abbas fieret, & postea pergeret, quò vellet. Cũ verò senex nõ acquiesceret, dimisit eũ spondentem, se postquam reuersus esset, suscepturum regiminis curam. Et ita, salutato Archiepiscopo, iter arripuit, vt ad Sina montẽ proficisceretur, assumpto secum & discipolo suo. Transuadatóq; Iordane fluuio, cũ vix vno lapide processissent, cœpit senior rigore detineri, ac post paululum inuasit eum febris. Cũ verò in tãtum excresceret ardor febris, vt ambolare nõ posset, inuenerunt speluncã paruulam, in quã ingressi sunt vt requiescerent. Cùm verò febris ita inualesceret, vt se via mouere posset, in ipsa spelunca tres dies commorati sunt. Tum senex in somnis aspexit quẽdam astantem sibi, & dicẽtem: Dic senex, Quo ire vis? Respõdit: In mõtem Sina. Dicit ei: Ne, quæso, ne recedas hinc. Cùm verò seni id persuadere non posset, abscessit. Febris verò seni acriùs infesta erat. Rursus nocte sequenti idem seni astitit eodem habitu, & ait: Quid, senior, affligi vis? Audi me, & nusquã hinc proficiscaris. At illi senex: Tu quisnã es? Respondit is, qui apparuerat: Ego [1] sum Ioãnes Baptista, & ideò tibi iubeo, vt nusquam recedas. Nã spelunca ista breuis, maior est monte Sina. Quippe in hãc sæpiùs Dominus noster Iesus, cùm me visitaret, ingressus est. Pollicere ergo mihi, quòd hic habitabis, & ego mox tibi [2] sanitatẽ restituo. Quod senex audiens, libenter spopondit, se in eadẽ spelunca permansurum. Et continuò sanus effectus perseuerauit ibidem toto vitæ suæ tempore. Speluncam verò illam fecit ecclesiam, cõgregauitque fratres. Appellatur autem locus ille Sapsas.

1 *Si sancti apparent hominibus, non sunt mortui, vt quidam dicunt, sed maximè coram Deo viuunt.*

2 Et ego mox tibi sanitatem restituo. *Vides, quod Sancti in virtute Dei miracula faciunt, & sanitates conferunt.*

De Sene, qui in propria spelunca pascebat leones. CAP. II.

FVit in eodem loco Sapsa, commorans in speleo senex alius tantæ virtutis, vt leones secum in eadẽ spelunca susciperet, atque cibum eis in suo sinu præberet.

Vita Cononis Presbyteri Monasterij Penthucula. CAP. III.

CVm in Monasterium sancti patris nostri Sabæ profecti fuissemus ad Abbatem Athanasium, narrauit nobis senex dicens: Cùm essem in monasterio Penthucula, presbyter quidam erat ad baptismi ministeriũ, Conon nomine, Alexandrinus genere, quem pro vitæ merito Patres iusserãt, vt baptizaret accedentes. Ipse igitur [1] sancto Chrismate vngebat, & baptizabat eos, qui ad hoc veniebant. Quoties ergo mulierem inungeret, scandalizabatur, atque ideò ex monasterio abscedere volebat. Cùm autem ea cogitatione pulsabatur, assistebat ei sanctus Ioannes Baptista dicens: Tolera, & perseuera, & ego te ab hoc bello liberabo. Quadam verò die venit puella ex Perside, vt baptizaretur, quæ ita speciosa erat, ac tantæ pulchritudinis, vt non posset presbyter nudam eam sancto oleo inungere. Cùm sic verò puella illic mãsisset duos dies, audiens hoc Archiepiscopus Petrus, obstupuit de sene vehemẽter, voluitq; ad hoc opus delegare Diaconissam mulierem, sed id non fecit, ne contra [2] Canones fecisse videretur. Conon verò presbyter, sumpto melote suo, recessit dicens: Iam non amplius in hoc loco manebo. Cùm ergo exisset ad colles, ecce sanctus Ioannes Baptista obuius illi factus est, & tranquilla voce [3] affatus est illum dicens: Reuertere ad monasterium tuum, & hoc te bello leuabo. Abbas verò Conon ait illi A cum indignatione: Verè non reuertar. Ecce enim iam toties pollicitus es mihi istud, nec fecisti. Tunc sanctus Ioannes eum sedere fecit, amotisque vestimentis eius, signauit eum ter signo Crucis sub vmbilico, dixitque ei: Crede mihi, presbyter Conon, volebam te pro hac pugna mercede donari: sed quia non vis, ecce abstuli à te hoc bellum: mercede autem huius operis carebis. Reuersus Presbyter in cœnobium, vbi baptizare consueuerat, in crastinum vnctam puellam baptizauit, neque penitus animaduertit, eam esse mulierẽ. Impleuit autem & alios annos duodecim in baptizandi ministerio tanta tranquillitate animi, & corporis, vt nullum vltra sentiret carnis motum, cùm inspiceret, ac tangeret mulieres: Atque in pace consummatus est.

B 1 *Quod presbyter sancto Chrismate baptizatos inungeret, intellige de vnctione in vertice, non autem in fronte. Nam hoc solis competit Episcopis. Ex quo etiam habes, ritus qui ex ecclesia consuetudine in baptismo adhiberi solent, esse seruandos, cuiusmodi est hæc sacra vnctio.*

2 *Vide in quanta obseruatione essent Canones ecclesiastici, etiam apud antiquos illos Patres.*

3 *Ecce quomodo viuens est etiam post mortem sanctus Ioannes Baptista: Habes etiam quomodo sancti miracula faciunt in virtute Dei. Denique quod crucis signum magnas virtutes operatur.*

Visio Abbatis Leontij. CAP. IIII.

NArrauit nobis Abbas Leontius, cœnobij sancti patris nostri Theodosij Dux, dicens, Postquam fugati sunt ab infidelibus persecutionem passi Monachi C propter nouum monasterium, quod dicitur Laura, illuc ego profectus sum, mansique in eadem Laura. Quodam verò die Dominico descendi in Ecclesiam, vt acciperem sacra mysteria. Ingressúsque vidi Angelum stantem ad dextrum altaris cornu, & magno pauore correptus, reuersus sum in cellulam meam. Et venit mihi vox de cœlo, dicens: Ex quo [1] sanctificatum est altare istud, ego iugiter illi astare iussus.

1 *Vide rem miram pro Altarium consecratione, & quomodo ea antiquis quoque patribus fuit in vsu.*

Relatio Abbatis Polichronij. De tribus Monachis. CAP. V.

ABbas Polichronius eiusdem nouæ Lauræ presbyter, narrauit mihi, dicens: Cùm sederem aliquando in monasterio Turrium Iordanis, vnum illic ex fratribus animaduerti sui ipsius negligentem, & nunquam D sanctæ diei Dominicæ [1] Canonem implentem, post modicum verò temporis eundem aspexi cum omni studio, & alacritate se exercentem. Tunc ego dixi ei: Nunc optimè facis, curam tui gerens, frater. Qui ait mihi: Domine pater, modò moriturus sum. Et post dies tres mortuus est.

1 *Ecce diem dominicum sanctum qui etiam apud antiquos Patres obseruabatur.*

RVrsus idem Abbas Polichronius narrauit mihi dicens: Cùm in eodem monasterio defunctus esset quispiam fratrum, dixit mihi dispensator: Fac charitatem, & veni, vt fratris vasa in locum dispensationis deferamus. Cùm ergo ferre cœpissemus, aspicio dispensatorem flentem, cui dixi: Quid, quæso, ita ploras, Abba? E Quia, inquit ille, hodie fratris vasa fero, & post duos dies alij portabunt mea. Tertiáque die requieuit frater ille, sicut prædixerat.

CAP. VI.

IDem etiam Abbas hoc narrauit, quod cùm esset in monasterio Abbatis Constantini Ducis Monasterij sanctæ Mariæ Dei genitricis, quæ Noua dicitur, audiuit quendam fratrum in Xenodochio Hiericuntino requieuisse, quem cùm accepissent fratres vt ferrent ad monasterium Turrium, & sepelirent, ex quo iter agere cum corpore cœperunt, stella supra defuncti caput quasi [a] comes itineris apparere non destitit, donec ipsum sepulturæ traderent.

2 *Hæc miracula, quæ post Sanctorum obitus contingunt, sanctitati vitæ eorum testimonium ferunt.*

Vita & mors cuiusdam senis, qui recusauit abbas fieri in Monasterio Turrium. Cap. VII.

ALius quidam senex sedebat in eodem monasterio Turrium. Patres igitur eiusdem monasterij ipsum, vt magnum, & virtutibus clarum, voluerunt sibi constituere Abbatem. Senex verò orabat dicens: Ignoscite mihi, Patres, & permittite me flere peccata mea: Ego enim talis meriti non sum, vt possim animarum curam gerere. Negocium istud magnorum & excellentium patrum est, Antonij, Pachomij, sanctique Theodori. Cùm verò fratres illi non acquiescerent, ipsumque diebus singulis orarent, videns se ab eis nimium vrgeri, dixit eis: Permittite, me tribus diebus orare, & quicquid me Deus facere iusserit, faciam. Erat autem Parasceue dies. Dominica verò die manè requieuit.

Vita Abbatis Myrogenis Hydropici. Cap. VIII.

SEnex quidam erat in eodem monasterio Turriũ, Myrogenes nomine, qui ob nimiam [5] austeritatem vitæ hydropicus effectus fuerat. Dicebat autem iugiter his senibus, qui ad eum conueniebant visitandi gratia: Orate pro me, Patres, ne interior homo hydropicus fiat. Ego enim, vt in hac infirmitate diutiùs durem, Deum oro.

5 *Antiqui Monachi vitam austeram ducebant.*

DE hoc Abbate Myrogene cùm audiuisset Hierosolymitanus Archiepiscopus Eustochius, voluit ad eum mittere quæcunque erant necessaria, sed ille nunquam ab eo quicquam consensit accipere. Hoc autem solum illi significabat: Ora pro me, Pater, vt liberer ab æterno cruciatu.

De mira cuiusdam Sãcti patris charitate. Cap. IX.

IN ipso monasterio Turrium senex quidam erat sanctæ [1] nuditatis, & eleemosynę valdè studiosus amator. Quadam ergo die venit pauper ad eius cellulam eleemosynam petens. Senex verò cùm non nisi vnum panẽ haberet, proferens ipsum, dedit pauperi. Tunc dicit ei pauper: Nolo panem, sed indumentum. Volẽs autem senior ornare illum, apprehensa manu eius, introduxit in cellulam suam. Pauper autem cùm illic nihil omnino inuenisset, nisi solùm quod induebat, tanta senis virtute cõpũctus, soluit sacculum suum, & in medio cellulæ, quæcunque habebat euacuans, dixit: Sume ista, senior optimè, & ego alibi quæram, quæ mihi sunt necessaria.

1 *Prisci Monachi sanctæ paupertatis amatores semper fuerunt.*

Vita Barnabæ Anachoretæ. Cap. X.

ANachoreta quidam erat in speluncis Iordanis, Barnabas nomine. Hic die quadam cùm descenderet bibere aquam de Iordane, infixa est pedi eius ex arundine festuca. Permansitque stimulum pedi infixum tenens iugiter, neque passus est, vt eum medicus videret. Itaque computruit pes eius. Coactus verò est ascendere ad monasterium Turrium, sibique vnam cellulam accipere. Porrò pes eius indies putrescebat magis. Dicebat autem his, qui ad eum veniebant, quod quantò magis homo exterior patitur, tantò ampliùs interior viret.

POstquam verò ascendit Abbas Barnabas ex spelunca sua ad Turres, cùm fuisset ibi aliquantulum temporis, Anachoreta quidam alius abiit ad speluncam ipsius, ingressusque vidit Angelum Dei stantem super altare, quod fecerat senior, atque [1] sacrauerat. Aitq; ad Angelum Anachoreta: Quid hic agis? Cui angelus ille: Ex quo sanctificata sunt ista, à Deo ipso mihi credita sunt.

1 *Habes hic quoque altaris consecrationem & mirabilem eius effectum.*

Vita Abbatis Agioduli. Cap. XI.

ABbas Petrus presbyter monasterij sancti Patris nostri Sabæ, narrauit nobis de Abbate Agiodulo, dicens: Cùm is esset Dux monasterij beati Gerasimi, cõtigit fratrem quendam de illic residentibus mori. Quod cùm senex ignoraret, pulsarétque præfectus Canonis signum, quo fratres conuenientes mortuum efferrent, vt vidit senex cadauer in ecclesiæ medio iacere, contristatus est valde, quod non illum salutasset, priusquam migraret à sæculo. Profectúsque secus lectulum, vbi iacebat, ait defuncto: Surge frater, & da mihi osculum. Qui protinus surgens, osculatus est senem. Tum dixit senex: Dormi iam, quousque veniat Christus filius Dei, & resuscitet te.

IDem Abbas Agiodulus cùm transiret iuxta Iordanis ripas, secum animo, & cogitatione voluebat, quid actum fuisset de lapidibus iniectis à Iesu Naue pro his, quos inde sustulerat. Cúmque ista cogitaret, confestim hinc, & hinc diuisæ sunt aquę. Tũc vidit illos duodecim lapides, prostratúsq; [1] humi Deo gratias egit, & recessit.

1 *Prostratus humi gratias egit Deo. Habes orationem cum corporis prostratione.*

Dictum Abbatis Olympij. Cap. XII.

FRater interrogauit Abbatem Olympium presbyterum monasterij sancti Gerasimi, dicens: Dic mihi verbum. Qui dixit ei: Ne sedeas cum [5] hæreticis, & contine linguam, & ventrem, ac vbicunque sederis, dic assiduè: Peregrinus sum.

5 *Semper sancti Patres auersati sunt hæreticos, itaque non est cum eis in aliquo communicandum.*

Vita Abbatis Marci Anachoretæ. Cap. XIII.

DIcebant de Abbate Marco Anachoreta, qui morabatur prope monasterium Penthucula per annos sexaginta tres, quod hanc habuerit virtutem, hebdomadas integras ieiunandi, ita vt putarent quidam, eum sine carne esse. Operabatur [1] autem die ac nocte, & distribuebat pauperibus omnia, neque ab aliquo quippiam accipiebat. De hoc audientes fideles viri, venerunt, vt darent ei agapem, & ait ad eos; non accipio, quia manus meæ nutriunt me, & eos, qui propter Deum ad me veniunt.

1 *Operabantur manibus antiqui monachi, & ex labore ipsi viuebant & pauperibus eleemosynas distribuebant.*

De fratre, Qui à Spiritu fornicationis impugnabatur, & leprosus effectus est. Cap. XIIII.

ABbas Polichtonius rursum nobis narrauit, quòd in cœnobio Penthucula frater quidam erat sibi ipsi valde intentus, & continens. Cùm autem aliquando impugnaretur à spiritu fornicationis, non valens hanc pugnam sustinere, egressus de monasterio, profectus est Hierico, vt concupiscentiæ suæ satisfaceret. Mòxque vt meretricis cellam ingressus est, leprosus [1] factus est totus. Videns autem lepram, continuò rediit ad monasterium, Deo gratias referens, & dicens: Idcircò Deus hac me castigatione percussit, vt anima mea salua sit, & magnificè glorificabat Deum.

1 *Vides ex hoc loco non debere monachum à religione desicere, & institutum suum deserere.*

Factum mirabile Abbatis Cononis. Cap. XV.

DIcebant de Abbate Conone Duce monasterij Penthucula, quòd die quadam cùm iret Betamarim, obuios habuit Hebræos. Qui cùm eum occidere vellent, districtis gladijs occurrerunt contra senem. Cúmque appropinquassent, vibraréntque in eum gladios, manus eorum in sublime suspensæ persliterunt immobiles. Facta verò [5] oratione, soluit eos senex, & dimisit. Et abierunt gratias agentes Deo.

5 *Ecce quomodo sancti orantes, in virtute Dei miracula faciunt.*

Relatio Abbatis Nicolai de seipso, & socijs. Cap. XVI.

SEnex quidam sedebat in monasterio Abbatis Petri iuxta sanctum Iordanem, Nicolaus nomine, qui nobis narrauit, dicens: Cùm essem aliquando in Raythu, missi sumus tres fratres in ministerium in Thebaidem. Cùm ergo per desertũ iter faceremus, errauimus de via, ferebamúrque per eremi latam vastitatem. Deficiẽte verò nobis aqua per aliquot dies, siti arescere cœpimus. Cúmq; iam & siti, & æstu deficientes, progredi vlteriùs non valeremus, inuentis per desertũ myricis, iactauimus nos singuli sub vmbra arborum, expectantes mori præ siti. Prostratus verò in vmbram ego factus sum in extasi, vidiq; piscinam aqua plenam, & circũfluantem, duos autem supra piscinæ labium assistere, vásq; vnum ligneum. Tunc cœpi vnum ex illis rogare, dicens: Fac mecum charitatem, domine, & da mihi pusillum aquæ, quoniam deficio. Ille verò nolebat. Tunc dicit ad eum alter: Da illi modicum. Qui respondit ei, dicens: Non demus ei, valde enim desidiosus est, & negligens fuit. At alter: Vtique sanè negligens est, ac desidiosus, propter hospitalitatem tamen demus ei. Atque ita præbuerunt mihi, & his, qui mecum erant. Mox autem vt bibimus, confortati sumus, & iter agentes tribus diebus alijs sine potu, peruenimus ad loca habitabilia.

Vita Magni Senis. Cap. XVII.

DIcebãt de quodam Magno Sene, qui in eodem monasterio Abbatis Petri morabatur, quod quinquaginta

ginta annos egisset in spelunca sua, neque [1] vinum bibens, nec panem comedens, nisi tantum furfureum. Tertio autem singulis hebdomadibus communicabat.

1 Vino non vtebatur, & panem furfureum comedebat.

Vita alterius senis monasterij Lauræ, qui cum leonibus dormiebat. Cap. XVIII.

NArrauit nobis Abbas Policronius presbyter de alio sene, qui sedebat in eadem Laura Abbatis Petri, quod plerumque abiens in ripa Iordanis commanebat, & vbi cubile leonis inuenisset, & illic dormiebat. Die verò quadam tulit duos leonis [1] catulos intra palliũ suum in Ecclesiam, & dicebat fratribus: Si mandata Domini nostri Iesu Christi custodiremus, ista animalia profectò nos timerent, sed propter peccatum serui effecti, nos illos timere comprobamur. Quare magnificè ædificati fratres, ad mansiones suas recesserunt.

1 Vide Sanctos etiam immanissimis bestiis in virtute Dei imperare.

Relatio Abbatis Eliæ de seipso. Cap. XIX.

B NArrauit nobis Abbas Elias, dicens, Cùm aliquando morarer in partibus sancti Iordanis in speleo iuxta Eunuchorum monasterium, ideò quòd non communicatem Machario Archiepiscopo Hierosolymitano, die quadam circa horam sextam, æstu vehementissimo coquente desuper (erat enim Augustus mensis) pulsauit quidam ostium speluncæ meæ. Egressus verò vidi mulierem, & dixi ad illam: Quid tu hic facis? Et respondens dixit mihi: Et ego, mi pater, eiusdem, quo tu, instituti sum, & quasi vno lapide distat à te spelunca mea. Ostendebat autem & locum quasi ad Austrum. Et ait: Lustraui hanc eremum, & præ æstu nimio sitt fatigata sum, fac ergo charitatem, Pater, & da mihi pusillum aquæ. Itaque protuli vrceum, & dedi ei. Quæ cùm sumens bibisset, dimisi illam. Cùm autem abiisset, cœpit diabolus impugnare me, immittens cogitationes sordidas in eam. Superatus igitur, neque ferens libidinis ardorem, sumpta virga mea, cellam egressus sum in feruore æstus, cùm lapides ignescerent, profectúsque sum ad illam, vt implerem turpem concupiscentiam. Cùm verò fermè vno stadio ab eius adhoc speleo distarem, vrente me grauiter æstu libidinis, repentè factus in extasi, vidi apertam terram, & me hiatu terræ absorptum. Aspicióque illic [1] cadauera putrida iacentia, & resoluta, & incredibili fœtore plena, quendámque reuerẽdi habitus virum ea mihi demonstrantem, ac dicentem: Ecce istud mulieris est, istud viri, istud pueri, fruere tam vt vis, & quantumlibet concupiscentia tua: Huius tamen voluptatis gratia vide quot labores amittere voluisti. Vide propter quod peccatum vos ipsos priuare vultis Regno cœlorum. Væ humanæ miseriæ. Propter vnius horæ voluptatem tanti laboris mercede frustramini. Ego autem præ nimio fœtore in terram corrui. Tunc accedens vir ille venerabilis, qui mihi apparuerat, erexit me. Et gratias agens Deo reuersus sum in locum meum.

1 Ecce quàm mirabili visione voluit Deus sanctum virum à peccato seruare, omnésque monachos edocere, non debere eos institutum suum deserere carnis concupiscentia tentatos.

Conuersio cuiusdam Militis ad miraculum Dei in se factum, cuius etiam vita compẽdiosè describitur. Cap. XX.

NArrauit nobis quidam Patrum, accepisse se à quodam milite, quod cùm bellum in Africa gererent Romani cum Mauritanis, victíque fugarentur à Barbaris, ac plurimi illorum passim cæderentur, ipsum quoq; vnus ex Barbaris nactus, hastam, vt illum feriret, vibrare cœpit. Quod ille cùm cerneret, orare Deum cœpit, ac dicere: Domine Deus, qui apparuisti ancillæ tuæ Theclæ, & eripuisti eam de iniquorum manibus, libera & me de hac necessitate, & salua ex hac acerba morte, mox [1] ibo in eremum, & agam vitam solitariam. Conuersus autem neminem ex Barbaris vidit. Itaque continuò venit ad hanc Lauram Calamonis, & ...

NArrauit nobis quidam Patrum ...

Mors Anachoretæ, & eius interfectoris. Cap. XXI.

ABbas Gerontius Præpositus monasterij sancti Patris nostri Euthymij, narrauit mihi, & Sophistę Sophronio dicens: Tres simul eramus trans mare mortuũ, ambulantibúsque nobis in montem, Anachoreta quidam alius circa maris ripam deambulabat: Contigit autẽ Sarracenos transire per loca illa, & occurrere ipsi. Cùm ergo præteriissent illum, reuersus vnus ex eis Anachoretæ caput abscidit, nobis de longinquo spectantibus. Iam enim conscenderamus montem. Cùm verò lachrymaremur tristes propter Anachoretæ casum, repentè cernimus [1] auem superuè venientem, raptum sarracenum in sublime tulisse, atque inde in terram illum dimisisse, ex eóque lapsu sarracenum interiisse.

1 Disce ex hoc loco sanctis non inferre nocumenta.

Vita alterius senis Cononis. Cap. XXII.

SEnex quidam erat in Cœnobio sancti patris nostri Theodosij, nomine Conon, Cilix genere, hanc vitæ normam per triginta annos [1] custodiens. Semel comedebat in hebdomada panem, & aquam, & sine intermissione operans, nunquam de ecclesia egrediebatur.

1 Tria hic habes, Miram abstinentiam, Aquæ potum, opus manuum.

Vita Theoduli Monachi. Cap. XXIII.

ALium vidimus senem in eodẽ monasterio, Theodulum nomine, qui miles antea fuerat. Is dies [1] omnes ieiunans, nunquam in latus dormiebat.

1 Ecce longa antiquorum Monachorum ieiunia.

Vita Senis cuiusdam habitantis in cellis Cuziba. Cap. XXIIII.

ERat Senex quidam habitans in cellis Cuziba, de quo narrabant nobis loci eius seniores, quòd dum in vico suo esset, hanc habebat consuetudinem, vt si quem vidisset in vico præ inopia non valentem agrum suum seminare, noctu ibat, ignorante agri domino, seménque secum ferens, pauperis illius serebat agrum. Cùm autem C venisset in eremum & moraretur in cellis Cuziba, eadem miserationis faciebat opera. Ibat [1] enim per viam, quæ ducit à Iordane ad sanctam ciuitatem, ferens panes, & aquam. Et si quando videret aliquam lassescentem, portabat onus eius, & ascendebat vsque ad sanctum montem Oliueti, rursúsque per eandem cum cæteris redibat viam, ferens illorum onera vsque Hierico.

Vidisses senem aliquando ferentem onus ingens, sudantémque sub fasce aliquando portantem in humeris puerulum, sæpè etiam duos. Nonnunquam sedebat, viri, siue mulieris disrupta calceamenta resarciens. Ferebat quippe secum quæcunque ad hoc erant necessaria. Alios potabat ea, quam ferebat, aqua. Aliis præbebat panes. Si quem verò inuenisset nudum, pallium, quod ferebat, dabat ei. Erátque dulce videre senem singulis diebus laborantem. Et si quando mortuum in via reperisset, expletis super eum [2] Psalmis consuetis, & orationibus, sepeliebat eum.

1 Vide quanta charitate in proximum ferebatur sanctus pater: nam antiqui monachi in legis, & præceptorum Dei obseruatione, huius vitæ beatitudinem constituebant.

2 Ecce Christianum morem sepeliendi mortuos, cum Psalmis videlicet, & orationibus super eos dictis.

De fratre monasterij Cuziba, & sanctæ oblationis verbis, & necnon de Abbate Ioanne. Cap. XXV.

FRater quidam erat in cœnobio Cuziba, vt nobis Abbas Gregorius Scholasticus retulit, qui sanctæ oblationis verba, ritúmque didicerat. Die ergo quadam missus vt benedictiones ferret, cùm iam rediret ad monasterium, verba sanctæ oblationis, quasi versus aliquos caneret, dixit. Easdem verò benedictiones imposuerunt Diaconi sancto altari. Quas cùm Abbas Ioannes presbyter offerret, qui postea Cæsareæ Palæstinæ Episcopus fuit, non vidit, vt solitus erat, sancti [1] Spiritus aduentum. Contristatúsque valde, & cogitans, ne quid fortè peccasset in mente, atque ideò se Spiritus sanctus auertisset, ingressus est sacrarium plorans, corruítque in faciem suam. Apparuit autem ei Angelus Domini dicens: Quoniam frater ille, qui oblationes attulit, verba sanctæ oblationis in via dixit, sanctificatæ [2] iam, ac perfectæ sunt. Ex nunc igitur statuit senior, vt nullus deinceps addisceret sanctæ oblationis verba, nisi qui ordinatus ad hoc esset, neque passim ea quispiam diceret.

1 Sancti Patres soliti erant in sacrorũ oblatione mysteriorũ Spiri-

eius sancti aduentum aliquo signo cognoscere.

x *Aduerte quòd non nisi ex peculiari diuino priuilegio hoc accidit, cùm ille non esset sacerdos.*

Vita fratris Theophanis, eiúsque mirabilis visio, & de communicatione cũ hæreticis. CAP. XXVI.

SEnex quidam sedebat in Laura Calamonis iuxta Iordanem fluuium, Cyriacus nomine, magni apud Deũ [1] meriti. Ad hunc profectus est frater peregrinus ex regione Dora, Theophanes nomine, vt interrogaret senem de cogitationibus fornicationis. Quem senior hortari cœpit, atque vrgere verbis de pudicitia & castitate. Frater itaque magnificè ædificatus ait seni: Verè, mi pater, ego nisi in regione mea Nestorianis communicarem tecum permansissem. Cùm verò audisset senex Nestorij nomen, afflictus de perditione fratris, corripiebat eum, & orabat, vt recederet ab hac pessima, & perniciosa hæresi, accederétq; ad [2] sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, dicens, non [3] esse aliam salutis spem, nisi rectè sentiamus, & credamus (vt reuera est) sanctam Mariam Dei genitricem esse. Dixit autem frater ille seni: Profectò, domine pater omnes hæreses sic dicunt: Nisi nobiscum communices, saluus esse non poteris. Quid ergo faciam, infœlix, nescio. Deprecare igitur Dominum, vt reipsa me certum faciat, quænam sit vera fides. Senex autem cum gaudio fratris verba suscepit, dixitque illi: Sede in spelunca mecum, & omnino spem in Deo habeto, quia reuelabit tibi ipsius benignitas, quæ sit vera fides. Dimissóque fratre in spelunca sua, egressus est senior prope mare mortuum, orans Deum pro fratre. Circa autem horam nonam diei sequentis aspexit frater quendam astantem sibi aspectu terribilem, ac dicentem: Veni, & vide veritatem. Assuménsque eum, duxit in locum tenebrosum, ac fœtidum, ignes euaporantem. Atque in ipsis ignibus vidit Nestorium, Eutychen, Apollinarem, Dioscorum, Seuerum, Arium, Origenem, & alios quosdam. Dixitque illi is, qui apparuerat. Locus iste præparatus est hæreticis, & blasphemantibus, & his, qui illorum dogmata sequuntur. Si ergo placet tibi locus, persiste in tuo dogmate. Si autem supplicium istud experiri non vis, accede ad sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, quam te senex docet. Dico enim tibi, quia si [4] omnes virtutes homo operetur, nec rectè credat, in hoc loco cruciabitur. Atque in hoc verbo venit frater in semetipsum, & redeunti seni narrauit omnia quæ viderat, accessitque ad communionem sanctæ Catholicæ Ecclesiæ. Remansit autem cum sene, implensque quatuor cum illo annis, dormiuit in pace.

1 *Vides, quòd sancti viri, qui Dei mandata custodiunt, meritum habent apud Deum.*

2 *Nota quòd hæretici omnes sunt extra gremium sanctæ Catholicæ, atque Apostolicæ Ecclesiæ.*

3 *Mira sententia, & vera non esse aliam salutis spem, nisi rectè sentiamus, & credamus, sanctam Mariam Dei genitricem esse.*

4 *Sicut non sufficit sola fides ad salutem absque bonis operibus, sic nec omnia bona opera sine recta fide.*

Vita Presbyteri villæ Mardandos. CAP. XXVII.

DEcem fere millibus passuum ab vrbe Ciliciæ Ægina, villa quædam est, nomine Mardandos, in qua templum est sancti Ioannis Baptistæ. In hac senex quidam presbyter sedebat, summi [1] apud Deum meriti, magnarúmque virtutum. Quadam verò die villæ ipsius habitatores accesserũt ad Episcopum accusantes senem, ac dicentes: Tolle à nobis senem hunc, nam molestus nobis est. Dicit eis Episcopus: Quid vobis facit? Dicunt ei: Accedit Missam celebrare die Dominico, nunc hora tertia, nunc autem hora nona, vt sibi visum fuerit, neq; seruat solennem, ac legitimum ordinem [2] sanctæ oblationis. His compertis, Episcopus assumens senem seorsum ait illi: Quid ita facis, senior? An ignoras sanctæ Ecclesiæ statuta? Ait senex: Vera profectò prosequeris, & rectè dicis. Verùm quid agam, ignoro. Die enim Dominico post nocturnos hymnos, prope sanctum altare sedeo, & quousque videam [3] Spiritum sanctum altari obumbrantem, sancta Missarum solennia non incipio. Cùm autem aduenisse Spiritum sanctum aspicio, tunc ego sacra officia consummo. His auditis, Episcopus admiratus virtutem senis, conuocat habitatores villæ, satisfaciénsque illis, dimisit eos in pace. Huic seni misit Abbas Iulianus Stylites salutationem, mittens ei etiam pannum inuolutum, habentem intus tres [4] carbones ignis. Senex verò suscipiens salutationem, & carbones ardentes, remisit eidem Abbati ipsum pannum inuolutum aqua plenum. Distabant autem ab inuicem ferè viginti millibus passuum.

1 *Senex summi apud Deum meriti.*

2 *Vide Missam vocari sanctam oblationem.*

3 *Ecce quomodo & hic ostenditur Spiritus sanctus olim visibiliter apparuisse circa Missarum celebrationem.*

4 *Aduerte, quòd sancti viri etiam irrationalibus creaturis dominantur.*

Factũ mirabile Abbatis Iuliani Stylitæ. CAP. XXVIII.

B NArrabat Abbas Cyriacus discipulus prædictis Abbatis Iuliani Stylitæ, dicens: Venimus ego, & pater meus, & frater à regione nostra ad Abbatem Iulianum, audita eius fama. Ego enim habebam passionem insanabilem, quam nullus hominum curare potuerat. Venientem igitur senex protinus me oratione [5] curauit. Mansimus autem omnes apud eum & abrenunciauimus sæculo. Constituítque senior patrem meum super frumentum. Quadam verò die venit pater meus, & ait Abbati Iuliano: Frumentum non habemus. Senex autem de columna respondens ait: Vade, frater, & ipsum, quod inueneris, collige hodie, & mole, & de crastino Deus nostri curam habebit. Ille verò in hoc verbo turbatus (sciebat enim se nihil dimisisse) abiit ad cellam suam. Necessitate autem vrgente misit ad eum senex dicens: Accede huc. Ille cùm vix venire acquieuisset, dicit ei senior: Frater Conon, vade & quod inueneris, fac in cibum fratrũ. Ille præ iracundia sumptis horrei clauibus abiit, volens terræ puluerem ferre. Cùm autem amotis claustris ostia vellet aperire, non poterat. Erat enim totum horreum frumento plenum. Quo ille viso perterritus, seni veniam prostratus petiit.

5 *Oratione sancti viri protinus curatus est infirmus. Magna ergo res Oratio.*

Miraculum sanctissimæ Eucharistiæ. CAP. XXIX.

QVasi triginta milliaribus ab Ægina ciuitate Ciliciæ Stylitæ duo erant separati ab inuicem sex millibus passuum. Ex his alter sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ communicabat, alter autem, qui etiam plus tẽporis in columna egerat, Seuerianæ impietatis erat. Variísque modis hæreticus Catholicum criminabatur. Ille verò diuinitus inspiratus, petiit ab eo, vt partẽ sibi mitteret communionis suæ. Qui gaudio elatus, quod quasi illum seduxisset, protinus misit nihil hæsitans. Suscipiens itaque Catholicus missam sibi ab hæretico Seueriani sectatore particulam, in feruentem ollam iniecit, móxque resoluta est. Sumptam quoque Catholicæ Ecclesiæ sanctam [1] communionem in eam coniecit. Statimque feruens olla refrigerata est, & sancta communio permansit integra, neque madefacta est. Quam & diligenter seruauit, & ostendit nobis, cùm ad illum venissemus.

1 *Si in sancta Eucharistia verum Christi corpus non fuisset, valdè probabile est, quòd nequaquam hæc duo miracula prouenissent.*

Vita Isidori Monachi Melitinensis, alteríimque miraculum circa sanctissimi Eucharistiã. CAP. XXX.

DAde Cypri emporium est. In eo monasterium est, quòd dicitur Philoxene. Ad id cùm venissemus, inuenimus ibi monachum genere Melitinensem, Isidorum nomine. Hunc vidimus sine vlla intermissione cum eiulatu flentem. Cùm autem rogaretur ab omnibus, vt aliquantulum quiesceret, & à fletu temperaret, nulli penitus acquiescebat, dicens omnibus: Nimium peccator sum vltra omnes, qui ab initio sæculi fuerunt. Cùm autem illi diceremus: Nullus certè sine peccato est, nisi vnus Deus; respondebat dicens: Veraciter, fratres, nullum inueni inter homines similem mihi peccatorem, nullúmque maius delictum, quàm meum. Et vt cognoscatis, me vera prosequi, audite peccatum meum, vt & vos oretis pro me. Ego cùm essem in sæculo, vxorem habui. Eramus autem ambo Seueriani dogmatis. Cùm

ergo die quadam venissem domum, non inueni vxorem meam. Audiui autem, quòd abisset ad vicinam mulierem, vt illi communicaret (erat autem illa catholicæ religionis, & fidei (excurrique protinus volens prohibere. Profectus autem domum, inueni illam iam communicasse. Quare indignatione concitatus, apprehendi guttur eius, fecíque illam euomere sacram communionem. Sumptam deinde particulam sanctam huc, illucque iactabam, donec in lutum cecidit. Mox autem vidi [1] coruscationem in eodem loco sanctam assumpsisse communionem. Post biduum verò aspicio virum quasi Æthiopem, semicinctiis vestitum, dicentémque mihi: Ego, & tu simul in vnum supplicium condemnati sumus. Et ego ad eum: Tu, inquam, quis es? Respondit: Ego sum, qui conditorem omnium Dominum Iesum Christum in maxilla percussi passionis tempore. Atque hac de causa à fletu temperare non possum.

1 *Et hic in sacra Eucharistia demonstratur, quàm rectè agant hæreticorum communionem fugientes, Ecclesiæque catholicæ communicantes.*

Conuersio & vita Mariæ meretricis. Cap. xxxi.

DVo senes abierunt ab Ægis in Tharsum, venientésque in stabulum, vt requiescerent (erat enim æstus) per dispensationem Dei inuenerunt in stabulo tres adolescentes habentes secum vnam meretricem. Senes ergo seorsum sederunt. Vnúsque ex eis accipiens sanctum Euangelium legebat. Meretrix verò, quæ erat cum adolescentibus, vt vidit legentem senem, relictis illis, accessit ad senem, seditque iuxta illum. Senex autem illam reiiciens dixit: Multùm, ô infelix, impudens es, quæ verita non fuisti accedere ad nos, ac sedere. At illa: Ne, quæso, pater, ne abomineris me, neque abiicias. Etsi enim omni peccato plena sum, non tamen repulit venientem ad se meretricem Dominus, & saluator omnium Christus Deus noster. Respondit ei senex: Sed meretrix illa non permansit meretrix. Tum ipsa: Spero in filium Dei viui, quia ab hodierno die neque ego permanebo in peccato hoc. Relinquens igitur adolescentes, & sua omnia, secuta est senes illos. Miserunt autem illam in monasterium prope Ægas ciuitatem. Hanc & ego iam anum vidi magnæ prudentiæ fœminam, & ista ex eius ore didici. Erat autem illi nomen Maria.

Conuersio & vita Babylæ mimi, necnon Cometæ, & Nicosæ concubinarum eius. Cap. xxxii.

MImus quidam erat in Tharso Ciliciæ, nomine Babylas. Erant autem illi duæ concubinæ. Nomen vni Cometa, nomen alteri Nicosa. Viuebat autem luxuriosè, agens omnia, quæ illi dæmon suggessisset. Die verò quadam ingressus Ecclesiam, audiuit per dispensationem Dei sanctum Euangelium legi. Erat autem ista lectio: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnũ cœlorum: Compunctúsque [1] cœpit cum lachrymis horrere, ac se miserum dicere pro his, quæ peccauerat. Confestim igitur egressus extra Ecclesiam, vocauit duas amicas suas, dixitque illis: Scitis quomodo vobiscum luxuriosè vixerim, vtque nunquam alteram plus quàm alteram dilexerim. Itaque vestra sunt omnia, quæcunque ego acquisiui. Accipite insuper & mea omnia, & diuidite inter vos. Ego enim ex nunc abrenuncio sæculo, & efficior monachus. Illæ autem ex vno ore responderunt ei cum lachrymis: Ad luxuriam, & animarum nostrarum interitum communicauimus tibi, nunc verò, quando hoc Deo placitum opus facere vis, dimittis nos, & id solus facis? Profectò non ita erit, sed etiam in bono communicabimus tibi. Atque ita Mimus quidem inclusit se in vna turrium ciuitatis. Illæ verò, venditis omnibus suis, erogatísque pauperibus, accipientes & ipsæ [a] religiosum habitum, fecerunt sibi prope turrem cellulam, & seipsas pariter incluserunt. Hunc & ego vidi, & ab eo valde ædificatus sum. Est enim vir valde humilis, & clemens, atque misericors. Scripsi autem & hoc pro vtilitate legentium.

1 *Habes in hac conuersione veræ pœnitentiæ formam, quæ est dolor de peccatis commissis, & firmum propositum de non committendis in futurum, vnà cum assumptione nouæ vitæ.*

a *Ecce quomodo etiam olim qui Monachi, vel Sanctimoniales fiebant, nouum Religionis habitum induebant.*

Vita sancti Episcopi Theodoti. Cap. xxxiii.

NArrauit nobis quidam patrum, quòd fuerit in sancta ciuitate † Episcopus quidam, nomine Theodotus tantæ benignitatis, vt cùm in vna solemnitate inuitasset quosdam de clericis suis ad conuiuium, vnúsque ex eis venire noluisset, neque inuitationi acquieuisset, tunc quidem patriarcha siluerit, aliàs verò ipse ad eum profectus sit rogans, vt veniret, mensæque communis particeps fieret. Dicebat autem rursus de ipso Episcopo Theodoto, quòd ita fuerit mitis, atque humilis, vt cùm semel iter ageret cum vno clerico, & ipse quidem lectica veheretur, clericus vero equo insideret, dixerit clerico suo Patriarcha: Mutemus vehicula nostra: & tu quidem lectica vehere, ego autem eques ibo. Cùm verò clericus id facere recusaret omnino, dicens id dedecus fore Patriarchæ, si quidem clericus lectica portaretur, & Episcopus equo insidens ingrederetur, non quieuit sanctus, & humilis Theodotus, donec ministro persuasit, non esse rem istam iniuriosam, coëgitque illum ita facere.

† In sancta Ciuitate) *Suspicor hic subesse mendum; & pro* sancta Ciuitate, *quæ est Hierusalem, legendum esse,* Dei ciuitate, *quæ est Antiochia; Theopolis enim appellabatur, vt & infra, capite 40. Alioqui nullum ex Hierosolymitanis lego Pontificem Theodotum, vt neque Alexandrum: cùm inter Antiochenos, Alexander, tricesimus septimus, Theodotus, tricesimus octauus in Nicephori Chronologia numeretur: vnde & meo iudicio, meliùs, capite sequenti, ait ipsam Dei Ciuitatem habuisse alium (scilicet ab hoc Theodoto) Patriarcharum nomine Alexandrum: sed rursum perperam Cap. 37. sanctam Ciuitatem pro Antiochena.*

Vita diui Alexandri Patriarchæ Hierosolymitani. Cap. xxxiiii.

ALium habuit ciuitas ipsa Dei Patriarcham, Alexandrum nomine, adeò pium, & misericordem, vt cùm illi quidam ex notariis suis furatus esset aurum, & metu perterritus fugiens in Thebaidem Ægypti incidisset vagus, & errans in latrones, ac ductus fuisset ab eis captiuos ad extremas Ægypti partes, hoc comperto, diuus Alexander redemerit eum vinctum, ac captiuum octogintaquinque numismatibus. Quo reuerso ita piè, misericorditérque vsus est, vt quidam ex Vrbis habitatoribus dixerit aliquando, Nihil esse vtilius, quàm in Alexandrum peccare. Alio quoque tempore vnus ex Diaconis eius, coram clericis omnibus iniuriis affecit diuum Alexandrum. Qui mox prostratus humi veniam petiit dicens: Ignosce mihi, domine frater.

Vita Eliæ Hierosolymorum Archiepiscopi, & de Flauiano Antiochiæ Patriarcha. Cap. xxxv.

DIcebat Abbas Polichronius de sancto Elia Hierosolymorum Archiepiscopo, quòd sicut cùm esset monachus, vinum [1] non bibebat, ita nec Patriarcha quidem factus bibit, sed eandem seruauit regulam. Dicebat de eodem Archiepiscopo Elia, & de Flauiano Antiochiæ, Archiepiscopo, quòd ab Anastasio Imperatore ambo fuerint exilio relegati propter sanctam Calcedonensem Synodum, Elias quidem in Haila, Flauianus verò apud Petram. Die verò quadam significauerunt sibi ambo Patriarchæ mutuò dicentes: Anastasius hodie mortuus est: eamus igitur & nos, vt cum illo iudicemur. Et post duos dies ambo migrauerunt ad Dominum.

1 *Vino non est vsus sanctus Pater.*

Vita Ephrem Antiocheni Patriarchæ, & quomodo Stylitem monachum à Seueriana hæreseos impietate conuerterit. Cap. xxxvi.

NArrauit nobis quidam Patrum de sancto Ephrem Antiocheno Patriarcha, quòd valdè zelans fuerit, & feruens circa fidem. Cùm enim audisset de Stylite illo, qui erat in partibus Hierapolis, quòd Seuerianæ esset hæreseos, abiit ad illum, vt impietatem diffunderet illi. Cœpit ergo diuus Ephrem corripere Stylitem, & orare, vt [1] accederet ad sanctum Apostolicum thronum, & communicaret sanctæ, & Apostolicæ Ecclesiæ. Respondens verò Stylites ait: Ego synodo prorsus non communico. Dicit ad eum sanctus Ephrem: Et quomodo vis, vt curem te, & satisfaciam pro gratia Domini nostri Iesu Christi? Sancta Ecclesia libera est ab omni sorde prauitatis hæreticæ. Dicit ad eum Stylites: Accenda-

mus ignem, domine Patriarcha, & ingrediamur simul, & quem flamma non læserit, ille orthodoxus erit, illúmque sequi debemus. Hoc autem dixit, vt terreret Patriarcham. Respondit sanctus Ephrem Stylitæ: Oportebat quidem te, fili mi, tanquam patri obtemperare, nihílque à nobis amplius quærere. Quoniam verò rem postulasti excedentem quidem vires infœlicitatis meæ, confido tamē in miserationibus filij Dei, quia tuæ salutis caussa & hoc faciam. Tunc ait diuus Ephrem adstantibus omnibus: Benedictus Dominus, afferte huc ligna. Cùm verò allata essent ligna, succendit illa Patriarcha ante columnam, dicítque Stylitæ: Descende nunc, vt iusta decretum tuum ingrediamur ambo. Stupefactus ille ad Patriarchæ constantiam, descendere noluit. Tunc dixit ad eum Patriarcha: Nónne tu hoc fieri petiisti? Et quomodo id nunc facere non vis? Tunc exuens se qua indutus erat stola Patriarcha, cùm accessisset prope ignem, orauit dicens: Domine Iesu Christe Deus noster, qui propter nos dignatus es de sancta Domina nostra Dei genitrice, sempérque virgine Maria incarnari, & nasci, ostende nobis veritatem. Et completa[1] oratione, iactauit stolam suam in mediis ignibus. Cùm autem ignis quasi per tres horas durasset, lignáque iam igne consumpta essent, tulerunt inde stolam integram, ita vt nulla ignis indicia in ea deprehendi possent. Tunc Stylites videns, quod factum fuerat, certior de veritate factus, anathematizauit Seuerum, & eius hæresim, accedénsque ad sanctam Catholicam Ecclesiam, de manibus sancti Ephrem communicauit, & glorificauit Deum.

1 *Vides, quòd qui est hæresi infectus, extra sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam reperitur.*

2 *Mira orando sancti peregerunt.*

Vita Episcopi, qui cathedra relicta venit in sanctam ciuitatem, & mutata habitu ministrat architectis. CAP. XXXVI.

QVidam Patrum enarrauit nobis de quodam Episcopo, quòd relicto Episcopatu suo, profectus sit ad sanctam ciuitatem, ibique sumpto operarij habitu, ministrauerit Architectis. Eo verò tempore vir clemens, & misericordiæ operibus deditus Ephremius, Comes Orientis erat, ac per ipsum ædificia publica reparabantur. Ciuitas enim terræ motu ceciderat. Die autem quadam vidit per visum Ephremius dormientem Episcopum, columnámque ignis super eum ad cœlum vsque pertingentem. Hoc autem cùm non semel, nec bis, sed sæpiùs cerneret, obstupuit Ephremius (Erat quippe visio ipsa terribilis, & plena stuporis) cogitabátque apud semetipsum quidnam hoc esset, neque agnoscebat, quis esset ille mercenarius, videns illum coma neglecta, veste sordida, vili & abiecto habitu, & nimia exercitatione, & continentia, iugísque laboris fatigatione afflictum, & squalidum toto corporis cultu. Accersitum autem operarium eiusmodi Ephremius percontabatur, quisnam esset: cœpitque seorsum agere cum illo, quo vocaretur nomine, & cuius ciuitatis esset oriundus. Qui ait ad illū: Ego vnus pauperum istius ciuitatis sum, cúmque non habeam, vnde me ipsum sustentare valeam, operor, vt possum, & Deus de laboribus meis pascit me. Motus ergo diuinitus Ephremius respondit illi, & ait: Crede mihi non te dimittam, donec mihi omnia de te veraciter prosecutus fueris. Cùm verò ita constringeretur, neque se vlteriùs posset abscondere, dixit illi: Pollicere mihi, quia quandiu fuero in vita hac, nemini dices, quæ circa me sunt, & ego, suppresso tantùm nomine, vera tibi de me annunciabo. Iurauítq; illi Comes, nulli se ea dicturum, quandiu esset in vita. Tunc ait illi: Ego Episcopus sum, & propter Deum dimisi Episcopatum meum, & veni huc, quasi ad ignotum locum. Affligens autem carnem meam, & operans, ex labore meo modicum panis mihi acquiro. Tu verò, quantum potes, adiice ad eleemosynam. His enim diebus Deus promouebit te ad Apostolicum thronum huius ciuitatis, vt pascas populum suū, quem acquisiuit per proprium sanguinem Christus verus Deus noster. Vt igitur dixi, eleemosynis insiste, & pro recta fide iugiter sta, & decerta. Talibus enim sacrificiis maximè delectatur Deus. Ita vt prædixerat, contigit. Diuúsq; Ephremius, his auditis, glorificauit Deum, dicens: Quantos habet occultos famulos, & soli sibi cognitos Deus!

Mors Anastasij Imperatoris impij. CAP. XXXVIII.

NArrauit nobis vir quidam fidelis de Anastasio Imperatore, quòd cùm eiecisset Euphemium, & Macedonium Patriarchas Constantinopolitanæ Ecclesiæ, ac propter sanctam Chalcedonensem synodum illos Catsn in Pontum exilio relegasset, vidit in somnis idem Imperator virum quendam insignem vestitum amictu candido, contra se stare, codicem scriptum tenentem, ac legentem. Euoluens autem quinque folia codicis, legénsque Imperatoris nomen, ait illi: Ecce propter perfidiam tuam deleo quatuordecim: & digito suo illos deleuit. Ac post duos dies, facto fulgore magno, atque tonitruo, pauore turbatus reddidit spiritum in summa angustia, pro eo quòd impius fuit in sanctam Christi Dei nostri Ecclesiam, eiúsque pastores exilio damnauit.

Vita Monachi Monasterij Abbatis Seueriani, & quomodo a puella rustica prudenter retractus fuerit ne eā peccaret. CAP. XXXIX.

CVm venissem Antiochiam, audiui quendam de presbyteris Ecclesiæ ista narrantem. Dicebat, inquit Patriarcha Anastasius: Cùm Monachus quidam monasterij Abbatis Seueriani missus fuisset in ministerium in partes Elutheropoleos, & diuertisset ad rusticum quempiam fidelem, habentem filiam vnicam, defuncta iam matre illius, maneretque in domo eius dies aliquot, is, qui semper impugnat homines, diabolus, immisit fratri sordidas cogitationes, impugnabatúrque de puella, & quærebat opportunitatem opprimendi eam. Igitur qui illum oppugnabat dæmon, opportunitatem quoque illi procurauit. Patre enim puellæ proficiscente Ascalonem necessariæ vtilitatis gratia, frater ille sciens neminem in domo esse, nisi se solum, & puellam, accessit, vt illam vi opprimeret. Illa verò vt vidit ipsum totum perturbatum ad nefarium actum properare, dixit ei: Noli turbari, neque fœdum quid contra me moliaris. Pater meus neque hodie, neque cras veniet. Audi primùm, quid dicam. Ego enim (nouit Deus) promptè quicquid volueris faciam. Cœpit autem illum ita alloqui: Quantum temporis habes, frater, in monasterio? Dicit ei frater: Decem, & septem annos. Dicit ei iterum: Habes experimentum mulieris? Ait illi:[1] Non, Ergo tu, inquit puella, vis propter horam amittere tot annorum labores? Quoties fudisti lachrymas, vt carnem tuam Christo Domino puram, immaculatámque seruares? Et nunc totum laborem illum breuissimæ voluptatis gratia tibi perire vis? Veruntamen si, vt vis, audiero te, peccésque mecum, habésne quo assumas, & enutrias me? Dicit ei frater: Non. Tunc illa: In veritate non mentior, si humiliaueris me, multorum malorum causa eris. Dicit ei monachus: Quomodo? Puella respondens: Primùm quidem, inquit, quia perdis animam tuam. Secundò quoniam & anima mea abs te requiretur. Hoc enim tibi iuramento protestor per eum, qui dixit: Noli me mendacem facere: quia si humiliaueris me, continuò mihi ipsi laqueo vitam extorquebo, inuenierísq; homicidij reus, atque in iudicio vt homicida iudicaberis. Igitur antequam tot malorum causa fias, reuertere in pace ad monasterium tuum, & ora pro me. Rediens igitur in semetipsum frater, ac respiciens, statim reuersus est ad monasterium suum, prostratúsq; Abbati, & veniam postulans, orauit, vt vltra iam de monasterio non egrederetur. Et cùm in contritione cordis egisset tres menses, migrauit ad Dominum.

1 *Vides quòd etiam antiqui monachi seruabant perpetuum cælibatum.*

Vita Abbatis Cosmæ Eunuchi. CAP. 55.

NArrauit nobis Abbas Basilius presbyter Bicantiorum, dicens: Cùm essem Theopoli apud Patriarcham Gregorium, venit ab Hierosolymis Abbas Cosmas Eunuchus Lauræ Pharan, vir singularis religionis, & fidei, rectorúmque dogmatum valdè tenax, & zelator, ac diuinarum scripturarum scientia non mediocriter instructus. Cùm ergo fuisset ibi senes dies paucos, defunctus est. Et iussit Patriarcha[1] pretiosas illius reliquias in monasterio suo sepeliri, vbi & positus erat quidam Episco-

pus. Die igitur quadam profectus sum, ut salutarem sepulchrum senis. Erat autem supra sepulchrum eius iacens homo quidam pauper, eleemosynam petens ab ingredientibus in templum. Cùm ergo conspexisset me pauper tertiò prostratum, & seor orationem facientem, dixit mihi: Abba, magnus profectò erat senex ille, quem sepelistis hìc ante hos duos menses. Tunc ego ad illum: Vnde hoc tu nosti? Qui respondit: Verè, domine Abba, ego paralyticus fui annis duodecim, & per ipsum curauit me Deus. Et quoties in tribulatione [2] sum, venit ad me consolationem afferens, mihique refrigerium præstat. Sed & aliud audi de illo miraculum. Ex qua die ipsum sepelistis usque ad diem hanc, audio illum singulis noctibus clamantem, ac dicentem ad Episcopum: Noli me tangere, hæretice: ne appropinques mihi, [3] inimice sanctæ Dei Catholicæ Ecclesiæ. Hæc ego audiens ab eo, qui sanatus fuerat, pertexi, & omnia ex ordine Patriarchæ retuli, orabámque ipsum sanctissimum Patriarcham, ut sumptum ex eo loco senis corpus in sepulchro alio reconderemus. Tunc ait Abbas Gregorius Patriarcha: Mihi, filij, credite: nihil ab hæretico læditur Abbas Cosmas: sed hoc totum factum est, ut senis virtus, zelúsque fidei nobis innotesceret, qualis scilicet fuerit, qualísque sit etiam post carnis occubitum, vtque Episcopi nobis proderetur opinio, ne illum arbitraremur orthodoxum fuisse, atque Catholicum. Dicebat item de eodem sene Abbas Basilius, quia cùm perrexisset ad eum commorantem in Laura Pharan, ait illi senex: Venit mihi cogitatio aliquando, quid sit, quod ait Dominus Discipulis suis: Qui habet vestimentum, vendat illud, & emat gladium: illísque dicentibus: Ecce gladij duo hìc, responderit: Satis est. Hærebámque in verbo isto, neque quid sibi vellet, intelligebam. Itaque sic cogitabundus exiui de cellula mea, in ipso meridiani Solis æstu, ut irem ad Lauram Turrium, ad Abbatem Theophilum, & interrogarem eum. Cúmque per deserta pergerem, essémque prope Calamonem, aspicio draconem miræ magnitudinis de monte descendere in Calamonem. Erat autem adeò ingens, ut cùm se moueret, curuaretur in modum cameræ, vestigiáque terræ altiùs impressa relinqueret. Ego verò per vestigia illius illæsus ingressus sum: agnouíque, quia diabolus studium meum impedire voluerit. Orationes autem senis iuuerunt me. Perueniens igitur ad Abbatem Theophilum, exposui illi hæsitationem meam. Qui dixit mihi: Duo gladij duas vitas significant actiuam, & contemplatiuam. Si quis ergo has duas virtutes habeat, hic perfectus erit. Ad hunc ipsum Abbatem Cosmam perrexi ego, dum esset in Laura Pharam. Mansi enim in illa annos decem. Cúmque mihi loqueretur de salute animæ, & quoddam ex dictis sancti Athanasij Alexandriæ Archiepiscopi allegaret, ait ad me senex: Cùm inueneris aliquid ex opusculis sancti Athanasij, nec habueris chartas ad scribendum, in vestimētis tuis [4] scribe illud. Tanto, talique studio flagrabat erga sanctos Patres nostros, & Doctores sanctus senior. Dicebat autem & hoc Abbas Cosmas de seipso, quòd nocte sanctæ [5] Dominicæ à vespere usque mane, staret [6] psallens, & legens, & in cella sua, & in Ecclesia, neque omnino sedens. Orto autem sole, cùm implesset Canonem, sedebat legens in sanctis Euangeliis usque ad collectam.

1 *Nota pretiosas sancti viri reliquias.*

2 *Si sanctus in tribulatione venit ad pauperem & illum consolatur non est mortuus, ut dicunt quidam. Item habes quòd sancti sciunt, quæ circa nos aguntur.*

3 *Vide hæreticum inimicum esse sanctæ Catholicæ Ecclesiæ.*

4 *Ecce quanti faciendi Doctores sancti & Patres antiqui, qui suis literis Ecclesiam exornarunt: Contrarium hodie faciunt hæretici.*

5 *Vide veterem obseruationem diei Dominicæ.*

6 *Ecce antiquorum monachorum exercitia, Vigiliæ, Psalmodiæ, Lectiones.*

Vita Abbatis Pauli Nazarbensis. CAP. XLI.

Vidimus & alium senem in eadem Laura, Abbatem scilicet Paulum, virum [1] sanctum, ac Deo deditum, mitissimum, atque abstinentissimum. Neminem verò memini me vnquam vidisse tanta consolationis, ac lachrymarum gratia ornatum. Stillabant enim ex oculis eius iugiter lachrymæ. Impleuit ergo sanctus iste senior in vita solitaria annos ferè quinquaginta, contentus sola panis eleemosyna, quam Ecclesia dabat, nulliq; omnino colloquens. Erat autem ex Nazarbo.

1 *Aduerte quàm commendabiles erant antiqui Monachi.*

Vita Abbatis Anaxanontis Serui Dei. CAP. XLII.

Vidimus in eodem loco Abbatem Anaxanontem virum misericordem, & continentissimum, vitámque solitariam in cellula sua agentem tanta districtione, ut per quatuor dies vnam tantùm oblationem manducaret minutorum viginti. Sæpe verò & tota hebdomada eam [1] solam comedebat. Circa extremum verò vitæ suæ, venerandus hic vir dolorem incurrit ventris, & viscerum. Tulimus itaque illum in sanctam Ciuitatem in domum infirmorum, quæ sub Patriarchæ erat cura. Die verò quadam cùm prope illum essemus, misit ad illum Abbas Conon Dux Lauræ sancti patris nostri Sabæ sudarium, vnam habens benedictionem, & numismata sex, ita illi significans: Ignosce mihi, quia nō permittit me ægritudo ascendere, & te salutare. Senex autem benedictionem quidem retinuit, nummos verò remisit dicens: Si quidem voluerit Deus, ut in hac vita durem, Pater, habeo nummos decem. Cùm verò eos expendero, significabo vobis, & mittetis istos. Vt autem noueris, Pater, post duos dies sæculum istud derelinquo. Quod & factum est. Detulimus autem eum in eandem Lauram Pharan, & ibi eum sepeliuimus. Fuit autem beatus iste & beati Eustochij contubernalis. Ambobúsque relictis, in eremo consummatus est. Erat autem ex Ancyra Galatiæ ciuitate.

1 *Vide & huius Patris districtissimam abstinentiam.*

Detestabilis mors impij Thallælei Archiepiscop. Thessalonicensis. CAP. XLIII.

Fuit quidam Thessalonicæ Archiepiscopus, Thallæleus nomine. Hic neque Deum timens, neque paratam retributionem expauescens, conculcánsq; Christianum dogma, ac sacerdotalem honorem, & dignitatem spernens, inuentus est pro pastore lupus. Abnegans quippe sanctam, & consubstantialem Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, idola infœlix adorabat. Quem ij, qui tunc Ecclesiis præerant, communi decreto damnarunt, ac de se sua deturbarunt. Pauco post tempore nequam ille omni scelere, & impietate plenus, voluit ad sacerdotalem dignitatem remeare. Quia ergo iuxta sapientissimum Salomonem, omnia obediunt auro, reuocatus est in regionem suam, erat autem Constantinopoli: sed omnipotens sanctam Ecclesiam suam non despexit. Cùm enim quadam die ille processurus esset cum superbo ornatu, ut ad Imperatores pergeret, sacerdotiúmque decretis illorum iterum resumeret, pupugit illum venter ut pergeret ad necessaria naturæ. Cùm verò secretum locum ingressus esset exonerandi ventris causa, mansissétque intus duas iam vel tres horas, neque reuerteretur ad suos, ingressi sunt quidam ex his, qui illi assistebant, ut illum iam debere progredi monerent, inuenerúntque infœlicem illum capite deorsum, vbi eiiciebantur stercora, demersum, pedibúsque sursum erectis. Erigentes autem illum, inuenerunt extinctum horribili, & æterna morte.

Vita Senis Monachi prope ciuitatem Antinoum cōmorantis, & de oratione pro mortuis. CAP. XLIIII.

Senex quidam enarrauit nobis cùm Thebaidem venissemus, quòd senex vnus morabatur extra ciuitatem Antinoum magnæ virtutis vir, qui in [1] cella sua egerat annos LXX. Erant autem illi discipuli decem, ex quibus vnus erat valde negligens sui. Senex ergo sæpiùs illum corripiebat, & hortabatur dicens: Frater, solicitudinem gere pro anima tua: habes enim mori: & nisi te emendaueris, in supplicium tendes. Frater autem ille semper seni inobediens erat, nec ea, quæ ab ipso dicabantur, admittebat. Contigit autem post aliquantulum temporis, ut iste moreretur. Contristatus verò senior super illo valdè (Sciebat enim quòd in magna

desidia, & negligentia de sæculo exiisset) cœpit orare, ac dicere: Domine Iesu Christe verax Deus noster, reuela mihi, quid sit circa fratris animam. Aspexit autem in excessu mentis effectus, fluuium ignis, ingentémq; in ipso igne multitudinem, ac medium fratrem illum ad collum vsque demersum. Tunc ait illi senior: Nónne te propter hanc pœnam orabam, vt curam animæ tuæ ageres, fili? Respondit frater, & ait seni: Gratias ago Deo, pater, quòd vel caput meum requiem habet. Per ² orationes enim tuas supra caput Episcopi sto.

1 *Vide num antiqui monachi vterentur cella perpetua.*
2 *Ecce defunctorum animas orationibus viuentium adiuuari. Nota hoc capitulum adductum fuisse in septima synodo, & approbatum. Vnde vel ex hoc loco liber est autenticus.*
† *Citatur quoque hæc Historia à Ioan. Damasceno, Or. 1. & 3. pro Imaginibus.*

Vita Monachi inclusi in monte oliuarum, & de oratione imaginis sanctissimæ Dei genitricis Mariæ. Cap. XLV.

DIcebat Abbas Theodorus Æliotes, quòd fuerit quidam inclusus in monte Oliuarum certator maximus. Impugnabat autem illum fornicationis spiritus. Die verò quadam cùm instaret illi vehementer, cœpit eiulare senex, & dicere dæmoni: Quandiu non dimittis me? Recede iam à me, qui mecum consenuisti. Apparuit autem ei dæmon visibiliter dicens: Iura mihi, quia nemini dices, quod tibi dicturus sum, & te non ampliùs oppugnabo. Iurauítque illi senex dicens: Per inhabitantem in altissimis, nulli dicam, quæ mihi dixeris. Tunc ait illi dæmon: Noli ¹ adorare hanc imaginem, & vltrà te non impugnabo. Habebat autem hæc imago expressam figuram Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis Mariæ ferentem Dominum nostrum Iesum Christum. Ait inclusus dæmoni: Dimitte me, vt deliberem. In crastinum autẽ hoc significauit ipsi Abbati Theodoro Æliotæ tunc habitanti in Laura Pharan, narrauítque illi omnia. Senex autem ait recluso. Verè, Domine Abba, illusus es, quia iurasti dæmoni. Veruntamen benefecisti hoc reuelans. Expedit autem tibi nullum in ista vrbe lupanar omittere, quod non ingrediaris, quàm vt neges te adorare Deũ, & Dominum nostrum Iesum Christum cum matre sua. Confirmatum igitur, & corroboratum pluribus verbis reliquit illum in loco suo. Apparuit ergo dæmon incluso rursus dicens: Quid hoc est, pessime senex: Nónne tu iurasti mihi, quia id nemini diceres? Et quare dixisti ei, qui venit ad te? Dico tibi, quia vt periurus in die Iudicij iudicaberis. Respondit inclusus dicens: Scio quidem, quia iuraui: veruntamẽ Dominum, & Creatorem meum adorabo, tibi autem non obediam.

1 *Vides vsum venerandi imagines antiquissimum esse. Quòd si imagines colere abominabile esset, dæmon non tantopere hoc ægrè ferret.*

Mirabilis visio Abbatis Cyriaci Lauræ Calamonis, & de duobus impij Nestorij libris. Cap. XLVI.

ACcessimus ad Abbatem Cyriacum presbyterum Lauræ Calamonis iuxta sanctum Iordanem, narrauitque nobis dicens: Die quadam vidi per somnum mulierem honesta facie, purpura indutam, & cum ea viros duos, & ipsos venerando habitu, & aspectu præclaro. Arbitratus autem sum mulierem illam esse Dominam nostram sanctã Dei genitricem, eósq;, qui cum illa erãt, duos viros, sanctum Ioannem Baptistam, & sanctum Ioannem Theologum, & Euangelistam. Egressúsque de cellula orabam illam, vt ingrederetur. Quæ non consensit. Permansi ergo diutiùs orans, & obsecrans, ac dicens: Ne, quæso, auertatur humilis factus confusus: & alia plurima huiusmodi. Illa igitur vt me vidit instare precibus, eandémque postulationem iterare, seueriùs mihi respõdit dicens: Habes intra cellam tuam ¹ inimicum meum, & vis, vt ingrediar? Et his dictis, abscessit. Euigilans autem ego affligi cœpi, & cogitabam num aliquod in mente peccatum contra illam admisissem: neque enim erat alius aliquis in cella mea, nisi ego solus. Diutiùs igitur me ipsum discutiens, nihil inueni, quod in illam peccassem. Cùm verò vidissem me nimio mœrore absorberi, surgens accepi librum, vt legerem, quò per huiusmodi lectionem dolorem vnà, cogitationésq; repellerem. Librum autem ipsum acceperam mutuo à beato Isychio presbytero Hierosolymitanæ Ecclesiæ. Euoluénsque librum inueni duos impij Nestorij libros in fine voluminis scriptos. Móxque agnoui hunc esse sanctæ Dominæ nostræ Dei genitricis, sempérque virginis Mariæ inimicum. Tunc surgens abij, librúmque illi, qui mihi eum accommodauerat, reddidi, dicens illi: Accipe librum tuũ, frater, neq; enim ex eo tantum vtilitatis cœpi, quantum detrimẽti. Cùm verò ille detrimenti ipsius causam sciscitaretur, omnem illi rei ordinem retuli. Qui zelo Dei succensus, protinus duos illos Nestorij libros ex volumine præcidit, eósque ² igni tradidit dicens: Non manebit in cella mea Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, sempérque virginis Mariæ inimicus.

1 *Ecce quomodo etiam sanctissima Dei genitrix hæreticum hominem auersatur.*
2 *Huius sancti viri exemplo edocemus hæreticorum libros comburi debere.*

Miraculum sanctæ Dei Genitricis contra Gaianum Mimum, qui eam in Theatro blasphemabat. Cap. XLVII.

HEliopolis Phœnicis ciuitas est. In hac Mimus quidam erat, Gaianus nomine. Qui in theatro sanctam Dei genitricem blasphemans, populo spectaculum blasphemiæ præbebat. Apparuit autem illi sancta Dei genitrix, dicens: Quid tibi mali feci, quia coram tanta multitudine mihi detrahis, & blasphemas me? Ille verò surgens, non solùm non se correxit, verumetiam plus blasphemabat. Rursus ergo apparuit illi sancta Dei genitrix corripiens eum, ac dicens: Noli, quæso, noli ita lædere animam tuam. Ille verò rursum deteriùs illam blasphemabat. Vnde ipsa tertiò eidem apparens, eadem repetebat. Cùm autem se ille non corrigeret, sed plus quoque blasphemiis addiceret, meridie dormienti sibi apparuit, nihilque dicens, digito solo signauit eius manus, & pedes. Euigilans autem, inuenit se truncatum manibus, & pedibus. Atque ¹ ita infœlix vt truncus inutilis iacens, confitebatur omnibus, cuius rei gratia, & quomodo hoc passus esset, vtque propter blasphemias suas clementer cruciatus fuisset.

1 *Habes quomodo adest diuina vltio blasphemanti sanctam Dei Genitricem. Habes quòd, cum appareat, loquatur, & tangat, non potest dici emortua.*

Miraculum item sanctæ Dei genitricis, quo Cosmiana vxor Germani Patricij coacta est ex hæresi Seueriana ad verã Christi fidem redire. Cap. XLVIII.

NArrauit nobis Anastasius presbyter, & ¹ ornamentorum sanctæ resurrectionis Dei, & Domini nostri Iesu Christi custos, quia adueniens illuc Cosmiana vxor Germani Patricij, voluit nocte quadam sanctæ Dominicæ, sola adorare sanctum Domini nostri Iesu Christi, viuificúmque monumentum. Et cùm appropinquaret ianuæ sacrarij, apparuit illi visibiliter Domina nostra sancta Dei genitrix cum aliis quoque mulieribus dicens: Quomodo cum nostra non sis, huc audes ingredi? Et prohibebat eam. Neque enim (inquiebat) nostra est. Erat enim de hæresi Seueri acephali. Illa verò multum rogabat, vt mereretur ingredi. Ad quam sancta Dei genitrix respondens ait: Crede mihi, mulier, non ingredietur huc, nisi nobiscum communicaueris. Agnito autem quòd quia esset hæretica, ingredi prohiberetur, quódque nisi accederet ad sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam Christi Domini, & Dei nostri, intrare non permitteretur, continuò accersito diacono, orauit sanctum calicem sibi afferri. Quo allato, sumpsit sacrum corpus, & pretiosum sanguinem magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Atque ita absque vlla prohibitione digna habita est adorare sanctum, & venerabile sepulchrum Domini nostri Iesu Christi.

1 *Vides quòd sancta illa Ecclesia habebat ornamenta, quæ custodiebantur & nunc hæretici ea vilipendunt.*

Mirabilis visio Ducis Palæstinæ, qua & ipse coact⁹ fuit prædictæ hæresi abrenunciare, & Christi Ecclesiæ communicare. Cap. XLIX.

NArrauit autem nobis & hoc idem presbyter Anastasius, dicens: quòd Palæstinę Dux aliquando ¹ venerit adorare sanctam Christi Domini nostri resurrectionem. Et cùm cœpisset ingredi in sanctum monumẽtum, aspexit arietem cum ² impetu super se venientem, cornibúsque illum impetentem. Ille verò pauore correptus, retro redibat. Custos verò sanctæ Crucis Azarias,

& cæteri, qui assistebant eius timore permoti dicunt ei: Quid est, quid habes, Domine? Cur non ingrederis? Dicit eis: Vt quid intulistis arietem istum? Qui stupefacti inspexerunt sanctum monumentum, nihílque videntes, aiunt ad illum: Ingredere, nihil tale tutus est. Rursum ille ingredi cœpit, sed iterum aspexit arietem contra se venientem, & se introire prohibentem. Istud cùm sæpè factum esset, illéque cæteris nihil videntibus, solus arietem cerneret, ait illi Crucis custos: Crede mihi, Domine aliquid habes in anima tua, quod te ³ prohibet adorare sanctum, ac venerabile, & viuificum monumentum Saluatoris nostri. Itaque moneo, vt confitearis Domino peccata tua. Clemens enim, & misericordissimus cùm sit, & tui misereri volens, huiusmodi tibi miraculum ostendit. Ille autem cum lacrymis dixit ei: Verè multis, magnísque sceleribus obnoxius sum. Et seipsum in faciem prosternens, permultas horas permansit flens, & confitens B Domino. Surrexit deinde & rursus ingredi voluit, sed iterum ab ariete permissus non est. Tunc ait illi sanctæ Crucis custos: Verè aliud est, quod te ingredi vetat. Dixit autem ille: Num fortassè ideò, quia non sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, sed Seuero communico, introire prohibeor? Tunc petiit à custode, vt sancta & viuifica Christi Dei nostri mysteria sibi afferrentur. Et allato sancto calice communicauit. Atque ita ingressus est, & adorauit, nil vltra impedimenti passus, nihílque vlterius cernens, quod se deterreret.

1 *Et hic peregrinationem ad sanctum Domini sepulchrum assumpsit.*

2 *Vide simile miraculum superiori, & ad eundem effectum.*

3 *Nota adorare sanctum, ac venerabile, & viuificum monumentum Saluatoris nostri.* C

Visio, & dictum Abbatis Georgij Inclusi. CAP. L.

SCythopolis secunda est Palæstinæ metropolis. In ea cognouimus Abbatem Anastasium, narrantíque nobis de Abbate Georgio incluso, dicens: Cùm quadam nocte surrexissem, vt pulsarem signum (ea quippe cura mihi iniuncta fuerat, vt excitarem fratres ad ¹ collectam) audiui plorantem senem. Profectúsque ad illum rogare cœpi, dicens: Quid habes, pater, quia sic ploras? Ille verò nihil mihi respondit. Rursus cùm rogarem illum, vt causam fletus mihi aperiret, ingemiscês ille, & ex intimo corde suspirans, ait: Quomodo mihi à fleto temperem, cùm Dominus noster Iesus Christus reconciliari nobis non vult? Ego enim, fili, videbar mihi assistere cuidam super excelso throno residenti. Multa verò millia circa illum D erant orantium illum, atque deprecantium de quadam re, qui illorum precibus flexus non est. Posthæc accessit ad illum mulier quædam purpura induta, procidítque illi, & ait: Vel ² propter me placare, fili. Ille verò nihilominus inexorabilis mansit. Atque idcircò ploro, & eiulo, verens quod futurum est. Hæc mihi dixit Abbas Georgius, quinta illucescente feria cœnæ Domini: sequenti verò, id est parasceue, hora diei nona, repentino, magnóque terræmotu, corruerunt vrbes maritimæ Phœnicis.

Idem Abbas Anastasius hoc item de se eodem enarrauit, quòd post aliquãtulum temporis, cùm ad fenestram staret, plorare senex cœperit, & dixerit illi: Væ nobis, frater, quia nullam habemus compunctionem, sed in negligentia viuimus, cùm ira Dei comprehendat nos, & E in tutiores simus, vt iudicemur. Et sequenti Die ignis apparuit in cœlo.

1 *Vides consuetudinem horarum nocturnarum apud monachos antiquissimam?*

2 *Ecce quomodo Sancti, & beata virgo orant pro nobis.*

Vita Iuliani Senis monasterij Ægyptiorum. CAP. LI.

ANazarbus metropolis est secundæ Cilicum prouinciæ. Ab hac ferè duodecim milliaribus distat monasterium, quod dicitur Ægyptiorum. Narrauerunt ergo nobis patres eiusdem loci, quòd illic ante annos quinque mortuus esset senex, Iulianus nomine, qui circiter annos L X X. in quodam breui speleo moratus esset, nihil omnino seculi istius possidens præter cibicium, & sagum, & vasculum ligneum, & librum.

Dicebant autem nobis & hoc de ipso, quòd toto vitæ A suæ tempore, non accendit lucernæ lumen, sed per noctes cœlitus illustrabat eum lux, ita vt clarè legere posset.

Dictũ Abbatis Eliæ Solitarij. CAP. LII.

VEnit frater quidam ad Abbatem Eliam solitarium in cœnobium antiqui patris Sabæ, & dixit ei: Dic mihi verbum pater. Senex verò dixit fratri: Diebus patrum nostrorum tres istæ virtutes in amore, & studio apud monachos erant, Nuditas ¹ rerum omnium, mansuetudo, & continentia; nunc autem auaritia, gula, & audacia. Quod horum tibi placet arripe.

1 *Ecce quæ reddebant antiquos monachos commendabiles.*

Vita Senis Cyriaci ex monasterio sãcti Sabæ. CAP. LIII.

NArrauit nobis Abbas Stephanus de quodam sene morante in monasterio sancti patris nostri Sabæ, nomine Cyriaco, quod die quadam descenderit Tuthelam, parúmque remoratus circa mare mortuum, redierit iterum ad cellam suam. Cùm verò esset æstus vehemen- B tissimus, ita vt senex penè deficeret, extendens ¹ manus suas in cœlum ad Deum, orauit dicens: Domine, tu scis, quia iam præ sitis ambulare non possum. Statímque nubes circa illum facta est, neque recessit ab eo, quandiu restitueretur cellæ suæ. Distabat autem à cella milliaribus ferè X I I.

Idem Abbas Stephanus, & hoc nobis de eodem sene narrabat, quòd venerint sui die quadam, vt illum viderent. Cùm ergo venissent ad locum, quærebant ipsius cellulam: quam dum quibusdam ostendentibus didicissent, adeuntes pulsauerunt ianuam. Quibus cognitis, senex orauit Deum, ne ab ipsis videretur. Et aperiens ianuam exiit de cellula sua, & ab eis penitus ² visus nõ est. Abiénsque in desertum, redire tandiu noluit, donec il- C los recessisse cognouit.

1 *Nota orationem extensione ad cœlum, & illius exauditionem.*

2 *Ecce mirabilem fructum orationis.*

Vita monachorũ Scitiotarum & de [illegible] monio. CAP. LIIII.

VEnimus postea Terenuthen ad Abbatem Theodorum Alexandrinum. Aitque nobis senex: Filioli, multum cuera perdiderunt Scitiotæ monachi iuxta senum prædictionem. Credite enim mihi, filij, quia magna erat ¹ charitas apud Scitiotas, magna abstinentia, magna discretio. Vidi ego illic senes, qui nisi quis ad eos venisset, nunquam sumebant cibum. Inter quos erat senex quidam, Ammonius nomine, iuxta me manens. Cuius ego sciens consuetudinem, per omne sabbatum ad illum veniebam, vt propter aduentum meum sumeret cibum. D Habebant hoc omnes generaliter, quòd quacunque hora accederent ad eos aliqui, permittebãt illos orationem facere, illísque orantibus, ipsi mensam apponebant, & continuò cibum sumebant.

1 *Virtutes, quæ Scitiotas monachos commendabiles reddebant.*

Visio cuiusdam Senis commorãtis in Sciti, & de Abbate Irenæo. CAP. LV.

ABbas Irenæus narrauit nobis de sene quodam cõmorante in Sciti, quòd diabolum viderit noctu sarculos, rastra, & cophinos præbentem fratribus. Dixitque diabolo senex: Quid ista sunt? Respondit diabolus: Distractionem fratribus præparo, vt his occupati, fiant negligentiores ad ¹ orandum, & glorificandum Deum.

Idem Abbas Irenæus narrauit nobis, dicens iterum: Cùm venissent barbari in Scitim, recessi inde, & veni in E partes Gazæ, accepíque mihi cellulam in monasterio. Abbas verò ipsa die dedit mihi librum ad legendum, in quo senum gesta scripta erant. Móxque vt aperui librum, occurrit oculis capitulum istud, Quòd venerit quidam frater ad senem, dixerítque illi: Ora pro me pater: dixerit autem illi senex: Cùm esses nobiscum, orabam pro te: nunc autem, ex quo in propria abijsti, non iam oro pro te. Vt ergo legi ego capitulum istud, plicui librum, & dixi in me ipso: Væ tibi, Irenæe, quia in propria venisti, nec iam orãt pro te patres. Móxque librum Abbati restituens recessi, & veni in loca ista. Et hæc mihi causa fuit, filioli, veniendi in hunc locum.

1 *Vides, quod oratio, & glorificatio Dei displicet dæmoni? Ergo placet Deo, iuxta illud: Non potestis Deo seruire, & Mammonæ.*

Vita Ioann. discipuli Senis Magni, qui morabatur in vico Caparasima. CAP. LVI.

PTolomais ciuitas est Phœnicis. In hac vicus est qui dicitur Caparasma. In eo vico senex quidam magnus, habebátque discipulum, Ioannē nomine & ipsum magnum, singularisque obedienntiæ. Quadam ergo die misit senes discipulum suum in ministerium, dans ei & modicos panes pro victu suo. Profectus est autem discipulus & completo ministerio redit, retulítque panes. Videns autem senior panes ait ei: Fili, quare non comedisti panes, quos dedi tibi? Prostratus ille coram sene dixit ei: Ignosce mihi pater: Quia non benedixisti mihi, cùm mitteres me, vt cibum sumerem, idcircò non sumpsi. Admiratúsque senex discretionem fratris, benedixit eum.

Ad hunc fratrem post dormitionem senis, cùm ieiunasset x l. diebus, vox facta est diuinitùs dicens: Super quemcunqoe morbum imposueris manus, curabitur. Mane autem facto, per dispensationem Dei ecce homo quidam cum vxore veniebat cuius mamillam cācri morbus consumebat. Rogabat ergo illum vir eius, vt vxorem suam curaret. Qui cùm peccatorem se diceret, & indignum ad tale attentandum opus, vir ille persistebat orans, vt annueret sibi vxorisque suæ misereréntur. Cùm verò imposuisset illi manum, mamillámqoe signasset, continuò sanata est. Et ex tunc plurima iam per illum signa Deus operatus est, non tantùm in vita sua, verùm etiam post [1] mortem.

1 *Miracula quæ post Sanctorum mortem per eos ad illorum memorias operatur Deus, splendorem vitæ illorum apertè confitentur.*

Mors Symeonis Stylitæ, & de Iuliano Abbate etiam Stylite. CAP. LVII.

QVadraginta ferè milliaribus ab Ægis ciuitate Ciliciæ Stylites erat, nomine Symeon. Hic fulgure percussus interiit. Abbas ergo Iulianus Stylites presbyter præter consuetudinem suam insolito tempore dixit discipulis suis: Mittite thymiama in thuribulum. Qui dixerunt ei: Dic nobis caosam, pater: orabántqoe, vt diceret eis. Senex aotem dixit: Quia modò frater meus Symeon à fulgure deiectus interiit, & ecce transit anima eius cum tripudio, & exultatione. Distabant autem ab inuicem milliaribus ferè vigintiquatuor.

CAP. LVIII.

ABbas Stephanus monasterij sancti Patris nostri Sabæ Dux, & hoc de memorato Abbate Iuliano Stylite narrauit, qoòd leo iuxta eum locum, in quo morabatur, apparuerit, plurimósque peregrinos, & indigenas necare solitus fuerit. Die ergo quadam aduocans discipulum suum senex, Pancratium nomine, dixit ei? Vade fermè duo millia passuum ad Austrum, inueniésque illic leonem iacentem, cui dices: Humilis Iulianus in [1] nomine Iesu Christi filij Dei viuificantis omnia tibi præcipit, vt recedas ab hac prouincia. Profectus verò frater inuenit leonem iacentem. Cúmque verba senis illi dixisset, continuò recessit leo.

1 *Etiam immanissimis bestiis sancti in virtute Dei imperant.*

Vita Abbatis Thallelæi Cilicis. CAP. LIX.

ABbas Petrus presbyter eiusdem monasterij narrauit nobis de Abbate Thallelæo Cilice, quòd LX. annos transegisset in vita monastica nunquam flere [1] desistens, dicénsque iugiter: Tempus hoc nobis ad pœnitentiam indultum est, & valdè requiretur à nobis, si illud neglexerimus.

1 *Ecce quomodo vera pœnitentia habet secum dolorem de peccatis commissis & non tantum nouam vitam.*

Factum egregiū sanctimonialis fœminæ per quod compúctus adolescens eius amator monach[1] effectus est. CAP. LX.

QVidam vir fidelis narrauit nobis, cùm in Alexandria essemus, tale quiddam. Sanctimonialis, inquit, quædam sedebat in domo sua, vitam solitariam ducens: salutísque suæ valde solicita, [1] ieiuniis, ac vigiliis vacabat iugiter, multásque faciebat eleemosynas. Sed bonorum omnium semper inuidus diabolus, tantas in virgine virtutes non ferens, contra illam puluerem excitauit. Immisit enim adolescenti cuidam turpem de illa diabolicámque cupidinem. Manebat autem extra limen eius adolescens. Cùm ergo virgo illa domo sua vellet egredi, atque ad Ecclesiam orationis gratia occurrere, ingerebat se illius oculis improbus & impurus adolescens, nec illam egredi sinebat, amatoria quędam verba procacibus nutibus illi insusurrans, adeò vt iam præ nimia molestia adolescentis cogeretur virgo domo sua nusquam progredi. Die igitur quadam misit ancillam suam virgo ad illum vt ei diceret: Veni, vocat te domina mea. Abiit ergo ad illam gaudens, & stuprum committere gestiens. Sanctimonialis sedebat in cubili suo. Ingresso igitur adolescenti ait: Sede. Cúmque sedisset, Dic oro te frater, inquit illa, cur ita mihi molestus, nec permittis me domo mea egredi? Respondit adolescens: Verè, domina, ta multùm amo, & quando te inspicio, totus in tui concupiscentiam inflammor. Quæ ait ad illum: Quidnam in me pulchrum vidisti, quia sic amas me? Ait adolescens: Oculos tuos: ipsi enim seduxerunt me. Virgo verò vt audiuit, quia oculi eius illum seduxissent, sumpto gladio mox oculos eruit. Hoc autem cùm vidisset adolescens, eruisse scilicet sibi Virginem oculos, compunctus corde abiit in Scitim, ibique seculo renuntians, effectus est probatissimus monachus.

1 *Vide sanctimonialium fœminarum exercitia, ieiunia, vigilias, & eleemosynas.*

Vita Abbatis Leontij Cilicis. CAP. LXI.

DIcebant quidam patrum de Abbate Leontio Cilice, qoòd in obsequio Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis fuerit feruentissimus, ac per XL. annos nunquam de illius templo [1] recesserit. Erat aotem semper miræ grauitatis, & sibi iugiter intendens. Dicebant & hoc de illo, quòd si vidisset pauperem venientem ad se, si quidem ille esset cæcus, per manum illi porrigebat eleemosynam, si autem videns, ponebat ante illum, aut in columnæ basi, aut in scamno, aut in sanctuarij gradibus, atque inde illam tollebat pauper. Interrogatus autem à sene: Quare, pater, per manus non das eleemosynas? respondit: Ignosce mihi, pater: neque enim ego sum, qui illam præbeo, sed Domina mea sancta Dei genitrix, quæ & me, & illos nutrit.

1 *Nota tu qui dicis antiquos monachos gyrouagos fuisse, & non vsos cella perpetua.*

Vita Abbatis Stephani Monasterij Æliotarum presbyteri. CAP. LXII.

NArrauit nobis vnus ex senibus de Abbate Stephano presbytero monasterij Æliotarum, quòd cùm sederet in cella sua, immisit illi cogitationes dæmon dicens: [1] Recede, nihil enim hic proficis. Senex autem dicebat dæmoni: Non audio te. Scio enim, quis es. Ferre non potes, vt aliquis saluetur. Sed Christus filius Dei viui ipse te conteret.

1 *Considera quod monachus qui institutum suum deserit, diabolo rem gratam facit.*

CAP. LXIII.

DIcebant de eodem Abbate Stephano, quod cùm sederet, & legeret, venit iterum diabolus visibiliter, dixitque ei: Recede, nihil enim hic proficis. Tunc ille dæmoni: Si vis vt recedam, fac, vt id, in quo ego sedeo, ambulet. Sedebat in sella viminea. Quo audito, dæmon confestim sellam illam per totam cellam ambulare fecit. Senex autem aspiciens versutiam dæmonis, ait illi: Nempe quoniam ita velox, & astutus es, non hinc [2] recedo. Factáque ab eo oratione, dæmon euanuit.

2 *Exemplo sancti huius patris instruimur, non debere monachum à religione deficere.*

CA. LXIIII.

TRes senes venerunt Abbatem Stephanum presbyterum, & cùm perseuerarent loquentes de vtilitate animæ, tacebat senior. Dicunt ei senes illi: Nihil nobis respondes, pater? Vtilitatis gratia venimus ad te. Tunc ait illis: Ignoscite mihi, vsque modo non animaduerti quid locuti sitis. Veruntamen quod habeo, hoc dico vobis. Ego die, noctúque nihil aliud aspicio, nisi Dominum nostrum Iesum Christum in ligno pendentem. Quod cùm audissent, multùm ædificati recesserunt.

CAP. LXV.

ABbas Ioannes cognomento Molbas, narrauit nobis de venerando sene isto beato Stephano presbytero, quòd cùm aliquando iecur illius grauiter infirmaretur, ex qua infirmitate sancta illa anima migrauit à corpore, coëgerunt illum medici [1] carnem manducare. Erat autem illi frater secularis quidem, sed valde religiosè, & secundum Deum viuens. Factum est autem, cùm carnes comedere presbyter, superuenit frater eius secularis, vidénsque illum vescentem carnibus scandalizatus

est, & valdè contristatus, quòd ex tanta abstinentia, atque continentia in extremo vitæ suæ tempore ad comedendum carnes deuolutus esset. Moa ergo in extasi factus, vidit quendam dicentem sibi: Quare sic de presbytero scandalizatus es, quia illum vesci carnibus vidisti? Nescis, quia necessitate compulsus, & propter obedientiam id fecit? Nempe propterea scandalizari non debuisti. Nam si merita, & gloriam fratris tui videre cupis, retro conuertere, & vide. Conuersúsque vidit fratrem suum crucifixum cum Domino. Aítque ad eum is qui illi apparuerat: Ecce in qua gloria frater tuus est.

3 *Antiqui monachi etiam à carnibus abstinebant.*

Vita Abbatis Theodosij solitarij. CAP. LXVI.

ABbas Antonius Dux monasterij Æliotarum, qui etiam illud ædificauit, narrauit nobis de Abbate Theodosio, quòd senex ipse hæc de seipso narrabat: Priusquam ad vitam solitariam transissem, factus in extasi aspexi virum quendam, cuius specie claritatem Solis vinceret. Hic tenens manum meam: Veni, ait, quia pugnare, & luctari te conuenit, & induxit me in theatrum infinitæ magnitudinis. Aspexi autem theatrum plenum viris ex vna parte candido amictu: ex alia verò nigro vestitis. Cùm ergo iniecisset me in theatrum, aspicio virum miræ magnitudinis Æthiopem, cuius caput aurpillimum penetrabat nubes. Tunc ait ad me iuuenis ille, qui mihi apparuerat. Cum hoc luctari te oportet. Ego, qui aspectu viri illius proceri territus eram, tremere, ac pauêre cœpi, orabámque iuuenem illum splendidum, qui me induxerat in theatrum, dicens: Quis hominum mortali conditione, & infirmitate circundatus, cum hoc luctari posset? Non ipsum vniuersum genus humanum, si in vnum confluat, huic resistere præualet. Ait autem ad me iuuenis ille præclarus: Prorsus cum illo te luctari opus est. Ingredere igitur cum omni alacritate, & fiducia. Mox enim vt tu illum adorsus fueris, ego adiutor adero, tibíque victoriæ coronam reponam. Vt ergo ingressus ad certamen sum, luctaríque inuicem cœpimus, continuò præclarus ille Iudex nostri certaminis affuit, mihíque coronam dedit. Atque plebs illa obscura, Æthiopúmque multitudo ingens eiulantes euanuerunt. Pars verò reliqua candidatorum gratias illi, & laudes referebant, qui me iuuerat, ac præclara victoria donauerat.

CAP. LXVII.

DE hoc Abbate Theodosio solitario narrauit nobis Abbas Cyriacus eius discipulus, quòd xxxv. annos egerit in a solitudine, semper post biduum comedens, & iugiter silentium seruans, neque ad aliquem loquens. Cæterùm si loqui voluisset, signo potiùs, quàm verbo vtebatur. Hoc & ego vidi. Mansi enim in eodem Æliotarum monasterio annis decem.

a *Vide sancti patris altam secessionem, longa ieiunia, & ingens silentium.*

CA. LXVIII.

DE Abbate Theodosio cùm audisset Abramius Dux sanctæ Mariæ nouæ: quòd non haberet a pallium quo hyeme vteretur, emit illi. Quod postquam senior accepit, quadam die cùm obdormiret (dormiebat autem in cella senex) ascenderunt latrones, & cauerunt illum pallio, abeuntésque secum illud tulerunt. Quo facto, nihil omnino locutus est senex.

a *Ecce beati viri paupertatem.*

Vita Abbatis Palladij, & Senis Thessalonicensis inclusi, nomine Dauid. CAP. LXIX.

PErreximus vnà ego & dominus Sophronius Sophista, priusquam seculo renuntiaret, in Alexandriam ad Abbatem Palladium, virum sanctum, & verum seruum Dei, qui monasterium suum habebat in Thelazomeno. Cúmque illum pariter deprecaremur, vt verbum nobis ædificationis impenderet, cœpit senex ita ad nos loqui: Filioli, tempus iam abbreuiatum est, certemus hic modicum, atque laborémus, vt immortalibus bonis in æternum perfruamur. Vidête martyres, vidête pugiles cœlestes, quomodo viriliter, & fortiter cuncta superarunt. Quos præteritum quidem tempus agnouit, viuunt autē semper in memoria nostra, vixq; satis illorum tolerantiam admirari possumus. Attestātur audientiam singuli, stupentes ad tātam beatorum martyrum patientiam, quæ verè naturam excedit humanam. Quorum aliis quidem effossi sunt oculi, aliis excisa crura, illis amputatæ manus, istis abscissi pedes. Et illos quidem ignis repentè consumpsit, istos autem lentiùs adurens, diu cruciauit. Atque alios nimirum profundum maris excepit, alios flumina absorbuerunt. Alios item ferarum dentes, veluti malefactores quosdam, & sceleratos, viuos acceperunt: alios varijs exquisitísque supplicijs præmortuos in cibum acceperunt. Cæterùm omnia contra illos bellatores Dei tormētorum genera excogitata dicere non possumus, quæ suggessit humani generis inimicus dæmon, inuidia martyrum ipsorum, & liuore tabescens. O quàm fortiter sustinuerunt! O quanto fidei ardore pugnauerunt, imbecillitatem corporis animæ virtute superantes, & quæ sperauerunt præmia, præsentibus laboribus digniora, & longè excellentiora capientes! Quæ profectò omnia firmissimam illorum in vtranque partem fidem ostendebant. Hinc quidem, quia laborantes modicum, eximiis bonis in æternum perfruūtur: inde verò, quia horrenda corporibus illorum inuecta supplicia, quæ inimicus noster diabolus induxit, fortissimè sustinuerunt. Si igitur tribulationes toleremus, & cum Dei gratia vincamus, verè Dei amatores inuenimur, Deúsque nobiscum est, pugnans ipse in nobis, & vincens, laborésque, nobis, ac sudores dignationis suæ gratia alleuiant. Scientes igitur, filioli, quali operatione, & expectatione tempus indiget, dignoscamus nos ipsos per quietem, & silentium. In hoc enim indulto nobis tempore, necesse est nos vti bona, & præclara ope pœnitētiæ, vt Dei templa esse mereamur. Neque enim modicus, & breuis bonos nobis in futuro seculo recompensabitur. Dixit iterum: Memores semper illius simus, qui non habuit, vbi caput reclinaret. Ait rursus ipse senior: Quoniam iuxta Paulum Apostolum, tribulatio patientiam operatur, faciamus mentem nostram capacem Regni cœlorum. Ait iterum: Filioli, non diligamus mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Dixit iterum: Obseruemus cogitationes, quod medicamentum salutis est.

Idem Abbas Palladius rogatus à nobis, vt ædificationis nostræ causa diceret nobis, qua ratione, quibúsque cogitationibus ad monasticum statum accessisset, narrauit nobis, dicens: In prouincia mea Thessalonicensi senex quidam extra muros ciuitatis quasi stadiis tribus inclusus erat ex Mesopotamia, nomine Dauid, virtutibus valdè ornatus, misericors, & continens. Transegit autem in cellula inclusus ferè annos a octoginta. Quoniam verò propter metum barbarorum nocte muri ciuitatis custodiebantur à militibus, hi qui illam muri partem obseruabant, quæ senis cellulam respiciebat, nocte quadam aspexerunt, quia ex fenestris cellulæ ignis egrediebatur. Putauerunt autem milites barbaros in cellam senis iniecisse ignem. Manè autem facto, ingressi milites inuenerunt & senem illæsum, & cellam omnino incombustam, & obstupuerunt. Rursus igitur sequenti nocte eundem aspicientes ignem admirabantur. Non solùm autem sequenti nocte ignis in cella senis apparuit, verùm & multo tempore, ita vt vniuersæ ciuitati manifestum factum fuerit, plurimíque nocte in muro sæpè vigilarint, inspiciendi ignis gratia. Visus est autem ignis ille vsque ad obitum senis. Hoc ego miraculo non semel, & bis, sed sæpiùs inspecto, dixi in me ipso: Si in hoc sæculo tantam gloriam seruis suis largitur Deus, quantam putas eis reseruauit in futuro, quando & illorum facies fulgebunt vt sol? Ista mihi, filioli, causa extitit arripiendi monasticum habitum, & hanc conuersationem eligendi.

a *Econtra hæretici nostri temporis nil horum facere volunt, neque vllos pati labores pro acquisitione regni cœlorum.*

a *Vtrúmne est pater iste vagatione, an cella perpetua.*

Vita monachi, Addas Mesopota-

DIcebat & hoc nobis senex, quòd post hunc Abbatem Dauid venit & alius monachus, nomine Addas, & ipse de Mesopotamia, & seipsum inclusit ad aliam

meniiacluſi CAP. LXX.

partem ciuitatis, in quadam magna Platano, fecitque ſibi feneſtram, ex qua etiam cum aduenientibus colloquebatur. Cùm ergo veniſſent barbari, & omnem prouinciam prædati eſſent, contigit eos per locum illum tranſire. Cúmque vnus ex eis, conſpecto ſene, gladium eduxiſſet, vt illum occideret, ſublatam in ſublime manum vt feriret, demittere nequiuit, ſed ea ſuſpenſa immobilis perſtitit. Quod cùm cernerent barbari cæteri, admirati rogabant ſenem, vt ſocium eorum curaret. Senex igitur, facta 1 oratione, curauit eum, & ita dimiſit in pace.

1 *Vide magnam orationis virtutem.*

Pulchrum dictum homicidæ ad monachū, qui eum ſequebatur, dum duceretur ad decollandum. CAP. LXXI.

NArrauit nobis iterum idem Abbas Palladius, dicẽs, quòd in Arſenoite, quæ ciuitas Thebaidis eſt, tentus fuerit quidam homicidij reus: qui cùm diu cruciatus eſſet, tandem ſententiam decollationis accepit. Cùm ergo duceretur extra ciuitatem ſex millibus paſſuum, illic enim etiam perpetrarat homicidium: Monachus quidam retrò ſequebatur, vt illum decollari conſpiceret. B Qui autem ad decollandum ducebatur, cùm vidiſſet monachum ſequentem, ait illi. Nunquid, Abba, non habes cellulam, & opus manuum? Reſpondit monachus: Parce mihi, frater, & 1 cellam enim, & opus habeo. Qui reſpondens ait illi: Quare ergo non reſides in cella, & deſles peccata tua? Dicit ei monachus: Verè, frater mi, valdè me ipſum negligo, compunctionémque anima mea non habet, & idcircò venio, vt aſpiciam te, dum morieris, vt vel ſic in compunctionem veniam. Tunc ait illi reus: Vade, frater, per Dominum, ſede in cella tua, & gratias age Saluatori noſtro Ieſu Chriſto: Ex quo enim ille homo factus eſt, & pro nobis peccatoribus mortuus eſt, homo non iam moritur. C

1 *Et cellam, & opus habeo. Ergo antiqui monachi non erant gyrouagi, & operabantur manibus.*

Relatio Abbatis Palladij de Sene homicida, qui adoleſcentẽ falſo de eodem crimine accuſabat. CA. LXXII.

ET hoc item narrauit nobis ipſe Abbas Palladius dicens: Senex quidam, qui homicidium fecerat, detentus eſt à magiſtratu in Alexandria. Qui cùm cruciaretur, dicebat, & alium fuiſſe ſecum rædis illius ſocium. Is autem, de quo ſenex dicebat, adoleſcens erat viginti fermè annorum. Multis ergo ſuppliciis ambo affecti ſunt. Et ſenex quidem dicebat: Mecum fuiſti quando perpetratum homicidium. Adoleſcens verò denegabat, nihil ſe conſcium eſſe homicidij, neque cum illo ſe fuiſſe aſſerens. Cùm ergo cruciati fuiſſent, ſententiam ambo acceperunt, vt furcis ſuſpenderentur. Abierunt ergo quinto extrà vrbem milliario, illic enim huiuſmodi reos punire conſueuerant. D Diſtabat autem ab eo loco ferè vno ſtadio Saturni templum euerſum. Cùm igitur ad locum veniſſent, & populus, & milites, adoleſcentem primò ſuſpendere in ligno voluerunt. Adoleſcens autem proſtratus in ſolo milites orabat dicens: Per Dominum facite charitatem, & ad Orientem me ſuſpendite, vt illum videam, quando ſuſpenſus ero. Dicunt ei milites: Quam ob cauſam? Quibus adoleſcens: Verè, Domini mei, non habeo infœlix ego pluſquam ſeptem menſes, ex quo ſanctum baptiſma ſuſcepi, & Chriſtianus factus ſum. Cùm hoc audiſſent milites, lacrymati ſunt ſuper adoleſcente. Senex autem cùm hoc audiſſet, fremens grauiter dixit militibus: Serapim facite, vt ego aſpiciam contra Saturnum. Cùm verò audiſſent milites blaſphemiam ſenis, omiſſo adoleſcente, ſenem primò ſuſpenderunt. E Cùm verò illum in ligno ſuſpenderent, ecce eques ab Auguſtali celeriter miſſus ait militibus: Adoleſcentem nolite interficere, ſed reducite illum. Factum eſt autem ingens gaudium militibus, & cunctis aſſiſtentibus. Et reducentes eum, introduxerunt in prætorium. Abſoluítque illum Auguſtalis. Adoleſcens verò præter ſpem ſaluus factus, abiens monachus effectus eſt. Hoc autem ad noſtram, & legentium vtilitatem ſcripſimus, vt ſciamus, quia nouit Dominus pios à tentatione liberare.

Vita Ioãnis militis Alexandrini. CA. LXXIII.

HOc etiam nobis idem Abbas Palladius narrauit dicens: Erat in Alexandria miles quidam, Ioannes nomine, hunc habens ordinem vitæ. Diebus ſingulis à manè vſque in horam nonam ſedebat in monaſterio ſo- A lus iuxta gradus ſancti Petri, cilicio indutus, & ſportellas texens, tacens omninò, & nulli quicquam loquens. Sedebat autem laborans manibus ſuis, atque hoc ſolum canebat dulciter: Domine, ab occultis meis munda me, vt non confundar orans. Hunc verſum cùm dixiſſet, vna fermè hora tacebat, & rurſum eundem reſumebat verſum, ipſúmque ſepties per totam diem repetebat, nihil omnino aliud dicens. Hora autem nona exuebat cilicium, induebátque militarem habitum, id eſt, indumenta ſua, atque ita ad propria ſigna properabat. Cùm hoc & ego annos octo manſi, multúmque ædificatus ſum in ſilentio, & inſtituto ſuo.

Eiuſdem Palladij verax dictū de hæreſibus. CA. LXXIIII.

COrripiens nos aliquando ſenex ipſe ita nobis dicebat: Credite mihi, filioli, nihil aliud ſchiſmata, & hæreſes introduxit in ſanctam Eccleſiam, niſi quòd 1 nõ Deum, & nos inuicem valdè diligimus. B

1 *Hæreſium cauſa eſt, quòd non Deum, & nos inuicem valdè diligimus.*

Miraculum Domini erga vxorem, & filiã viri fidelis, qui hoſpitio ſuſcipere monachos cõſueuerat. CAP. LXXV.

IDem Abbas Palladius cùm aliàs ad ipſum veniſſemus, tale quiddam enarrauit nobis. Erat, inquit, in Alexandria vir quidam fidelis, religioſus valdè, & miſericors, & hoſpitio ſuſcipiens monachos. Habebat autem vxorem, & ipſam humilem valde, & 1 ieiunantem quotidiè. Erat autem illis & filiola quaſi annorum ſex. Quadam verò die vir ille pius profectus eſt Conſtantinopolim. Erat enim negociator. Relictis ergo domi vxore, & puella, & vno ſeruo, abiit vt nauigaret. Cùm verò iret ad nauem, ait ad illum vxor: Cui nos commendatos relinquis, Domine? Reſpondit vir eius: Dominæ noſtræ 2 ſanctæ Dei genitrici. Die verò quadam cùm ſederet vxor, & operaretur, habens & puellam ſecum, ſeruus ille C ex ſuggeſtione diabolica, voluit necare Dominam, & eius filiam, & diripere quicquid haberent, & fugere. Sumpto igitur ex coquina cultro, perrexit in triclinium, vbi erant ambæ. Cùm verò veniſſet ante ianuam, comprehenſus eſt cæcitate, ita vt neque triclinium ingredi, neque ad coquinam reuerti poſſet. Cùm autem vna fermè hora perſtitiſſet, fruſtràque conaretur ingredi, cœpit vocare dominam ſuam dicens: Veni huc vſque. Illa admirans, quòd in medio ianuæ perſiſtens, ad illam non ingrederetur, ſed clamaret, ait illi: Tu magis huc veni: ignorans, quòd cæcitate teneretur. Puer autem cœpit illam adiurare, vt iret prope illum. Illa verò iurauit, non ſe ituram. Tunc ait illi: Mitte vel puellam. Quæ noluit, D ſed ait: Si quid vis, ipſe potiùs veni. Vidẽs autem ſeruus, quòd nihil potuiſſet agere, ſe ipſum gladio percuſſit, & corruit. Domina verò illius cùm vidiſſet, quid egerat, clamauit, continuóque vicini accurrerunt. Ingreſſi ſunt autem & ex officio Prætorij nonnulli, puerúmque reperientes adhuc viuum, didicerunt ab ipſo omnia, & glorificauerunt Dominum, qui oſtenderat miracula, & matrem ſaluauerat cum filia.

1 *Et ieiunantem quotidie. Vide hic quid promeruerit à Deo tam continuum ieiunium, & num fuerit inutile, vt nunc dicunt quidam.*

2 *Ecce quomodo ſancta Dei genitrix affuit his ſibi commendatis mulieribus.*

Submerſio Mariæ mulieris peccatricis. CA. LXXVI.

ET hoc item Palladius ipſe narrauit nobis. Audiui, inquit, Nauclero quodam enarrâre, tale aliquid. Quòd E die quadam cùm nauigaret, vectores habẽs viros, & mulieres, veniſſétque in altum, cæteris omnibus benè nauigantibus, aliis quidem Conſtantinopolim, aliis verò Alexandriam, & aliis aliò, vento illis flante proſpero, ipſe ſolus nauigare non poterat. Et manſimus, inquit, quaſi dies quindecim, nihil ex eo loco, vbi eramus, moti. Verſabamur igitur in magna mœſtitia, & deſperatione, neſcientes, quidnam iſtud ſibi vellet. Ego verò, vt Nauclerus, cui cura nauis incumbebat, & omnium, qui in ipſa erant, cœpi rogare Deum pro hac re. Quadam verò die venit ad me vox dicens: Mitte foras Mariam & bene nauigabis. Cœpi ergo cogitare, quid nam hoc eſſet, & quæ eſſet Maria. Cùm autem hæſitarem de hoc, venit vox de nouo dicens: Dixi tibi, Mitte foras Mariam, &

salui eritis. Tunc ego cogitans, quid istud esset, exclamaui continuò, ô Maria. Nesciebam enim, quæ esset Maria. A Illa verò iacens in loco suo, vt audiuit, respondit dicens: Quid iubes, Domine? Tunc aio ad illam: Fac charitatem: veni hucusque. Exurgens autem continuò venit. Cùm ergo venisset ad me, accepi eam seorsum, & dixi ei: Vides Maria soror, quot peccata mea sunt, vt propter me vos omnes pereatis? Illa verò altiùs ingemiscens, ait: Verè, domine mi Nauclere, ego peccatrix sum. Et dixi illi: Quæ peccata habes, mulier? Et illa: Væ mihi, inquit, quia non est peccatum, quod ego non egerim, & propter peccata mea vos omnes in periculo constituti estis. Tūc enarrauit mihi mulier, quæ circa se erant, dicens: Profectò, domine Nauclere, infœlix ego virum & habui, ex quo duos filios genui. Cúmque ad ætatem peruenissent, vnus annorum nouem, alius quinque, mortuus est vir B meus, & remansi vidua. Miles autem quidam habitabat iuxta me, quem ego maritum accipere volui, misíque ad ipsum quosdam. Ille autem non acquieuit, dicens: Non accipio vxorem, quæ habeat ex altero viro filios. Ego autem videns quòd propter filios nollet me accipere vxorem, inducta amore eius, occidi duos filios meos, indicauíque illi dicens: Ecce modò nullum habeo filium. Miles verò cùm audisset, quid egissem de filiis ait: Viuit Dominus, qui in cœlis habitat, quia te non accipiam. Vnde ego metuens, ne hoc manifestum fieret, & moreret, fugi. Hæc ego audiens ex ore mulieris, ne sic quidem illam in mare proiicere volui, sed differens dixi ad illam rursus: Ecce ego ascendo in carabum, & si ambulauerit nauis, scito, quia peccata mea in naui operantur. Vocauíque continuò scapharium, & dixi: Produc scapham. C Cúmque ascendissem in illam, nihilo magis vel nauis, vel scapha mota est. Tunc ascendens nauim, dixi mulieri: Descende & tu in scapham. Quæ mox vt descendit, scapha se cōtinuò quinquies girans, in profundum cum muliere submersa est. Nauis autem post hæc tanta velocitate cucurrit, vt tribus diebus, ac dimidio, nauigationem peregerimus, quam diebus quindecim peracturi eramus.

Relatio triū pauperum cæcorum quomodo excæcati fuissent. CA. LXXVII.

EGo, & Dominus meus Sophronius perreximus ad Philosophi Stephani domum, doctrinæ gratia. Erat autem meridianum tempus. Morabatur hic apud sanctam Dei genitricem, quam ædificauit beatus Papa Eulogius ad Orientem, iuxta magnum Tetraphylum. Cùm ergo pulsaremus Philosophi ostium, puella respiciens ait nobis: Dormit ille, oportet expectare pu- D sillum. Tunc aio domino meo Sophronio. Eamus ad Tetraphylum, & illic maneamus. Est autem locus ille Alexandrinis venerabilis. Dicunt enim Hieremiæ Prophetæ ossa ex Ægypto sumpta ab Alexandro conditore vrbis illic fuisse reposita. Cùm ergo illuc venissemus neminem inuenimus, nisi cæcos tres. Erat enim meridies. Perreximus ergo iuxta illos cæcos quietè, ac silenter, sedimúsque habentes libros nostros. Loquebantur autem cæci adinuicem multa. Dixitque vnus ad alium: Tu quomodo effectus es cæcus? Respondit & ille: Nauta eram, cùm essem adolescens, & cùm ab Aphrica nauigaremus, in mari oculis repente captus sum, nec valens ambulare albuginem in oculis habui. Dixit autem hic alij cæco: E Tu verò quomodo effectus es cæcus? Respondit & ille dicens: Vitri ad vsus varios fundendi artifex fui, & ex igne amisi duos oculos meos, & cæcus effectus sum. Aiunt autem ambo hi, qui interrogati fuerant ad tertium: Dicas & tu quomodo factus es cæcus. Respondit: Verè ego vobis dicam: Cùm essem adolescens, valde oderam, & recusabam, luxuriosúsque factus sum. Cúmque non haberem necessaria victui, furari iam cœperam. Die verò quadam cùm mala multa perpetrassem, stabam in quodam loco vidénsque mortuum efferri optimè indutum, secutus sum funus, vt viderem, vbi poneretur. Venerunt autem retro sanctum Ioannem, & ibi posuerunt illum in monumento, peractísque officiis, recesserunt. Ego mox vt illos recessisse vidi, ingressus monumentum, exui ipsum, nihil ei relinquens, præter vnum A linteamen. Cùm ergo progredi inciperem de monumēto, multis onustus pannis, dicit mihi improba mea cogitatio: Accipe & linteum, quia bonus est. Redij autem infœlix ego, vt sumpto etiam linteo, nudum illum relinquerem. Tunc resedit coram me mortuus, extendénsque super me manus suas, digitis suis eruit oculos meos. Ego igitur miserabilis, dimissis omnibus, cum magna tribulatione, & periculo exiui de monumento. Ecce & ego dixi vobis, quomodo cæcus factus sum. Ista cùm audiremus, innuit mihi Dominus meus Sophronius, & recessimus. Et dixit mihi: Verè Abba Ioannes, hodie nihil vltra studeamus. Satis enim ædificati sumus. Hęc ergo scripsimus, vt & vos pariter ædificemini. Nullus enim malè faciens Deum latere potest.

Stupendum miraculum puellę mortuæ, quæ ex [illegible] m detinuit, nec eū relaxare voluit donec is promitteret se monachū futurum. CA. LXXVIII.

B ET istud quidem, quod diximus, nos ipsi ab eo qui passus fuerat, audiuimus. Aliud autem huic simile Abbas Ioannes monasterij Gigantum pater, cùm Theopolim venisset, narrauit nobis dicens: Ante modicum temporis venit ad me adolescens quidam, & ait mihi: Amore Dei suscipe me: volo enim pœnitere. Dicebat autem hoc cum multis lacrymis, & singultibus. Ego autem cùm illum cernerem valdè contritum, & cum magna mœstitia, dixi illi: Dic mihi causam tantæ compunctionis, neque me cœlestes quicquam. Potens est enim Deus adiuuare te. Et ait mihi: Verè, domine Abba, magnus peccator sum. Ad quem ego rursus: Crede mihi sicut multa & varia sunt vulnera, ita plurima quoque sunt, & varia medicamenta. Sed tu si curari vis, dic mihi in veritate opera tua, vt ego congrua illis adhibeam me- C dicamenta. Aliter enim curatur fornicator, aliter homicida. Aliúdque est auari remedium, alia mendacis medicina. Atque alio iracundus, alio fur, alio adulter medicamine sanatur. Et ne tibi plurima vitia enumerem: quemadmodum in corporalibus infirmitatibus variis varia quoque remedia adhiberi conspicimus, ita & animæ vitiis, quæ plurima sunt, medicina quoque variè succurrit. Ille autem altiùs ingemiscens, & pectus suum percutiēs, lacrymis, ac singultibus confundebatur, & præ nimia perturbatione & mœstitia animo deficiebat, neque vocem liberam emittere valebat: Ego verò vt illum animaduerti ad desperationem, tristitiámque intolerabilem lapsum, & neque quid passus esset, neque quid egisset mali neque calamitatem suam enunciare valentem, D aio ad illum: Fili, audi me, & aliquantulum vim fac cognitioni tuæ, & enuncia mihi quid à te factum sit.

Potest enim Dominus noster præbere tibi auxilium suum. Nam qui propter ineffabilem clementiam suam, & immensas miserationes omnia pro salute nostra passus est, quíque cum publicanis conuersatus est, & meretricem ad se venientem non repulit, latronémque suscepit, & amicus peccatorum appellatus est, ipse, fili, te quoque pœnitentem, conuersumque suis manibus suscipiet gaudens. Non enim vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Tunc ille vim sibi faciens, & à singultibus, & lacrymis modicum temperans, ait mihi: Ego, Domine mi Abba, plenus omni scelere, & nec cœlo dignus, nec terra, cùm antè hoc biduum audissem, diuitis E cuiusdam ex primariis ciuitatis huius filiam virginem esse defunctam, & cum multis, ac preciosis vestibus sepultam in vno extra ciuitatem monumento, ex consuetudine pessimi istius operis, abij noctu ad tumulum, ingressúsque cœpi expoliare illam. Et cùm omnibus iam ipsam exuissem, quibus erat induta, nec camisiæ quidem ipsius parcens, sed eam quoque illi auferens, nudámque ipsam, vt nata fuerat, relinquens, è sepulchro egredi volebam. Tunc illa resedit coram me, sinistrámque manum suam extendens, apprehendit dexteram meam, & ait ad me: Nequissime hominum, ita ne decuit te nudare me? An tu non times Deum, neque metuis damnationem vltimæ retributionis? Nónne vel saltem mortuæ misereri debuisti? Sed Christianus existens, ita me nudam assistere Christo honestum fore iudicasti? Ne-

que sexum muliebrem teneritus es? Nónne hic sexus te peperit? Nónne matrem quoque tuam hac in me iniuria violasti? Quam, infelicissime hominum, rationem redditurus es Christo de scelere in me perpetrato ante ipsius tribunal tremendum, quod viuente me, nullus extraneus vnquam vidit faciem meam, & tu post mortem, & sepulturam denudasti me, & nudum aspexisti corpus meum? Væ humanæ miseriæ, ad quam infœlicitatem deuoluta est? Quo corde, homo, quibus manibus accedens, sumis [1] sanctum & preciosum corpus Domini nostri Iesu Christi? Ego autem, vt ista conspexi, & audiui, pauore, & formidine totus comprehensus, tremens, ac metuens, vix aio ad illam: Dimitte me, & istud vltra non faciam. Quæ ait, profectò non ita erit. Tu enim vt voluisti, huc intrasti: sed non ita vt volueris, hinc egredieris. Nam sepulchrum istud commune erit ambobus. Neque putes te confestim moriturum, sed cùm hic plures dies cruciatus fueris, malam malè animam perditus reddes. Ego autem orabam illam cum lacrymis, vt dimitteret me, multùm illam per omnipotentem Dominum adiurans, spondénsque, & iuramento confirmans, me iniquum istud, ac nefarium opus vltra non facturum. Tandem post multas preces, & lacrymas, crebrósque meos singultus, respondens illa dixit mihi: Si vis viuere, & ab hac necessitate liberari, promitte mihi, quia si te dimisero, non solùm ab his nefariis, & profanis actibus tuis recedes, sed statim pergens, & seculo renuncians efficieris monachus, agésque pœnitentiam pro his, quæ malè gessisti, seruiens Christo. Ego autem iuraui dicens: Per Deum, qui suscepturus est animam, non solùm quæ dixisti faciam, sed ab hodierna die non ingrediar in domum meam: sed hinc abiens, in monasterium proficiscar. Tunc ait puella ad me: Indue me, sicut inuenisti prius indutam. Cùm verò illam induissem, rursum, se collocans, mortua est. Hæc ego cùm ab adolescente audissem, refouens eum, ac erigens verbis, & prouocans ad pœnitentiam, & continentiam, totondi illum, indutúmque monastico habitu inclusi in spelunca in monte, magnificè gratias Deo agentem, certantémque viriliter pro anima sua.

1 *Vides in Eucharistia esse verum Domini nostri Jesu Christi corpus.*

Maximũ & stupendum miraculum facratissimę Eucharistiæ sub Dionysio Ecclesiæ Episcopo. CA. XXXIX.

CVm venissemus Seleuciam, conuenimus Abbatem Theodorum Episcopum eiusdem ciuitatis: Ille autem narrauit nobis, dicens: Sub sanctæ memoriæ Dionysio huius ciuitatis Episcopo prædecessore meo, tale quiddam cõtigit. Vir quidã erat in hac ciuitate negociator valde religiosus, & diues, sed hæreticus. Erat enim de Seueri sectatoribus. Habebat autem seruum fidelem quendam, sanctæ & Apostolicæ ecclesiæ communicantem. Hic prouinciæ consuetudinem, die sancto [1] cœnæ Dominicæ sumptam communionem inuoluit in linteo a mundissimo, & in armario reposuit. Contigit autem, vt post sanctum Pascha vir ille fidelis mitteretur Constantinopolim, negotij cuiusdam gratia, dimissa per obliuionem sancta communione in armario. Dedit autem eius clauem Domino suo. Quadam verò die aperiẽs armarium Dominus, inuenit linteolum, inuolutásque in eo sanctas particulas communionis. Contristatus est autem in hoc, & hęsitabat, quidnam de illis faceret. Nam ex ipsis communicare nolebat, eo quòd essent sanctæ [3] Catholicæ Ecclesiæ, ipse verò Seuerianæ hæresis. Et tũc quidem dimisit eas in armario, vt erant, cogitans quia rediturus esset seruus, & sumpturus eas. Cùm autẽ venisset cœna Domini, neque seruus ille fidelis rediisset, voluit eas Dominus ipsius comburere, ne rursus & in secundum annum seruarentur. Apertóque armario, vidit omnes sanctas particulas culmos & spicas germinasse. Vnde ingenti timore comprehensus in nouo, admirandóque spectaculo, sumens sanctas particulas, & cum omni domo sua clamans Kyrie eleison, cucurrit ad sanctam ecclesiam, ad sacrosanctum, & venerabilem Dionysium Episcopum. Hoc autem magnum, & terribile, & omnem rationem, omnémque mentem, & omnem cogitationem excedens miraculum, non vnus, aut duo, aut tres, vel pauci aliqui viderunt, sed omnis ecclesia, ciuésque, & rustici, indigenæ, & hospites, quique continentem ambulant, & qui mare nauigant, viri, & mulieres, senes, & impuberes, iuuenes, & seniores, Domini, & serui, diuites, & pauperes, principes, & subditi, sapiẽtes, & simplices, virgines, & monachi, viduæ, ac nuptæ, qui in potestate sunt constituti, & qui illorum reguntur imperio. Et illi quidem clamabant Kyrie eleison, cæteri autem aliter Deum laudabãt, omnes verò pariter Deo gratias agebant pro ineffabilibus eius mirabilibus. Plurimi igitur ex hoc miraculo credẽtes adiecti sunt sanctæ Catholicæ & Apostolicæ ecclesiæ.

1 *Dies cœnæ Dominicæ sanctus est.*

2 *Vides hic nullam fieri mentionem de altera specie, quia etiam tunc vigebat consuetudo communicandi laicos sub vna specie tantum, de qua etiam mentionem facit concilium Constantiense.*

3 *Qui hæreticus est, non est communionis sanctæ Catholicæ ecclesiæ.*

De fonte concesso à Deo fratribus monasterij in scopulo ad orationes Abbatis sancti Theodosij. CAP. LXXX.

PErvenimus ad monasterium Abbatis Theodosij in scopulo. Est autem mons inter Seleuciam, & Rosum Ciliciæ, partésque loci illius duxerunt nos supra monasterium, quantum est iactus sagittæ, & ostenderunt nobis fontem magnum valdè, ac speciosum, dixerúntque nobis: Fons iste, fratres, naturalis non est, sed nobis diuinitus indultus est. Sãctus enim pater noster Theodosius multũ [1] ieiunauit, multúmque lacrymarũ fudit, ac multis orationibus, & genuflexionibus obtinuit, vt Deus nobis aquæ istius solatium, & vsum præstare dignaretur. Antea enim ex torrente patres nostri aquam hauriebant. Sed Deus, qui facit voluntatem timentium se, sua infinita bonitate præstitit nobis aquæ istius refrigerium per orationes sancti patris nostri. Verùm ante hoc biennium, quidam ex fratribus petierunt à patre monasterij, vt lauachrum ædificarent in monasterio. Abbas autem grauiter id quidem ferebat, cessit tamen, fratrum infirmitati condescendens. Ædificatum est igitur lauachrum in monasterio, semélque tantúmmodo lauatum est in eo, cùm statim exsiccatus est talis, tantúsque à Deo nobis præstitus fons. Et in veritate vobis dicimus, Christiani, multum ieiunauimus, multum orauimus, multas genuflexiones egimus, vt aquam reciperemus, nihílque profecimus. Annus ergo integer sine aqua fontis impletus est, eramúsque in magna tribulatione. Statim verò vt pater noster bonus, & misit destruxit lauachrum, Deus aquam iterum reddidit.

1 *Ieiunium, oratio, lacrymæ, & genuflexiones valent multum ad impetrandum aliquid à Deo.*

De puteo aqua impleto, submissa imagine eiusdẽ Abbatis Theodosij. CA. LXXXI. Narratur hoc miraculũ Act. 5. syn. Nic. 2.

NArrauerunt nobis patres ipsi & istud dicentes: Mulier quædam fidelis in partibus Apamiæ his diebus puteum fodit. Cúmque plura expendisset, ingentésque labores tolerasset, & effosso puteo in magnam altitudinem, aquam non inuenisset, in mœrore, & afflictione multa erat, & propter laborem, & propter impensas. Apparuit autem ei sic afflictæ mulier quædam in somnis dicens: Mitte in scopulum, & adduci tibi fac [1] imaginem Abbatis Theodosij, & per ipsum tibi Deus aquam præstabit. Mulier autem protinus duos homines misit ex suis, accepitque imaginem sancti. Quam cùm in puteum submisisset, statim aqua manauit, ita vt dimidium putei impleretur. Tulerunt autem nobis ex eadem aqua, & bibimus, & glorificauimus Deum.

1 *Habes & hic imaginum vsum antiquum esse in ecclesia, & earum venerationem.*

Vita Iohãis Senis monasterij scopuli. CA. LXXXII.

IOannem quendam senem in eodem monasterio vidimus, de quo dicebãt nobis eiusdem loci patres: Verè, Christiani, magnus est senex, dæmonibúsque terribilis. Quicunque. n. huc venerit vexatus ab immundo spiritu, curat eum continuò senior.

Dice-

CA. LXXXIII.

DIcebant nobis & hoc de illo ipsius loci Patres, quod ad vigesimum quartum milliarium monasterij emporium est, quod Eaile promontorium dicitur. In eo emporio nauclerus quidam, constructa naui triginta millium mediorum, volens eam in mare deducere, duas hebdomadas cum operariis plurimis egit (habebat autem quodie trecentos operarios) nec potuit illam de loco suo mouere, aut in mare deducere. Fuerat enim à pessimis hominibus incantata nauis. Erat igitur in magna tribulatione, & angustia dominus nauis, & quid ageret, omnino ignorabat. Per dispensationem autem Dei abiit senex ad partes illas. Nauclerus autem, conspecto sene, agnoscénsque sanctum virum, ait illi: Ora, Domine Abba, pro naui ista, per artes enim magicas in mare descendere non potest. Dicit ei senior: Vade, fac vt cibum sumam, & Deus iuuabit te. Hoc autem dixit senex, vt nauclerus abiret domum. Cùm verò ille abisset, accessit senex solus ad nauem, & tertiò se in terram [1] prosternens, & orans Deum, tertiò signauit nauim signo sanctæ [2] Crucis in nomine Domini nostri Iesu Christi. Veniens deinde senex in domum naucleri, dixit illi: Vade ad nauem tuam, & deduc illam in mare. Nauclerus autem credens verbis senis, abiit cum paucis, illisque trahentibus, mox in mare deducta est nauis.

1 *Ecce oratio cum prostratione.*

2 *Vide mirum effectum signaculi sanctæ crucis.*

Vita & mors Anachoretæ eiusdem monasterij serui Dei. CA. LXXXIV.

EIusdem monasterij patres narrauerunt nobis, dicentes: Anachoreta quidam in his montibus erat, magnus valde secundum Deum, plurimos annos vitam solitariam ducens. Mortuus est autem in parua quadam spelunca, nobis nescientibus. Arbitrabamur enim omnes, quòd ad aliam eremum migrasset. Nocte verò quadam venit in somnis, & apparuit ei, qui nunc est, patri nostro, bono, & optimo pastori, Abbati Iuliano, dicens: Sume tecum aliquos, & veni, tollens me de loco, vbi iaceo, in monte, qui vocatur seruus. Sumpsit igitur quosdam ex nobis pater noster, & ascendit in montem, quem ille dixerat. Cúmque per plures horas quæsissemus, non inuenimus Anachoretæ reliquias. Erat enim speluncæ ingressus pro tempore niuibus, & lignis coopertus. Cùm ergo non inuenissemus, dixit senior: venite, descendamus, filij. Cúmque descendere inciperemus, ecce caprea venit, & stetit non longè à nobis, cœpítque pedibus suis humum fodere. Quod cùm pater noster aspiceret, dixit nobis: Credite mihi, filij, illic sepultus est seruus Dei. Fodientes igitur inuenimus corpus eius integrum: quod sublatum in monasterium cum [1] honore sepeliuimus.

1 *Vides quomodo viri Deo dicati cum honore sepeliantur?*

Quomodo triticum eiusdē monasterij germinauerit propter cessationē cōsuetæ eleemosynæ. CAP. LXXXV.

NArrauerunt autem nobis rursus & hoc dicentes: consuetudo fuit, vt in cœna Domini pauperes omnes, & pupilli regionis huius confluerent huc & acciperent medium tritici sextarium, benedictiones tredecim, & sextarium vini, mediúmque sextarium mellis pro quolibet. Ante hoc autem triennium, magna tritici sterilitas fuit, vēdebatúrque triticum in regione hac, sextarij xii vno numismate. Cùm ergo venissent ieiunij dies, dicunt Abbati nostro quidam ex patribus: Noli, domine pater, secundum consuetudinem dare pauperibus triticum, ne desit monasterio. Triticum enim non inuenimus. Abbas autem cœpit dicere fratribus: Non infringamus, filij, benedictionem Patris nostri Theodosij. Videte, mandatum senis est, non expedit nobis illud transgredi. Verè ipse est, qui curam nostri gerit. Fratres autem in sua perstiterunt sententia, dicentes Abbati: Non suppetit nobis, quod dare possimus. Tunc Abbas contristatus ait illis: Ite, & secundum quod vultis facite. Non itaque, vt consuetum erat, dederunt benedictionem in die [1] sanctæ cœnæ, & parasceues. Profectus postmodum qui præerat horreis, aperuit ostia, & reperit triticum totum germinasse. Quare coacti postea sumus illud in mare proiicere. Tunc cœpit Abbas noster dicere fratribus: Qui patris nostri monita irrita facit, ista patitur. Laborres nunc inobedientiæ metite. Quingentos modios daturi eramus, & patri nostro Theodosio per obedientiam placuissemus, fratrésque nostros pauperes consolati fuissemus, nunc verò quinque ferè millia modiorum tritici perdidimus. Quid lucrati sumus, filij? Quantum nobis ipsis nocuimus? Duo profectò mala egimus. Vnum, quia mandatum patris nostri præteriuimus, & alterum quia spem in Deum non habuimus, sed in horreo nostro. Vel ex hoc discamus, fratres, quia Deus est, qui disponit omne humanum genus, quódque sanctus [2] Theodosius inuisibiliter pro nobis filiis suis curam solicitè gerit.

1 *Ecce dies sanctus cœnæ Domini, & parasceues.*

2 *Nota, sanctum Theodosium inuisibiliter pro nobis filiis suis curam solicitè gerit.*

De altero eiusdē monasterij anachoreta, qui statim vt communionē sacrā sumpsit cōsummatus est. CA. LXXXVI.

ABbas Egiatius narrauit nobis, dicens: Cùm exissem ex Agis post solennitatem, hyems quæ acrior inhorruisset, veni in monasterium Scopuli. Cúmque illic essem, tale aliquid contigit. Anachoreta quidam in partibus illis erat solitarius, veniebátque [1] sancto die Dominico, & sumebat [2] veneranda mysteria. Semel autem scandalizatus Anachoreta, quinque ferè hebdomadas mansit, nunquam iuxta consuetudinem in monasterium veniens.

Quapropter fratres monasterij contristabantur. Cùm ergo in illo monasterio essem, venit Dominico die. Quem cùm vidissent fratres monasterij, gauisi sunt prostratique petebant veniam, & ille similiter prostratus veniam petiit, fecerúntque charitatem, Anachoreta verò cùm accepisset [3] corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, posuit seipsum in ecclesiæ medio, statímque consummatum est, cùm prorsus antea non ægrotasset. Cognouerunt ergo monasterij patres, quia præscisset diem obitus sui anachoreta, & idcircò venisset, vt nihil habens aduersus aliquem migraret ad Dominum.

1 *Vide sanctum diem Dominicum.*

2 *Nota sacram Eucharistiam appellari veneranda mysteria.*

3 *Vides quod dixit anachoretam accepisse corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, non autem signum corporis, & sanguinis? Habes etiam sanctorum virorum fuisse consuetudinem obitum suum Dominici corporis & sanguinis perceptione munire. Nunc verò post illam consuetudinem iure ab ecclesia immutatam & alteram introductam, ac tandem post Constantiensis Concilij constitutionem sola sacri corporis perceptione id faciunt.*

Inuentio corporis Ioānis Anachoretæ nūcupati humilis. CA. LXXXVII.

VEnimus in quendam vicum sex milliaribus à Rosso distantem, & duo senes seculares hospicio nos susceperunt in ecclesia fundi sui. Vicus autem ad radices montis erat. In ecclesia igitur ipsa ostenderunt nobis marmoream tabulam, dicentes: Christiani, magnus in hoc monumento Anachoreta iacet. Diximus autem eis: Hoc vnde nostis? Et dixerunt nobis: Ante annos septem aspiciebamus nos vici huius habitatores per noctem in vertice montis lucem, quasi ignem. Nos ergo putabamus, quòd ignem aliquis illic accendisset. Cùmque per dies plurimos istud aspiceremus, ascendimus die quadam, & nulla ignis indicia vidimus, neque ignem, neque aliquid in sylua igne adustum. Rursum sequenti nocte vidimus eadem lumina. Tribus igitur continuis mensibus ignem hunc vidimus. Nocte verò quadam assumentes quosdam ex vico cum armis propter feras, ascendimus in montem ad lucem, quæ apparuerat, mansimúsque vbi lux erat vsque ad diem sequentem. Mane verò facto, aspicimus modicam speluncam in eo loco, vbi lumina videramus. Ingressi autem inuenimus Anachoretam defunctum. Erat autem indutus [1] cilicio, & pallio, tenebátque in manibus [2] argenteam Crucem. Inuenimus etiam chartam ita scriptam: Defunctus sum ego Ioannes humilis indictione quintadecima. Computatis ergo annis inuenimus eum ante septē annos defunctum esse. Ita verò erat integer, ac si die eadem obiisset. Sublatum ergo in ecclesia cum [3] honore sepeliuimus.

1 *Cilicium habitum fuit multorum sanctorum.*

2 *Tenebat in manibus argenteam Crucem.*

3 *Ecce sepulturam honorificam.*

Vita Abbatis Thomæ apocrysarij cœnobij Apamiēsis, & de miraculo corporis eius post mortem. CA. LXXXVIII.

CVm venissemus Theopolim, presbyter quidam ipsius ecclesiæ narrauit nobis de Abbate Thoma, quòd Apocrysarius fuerit cœnobij, quod est in partibus Apamiæ. Venit ergo senex Theopolim pro vtilitate monasterij, & cùm hic remoraretur, defunctus est in Daphne in templo sanctæ Euphemiæ. Clerici autē ipsius loci sepelierunt eum quasi peregrinum inter peregrinorum sepulchra. Sequenti verò die humauerunt & mulierem, & imposuerunt illam super eum. Erat autem hora secunda. Circa horam verò sextam [1] euomuit illam terra. Loci verò illius accolæ videntes quod factum fuerat, mirati sunt. Deinde rursum vespere sepelierunt ipsam in eodem tumolo, & sequenti die inuenerunt corpus supra sepulchrum. Accipientes ergo corpus, in alio monumento ipsum posuerunt. Post paucos autem dies, iterum sepelierūt aliam mulierem supra Abbatem Thomam, non cogitantes loci ipsius clerici, quia nō permittit quempiam super se sepeliri. Et illam ergo rursus euomuit terra. Tunc agnouerunt, quia non permittit senex mulierem super se humari, abeuntésque nunciauerunt Patriarchæ Domino. Qui omnem simul ciuitatem cum cæteris ascendere fecit in Daphnem, & cum psalmodia sancti viri reliquias in vrbem ferri. Deposuerunt autem sancti corpus in cœmeterio, vbi multa martyrum corpora condita sunt. Feceruntque supra ipsum breue oratorium.

1 *Non licet indignos cum sanctorum corporibus tumulari, propterea terra totics hanc euomuit.*

Inuentio corporis sancti Anachoretæ in mōte Amano. CA. LXXXIX.

NArrauit nobis quidam patrum, cùm Theopoli essemus, quòd ascēderit quadam die in montem Amanum cuiusdam necessitatis causa, inueneritque speluncam. Ingressus autē in illam reperit Anachoretā genibus flexis, manibúsq; in cœlum extensis, cuius crines capitis vsque in pauimentum extendebantur. Cùm autem putaret eum viuere, prostratus ante illum ait: Ora pro me, pater. Ipso verò nihil respondente, surgens prope illum accessit, vt salutaret eum, & amplexaretur; sed tenens ipsum, inuenit mortuum. Itaque illo dimisso, exiuit. Et cùm paulùm processisset, vidit aliam speluncam. Ingressúsque inuenit senem. Qui ait ad illum. Benè venisti, frater, ingressus ne es aliam speluncam? Et respondens ait illi: vtique pater. Rursum dixit ei: Num aliquid inde accepisti? Respondit: Non. Et ille: Verè, frater, quindecim anni iam elapsi sunt, ex quo consummatus est. Ita verò erat, ac si ante vnam horam obdormisset. Cúmque fecisset senex orationem pro ipso, recessit.

Mors duorum Anachoretarum montis Phterigij. CAP. XC.

DVo Anachoretæ erant supra Rosum in monte, qui dicitur Phterigius prope Piapen finoium, & iuxta monasterium Abbatis Theodosij in scopulo. Erat autem ex his alter senex, alter iunior, senísque discipulus. Cùm verò defunctus esset senex facta oratione discipulus sepeliuit eum in monte. Post dies verò paucos descendens de monte Anachoretæ discipulus, venit iuxta loca habitabilia, inuenítque hominem quendam exercentem terram, & ait illi: Fac charitatem, frater, accipe fossorium, & sarculum, & veni mecum. Rusticus verò continuò secutus est eum. Cúmque venisset in montem, ostendit. Anachoreta seculari sepulchrum senis sui, & dixit ei: Fode hic. Cùm autem effodisset sepulchrum Anachoreta stetit ad orationem. Finita verò oratione, osculatus est secularem dicens: Ora pro me, frater. Descendénsque collocauit semetipsum supra senem suum, & continuò reddidit spiritum. Secularis autem rursus operto sepulchro, Deo gratias egit. Cùm autem descendisset de monte, quantum iactus est lapidis, ait intra semetipsum: Verè debui accipere benedictionem sanctorum. Reuersúsque illorum sepulchrum inuenire non potuit.

Vita Abbatis Gregorij Anachoretę, & Thallelæi eius discipuli. CAP. XCI.

DIcebant quidam ex patribus de Abbate Gregorio Anachoreta, quòd triginta quinque annos egisset nudus deserta circumiens.

DIcebant autem de illo, quòd cùm esset in montibus monasterij Abbatis Theodosij in scopulo, habebat discipulum: quo defuncto, cùm non haberet senex instrumenta, vt humum foderet, & sepeliret corpus fratris, descendit de monte prope mare, inuenítque applicantem nauem. Orauit autem Naucletum, & nautas, vt ascenderent secum in montem, & sepelirent fratrem. Illi autem promptò animo obedierunt seni, sumentésque instrumenta necessaria, ascenderunt cum eo, & fodientes humauerunt corpus fratris. Vnus autem ex nautis, nomine Thallelæus compunctus in virtute senis orabat eum, vt cum illo moraretur. Senex autem dixit ei: Non potes ferre pœnitentiæ laborem. Ait ille: Ita sanè tolerare possum. Mānsitque cum sene anno vno, nimium in sacra exercitatione laborans. Post peractum autem annum prostrauit se frater Thallelæus seni dicens: Ora pro me, pater. Nam per orationes tuas Deus abstulit à me laborem, neque enim iam fatigor, neque meācris inclementia affligit, non æstu vror, non hyeme rigesco, sed in multa requie sum. Senex verò benedixit eum, peractísque cum sene duobus aliis annis cum dimidio frater Thallelęus præsciuit obitum suum, orauítque senem dicens: Duc me, quæso, [2] Hierosolymam, vt adorem sanctam Crucem, & sanctam Christi Domini, & Dei mei resurrectionem. His enim diebus Dominus assumit me. Senex autem, eo sumpto, profectus est in sanctam ciuitatem. Itaque cùm adorassent sacra, & venerabilia loca, descendissénque in sanctum Iordanem, & ibi lauissent post dies tres obdormiuit in Domino frater Thallelæus, sepeliuítque illum senex in monasterio Coprathæ. Post aliquantulum verò temporis requieuit & Abbas Gregorius Anachoreta, sepelierúntque illum eiusdem monasterij patres in ecclesia.

2 *Ecce peregrinationem ad loca sancta, adorationis gratia, ecce Crucem Domini adorari solitam.*

Vita fratris Gregorij Cappadocis, & inuētio corporis petri solitarij sancti Iordanis. CAP. XCII.

NArrauit nobis venerabilis pater noster Abbas Gregorius Archimandrita monasterii sancti patris nostri Theodosii, quod positum est in eremo sanctæ Christi Domini nostri ciuitatis, mihi scilicet, & fratri Sophronio Sophistæ dicens: Habui hic fratrem nomine Gregorium Cappadocem: habebat autem ministerium suum in Phaselide.

Die verò quadam cùm fratres facerent panes, succēdebat clibanum frater Gregorius. Sed cùm succendisset illum non inuenit, cum quo deberet extergere furnum, fratres enim ipsum pannum absconderant, vt tentarent eum. Ingressus est ergo furnum, vestimentóque suo illū detersit, nihil omnino ab igne læsus. Ego autem, hoc audito, corripui fratres, quòd ita ipsum tentassent.

NArrauit nobis & hoc idem Abbas Gregorius pater noster de eodem fratre Gregorio dicens: Die quadam pascebat porcos in Phaselide. Venerunt que duo leones vt porcum raperent. At ille sumens virgam suā, persecutus est eos vsque ad sanctum Iordanem.

RVrsus idem pater noster narrauit, nobis dicens: Cùm ædificare inciperem templum [3] sancti Quirici in Phaselide, effodiens templi fundamenta apparuit mihi in somnis monachus quidam magnæ vt videbatur abstinentiæ, indutus palma, ferensq; in humeris paruulum collobium de psiathio, dixit mihi voce mitissima. Dic, Abba Gregori, nunquid post tantos labores, tantámque abstinentiam, debuisti me extra templum, quod ædificas, dimittere? Ego autem senis vocem habitúmque reueritus, aio ad illum: Non domine. Absit à me, vt hoc faciam. Et ille: Verè hoc fecisti. Dixi autem ad illum: Quis-nam, es tu, domine? Ego, inquit, sum Petrus solitarius sancti Iordanis. Itaque surgens mane, perrexi, & quæsiui fodiens circa templum. Cùmque foderem, inueni corpus eius ita iacens, sicut in somnis illum videram. Constructóque oratorio, feci monumētum præclarum in dextera templi parte, & illic eum deposui.

3 *Vides quod etiam antiquitus in honorem sanctorum templa ædificabantur?*

Vita Abbatis Sisinij.

NArrauit nobis idem pater noster Gregorius dicēs: Quadam die profectus sum ad Abbatem Sisinium

qui Episcopatui renunciauit, & ei discipuli. CAP. XCIII.

Anachoretam. Erat autem hic senex, qui relicto Episcopatu suo propter Christum, venerat prope Castellum, quod appellatur Bethabara, & à sancto Iordane ses fermè milliaribus distat, ibíque vitam solitariam agebat. Cùm ergo venissem ad senem, & diu pulsarem, post multam horam aperuit discipulus eius, & ait mihi: Verè domine Abba, infirmatus est senex vsque ad mortem, orauítque Deum, ne de hoc seculo migraret, donec audiret aduenisse te in hanc regionem. Iueram enim Constantinopolim pro necessitate cœnobij ad piissimum Imperatorem Tyberium: Cùm ergo profectus essem ad senem, annuntiassétque illi meum aduentum, post prolixam horam descendit, dicens mihi: Ascende, pater. Ascendentes autem inuenimus senem obdormisse in pace. Cognoui igitur, quia mox vt didicit me esse, qui pulsaueram, migrauit ad Dominum. Et cùm illum amplexarer, ait mihi defunctus leni, ac miti voce: Benè venit Abbas meus. Rursúmque obdormiuit. Nunciaui igitur in locis illis, vt venirent, & [1] sepelirent senem. Cùm ergo venissent, & monumentum foderent, ait discipulus senis fodientibus sepulchrum. Facite charitatem, & aliquantulum latius fodite, vt duos capiat. Et cùm illi foderent, posuit se ipsum in psiathio, & requieuit in pace. Sepeliuimúsque duos simul, senem scilicet, & discipulum eius.

1 *Si sancti viri tantam curam semper habuerunt in mortuis sepeliendis, patet, quod sepelire mortuos pietatis opus est, & Deo placet.*

Vita Abbatis Iuliani Episcopi Bostrensis. CA. XCIIII.

IDem Pater noster Gregorius Archimandrita narrauit nobis de Abbate Iuliano Episcopo Bostrense, quod cùm recessisset de cœnobio, & factus esset Bostrensis Episcopus, quidam ex habitatoribus ipsius ciuitatis odio nominis Christi, voluerunt eum veneno occidere, corrumpentésque pecuniis ministrum eius, qui ipsi porrigebat poculum, dederunt illi venenum, vt cùm porrigeret Metropolitæ poculum, venenum in calicem mitteret. Puer autem ita vt dictum fuerat, fecit, dedítque calicem veneno infectum sancto Iuliano. Suscepit verò illum sanctus vir, ac diuinitus agnouit insidias. Susceptum ergo calicem ante se posuit, nihil omnino dicens puero: mitténsque accersiuit omnes primates ciuitatis, inter quos erant & qui illi insidias parauerant. Vir autem beatissimus nolens eos publicare, qui hoc fecerant, voce mitissima omnibus dixit: Si arbitrati sunt humilem Iulianum veneno occidere, ecce coram vobis pestiferum calicem bibo. Signánsque [1] ter digito suo calicem, & dicens: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, bibo hunc calicem: bibit illum coram omnibus totum, atque illæsus perstitit. Quod illi cùm vidissent, prostrati veniam petierunt.

1 *Vide magnum miraculum ad signum sanctissimæ crucis peractum.*

Vita Patricij senis Monasterij in scopulo. CAP. XCV.

ERat quidam senex in eodem cœnobio Abbatis Theodosij sancti patris nostri, genere quidem Sebastensis, nomine autem Patricius, senex valde (dicebat enim se esse annorum centum & tredecim) mitis & quietus.

Narrauerunt ergo nobis de illo ipsius loci patres, quòd fuisset pater monasterij Abbatis Cani, dimisissétque prioris officium, periculum, & iudicium metuens (magnorum enim virorum esse dicebat, pascere rationales oues) ac venisset illuc, vt sub obedientia viueret, hoc iudicans animæ vtilius esse.

De eodem, & de Iuliano Arabo cæco, CAP. XCVI.

DIcebant autem nobis & hoc de ipso: Cùm alius hic fuisset senex, genere Arabs Iulianus nomine captus oculis, ipse aliquando scandalizatus est in Macharium Archiepiscopum Hierosolymitanum, nolebátque communicare illi. Quadam ergo die Abbas Iulianus significauit Abbati Symeoni, qui erat in monte mirabili (distat autem à Theopoli mons ipse milliaribus nouem) dicens: Cæcus sum & quò abeam, nescio. Neque verò habeo, qui possit auxiliari mihi & communicare Machario detrecto. Indica mihi, pater, quid agere habeam de fratre, qui fornicatus est, & de illo, qui se cum eo iuramento constrinxit. Respondit autem Abbas Symeon Abbati Iuliano, dicens: Ne recedas, neque te ipsum à sancta Ecclesia separes. Neque enim illa malè habet, gratia Domini nostri Iesu Christi filij Dei. Sed & hoc scito, frater, quòd si quis in hæresim inciderit in cœnobio vestro, habetis senem magnum, nomine Patricium. Hic autem senex iuxta sacrarium infra omnes moratur, prope occidentalem Ecclesiæ murum, dicítque & ipse pro omnibus sanctam orationem oblationis, & ipsius oblatio sancta existimatur.

Vita, & mors duorũ fratrũ monachorum, qui nunquã abinuicem separari iurauerunt. CAP. XCVII.

DIcebat autem Abbas Ioannes Anachoreta, cognomento Rutilus, audisse se ab abbate Stephano Moabita referente, quia cùm esset in cœnobio sancti Abbatis Theodosij magni monachorum principis, erant illic duo fratres, qui sibi inuicem iurauerant quod neque in vita, nec in morte ab inuicem separarentur. Cùm ergo cunctos in cœnobio ædificarent, vnus ex eis impugnatus à fornicatione, dixit fratri suo: Dimitte me frater, quia impugnor à fornicatione, & ferre non præualens volo ad seculum reuerti. Frater autẽ rogare cœpit eum dicens: Noli quæso frater mi, noli [1] perdere laborem tuum. Tunc is dicit ei: Aut dimitte me abire, aut tu veni mecum, vt voluptati satisfaciam. Frater autem ille cùm nollet eum dimittere, abiit cum illo in ciuitatem. Ingressus igitur est in meretricis diuersorium is, qui impugnabatur. Frater autem ille foris stans, puluerem [2] de terra super caput suum iaciebat, & semetipsum affligebat. Postquam verò ille, completo fœdo opere, è lupanari egressus est, dixit ad eum frater: Quid lucratus es ex peccato, frater mi? Quantum inde detrimentum cœpisti. Eamus rursus in cœnobium. Qui ait: Non iam possum in eremum venire. Vade à me. Ego enim in seculo maneo. Cùm igitur multum rogaret eum, nihílque proficeret, neque se ille sequi iam ad eremum vellet, mansit & ipse cum illo in seculo. Laborabántq; ambo manibus suis, vt viuerent. Per idem tempus Abbas Abramius, qui postmodum factus est Episcopus Ephesi, bonus, ac mitis pastor, ædificabat monasterium suum, quod dicitur Bicantiorum. Abeuntes autem duo fratres laborabant in opere, ministrantes cæmentariis. Sumptam verò mercedem operis amborum frater ille, qui in fornicationem lapsus fuerat, quotidiè pergens in ciuitatem consumebat in luxuria. Alius verò quotidie [3] ieiunans & psallens, cum omni quiete faciebat opus, nemini aliquid loquens. Videntes autem illum artifices diebus singulis, neque comedentem, neque aliquid loquentem, sed semper cogitanti similem, retulerunt de illo, & de conuersatione eius sancto Abbati Abramio. Tunc magnus re vera Abramius accersiuit operarium de cella sua, & interrogauit dicẽs: Vnde es, frater? & quod est opus tuum? Ille autem omnia illi per ordinem confessus est, & quia fratris sui gratia sustineret omnia, vt Deus, inquiens, meam tribulationem videns, saluet fratrem meum.

His auditis, Abramius dixit fratri: Et Dominus donauit tibi animam fratris tui. Cùm ergo dimisisset eum sanctus Abramius, exissétque de cellula, ecce frater ille aduenit clamans: Mi frater, assume me in eremum, vt saluus fiam. Continuò autem assumpsit eum, & abierunt ad Iordanis speluncam, & incluserunt se. Post modicum verò temporis, cùm magnificè secundum Deum profecisset frater ille, qui in fornicationem inciderat, migrauit ad Dominum. Mansit autem superstes frater in eadem spelunca iuxta iuramentum, quousque & ipse moreretur.

1 *Vide quantum peccatum sit monachum fornicari, cùm propter illud perdat omnes labores suos.*

2 *Ecce puluerem insigne pœnitentiam.*

3 *Ieiunium, & psalmodia sunt bonorum monachorum exercitia.*

CAP. XCVIII.

AD hunc fratrem post mortem alterius fratris veniens senex quidam ex monasterio Calamonis, ait illi: Dic mihi, frater: In tanto tempore solitariæ vitæ, spiritalísque exercitij, quid lucratus es? Dixit ei frater:

Vade, & post decimum diem veni ad me, & dicam tibi. Senex autem abiens, & post decimum diem rediit, inuenitque fratrem migrasse ad Christum, & testem, in qua sic scriptum erat: Ignosce, pater, quia nunquam, dum opus Dei agerem, aut horis constitutis psallerem, mentem meam dimisi in terram.

Vita Antonij senis Monasterij in scopulo. CAP. XCIX.

NArrauerunt nobis patres eiusdem monasterij sancti patris nostri Theodosij, dicentes: Ante hos annos defunctus est hic senex quidam, Antonius nomine. Is in vita sua maximè ieiuniis operam dans, profectus est in locum, qui Cotulas dicitur. Quadam ergo die cùm esset in eremo, ecce Sarraceni in partes illas venientes viderunt senem. Vnusque ex eis, educto gladio, venit contra senem volens necare illum. Senex autem vt vidit Sarracenum contra se venientem, intuens in cœlum ait: Domine Iesu Christe, voluntas tua fiat.

Statimque aperta est terra; & absorbuit Sarracenum illum, senéxque saluatus est.

Vita Petri Pontici monachi. CAP. C.

RVrsus narrauerũt nobis prædicti loci patres, quòd illic fuerit quidam senex, Petrus nomine, genere Ponticus, multis præclarísque virtutibus ornatus. De hoc sene Theodotus, qui fuit Episcopus Rosensis, dicebat nobis, quòd die quadam conuenit illum ad Iordanem in monasterio Turrium, illic enim ipse morabatur, eíque dixit: Fac charitatem, frater Theodore, veni mecũ in montem Sina, quia illuc proficisci [1] votũ habeo. Qui cùm nollet non obedire, dixit ad eum; Eamus. Cùm verò transisset Iordanem, dixit ad Theodorum senior: Veni, frater Theodore, oremus, vt vsque ad montem Sina nullus nostrûm comedat. Ad quem ille: Verè, pater, ego hoc facere non possum. Prostrauit [2] autem se senex, & orauit, & vsque ad Sina nihil comedit. Sumptis igitur illic sanctis mysteriis, tunc & cibum sumpsit. Similiter & à Sina vsque Alexandriam ad sanctum Menam peruenerunt, nihil omnino comedente sene. Ibíque denuò communicans, post communionem cibum sumpsit. Et à sancto Mena vsque in sanctam ciuitatem venerunt, cùm nihil omnino gustasset senior in via. Cùm verò in sancta Christi Dei nostri Resurrectione percepisset veneranda mysteria, tunc demum accepit & cibum. In hoc ergo toto, tali, tantóque itinere, nisi tertiò non comedit senex semel in Sina monte, semel in Alexandria & semel in sancta ciuitate.

1 *Etiam sancti veteres vouebant peregrinationes & vota persoluebant.*

2 *Ecce oratio cum prostratione, & mirabilis eius effectus.*

Vita Pardi Monachi Romani. CAP. CI.

NArrauerunt etiam nobis de alio sene Patres eiusdem monasterij, dicentes: Erat hic senex quidam, qui ante modicum tempus defunctus est, Pardus nomine genere Romanus: Hic dum esset iunior, mulio fuerat. Die igitur quadam abiit Hierico cum mulis. Et cùm esset in Xenodochio, inuentus est illic puer paruulus, quem agente diabolo, mulus calce percussit, & occidit, ignorante hoc Abbate Pardo. Afflictus verò super hoc multum Abbas Pardus, abiit in Arnonem, & effectus est Anachoreta, lugens semper, & dicens: Ego feci homicidium, & vt homicida in iudicio damnatus sum. Erat autem illic prope torrentem leo. Diebúsque singulis ibat Abbas Pardus ad cubile leonis, stimulans, & prouocans leonem vt exurgeret, & deuoraret eum. Leo autem nihil omnino illum lædebat. Videns autem senex, quia nihil proficisceret, ait in seipso: Dormiam in via, per quam leo pergit ad flumium, nam cum transibit, vt eat ad bibendum, deuorabit me. Cùm ergo iaceret, ecce leo post paululum venit, & quasi ratione præditus esset, cum omni quiete transiliuit senem, neque omninò illum tetigit. Tunc senior certior factus est, quòd Deus remisisset illi peccatum, & veniens rursus in monasterium suum, vixit in magna continentia ædificans omnes vitæ suæ exemplo vsque ad diem obitus sui.

Relatio Sophronij Sophistæ de eo, quod sibi in via contigerat. CAP. CII.

CVm interrogatus esset Abbas Sophronius Sophista frater meus, assistebamus prope illum ego & Abbas Ioannes Scolasticus, & Abbas Quiricus & alij quidam ac patribus, dixitque nobis: Pergebam modò in via, & ania me adolescentulæ choream agebant, tripudiabántque dicentes: Benè venias Sophronius, coronatus est Sophronius.

Vita & virtutes Abbatis Stragiti CAP. CIII.

DIcebant de Abbate Stragitio patre insignis monasterij sancti patris nostri Theodosij monasterij ipsius patres, quod tres istas virtutes possederit supra ætatis nostræ monachos, ieiunium, vigilias & iuge opus.

Vita Abbatis Nonni Presbyteri. CAP. CIIII.

NArrauit nobis in cœnobio sancti patris nostri Theodosij, Abbas Theodosius, qui fuit Episcopus Capitulliadis, de Abbate Nonno presbytero, quòd nocte quadam, antequam pulsaret nocturnum signum, dum iaceret ipse in lectulo suo; audiuit quendam leni voce dicentem: Kyrie eleison. Cúmque quinquaginta vicibus hoc ille iterasset, voluit ipse scire, quis esset, qui hoc dicebat. Et aspiciens, inquit, in ecclesiam per cellulæ meæ fenestram, vidi senem procumbentem genibus suis & stellam lucidissimam super caput eius, ostendentem mihi quis esset senex.

ALius autem quidam de senibus ipsius cœnobij narrauit nobis de eodem Abbate Nonno, dicens: Nocte quadam priusquam pulsaret signum, egressus de cellula mea, ibam ad ecclesiam. Et aspicio senem ante ecclesiam stantem, & [3] extensis in cœlum manibus orantem. Lucebant autem manus eius quasi lampades ignis. Quare metu perterritus recessi.

3 *Nota senem stantem, & extensis ad cœlum manibus orantem.*

Vita sancti senis Christophori, genere Romani. CAP. CV.

CVm in Alexandria essemus, accessimus ad Abbatem Theodorum, qui erat in sancta Sophia prope Pharum. Et narrauit nobis senex dicens: Ego in cœnobio sancti patris nostri Theodosij, quod est in eremo sanctæ Christi Dei nostri ciuitatis, seculo renunciaui, inueníque illic senem magnum valdè, nomine Christophorum, Romanum genere. Die igitur quadam prostratus ante illum dixi: Fac charitatem, pater, & dic mihi quid in iuuentute tua operabaris? Cúmq; multum à me rogatus fuisset senex, agnito, quòd propter vtilitatem animæ illum rogassem, enarrauit mihi dicens: Quando seculo renunciaui, fili, magnum habui feruorem, summámque desiderij alacritatem ad monasticam vitam. Ac diebus quidem exercebar in regulari psalmodia [4], noctibus verò pergebam in speluncam, in qua & sanctus Theodosius, & sancti patres reliqui orare consueuerant, descendénsque in speluncam, centies flectebam genua, & procedebam Deo per gradus singulos: sunt autem numero decem & octo. Cúmque per omnes gradus descendissem, permanebam illic, donec pulsaret signum. Tunc ibam ad synaxim cum patribus. Cùm autem opus istud vndecim annis absque intermissione fecissem, cum ieiuniis multis, & continentia, & nuditate rerum omnium, & obedientia, & labore corporali, veni nocte quadam secundum consuetudinem, vt in speluncam descenderem. Cúmque implessem orationem per singulos gradus, venturúsque essem in speluncę pauimentum, factus in extasi, video totum speluncæ pauimentum candelis plenum, ex quibus aliæ quidem accensæ erant, aliæ non. Aspicio autem & duos viros chlamydæ indutos, candidóque habitu amictos, easdem candelas præparantes. Ego autem dixi illis: Vt quid posuistis hic candelas istas, nec permittitis nos descendere, & orare? Qui respondentes dixerunt mihi: Patrum candelæ sunt. Dixi autem ad eos rursum: Cur aliæ ex illis ardent, aliæ non? Responderunt: Qui volunt, candelas suas accenderunt, & qui nolunt, non accenderunt. Aio ad illos iterum: Facite charitatem. Candela mea ardet, an non ardet? Illi autem dixerunt: Ora, & accendimus illam. Tunc dico illis: Adhuc oro; & quid vsque modo faciebã? Atque in hoc verbo, ad me ipsum reuersus sum; conuersúsque vltra iam neminem vidi. Tũc dixi in me ipso: Christophore maiori labore opus est. Et manè facto, recessi de monasterio & profectus sum ad montem Sina, nihil ferens mecum

nisi quo induebar tantùm. Cúmque illic egissem annos quinquaginta; venit mihi vox dicens: Christophore, Christophore; redi in cœnobium tuum, vbi etiam benè certasti, vt illic consummêris cum patribus tuis. Et modico tempore postquam mihi ista dixerat, sancta illius anima in pace requieuit.

Adoratio sanctæ crucis.

RVrsum enarrauit nobis idem Theodorus de eodem Abbate Christophoro. Dicebat, inquit, senex: die quadam ascêdi in sanctam ciuitatē, vt adorarem sanctam Crucem. Et cùm adorassem, & iam exirem; aspicio Fratrem quendam in limine atrij pretiosæ Crucis, neque intrantem neque exeuntem. Aspicio item & duos coruos, impudenter ante illius faciem volantes, & alis suis oculos eius importunè impetentes nec illum intrare permittens. Intellexi verò eos dæmones esse; & dixi illi: Dic, frater; cur stas in medio ianuæ, nec intras? Qui ait B mihi: Ignosce mihi, pater mi. Cogitationes habeo, ex quibus vna mihi dicit; Ingredere, & adora pretiosam Crucem: alia dicit; non, sed vade, & fac responsum, & alia vice adorabis. Ego autem vt audiui, tenui manum ipsius, & introduxi in templum, & continuò fugêrunt corui. Cúmque fecissem illum adorare sanctam Crucem, & sanctam Christi Domini resurrectionem; dimisi eum in pace. Hæc autem, inquit Theodorus, mihi senex enarrauit; quia vidit me multùm in ministerijs distentum, & orationis negligentem.

Dæmones visi ab Anachoreta impedire S. crucis adorationem.

1 *Psalmodia in die, & oratio crebra cum genuflexione in nocte, erant sancti senis exercitia.*

Relatio Abbatis Theodori de monacho Syro Seueriano. CAP. CXI.

NArrauit iterum nobis idem Abbas Theodorus, dicens: Xenodochium est hic prope Pharum; inter sanctam Sophiam, & sanctum Faustum. Qui autem illi C præerat; die quadam orauit me, vt irem in Xenodochium, & ibi morarer paucis diebus. Abiens igitur, inueni illic monachum quendam hospitio susceptum, Syrum genere, nihil habentem præter cilicium, & pallium, & panes paucos. Stabat autem in vno angulo, semper, die, noctúque psallens, & nemini loquens. Veniente verò die [1] sancta Dominica, abij ad illum dicens: Veni, frater, ad sanctam Sophiam, vt communices [2] sanctis venerandísque mysterijs. Qui ait: non venio. Ad quem ego: cur, oro te? Ait mihi: quia Seuerianus sum, & non communico Ecclesiæ. Audiens ego, quia non [3] communicaret sanctæ & Apostolicæ ecclesiæ, simúlque videns illius optimam conuersationem, vitámque virtutibus plenam, abij lugens in cellulam meam; & clausa ianua, D prostraui me ipsum in faciem coram Domino per dies tres, & orabam illum cum lacrymis multis dicens: Dominator Christe Deus noster, qui propter ineffabilem tuam immensámque clementiam inclinasti cœlos, & descendisti propter salutem nostram, qui incarnatus ex sancta Domina nostra Dei genitrice semperque virgine Maria; reuela mihi qui sint, qui benè & rectè credunt; nosne, qui sanctæ Ecclesiæ iungimur, an qui Seuero consentiunt. Die verò tertia venit mihi vox inuisibiliter dicens: Vade, Theodore; inspice fidem ipsius. In crastinum igitur profectus; sedi ante illum, expectans videre aliquid, iuxta quod mihi vox dixerat. Et cùm mansissem sedens quasi vna hora, & intuerer in ipsum stantem, & voce Syra psallentem, vidi (teste Deo) fili, co- E lumbam [4] super caput eius stantem, fuliginosam veluti ex coquina venientem, squalidam, ac fœtidam. Tunc agnoui eam quę mihi apparuerat, caliginosam fœtidámque columbam, ipsius esse fidem. Hæc autem nobis narrauit in veritate, cum multis lacrymis & singultibus, sancta ipsius anima.

1 *Dies sancta Dominica.*

2 *Nota sacram Eucharistiam appellari sancta venerandáque mysteria.*

3 *Qui hæreticus est, non communicat sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ.*

4 *Magna visio contra hæreticos.*

Vita Abbatis Gerasimi CAP. CXII.

VNo ferè milliario distat à Iordane, monasterium quod Abbatis Gerasimi dicitur. In hoc monaste-

A rium aduenientibus nobis, narrauerunt qui illic morabantur Senes, de Abbate Gerasimo; quòd die quadam ambulans super Iordanis ripam, obuium habuit leonem valdè rugientem, suspenso pede, cui infixus erat ex calamo aculeus; adeò vt ex hoc pes ipse intumuisset, & sanie plenus effectus esset. Cùm igitur vidisset leo Senem; & ostendebat illi vulneratum ex infixo aculeo pedem, flens quodammodo & obsecrans, vt illi curam adhiberet. Cùm ergo vidisset eum Senex tali necessitate constrictum; sedens, apprehendit eius pedem, aperiénsque vulnus eduxit aculeum infixum, cum magna putredinis copia; diligentérque depurgato vulnere, & panno alligato, dimisit eum. Leo autem cùm se curatum vidisset, noluit senem deserere; sed vt charus discipulus, quocunque pergeret, magistrum sequebatur, ita vt admiraretur senex tantam Feræ gratitudinem. Igitur ex tunc senex nutriebat eum, mittens ante illum panem, & infusa legumina. Habebat autem ipsum monasterium, asinum vnum ad ferendam aquam pro necessitate fratrum de Iordane. Consuetudinem autem fecerat, senex, vt [1] curam pascendi asini haberet leo. Itaque abiens cum illo iuxta Iordanis ripas, pascentem obseruabat. Quadam autem die dum pasceretur asinus, leo se ab illo longiusculè auertit; cùm ecce Camelarius ex Arabia veniens, inuentum asinum accepit, & secum duxit. Leo verò amisso asino, rediit in monasterium tristis valdè, & deiecta facie ac ceruice, ad Abbatem suum. Abbas igitur Gerasimus putauit quòd asinum comedisset leo, & ait illi: vbi est asinus? Ille verò, quasi homo, stabat tacens, & deorsum aspiciens. Dicit ei senex, comedisti eum? be- C nedictus Dominus; quicquid faciebat asinus, amodò facies tu! Extunc igitur leo, iubente sene, portabat Cantherium capientem amphoras quatuor, ferebátque aquam in monasterium. Die verò quadam venit miles quidam ad senem, benedictionis gratia. Qui cùm videret leonem baiulantem aquam, didicissétque causam, misertus est eius; proferénsque tria numismata, dedit senibus vt emerent asinum ad ipsius aquæ ministerium, & liberarent ea necessitate leonem. Breui autem transacto tempore, postquam liberatus à labore fuerat; Camelarius ille qui asinum abstulerat, veniebat ferens triticum vt venundaret illud in sancta ciuitate, habens & asinum secum. Et cùm transisset Iordanem; accidit, vt occurreret leoni: quo viso; dimisit camelos, & fu- D git. Leo autem, cognito asino, cucurrit ad eum; & ore (vt solebat) eius capistrum mordens, traxit eum cum tribus camelis; &, gaudens simul & rugiens quòd perditum asellum reperisset, venit ad senem. Senex verò qui priùs putabat quòd asinum leo comedisset; tunc verò didicit, quia insidias passus fuisset leo. Imposuit autem nomen, leoni, Iordanem. Egit itaque leo in monasterio cum fratribus, plusquam quinque annos; nunquam recedens à sene. Cùm autem migrasset ad Dominum Abbas Gerasimus, & à patribus sepultus esset; per dispensationem Dei, leo tunc in monasterio inuentus non est. Post modicum verò venit leo in monasterium, & quærebat senem suum: Abbas autem Sabbatius Cilix, qui & discipulus fuerat Abbatis Gera- E simi; viso illo, dixit ei: Iordane, senex noster dimisit nos orphanos, & migrauit ad Dominum; sed accipe, & comede. Leo autem comedere nolebat, sed iugiter huc atque illuc se vertens circunspiciebat quærens videre senem suum; ac, rugitu magno, ipsius absentiam se ferre non posse significans. Abbas autem Sabbatius, & senes reliqui fricantes eius ceruicem, dicebant ei: migrauit senex ad Dominum, & dimisit nos. Sed ista dicentes, non poterant tamen illius voces & eiulatus mitigare: sed quantò ampliùs ipsum verbis fouêbat, maioríque rugitu vtebatur, & l menta adijciebat, ostendens ex voce, facie, & oculis, mœrorem quem habebat non videns senem. Tunc ait illi Abbas Sabbatius: Veni mecum, ex quo non credis; & ostendam

tibi, vbi positus est senex noster. Sumensque eum, duxit vbi illum sepelierant: distabat autem ab Ecclesia quasi passibus quinque. Et stans Abbas Sabbatius supra sepulchrum Abbatis Gerasimi, dixit leoni: ecce, hic senex noster sepultus est. Et inclinauit genua sua Abbas Sabbatius supra sepulchrum senis. Cùm ergo id leo audisset & vidisset prostratum super tumulũ, Abbatem Sabbatium, & flentem; tunc & ipse prostrauit se, percutiẽs in terram caput suum vehementer, & rugiens; atque ita continuò defunctus est super sepulchrum senis. Hoc autem totum factum est; nõ quia animam rationalem habuisse leo putãdus sit, sed quod Deus voluerit glorificantes se glorificare, non solùm in vita hac sed etiam post mortem; & monstrare nobis qualem primo homini habuerint subiectionem, Bestiæ; priusquam inobediens esset mandato, & antequam excidere è Paradiso delitiarum.

1 *Mirabile, & stupendum opus leonis. Vide etiam quomodo sancti in virtute Dei vel irrationalibus bestiis dominantur.*

Vita Presbyteri virginis, eiusque vxoris itidem virginis. CAP. CVIII.

CVm in Samum insulam venissemus; vidimus in cœnobio, quod Charixeni appellatur, Abbatem Isidorum ipsius monasterij patrem; virum 1 eximiæ virtutis, & magnæ ad omnes charitatis, simplicitatéque & humilitate maximè ornatum. Quem etiam post aliquantulum temporis, Episcopum in eadem regione cõstitutum scimus. Hic enarrauit nobis dicens: est in octauo huius ciuitatis milliario, vicus habens etiam Ecclesiam. In hac, Presbyter quidam fuit valdè mirabilis; quem, Parentes, inuitum & renuentem, vxorem accipere compleuerunt. Verùm ille, non solùm voluptatis illecebra captus non est; quamuis iuuenis existeret, & legitimæ coniunctus vxori; sed & ipsam induxit, castè secum ac pudicè viuere. Didicerunt igitur ambo psalterium, ambóque simul in Ecclesia psallebant; seruantes se ipsos 2 virgines vsque in finem. Hic itaque Presbyter die quadam, falsa calumnia apud Episcopum accusatus est. Quem Episcopus ignorans institutum eius, accersiuit ex vico, & misit in carcerem, in quem solebant peccantes clerici includi & custodiri.

Carcer peccantium clericorum.

Cùm igitur esset in carcere; adueniente die Dominico, apparuit iuuenis formosus valde, dixitque ei: surge Presbyter; vade in Ecclesiam tuam, vt sanctam Oblationem offeras. Ait illi Presbyter: non possum, quia inclusus sum. Dixit ei, is qui apparuerat: ego tibi aperio carcerem; veni, sequere me. Aperiensque ianuam; ante illum exiit. Cùm verò egressi essent; ambulauit ille vsque dum mille passibus distaret à vico Presbyteri. Facta autem die; qui custodiebat carcerem, ingressus est requirens eum vbi clausus fuerat. Et non inueniens; perrexit ad Episcopum, dicens: effugit Presbyter, me habente clauem. Putans igitur Episcopus, quia effugisset; misit vnum de seruis Episcopatus, dicens: Vade, & vide si Presbyter in vico suo est, nihilque illi interim dicas. Profectus ergo puer, illum inuenit in Ecclesia sanctam Oblationem offerentem. Reuersúsque dixit Episcopo illic esse Presbyterum, ac eum se reperisse offerentem Sacrificium. Episcopus autem magis ac magis contra illum indignatus; iurauit, quòd in crastinum eum cum summa ignominia reduceret. Sequenti autem nocte apparuit Presbytero is qui primò apparuerat, dicens: veni, vt eamus vbi te Episcopus incluserat in ciuitate. Assuménsq; illum, adduxit rursum, & reposuit in carcere, ignorante custode carceris. Mane verò diei sequentis didicit à carcerario, Episcopus; quia, in custodia, Presbyter, se ignorante, inuentus esset. Mittens igitur Episcopus, sciscitabatur à Presbytero quomodo de carcere exisset; & quomodò rursus absque carcerarij notitia ingressus esset. Qui respondit: Iuuenis quidam speciosus valdè & optimè vestitus, Episcopatus vestri, vt dicebat, minister, aperuit mihi ostium; & præcedebat me vsque ad vnum milliare prope vicum, nocte Dominicæ, 1 idémq; rursus sequenti nocte veniẽs, reduxit me. Episcopus igitur accersiuit omnes seruos Episcopatus; sed nullum ex ipsis recognouit presbyter. Tunc intellexit Episcopus quòd Angelus Dei fuerat qui hoc egisset, ne virtus Presbyteri prorsus occultaretur, sed vt omnes discerent, & glorificarent Deum qui glorificantes se glorificat. Et de ipso valdè ædificatos, dimisit illum à se in pace, multa contrà eos clamans, qui illum iniustè accusauerant.

1 *Ecce quæ sint quæ commendabilem sanctum patrem redderent.*

2 *Quid dicis tu, qui seruare virginitatem dicis esse impossibile? Hic duo coniuges, ambo iuuenes, simul habitantes vsque in finem vitæ virginitatem suam diuinæ auxilio gratiæ nunquam hominem, modò velis, deserentis, seruauerunt.*

Vita Abbatis Georgij qui nunquã turbabatur. CAP. CIX.

DE Abbate Georgio patre monasterij Abbatis Theodosij, narrauit nobis Abbas Theodosius eius discipulus, bonus ac mitis, & humilis, qui fuit Episcopus Capitoliadis; quòd duodecim annos obseruasset eum, si vel semel turbaretur; & nunquam turbatum vidit, idque in hoc tempore quando omnis desidia, & negligentia, & mollities, & inobedientia regnat. Quis autem, aiebat, ita frenauit 1 oculum, sicut pater noster sanctus Georgius? Quis ita posuit ianuam auribus, sicut beatus iste? Quis ita continuit linguam, sicut pater noster? Quis nam solaris radius ita illustrauit terram, sicut pater noster nostrũ omnium corda radiauit?

1 *Vides quibus virtutibus claruerit sanctus pater.*

Dicta egregia sãcti cuiusdã senis Ægyptij. CAP. CX.

ASsumpsi Dominum meum Sophronium, & perreximus in monasterium quod ab Alexandria decem & octo passuum millibus distat; ad senem quendam magnæ virtutis, Ægyptium genere; dixíque seni: dic nobis verbum, pater, quò debemus simul habitare; quia Dominus Sophista voluntatem seculo renunciandi habet. Ait senex; bene facis, fili, renuncians seculo, saluánsque animam tuam. Sedete 1 igitur in cella, vbi vultis; sobriè & vigilanter, quietem ac silentium seruantes, & sine intermissione orantes: & spem habeo in Deum, fili, quòd mittet vobis scientiam suam ad illuminãdas animas vestras. Dixit iterum: Si saluari, fili, cupitis, fugite homines. Hodie enim nos non desistimus omnium terere limina, omnémque ciuitatem ac regionem circuire; sicubi possimus auaritiæ vel inanis gloriæ nobis ipsis stipendia acquirere, & animas nostras implére vanitate. Dixit iterum senex: Fugiamus iam, fili, quoniam appropinquat tempus. Dixit iterum: Væ væ; quantùm flebimus, quantúmque pœnitebimus pro eo quòd modò pœnitere nolumus! Dixit iterum: neque cùm laudamur, nos ipsos cõtinemus sub humiliare; neque rursus cùm vituperamur, toleramus. Aliud quippe, nobis inanem gloriam suggerit; aliud, mœstitiam nobis miseris facit. Vbi verò tristitia & inanis gloria est, nihil boni reperitur. Dixit iterum: Patres nostri, vt magni atque mirabiles, pascebant multos, ego autem humilis, vnam ouem regere nõ valeo, sed semper ferarum morsibus pateo. Ait rursus: Dæmonum opus hoc est, vt cùm animam in peccatum deiecerint, tunc nos in desperationem præcipitent, vt perfectè nos perdant. Semper enim dæmones dicunt animæ; *quando morietur, & peribit nomen eius?* Si igitur sobria fuerit anima, & ipsa ad eos econtrà clamabit, & dicet: *Non moriar, sed viuam & narrabo opera Domini.* Quoniã igitur magnam habent impudentiam dæmones; & ipsi rursus clamant, dicentes: *transmigra in montem, velut passer.* Idcircò & nos ad illos dicere debemus: nam & ipse *Deus meus & saluator meus; adiutor meus, non emigrabo.* Dixit iterum senex: esto ianitor cordis tui, ne intret peregrinus, dicens; *noster es, an aduersariorum?*

Ps. 40. 6.
Ps. 117. 17.
Ps. 10. 1.
Ps. 61. 7.
Ios. 5. 13.

1 *Ecce antiquorum monachorum constitutiones, & salutaria præcepta.*

Factum cuiusdam viri Calui, & sacco induti. CAP. CXI.

EGo & sodalis meus Sophronius, cum in Alexandria essemus, die quadam perreximus ad Theodosij Ecclesiam; obuiúmque habuimus in vico virum quendam caluum, indutum sacco vsque ad genua. Videbatur autem quasi fatuus, & amens. Dixit igitur mihi Abbas Sophronius: da mihi nũmos, & videbis virtutem venientis. Dedi ergo illi quinque nummos. Qui, acceptos, dedit illi qui videbatur vt amens. Accepit autem eos ille, nihil omnino loquens. Nos autem clam illum secuti sumus è uestigio. Ille verò cùm flexisset à via, extendit in cœ-

lum manum suam dexteram habentem nummos,& post hæc prostrauit se coram Deo; positisque in terra nummis,abiit.

Vita, & mors Leonis Monachi, genere Cappadocis. CAP. CXII.

TEmporibus imperij Tyberij fidelissimi Cæsaris, ascendimus in Oasum; inuenimusque illic magnum in diuinis rebus monachum, genere quidem Cappadocem,nomine autem Leonem. De hoc multi multa digna admiratione narrabant nobis. Nos autem ad illius pertingentes familiare colloquium, magnumque experimentum capientes sancti huius viri, magnifice ædificati sumus,& maximè in humilitate eius,& silentio,& nuditate rerum omniũ, & charitate quam ad omnes habuit. Dicebat ergo semper venerabilis hic senex:credite mihi (filij) quia regnare habeo. Nos autem dicebamus ei:crede nobis,Abba Leo,quia nullus ex Cappadocia vnquam regnauit; importunam ergo habes istam cogitationem. Ille verò rursus dicebat: veraciter (filij) regnare habeo.

Nullus ex Cappadocia vnquam regnauit.

B Nemo autem poterat eum ab hac cogitatione remouere. Cùm igitur venissent Maxices,& vniuersam prouinciam illam deuastassent, ac diripuissent; venerunt & in Oasum,& monachos quidem plures occiderunt, plurimósque captiuos duxerunt. Inter quos acceperunt & abbatem Ioannem(erat autem hic Lector magnæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ)& Abbatem Eustathium Romanum,& Abbatem Theodorum Cilicem. Erăt autem tres infirmantes. Cùm ergo vincti fuissent; ait Abbas Ioannes, Barbaris:ducite me in ciuitatem, & faciam vt Episcopus det pro nobis numismata viginti quatuor. Accepit ergo illum vnus ex barbaris, & duxit prope ciuitatem;ingressúsque est Abbas Ioannes ad Episcopum. Inuentus est autem in vrbe & Abbas Leo & alij quidam C patrum, atque ideò tenti non fuerant. Ingressus igitur Abbas Ioannes cœpit orare Episcopum, vt barbaro numismata daret. Episcopus autem non plura quàm octo numismata habere inuentus est. Voluerunt ergo dare Barbaro octo numismata; & noluit accipere,dicens:aut viginti quatuor numismata præbere mihi, aut monachū date. Coacti igitur sunt qui erant in ciuitate,rursus Abbatem Ioannem Barbaro dare flentem & eiulantem. Adduxit autem illum in sua tabernacula barbarus. Post tres ergo dies,sumptis octo numismatibus,abbas Leo in eremum exiit,vbi erant barbari;orauitque illos,dicens: Accipite me cum octo numismatibus; & tres istos dimittite quoniam infirmi sunt, neque pergere per eremum possunt, nam interficietis eos & detrimentum patiemini. Ego D verò sanus sum,& seruiam vobis. Tunc Barbari acceperunt Abbatem Leonem, & octo numismata; & dimiserunt illos tres. Abiit ergo Abbas Leo vsque ad quodam locum; & cùm præ debilitate pergere vltra non posset, Barbari decollauerunt eum: Impleuitque Abbas Leo Scripturam dicentem; *vt ponat quis animam suam pro amicis suis.* Tunc nos quoque cognouimus quidnam esset quod dixerat;quia regnare habeo. Veraciter enim regnauit,quia posuit animam suam pro amicis suis.

Ioan. 15.13.

¹ *Vide quæ virtutes sanctum patrem commendabilem redderent.*

Admonitio Abbatis Ioannis de Petra. CAP. CXIII.

AD Abbatem Ioannem de petra perrexi; sumpto mecum & sodali Sophronio,rogauimusque illum dicentes:dic nobis verbum. Senex autem ait:amate nuditatem rerum omnium, & continentiam. Credite dicenti mihi. Cùm adolescens morarer in Seiti; quidam Senum ¹ plene indoluit; & modicum aceti quæsitum est in quatuor eius loci monasteriis, & inuentum non est: tanta erat apud eos paupertas,& nuditas, & continentia. Erant autem ibi Patres quasi tresmille, & quingenti.

Vita Abbatis Danielis Ægyptij. CAP. CXIIII.

NArrauit autem nobis sanctus senex, de Abbate Daniele Ægyptio,dicens: Ascendit senex ipse die quadam in Thernutum, vt ¹ opus manuum suarum venderet. Adolescens autem quidam precabatur senem; dicẽs: Per Deum,senior veni in domum meam, & fac orationem super vxorem meam,quia sterilis est. Senex autem compulsus à iuuene, abiit cum illo in domum suam, fecitque orationem super vxorem eius; & ¹ volente Deo, A mulier in vtero concepit. Viri ergo quidam non timentes Deum; cœperunt seni detrahere, & dicere:verè iuuenis iste infœcundus est,sed mulier,à sene,prægnans facta est. Venit igitur hæc fama ad senis aures,& scripsit senex marito mulieris,dicens: cùm pepererit vxor tua; nuncia mihi. Cùm ergo peperisset vxor illius; sent significauit iuuenis dicens: per Deum & orationes tuas, pater, genuit vxor mea. Tunc Abbas Daniel ingressus,ait iuueni: fac prandium, & voca cognatos & amicos tuos. Cùm igitur pranderent; sumens senex puerulum in manibus, coram omnibus dixit infantulo: quis est pater tuus; infans? Ait autem infans;hic:ostendens digito manus suæ, iuuenem. Erat autem infantulus, dierum viginti quinque.

¹ *Operabantur manibus antiqui monachi.*
² *Oratio valet ad obtinendum omnia à Deo.*

DIcebat Abbas Ioannes Cilix dux Raythu,fratribus: Filij, sicut ¹ fugimus mundum,fugiamus concupiscẽtias carnis. Dixit iterum:Imitemur patres nostros, qui cum tanta austeritate vitæ & silentio sederunt in loco isto. Dixit iterum:ne sordidemus locum istum (filij) quem patres nostri, à dæmonibus emundauerunt. Ait rursus:locus iste monachorum , non negociatorum est. Dixit iterum: Inueni hic senes, qui septuaginta annos hoc eodem in loco egerant, herbis solùm, & palmarum fructibus viuentes. Dixit iterum senex: Septuaginta & sex annos habeo in hoc loco , multa mala & horrenda perpessus à dæmonibus.

Admonitiones Abbatis Ioannis Cilicis. CAP. CXV.

¹ *Ecce sanctorum Monachorum propositum.*

NArrauit nobis Abbas Andreas Messenius, dum essemus in Raythu,dicens:cùm essem adolescens; recessimus ego & Abbas meus, de Raythu; & venimus in Palæstinã. Mansimus autem apud senem quendam. Senex ergo qui suscepit nos,habebat vnũ nomisma;quod, vbi posuisset, per errorem oblitus, suspicatus est quòd iunior ego furatus illud essem. Dicebat ergo senex patribus loci ipsius quia frater Andreas numisma accepit. Quod cùm audisset Abbas meus; vocauit me, & ait mihi:die, Andrea; tu numisma senis accepisti? Ad quẽ ego: ignosce Abba, ego nihil accepi. Habebam autem pallium; quod, abiens vendidi numismate;& accipiens numisma, profectus sum ad senem, & prostratus illi veniã petij; & dixi:Ignosce mihi, Abba; quia Satanas decepit me,& accepi numisma tuum. Erat autem illic & secularis quidam. Ait ad me senex:vade fili,nihil perdidi. Iterum igitur prostratus, veniam petebam, dicens:per Dominum, Abba,accipe numisma:ecce hoc est: & fac mihi orationem, quoniam Satanas immisit mihi vt furarer illud, & affligerem vos. Dixit iterum senex:Fili,non perdidi quicquam. Cùm verò illi non acquiescerem;ait mihi secularis ille: Verè, domine frater;hesterno die cùm huc venissem,inueni senem plorantem, & prostratum, petentemque veniam in magna afflictione animi; dixique illi:fac charitatem;quid est,quod habes? Et dixit mihi senex: quia fratrem iniusta calumnia exagitaui, dicens quòd numisma furatus esset; & ecce, inueni illud. Tunc senex ædificatus est in me; quòd,cùm non accepissem numisma,detulerim illud ad eum,dicens; Ego illud accepi.

De fratre, cui falso obiiciebatur subtraxisse numisma. CAP. CXVI.

FRater quidam, dæmonium habens accessit ad abbatem Symeonem Stylitem 10 admirabilem montem rogans, vt pro se oraret, & effugaret ab eo Dæmonem; Dixit ei Abbas Symeon: vbi moraris? Qui ait in Raythu. Ad quem , senex: miror (inquit) frater, cur tanto te labore fatigaueris, tantùmque itineris peregeris, vt venires ad me peccatorem hominem,cùm tales ac tantos patres habeas in monasterio tuo. Vade igitur ad abbatem Andream, & roga illum vt oret pro te; & statim curabit te. Venit igitur frater in Raythu;& sicut sibi mandauerat beatus Symeon,prostrauit se illi rogans & dicens, Ora pro me,pater. Dixit ei abbas Andreas: Accepit gratiam huius curationis,abbas Symeon. Cùmque fecisset

De fratre dæmoniaco ab Abbate Andrea sanato. CAP. CXVII.

Hh iiij

orationem; continuò mondatus est frater, & gratias reddidit Deo.

1 *Ecce quomodo sancti in virtute Dei sanitates conferunt.*

Vita Menæ diaconi Monachi in Raythu. Cap. cxviii.

NArrauit nobis abbas Sergius in Raythu de fratre quodam illic diacono, Mena nomine; & ait: Cùm exisset aliquando Menas ad ministerium reuersus est ad seculum. Quid autem illi contigerit, nescimus, nisi quia reliquit monasticum habitum, & secolaris effectus est. Post multum verò temporis, profectus est Theopolim; & cùm rediret Seleuciam, vidit monasterium sancti abbatis Symeonis Stylitæ, de longè; & ait intra se: Ascendam, & videbo magnum Symeonem; nunquam enim eum viderat. Euntem verò, & iam cœnobio appropinquantem vt vidit abbas Symeon; diuinitus agnoscens quòd esset monachus, & quia diaconus ordinatus fuisset, vocauit ministrum suum, dicens: Affer huc forfices. Cùmque attulisset; ait illi: benedictus Dominus; tonde illum; ostendens eum digito: erant enim ibi multi circa columnam. Admiratus autem ille in verbo senis, simúlque timore magno comprehensus; suscepit [1] tonsuram nihil omnino loquens. Intellexit enim, quia Deus reuelasset seni, de se. Cùm minister ergo totondisset illum; ait ei magnus Symeon: fac orationem Diacone. Et cùm orasset; ait illi iterum: perge in Raythu, vnde etiam existi. Dicente autem illo; se verecundari, patrúmque aspectus ferre non posse; rursus ait illi abbas Symeon: Crede mihi, fili, quia vereri omnino non debes; hilari enim facie, & grato animo te suscipiét Patres; gaudiúmque illis fiet, & exultatio in conuersione tua. Et hoc autem scito (fili) quia Deus signum in te facturus est; vt agnoscas, quoniam ignouit tibi illius immensa & ineffabilis bonitas, peccatum istud. Venientem igitur in Raythu, supinis manibus exceperunt patres; miserúntque ipsum in sanctum sacrarium. Quadam igitur die Dominica cùm ferret [2] sanctum & viuificum sanguinem magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi; continuò exiit oculus vnus. Atque ex hoc signo cognouerunt Patres, quia ignouisset illi Deus peccatum istud, iuxta verbum magni Symeonis.

1 *Vides quod etiam antiquitus monachi tondebantur.*

2 *Ecce quomodo in sacra eucharistia est sanctus & viuificus sanguis magni Dei & saluatoris nostri Iesu Christi.*

De dæmone, qui in habitu Monachi profectus est ad cellam cuiusdam senis in Raytu. Cap. cxix.

DIcebat nobis abbas Eusebius Presbyter eiusdé monasterij Raythu, cùm ad illum venissemus; quòd dæmon in habitu monachi profectus fuit ad cellam senis, & cùm pulsasset ianuam, aperuit senex, & dixit illi; Ora: Dæmon autem ait; *& nunc & semper & in secula seculorum, Amen.* Senex autem rursus dixit; Ora: & dæmon similiter ait; *nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.* Tunc senex: Ora, & dic; *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, etiam nunc & semper & in secula seculorum, Amen.* Hoc autem cùm dixisset senex; dæmon quasi vim passus ab igne euanuit.

De tribus Monachis mortuis inuentis a piscatoribus Pharonitis. Cap. cxx.

NArrauerunt nobis Pharonitæ piscatores, dicentes: die quadam iuimus in Buchrin trans Mare rubrú; & cum plurimos pisces cœpissemus, reuersi sumus, & venimus prope Pereleum. Volentésque transfretare in Raythu, prohibiti sumus à ventis contrariis; ac maris tempestate detenti sumus per dies nonaginta. Venientes autem in quoddam maximum Desertum; inuenimus subter vnum saxum tres Anachoretas defunctos, indutos collobiis de fibino, melotésq; illorum iuxta eos erát positæ. Accepimus itaque illos, & duximus ad nauem; continuóque, æstuans mare, tranquillum factum est; & venti contrarij, in opportunos conuersi sunt. Et transfretauimus secundis ventis, & venimus in Raythu. Patres autem sepelierunt eos cum antiquis senibus.

Vita & mors Abbatis Gregorij Byzantini, & alterius Gregorij Pharonitæ eius discipuli. Cap. cxxi.

NArrauerunt nobis ipsius loci patres, de Abbate Gregorio Byzantino; & discipulo eius, Abbate Gregorio Pharonite; quòd in insula quadam Maris rubri manserint. Illa verò insula aquam non habebat: sed ex Continenti afferebant aquam sibi in vsus suos; habebant enim ratem, cum qua exibant, & afferebant. Quadam autem die miserunt Ratem in mare; ligantes illam ad saxum quoddam. Nocte verò illa, facta est vnda vehemens, ruptóque fune periit Ratis. Manserunt autem patres illi, non habétes vnde sibi aquam deferrent. Post octo itaque menses, venerunt monachi de Raythu, & inuenerunt ambos mortuos. Inuenerunt autem & in dorso Testudinis, ita scriptum: Abbas Gregorios Pharonites, viginti & octo diebus aquam nô bibens defunctus est; ego autem, dies triginta septem transegi, ex quo non bibi. Inuenimus verò ambos integros; sumentésque illos, [1] sepeliuimus in Raythu.

1 *Ergo sepelire mortuos est opus pium.*

De duobus Monachis qui nudi ingressi sűt Ecclesiam, vt communicarét, nec visi sunt ab aliquo nisi ab Abbate Stephano. Cap. cxxii.

VEnimus ad Abbatem Stephanum Cappadocem, in Sina monte; narrauitque nobis, dicens: Cum essem ego in Raythu, ante hos annos; quinta feria cœnæ Domini eram in Ecclesia. Cúmque consummaretur [1] sancta Oblatio, patrésque omnes assisterent; ecce video duos quosdam Anachoretas, Ecclesiam ingredi: erant autem nudi; nullúsque patrum alius animaduertit quod nudi essent, nisi ego solus. Cùm igitur communicassent Dominico corpori, & sanguini, exierunt de Ecclesia; & abibant. Ego auté vnà cum illis exiui. Cùm ergo egressi essemus; prostraui me illis, dicens: facite charitatem; accipite me vobiscum. Cognouerunt autem, quia viderá illos nudos; & dixerunt mihi: benè sedes; quiesce. Rursus ego rogabam illos, vt acciperent me secum tunc dixerunt mihi; non potes nobiscum esse; sede, bona enim tibi sedes est. Facientes autem mihi orationem; videnté me, super aquas Rubri maris pedibus ingressi sunt, & trans mare abierunt.

1 *Sanctam oblationem, appellat sacram Eucharistiam.*

Vita Abbatis Zosimi Cilicis. Cap. cxxiii.

PErreximus ad Abbatem Zosimum Cilicem, in monte Sina vbi morabatur: renuerat enim Episcopatum, senex; & redierat in cellulam suam. Erat autem vir magnæ abstinentiæ; narrauitque nobis, dicens: Cùm essem iunior, exiui de Sina; & abij in Ammonitacem vt illic morarer, inuenique ibi senem vestitum collobio de fibino. Senex autem, vt vidit me: priusquam illum salutarem, ait mihi: quid huc aduenisti, Zosime? Vade; nó potes hic sedere. Existimans autem, quia cognouisset me; prostraui me ante illum dicens: fac charitatem, pater; vnde me nosti? Senex autem dixit mihi: ante duos dies apparuit mihi quidam, dicens; ecce veniet ad te monachus quidá, nomine Zosimus: non permittas eum hîc manêre: volo enim ecclesiam Babylonis quæ in Ægypto est, illi credere. Tacuitque senex; & dimisso me, abiit à me quátum est iactus lapidis. Et cùm duas horas in oratione compleslet; venit ad me, & osculans faciem meam ait mihi: Fili charissime, benè venisti, Deus enim te huc [1] adduxit, vt commendes terræ corpus meum. Dixi autem ei: quot annos in hoc loco habes, Abba? Dixit ad me; quadraginta & quinqu[illegible]nnos impleo: & apparuit mihi facies tanquam ignis[illegible] ait mihi: Pax tibi, fili; & ora pro me. Et hæc dicens; collocauit se ipsum, & requieuit. Ego autem, effossa humo, sepeliui eum; & post duos dies recessi, glorificans Deum.

1 *Vide quantam curam habeat Deus sepulturæ seruorum suorum. Igitur sepelire mortuos est opus et placens.*

Cap. cxxiiii.

NArrauit auté nobis & hoc, senex; dicens: Ante annos viginti duos ascendi in Porphyritem, volens illic morari. Accepi autem & discipulum meum Ioannem, mecum. Cùm ergo illuc venissemus, inuenimus duos Anachoretas; mansimúsque prope illos. Erat autem alter quidem ex his, Galata; nomine Paulus: alter verò Melitinus, nomine Theodorus; ex monasterio fuerat Abbatis Euthymij: ferebat autem [1] Collobia ex pellibus bubalorum. Mansi autem illic fermè duos annos; distabamúsque ab inuicem quasi duobus stadiis. Die autem quadam cùm sederet Ioannes discipulus meus, percussit eum Serpens; statímque defunctus est, sanguinem ex omnibus partibus fundens: in multa igitur angustia existens, abij ad Anachoretas. Qui statim vt viderunt me turbatum, & afflictum; antequam aliquid dicerem ad

eor, dicunt mihi: quid est, Abba Zosime? mortuus est frater? Dico illis: ita sane mortuus est. Venientes igitur mecum, videntésque ipsum in terra iacentem; dicunt mihi: noli contristari, Abba Zosime; adest diuinum adiutoriū. Vocantésque fratrem, dixerunt: frater Ioannes, surge; quia senex te opus habet: continuóque surrexit frater, de terra. Quærentes autem bestiam & inuenientes, tenuerunt eam, & in conspectu nostro, illam in duas partes disruperunt. Tunc dicunt mihi: Abba Zosime, vade in Sina; Deus enim tibi committere vult ecclesiam Babylonis. Continuò itaque recessimus nos. Cúmque venissemus in Sina; post paucos dies, Abbas misit me & duos alios, in ministerium in Alexandriam. Tenénsque nos Papa Alexandrinus beatissimus Apollinaris; omnes tres fecit Episcopos: vnum quidem, Heliopoleos; alium, Leontopoleos; me verò, in Babylonem misit.

1 *Ecce vilitatem habitus antiquorum monachorum.*

Factū pulchrum Abbatis Sergij Anachoretæ. Cap. cxxv.

NArrauerunt nobis quidam patrum in Sina, de Abbate Sergio anachoreta; quòd cùm moraretur in Sina, constituebat illum Dispensator super Burdones. Cùm ergo die quadam properarer; ecce Leo iacebat in via. Porrò Burdonarij burdonésque, visu leone, timore correpti; recesserunt. Tunc Abbas Sergius, sumens de pera vnam benedictionem, profectus est ad leonem, dixítque ei; Accipe benedictionem Patrum, & [1] recede de via, vt transeamus: sumptâque Leo benedictione recessit.

1 *Etiam irrationabilibus creaturis in virtute Dei sancti imperant.*

Egregia responsio Abbatis Orenti montis Sina. Cap. cxxxi.

DIcebant nobis eiusdem loci S. patres de Abbate Orento; quòd die quadam Dominica ingressus est senex in Ecclesiam, verso sago suo, ita vt foris villosus esset. Stante igitur eo in choro, venerunt quidam de dispensatoribus loci, & dixerunt seni: Cur ita, pater, ingressus es conuerso sago tuo in Ecclesiam ad derisionē nostram coram peregrinis? Respondit ei senex: Vos euertistis Sina, & nemo vobis dixit aliquid, & ego quia conuerti sagum meum, dicitis mihi: Quare conuertis sagum tuum? Ite, corrigite, quæ euertistis, & ego corrigam quæ euerti.

Vita Abbatis Georgij sancti mõtis Sina, & anus cuiusdam ex Galatia Phrygiæ. Cap. cxxxii.

NArrauit nobis Abbatissa Damiana solitaria, mater Abbatis Athenogenis Episcopi Petrensis, dicens: Erat quidā Abbas in sancto monte Sina, nomine Georgius, magnæ virtutis, & abstinentiæ vir. Huic abbati Georgio magni sabbati die sedenti in cellula sua venit desiderium faciendi sacrum [1] diem resurrectionis in sancta ciuitate, & sumere veneranda [2] mysteria in sancta Christi Dei nostri Resurrectione. Per totam ergo diem senior huiusmodi cogitatione sollicitabatur, & orabat. Cùm itaque serò factum esset, venit discipulus eius dicens ei: Iube pater, vt eamus ad synaxim. Senex autem respondit ei: Vade, & tempore sanctæ communionis veni ad me, & pergam. Mansit itaque senex in cellula. Cùm autem aduenisset tempus sanctæ communionis in sancta Resurrectione, inuentus est senex prope Archiepiscopum beatum Petrum, qui præbuit illi cum presbyteris sanctam communionem. Videns igitur eum Patriarcha dixit Menæ assessori suo: Quando venit Abbas montis Sina? Respondit ille: Per orationes vestras, Domine, non vidi illum nisi nunc solummodò. Tunc ait Patriarcha: Dic illi, vt nõ recedat. Volo enim, vt mecum sumat cibum. Ille verò profectus id dixit seni. Qui ait: voluntas Dei fiat. Cùm ergo senex saluasset synaxes, adorato [3] sancto monumento, inuentus est in cellula sua. Ecce discipulus ipsius pulsauit, & dixit: Pater, veni, vt communices. Senex verò profectus in ecclesiam cum discipulo suo, iterum sumpsit [4] veneranda mysteria. Petrus autem Archiepiscopus contristatus, quòd illi inobediens fuisset, post solennitatem misit ad Episcopum Phari Abbatem Photinum, & ad patres Sina, vt Abbatem ad se mitterent. Cùm ergo venisset, qui attulerat litteras, dedissétque illas, misit & senex tres Presbyteros, Abbatem scilicet Stephanum Cappadocem magnum illum virum, cuius & suprà meminimus, & Abbatem Zosimum, cuius etiam superiùs mentionem fecimus, & Abbatem Dulcitium Romanum ad Patriarcham, purgauitque se ipsum senior scribens, ac dicens: Absit à me, mi domine sanctissime, vt sanctum Angelum vestrū contempserim. Scripsit autem & hoc ad eum: Vt sciat beatitudo vestra, post sex menses Christo Domino, ac Deo nostro simul occursuri sumus, & illic adorabo vos. Egressi itaque Presbyteri dederunt Patriarchæ literas. Dixerunt autem & hoc ei, quoniam senex multos annos habebat, ex quo non venerat in Palæstinam. Ostendebant item & literas Episcopi Phari simul contestantes, quòd fermè septuaginta annos haberet senex, ex quo de sancto monte Sina non exierat. Sanctus verò, ac mitissimus Petrus afferebat testes eos, qui tunc affuerāt, Episcopos, & clericos dicētes: Verè nos senem vidimus, & omnes osculo sancto illum salutauimus. Postquam igitur impleti sunt sex menses, requieuerunt in pace senex, & Patriarcha, iuxta scilicet ipsius senis prophetiam.

NArrauit nobis eadem Abbatissa Damiana & hoc dicens: Die sancto [5] parasceue, antequam includeret, abij ad sanctum Cosmam, & Damianum, & illic totam [6] noctem peregi. Venit itaque serò anus quædam ex Galatia Phrygiæ, & dabat omnibus, qui in templo erant duo minuta. Die igitur quadam neptis mea, & fidelissimi imperatoris Mauritij, veniens in sanctam ciuitatem orationis gratia, egit ibi annum integrum. Assumpsi ergo eam, & adduxi ad sanctos Cosmam, & Damianum. Cùm igitur in oratorio essemus, aio cognatæ meæ: Vide filia, quia venit anus quædam dans duo minuta (ea enim mihi sæpiùs dederat) Sume illa ne superbias. Illa autem indignans dicebat: Mandatum habeo accipere? Tunc dixi ei: Etiam, accipe. Mulier enim sancta est, & magnæ virtutis. Tota enim hebdomada ieiunat, & quicquid in hebdomada laborans lucratur, erogat his qui in templo inueniuntur. Est autem vidua quasi annorum octoginta. Sume igitur duo minuta, & da illa tu quoque alteri. Tantum ne respuas anus istius sacrificium. Ista nobis loquentibus, ecce anus veniens duo minuta erogabat. Veniénsque dedit mihi cum omni silentio. Dedit autem & nepti meæ dicens: Accipe ista, & comede. Cùm ergo abijsset, agnouimus, quòd Deus illi reuelasset, quod dixeram ei, vt acciperet, & alteri pauperi daret. Misit igitur vnum ex pueris suis, & de duobus minutis emit lupinos, & comedit. Asseuerabat autem coram Deo dicens, eos tanquam mel dulces fuisse, ita vt miraretur, & glorificaret Deum, qui dat gratiam seruis suis.

1 *Nota sacrum diem resurrectionis.*
2 *Sacram Eucharistiam appellat veneranda mysteria.*
3 *Adorato sancto Monumento.*
4 *Veneranda mysteria sumpsit, id est sanctam communionem.*
5 *Etiam olim Dies parasceue sanctus erat.*
6 *Ecce peregrinationes ad loca sancta, & pernoctationes apud illa.*

Vita Adelphij Episcopi arabessi, & de beato Ioanne Chrysostomo. Cap. cxxxiii.

PErreximus ad Abbatem Athanasium in monasteriū sancti patris nostri Sabæ, narrauitque nobis, dicens: Audiui referente Abbate Anthenogene Episcopo Patre, filio Abbatissæ Damianæ tale aliquid. Fratrem habuit auia mea Ioanna, nomine Adelphium Episcopum Arabessi, sororem quoque Abbatissam monasterij mulierem. Quadam verò die abiit Episcopus ad monasterium visitandæ sororis gratia. Et cùm intraret atrium monasterij, vidit vnam de sororibus à dæmone correptam, & in pauimento proiectam. Conuocans igitur episcopus sororem suam, ait illi: Placétne tibi, vt soror ista perturbetur à dæmone, & dehonestetur? An ignoras, quia iudicium portas omnium sororum, vt abbatissa? Quæ dixit ei: Et ego quid possum facere aduersus dæmonem? Episcopus autem rursum dixit ei: Et quid hīc tot annis facis? Factâque oratione, episcopus [1] mundauit à dæmone sororem illam.

1 *Oratione sua sanctus episcopus mundauit monialem à dæmone.*

* RVrsus idem Abbas Athanasius narrauit nobis de eodem Episcopo Adelphio, dicens, sese venerabilem Ioannam sororem ipsius ita referentem audisse: Cùm sanctissimus Episcopus Constantinopolitanus Ioannes Chrysostomus in Cucusum in exilium missus est, in domo nostra mansit. Ex hoc igitur ingentem confidentiam, & charitatem habuimus ad Deum. Dicebat ergo frater meus Adelphius, cùm in exilio mortuus esset beatissimus Ioannes: Dolorem pertuli incredibilem, quòd talis, ac tantus vir, orbísque magister, lætificans ecclesiam Dei, à throno suo exul defunctus est. Deprecabatur ergo, inquit, Deum cum multis lachrymis, vt ostẽdere mihi dignaretur, in quo statu esset, & an cum Patriarchis adnumeratus esset. Cùm ergo diutiùs orassem, in extasi effectus sum, aspexique virum nimis B speciosum, qui tenens manum dexteram meam, adduxit me in locum quendam illustrem, & gloriosissimum, ostendebátque mihi Ecclesiæ doctores. Ego verò circunspiciebam, videre quærens, quem cupiebam, magnum Ioannem dilectissimum meum. Cùm ergo ostendisset mihi omnes, & vniuscuiusque proprium nomen expressisset, rursus tenens me per manum, eduxit me foras. Ego autem sequebar illum tristis, quòd non vidissem cum patribus, & Ecclesiæ magistris beatum Ioannem. Cùm itaque egrederer, is, qui præerat ianuæ, apprehendens me dixit mihi: Quid habes, cur tristis es? Nemo vnquam huc ingessus, tristis exiuit. Tunc dixi illi: Hæc mihi causa mœroris est, quòd amantissimum mei Ioannem Episcopum Constantinopolitanum vnà cùm cæteris do- C ctoribus non vidi. Rursum dixit mihi: Ioannem dicis pœnitentiæ ducem? Aio ego: Illum sanè. Respondens autem dixit mihi: Ipsum homo in carne viuens videre non potest. Illic enim a assistit, vbi thronus est Domini.

a *Tomo 8. Annal. Eccles. anno Domini 407. cap. 32. reuocatur in dubium tota hæc reuelatio de S. Chrysostomi gloria, imo & fide minuitur, quod non sit verisimile Chrysostomum in cælo potiorem locum obtinere super doctores omnes Ecclesiæ. Nam vt alij interim omittantur, haud est probabile Chrysostomum Athanasio maiorem esse in regno cælorum. Verum monemus quoque eiusmodi reuelationes interdum fieri non ad ostendendam maiorem in omnibus alicuius Sancti gloriam, sed ad indicandam excellentem quandam & peculiarem cuiusquam Beati prærogatiuam, qua alijs præeminuit: cuiusmodi fuit zelus iustitiæ, qui in pectore Chrysostomi adeò exarsit, vt merito propterea in visione diuina dictus sit assistere throno Dei. Huius generis visio illa fuit S. Petri Dominico oblata, cum visis diuersorum ordinum religiosis in cælo, nullum ex suis alumnis aspexit. quos tamen sacra Deipara eximio & singulari* D *fauore sub pallio suo occultans, eisdem postmodum ostendit. Deinde facile in Epistolam Chrysostomi nomen Troij, pro Adelphio potuit irrepere: vel fuit binomius Troius Adelphius. Denique verbum mansit, cur necessariò referendum ad hospitium? Et est verisimile Chrysostomum domum Episcopi inuisisse hac pro assertione libri alioquin præstantis auctoritatis.*

2 *Ecce quomodo anima beatissimi Ioannis est in cælo ante thronum Dei.*

Vita cuiusdam Stylitæ. CAP. CXXIX.

ABbas idem Athanasius narrauit nobis audisse se narrantem Abbatem Athenogenem Episcopum Petræ, quòd in prouincia sua fuerit Stylites quidam, ad quem omnes, qui veniebant, inferiùs stantes loquebantur, eò quod non haberet scalam. Si quando igitur dixisset illi frater: Volo tibi dicere cogitationem: dicebat & ipse illi leni voce: Veni ad gradus columnæ: ibátque E ipse ad aliam columnæ partem, & ita loquebantur mutuò, Stylita quidem superiùs stante, fratre autem inferiùs. Cæterorum verò, qui assistebant, nullus ea, quæ dicebantur, audire poterat.

Dicebat & hoc Abbas Athenogenes de eodem Stylita, quòd duo seculares se mutuò valde diligentes, pergebant ad eum multis annis ambo simul, & nunquam vnus sine altero proficiscentes. Quadam ergo die venit, nesciente socio suo, alter ad illum. Cùmque plures horas pulsaret ianuam, noluit illi senex aperire, ita vt ille tædio deuictus reuerteretur. Reuertenti autem occurrit amicus eius, pergens & ipse ad Stylitem, sursúmque reduxit eum secum, vt ambo simul ingrederentur ad senem. A Cùm ergo pulsarent ianuam, mandauit senex, vt qui posterior venerat, ingrederetur solus. Ingressúsque posterior cœpit rogare senem, vt & alius introiret. Senex autem dixit ei, se non posse illum suscipere. Perseueranti verò, & per multam horam deprecanti ait senex: Deus illum auersatur, fili, & ego illum suscipere non possum. Cùmque ad propria redussent, post duos dies ille defunctus est.

Admonitiones Abbatis Athanasij, & mirabilis eius visio. CAP. CXXX.

DIcebat idem Abbas Athanasius: Patres nostri continentiam, & 1 paupertatem, ac nuditatem rerum omnium vsque ad mortem seruauerunt: nos autem ventres nostros, & erumenas dilatauimus. Dixit iterum senex: Sed patribus nostris in studio erat distractiones animi vitare, nostris verò temporibus olla obtinuit, & opus manuum.

Narrauit nobis & istud Abbas Athanasius de se: Ve- B nit, inquiens, mihi aliquando cogitatio, dicens: Quid putas erit certantibus, & non certantibus? Et cùm factus essem in extasi, venit ad me quidam dicens mihi, Sequere me. Adduxit me in quendam locum plenum luminis, & gloriæ, statuítque me iuxta vnam ianuam, cuius species enarrari non potest. Audiebamus autem interiùs quasi multitudinem innumerabilem laudantium Deum. Cúmque pulsaremus, audiuit quispiam intus, & dixit: Quid vultis? Ait ductor meus: Ingredi volumus. Respondit ille: Non huc ingredietur quispiam in negligentia degens. Sed si intrare vultis, abite, certate, nihil æstimantes vanitates seculi.

1 *Vide quæ virtutes priscos monachos commendabiles reddiderunt.*

Vita Abbatis Zachæi sanctæ Sion. CAP. CXXXI.

C NArrauit nobis Procopius Scholasticus Porphyreonites de Abbate Zachæo, dicens: Duo filij mei Cæsarea degebant. Facta est autem in Cæsarea magna mortalitas, egóque affligebar propter filios meos, ne morerentur: & ignorabam quid agerem. Dicebam autem in meipso: Si mittam, & accipiam eos inde, irã Dei fugere possibile non est. Sed si dimittam eos illic, morientur, & non videbo illos. Nesciens itaque quid agere deberem, dixi: Vadam ad Abbatem Zachæum, & quod dixerit mihi, hoc faciam. Perrexi igitur in sanctam Sion, illic enim semper morabatur, & non inueni eum. Veni autem in atrium sanctæ Mariæ Dei genitricis, & inueni illum stantem in angulo atrij, dixíque illi de filiis meis. Cùm ergo me audisset, ad Orientem conuersus est, & intendit cœlũ quasi per horas duas nihil omninò loquens. D Tunc verò conuersus ad me, dixit mihi: Confide, ac noli affligi. Filij tui non morientur in hac peste. Sed & post duos dies cessabit de Cæsarea mortalitas. Quod & factum est iuxta verbum senis. Et ista quidem Procopius Scholasticus, vt dixi, enarrauit nobis.

CAPVT CXXXII.

Abbas autem Cyprianus, cognomento Coculas, cuius monasterium est extra portam Cæsareæ, narrauit nobis, cùm ad illum venissemus, dicens: Cùm vastaret vrbem istam sæua illa, & horrenda mortalitas, inclusi me ipsum in cella mea, deprecans clementiam Domini, vt nostri misereretur, & auerteret imminentẽ iram. Venitq; mihi vox dicens: Abbas Zachæus accepit hanc gratiam.

De sancto Monacho, qui Saracenum Venatorẽ per duos dies immobilẽ reddidit. CAP. CXXXIII.

NArrauit Sarracenus gentilis eis, qui in Clysmo morabantur, hæc nobis dicens: Cùm abiissem ad E montem Abbatis Antonij, vt venarer, pergens aspicio monachum in monte sedentem, tenentémque librum, & legentem. Ascendi igitur ad eum volens illum cædere, fortassis autem etiam necare. Cùmque venissem prope illum, extendit contra me manum suam dexteram, dicens: Sta. Egique illic duos dies, & duas noctes, nullo modo moueri præualens ex eo loco, vbi eram. Tunc dixi illi: Per Deum, quem colis, dimitte me. Ille autem dixit mihi: Vade in pace. Et ita recedere potui de loco, in quo eram.

Vita Theodori Anachoretæ. CAP. CXXXIIII.

ANachoreta quidam erat in partibus sancti Iordanis, nomine Theodorus. Hic venit ad cellam meã dicens: Fac charitatem, Abba Ioannes, & quære mihi librum, qui contineat totum Testamentũ nouũ. Quærens

igitur inueni, quia Abbas Petrus, qui postea fuit Chalcedonensis Episcopus, talem haberet. Abij itaque, & dixi ei. Et ostendit illum mihi in membranis valde pulchrum. Et dixi ei: Quantum valet? Qui respondit: Tria numismata. Dixit iterum mihi: Tu illum emere vis, an alius? Et aio illi: Crede mihi, Anachoreta ipsum vult. Tunc ait mihi Abbas Petrus: Si Anachoreta ipsum vult, gratis illum accipe. Sume autem & tria ista numismata, & si quidem placet illi liber, teneat illum: sin autem illi non placet, ecce habet tria numismata, eme illi iuxta votum suum. Sumens ergo librum detuli Anachoretæ. Qui, sumpto libro, abiit in eremum. Cùm autem duos ferè menses egisset, rediens Anachoreta venit in cellam meam dicens: Scito, Abba Ioannes, quia cogitatio mea me affligit, eò quòd gratis habeo librum. Aio autem ad illum: Noli pro hoc affligi. Abbas Petrus diues est, & bonus, gaudétque in hoc. Ait mihi rursus Anachoreta: Verè non requiesco, nisi pretium do: dico illi. Et habea pretium, vt des? Dicit mihi: Non. Sed da mihi saccum, vt me induam. Erat enim [1] nudus. Dedi ergo illi saccum, & palliolum, & abiit, operariúsque factus est in eo lacu, quem fecit Patriarcha Hierosolymorum Ioannes in Sigma, accipiebátque quotidianum stipendium nouem minuta. Veniebat ergo prope me in monasterium Heliotarum, comedebátque lupinos, & die tota laborabat. Cùm itaque fecisset de mercede sua minuta numismatum trium, ait mihi: Accipe pretium, & librum, & vade ad dominum suum, & si quidem vult minuta, da illi, sin autem non vult, redde illi librum. Ego igitur veniens nunciaui hæc Abbati Petro. Qui neque pretium, neque librum accipere volebat. Persuasi tamen ei, vt pecuniam acciperet, neque repudiaret Anachoretæ laborē. Quam tandem accepit. Et pergens ergo dedi librum Anachoretæ: qui gaudens remeauit in eremum.

1 *Vide sancti viri paupertatem, habitus vtilitatem, & opus manuum.*

De quinque Virginibus, quæ exire voluerunt è Monasterio, & à dæmonio correptæ sunt. Cap. cxxxv.

ACcessimus ad Eunuchorum monasterium iuxta sanctum Iordanem, ego & frater meus Sophronius. Narrauitque nobis Abbas Nicolaus ipsius monasterij presbyter, dicens: In regione mea (erat autem ex Lycia) monasterium virginum est fermè quadraginta. In hoc ergo monasterio quinque virgines sibi inuicem condixerunt, vt noctu de monasterio fugerent, & acciperent viros. Nocte verò quadam cùm dormirent sanctimoniales omnes, illis consultantibus, vt vestimenta sua acciperent, & fugerent, continuò quinque [1] omnes à dæmonio correptæ sunt. Quo facto, non ampliùs exierunt è monasterio, sed confessæ peccata sua, gratias egerunt Deo dicentes: Gratias agimus magnorum indultori munerum Deo, qui flagellum hoc nobis induxit, vt animæ nostræ non perirent.

1 *Magnum exemplum, quo doceantur omnes religiosæ fœminæ non debere institutum suum deserere: & quòd si id fecerint, animæ earum peribunt.*

De Charitate Abbatis Sisinij erga mulierem Sarracenā. Cap. cxxxvi.

NArrauit autem nobis & Abbas Ioannes eiusdem monasterij Presbyter, dicens: Audiui ab Abbate Sisinio Anachoreta referente, ac dicente: Die quadam eram in spelunca mea prope sanctum Iordanem: & cùm psallerem [1] Tertiam, ecce Sarracena quædam ingressa in speluncam meam, posuit se coram me nudans semetipsam. Ego verò turbatus non sum, sed impleta psalmodia mea cum omni quiete, & timore Dei, dixi ad illam Syriacè: Sede, vt loquar tibi, & tunc faciam, quod vis. Quæ vt resedit, dixi illi: Christiana es, an gentilis? Quæ ait: Christiana. Dixi ad illam iterum: Et nescis, quia qui fornicantur, in supplicium eunt? Quæ ait: Scio planè. Tunc dixi illi: Cur ergo fornicari vis? Respondit: Quia esurio. Et aio ad eam: Noli fornicari, sed veni quotidie, & vt Deus disposuerit, dabo tibi cibum tuum. Ex illa ergo die veniebat ad me diebus singulis, & si quid Deus mittebat mihi, præbebam illi cibum, quousque recessi de illis locis.

1 *Ecce quomodo etiam antiqui monachi psallebant horas canonicas, nam Tertia vna illarum est.*

Relatio Abbatis Ioannis de Abbate Callinico. Cap. cxxxvii.

DIxit iterum idem Abbas Ioannes: Cùm essem iunior, cupiebam pergere ad magnos, & nominatissimos patres, vt ab eis benedicerer, & ædificarer. Audiens igitur de Abbate Callinico magno illo qui in monasterio Abbatis Sabæ inclusus erat, oraui quendam ex familiaribus illius, vt me ad illum duceret. Abij itaque ad illum. Assidens verò is, qui me adduxerat, frater ad fenestram senis, per multam horam loquebatur cum eo. Ego verò in me ipso cogitabam, quia nunquam viderat me senior, ne fortè non gratè susciperet me. Cùm verò frater ille recederet, permisit me ingredi, & salutare senem, & benedici ab eo, dicens ad eum: Ora & pro isto seruo tuo, pater, quia inter primos huc venit. Senex autem dixit, Agnosco illum, fili. Nam ante viginti dies descendi ad sanctum Iordanem, & occurrit mihi in via dicens: Ora pro me. Et ego interrogaui eum: Quod est nomen tuum? Aitque mihi, Ioannes. Ea tunc igitur agnosco eum. Hoc audiens ego cognoui, quia quando cogitaui accedere ad illum, reuelauit illi Deus & nomen meum, & quis essem.

De Abbate Sergio Anachoreta, & de Monacho Gentili, qui baptizatus est. Cap. cxxxviii.

NArrauit autem nobis & hoc idem senex, dicens: Cùm esset Abbas Sergius Anachoreta in Roban, postquam recesserat de Sina, misit huc in monasterium monachum quendam iuuenem, vt baptizaretur. Interrogantibus autem nobis causam, cur nunc baptizaretur, ait nobis minister ipsius Abbatis Sergij: Abbas Sergius quando ad nos venit, volens in eremo manere nobiscum, hunc mihi instituendum tradidit. Ego autem illum plurimùm admonui, ne se huic instituto inconsideratè, ac sine probatione addiceret. Cùm autem illum, eiúsque constantiam peruidissem, sumens eum abij ad senem. Senex autem mox vt vidit illum, antequam quicquam illi loquerer, ait mihi seorsum: Quid vult frater iste? Dixi autem ei: Orat manere nobiscum. Tunc dixit mihi: Crede, frater, iste baptizatus non est, sed adduc illum in monasterium Eunuchorum, & fac illum baptizari in sancto Iordane. Ego autem ad verba senis stupens, interrogaui fratrem, quis esset, & vnde esset. Ille autem ex Occidente se esse ait, parentésq; habere Gentiles, ac nescire, vtrùm baptizatus esset, an non. Tunc itaque [1] catechizantes eum, fecimus in Iordane baptizari, permansitque in monasterio Deo gratias agens.

1 *Vides quomodo ritus, qui ex consuetudine Ecclesiæ in baptismo adhiberi solent, etiam antiquitus obseruabantur.*

Prædictio Abbatis Sergij de Gregorio Duce Monasterij Pharan. Cap. cxxxix.

DE hoc Abbate Sergio Anachoreta narrauit nobis Abbas Sergius Armenius eius discipulus, quòd plurimum sibi molestus fuerit Abbas Gregorius, qui erat dux monasterij Pharan, vt illum duceret ad senem. Die ergo quadam adduxit illum ad ipsum. Erat autem senex tunc circa regionem maris mortui. Cùm igitur vidisset eum senex, libentissimè salutauit, allatáque aqua lauit pedes eius, ac per totam diem collocutus cum eo de ædificatione animæ, die alia dimisit eum. Postquam verò abscessit Abbas Gregorius, dixi, inquit, ego seni: Scis, pater, quia scandalizatus sum, quod cùm plurimos [1] Episcopos, Presbyteros, & alios duxerim ad te, nullius vnquam illorum pedes lauisti, nisi tantùm Abbatis Gregorij: Tunc ait ad me senex: Fili, ego quis sit Abbas Gregorius, nescio, hoc tantùm scio, quia Patriarcham excepi in speluncam meam. Nam & pallium sanctum illum ferentem vidi, & Euangelium. Quod ita factum est. Post sex enim annos ipsum Abbatem Gregorium, ita ordinante Deo, Patriarcham Theopolitanum factum vidimus, sicut prædixerat senex.

1 *Si plurimos Episcopos, ac Presbyteros, & alios duxit ad senem, ergo non omnes fideles sunt ex æquo Episcopi, non omnes Presbyteri, vt nunc quidam mentiuntur.*

Vita eiusdē Gregorij Patriarchæ Theopolitani. Cap. cxl.

DIcebant quidam senum de hoc Patriarcha Theopolitano Gregorio, quod bis maximè [1] virtutibus fuisset insignis, eleemosynis scilicet, iniuriarum obliuione, & lachrymis. Habebat autem & compassionem maximam ad eos, qui peccabant. Quarum omnium rerum

nos sæpè experimenta cœpimus.

1 *Virtutes, quæ sanctum Patrem reddebant commendabilem.*

Prudens Responsio Abbatis Olympij Cap. CCLI.

FRater quidam venit ad Abbatem Olympium in monasterium Abbatis Gerasimi prope Iordanem, & dixit ei: Abba, quomodo sedes in spelunca ista propter æstus magnitudinem, & cyniphes? Respondit ei senex: Fili, ista idcircò tolero, vt futuris cruciatibus liberer. Ideò cyniphes patior, vt immortalem effugiam vermem: similiter & æstum hunc perfero, sempiterni ignis supplicia metuens. Hæc enim temporalia sunt, illa verò finem nullum habent.

Alia prudēs Responsio Abbatis Alexandri. Cap. CCLII.

FRater alius perrexit ad Abbatem Alexandrum ipsius monasterij Abbatis Gerasimi ducem, & ait illi: Abba, volo ex eo loco, vbi habito, discedere. Valdè enim accidia, & tædio animi laboro. Respondit ei Abbas Alexander: Istud, fili, signum est, quia nec regnum cœlorum, nec æternum cruciatum in mente habet. Nam si ista solicita intentione cogitares, nullam in cella tua accidiam sentires.

Vita Dauid latronum principis postea monachi effecti. Cap. CCLIII.

CVm venissemus in Thebaidem, conuenimus Sophistam Phybamonem in vrbe Antinoo. Narrauitque nobis vtilitatis nostræ gratia de latrone quodam nomine Dauid, qui apud Hermopolim plurimos expoliabat, plures etiam interficiebat, & innumera perpetrabat mala, ita vt nullus ei in his crudelitatis operibus cōferri posset. Erátque famosissimus inter omnes. Die verò quadam cùm exerceret latrocinia cum socijs plusquam triginta, rediens in semetipsum, compunctúsque in his, quæ perpetrauerat, sceleribus, relictis socijs abiit ad monasterium. Cúmque pulsaret monasterij ianuam, exiit ostiarius, & dixit ei: Quid vis? Princeps autem latronum ait: Monachus fieri volo. Ingressus verò ostiarius nunciauit Abbati de illo. Egressus ad illum Abbas, & videns, quia iam senex esset, dixit ei: Non potes hîc manêre. Multum enim laborem tolerant fratres, abstinentiáque magna est. Et tu cùm aliter assuetus sis, districtionem monasterij ferre non præuales. Ille autem orabat dicens: Vtique faciam omnia: tantummodo suscipe me. Porrò Abbas in sententia sua persistebat, dicens: Non potes ferre. Tunc ait illi latronum princeps: Vt scias, ego sum Dauid princeps latronum, & idcircò veni huc, vt defleam peccata mea. Si autem me suscipere nolueris, sub iureiurando tibi protestor per eum, qui in cœlo habitat, quia rursus ad priorem statum remeabo, & assumptis mecum socijs meis, vos omnes interficiam, totúmque monasterium euertam. His auditis, Abbas suscepit eum intra monasterium, rondénsque illum 1 tradidit ei religiosum habitum. Cœpit igitur in spirituali militia veteranus tyro pugnare, & 2 abstinentiæ, ac obedientiæ, humilitatisque studijs cunctos, qui erant in monasterio, transcendere. (Erant autē ferè septuaginta Monachi) cunctos ædificans, omnibúsque existens forma virtutis, & sanctitatis exemplum. Die verò quadam sedente illo in sua cellula, missus est ad eū Angelus Dei, dicens: Dauid, Dauid, remisit tibi Deus peccata tua, & eris exnunc signa faciens. Qui respondens dixit: Credere nō possum, quòd omnia peccata mea illa, plura quàm arena maris, atque grauiora, tam breui tempore mihi remiserit Deus. Cui Angelus ait: Si sacerdoti Zachariæ non credenti mihi, cùm illi filium pollicerer, non peperci, sed eius vinxi linguam, docens illum non debere esse incredulum his, quæ à me dicebátur, nec tibi quidem parciturus sum. Idcircò eris amodò non loquens. Dauid autem prostratus humi ait: Cùm essem in sæculo nefaria scelera faciens, & humanum sanguinem fundens, loquebar, modò quando seruire Deo volo, laudésque illi offerre, tu ne linguam meam, ne loquar, ligas? Respondit illi Angelus: Cùm implebis psalmodiæ canonem, loquêris, præter canonem verò penitus tacêbis. Quod & factum est: plurimáque per illum Deus miracula ostendit. Psallebat igitur psalmos, nullum verò verbum aliud omninò loqui poterat. Qui verò nobis ista narrauit, se illum vidisse asserebat.

A 1 *Vides quòd qui Monachus fiebat, tondebatur, & nouum suscipiebat habitum.*

2 *Ecce quibus armis Monachi Deo militant.*

Admonitiones variæ ex senibus, qui erant in cellis. Cap. CCLIIII.

DIcebat quidam è senibus fratribus, qui erant in cellis: Non appetamus Ægyptijs seruire voluptatibus, quæ Pharaoni pernicioso tyranno obnoxios faciunt. Dixit iterum: Vtinam quantum studij circa mala habent homines, tantum haberent circa bona: & ingens ad spectacula studium, & ad vanas, turpésque solennitates, necnon auaritiam, & inanem gloriam, atque iniustitiam, transferent ad affectum pietatis. Nunquam profectò ignorassemus, quantum à Deo honorati sumus, & contra dæmones possumus. Dixit iterum senex: Deo maius nihil est, sed neque par, neque quod non maximè inferius sit. Quid ergo illis fortius, ac beatius, qui Deum B habent adiutorem? Dixit iterum: Vbiq; quidē Deus est, pijs autem, & in spirituali exercitio sudentibus propinquat: non his, qui professione sola honestantur, sed his, qui illustrantur operibus. Vbi verò Deus est, quis insidiari valet, aut nocêre poterit? Dixit iterum: Hominum virtus non in natura consistit, hæc enim variabilis est, sed in proposito pietatis, & in Dei adiutorio: Curêmus itaque animam nostram, filij, quemadmodum & corpus facimus. Rursus ait senex: Colligamus animæ curationem, hoc est, pietatem, iustitiam, humilitatem, subiectionem. Maximus enim animarum medicus Christus Deus noster prope est, vultque curare nos. Non ergo negligamus, neque spernemur. Ait rursum: Docet nos Dominus sobrios, ac frugales esse. Nos autem miseri per delicias defluimus in voluptates. Dixit iterum senex: Com- C mendemus nos ipsos Deo, quemadmodum ait Paulus, quasi ex mortuis viuentes, neque præteritis intendenter, obliuiscamur anteriora: Sed secundum destinationem persequamur ad brauium supernæ vocationis. Interrogatus hic senex à fratre quodam, quid causæ esset, cur assiduè iudicaret fratres, respondit: Quia necdum te ipsum cognouisti. Nam qui se ipsum nouit, fratrum vitia non aspicit.

Vita B. Gennadij Patriarchæ Constantinopolitani, & de eius lectore Charisio. Cap. CCLV.

ACcessimus in cœnobium, quod dicitur Salama, nono ab Alexandria milliario distās, inuenimúsq; illic duos presbyteros senes, qui dixerunt nobis, Constantinopolitanę Ecclesiæ se esse presbyteros, narrabántq; nobis de beato Gennadio Cōstantinopolitano Patriarcha, quòd fuerit mitissimus, & mundus corpore, multúmq; continens. Dicebāt & hoc nobis de ipso, quòd cùm mo- D lestaretur à plurimis de quodam clerico nimis delinquente, Charisio nomine, accersiuit eum Patriarcha, ipsúmque emendare conatus est. Cùm verò nihil increpando proficeret, permisit illum paterna, & Ecclesiastica censura flagellari. Postquam verò didicit in nullo meliorem fieri, neque per verba neque per flagella (Vacabat enim homicidijs, & magicis præstigijs) misso quodā Apocrisario suo iussit, vt diceret sancto martyri Eleutherio (Erat enim lector in ipsius oratorio Charisius) Miles tuus, sancte Dei Eleutheri, multùm peccator est. Aut emenda illum, aut excide. Venit igitur Apocrisarius in oratoriū, stánsq; ante altare, ac intendēs ad sepulchrū Martyris, extendénsq; manū suā ait Martyri: Patriarcha Gennadius significat vobis, sancte Christi martyr Eleu- E theri, per me peccatorē, quia miles tuus multùm peccat. Aut emenda illum, aut præcide eum. In crastinum verò 3 mortuus inuentus est scelerum opifex Charisius.

3 *Vides quantam habeant Sancti potestatem post mortem.*

Visio Eulogij Patriarchæ Alexādrini. Cap. CCLVI.

CVm essemus in eodē cœnobio, narrauit nobis abbas Menas cœnobij ipsius pater de S. Papa Alexandrino Eulogio, dicens: Nocte quadam cùm sibi 1 matutinam laudem celebraret in Episcopatus oratorio, vidit prope se assistere Iulianum Archidiaconum. Quem vt vidit, turbatus est, cur fuisset ausus ingredi nihil illi nuncians. Tacuit tamen. Et cùm implesset psalmum, prostrauit se humi. Fecit hoc ipsum & is, qui in specie Iuliani Archidiaconi apparuerat. Deinde cùm oratione fa-

ne facta, surrexisset [1] Patriarcha, ille nihilominus in pa-(A)uimento iacebat. Conuersus autem Pontifex dicit illi: Quandio non surgis? Ait: Nisi mihi ipse manum porrigas, & erigas me, surgere non possum. Tunc extendit manum suam Eulogius, ac teneos erexit illom, cœpítq; iterum psallere. Post paululum autem cooocrsus neminem vidit. Cùm igitor impleller matutinas laudes, vocauit cubicularinm suum, dixítque illi: Cur non anouociasti mibi Archidiaconi ingressum, sed ita non nunciatus iotraoit ad me bac nocte? At ille neque vidisse se aliquem, neqoe ingressum esse asseuerauit. Non credidit patriarcha, sed ait: Voca mihi buc ostiariam. Cui veniensi ait: Nóune ingressus est huc Iulianus Archidiaconus? Ille verò cum iuramento affirmabat illum neque ingressum, neque egressum esse. Tacuit qoidem tunc Patriarcha. Maoè autem facto, ascendit Archidiaconus Iolianus, vt adorarer, dixítque illi Pontifex: (B) Quate non seruasti ordinem, Archidiacone Iuliane, sed absque nuncio ascendisti ad me nocte ista? Qui ait: Per oranones domini mei, neque hoc ascendi, nisi hora ista tantùm. Intellexit tunc magnus Eulogius, Iulianum se vidisse martytem, hortantem se ad erectionem templi sui, quod ex tempore ferme resolutum, & anriquatum ruinam sui minabator. Magnáque cum alacritate amantissimus martyris porrexit manus, eiúsque erexit templum, à fundamentis ipsum instaurans, & omnigeno ornato illostrans, vt sacro martyri conueniebat.

1 *Ecce quomodo etiam antiquo tempore horæ Canonicæ erant in vsu, inter quas Matutinum recensetur.*

2 *Habes hic orationem cum prostratione.*

Mirabilis emendatio epistolæ B. Leonis Romani Pontificis ad Flauianum scriptæ. CAP. CXLVII.

NArraoit nobis & hoc Abbas Menas eiusdem cœnobij pater, aodisse se eundem Abbatem Eulogium Alexandriuom Patriarcham dicentem: Cùm profectus essem Coostantinopolim, fruitus sum contuberoio domini Gregorij Romani Archidiacooi, summi, & singularis viri, uarrauítque mihi de sanctissimo, ac beatissimo Leone Romano Pootifice, dicens haberi scriptum in Ecclesia Romana, quòd cùm scripsisset epistolam ad sanctum Flauianum Constantinopolitanum Episcopom contra impios Eorycben, ac Nestorium, posoerit eam super tumulum principis Apostolorum Petri, & [1] orationibus, ac vigilijs, & ieiuoiis vacans, orauerit ipsum summum Apostolom, dicens: Si quid vt bomo, vel minus caotè posui, vel etiam omisi, tu, cui à Domino Deo saluatore nostro Iesu Christo, & sedes hæc, & Ecclesia commissa est, emenda. Post quadraginta (D) verò dies apparuit ei Apostolus oranti, & dixit ei: Legi, & emendaui. Suménsque epistolam de sepulchro beati Petri, aperuit eam, & inuenit Apostolica manu emendatam.

1 *Nota Orationibus, ac vigiliis, & ieiuniis vacans.*

Visio Theodori Episcopi Darnæ de eodē beatissimo Leone. CAP. CXLVIII.

THeodorus sanctissimus Episcopus Darnæ ciuitatis, quæ in Lybia est, oarrauit nobis, dicens: Cùm essem cubicularius sancti Papæ Eulogij, vidi in somnis virum reuerendi habitus, statura procerum, dicentem mihi: Nuncia meum Papæ Eulogio aduentum. Ad quem ego: Qui es domine, qui iubes, vt nunciem? Respoodens ille dixit mihi: Ego sum Leo Romanus Pontifex. Ingressus igitur ego nunciaui dicens: Sanctissimus, & beatissimus Papa Leo, Romanæ sedis antistes conuenire vos vult. (E) Cùm hoc audisset Papa Eulogius, exurgens concitus cucurrit in occursum eius. Salutantésque se inuicem, oratione facta, resederunt: Tunc verò diuinus, & eximius Leo dixit sancto Eulogio: Scis, quare huc venerim ad vos? Respondit ille: Non. Ait ipsi: Veni, vt vobis gratias agerem, quia ritè & magnificè pro Epistola mea respondistis, quam scripseram ad fratrem meum Flauianum Constantinopolitanom Patriarcham, seosum quidem, & sententiam meam aperientes, hæreticorum autem ora obstruentes. Scito autem, frater, quia non mihi tantùm vestrum diuinum laborem, studiúmque contulistis, sed etiam supremo culmini Apostolorum Petro, & ipsi præ omnibus, quæ à nobis prædicator, ve-(A)ritati, quæ est Christus Deus noster. Ista non semel tantùm, sed bis térque conspiciens, trina apparitione firmatus, enarraui sancto Papę Eulogio. Qui cùm audisset, lacrymatus est, extendénsque in cœlum manus suas, oeo gratias retulit dicens: Gratias tibi ago, dominator Christe Deus noster, quia cùm indignus sim, veritatis tuæ præconem me facere digoatus es, & per [1] orationes seruorum tuorum Petri, ac Leonis, paruam, & modicam alacritatem nostram, tanquam duo viduæ minuta, summa, & ineffabili benignitate toa suscipere dignatos es.

1 *Ergo Sancti pro nobis orant post mortem.*

Stupenda relatio Amos Patriarchæ Hierosolymitani de sanctissimo Leone Pontifice Romano. CAP. CXLIX.

CVm descendisset Abbas Amos Hierosolymam, & Patriarcha ordinatus esset, venerunt omnes monasteriorum eremi Abbates, vt adorarent eum, inter quos affui & ego cum Abbate meo. Cœpítque Patriarcha dicere patribos: Orate pro me, patres. (B) Magnum enim onus, & intolerabile mihi iniunctum est, sacerdotíique dignitas me terret immodicè. Petri enim, & Pauli, & similium est regere rationales animas, ego autem infœlix peccator sum. Plus autem quàm cætera timeo ordinationum sarcinam. Nam inueni scriptum, qoia beatissimus, & æqualis Angelis Papa Leo, qui Romanorum Ecclesiæ præfuit, per quadraginta dies perseuerauit ad [1] sepulchrum Apostoli Petri, vigilijs, & orationibus insistens, peténsque ab Apostolo, vt pro se apud Deum intercederet, vt dimitterentur sibi peccata sua. Impletisq; diebus qoadraginta, apparuit ei Apostolus Petrus dicens: Oraui pro te, & dimissa sunt tibi omnia peccata tua, præterquam impositionis manuom. Hoc enim solum abs te seqoiretur, siue benè, siue forsassis aliter id (C) egeris.

Vita & factus Episcopi ciuitatis Rumelli. CAP. CL.

NArrauit oobis Abbas Theodorus Romanos, dicēs: Est procul à Romana Vrbe breue oppidum, quod Rumellum dicitur: In eo oppidulo Episcopus erat magnæ virtutis, & meriti. Die ergo quadam habitatores oppidi ingressi sunt ad beatissimum Romanum Antistitem Agapitum, accusantes Episcopum suum, ac dicentes, quia in sanctificato vase manducat. Pontifex antem solo audito perculsus, mittit duos ex clericis, vt vinctum Episcopum, & pedibus iter agentem Romam perduceretur. Venientem verò continuò misit io carcerem. Cùm ergo tres dies in carcere egisset Episcopus, venit Dominicus dies. Et cùm Papa quiesceret, illucescente Dominico die vidit in somnis quendam astantem sibi, ac di-(D)centem: Hac die Dominica neqoe tu [1] offeras salutarem hostiam, neque alius quispiam Episcoporum, qui sunt in Vrbe ista, nisi solus Episcopus, quem babes carcere inclusom. Illum enim hodie offerre volo. Expergefactus aotem Papa, & de visione, quam viderat, hæsitans, dicebat in se ipso: Talem contra illum accusationem suscepi, & ipse habet offerre? Venit igitur ei secundò vox in visione dicens: Dixi tibi, vt Episcopus, qui est in carcere, solos offerat. Ambigenti adhuc tertiò apparuit illi eadem repetens. Expergefactus autem Pontifex, misit ad carcerem, & accersito ad se Episcopo, percunctabator eum dicens: Quod est opus tuum? Episcopus autem illi oihil aliud respondit, nisi, Peccator sum. Cùm verò Episcopo persuadere non posset, vt aliud diceret, tunc ait ad eum Papa: Hodie tu offerre debes. (E) Cùm ergo sancto altari assisteret, & Papa prope illum astaret, diaconis altare circuodantibus, cœpit sancta Missarum solennia Episcopus. Et cùm complesset orationem oblationis, antequam concluderet ipsam, cœpit secundò, ac deinceps tertiò, & quartò dicere ipsam sanctæ oblationis orationem. Cunctis verò eam moram molestè ferentibus, dicit ei Pontifex: Quid hoc est, quòd iam quartò banc orationem dixisti, nec eam concludis? Tunc respondit Episcopus: Ignosce mihi, pater sancte: Quia non vidi iuxta consuetudinem sancti Spiritus descensum, idcircò noo terminaui orationem. Sed, sancte mi domine, diaconum illum prope me assistentem, qui flabellum tenet, ab altari remoue, ego enim illi dicere noo audeo. Tunc iussu diui Agapiti re-

cessit diaconus, & continuò vidit Episcupus, & Papa sancti Spiritus aduentum. Sed & velum, quod altari superimpositum erat, vltrò sublatum est, texitque Papam, & Episcopum, & diaconos omnes, qui sancto altari astabant, quasi per tres horas. Tunc venerandus Agapitus, agnita sanctitate Episcopi ex perspecto miraculo, quámque falsam calumniam perpessus esset cognoscés, quòd illum ita vexauerat tristis effectus, statuit non iam ampliùs per surreptionem quippiam agere, sed cum maturo, consideratóque iudicio, & magna longanimitate procedere.

1 *Ex hoc loco iunctis quæ infra dicuntur, habes Missam esse sacrificium, & sacram Eucharistiam dici hostiam salutarem.*

Relatio Abbatis Ioannis Persæ de beatissimo Gregorio Romanæ vrbis Episcopo. CAP. CLI.

PErreximus ad Abbatem Ioannem Persam, narrauítque nobis de magno Gregorio beatissimo Romano Vrbis Episcopo dicens: Cùm iuissem [1] Romam, vt [2] adorarem ad sepulchrum sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, statémque die quadam in medio Ciuitatis, audio Papam Gregorium per locum illum transiturum. Cogitaui itaque adorare illum. Cùm autem propè me esset Papa, viderétque me progredi, vt adorarem illum (loquor Deo teste, fratres) primus ipse prostrauit se humi coram me, neque antè surrexit, quàm me primò surrexisse cerneret. Et cùm multa humilitate salutans me, manu sua mihi tria numismata tradidit, iubens mihi dari quæcunque erant necessaria. Glorificaui itaque Deum, quòd tantam illi contulerat humilitatem, & misericordiam, & charitatem ad omnes.

1 *Ecce peregrinationem ad vrbem Romam adorationis causa.*

2 *Vt adorarem ad sepulchrum sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. Vel, adorarem, capе pro venerarer, nam solum Deum adoramus, & Græcismus erit: quemadmodum loquendi etiam in scripturis sacris reperimus multoties: aut expone, vt adoramus Deum iuxta sepulchrum sanctorum.*

Vita, & dicta Marcelli Scitiotæ Abbatis monasterij Monidion. CAP. CLII.

ACcessimus ad Abbatem Marcellum Scitiotam in monasterium Monidion: voléns que senior prodesse nobis, narrauit, dicens: Quando eram in prouincia mea (erat autem ea Apamia) auriga quidam illic erat, nomine Phileremus. quadam ergo die cùm superatus fuisset, surrexerunt, qui ex parte eius erant, clamantes ei: Philеremus coronam in ciuitate nòn accipit. Cùm itaque venissem postmodum in Scitim, si quando me pulsaret cogitatio mea, vt recederem in ciuitatem, aut villam, continuò dicebam in me ipso: Marcelle, Philеremus coronam in ciuitate non accipit. Et Christi gratia ista cogitatio fecit, vt de [1] Sciti non egrederer per annos triginta quinque, donec venientes barbari apprehenderunt me, & vendiderunt Pentapoli, Scitímque desolauerunt.

Idem Abbas Marcellus quasi de alio sene morante in Sciti (ipse autem erat) narrauit dicens, quòd nocte quadam surrexerit, vt [2] psalmos ex more caneret. Cùmque psallere cœpisset, audiuit vocem buccinæ quasi bellicum clangentis: turbatúsque senex cogitabat dicens: Vnde hoc in loco vox buccinæ perstrepit? Milites hîc non sunt, bellum hinc abest. Et cùm ista secum volueret, dæmon prope illum veniens dixit ei: Vtique bellum est. Si ergo oppugnari, ac repugnare non vis, vade, dormi, & non oppugnaberis. Dixit iterum senex: Credite mihi, filioli, nihil ita perturbat, & concitat, & irritat, & vulnerat, & perdit, atque contristat, & contra nos commouet dæmones, ipsumq; perditionis auctorem satanam, sicut perpetua psalmorum meditatio. Nam omnis quidem diuina scriptura vtilis nobis est, contristátque non mediocriter dæmones, non tamen ita sicut psalterium. Sicut enim in plebe, si vna pars laudet Imperatorem, alia pars ob id non contristatur, neque mouetur contra laudátes: cùm verò ad iniurias, & contumelias non laudantium conuersi fuerint, tunc aduersus eos excitantur: ita & dæmones non ita commouentur, neque contristantur in aliis scripturis, quemadmodum in psalmis. Nam cùm psalmos meditamur, partim quidem nobis ipsis Deum laudando oramus, partim verò maledictis insequimur dæmones. Vt cùm dicimus: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam: Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam: & iterum: Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me: & Ne proiicias me in tempore senectutis: cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me: nobis ipsis oramus. Tunc verò persequimur dæmones, cùm dicimus: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiát qui oderunt eum à facie eius. Et rursus: Vidi impium superexaltatum, & eleuatum, sicut cedros Libani: & transiui, & ecce non erat, quæsiui eũ, & non est inuẽtus locus eius. Et illud: Gladius eorum intret in corda ipsorum. Et iterum: Lacũ aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Conuertatur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. Dixit iterum senex: Credite mihi, filij, dicenti: Quemadmodum [3] magna laus, & magna gloria, & regnum est abrenuncianti sæculo, & monasticum arripienti institutum, quia pretiosiora sunt intellectualia, quàm sensibilia, ita magna confusio, & ignominia est Monacho, qui [4] relinquit monasticum habitum, etiam si efficiatur Imperator. Dixit iterum: Homo similitudo Dei fuit ab initio: factus est autem similitudo bestiæ, postquam à Deo excidit. Rursus ait: Etiam natura excitat concupiscentias, fratres, sed iugis, & intenta [5] abstinentia has etiam extinguit. Dixit iterum senex: Agnosce experimento bonam vitam, neque iam vt inualidus timeas. Ait rursus: Noli mirari, si homo cùm sis, Angelus fieri possis, Proposita enim tibi est par Angelis gloria, eámque Agonotheta noster certantibus spondet. Dixit iterum senex: Nihil ita Deo Monachos familiares efficit, vt pulchra, & honesta, & Deo gratissima castitas, quæ sicut sanctos & diuinos Spiritus attestatur per beatum Paulum, honestatem, & perseuerantiam iugiter vacandi Domino sine distractione præstat. Dixit iterum: Filij, dimittamus nuptias, procreationémque liberorum his, qui terrena respiciunt, & præsentia desiderant, nec futura meditantur, atque ad æternorum bonorum acquisitionem non attendunt, & à temporalibus, & momentaneis eripi nequeunt. Dixit iterum: Festinemus à carnali vita migrare, sicuti carnalis Israël ab Ægyptia seruitute. Ait rursus: Præclara, & dulcia Dei munera habemus proposita, fratres, pro sæculari molesta voluptate. Dixit iterum senex: Fugiamus matrem omnium malorum auaritiam.

1 *Ex hoc loco videre potes, num antiqui monachi haberent cellam perpetuam.*

2 *Psalmodia nocturna vtebantur etiam prisci monachi.*

3 *Ecce quàm laudabile sit, & gloriosum Religionem profiteri.*

4 *Nunquam debet Monachus habitum suum relinquere, etiam si efficiatur Imperator.*

5 *Remedium contra carnis concupiscentias est, iugis & intenta abstinentia.*

Responsa Monachi monasterij Raythu ad fratrem secularem. CAP. CLIII.

DVo fratres sæcolares erant Constantinopoli, multum religiosi, multúmque ieiunantes. Vnus igitur ex his veniens in Raythu, sæculo abrenunciauit, & factus est Monachus. Post aliquantulum verò temporis venit & secularis frater eius in Raythu, vt videret fratrem suum Monachum. Cùm ergo moraretur apud eũ, vidit secularis fratrem suum Monachum se reficientem nona hora, scandalizatúsque dixit illi: Frater, cùm esses sæcularis, nũquam ante Solis occasum sumebas cibum. Tunc ait illi Monachus: Profectò, frater, quando eram in sæculo, aures meæ nutriebant me. Vana enim hominum gloria, & laus, non mediocriter me reficiebant, ieiuniísque laborem leuiorem reddebant.

Vita Theodori secularis hominis Dei. CAP. CLIIII.

DIcebat Abbas Iordanes solitarius: Tres simul Anachoretæ perreximus ad Abbatem Nicolaũ in torrentem Betasimum (Iuxta sanctum enim Elpidium, & monasterium, quod dicitur peregrinorum, in spelunca morabatur) inuenimúsque cum illo sæcularem quendã. Loquentibus autem nobis de animæ salute, dixit Abbas Nicolaus sæculari: Dic nobis & tu aliquid. Respon-

dit sæcularis, & ait: Quid vobis prodesse possum? Vtinam vel mihi ipsi prodesse valerem. Dicit ei senex: Prorsus aliquid dicturus es. Tunc ait sæcularis: Habeo viginti duos annos, ex quo præterquam sabbato, & Dominico die nunquam me sol comedentem vidit. Eram autem mercenarius in villa diuitis hominis, iniqui, & auari, cum quo mansi annis quindecim, die, noctúque operans, neque mercedem mihi reddere volebat, sed per annos singulos affligebat non mediocriter. Itaque dixi in meipso: Theodote, si tolerauetis hunc virum, pro mercede, quam tibi debet, cœlorum Regnum tibi præparabit. ' Seruaui autem & corpus meum mundum à muliere vsque in hodiernum diem. Hæc nos cùm audiuissemus, magnificè ædificati sumus.

1 Quid dicis hæretice, qui seruare virginitatem rem dicis esse impossibilem.

Relatio Abbatis Iordanis de tribus Sarracenis, qui se inuicem interfecerunt.

B

Dicebat & hoc nobis de Abbate Nicolao Abbas Iordanes. Narrabat, inquit, senex, quia imperante fidelissimo Imperatore Mauritio, quando Namanes Sarracenorum nationis Dux prædam egit, cùm circuirem ego prope Arnonem, & Aidonem, aspicio Sarracenos tres habentes secum vnum adolescentem valdè formosum, annorum fermè viginti vinctum, atque captiuum. Vt ergo vidit me adolescens, flere cœpit, & orare, vt ab eis illum acciperem. Ego autem Sarracenos rogare cœpi, vt dimitterent eum. Vnus autem illorum Græco sermone respondit, & ait: Non dimittimus eum. Et ego rursum illis dixi: Accipite me, & hunc dimittite, quia fatigationem non sustinet. Ait mihi & ipse rursus: non dimittimus eum. Dixi eis tertiò: Vel pretium pro illo non accipitis? Date mihi illum; & quicquid petieritis, ego afferam vobis. Respondit: non possumus tibi dare illum: Sacerdoti enim nostro promisimus; quia si quid pulchrum cœperimus, offeremus illud ei, vt ipsum in sacrificium offerat: sed vade iam; nam si moram feceris, caput tuum in terram proiiciam. Tunc ' prostratus ego humi, dixi: Saluator noster Christe Deus, saluum fac seruum tuum. Et continuò tres Sarraceni, dæmonio repleti, euaginatis gladiis se inuicem conciderunt: assuméns que ego adolescentem in speluncam meam, refoui illum; & iam noluit recedere à me, sed renuncians sæculo, cùm septem annos in habitu monastico implêsset, requieuit: erat autem genere Tirius.

1 O magnam vim orationis cum prostratione!

Responsio cuiusdã senis ad duos Philosophos. CAP. CLVI.

Dvo Philosophi venerunt ad senem, & orabãt eum, vt eis verbum ædificationis diceret: Senex verò tacebat. Rursum Philosophi dixerunt: nihil respondes nobis parcè? Tunc senex dixit eis: quòd studiosi quidem sitis eloquentiæ, scio; quòd autem non veri sitis Philosophi, affirmo: quandiu enim loqui discitis, quasi loqui nesciatis? Sit ergo Philosophiæ vestræ opus, semper meditari mortem; silentióque & quieti vos assuefacire.

Relatio duorũ Monachorum monasterij Subeuorũ Syrorum, de Cane qui fratri viam ostendit. CAP. CLVII.

Perreximus ego & Sophista Sophronius, in monasterium Calamonis iuxta sanctum Iordanem, ad Abbatem Alexandrum; inuenimúsque apud eum, duos monachos monasterij Subeuorum Syrorum. Narrauerunt autem nobis dicentes: Ante hos decem dies venit quidam peregrinorum susceptor, eleemosynas erogans; & veniens in Subiba Besorum, dedit benedictionem. Rogauit igitur Abbatem monasterij, dicens: fac charitatem, & mitte in proximum monasterium Syrorum, vt accipiant & ipsi venientes benedictionem; & nuncient monasterio Charembe, vt veniant & ipsi. Tunc misit Abbas fratrem, ad Abbatem Subeuorum Syrorum. Profectus itaque frater, dixit ei: Veni vsque ad monasterium Besorum; nuncia verò & monasterio Charembe, vt veniant & ipsi. Respondit senex: Frater, ignosce, quia nullum habeo quem mittam; sed fac perfectam charitatem, & pergens ipse nuncia eis. Ait autem frater: nunquam illuc perrexi, nec viam scio. Tunc ait senex catulo suo: Vade cum fratre isto vsque ad monasterium Charambe, vt nunciet ei quod vult. Abiit ergo canis cum fratre, donec statuit illum iuxta monasterij ianuam. Ostenderunt

A autem nobis & canem ipsum, qui ista narrauerunt; habebant enim illum secum.

De Asino, qui Monasterio nuncupato Mardes, inseruiebat. CAP. CLVIII.

Mons est circa mare mortuum, qui Mardes vocatur; excelsus valdè. In eo monte, Anachoretæ commorantur. Est autem illis & hortus ad radicem montis, sexto fermè lapide ab eis distans, circa maris labium. Proinde habent Anachoretæ & illic, ministrum. Quacunque ergo hora volunt ad hortum pro oleribus mittere; sternunt asinum, & dicunt ei: vade in hortum, ad ministrum, & affer nobis olera. Qui mox ad hortulanum solus vadit; stánsque ante ianuam, capite pulsat. Statim igitur egressus hortulanus, ipsum oleribus onerat, onustúmque dimittit. Videréque est Asinum, quotidiè, solum ascendentem & descendentem; & ministrantem Senibus tantùm, alij verò nulli obsequentem.

Vita Abbatis Sophronij solitarij, & admonitiones Menæ, Ducis cœnobij Seueriani. CAP. CLIX.

B Dicebat Abbas Menas, dux cœnobij Abbatis Seueriani, de Abbate Sophronio solitario; quòd circa Mare mortuum moratus sit ' nudus per annos fermè septuaginta, herbas in cibum sumens. Et hoc rursus de illo dicebat, audisse se narrantem senem, & dicentem: oraui Dominum, ne dæmones speluncæ meæ propinquarent. Aspiciebam verò dæmones venientes, stantésque à longè tribus ferè stadiis, neque vlteriùs appropinquare valentes. Idem Abbas Menas dicebat cœnobij fratribus: Fugiamus, filij, sæcularium colloquia: solent enim nocêre iunioribus monachis. Dicebat iterum senex: Omnis ætas pœnitentiam agere debet, iuuenes simul, ac senes; vt æterna vita frui cum gloria & laude, mereamur: iuuenes quidem; quia in flore ætatis, cùm feruet concupiscentia, ceruicem suam sub iugum pudicitiæ

C miserunt: senes verò; quia molitam sibi ex multis temporibus malorum anticipationem, transferre ad meliora potuerunt.

1 Vide sancti patris delicias. Nuditas fuit eius vestitus, herbæ cibus.

Quomodò Dæmon apparuerit cuidã Seni in forma pueri nigerrimi. CAP. CLX.

Narrauit nobis Abbas Paulus, dux cœnobij Abbatis Theognosti, quia dixerit senex quidam: cùm die quadam sederem in cellula mea, ' operarérque manibus meis (texebã autem canistrum, & psalmos recitabã) ecce per fenestram ingressus est quasi puer Æthiops; & stans coram me saltare cœpit, psallensque mihi dixit: Senex; nónne benè salio? Ego autem nihil respondi. Rursus ait mihi: non tibi placet hæc saltatio mea? Nihil autem respondenti mihi, ait: Ecce putas, te (male senex) magnum

D aliquid agere. Dico tibi, quia & in sexagesimo quinto, & in sexagesimo sexto psalmo errâsti. Tunc surgens ego, procubui ad orationem, & ille euanuit.

1 Opera manuum, & psalmodiæ erant exercitia antiquorum monachorum.

Vita Abbatis Isaac Thebæi. & quomodò etiam ei apparuit dæmon, in figura Adolescentis. CAP. CLXI.

Lvcos, Thebaidis ciuitas est. Ab hac, mons quidam sex millibus passuum distat; habitántque in eo monachi, alij quidem in speluncis, alij autem in cellis. Profecti ergo nos illuc, conuenimus Abbatem Isaac, Thebæum genere. Narrauítque nobis senior, dicens: Ante annos quinquaginta duos, cùm operarer conopionem; in ' laborando, erraui: affligebárque, quia errorem nec reperire nec emendare valebam. Totum ergo diem consumpsi, me frustra concidens, & quid agerem, ignora-

E bam. Et cùm ferè desperarem; ecce per fenestram ingressus adolescens, ait mihi: Errâsti; sed da mihi opus, vt illud corrigam. Aio autem ad illum: vade hinc; absit hoc à me. Respondit mihi & ipse: certè damnum tibi est, si malè opus facias. Tunc dixi ei: noli, de hoc, ipse curam gerere. Ait ad me denuò: misereor tuî, quia laborem tuum perdis. Et respondi illi: malè huc venisti, & tu qui te adduxerunt. Dixit autem mihi: verè tu me huc adduxisti, & meus es. Aio ad illum, ego: cur hoc? Respondit ille mihi: quia tres dies Dominicos egisti communicans, & inimicus es vicini tui. Dixi autem illi: mentitis. Tunc, ipse mihi: non mentior; nam propter lenticulam, iratus es illi, & ego sum, qui præsum iræ & memoriæ iniuriarum, es amodò meus. His ego auditis, mox egressus cellulam, abij ad fratrem, & prostratus, illi veniam

petij, recõciliatiq; sumus. Reuersus autem, inueni illum A destruxisse & conopionem, & psiathium, vbi orabam.

1 *Ecce & hic opus manuum.*

Responsio Abbatis Theodori Pentapolitani, super solutione abstinentiæ vini. Cap. CLXII.

QVintodecimo ab Alexandria milliario, monasterium est quod vocatur Calamon, inter Octauumdecimum, & Maphora: in hoc, vidimus Abbatem Theodorum Pentapolitanum, Erat autem nobiscum Sophista Sophronius. Et interrogauimus eum: Bonum est, pater, quoties vel ipsi ad aliquem pergimus, vel si quis venit ad nos, vini [1] abstinentiam soluere? Respondit nobis senior, & ait: non. Aio autem ad eum: & quomodò antiqui patres soluebant? Respondit senex: Antiqui patres, vt magni & potentes, & soluere poterant & iterum ligare: nostra verò generatio (filij) soluere, ac ligare non sufficit. Nam si soluamus ritum abstinentiæ nostræ, nos ipsos iam continere non possumus. B

1 *Colligis ex hoc loco, quòd antiqui monachi, perpetua vtebantur vini abstinentia: Et ex fine capituli habes quanta ea vtilitatis sit.*

Vita Abbatis Pauli Telladici. Ca. CLXIII.

DIcebat Abbas Alexander monasterij Calamonis, quod est prope Iordanem: pater, die quadam cùm essem apud Abbatem Paulum Telladicum in speleo ipsius, ecce quidam veniens pulsauit: egressúsque senior aperuit ei; & proferens panem & cicer infusum, posuit ante illum, & manducabat. Ego autem putabam, quia peregrinus esset: & aspiciens per fenestram, vidi, quia leo erat. Dixi itaque seni. Cur, pater, præbes illi manducare? Qui ait mihi: quia illum monui, vt neminem læderet, neque hominem, neque iumentum, dicens: [1] Veni quotidie, & dabo tibi cibum tuum. Et ecce iam septimus hic mensis est, ex quo bis quotidie aduenit, & do illi manducare. Rursum post paucos dies perrexi ad eum, volens ab illo emere vas vinarium, id quippe erat Senis [2] opus, & dixi ei: quid est pater? quomodò se habet leo? Et ait mihi: malè. Et dixi ad eum: quare? Respondit: Præterita die venit huc, vt darem illi manducare, videns verò eius mentum sanguine infectum, dixi illi: Quid est? Inobediens fuisti mihi, & carnes manducasti? Benedictus Dominus, non iam tribuo tibi, vt comedas cibum patrum, qui carnes comedisti: Recede. Ille verò discedere nolebat. Tunc accepto funiculo, triplicans illum, tres illi plagas cum eo dedi, & recessit. C

1 *Etiam bestiis imperant sancti viri.*

2 *Vide opus manuum.*

Responsio Abbatis Victoris Solitarij, ad Monachum pusillanimem. Cap. CLXIIII.

FRater venit ad Abbatem Victorem solitarium, in monasterium Elusæ, & dixit ei: quid faciam, pater, D quia dominatur mihi passio pusillanimitatis? Respondit senex: Morbus animæ est. Sicut enim capti oculis, quantò magis patiuntur, plus sibi videntur lumen intueri, qui verò sanos habent oculos, modicum: ita & pusillanimes, ex modica tentatione citò perturbantur, & magnam illam esse existimant; qui verò anima sani sunt, magis in tentationibus gaudent.

Vita latronis, nuncupati Cyriaci. Cap. CLXV.

NArrauit quidam vir fidelis, de latrone quodam, Cyriaco nomine, qui latrocinia exercebat circa Emaos, quæ est Nicopolis. Qui adeò truculentus & immanis fuit, vt lupus vocaretur. Hic secum habuit alios latrocinij socios, non solùm Christianos, verùm & Iudæos & Samaritanos. Quadam ergo die profecti sunt quidam ex agro Nicopoleos in sanctam ciuitatem, [1] magna hebdomada, vt per baptismum illuminarent filios suos. Quod cùm fecissent, & reuerterētur in agrū suum, E vt celebrarent sanctum [2] Resurrectionis diem, occurrerunt illis latrones, principe suo absente. Et viri quidem fuga euaserunt: mulieres autem, proiectis nuper baptizatis filiis, tenuerunt Hebræi, & Samaritani, & habuerunt eas. Fugientibus igitur viris, obuius fuit latronum princeps, & ait illis: cur fugitis? Illi autem dixerunt, quid sibi contigisset. Sumens ergo illos, venit ad socios suos, inueniénsque infantes in humum proiectos, cùm sciscitatus esset quinam hoc fecissent, sceleris decollauit auctores; reddénsque viris filios (nam vxores, quia inquinatæ fuerant, recipere passi non sunt) saluauit eos latronum princeps, & reduxit vsque ad agrum suum. Post modicum verò temporis; tentus est latronum princeps, egitque in carcere decem annos, nullúsque principum illum occidit, ad postremum verò, etiam absolutus est. Dicebat ergo semper, quia propter infantes illos amaram effugi mortem: aspiciebam enim illos frequenter, somnis dicentes mihi, noli timere, nos pro te satisfacimus. Locuti autem posteà cum illo sumus, ego, & Abbas Ioannes presbyter monasterij Eunuchorum, & hæc eadem nobis ipse narrauit, glorificans Deum.

1 *Magna hebdomada etiam antiquis in obseruatione erat.*

2 *Vt celebrarent sanctum Resurrectionis diem.*

Vita latronis, Monachi effecti, & postea, in seculari habitu decollati. Cap. CLXVI.

DIcebat Abbas Sabbarius: Cùm sederem in monasterio Abbatis Firmini, venit latro quidã ad Abbatem Zosimum Cilicē, & rogabat senem, dicens: Fac charitatē, per Deum, te precor (quia multis homicidiis obnoxius sum.) Fac me monachū, vt iam tandem desistam à sceleribus meis. Senex verò exhortans illum, fecit monachum, & sanctū ei habitum [1] dedit. Post modicum verò temporis, dixit ad illum senior: Crede mihi, fili, non potes hîc habitare, nam si audierit Princeps, tenebit te, similiter autem & aduersarij tui necabūt te. Sed audi me, & ducā te in cœnobium Abbatis Dorothei, prope Gazam & Maiumã. Illuc igitur iuit. Vbi cùm moratus esset annis nouem, didicissetque psalterium, & cunctam monasticam obseruationem, rediit rursus in Firmini monasterium ad senem, & ait illi: fac misericordiam mecum, pater, & da mihi vestiměta mea Secularia, & recipe monastica. Senior autem tristis effectus ait illi: cur fili? Qui respondens, ait: ecce nouem (vt nosti, pater) annos egi in cœnobio, & quantũ potui ieiunaui, & continenter vixi, & cum omni quiete, & timore Dei fui in subiectione; & scio, quia illius infinita bonitas multa peccata mea remisit mihi: veruntamen aspicio sæpiùs, puerulum astantem & dicentem mihi, cur me occidisti? Hunc autem aspicio in somnis, & in Ecclesia, & cùm ad Communionē pergo, & in refectorio, hæc eadem mihi dicentem, & vel vna hora non sinit me quiescere. Ideò itaque, pater, abiice volo, vt pro puerulo moriar; frustra enim, & sine vlla causa occidi puerulum ipsum. Sumptis ergo vestimentis suis, exiit. Et cùm sic indutus pergeret Diospolim, tentus est, & sequenti die decollatus.

1 *Vide habitum sanctum, quando de nouo quis efficitur Monachus.*

Vita, & mors Abbatis Pemenis solitarij. Cap. CLXVII.

DIcebat Abbas Agathonicus, dux cœnobij castelli sancti patris nostri Sabæ: descendi die quadam in Ruba, vt pergerem ad Abbatem Pemenem solitarium. Cùm ergo reperissem eum, & dixissem illi cogitationes meas, serò dimisit me in vnam speluncam. Erat autem hyems: Fuítque nocte illa frigus maximum, ac nimia vi algôris obrigui. Veniens ergo ad me, manè, senior, ait mihi: quid est, fili? Aio ad illum: Ignosce mihi, pater, duram pertuli noctem ex frigore. Dixit autem mihi: Ego (fili) frigus nullum sensi. Miratus sum valdè, hoc audiēs: erat quippe nudus. Et dixi ad eum: Fac charitatem, quomodò tantam frigoris asperitatem non sensisti? Dixit autem mihi: venit leo, & obdormiuit iuxta me, & ipsa me calefecit, veruntamē dico tibi, frater, quoniam à Feris deuorandus sum. Aio ad illum: cur quæso? Et dixit mihi: In prouincia nostra cùm essem (erant autem ambo Galatæ) pastor ouium eram, & contempsi transeuntem peregrinum, & à canibus comestus est: cùm enim illum saluare possem, non feci, sed dimisi eum, & à canibus discerptus est; sciòque, quia & ego ita mori debeo. Quod & factum est: Post tres enim annos, à bestiis (vt dixerat) & ipse discerptus est.

Dicta Abbatis Alexandri senis. Cap. CLXVIII.

DIcebat Abbas Alexander senex, fratribus: Patres nostri, Deserta, & tribulationes persequebātur: nos autem ciuitates & requiem sequimur. Dixit iterū senex: Sub patribus nostris, virtutes istæ vigebant, [1] nuditas, & humilitas: in nobis autem, auaritia, & superbia regnat. Ait rursus: Patres nostri nonquam facies suas lauabant, nos autem lauachra publica, balneáque frequentamus. Dixit iterum senex: Heu mihi, filij, quia conuersatio-

nem verè Angelicam destruximus! Ait autem ad illum Abbas Vincentius discipulus eius: Infirmi profectò sumus, pater. Dicit ei senex: quid dicis, Vincenti, quia infirmi sumus? crede mihi, fili, Olympici corpore, & robusti sumus, sed anima nostra imbecilla est. Dixit iterum: Multùm comedere, & bibere, & benè vestiri possumus, abstinere autem, & humiliari non valemus. Rursus dixit: Væ tibi Alexander, væ tibi: quanta erit confusio tua, quando cæteri coronabuntur.

Vide virtutes, quæ antiquos monachos commendabant.

Vita senis cuiusdam capti oculis, in monasterio Abbatis Sisci. CAP. CLXIX.

ERat senex quidam in Sciti, captus oculis, in monasterio Abbatis Sisci. Distabat autem cella ipsius à puteo ferè mille passibus, & nunquam passus est, vt sibi alius afferret aquam: sed facto fune, vnum ipsius caput ad puteum ligauit, & alterum in cella sua: iacebat autem funis in terra. Quãdo ergo pergebat haurire sibi aquam, supra funem ambulabat: Hoc autem faciebat senex, vt inueniret puteum. Cùm autem arena propter ventum operuisset funem, tenebat ipsum manu, & excutiebat, & rursus illum in terra ponebat, & super eum ambulabat. Frater autem quidam rogabat senem, vt se permitteret illi afferre aquam: cui respondit senex, Fili, viginti iam & duo anni sunt ex quo mihi semper ita hausi aquam, & laborem meum tu modò auferre vis?

Vita cuiusdam sanctæ mulieris in eremo defunctæ. CAP. CLXX.

DIstabat ab Hierosolymis ferè viginti passuum millibus, monasterium quoddam quod Sampsonis dicitur. Ex hoc monasterio, duo patres abierunt ad montem Sina, orationis gratia, reuersíque in monasterium, narrauerunt nobis, dicentes: Cùm adorauissemus in sancto monte, & iam reuerteremur, contigit nos eremi deuia errando sequi. Ferebamúrq; sicut in pelago, per mediam solitudinem, dies plurimos. Die verò quadam aspicimus de longinquo speluncam breuem: ad quam tendẽtes, cùm iam speluncę propinquaremus, cernimus exiguum fontem, & circa fontem herbas modicas, & vestigia hominis: dicebamúsque apud nos ipsos, Verè, hoc in loco seruus Dei est. Ingressi igitur, neminem vidimus: solummodò autem cuiusdam vagientis vocem audiebamus. Cùm ergo diù quæsissemus, inuenimus veluti præsepium, & in eo iacentem quendam: appropinquantésque seruo Dei, rogabamus, vt loqueretur nobis. Cùm verò nihil responderet nobis, tunc accedentes, tenuimus eum: & corpus quidem ipsius adhuc erat calidum, anima autem ad Dominum migrauerat. Tunc verò agnouimus, quia in ingressu nostro intra speluncam requieuerat. Fodimus ergo in ipsa spelunca; vnúsque ex nobis, pallium quo erat indutus accepit, vt in ipso senis corpus inuolueremus. Sumentes autem illud de loco in quo iacebat, cùm ipsum ex more curaremus, inuenimus esse mulierem, & glorificauimus Deum: Completóque super illud Officio, sepeliuimus.

Ecce peregrinatio ad loca sancta Orationis gratia.

Vita duorũ mirabilium virorum, Theodori Philosophi, & Zoili Lectoris. CAP. CLXXI.

ERant in Alexandria duo viri mirabiles, magnæque virtutis, Abbas scilicet Theodorus Philosophus, & Zoilus Lector: Fuit autem nobis cum vtroque summa familiaritas, cum altero quidem disciplinę, & studiorum gratia, cum altero verò, quòd communia nobis esset patria & educatio. Atque Abbas quidem Theodorus nihil possidebat, nisi penulam, & paucos libros, dormiebat autem in scabello, ac in quamcunque Ecclesiã ingrediebatur. Ad vltimum verò, etiam sæculo renunciauit in cœnobio Salcime, ibíque vitam glorioso fine conclusit. Lector autem Zoilus, & ipse æqualem præferebat paupertatem: nihil enim ipse quoque possidebat præter vetustam penulam, & paucos libros, exercebat autem se in scribendo libros: ipse autem consummatus in Domino, sepultus est in monasterio Abbatis Palladij. De duobus istis, Theodoro scilicet Philosopho, & Zoilo Lectore, pergentes quidam patrum, ad domnum Cosmam Scholasticum, interrogauerunt eum, dicentes: quis eorum magis in spirituali exercitio laborauit? Qui ait ad illos: similia quidem fuerunt vtriusque, & alimenta, & stramenta, & indumenta, rerúmque omnium superfluarum abstinentia, & nuditas, & humilitas, & frugalitas: sed Abbas Theodorus Philosophus, discalciatus, in magna imbecillitate oculorum, vetus omne nouúmque Testamentum didicit: habuit tamen consolationem, fratrum contubernium, & visitationes amicorum, abuocationémque multam cùm doceret & cùm operaretur. Zoili verò Lectoris, non solùm hospitalitas laudanda, verùm etiam solitudo eius, & immensa fatigatio, orísque custodia, digna commendatione est. Ille enim omni amicorum familiariúmque contubernio, atque commercio, ab omni sæcularium rerum actione feriatus; nulli se ipsum refrigerio & oblectationi permisit, ne minimum quidem ab vllo ministerium admittens. Ipse enim coquebat, ipse lauabat; nulla lectionum capiens solatia, paratus semper aliis obsequi, nullámq; habens curã ęstus, aut frigoris, aut corporeæ infirmitatis, mundus semper à risu, & tristitia, & effusione, & angore existens, quin præter indumenti asperitatem, etiam à multitudine pediculorum indesinenter consumebatur. Habuit tamen & iste, plusquam prior, ex processibus non mediocre refrigerium; habens facultatem liberam quocunque vellet, die, noctúque procedere; quamuis hanc libertatem, & laboris magnitudo retundebat, & raro processu secularium familiaritatem excludebat. Vnusquisque igitur mercedem propriam accipiet, & secundùm labores proprios, & iuxtà resurrectionis mensuras; & intellectualis spiritalísque munditiæ, & ministrationis, & timoris Dei, ac charitatis, & compunctionis, & iugis psalmodiæ, & orationis, & intentissimæ fidei, & occultæ hominibus latentisque virtutis.

Vide in hoc capitulo virtutum catalogum, quæ duos sanctos viros valdè commendabiles reddiderunt.

Vita prædicti Cosmæ Scholastici. CAP. CLXXII.

DE isto domno Cosma Scholastico, multi quidem multa, & alia alij, & plurimi plurima nobis retulerunt. Quæ verò nos vidimus, & quæ diligenter assecuti sumus; ea tantùm pro legentium vtilitate conscribimus. Erat enim vir iste humilis, misericors, abstinens virgo, quietus, sine ira, socialis, peregrinorum susceptor, amator pauperum. Plurimùm itaque nobis vtilitatis cõtulit vir iste mirabilis, non solùm ex aspectu, sed etiam ex doctrina sua; & quòd magnam haberet librorum copiam, super omnes qui erant in Alexandria; eósque, promptè ac libenter, volentibus accommodaret. Erat autem & nihil possidens. In tota namque domo eius, nihil vidisses aliud quàm libros, & scabella, & lectulum, & mensam. Licebat verò omnibus ingredi; & interrogare quæ ad vtilitatem pertinerent, & legere. Diebus autem singulis intrabam ad eum ipse; & (teste veritate) nunquam ad illum ingressus sum quin ipsum aut legentem, aut scribentem contra Iudæos inuenirem. Magno enim feruebat zelo conuertendi gentem illam, ad veritatem. Ideò & sæpè misit me ad Hebræos quosdam, vt per literas illis colloqueretur: non enim facilè domo egrediebatur ipse. Ad hunc domnum Cosmam Scholasticum, die quadam profectus sum; cúmque mihi magna ad illum esset fiducia, interrogaui eum, dicens: Fac charitatem; dic mihi, quantùm temporis habes in hoc instituto? Tacenti verò, & nihil respondenti; rursum dixi illi: per Dominum; dic mihi. Cùm autem se ille paululum sub silentio continuisset; ait mihi: Triginta & tres annos habeo. Quod ego audiens glorificaui Deum. Aliâs iterum accessi ad illum, & interrogaui eum, dicens: Fac perfectam charitatem; sciens, quia propter vtilitatem animæ interrogo te: dic mihi quæso; in tanto tempore instituti tui, quietis, & continentiæ, quid adeptus es? Ille verò ingemiscens, & ex intimo corde suspirans ait mihi: Quid potest, secularis homo, virtutis adipisci, & maximè residens in domo sua? Ego autem rursus illum rogabam dicens: per Dominum, dic mihi, vt ipse quoque proficiam. Tunc verò multùm coactus à me; dixit: Ignosce mihi; tria ista consecutus sum non iurare, non mentiri, non ridere.

1 *His virtutum ornamentis Sancti carnis concupiscentias & mundi blandimenta vincebant.*

Festũ mirũ Theodori Anachoretæ, qui oratione sua, in mari dulcẽ aquam effecit. CAP. CLXXIII.

ANachoreta quidam erat in partibus Iordanis, nomine Theodorus, eunuchus. Hic necessitate quadam compulsus est, Constantinopolim pergere, ingressúsque est nauem. Cùm verò nauis diutiùs detineretur in pelago, defecit aqua; erántque nautæ, & vectores in magna anxietate, & desperatione. Surgens autem Anachoreta, & ¹ expandens in cœlum manus suas ad Deum, qui saluat de morte animas nostras; facta oratione, signauit Mare signo Crucis, & ait nautis: benedictus Dominus; haurite quantùm aquæ opus habetis. Impleuerúntque omnia vasa sua de Mari, aqua dulci: & omnes glorificauerunt Deum.

1 *Oratione serui Dei cum expansione manuum in cœlum, & signatione Crucis, aqua maris salsa dulcis effecta est.*

Factum aliud Naucleri viri religiosi, qui pluuiam à Domino impetrauit. CAP. CLXXIIII.

ABbas Gregorius Anachoreta narrauit nobis, dicés: Cùm ex Byzantio descenderem; ingressus sum nauem. Intrauit autem & Scriba quidam cum vxore sua, ¹ profecturus ad sanctam Ciuitatem orationis causa. Erat autem naucletus religiosus valdè, multúmque ieiunans. Cùm ergo nauigaremus, Scribæ serui frustra consumebant aquam. Postquam verò in medium pelagus venimus, defecit nobis aqua; eramúsque in magna tristitia. Et erat miserabile spectaculum, vidêre mulieres & pueros & infantes siti arescentes, & veluti mortuos iacentes. Cùm ergo dies tres in hac necessitate fecissemus; Scriba ipse tribulationem non sustinens, educto gladio, & nautas, & naucletum volebat occidere: dicebat enim; hi sunt nostræ perditionis auctores, quia non sumpserunt aquam ad sufficientiam. Ego autem orabam Scribam; dicens: noli hoc facere; sed magis deprecemur Dominum nostrum Iesum verum Deum, qui facit magna & mirabilia, quorum non est numerus. Ecce enim & nauclerus (vt vides) tertium hunc agit diem, ieiunio & orationi vacans. Cumque acquieuisset Scriba, quarta die circa sextam horam surgens nauclerus clamauit voce magna dicens; Gloria tibi, Christe Deus noster; ita vt omnes miraremur in voce ipsius: dixítque nautis: submittite membranas. Et cùm explicuissent eas; ecce nubes supra nauem veniens, tantum pluit aquæ donec impleuerunt vasa ad necessitatem nostram. Erat autem miraculum grande, & terribile; quòd velificante naue nubes illa consequeretur nos, & extra nauem non plueret.

1 *Vide & hic peregrinationem ad loca sancta orationis causa.*

Relatio de Zenone Imperatore, viro eleemosynario. CAP. CLXXV.

NArrauit nobis quidam patrum de Zenone Imperatore dicens, quòd mulierem quandam in filia ipsius iniuriosè tractauerit. Hæc autem vacabat in templo Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, orans ¹ eam & deprecans, & cum lachrymis dicens: Vindica me de Zenone Imperatore. Cùm ergo multis diebus hoc faceret; apparuit ei sancta Dei genitrix, dicens: Crede mihi (mulier) ² vltionem tuam sæpè facere volui; sed manus eius probibet me. Erat enim valde misericors, & eleemosynas faciens.

1 *Oratio cum lachrymis.*

2 *Ecce quomodo Sãcti in Dei lumine sciunt quæ circa nos agũtur.*

Pulchra relatio Abbatis Andreæ de decem viris peregrinantibus, inter quos fuit & adolescens Hebræus. CAP. CLXXVI.

† Simile quidpiam narrat Nic. lib 3. cap. 37.

† ABbas Andreas Octaui decimi, cùm essemus in Alexandria, narrauit nobis; dicens: Cùm essem iuuenis, indisciplinatus valdè, & inquietus fui. Die ergo quadam, persecutionem passi pro nostra inquietudine, fugimus in Palæstinam ego & nouem alij, inter quos vnus quidam erat industrius, alius autem Hebræus. Cùm ergo venissemus in eremum; infirmatus est Hebræus vsque ad mortem: & Deo teste) in magno mœrore constituti eramus, nescientes, quid illi faceremus. Verum tamen vt est consuetudo socialis charitatis, non illum deseruimus; sed vnusquisque nostrûm pro viribus tolerabat eum, volentes, vel in ciuitatem vel in emporium illum ducere, ne moreretur in eremo. Cùm verò adolescens ex inedia & vehementissima febre immoderatóque labore & siti præ Solis æstu totus iam ferè resolutus esset atque deficeret, propinquans ad exitum, neque portari posset; decreuimus cum multis lachrymis, illum dimittere in eremo & abscedere; metuentes ne nos ipsi quoque siti deficeremus. Cùm igitur illum in arena plorantes posuissemus; viderétque nos abire velle; cœpit nos adiurare, dicens: Per Deum qui fecit cœlum & terram, per Deum qui inclinauit cœlos & descendit pro salute humani generis, per Deum qui iudicaturus est viuos & mortuos; nolite pati vt Hebræus moriar, sed tanquam Christiani facite mecum misericordiam; & baptizate me, vt Christianus de hac vita exeam, & ad Dominum pergam. Nos verò dicebamus ei: Verè (frater) non licet nobis hoc facere, sæculares enim sumus: hoc autem, Episcoporum & Presbyterorum opus est; sed neq; aqua hîc est. Ille verò persistebat similiter adiurans nos, & plura etiam cum lachrymis adiiciens, ac dicens: nolite (Christiani) me priuare hoc diuinitus indulto munere. Cùm ergo in magna hæsitatione essemus; industrius ille, diuinitus inspiratus ait nobis: erigite illum, & exuite. Ereximus itaque cum magno labore illum; erectúmque tenentes exuimus. Industrius autem ille, implens ambas manûs suas arena; tertiò effudit super caput eius, dicens ita: Baptizatur Theodorus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Nobis verò, per singula respondentibus Amen (Dominus Deus testis est, fratres) ita continuò sanauit, & corroborauit eum Christus Deus noster, vt nullum iam in eo pristinæ infirmitatis remaneret indicium, vel qualiscunque passionis; sed sanus & valens, cum omni alacritate & florido aspectu, quod reliquum erat itineris per eremum ambulauit, semper nos præcedens; ita vt admirantes talem & tam subitam mutationem, omnes laudauerimus & glorificauerimus ineffabilem maiestatem & benignitatem Christi Dei nostri. Venientes autem Ascalonem; adduximus eum ad beatum ac sanctum Dionysium eius vrbis Episcopum; narrantes, quæ fratri in via contigissent. Quibus auditis; sanctus admirandúsque Dionysius stupens ad tam nouum inauditumque miraculum, conuocato clero exposuit ei totum negocium, vt decernerent vtrùm effusio illa arenæ reputanda esset fratri in Baptismum, an non. Et alij quidem dicebant; debere reputari illi in baptismum, propter inauditam miraculi magnitudinem: alij verò dicebant; non. Theologus quippe Gregorius, omnia Baptismata dinumerat; *Baptizabat* (inquiens) *Moyses; sed in aqua; & anteà in nube & in mari: Baptizauit & Ioannes, non iam quidem Iudaicè; non enim in aqua solum, sed & in pœnitentia: Baptizat autem & Iesus, sed in Spiritu sancto: Istud perfectio est: Scio & quartum baptismum, per martyrium* & sanguinem: Scio & *quintum; lachrymarum scilicet*. Hæc ille. Quo igitur horum (illi inquiebant) iste baptizatus est, vt etiam ipsius baptisma roborêmus; maximè cùm Dominus, ad Nicodemum dicat: *nisi quis natus fuerit denuò ex aqua, & spiritu, non intrabit in regnum Dei:* His alij contradicebant sic: quid ergo? quia scriptum de Apostolis non est, quòd baptizati sunt; idcircò non intrant in regnum Dei? Alij rursus econtrà inferebant dicentes: Ita sanè illi baptizati sunt, sicut & Clemens Stromatheus meminit in quinto Hypotyposeon. Apostolicum enim illud dictũ exponens, quo dicitur; *Gratias ago, quia neminem vestrûm baptizaui:* Christus (inquit) dicitur, Petrum solum baptizasse; Petrus, Andream, Iacobum, & Ioannem; illi autem, reliquos. Hæc igitur & alia plurima cùm dicta essent; visum est beato Dionysio mittere fratrem illum ad sanctum Iordanem, illicque ¹ baptizari. Industrium autem illum, ordinauit Diaconum.

Ioh. 3.

1. Cor. 1.14.

1 *Quia non fuerat hic ritè baptizatus, respectu materiæ; iussit Episcopus iterum baptizari.*

Mala mors Monachi Ægyptij, qui habitare voluit in cella Euagrij hæretici. CAP. CLXXVII.

DIcebat Abbas Ioannes Cilix commorantibus nobis in Nono Alexandriæ; venit ad nos Ægyptius monachus, narrauitque nobis dicens: Ad monasterium cellularum, frater ex longinqua regione peruenit, volés sibi habitare; prostratúsque Presbytero, orabat vt in Euagrij cella moraretur. Presbyter autem dicebat non

posse eum illic habitare; recedénsque Presbyter ait fratri: Fili, dæmon acerrimus illic habitat: qui enim seduxit Euagrium & à vera fide remouit, immisitque illi scelerata dogmata; ille non permittit aliquem ibi morari. Frater autem persistebat, dicens: profectò, si hic maneo; in illa moraturus sum. Tunc Presbyter coactus dixit ei: Iudicio tuo vade, & eam accipe. Sedit igitur frater in cellula, vna hebdomada: veniente que Dominico die, perrexit ad sanctam Ecclesiam. Videns autem illum Presbyter, consolatus est; solicitus enim pro illo erat. Veniente autem alio die Dominico, non venit ad Ecclesiam. Cúmque illum non videret Presbyter; misit duos fratres, vt viderent cur non venisset ad Ecclesiam. Qui venientes ad cellulam; inuenerunt, fratrem iniecto fune seipsum suffocasse.

Vita senis Cœnobij Scholarium viri simplicis. Cap. clxxviii.

NArrauit nobis Abbas Gregorius Presbyter cœnobij Scholarium, quòd ibi senex magnus magnęque B abstinentiæ moratus sit. Erat autem simplex circa fidem; & vbicunque eum esse contigisset indiscretè communicabat. Quadam igitur die apparuit ei Angelus Dei, dicens: dic senex; si mortuus fueris, quomodò vis sepeliamus te? Vt Ægyptij monachi faciunt; an vt Hierosolymitæ? Senex autem respondit ei: nescio. Tunc ait Angelus: Cogita, & delibera: Post tres autem hebdomadas veniam, & dices mihi. Pergens ergo senex ad alium, narrauit ei, quæ sibi dixerat Angelus. Quod cùm audisset senex, stupefactus ex auditu, diutiúsque intendens in eum, ac diuinitus inspiratus; dixit ei: Vbi sumis sancta 1 Mysteria? Respondens ille, ait: vbicunque inuenio. Tunc ait illi senex: non tibi vlla contingat, vt extra sanctam Catholicam, & Apostolicam 2 Ecclesiam communices; vbi nominantur sanctæ quatuor Synodi; Nicæna, trecentorum decem & octo patrum, Constantinopolitana, centum & quinquaginta; Ephesina prima, ducentorum; Calcedonensis, sexcentorum & triginta. Cùm autem venerit Angelus; dic ei: sicut Hierosolymitæ sepeliri volo. Post tres igitur hebdomadas venit Angelus, & dixit seni: quid est, senex? cogitasti? Dixit autem illi senex: sicut Hierosolymitæ, volo. Dicit ei Angelus; Benè benè: & continuò reddidit spiritum. Hoc autem totum factum est, ne labores suos perderet, & cum hereticis condemnaretur.

1 *Vbi sumis sancta mysteria, id est sacram Eucharistiam.*

2 *Vide vt viri sancti nulla in re separentur à sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia, & quænam ea sit.*

Vita sanctimonialis fœminæ quæ erat ex sancta ciuitate. Cap. clxxix.

PErreximus ad Abbatem Ioannem Anachoretam, qui appellatus est Ruribus; narrauítque nobis dicēs: Audiui Abbatem Ioannem Moabitam narrantem, ac dicētem: Sanctimonialis quædam erat in sancta ciuitate, religiosa valdè, & secundùm Deum proficiens. Inuidit ergo diabolus Virgini; immisitque iuueni cuidam, impurum & diabolicum in eam amorem. Virgo autem illa mirabilis, cùm diaboli sensisset insidias; perditionem adolescentis miserata, sumpto cilicio vno paucísque infusis cibariis venit ad eremum; adolescenti ex recessu suo quietem à tentatione ac salutem parans; & sibi ipsi, ex solitudine, securitatem & augmenta meritorum. Post multum verò temporis, per dispensationem Dei, ne ipsius excellens conuersatio maneret incognita; vidit eam Anachoreta quidam in solitudine Iordanis, & ait illi: E quid (mater) in hac solitudine facis? Illa verò, latére Anachoretam cupiens; ait illi; Ignosce mihi, quia errauide via. Sed, per Dominum (pater) fac charitatem, & ostende illam mihi. Ille verò diuinitus de illa admonitus; ait ei. Crede mihi (mater) non tu errasti de via, neque viam requiris. Itaque; sciens, quia mendacium de diabolo est; dic mihi veritatem causæ, propter quam huc venisti. Tunc ait illi Virgo: Ignosce, mihi, Abba: Adolescens quidam scandalizatus est in me, & propterea veni in hanc eremum; melius existimans hic mori, quàm offendiculum cuiquam fieri; iuxta Apostoli vocem. Dicit illi iterum senior: & quantùm temporis hic habes? Quæ ait illi; habeo (gratia Christi) annos decem & septem. Rur-A sum ait ad illam Anachoreta, & vnde nutriris? Illa verò; cilicium & infusa proferens, dixit Anachoretæ: Ecce cilicium istud quod vides, mecum de ciuitate exiit; & ista 1 pauca infusa; Taléntque dispensationem, in me humilem, ostendit Deus; vt tanto tempore istis nutriar, neque imminuta sint. Et hoc autem scito (pater) quia sic me ipsius benignitas protexit, vt per illos decem & septem annos nullo homo me viderit, nisi tu solus hodie; Ego autem aspiciebam omnes. Et hæc audiens Anachoreta, magnificè glorificauit Deum.

1 *Vide tenuitatem victus Sanctimonialis fœminæ.*

Vita Ioannis Anachoretæ, qui in spelunca villæ Sochus morabatur. Cap. clxxx. Citatur Act. 5 Syn. Nic. 2.

NArrauit nobis sanctissimus Dionysius presbyter sanctę Ecclesiæ Ascalonitarum, & sacrorum vasorum custos; de Abbate Ioanne Anachoreta, dicēs: Quasi verè magnus in generatione ista fuit: Atq; ad commendationem 1 summorū illius apud Deum meritorum; hoc B de ipso miraculum narrabat: In spelunca (inquit) morabatur senex, in partibus villæ quæ dicitur Sochus, viginti ferè milliariis ab Hierusalem. Habebat autem senex, in spelunca, 2 imaginem immaculatæ Dominæ nostræ Dei genitricis sempérque virginis Mariæ, in vlnis ferentem Christum Dominum & Saluatorem nostrum. Quoties igitur abire volebat ad locum aliquem, vel per vastam solitudinem, siue 3 Hierosolymam ad 4 adorandam sanctam Crucem & venerabilia loca, vel in Sinai montem orationis gratia, siue ad Martyres distantes ab Hierosolymis multis prolixísque interuallis. (Erat enim senex, Martyrum reuerentiæ mirabiliter deditus; & nunc quidem pergebat Ephesum, ad sanctum Ioannem, nunc autem Euchaitam ad sanctum Theodorum, C nunc verò ad sanctam Theclam in Seleuciam Isauriæ, nunc ad sanctum Sergium, in Saraphas, & modò ad istum, modò ad illum Sanctum) reficiebat candelam & accendebat, vt sibi consuetudo erat, atque ad orationem stans, & Deo vt suum iter dirigeret, supplicans, dicebat ad Dominam, intendens in imaginem ipsius: Sancta domina nostra Dei genitrix, quia longum iter iturus sum, diebus multis perficiendum, candelæ tuæ tu curam habe, eámque (ne extinguatur) iuxta propositum meum serua: ego enim adiutorio tuo comitante, iter arripio. Hisque ad Imaginem dictis, egrediebatur, peractóque proposito itinere, reuertebatur, aliquando post mensem, sæpè etiam post duos vel tres menses, nonunquam post quinque vel sex, & ita reperiebat integram candelam & ardentem, sicut eam (cùm iter arriperet) dimiserat: & nunquam hanc à seipsa extingui vidit, neque de D somno surgens, neque à peregrinatione rediens, neque ca eremo in speluncam pergens.

1 *Ecce quomodo sancti merita habent etiam summa apud Deum.*

2 *Ex hoc capite multa colligis contra nouos hæreticos. Primum, vsum imaginum fuisse apud sanctos patres veteres.*

3 *Secundum, fuisse etiam in vsu peregrinationes ad loca sancta, & ad sanctos martyres.*

4 *Tertium, quòd sancta Crux adorari debet.*

Cap. clxxxi.

DIcebat nobis & hoc de ipso idem venerabilis Dionysius Presbyter, quòd die quadam ambulabat senex in finibus villæ Sochûs, vbi erat spelunca ipsius, ambulánsque leonem vidit ingentem è regione venientem. Pergebat autem in via valdè angusta inter duas sepes posita, quibus agricolæ rura sua munire consueuerunt, spinosas frutices plantantes. Tantam verò semita illa E præ sentibus angustiam habebat, vt vix vnum aliquem vacuum, & expeditum pedibus incedentem susciperet, & ne illum quidem siue impedimento liberè transire permitteret. Cùm ergo sibi inuicem appropinquassent senex & leo, neq; senex retro redire, vt leoni transitum liberum daret; neque propter nimias semitæ angustias leo reuerti poterat, neque vtrunque simul transire omnino possibile erat. Videns igitur leo, Dei seruum procedere volentem, & nequaquam retro redire sustinentem; erexit se in posteriores pedes; erectúsque stans ad læuam senis, pondere ac viribus corporis repulsa maceria, modicam seni latitudinē pręstitit; iter, sine impedimēto,

iusto victu præbens. Atque ita transiuit senior, deorsa leonis perfricans. Post cuius transitum, exurgens de sepi leo peregit & ipse iter suum.

Ad hunc Abbatem Ioannem pergens frater quidam, cùm nihil in spelunca illius inuenisset; ait seni: Quomodò hic moraris, pater; non habens quæ sunt necessaria? Respondit senex, & ait: Spelunca ista, fili, spiritualis mercantia est: dat, & accipit.

Vita Abbatis Alexandri Cilicis, qui prope mortem à dæmone arreptus est. CAP. CLXXXII.

PRope sanctam Bethleem, monasterium est sancti Sergij. In hoc pater fuit, Abbas Eugenius, qui postmodum Episcopus Hermopolis factus est in Ægypto. Hic cùm ad eum venissemus, narrauit nobis de Abbate Alexandro Cilice, quòd cùm inter speluncas sancti Iordanis senuisset, accepit illum in monasterio suo. Qui circa finem vitæ suæ lectulo decubuit quasi menses tres. Ante decem verò dies, quàm migraret ad Dominum; à dæmone arreptus est. Et cœpit senex ad dæmonem dicere: ad vesperam venisti, miser; hoc magnum nō est: quoniam in lectulo deuinctus sum, & moueri non possum; ostendisti (miserrime) imbecillitatem tuam: nam si potēs & valens esses; ante hos quinquaginta vel sexaginta annos debueras appropinquare mihi, ego enim per cōfortantem me Christum, ostēdissem tibi infirmitatē tuam, ac deiecissem rugitum tuum, atq; contriuissem rigidam illam tuam inflexámque ceruicem: nunc autem non mea est imbecillitas, sed infirmitas est quę premit me. Gratias tamen ago Deo, ad quem proficiscens, ostendam iniuriam quam abs te passus sum, quia post tot annorum labores & fatigationem, circa exitum sic atrociter in me inuasisti. Ista & alia plurima, horis singulis dicens; decima die, cum omni quiete, Domino Christo spiritum in pace reddidit.

Mirabile factū senis Ægyptij, nomine, Dauid. CAP. CLXXXIII.

DIcebat Abbas Theodorus Cilix: Cùm adhuc morarer in Sciti, erat illic senex Ægyptius, nomine Dauid. Qui die quadam, ad metendum profectus est. Habēt enim consuetudinem Scitiotæ, vt abeant ad villas, [1] & metant. Ascendit ergo senex in villam, & sub mercede operabatur: conduxit autem illum agricola quidam. Cùm itaq; meteret senex, die quadam circa horam septimam æstus magnus factus est, & abiit senex in quoddā tugurium, & sedit. Veniens autem agricola, & videns sedentem senem, dicit ei cum iracundia: cur non metis, senex? Nescis, quia mercedem tibi reddo? Dixit ei: Ita sanè, sed quia æstus magnus est, & grana tritici de spicis decidunt, idcircò paululum expecto donec transeat æstus, neque damnum patiaris. Dicit ad eum agricola: Surge, labora, & ardeant omnia. Cui respondit senex: & vis, vt ardeant? Dixit ille cum iracundia: Ita planè. Tunc surrexit senior, & ecce, continuò ardēre cœpit ager. Currens autem agricola, venit ad alios senes qui in alia parte agri operabantur, & rogabat eos, vt venirent & deprecarentur senem, & oraret, & ignem extingueret. Venientes autem senes prostrauerunt se humi. Ille autem dixit eis: Dixit vt ipse arderet. Exhortatus tamen ab eis, abiit, & stans medius inter ea quæ arserant, & ea quæ non arserant, orauit, & continuò [2] extinctus est ignis, & saluata est pars reliqua turis.

1 *Vide in sanctis patribus opus manuum.*

2 *Magna virtus orationis sancti senis, vt per eam ignis agri extinctus sit.*

Vita Abbatis Ioannis eunuchi, nec non iuuenis monachi qui nunquā bibere statuerat, atque alterius senis valde orationibus dediti. CAP. CLXXXIIII.

ERamus in Nono Alexandriæ, cùm accessimus ad monasterium Abbatis Ioannis Eunuchi, visitatis gratia. Inuenimus autem ipsum senem, qui egerat in habitu monastico annos octoginta, ita misericordem, vt alium neminem illi similem viderimus: non solum enim ad homines, verum & ad bruta animalia misericors erat. Quid ergo faciebat senex? Nullum opus aliud habebat, nisi hoc. Surgens de mane, ibat ad canes omnes qui erant in monasterio, & cibum præbebat illis. Similiter & paruis formiculis farinam apponebat, triticum maioribus formicis. Infundebat & paximacia, & ea super tecta proiiciebat, vt volucres comederent. Ita degens iugiter nihil, cùm moreretur, in suo [1] monasterio dimisit,

A non portam, non fenestram, non candelam, non tabulam, & ne singulis immorans, prolixior sim, non dimisit omninò terrenum aliquid: Nunquam vel non bora tenuit, vel librum, vel pecuniam, vel indumētum, sed omnia egenis dabat, omnem curam suam ad futura transferens. Narrabant autem & hoc, de ipso, misericordiam eius, & compassionis affectum commendare volentes. Die quadam venit ad eum agricola quidam, petens, vt aureum nummum illi mutuo daret. Cùm verò ille non haberet (nec enim vnquam aurum tenebat senex) misit continuò, & mutuauit à monasterio nomisma, & dedit homini qui id à se petierat, pollicenti, post vnum mensem, hoc se illi redditurum. Cùm verò præterissent anni duo, & agricola illud non redderet, accersiuit illum Abbas Ioannes, & ait illi: da mihi numisma, frater. Qui di-
B xit: nouit Deus, quia non habeo. Tunc ait illi senex: agnosce, frater, quia inueni tibi modum per quem possis mihi illud reddere. Qui ait seni: Iube quicquid vis, & faciam, putans homo quòd senior sibi aliquid iniungere vellet. Tunc dixit Abbas Ioannes: Cùm tibi opportunum est, nec habes quid facias, veni huc, & viginta genuflexiones pro me facito, & dabo tibi vnum argenteum. Cui cùm ille libenter consensisset, quoties illi vacabat ab opere, pergebat ad senem, & completo orationum numero, dabat ei senex, iuxta constitutum, argenteum nummum, dabátque illi comedere & bibere, tribuēs insuper paximatia pro tota domo sua. Cùm igitur implesset viginti quatuor argēteos, id est, aureum nummum, accepit ab eo senex, & dimisit illum, dans ei etiam benedictiones. Idem Abbas Ioannes Eunuchus narra-
C uit nobis: Ascendimus in Thebaidam ad cœnobium Abbatis Appollo, vidimúsque ibi iuniorem fratrem habentem etiam carnalem patrem, & ipsum monachum. Statuit ergo iuuenis nunquam bibere aquam, neque vinum, neque [2] potionem aliam toto vitæ suæ tempore. Edebat igitur olera quædam comestibilia, quæ ipsum ex siti recreare poterant. Habebat autem & ministerium coquendi panes. Cùm vero tres annos hoc abstinentiæ modo cucurrisset, incidit in grauissimam ægritudinem, ex qua etiam defunctus est. Cúmque febre vreretur, & ex immensa siti fatigaretur; hortabatur ab omnibus, vt vel modicam potionem degustaret; neque prorsus hoc facere frater ille passus est. Abbas igitur, accersito medico; vt languenti, si qua ratione posset sub-
D ueniret, precabatur. Qui cùm venisset, & videret fratrem in tali necessitate, rogare eum cœpit, vt modicum alicuius potionis acciperet. Sed cum ille non acquiesceret, dixit Abbati: Afferte mihi huc vas magnum. Quo allato, mittens in illud tepentis aquæ amphoras quatuor, fecit illum intus immitti vsque ad fœmora per vnam horam. Affirmabat autem nobis Abbas Ioannes (illic enim aderat) quòd cùm illum ex aqua eduxissent, metiens medicus aquam, inuenit eam ex magna parte imminutam. Ecce quam vim sibi intulerunt continentes monachi, se ipsos propter Deum his necessitatibus subdentes, vt sempiternis fruerentur bonis. Idem rursus nobis enarrauit, dicens: Ingressus sum in eodem cœnobio cellulam senis cuiusdam; vidique, quia vbi stare ad
E orationem solebat, tabula erat supposita: vbi autem genua figebat, & manûs; concauum erat plusquam digitorum quatuor. Ex frequentia quippe, & vsu continuæ orationis, cauauerat tabulam.

1 *Vide altissimam paupertatem huius patris.*

2 *Magnum abstinentiæ genus nulla penitus vti potione.*

Vita mulieris fidelis, quæ, mira sapientia, virū suum gentilem, ad Fidem conuertit. CAP. CLXXXV.

CVm in Samo insula essemus; narrabat nobis venerabilis pauperum cultrix Maria mater Domini Pauli candidati, dicens: Cùm essem in ciuitate Nisibæ, erat ibi Christiana mulier virum habens gentilem. Erant autem pauperes; habebant tamen quinquaginta numismata. Die verò quadam, ait vir vxori suæ: demus hæc numismata fœneratori, vt aliquod solatium ex eis capiamus; ea enim sigillatim cōsumimus, & deficiūt. Respōdens autem illa bona vxor ait viro: si placet ea fœne-

rari, veni, demus illa sub fœnore, Deo Christianorum. Dicit ei vir eius: & vbi est Deus Christianorum, vt demus ei? Ait illa: ego tibi ipsum ostendam: si enim huic dederis ea, non solùm non illa perdes, sed & vsuras tibi persoluet, & capitale duplum reddet. Qui ait illi: eamus, ostende mihi illum, & demus ei. Illa verò assumés virum suum, duxit in sanctam Ecclesiam: habet autem Ecclesia illa, quinque magnas ianuas. Cùm ergo induxisset illum in Ecclesiæ porticum; ostendit ei pauperes, dicens: istis si præbueris, Deus Christianorum ipsa accipit: Isti enim omnes, sui sunt. Qui mox, cum gaudio, numismata cœpit erogare pauperibus. Reuersique sunt in domum suam. Cùm verò post menses tres, necessitate sumptuum angustarentur, ait vir vxori suæ: Soror; nihil (vt video) daturus est nobis Deus Christianorum, ex debito illo; & nunc angustiamur inopia! Respondit mulier, & ait illi: profectò dabit; Vade vbi illa dedisti, & exhibebit ea tibi cum omni alacritate. Quo audito; ille currens, abiit in sanctam Ecclesiam: veniénsque in loco, vbi erogauerat numismata pauperibus, & circumiens totam Ecclesiam; neminem vidit qui sibi debitum redderat, nisi solos pauperes denuò sedentes. Cùm ergo cogitaret in se ipso, cui diceret aliquid, vel à quo exigeret; aspexit ante pedes suos, in marmore iacere numisma vnum ex illis quæ pauperibus ipse erogarat; inclinánsque se & accipiens illud, abiit in domum suam, & ait coniugi suæ: Ecce profectus sum in Ecclesiam; & crede mihi (mulier) quia Deum Christianorum non vidi, vt dixisti; nullúsque mihi aliquid dedit, nisi quòd hoc numisma ibi positum vidi, vbi ego priùs erogaueram. Tunc ait ad eum mulier illa mirabilia: Ipse est, qui tibi hoc inuisibiliter præstitit; Ille enim inuisibili potestate manus suæ disponit hunc mundum: Sed vade, domine mi; eme nobis aliquid vt comedamus hodie, rursúsque ipse prouidebit nobis. Abiit ille, & emit sibi panem, & vinum, & piscem; & veniens domum, dedit vxori. Quæ accipiens piscem, cœpit ipsum purgare, exenteránsque illum, inuenit in visceribus eius lapidem valde mirabilem, ita vt miraretur mulier illius pulchritudinem; non tamen sciebat quid esset. Seruatum autem ostendit reuertenti viro, dicens: ecce hunc lapidem in pisce reperi. Videns autem, & ipse miratus est quidem ipsius pulchritudinem; ignorabat tamen quid esset. Cùm autem comedisset; ait vxori: da mihi lapidem, vt vadam & vendam illum si quid fortassis pretij de illo accipere contingat. Neque enim, vt dixi, nouerat & ipse, quid esset; vt pote simplex, & rudis. Tulit itaque lapidem, & abiit ad trapezitam, cuius erat proprium talia emere & vendere; inuenitque illum iam clausis omnibus egredientem (ad vesperum enim iam dies erat) & ait illi: vis emere hunc lapidem? Ille verò considerans lapidem, dixit ei: Quid vis, vt tibi pro eo soluam? Ait autem ille: da quicquid vis. Ad quem ipse: Accipe (inquit) quinque numismata. Putans autem venditor quia illuderet sibi; dicit ei? Et tantum vis pro illo persoluere? Existimans trapezita, quòd ita ille per ironiam loqueretur, ait ipsi: Accipe decem pro eo numismata. Venditor, iterum se irrideri arbitrans; tacuit. Dicit illi Trapezita: Viginti numismata accipe: Ille autem tacebat, nihil respondens. Cùm verò ad triginta, quadraginta, & quinquaginta nomismata emptor ascenderet, & se daturum ea iuramento affirmaret; cœpit ille, amplius lapidem æstimare. Paulatim verò, emptor ascendens vsque ad trecenta numismata, peruenit; deditque illa vendenti. Ipse igitur, dato lapide, acceptáque pecunia; venit ad vxorem suam, gaudens. Quæ cùm videret illum exultantem; dixit: quantò illum vendidisti? putabat autem, quòd illum, quinque vel decem minutia vendidisset. Tunc ille trecenta numismata proferens, dedit illa vxori suæ dicens; tantò se illum vendidisse. Illa verò summam diuinæ bonitatis clementiam admirans, dixit ei. Ecce Deus Christianorum qualis est, quàm bonus, quàm gratus, quàm diues: Vides quia

Pauperes, in Ecclesiæ portica.

A non solùm quinquaginta numismata tibi reddidit, quæ tu illi mutuasti; sed paucis diebus, ipsa tibi sex duplicata restituit? Agnosce igitur, quia non est Deus alius, neque in terra, neque in cœlo, nisi ipse solus. Ille verò miraculo admonitus, cùm experimento didicisset & ipse veritatem, effectus est repentè Christianus, & glorificauit Deum & Saluatorem nostrum Christum, cum Patre & Spiritu sancto, plurimas referens gratias prudentissimæ vxori suæ, per quam vera Dei notitia ipsi in veritate concessa est.

PErreximus in cœnobium speluncæ Abbatis Sabæ, ad Abbatem Eustachium ipsius cœnobij patré, narrauitq; nobis dicens: Erat Tyri mercator quidam, nomine Moschus. Is nobis, cùm Tyrum venissemus, hoc retulit, dicés: Cùm essem super commercia profundo vespere abij lauatum, & in via reperi mulierem stantem in B tenebris. Ad quam ego vbi perrexi; cósensit sequi post me. Præ diabolico itaq; gaudio non laui, sed ad cœnam properaui; multúmque orabam illam vt comederet, sed illa gustare quicquam passa non est. Tandem surreximus. Et cùm ad cubiculum venissemus, velléмque illam amplexari; voce magna cùm lachrymis clamauit dicés, Væ mihi miseræ! Tremefactus itaque, interrogabam causam fletuum. Illa verò amplius eiulans, ait: Vir meus negociator est & naufragium fecit, perdiditque & sua, & aliena; & propterea in carcere inclusus est, nec habeo quid faciam vt vel panem illi ministrem: atque ideò præ nimia paupertate, corpus meum exponere proposui vt illi panem inueniam; omnia enim deperierunt! Et dixi illi: quantum est debitum? Quæ ait: quinque auri libræ. C Proferens autem aurum, dedi illi, dicens: ecce, Dei nutu non tetigi te; da aurum, & redime virum tuum, & orate pro me. Deinde post aliquantulum temporis; calumnia contra me conflata est apud Imperatorem, quòd commercijs cuncta dissipassem. Mittens autem Imperator, diripuit omnem substantiam meam, nudúmque pertractum Constantinopolim in carcerem misit. Vbi cùm plurimum temporis egissem, solo vno vestimento præter camisiam indutus; die quadam audio, quòd Imperator me vellet occidere. Itaque de vita desperans, plorabam. Flentem autem & eiulantem sopor oppressit, vidique in somnis quasi mulierem illam quæ aliquando virum habuerat in carcere, dicentem mihi; quid est quod habes, domine Mosche? quare hîc inclusus es? Me autem D respondente: calumniam perpessus sum; & puto quia occidet me Imperator. Ait mihi: vis, vt loquar pro te Imperatori; & dimittet te? Ad quam ego: nunquid ille cognoscit te? Ait: vtique noui. Expergefactus autem; ambigebam quid hoc esset. Astitit autem mihi secundò, & tertiò, eadem repetens, & dicens: Noli timere, ego te absoluam cras. Diluculo autem, Imperatore iubente, adduxerunt me in palatium. Cúmque ingressus essem, ille vt aspexit me, putri & scissa indutum tunica, dixit mihi: Ecce, nunc tui misertus sum; vade, & emendare de reliquo. Aspiciebam autem mulierem illam, ad dexteram. Imperatoris astantem, & dicentem mihi: confide, & noli timere. Iussitque Rex, mihi vniuersa restitui, addénsque mihi bona plurima, restituit me in priorem statum, faceóa me præterea Locum tenentem. Ipsa igitur nocte E apparuit mihi rursus eadem mulier, & ait mihi: scis, quę sim ego? Illa sum, cum qua fecisti misericordiam, & propter Deum non tetigisti corpus meum, ecce & ego liberaui te à periculo: Vides clementiam Dei, quomodò, per me cui fecisti misericordiam, apparuit tibi misericors: quasi dicens, hoc propter me fecisti, & ego magnificaui misericordiam meam super te.

Vita Moschi Mercatoris Tyrij. CAP. CLXXXVI.

CVm à sancta Gethsemani ascenderemus in sanctum montem Oliueti, monasterium offendimus Abbatis Abramij. Huius monasterij pater erat, Abbas Ioannes ex Cyzico: Interrogauimus autem eum die quadam, dicentes: quomodò virtutem possidet quispiam? Respódit senior, & ait: qui virtutem possidere voluerit, nisi priùs oderit virtuti ex diametro contrariam malitiam, eam

Doctrina Abbatis Ioánis Cyzici, pro acquirendis virtutibus. CAP. CLXXXVII.

iusto viro præbens. Atque ita transiuit senior, deorsa leonis perfricans. Post cuius transitum, exurgens de sepi leo peregit & ipse iter suum.

Ad hunc Abbatem Ioannem pergens frater quidam, cùm nihil in spelunca illius inuenisset; ait seni: Quomodò hîc moraris, pater; non habens quæ sunt necessaria? Respondit senex, & ait: Spelunca ista, fili, spiritualis mercatura est: dat, & accipit.

Vita Abbatis Alexandri Cilicis, qui prope mortem à dæmone arreptus est. CAP. CLXXXII.

PRope sanctam Bethleem, monasterium est sancti Sergij. In hoc pater fuit, Abbas Eugenius, qui postmodum Episcopus Hermopolis factus est in Ægypto. Hic cùm ad eum venissemus, narrauit nobis de Abbate Alexandro Cilice, quòd cùm inter speluncas sancti Iordanis senuisset; accepit illum in monasterio suo. Qui circa finem vitæ suæ lectulo decubuit quasi menses tres. Ante decem verò dies, quàm migraret ad Dominum; à B dæmone arreptus est. Et cœpit senex ad dæmonem dicere: ad vesperam venisti, miser; hoc magnum nõ est: quoniam in lectulo deuinctus sum, & moueri non possum; ostendisti (misertime) imbecillitatem tuam: nam si potẽs & valens esses; ante hos quinquaginta vel sexaginta annos debueras appropinquare mihi, ego enim per cõfortantem me Christum, ostẽdissem tibi infirmitatẽ tuam, ac deiecissem rugitum tuum, atq; contriuissem rigidam illam tuam inflexámque ceruicem: nunc autem non mea est imbecillitas, sed infirmitas est que premit me. Gratias tamen ago Deo, ad quem proficiscens, ostendam iniuriam quam abs te passus sum, quia post tot annorum labores & fatigationem, circa exitum sic atrociter in me inuasisti. Ista & alia plurima, horis singulis dicens; decima die, cum omni quiete, Domino Christo spiritum in pace reddidit.

Mirabile factũ senis Ægyptij, nomine, Dauid. CAP. CLXXXIII.

DIcebat Abbas Theodorus Cilix: Cùm adhuc morarer in Sciti, erat illic senex Ægyptius, nomine Dauid. Qui die quadam, ad metendum profectus est. Habẽt enim consuetudinem Scitiotæ, vt abeant ad villas, [1] & metant. Ascendit ergo senex in villam, & sub mercede operabatur: conduxit autem illum agricola quidam. Cùm itaq; meteret senex, die quadam circa horam septimam æstus magnus factus est, & abiit senex in quoddã tugurium, & sedit. Veniens autem agricola, & videns sedentem senem, dicit ei cum iracundia: cur non metis, senex? Nescis, quia mercedem tibi reddo? Dixit ei: Ita sanè, sed quia æstus magnus est, & grana tritici de spicis decidunt, idcircò paululum expecto donec transeat æstus, neque damnum patiaris. Dicit ad eum agricola: Surge, labora, & ardeant omnia. Cui respondit senex: & vis, vt ardeant? Dixit ille cum iracundia: Ita planè. Tunc surrexit senior, & ecce, continuò ardẽre cœpit ager. Currens autem agricola, venit ad alios senes qui in alia parte agri operabantur, & orabat eos, vt venirent & deprecarentur senem, & oraret, & ignem extingueret. Venientes autem senes prostrauerunt se humi. Ille autem dixit eis: Dixit vt ipse arderet. Exhortatus tamen ab eis, abiit, & stans medius inter ea quæ arserant, & ea quæ non arserant, orauit, & continuò [2] extinctus est ignis, & saluata est pars reliqua turis.

1 *Vide in sanctis patribus opus manuum.*

2 *Magna virtus orationis sancti senis, vt per eam ignis agri extinctus sit.*

Vita Abbatis Ioannis eunuchi, nec non iuuenis monachi qui nunquã bibere statuerat, atque alterius senis valde orationibus dediti. CAP. CLXXXIIII.

ERamus in Nono Alexandriæ, cùm accessimus ad monasterium Abbatis Ioannis Eunuchi, vtilitatis gratia. Inuenimus autem ipsum senem, qui egerat in habitu monastico annos octoginta, ita misericordem, vt alium neminem illi similem viderimus: non solum enim ad homines, verum & ad bruta animalia misericors erat. Quid ergo faciebat senex? Nullum opus aliud habebat, nisi hoc. Surgens de mane, ibat ad canes omnes qui erant in monasterio, & cibum præbebat illis. Similiter & paruis formiculis farinam apponebat, triticum maioribus formicis. Infundebat & paximacia, & ea super tecta proiiciebat, vt volucres comederent. Ita degens iugiter nihil, cùm moreretur, in suo [a] monasterio dimisit, A non portam, non fenestram, non candelam, non tabulam, & ne singulis immorans, prolixior sim, non dimisit omninò terrenum aliquid: Nunquam vel non hora tenuit, vel librum, vel pecuniam, vel indumẽtum, sed omnia egenis dabat, omnem curam suam ad futura transferens. Narrabant autem & hoc, de ipso, misericordiam eius, & compassiuum affectum commendare volentes. Die quadam venit ad eum agricola quidam, petens, vt aureum nummum illi mutuo daret. Cùm verò ille non haberet (nec enim vnquam aurum tenebat senex) misit continuò, & mutuauit à monasterio numisma, & dedit homini qui id à se petierat, pollicenti, post vnum mensem, hoc se illi redditurum. Cùm verò præteriissent anni duo, & agricola illud non redderet, accersiuit illum Abbas Ioannes, & ait illi: da mihi numisma, frater. Qui dixit: B nouit Deus, quia non habeo. Tunc ait illi senex: agnosce, frater, quia inueni tibi modum per quem possis mihi illud reddere. Qui ait seni: Iube quicquid vis, & faciam, putans homo quòd senior sibi aliquid iniungere vellet. Tunc dixit Abbas Ioannes: Cùm tibi opportunum est, nec habes quid facias, veni huc, & triginta genuflexiones pro me facito, & dabo tibi vnum argenteum. Cui cùm ille libenter consensisset, quoties illi vacabat ab opere, pergebat ad senem, & completo orationum numero, dabat ei senex, iuxta constitutum, argenteum nummum, dabátque illi comedere & bibere, tribuẽs insuper paximatia pro tota domo sua. Cùm igitur implesset viginti quatuor argẽteos, id est, aureum nummum, accepit ab eo senex, & dimisit illum, dans ei etiam benedictiones. Idem Abbas Ioannes Eunuchus narra- C uit nobis: Ascendimus in Thebaidam ad cœnobium Abbatis Appollo, vidimúsque ibi iuniorem fratrem habentem etiam carnalem patrem, & ipsum monachum. Statuit ergo iuuenis nunquam bibere aquam, neque vinum, neque [a] potionem aliam toto vitæ suæ tempore. Edebat igitur olera quædam comestibilia, quæ ipsum ex siti recreare poterant. Habebat autem & ministerium coquendi panes. Cùm vero tres annos hoc abstinentiæ modo cucurrisset, incidit in grauissimam ægritudinem, ex qua etiam defunctus est. Cúmque febre vreretur, & ex immensa siti fatigaretur, hortabatur ab omnibus, vt vel modicam potionem degustaret; neque prorsus hoc facere frater ille passus est. Abbas igitur, accersito medico; vt languenti, si qua ratione posset subueniret, precabatur. Qui cùm venisset, & videret fra- D trem in tali necessitate, rogare eum cœpit, vt modicum alicuius potionis acciperet. Sed cum ille non acquiesceret, dixit Abbati: Afferte mihi huc vas magnum. Quo allato, mittens in illud tepentis aquæ amphoras quatuor, fecit illum intus immitti vsque ad fœmora per vnam horam. Affirmabat autem nobis Abbas Ioannes (illic enim aderat) quòd cùm illum ex aqua eduxissent, metiens medicus aquam, inuenit eam ex magna parte imminutam. Ecce quam vim sibi intulerunt continentes monachi, se ipsos propter Deum his necessitatibus subdentes, vt sempiternis fruerentur bonis. Idem rursus nobis enarrauit, dicens: Ingressus sum in eodem cœnobio cellulam senis cuiusdam; vidíque, quia vbi stare ad E orationem solebat, tabula erat supposita: vbi autem genua figebat, & manûs, concauum erat plusquam digitorum quatuor. Ex frequentia quippe, & vsu continuæ orationis, cauauerat tabulam.

s *Vide altissimam paupertatem huius patris.*

a *Magnum abstinentiæ genus nulla penitus vti potione.*

Vita mulieris fidelis, quæ, mira sapientia, virũ suum gentilem, ad Fidem conuertit. CAP. CLXXXV.

CVm in Samo insula essemus; narrabat nobis venerabilis pauperum cultrix Maria mater Domini Pauli candidati, dicens: Cùm essem in ciuitate Nisibæ, erat ibi Christiana mulier virum habens gentilem. Erant autem pauperes; habebant tamen quinquaginta numismata. Die verò quadam, ait vir vxori suæ: demus hæc numismata fœneratori, vt aliquod solatium ex eis capiamus; ea enim sigillatim cõsumimus, & deficiũt. Respõdens autem illa bona vxor ait viro: si placet ea fœne-

cari, veni, demus illa sub fœnore, Deo Christianorum. Dicit ei vir eius: & vbi est Deus Christianorum, vt demus ei? Ait illa: ego tibi ipsum ostendam: si enim huic dederis ea, non solùm non illa perdes, sed & vsuras tibi persoluet, & capitale duplum reddet. Qui ait illi: eamus, ostende mihi illum, & demus ei. Illa verò assumēs virum suum, duxit in sanctam Ecclesiam: habet autem Ecclesia illa, quinque magnas ianuas. Cùm ergo induxisset illum in Ecclesiæ porticum; ostendit ei pauperes, dicens: istis si præbueris, Deus Christianorum ipsa accipit: Isti enim omnes, sui sunt. Qui mox, cum gaudio, numismata cœpit erogare pauperibus. Reuersíque sunt in domum suam. Cùm verò post menses tres, necessitate sumptuum angustarentur, ait vir vxori suæ: Soror; nihil (vt video) daturus est nobis Deus Christianorum, ea debito illo; & nunc angustiamur inopia! Respondit mulier, & ait illi: profectò dabit; Vade vbi illa dedisti, & exhibebit ea tibi cum omni alacritate. Quo audito; ille currens, abiit in sanctam Ecclesiam: veniensque in loco, vbi erogauerat numismata pauperibus, & circumiens totam Ecclesiam; neminem vidit qui sibi debitum redderet, nisi solos pauperes denuò sedentes. Cùm ergo cogitaret in se ipso, cui diceret aliquid, vel à quo exigeret; aspexit ante pedes suos, in marmore iacere numisma vnum ex illis quæ pauperibus ipse erogarat; inclinánsque se & accipiens illud, abiit in domum suam, & ait coniugi suæ: Ecce profectus sum in Ecclesiam; & crede mihi (mulier) quia Deum Christianorum non vidi, vt dixisti; nullusque mihi aliquid dedit, nisi quòd hoc numisma ibi positum vidi, vbi ego priùs erogaueram. Tunc ait ad eum mulier illa mirabilis: Ipse est, qui tibi hoc inuisibiliter præstitit; Ille enim inuisibili potestate manus suæ disponit hunc mundum: Sed vade, domine mi; eme nobis aliquid vt comedamus hodie, rursúsque ipse prouidebit nobis. Abiit ille, & emit sibi panem, & vinum, & piscem; & veniens domum, dedit vxori. Quæ accipiens piscem, cœpit ipsum purgare, exenteránsque illum, inuenit in visceribus eius lapidem valde mirabilem, ita vt miraretur mulier illius pulchritudinem; non tamen sciebat quid esset. Seruatum autem ostendit reuertenti viro, dicens: ecce hunc lapidem in pisce reperi. Videns autem, & ipse miratus est quidem ipsius pulchritudinem; ignorabat tamen quid esset. Cùm autem comedisset; ait vxori: da mihi lapidem, vt vadam & vendam illum si quid fortassis pretij de illo accipere contingat. Neque enim, vt dixi, nouerat & ipse, quid esset; vt pote simplex, & rudis. Tulit itaque lapidem, & abiit ad trapezitam, cuius erat proprium talia emere & vendere; inuenitque illum iam clausis omnibus egredientem (ad vesperum enim iam dies erat) & ait illi: vis emere hunc lapidem? Ille verò considerans lapidem, dixit ei: Quid vis, vt tibi pro eo soluam? Ait autem ille: da quicquid vis. Ad quem ipse: Accipe (inquit) quinque numismata. Putans autem venditor quia illuderet sibi; dixit ei: Et tantum vis pro illo persoluere? Existimans trapezita, quòd ita ille per ironiam loqueretur, ait ipsi: Accipe decem pro eo numismata. Venditor, iterum se irrideri arbitrans; tacuit. Dicit illi Trapezita: Viginti numismata accipe: Ille autem tacebat, nihil respondens. Cùm verò ad triginta, quadraginta, & quinquaginta numismata emptor ascenderet, & se daturum ea iuramento affirmaret; cœpit ille, amplius lapidem æstimare. Paulatim verò, emptor ascendens vsque ad trecenta numismata, peruenit; dedítque illa vendenti. Ipse igitur, dato lapide, acceptáque pecunia; venit ad vxorem suam, gaudens. Quæ cùm videret illum exultantem; dixit: quantò illum vendidisti? putabat autem, quòd illum, quinque vel decem minutis vendidisset. Tunc ille trecenta numismata proferens, dedit illa vxori suæ dicens; tantò se illum vendidisse. Illa verò summam diuinæ bonitatis clementiam admirans, dixit ei. Ecce Deus Christianorum qualis est, quàm bonus, quàm gratus, quàm diues! Vides quia non solùm quinquaginta numismata tibi reddidit, quæ tu illi mutuasti; sed paucis diebus, ipsa tibi sex duplicata restituit? Agnosce igitur, quia non est Deus alius, neque in terra, neque in cœlo, nisi ipse solus. Ille verò miraculo admonitus, cùm experimento didicisset & ipse veritatem, effectus est repentè Christianus, & glorificauit Deum & Saluatorem nostrum Christum, cum Patre & Spiritu sancto, plurimas referens gratias prudentissimæ vxori suæ, per quam vera Dei notitia ipsi in veritate concessa est.

Pauperes, in Ecclesiæ porticu.

Perreximus in cœnobium speluncæ Abbatis Sabæ, ad Abbatem Eustachium ipsius cœnobij patrē, narrauitq; nobis dicens: Erat Tyri mercator quidam, nomine Moschus. Is nobis, cùm Tyrum venissemus, hoc retulit, dicēs: Cùm essem super commercia profundo vespere abij lauatum, & in via reperi mulierem stantem in tenebris. Ad quam ego vbi perrexi; cōsensit sequi post me. Præ diabolico itaq; gaudio non lauī, sed ad cœnam properaui; multúmque orabam illam vt comederet, sed illa gustare quicquam passa non est. Tandem surreximus. Et cùm ad cubandum venissemus, velléinque illam amplexari; voce magna cùm lacrymis clamauit dicēs, Væ mihi miseræ! Tremefactus itaque, interrogabam causam fletuum. Illa verò amplius eiulans, ait: Vir meus negociator est & naufragium fecit, perdiditque & sua, & aliena; & propterea in carcere inclusus est, nec habeo quid faciam vt vel panem illi ministrem: atque ideò præ nimia paupertate, corpus meum exponere proposui vt illi panem inueniam; omnia enim deperierunt! Et dixi illi: quantum est debitum? Quæ ait: quinque auri libræ. Proferens autem aurum, dedi illi, dicens: ecce, Dei nutu non tetigi te; da aurum, & redime virum tuum, & orate pro me. Deinde post aliquantulum temporis; calumnia contra me conflata est apud Imperatorem, quòd commercijs cuncta dissipassem. Mittens autem Imperator, diripuit omnem substantiam meam, nudúmque per traiectum Constantinopolim in carcerem misit. Vbi cùm plurimum temporis egissem, solo vno vestimento præter camisiam indutus; die quadam audio, quòd Imperator me vellet occidere. Itaque de vita desperans, plorabam. Flentem autem & eiulantem sopor oppressit, vidique in somnis quasi mulierem illam quæ aliquando virum habuerat in carcere, dicentem mihi; quid est quod habes, domine Mosche? quare hic inclusus es? Me autem respondente: calumniam perpessus sum; & puto quia occidet me Imperator. Ait mihi: vis, vt loquar pro te Imperatori; & dimittet te? Ad quam ego: nunquid ille cognoscit te? Ait: vtique nouit. Expergefactus autem; ambigebam quid hoc esset. Astitit autem mihi secundò, & tertiò, eadem repetens, & dicens: Noli timere, ego te absoluam cras. Diluculo autem, Imperatore iubente, adduxerunt me in palatium. Cúmque ingressus essem, ille vt aspexit me, putri & scissa indutum tunica, dixit mihi: Ecce, nunc tui misertus sum; vade, & emendare de reliquo. Aspiciebam autem mulierem illam, ad dexteram. Imperatoris astantem, & dicentem mihi: confide, & noli timere. Iussitque Rex, mihi vniuersa restitui, addénsque mihi bona plurima, restituit me in priorem statum, faciens me prætereà Locum tenentem. Ipsa igitur nocte apparuit mihi rursus eadem mulier, & ait mihi: scis, quę sim ego? Illa sum, cum qua fecisti misericordiam, & propter Deum non tetigisti corpus meum, ecce & ego liberaui te à periculo: Vides clementiam Dei, quomodò, per me cui fecisti misericordiam, apparuit tibi misericors: quasi dicens, hoc propter me fecisti, & ego magnificaui misericordiam meam super te.

Vita Moschi Mercatoris Tyrij. CAP. CLXXXVI.

Cum à sancta Gethsemani ascenderemus in sanctum montem Oliueti, monasterium offendimus Abbatis Abramij. Huius monasterij pater erat, Abbas Ioannes ex Cyzico: Interrogauimus autem eum die quadam, dicentes: quomodò virtutem possidet quispiam? Respōdit senior, & ait: qui virtutem possidere voluerit, nisi priùs oderit virtuti ex diametro contrariam malitiam, eam

Doctrina Abbatis Ioānis Cyzici, pro acquirendis virtutibus. CAP. CLXXXVII.

acquirere ac possidere non potest: Si igitur habere vis luctum, semper odio habeas risum, si humilitatem habere desideras, superbiam semper execrare: Si continens esse cupis, Gastrimargiam odi. Si pudicus, detestare luxuriam, Si nudus, materiam fuge. Qui vult esse misericors, auaritiam caueat, qui eremum habitare desiderat, ciuitatis frequentiam odio habeat, qui cupit inuenire quietem, fiduciam oderit, qui peregrinus esse vult, apparentiam odio habeat, qui iracundiam continere desiderat, multorum consortia fugiat, qui iniurias obliuisci vult, maledicta detestetur, qui sine distractione esse appetit, solitarius maneat. Qui continere vult linguam, obstruat aures ne multa audiat: Qui Dei timorem habere semper cupit, corporalem oderit requiem, diligátque afflictionem, & angustiam.

Vita duorũ fratrũ trapezitarum Syrorum. Cap. CLXXXVIII.

ABbas Theodorus, antiqui monasterij pater, narrauit nobis dicẽs: Erant Cõstantinopoli, fratres duo trapezitæ Syri. Dixitq; maior ex illis minori fratri: veni, descẽdamus in Syriam, & possideamus paternã domum nostram. Dixit illi iunior: cur ambo dimittimus hîc ministerium nostrum? Descende ipse, & ego hîc manebo, vel ego descendam, & tu hîc remane. Conuenit ergo inter eos, vt descẽderet iunior. Cùm itaq; descendisset, post breue tempus, is qui Constantinopoli remanserat, vidit in somnis senem quendam speciosum & magnæ reuerentiæ, dicentem sibi: scis quia fornicatus est frater tuus in vxorem cauponis? Qui exurgens à somno, contristari cœpit, & intra semetipsum dicere: ego illi causa fui istius lapsus, cur enim dimisi illum solum? Aspexit autem eundem secundò dicentem sibi, scis, quia frater tuus corruit in vxorem cauponis? Quo viso, rursum contristatus est. Tertiò conspicit eundem dicentem sibi: nescis, quia frater tuus perdidit liberam mulierem, & in vxorem cauponis effusus est? Scripsit igitur ad illum ex Constantinopoli, vt statim dimissis omnibus veniret Byzantium. Qui, acceptis fratris literis, statim dimisit omnia, venítque ad fratrem suum. Ille verò mox vt vidit eum, duxit in maiorem Ecclesiam, & cœpit mœstus culpare illum, ac dicere: benè fecisti, frater, quia cauponis vxorem adulterasti? Quod ille cùm audisset, iurare per Deum omnipotentẽ cœpit, quòd neque adulterauerat, neque mulierem vllam nouerat præter legitimam vxorem. Cùm hæc maior frater audisset, ait illi: nunquid aliud quippiam peccati grauioris abs te gestum est? Ille autem asseuerabat, dicens: Verè nihil conscius sum iniquitatis admisisse, nisi quòd monachos in villa nostra reperi Seueriani dogmatis, ignoránsque an malum esset, communicaui eis: aliud quodlibet ignoro me fecisse. Intellexit tunc maior natu frater, hoc esse, quod illi dictum fuerat, fornicatum scilicet eum fuisse, quia sancta Catholica & Apostolica Ecclesia omissa, in hæresim Seueri acephali (qui re vera caupo est) corruens, confusus erat, ac nobilitatem rectæ fidei contaminarat.

Hæreticis cõmunicare, est verũ Adulteriũ.

Hæretici, sunt re uera caupones.

Vita mulieris, quæ fidẽ seruauit viro suo negociatori, & ambo à Deo adiuti sunt. Cap. CLXXXIX.

VEnimus Ascalonem, in Xenodochium parrũ, narrauitque nobis Abbas Eusebios Presbyter, quòd negociator quidam nauigans perdidisset omnia & sua & aliena, euasissétque ipse naufragium. Qui cùm venisset huc; à Creditoribus comprehensus & in carcerem missus est, direptáq; sunt omnia quæcunque domi habebat, & coniugis etiam ipsius vestimenta. Illa igitur, ex multa anxietate & tristitia & inopia, non poterat virum vel pane nutrire. Sedente igitur illa die quadam in carcere, & gemente; intrauit vir quidam magnus, vinctis dare eleemosynam. Videns verò mulierem liberam sedentem cum viro suo, vulneratus est in amore ipsius; erat enim speciosissima; mandauítque illi per Carcerarium, vt ad se veniret. Illa videns, quòd agapem acceptura esset; libenter accessit. Qui sumẽs illam seorsom, ait ei: quid est, quod habes; & cuius rei gratia, hîc es? Quæ illi cuncta enarrauit. Ait autem ipse: si persoluero debitũ; dormies mecum nocte ista? Illa autem, verè pulcherrima & pudicissima, dixit ei: Audiui, domine, dicentem Apostolum; quia *mulier non habet potestatem proprij corporis*, sed vir; permitte ergo, domine, vt interrogem virum meũ; & quicquid ille iusserit, faciam: veniénsque, omnia nonciauit viro suo. Ille vt prudentissimus & vxori suę maximo deuinctus affectu; raptus non est spe & desiderio euadendi carceris iniurias, sed ingemiscens cum lachrymis ait vxori: Perge, perge, soror; abrenuncia homini: spero enim in Dominum nostrum Iesum Christum, quia non derelinquet nos vsque in finem. Exurgens autem illa, dimisit à se hominem, dicens, dixi viro meo, & nõ vult. Per id autem temporis, latro quidam iniectus fuerat in ipsum carcerem, priusquam negociator vinciretur. Hic omnia inspiciebat, & audiebat viri ac mulieris verba; ingemuítque apud semetipsum dicens: ecce in quo isti casu existunt, neque tamen libertatem suam prodiderunt, vt pecunias acciperent & dimitterentur; sed pudicitiam pluris quàm pecuniam existimauerunt, vitæque istius commoda, vt illius pulchritudinem non violarent, contempserunt. At ego quid faciam, miser; qui nunquam cogitaui quòd Deus esset, & idcircò homicidiorum auctor fui? Vocans autem illos ad se, per fenestram eius cellulæ vbi vinctus detinebatur, dixit eis: Ego latro sum, & cædium patrator; quamobrem, quacunque hora Pręfectus venerit, ad mortem vt homicida ducendus sum. Considerans verò pudicum consilium vestrum, compunctus sum; Itaque pergite, & in loco illo ciuitatis fodite, & accipite quas inueneritis pecunias; cúmque persolueritis debitum, plurima etiam benedictio remanebit vobis, & orate pro me vt & ego inueniam misericordiam. Post paucos ergo dies, ingressus ciuitatem Pręses, latronem educi iussit & decollari. Sequenti autem die dixit mulier viro: Si iubes, mi Domine, vadam ad locum quem denotauit latro, si fortè vera sint quæ ille prosecutus est. Qui ait: vt tibi videtur, facito. Illa verò, sumpto breui sarculo, vespere ad locum abiit; & fodiens, ollam inuenit diligentissimè opertam; suménsque illam, profecta est. Prudenti verò vsa consilium, paulatim creditoribus reddebat debita; vt, ex hoc, ab alijs pecuniam mutuari putaretur: Impleuit autem omnem debiti solutionem; virúmque de carceris custodia eduxit. Dicebat autem qui ista narrauit: Ecce quoniam seruauerunt isti mandatum Domini nostri Iesu Christi, magnificauit & ipse in eis misericordiam suam.

Miraculum de ligno donato Abbati Brochæ Ægyptio. Cap. CXC.

NArrauit nobis Athanasius Antiochenus, de Abbate Brocha Ægyptio; dicens: Cùm venisset vir ille ex Ægypto in Seleuciam, quæ prope Antiochiam est; inuenit extra ciuitatem, locum desertum; quærebátque construere sibi in eo breuem cellulam. Quam cùm extruxisset, neque haberet vnde illam operiret; ingressus vrbem die quadam, inuenit Anatolium qui cognominatus est Curtus, Seleuciæ & Antiochiæ vnum ex primariis, sedentem extra domus suæ limen, dixítque ei: Fac, domine, charitatem; & da mihi ligna modica, vt tegam cellulam meam. Ille verò maximè indignans, ait illi: Ecce lignum, tolle, & discede; ostendens illi trabem maximam quam habebat iacentem ante domum suam, de qua facta esset arbor nauis onerariæ quinquaginta milium. Ait illi Abbas Brochas: benedic, & tollam illud. Dicit ei rursum Anatolius stomachans: benedictus Dominus. Apprehendit ille trabem, solúsque léuauit de terra, & imposuit humeris suis, abiítque cum illa ad cellulam suam. Stupôre autem percussus Anatolius in eo quod factum fuerat, insigni præclaróque miracolo; largitus est ei lignum illud, ex quo non solùm cellulam suam (vt petierat) operuit; sed & alia plurima ministeria exercuit.

Vita cõpendiosa sancti Ioannes Chrysostomi Patriarchæ Constantinopolitani. Cap. CXCI. S. Ioannis Chrysostomi virtutes.

DIcebant de sancto Ioanne Constantinopolitano Archiepiscopo, qui iustè ac dignissimè, pro puritate doctrinæ & splendore venustissimi eloquij, Chrysostomus cognominatus est; quòd ex quo salutarem baptismum accepisset, nunquam omnino iurauerit, neque aliquem iurare compulerit, neque mentitus sit, neque alicui vnquam maledixerit, neque scurrilia locutus sit, neque iocos admiserit.

Relatio de quodã Monacho monasterij diui Gregorij Papæ, quomodo, post mortem ab Excõmunicatione fuerit absolutus. CAP. CXCII.

NArrauit nobis sanctus quidam Presbyter, Petrus nomine, veniens ex Romana Vrbe, de beatissimo Gregorio eiusdem ciuitatis Antistite: quòd cùm esset summus Pontifex, monasterium virorum maximum ædificauerit, mandatúmque dederit vt nullus monachorum [1] proprium aliquid haberet, ne vnum quidem obolum. Frater ergo monasterij habebat secularem fratrem à quo petiit dicens: Tunicam non habeo; ideò fac in me charitatem, & eme illam mihi. Dixit illi secularis frater: ecce tria hęc numismata, accipe & eme tibi vt placet. Sumens ergo Monachus tria numismata, habuit illa apud se. Quòd cùm alius Monachus vidisset, abiit, & nunciauit Abbati. Quo audito; Abbas renunciauit & ipse sanctissimo Papæ Gregorio. Beatus verò Gregorius hoc audiens, iussit eum (vt qui monasterij [2] regulas prætergressus esset) à Communione separari. Post modicum verò temporis, moritur frater ille ita separatus; nesciente Papa Gregorio. Post duos autem vel tres dies abiit Abbas, & nunciauit illi, dicens: Frater ille defunctus est. Quo ille audito, non mediocriter contristatus est, quòd antequam absolueretur, excommunicationis vinculo, migrasset à sæculo. Scribénsque orationem in forma epistolæ, dedit vni ex Archidiaconis, iubens illi, vt iret, & super sepulchrum fratris eam legeret. Per ipsas verò literas, absoluebat ab Excommunicationis nexibus mortuum. Abiens igitur Archidiaconus, sicut illi fuerat imperatum, supra sepulchrum Fratris breuem illam chartulam legit. Eadémque nocte vidit Abbas defunctum fratrem; & ait illi: nónne mortuus es, frater? Qui ait: Ita sanè! Rursus interrogauit eum Abbas: & vbi fuisti vsque hodie? Dixit ei frater: veraciter, domine, in carcere fui, vsque heri: hesterno autem die absolutus sum. Notum verò factum est omnibus, quia qua hora Archidiaconus Absolutionis verba super fratrem legerat, fuerat ab excommunicatione absolutus; liberatáque est de iudicio & damnatione, anima ipsius.

1 *Ecce euangelicam paupertatem sanctorum monachorum.*

2 *Etiam antiqui Monachi habuerunt regulas, & constitutiones.*

3 *Excommunicatio fuit in vsu etiam tempore antiquorum patrum.*

Factum mirabilis charitatis, sancti Abbatis Apollinaris Patriarchæ Alexãdrini erga iuuenem diuitem ad inopiam redactum. CAP. CXCIII.

NArrauerunt nobis de sancto Abbate Apollinari, Alexãdrino patriarcha, quòd valde fuerit misericors, & compassionis visceribus affluens: Cuius rei indicium id afferebant. Erat (aiebant) Alexandriæ, iuuenis quidam, qui primarij ciuitatis dignitatéque ac diuitiis clarissimi filius fuerat. Parentibus itaque illius defunctis, qui infinita illi bona tam in auro quàm in naualibus commerciis dereliquerant; non satis fœliciter & prosperè ea gubernans, perdidit omnia, atque ad extremam inopiam deductus est; cùm neque gulæ, neque luxuriæ vacauerit (quæ solent diuitum exhaurire patrimonia) sed in casûs varios, atque naufragia inciderit. Itaque, ex opulentissimo pauperrimus effectus est, iuxta illud Psalmistæ; *Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos.* Namque adolescens quantò fuerat pecuniis sublimior, tantò per inopiam inferior factus est. Hoc audiens beatus Apollinaris, vidénsque in quantum miseriæ & paupertatis adolescens delapsus esset, cùm parentes eius fuissent locupletissimi; miseratus illius casum, exiguum ipsi charitatis impendere voluit subministrando alimenta: sed erubescebat; & quoties videbat illum, in secreto conscientiæ suæ angebatur cernens vestem sordidam, & luridam faciem, quæ sunt extremæ paupertatis indicia. Cùm igitur huiusmodi curis angeretur Pontifex, die quadam diuinitus inspiratus, consilium profectò mirabile inuenit, ipsiúsque sanctitati maximè conueniens. Accersiuit itaque dispensatorem sanctissimæ Ecclesiæ, seorsúmque illum alloquens, dixit ei: potes mihi seruare secretum, domine dispensator? Qui ait: spero, domine, in Filium Dei; quia quodcunque mihi iusseris, nemini dicam; neque discet vnquam id aliquis ex me, quod mihi seruo tuo aperueris. Tunc ait ad illum

A Episcopus Apollinaris. Vade, conscribe chirographum debiti quinquaginta librarum auri, quæ à sanctissima ista Ecclesia, Machario (illius miseri adolescentis patri) debebantur; & appone testes, & stipulationem, & rata, & affer illud mihi. Dispensator, continuò quod sibi fuerat à Pontifice iniunctum, cùm omni celeritate peregit; attulitque chirographum, & dedit illi. Cùm itaque pater adolescentis ante decem annos defunctus esset, chartáque chirographi noua videretur, ait illi Pontifex: Vade, domine Dispensator; chirographum istud vel in tritico, vel in hordeo absconde, & post paucos dies affer illud ad me. Quod ille cùm fecisset; præfinito die chirographum retulit quasi subuetustum, deditque Pontifici. Tunc ait ille: Perge modò, domine Dispensator, & dicito adolescenti; quid mihi daturus es, si tibi dedero chi-
B rographum magnę pecuniæ quæ debetur tibi? Et caue, ne plusquam tria numismata ab illo accipias; & præbe illi chirographum. Respondens autem Dispensator: Verè, mî domine; si iusseris, nihil accipiam. Dixit ei ille: Volo omninò vt tria numismata accipias. Perrexit autem ille ad iuuenem, sicut ipsi iussum fuerat; & dixit ei: dabis mihi tria numismata, si ostendero tibi aliquid magnæ vtilitatis tuæ? Ille verò pollicitus est illi, quicquid vellet, se daturum. Fingens autem dispẽsator ait illi: ante quinque vel sex dies euoluens instrumenta Ecclesiastica, reperi chirographum istud; & memini, quia Macharius pater tuus mihi multùm confidens, ipsum mihi diebus aliquot permisit, defunctóque ipso, contigit illud apud me vsque hodie manere; obliuione enim subreptum mihi est, nec vnquam venit in mentem vt illud redderem
C tibi. Ait illi adolescens: Nôsti, an locuples sit persona illa, quæ debet? Dixit ei dispensator: Ita sanè, locuples & grata est; potésque ab illa debitum sine labore recipere. Dixit ei iunior: nouit Deus, quia modò nihil habeo, sed si recepero quod meum est, quicquid petiisti dabo tibi, vltra tria etiam numismata. Tunc dedit ei dispensator instrumentum quinquaginta librarum. Suscepto itaque chirographo, perrexit ad sanctissimum Pontificem, prostratúsque ante illum dedit ei chirographum. Cùm ergo accepisset ille instrumentum ipsum, ac legisset, cœpit se ipsum turbatiorem ostendere, dixítque ei: & vbi fuisti vsque modo? Pater tuus ante decem annos defunctus est: perge, nolo tibi nunc respondere. Qui dixit illi: Veraciter, mî domine, non ego illud habui, sed
D dispensator illud habebat, & nesciebam, sed Deus ipsius misereatur, quia modò ipsum mihi reddidit, dicens se illud inter chartas suas domi inuenisse. Pontifex verò, illum interim remisit dicens; deliberabo mecum, seruato apud me chirographo. Post vnam igitur hebdomadam redijt ad Episcopum iunior; iterúmque deprecabatur eum. Ille autem quasi nihil ei dare vellet, dicebat: quare tantum distulisti proferre chirographum? Dixit illi adolescens: Mî domine; scit Deus, quia non habeo vnde familiam meam nutriam; itaque si Deus inspirat vobis, miseremini mei. Tunc dixit illi sanctus Apollinaris, fingens se illios precibus cedere: Summam quidem integram ego tibi restituam; hoc autem obsecro, mî domine frater, ne à sancta hac Ecclesia Vsuras exi-
E gas. Tunc procidens illi adolescens, ait: quicquid volueris & iusserit mihi dominus meus, hoc faciam; &, si ex principali summa placet minuere aliquid, minue. Dixit illi Episcopus: non id quidem; Satis est, si nobis vsuras dimittis. Tunc proferens quinquaginta auri libras dedit ei; & dimisit eum, orans eum pro Vsurę remissione. Hoc opus summi Apollinaris, ista sancta illius ars, atque misericordia. Ita verò Deus iuueni cooperatus est per sanctam eius benedictionem, vt ex tanta inopia emergeret, atque in priorem suum statum ordinémque remearet; plúsque etiam quàm parentes sui opum ac pecuniarum copia excelleret, ac prætereà magna lucra animæ consequeretur.

Admonitio senis,

SEnex quidam morabatur in Sciti. Hic die quadam venit Alexandriam, vt [1] opus manuum suarum vẽderet;

Cùm verò non redirent domum hora, qua consueuerant reuerti, sed pauidi in pauimento iacerent, exierunt parentes eorum, vt viderent, cuius rei gratia consueto legitimo tempore non reuertissent. Egressi autem pueros omnes humi iacentes inuenerunt, neque agnoscentes aliquos, neque loqui se alloquentibus valentes. Parentes itaque semiuiuos eos aspicientes, vnusquisque filium suum assumentes, domum retulerunt, videntésque pueros in huiusmodi excessu diutiùs durantes, mirabantur nimium, causam stuporis eorum omnino ignorantes, nec discernere valentes, sæpiúsque illos per totum diem interrogantes, responsum nullum accipere ab eis potuerunt, & quæ illis acciderant, scire omnino nequiuerunt, donec dies illa, & nox tota præterijt. Tunc enim & pueri paulatim in se ipsos reuersi, cuncta illis retulerunt quæ gesta fuerant, & quæ illis contigerant. Assumentes verò parentes suos, & omnes loci ipsius habitatores egressi sunt, & locum eis ostenderunt, in quo mirabiliter ista contigerant, vestigia quædam elapsi ignis indicantes. Audientes verò, quæ facta fuerant, & ipsis indicus rerum admoniti, in ciuitatem cucurrerunt, cunctáque Episcopo ciuitatis nunctauerunt. Qui perculsus magnitudine, & nouitate miraculi, cum omni clero festinus accurrit. Vidénsque pueros, & rursus ab eis, quæ euenerant audiẽs, & cœlestis ignis vestigia intuens, pueros quidem omnes continuò in monasterium immisit, locum verò monasterium fecit latissimum, supra locum autem ignis Ecclesiam construxit, & sanctum erexit altare. Dicebat autem ipse domnus Gregorius fidelissimus vir, vnum se istorum puerorum aspexisse, eiúsque monasterij, vbi miraculum acciderat, monachum ipsum cognouisse. Et istud quidem magnum re vera, ac diuinum, stupendúmque miraculum Gregorius venerabilis nobis ætate nostra contigisse enarrauit.

1 *Ecce Missæ vsum antiquissimum, & non nouum institutum.*

2 *Ecce eam appellari sacrificium.*

3 *Vide sacram Eucharistiam appellari sancta Christi Dei nostri, venerandáque mysteria.*

Relatio Rufini de sancto Athanasio, & alijs pueris sodalibus eius. Cap. cacvii.

RVfinus autem, qui ecclesiasticam conscripsit historiam, simile quiddam priori ætate gestum à pueris ludentibus narrat. Ait enim, cùm puerilia conscriberet Athanasij sanctissimi, magni propugnatoris, ac præconis veritatis, magnæque Alexandrinæ ciuitatis Episcopi, & orbis totius doctoris inclyti, quomodo scilicet ipsius promotio ad Episcopatum ex præscientia diuina initium sumpsisset. Consequens autem mihi videtur esse, pauca de viri antiquitate repetere, & qualis à puero fuerit vitæ, qualísve instituti, meminisse, quemadmodum ab his, qui cum illo familiarissimè vixerunt, accepimus. Eo igitur tempore, quo Alexander sanctissimus Alexandrinæ Ecclesiæ præerat, cùm die quadam ex eminentiore loco mare intueretur, aspexit pueros in littore ludentes, vt consuetudo pueris est, Episcopúmque imitantes, ac ecclesiasticos ritus omnes. Cùm ergo pueros illos diutiùs intueretur, maiora quædam, & sacratiora illos aggredi videt. Turbatus itaque cõtinuò, clericos aduocans, eis ostendit, quæ ipse conspexerat, præcepítque, vt irent, & pueros omnes apprehenderent, atque ad se adducerent. Venientes igitur pueros interrogat, quis eis ludus fuerit, quídve, & quomodo gessissent. Illi verò, vtpote pueri, perterriti, ab initio quidem negare cœperunt, postea verò totam seriem exposuerunt, confessíque sunt se quosdã baptizasse catechumenos per Athanasium, quem sibi pueri Episcopum fecerant. Tunc igitur diligenter inquirens ab eis, & quinam baptizati fuissent, & quid quomodo interrogati, quídve respondissent, cùm ab eo, qui interrogauerat, cuncta didicisset, comperio, quòd omnia iuxta ritum religionis nostræ peregissent, rem in commune cum clericis agitans, diffiniuit, vt dicitur, eos qui [1] baptismo consecrati fuerant, cùm omnia circa se solenniter peracta fuissent per interrogationes, & responsiones, secundò quidem non oportere baptizari, sed impleri ea, quæ solent à sacerdotibus fieri. Porrò Athanasium, & cæteros, quos ille vt sacerdotes, & diaconos habuerat in ministerio, conuocatis eorum parentibus, sub Deo teste Ecclesiæ tradidit, vt illic nutrirentur. Modico itaque transacto tempore, cùm & à Notario perfectè, & à Grãmatico sufficienter Athanasius iam instructus esset, continuò quasi fidele depositum Dei, sacerdoti à parentibus traditur, & veluti Samuel quidam in templo nutritur. Quoties verò Alexander in senectute ad Episcopos proficisceretur, iste sequebatur eum, ferens sacerdotij amictum, qui Hebraicè appellabatur Ephod. Tanta verò & tam præclara contra hæreticos Athanasij in sancta Ecclesia fuẽre certamina, vt illud de eo scriptum esse videatur, quod dictum est: Ego ostendam ei, quanta pro nomine meo illum oporteat pati. Nam in eius persecutionem totus conspirauit orbis, commoti sunt reges terræ, & gentes, & regna, exercitúsque contra illum conuenerunt. Porrò ipse diuinum illud eloquium opere implebat, quo dicitur: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Verè enim tanta illius, ac talia feruntur opera, vt magnitudo quidem rerum nihil me prætereire persuadeat, multitudo verò gestorum plurima tacere compellat. Fluctuat itaque ambigua mens, neque planè dignoscere valet, quid conscribere, quid omittere debeat. Atque ideò paucorum meminimus, quæ ad rem pertinent. Reliqua verò fama enarrabit, quæ profectò minora, quàm se habeat veritas, enunciabit. Veritati quippe nihil addere poterit.

1 *Ecce quomodo qui ritè baptizati sunt non debent iterum baptizari.*

Responsio sancti Athanasij Episcopi Alexandrini num quis sine fide baptizari possit. Caput cacviii.

INterrogatus est aliquando prædictus sanctus Athanasius postquam Alexandriæ Episcopus constitutus fuit, an posset quispiam sine fide baptizari secundum ritum, & prædicationem Christianorum, aut si credere se simulans, aliquibus alijs occasionibus baptizatus fuisset, quid de illo sentiendum, aut quomodo suscipiat illum Deus. Et respondit dicens: Audiui aliquando à senioribus nostris quòd beato Petro Episcopo, & martyri, cùm facta esset mortalitas, & plerique ad baptisma mortis timore confugerent, apparuerit Angelus humana species dicens: Quandiu huc mittitis marsupia ista, signata quidem, inania autem prorsus, & vacua, & nihil intus habentia? Erunt itaque quantum ex Angeli voce conijcere licet, signum habentes baptismi, quoniam & beneficium aliquod existimarunt se consequi, si baptisma susciperent, atque idcircò baptizati sunt.

Relatio de sene quodã simplice, qui cùm sacramentum offerret, angelos videbat. Cap. cacix.

NArrauit quidam patrum quòd senex quidam mundus, & sanctus existens, cùm offerret [1] sacramentum, videbat Angelos sibi dextra, leuáq; assistentes. Porrò hic ab hæreticis consecrationis ritum perceperat, & veluti simplex, & rudis diuinorum dogmatum, quando offerebat, in simplicitate, & innocentia dicebat quæ non decebant secundum rectam fidem, ignorans, quod falleretur. Per diuinam igitur dispensationem perrexit ad eum Diaconus quidam peritissimus diuinorum dogmatum. Contigit autem sanctum senem, præsente illo, sacrificium offerre. Dixit autem ei Diaconus: Verba, quæ in offerendo dixisti, rectæ fidei non sunt, sed hæreticorum, & prauæ opinionis hominum. Senex autem confidens, quoniam videbat Angelos dum offerebat, non intendit his, quæ dicebantur à Diacono, sed contempsit. Diaconus autem persistebat dicens: Falleris, Abba. Non enim admittit fides Catholica ista, quæ dicis, neque mater Ecclesia. Cùm autem videret diaconi constantiam in se arguendo senex, atque in oblatione salutari sanctos Angelos, vt consueuerat, intueretur, ait eis: Diaconus iste mihi hæc, & ista dicit: Quomodo se habet veritas? Dicunt ei Angeli, Ausculta ei, nam vera loquitur, & rectè ista prosequitur. Dixit autem eis senex: Quare vos non dixistis mihi? Dixerunt autem illi Angeli: Deus ita disposuit, vt homines corrigantur.

bis, impigrè, & absque vlla disceptatione perficite. Tunc explicans sindonem cœpit eis dicere: Afferte capsulas. Quas cùm tulissent, aperiens eas cœpit educere lapides. Et cùm omnia explicuisset, & in omnium conspectum posuisset, sic dicere cœpit: Hæc vita est? Propter ista periclitor? & cum mari pugno? & post modicum morior? nihilque mecum ex isto sæculo fero? Dixit autem filiis suis: Proijcite in mare ista omnia. Mox itaque vt locutus est, tulerunt ea, & in mare proiecerunt. Porrò nautæ obstupuerunt, consilium suum dissipatum esse cognoscentes.

Quomodo mulier religiosa, & timēs Deum, monachum à turpi desiderio compescuerit. Cap. ccIII.

DIcebat aliquis patrum: Frater quidam à serpente morsus est, ingressúsque est ciuitatem, vt curaretur. Suscepit autem illum religiosa quædam mulier, & timens Dominum, & curabat eum. Cùm verò modicum cœpisset à doloribus deseri, cœpit illi diabolus immittere turpes cogitationes in eam, volebátque tangere ipsius manum. Quæ dixit ei: Non ita, pater, Christum time. Recole tristitiam, & pœnitentiæ dolorem, quem in cella tua passurus es. Memento gemituum, & lachrymarum, quas effusurus es. Hæc ille, & alia similia cùm ab ea audisset, fugit ab ipso pugna diaboli, iámque erubescens inde fugere volebat non valens præ pudore in ipsius faciem intendere. Illa rursus eum in visceribus Christi miserans dicebat ipsi: Noli discedere, pater, opus adhuc habes fomentis. Non erat puræ animæ tuæ illa cogitatio, sed perditi, corruptorísque diaboli suggestio. Atque ita sine scandalo curatum illum à se cum viatico dimisit.

De alia muliere prudēte, quæ se impetētem monachum sapienti cōsilio reiecit. Cap. ccv.

NArrauit nobis quidam, quòd aliquis manēs in cœnobio missus est pro responsis cœnobij. Erat autem quidam religiosus secularis in vico morans, apud quem ille diuertebat, quoties veniret in vicum. Habebat verò ille filiam nuper viduam relictam, quę vixerat cum viro suo vnum, aut duos annos. Cùm ergo frater ille ingrederetur, & egrederetur ad eos, impugnari de illa cœpit. Quæ, vt erat prudens, id cognouit, & obseruabat se, vt non veniret in conspectum eius. Quadam verò die intrauit pater eius proximam ciuitatem cuiusdam necessitatis causa, dimittens eam in domo solam. Veniēs autem frater ille secundum consuetudinem, solam eam reperit, & dixit ei: Vbi est pater tuus? Cui illa: Ingressus est ciuitatem. Cœpit ergo turbari ab impugnatione, volens insurgere in eam. Quæ cum omni prudentia dixit ad illum: Noli turbari. Pater meus vsque serò non reuertetur. Hic ambo sumus. Scio autem, quòd vos monachi sine oratione nihil facitis. Surge itaque, & ora Deum, & quicquid miserit in cor hoc faciamus. Ille verò non acquiescebat, sed perturbabatur magis. Quod illa vbi animaduertit, ait illi: Nunquid cognouisti vnquam mulierem? Dicit ei: Non. Sed scire volo, quidnam sit. Quæ ait illi: Idcircò turbaris, quia ignoras fœtorem infelicium mulierum. Et volens illi passionem imminuere, dixit: Nunc ego sum in menstruis, & nemo mihi appropinquare potest, neque odorari præ fœtore. His ille alijsq; plurimis ab ea auditis, compunctus, & in se ipsum rediens, lachrymatus est. Postquam verò vidit illum puella ad se ipsum redijsse, dixit ei: Ecce si te audissem, & obtēperassem tibi, iámq; peccatū perpetrauissemus, qua deinceps facie, quibus oculis aspicere potuisses patrem meū? vel reuerti ad monasterium tuum, & audire psallentium sanctorum chorum? Deprecor itaq; vt sobrius, ac vigilans sis, nec velis iam propter breuem voluptatem perdere tot labores, quot pertulisti, [a]æternísque priuari bonis. Audiens autem hæc ipsius verba frater ille, qui passus fuerat tentationem, quíque ista retulit, gratias agens Deo, qui illum per mulieris prudentiam, & pudicitiam, ne funditus periret, eripuerat, reuersus est ad monasterium, & peccati sui pœnitentiam egit.

s *Vide quantum sit peccatum Monachum fornicationem incurrere.*

Qua arte mulier quędā illustris mansuetudinem edocta sit. Cap. ccvI.

NArrauit quidam ex patribus, quod mulier illustris, & ex senatorio genere, venerit adorare sancta loca. Cúmq; descendisset Cæsaream, placuit sibi illic requiescere, rogauitque Episcopum dicens: Da mihi vnam virginem, vt informet me, & doceat timorem Dei. Eligens autem Episcopus virginem humilem, tradidit ei. Post aliquantulum verò tēporis occurrens illi Episcopus ait. Quomodo se gerit Virgo, quam assignaui tibi? Quæ ait: Bona quidem est, sed non valde prodest animæ meæ, permittit enim me voluntates meas facere, cùm sit humilis. Sumens autem Episcopus vnam duriorem dedit ei, quæ illam obiurgabat, appellans eam fatuam diuitem, & his similia illi exprobrans. Post tempus aliquod rursum illam rogauit Episcopus: Quomodo se habet altera virgo? Quæ dixit: Reuera ipsa prodest animæ meæ. Atque ita magnam acquisiuit mansuetudinem.

Vita puellæ Alexandrinæ, quæ à sanctis angelis de sacro fonte sit lauata. Cap. ccvII.

NArrauit nobis Abbas Theonas, & Theodorus, quòd Alexandriæ sub Paulo Patriarcha puella quędam relicta fuerat pupilla à parentibus magna facultate locupletibus. Erat autem adhuc sine baptismo. Die verò quadam ingressa pomarium, quod sibi reliquerant parentes eius (sunt enim in medio ciuitatis pomaria) vidit quendam parantem sibi laqueum, vt se præfocaret. Cucurrit igitur, & dixit ei: Quid facis, homo? Dixit autem ei: Dimitte me, mulier, quoniam in multa tribulatione sum. Quæ ait illi: Dic mihi causam, & fortassis iuuare te potero. Dixit illi: Graui ære alieno premor, & valde suffocor à creditoribus, elegique potius vitam semel finire, quàm quotidie mori. Quæ dixit illi: Quæso te, accipe omnia, quæ habeo, & redde: tantùm ne perdas te ipsum. Sumens verò ille reddidit omnia. Puella ergo angustari cœpit, non habens, qui sibi curam gereret. Itaque destituta parentum solatio, fornicari instituit, & inde sibi victum quærere. Dicebant ergo viri illi sancti: Quis nouit ista, nisi solus Deus? quomodo scilicet permittatur anima propter causam aliquam ipsi soli cognitam, ad tempus derelinqui? Post aliquantulum temporis infirmata est puella, & in se reuersa compuncta est, orauítque Pontificem, vt faceret illam Christianam. Omnes autem aspernabantur eam dicentes: Quis hanc suscipiat, quæ meretrix est? Affligebatur autem vehementer. Cùm verò in his esset angustijs, astitit illi Angelus in specie hominis, cum quo misericordiam fecerat. Cui illa dixit: Cupio fieri Christiana, & nemo vult pro me loqui. Qui ait: Nunquid re vera istud cupis? Respondit illa: Vtique Domine, & deprecor te vt hoc mihi imperres. Qui ait: Noli tristari. Ego adducam aliquos, qui te accipient. Adduxit ergo alios duos & ipsos sanctos Angelos, duxerúntque illam in Ecclesiam.

Rursúmq; se ipsos transformantes in personas quasdam illustres, & notas ex ordine Augustalium, vocant clericos, Presbyterum scilicet, & Diaconum, qui in hoc ipsum constituti erant.

Dicunt eis clerici: Vestra charitas pro ea pollicetur. Illi autem responderunt: Etiam nos pro illa pollicemur. Sumentes ergo illam baptizauerunt: & albis induta rursus ab eis subuecta est. Quam cùm deposuissent, euanuerunt. Vicini ergo cùm illam ita albis [a] indutam viderent, postquam recesserunt illi, dicunt ei: Quis te baptizauit? Nunciauit autem eis rem totam, dicens: Venerunt quidam, & tulerunt me in Ecclesiam, locutique sunt clericis, & baptizauerunt me. Et dixerunt ad eam: Qui sunt illi? Cùm verò non posset dicere, qui essent illi, abeuntes nunciauerunt Episcopo. Dixit autem Episcopus his, qui ad baptizandum constituti erant: Vos illam baptizastis? Et confessi sunt se illam baptizasse exoratos ab illo, & illo Augustalibus. Porrò accersitis ex Prætorio his, quos clerici dixerant, dixit Episcopus: Num ipsi pro ista fideiussistis? Qui dixerūt: Neq; nouimus, neq; conscij sumus nobis hoc fecisse. Tunc verò iā cognouit Episcopus, Dei hoc opus esse. Conuocansq; illā dixit ei: Dic mihi, filia, quid gessisti boni? Quæ ait, Meretrix existens, & paupercula, quid boni operari potui? Dixit illi Episcopus: Nihilne omnino operata es? Dixit ei: Non, nisi quòd videns quendam, qui à creditoribus premebatur, se suffo-

care volentem, data illi omni substantia mea liberaui eum. Et his dictis, continuò obdormiuit in Domino. Tunc Episcopus glorificans Dominum dixit: Iustus es domine, & rectum iudicium tuum.

Pulchra responsio, senis facta fratri, qui à tristitia impugnabatur. CAP. CCVIII.

FRater, qui à tristitia impugnabatur, interrogauit senem dicens: Quid faciam, quia cogitationes meæ insurgunt aduersum me dicentes: Inutiliter & importunè renunciasti, saluari non potes? Dixit ad eum senior: Scis, frater, quia & si non possumus terram repromissionis ingredi, expedit nobis, vt cadamus in deserto, quàm vt reuertamur in Ægyptum.

Pulchra admonitio cuiusdam sancti viri super verbis orationis Dominicæ, & ne nos inducas in tentationem. CAP. CCIX.

DIxit quidam sanctorum: Cùm oramus ad Dominum dicentes: Ne nos inducas in tentationem: nõ vt non tentemur oramus, hoc enim possibile non est, sed ne à tentatione absorbeamur, si aliquid agamus, quod displiceat Christo: hoc enim est non intrare in tentationem. Sancti enim martyres tentati per supplicia, nec superati, non intrarunt in tentationem: sicuti neque qui pugnat cum bestia, quousque non deuoratur ab ea: Cùm verò deuoratus fuerit, tunc introiuit in tentationem. Ita & in omni passione fit. Neque enim intramus in tentationem, nisi à passione superemur.

Quomodo Sictus Episcopus altercantem secum alterum humilitate superauerit. CAP. CCX.

QVidam ex patribus narrauit de duobus vicinis Episcopis, quòd aliquando inter eos simultas quædam exorta sit. Erat autem ex his alter quidem diues, & astutus, alter verò humilis valdè. Quærebátque astutus illé alium lædere. Quod cùm ipse comperisset, ait clero suo: Christi gratia vincere possumus. Dixerúntque illi. Quis, Domine, aduersus istum præualere possit? Et ait illis: Expectate paulisper, & videbitis misericordiam Dei. Obseruauit igitur diem, qua ille martyrum [1] festiuitatem celebraret, assuménsque clerum suum ait illis: Sequimini me, & quicquid me facere videritis, & vos facite prorsúsque victores erimus.

Dicebant ergo: Quid putas facturus est? Venit igitur ad episcopum, & pertranseunte Litania, populoque totius ciuitatis congregato, procidit ad pedes eius cum toto clero suo dicens: Ignosce nobis, domine, serui tui sumus. Stupefactus ille, atque compunctus in tanta episcopi humilitate, Deo cor illius immutante, pedes illius tenuit dicens: Tu meus & Dominus, & pater es. Factáque est inter eos ex illa die magna charitas, atque concordia. Dicebat autem clero suo humilis ille: Nunquid non per Christi gratiam vicimus? Et vos ergo cùm habêtis inimicum, ita facite, & victores eritis.

Dixit iterum senex: Maiorem habet gloriam humilis, quàm Rex. Ille enim solum in faciem laudatur, hic autem semper, & vbique laudatur, & beatus prædicatur.

1 *Etiam olim festa sanctorum martyrum celebrabantur.*

De Sene magnæ virtutis, qui fratrem sua illi suffuratum à carcere liberauit. CAP. CCXI.

NArrauit nobis Abbas quidam, dicens: Erat prope cœnobium nostrum senex quidam lenissimi animi, maximæque virtutis. Habebat autem in vicino cellæ suæ fratrem, qui per instigationem diaboli die quadam, dum abesset senex, ingressus est cellam eius, librósque illius, & vasa diripuit. Cùm ergo redüsset senex, & aperto ostio, vidisset vasa, omnémque supellectilem sublatam esse, perrexit ad fratrem, vt nunciaret ei, quid sibi contigisset, inuenítque vasa adhuc in medio posita: nondum enim frater ea reposuerat. Nolens autem senior confundere, vel arguere fratrem, simulata necessitate, continuò ad necessaria naturæ egressus est, ibique permansit per multam horam, donec frater ille vasa de medio tolleret, atque reponeret. Veniens autem postmodum senex, de alia re illum alloqui cœpit, neque ipsum omnino arguit. Post paucos autem dies deprehensum est à quibusdam fratris furtum, missúsque est in carcerem senè nihil penitus sciente. comperto autem, quòd in carcerem frater ille coniectus esset, ignorans causam senior, venit ad monasterium nostrum, ad quod accedere sæpè consueuerat, dixítque mihi: Fac charitatem, & da mihi aliqua esculenta. Et aio ad illum: Num aliquem habes hospitem? Dixit autem mihi: Habeo sanè. Accepit autem ea senior, vt iret ad fratrem in carcerem, & consolaretur, ac reficeret eum. Vt autem ingressus est carcerem, procidit frater ille ad pedes eius, dicens: Propter te hîc detineor, Abba. Ego enim sum, quia tua omnia furatus fui. Sed ecce liber tuus apud illum est, & pallium tuum, & cætera illo, & illo in loco sunt. Dixit ei senior: Certus esto, fili, idque firmiter tene, quia non idcircò ad te veni. Neque enim sciebam penitus quod propter me hîc esses. Immò comperto, quòd hîc deonerêris inclusus, indolui, ingressúsque sum consolandi tui causa. Nam ecce quæ attuli pro refectione tua. Faciam autem omnia, vt te de carcere liberem. Profectúsque rogauit pro eo quosdam de principibus. Quibus cùm nota esset viri virtus, mittentes eduxerunt fratrem illum de custodia.

De duobus senibus, qui mira patientia erga latrones vsi sunt. CAP. CCXII.

DIcebat quidam senum: Accessit ad nos senex magnæ virtutis. Legentibúsque nobis patrum vitas, atque sententias (Delectabatur enim senex ille ea potissimùm lectione, ita vt esset illi semper in ore & in corde: vnde & ex ea maximum virtutis fructum acquisiuit) ad eum senem legendo ventum est, ad quem ingressi latrones dixerunt: Omnia quæ habes in cella tua, tollere venimus. Ipso verò dicente: Quæcunque videntur vobis, filij, tollite: tulerunt omnia, & abierunt. Et cùm solum marsupium, quod pendebat, reliquissent, senex, illo accepto, post eos sequebatur clamans, ac dicens: Accipite, filij, à me, quod tollere obliti estis de cella nostra. Quamobrem admirantes illi senis tolerantiam, omnia suis locis in cellulam reuersi restituerunt, dicentes adinuicem: Verè hic homo Dei est. Cùm igitur hoc legeremus, ait ad me senex: Hoc exemplum mihi multum profuit, Abba. Ad quem ego: Quomodo pater? Et ait mihi: Cùm aliquando morarer prope loca Iordanis legi hoc, & mirabar hunc senem, & dicebam: Domine Deus, qui me ad hunc habitum vocare dignatus es, fac me dignum huius vestigia sequi. Et cùm arderem summo affectu imitandi eum, post biduum superuenerunt latrones, & pulsantibus illis ianuam, agnoui, quia latrones essent, dixíque in meipso, Deo gratias tempus est, vt ostendam fructum desiderij mei. Aperiens autem ianuam hilariter suscepi eos, & accendi lucernam, & cœpi eis omnia ostendere, dicens ad eos: Nolite turbari. Confido in Domino, quia nihil cœlabo vos. Aiunt autem mihi: Habes aurum? Et dixi eis: Etiam habeo tria numismata, posuique illa coram eis. Qui accipientes ea abierunt in pace. His ego auditis, iocans dixi seni: Nunquid isti ad te reuersi sunt, quemadmodum illi ad senem? Qui statim dixit mihi: Non. Auertat hoc Deus. Neque enim voluissem ego, vt reuerterent.

Cur signa & prodigia diuinitus in sancta Ecclesia fiunt. CAP. CCXIII.

DIcebat senex quidam: Signa, & prodigia diuinitus vsque hodie in Ecclesia fiunt propter eas, quæ pullularunt, & quotidie pullulant, impias [1] hæreses, & maximè propter Acephali Seueri, & cæterorum perniciosa schismata, ad munimen, ac firmitatem infirmarum animarum, atque ad illorum ipsorum, si ita voluerint, conuersionem. Propterea igitur & à [2] sanctis patribus, & à beatissimis martyribus ab initio fidei vsque hodie fiunt mirabilia in sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia.

1 *Propter hæreses fiunt miracula in Dei Ecclesia.*
2 *Nota sanctos patres, & martyres facere miracula.*

Miraculum Fontis baptismalis in Cœanensium ciuitate. CAP. CCXIIII.

SOsuba vicus quidam est ad radices montis, in quo sita est Cœanensium ciuitas, in eo baptisterium est, quod in sanctis Epiphaniis sudat, qui sudor per tres horas continuis incrementis augetur, & post baptisma peractum decrescere incipit, & tribus alijs horis sensim deficit.

Aliud miraculum Baptisterij Castelli Cedebratis. CAP. CCXV.

EST & in castello Cedebratis, quod sub mõte Ænoandron ciuitatis situm est, baptisterium, quod in [1] paschali sanctæ resurrectionis festiuitate, cùm sit lapis

vnus,ex se ipso continuò impletur. Durátque aqua illa vsque ad Pentecosten, móaque transacta Pentecoste euanescit. Vtraque verò ista miracula in prouincia Lyciæ fiunt. Si quis autem hæc ita esse non credit,vsque ad Lyciam, non grande iter est, pergat, vt rei veritas fidem illi faciat.

1 In paschali sanctæ resurrectionis festiuitate.

Prudens consilium; de non temerè diffiniendo déque non seruando quæ temerè diffinita fuerint. Cap. ccxvi.

CVm essem semel in sancta ciuitate, venit ad me vir quidam fidelis, & dixit mihi: Quia quædam indignatio oborta est inter me,& fratrem meum;& ille non vult reconciliari mihi,alloquere illum, & ad reconciliationem exhortare. Quod ego libentissimè suscipiens, conueni fratrem illius, locutúsque cum illo sum ea,quæ ad charitatem,& concordiam pertinere videbantur. Visúsque est interim obtemperare mihi. Postmodum verò dixit ad me: Reconciliari nequeo, quia iuraui per Crucem vltra illi non reconciliari. Quo audito, subridens aio ad illum: Iuramentum tuum talem habet vim, ac si dixisses:Per pretiosam Crucem tuam, Christe,non obseruabo mandata tua, sed inimici tui diaboli voluntatem faciam.Non solùm enim non debemus ea seruare,quæ à nobis pessimè diffinita fuerint, sed etiam maximè pœnitentiam agere, & affligi in his, quæ contra nostram salutem malè diffinimus. Nam si Herodes pœnitentiam egisset, neque iusiurandum, quod stultè emiserat, seruasset, nunquam profectò maximum illud scelus admisisset,vt præcursorem Christi decollaret. Quod quidem ipsius Basilij sententia confirmatur, quam de Euangelio sumpsit, quando voluit Dominus lauare pedes beati Apostoli Petri, cùm ille primò pertinaciter obsistens,postea sententiam mutauit.

Optimum Senis consiliũ, ne Monachus mulieri appropinquet. Cap. ccxvii.

DIxit senior quidam: Filioli sal ex aqua est, & si appropinquauerit aquæ, continuò soluitur, & deficit. Et monachus similiter ex muliere est. Itaque si appropinquat mulieri, soluitur & ipse, atque in id desinit,vt iam monachus non sit.

1 Notant modernos hæreticos, qui à lateribus fœminarum nunquam discedere volunt.

Quomodo Abbas Sergius iniuriantem Agricolam patientia confuderit. Cap. ccxviii.

NArrauit nobis Abbas Sergius dux monasterij Abbatis Constantini, dicens: Cùm aliquando iter ageremus cum quodam sancto sene,errauimus de via,& neque scientibus nobis, neque volentibus,inter sata inuenti sumus,& aliqua de satis volentes nolentésque calcauimus. Quod cùm vidisset Agricola (erat enim hic operans) cœpit contra nos iniuriosa multa proferre cum iracundia,dicens: Vos monachi estis? Vos timetis Deum? Si timorem Dei ante oculos habuissetis, hoc profectò non fecissetis. Tunc ait nobis sanctus senior: Per Dominum nullus ei respondeat. Conuersúsque ad illum dixit: Rectè locutus es, fili mi. Nam si timorem Dei haberemus,non ita fecissemus. Ille rursus furens, contumeliis impetebat nos. Rursúmque dixit senior ad illum. Vera prosequeris, fili, nam si veri Monachi essemus, istud non egissemus. Sed per Dominum indulge nobis, quoniam peccauimus. Stupefactus ergo ille ad tantam senis humilitatem,accessit propiùs,prostrauitque se ad pedes senis dicens:Peccaui,indulge mihi, & per Dominum assumite me vobiscum.Dicebátque beatus Sergius, quia secutus sit illos rusticus & 1 acceperit habitum,

1 Vides quòd monachus factus accepit habitum.

Quomodo frater quidam humilitate Diacono de se conquerenti reconciliatus sit. Cap. ccxix.

NArrauit nobis senior quidam de se dicens. Cùm aliquando morarer ad breue tempus in monasterio Abbatis Gerasimi, habebam quendam mihi maximè dilectum fratrem in contubernio.

Die verò quadam sedentibus nobis,& de vtilitate animæ loquentibus, mentionem feci ego de sermone quodam Abbatis Pemenis. Qui ait ad me:Ego experimento didici verborum istorum vim, & tranquillitatem, ac vehementem efficaciam illorum.Habui enim semel Diaconum quendam monasterij mihi charissimum, atque amantissimum mei. Huic,nescio vnde,venit suspicio de me cuiusdam rei sibi inferentis mœrorem,cœpítq; contristari,& me non,vt solebat, gratè intueri. Videns autem ego illum tristem,causam ab eo tristitiæ percontari cœpi. Qui dixit mihi: Quia rem istam fecisti:Ego cùm nihil mihi omnino ipsius rei conscius essem, cœpi illi satisfacere, ac dicere nullam ipsius rei me habere conscientiam. Et ait mihi: Ignosce,frater,mihi satisfactum non est. Profectus itaque ab illo in cellulam meam, cœpi examinare cor meum, an tale aliquid à me fuisset admissum, neque inueniebam. Cùm ergo ille teneret sanctum calicem in manibus, fratribúsque distribueret, accessi ad eum,& iuraui per ipsum calicem nihil me omninò tale gessisse. Nec sic quidem illi satisfactum est. Rursus verò in me ipsum rediens, verbáque ista sanctorum patrum memoria repetens,eísq; credens,verti paulisper cogitationem meam, & dixi in me ipso: Diaconus iste intentissimè diligit me,& charitate motus hoc dixit mihi, quod erat in corde suo de me, vt sobrius,ac vigilans sim, & de cætero custodiam me ipsum, & istud vltra non faciam. Sed tu,infelix anima,dum dicis: Non feci hanc rem: innumera mala gessisti, & latent. Vbi sunt, quæ fecisti heri, vel nudius tertius, vel ante decem dies? Recole ea si potes. Et hoc itaque fecisti,sicut & illa, & latet te similiter,vt illa. Sic itaque animo affectus,quasi reuera id fecissem, sed inter cætera oblitus essem, cœpi gratias referre Deo, & Diacono, quoniam per ipsum Dominus dignum me fecisset recognoscere peccatum meum, & pœnitentiam de ipso agere. Surgens igitur perrexi ad Diaconum, vt pœnitentiam agerem, & illi referrem gratias. Vt ergo pulsaui ipsius ianuam, continuò aperiens, primus se mihi prostrauit dicens: Ignosce mihi: nam à dæmonio mihi suggestum est, vt rem illam falsò de te suspicarer. In veritate enim Deus me certum reddidit innocentiæ tuæ. Neque omnino permisit, vt illi satisfacerem dicens mihi: Non est necesse. Ego igitur maximè ædificatus glorificaui Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, incommutabilem, atque indiuiduam Trinitatem: Cui est honor, & imperium, & magnificentia, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

B. VICTORIS EPISCOPI VTICENSIS, LIB. III.

DE VANDALICA SVPERSTITIONE IN AFRICA,

LIBER PRIMVS.

Sanctitatis laude insignis victor inter reliquos sanctos adscriptus, habetur in Romano Martyrologio 25. Augusti. praeclaras eius virtutes, pietatem, eruditionem, religionis zelum, ad viuum expressas hoc eius opere cernere licet. Initio operis scripsisse se ait anno sexagesimo, ex quo Vvandali ex Hispania in Africam traiecerunt. Ponitur hic annus à S. Prospero in Chronico, Theodosio duodecimum & Valentiniano secundum Consulib. hoc est, anno Domini secundum exactiores fastos 426. vel vt alij malunt, sub Consulatu Hierij & Ardurij, nempe Domini 427. sicque scripsit S. Victor anno Domini 487. sub Zenone Imperatore, & Genserico, & Hunerico Vvandalicis Regibus.

Angustiæ maris inter Hispaniam, & Africam.

SEXAGESIMVS nunc vt clarum est, agitur annus, ex quo populus ille crudelis ac sæuus Vandalicæ gentis, Africæ miserabilis attigit fines, trãsuadens facili transitu per angustias maris, quã inter Hispaniam, Africámque æquor hoc magnum & spaciosum bissenis millibus, angusto se limite coartauit. Transiens igitur quantitas vniuersa, calliditate Genserici ducis, vt famam terribilem suæ faceret gentis, illicò statuit omnem multitudinem numerari vsque ad illam diem, quam huic luci vterus profuderat ventris. Qui reperti sunt senes, iuuenes, paruuli, serui vel domini octuaginta millia numerati. Quæ opinio diuulgata vsque in hodiernum, à nescientibus, armatorum tantus numerus æstimatur, cùm sit nunc exiguus & infirmus. Inuenientes igitur pacatam quietámque Prouinciam, speciositatem totius terræ florentis quaqua versum, impietatis agminibus impendebant, deuastando depopulabantur, incendio atque homicidiis totum exterminantes. sed nec arbustis fructiferis omnino parcebant, ne forte quos antra montium aut prærupta terrarum, vel seclusa quæque occultauerant, post eorum transitum illis pabulis nutrirentur: & sic eadem atque iterum tali crudelitate furentibus, ab eorum contagione nullus remansit locus immunis. Præsertim in Ecclesiis Basilicisque & cœmiteriis & monasteriis sceleratiùs sæuiebant, & cum maioribus incendiis domus orationis magis quàm vrbes cunctáque oppida concremarent: vbi fortè venerabilis aulæ clausas repererunt portas, certatim ictibus dextralium, aditum reserabant, vt rectè tunc diceretur: Quasi in sylua lignorum, securibus conscidere ianuas eius in idipsum, in securi & ascia deiecerunt ea, incenderunt igni sanctuarium tuum, & in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. Quanti tunc ab eis præclari Pontifices & nobiles Sacerdotes diuersis pœnarum generibus extincti sunt, vt traderent si quid auri vel argenti proprium vel Ecclesiasticum haberent? Et dum hæc quæ erant, vrgentibus pœnis faciliùs proderentur, iterum crudelibus tormentis oblatores vrgebant autumantes quandam partem nõ totum esse oblatum, & quantò plus dabant, tantò amplius quempiam habere credebant. Aliis palorum vectibus ora reserantes, fœtidum ob confessionem pecuniæ faucibus ingerebant. Nonnullos in frontibus & tibiis, neruis reuningentibus torquendo cruciabant. Plerisque aquam marinam, aliis acetum, amurcam, liquaménque, & alia multa atque crudelia tanquam vtribus imbutis ori imposita, sine misericordia porrigebant. Nam infirmior sexus, non consideratio nobilitatis, non reuerentia Sacerdotalis, crudeles animos mitigabat: quinimmo ibi exaggerabatur ira furoris, vbi honorem conspexerant. Quantis Sacerdotibus, quantísque illustribus onera ingentia vt camelis vel aliis generibus iumentorum imposuerint, neq; enarrare, quos stimulis ferreis ad ambulandum vrgebant, quorum nonnulli sub fascibus miserabiliter animas emisere. Senilis maturitas atq; venerãda canities, quæ cæsariem capitis vt lanam candidam dealbaret, nullam sibi ab hospitibus misericordiam vindicabat. Sed etiam paruulos ab vberibus rapiens maternis Barbarus furor, insontem infantiam elidebat ad terram. Alij paruulum pedibus tenentes, à meatu prorsus naturali vsque ad arcem capitis dissipabant, quando tunc fortè Sion captiua cantabat: Dixit inimicus incendere fines meos, interficere infantes meos, & paruulos meos elisurum ad terram. In ędificiis nonnullis magnarum ædium vel domorum vbi ministerium ignis minus valuerat, tectis admodum despicatis, pulchritudinem parietum solo æquabant, vt nũc antiqua illa speciositas Ciuitatum, nec quia fuerit prorsus appareat; sed & vrbes quàm plurimæ, aut raris aut nullis habitatoribus incolũtur. Nam & hodie si qua supersunt, subinde desolantur, sicut ibi Carthagineo dignam theatro ædem Memoriæ, & viam quam Cœlestis vocitabant, funditus deleuerunt. Et vt de necessariis loquar, Basilicam maiorem vbi corpora Sanctarum Martyrum Perpetuę atque Felicitatis sepulta sunt, Celerinæ vel Scillitanorum & alias quas non destruxerunt suæ religioni, licentia tyrannica mancipauerunt. Vbi verò munitiones aliquæ videbantur, quas hostilitas Barbarici furore oppugnare nequiret, cõgregatis in circuitu castrorũ innumerabilibus turbis, gladiis feralibus cruciabant, vt putrefactis cadaueribus quos adire non poterant arcente murorũ defensione, corporum liquescentium enecarent fœtore. Quanti & quàm numerosi tunc ab eis cruciati sunt Sacerdotes explicare quis poterit? Tunc etenim nostræ Ciuitatis venerabilis Papinianus antistes, candentis ferri laminis, toto adustus est corpore. Similiter & Mansuetus Vricitanus, in porta incensus est Fornitana. Qua tempestate Hippone regiorum obsessa est Ciuitas, quam omni laude dignus beatus Augustinus librorum multorum confector, Pontifex gubernabat. Tunc illud eloquentiæ quod vbertim per omnes campos Ecclesiæ decurrebat, ipso metu siccatum est flumen, atque dulcedo suauitatis dulciùs propinata, in amaritudinem absinthij versa est, vt Dauidicum præconium conueniret: Dum consisteret peccator aduersum me, obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis, vsque ad illud tempus CC. iam XXX. & duos confecerat libros, exceptis innumerabilibus Epistolis, vel expositione totius Psalterij & Euangeliorum atq; tractatibus popularibus, quas Græci Omelias vocant, quorũ numerum comprehendere satis impossibile est. Quid multa? Post has truces impietates insanię, ipsam vrbẽ maximam Carthaginem Gensericus tenuit & intrauit, & antiquam illam ingenuam ac nobilem libertatem in seruitutem redegit. Nam & senatorum vrbis non paruam multitudinem captiuauit. Deinde proponit decretũ vt vnusquisq; auri, argenti, gemmarum, vestimentorúmq; pretiosorũ quodcunq; haberet, offerret, & ita in breui, auitas atque paternas opes tali industria abstulit rapax. Disponens quoq; singulas quasq; Prouincias: sibi Bizacenam, Abaritanam atque Getuliam & partem Numidiæ reseruauit: exercitui verò Zeugitanam vel proconsulatem funiculo hæreditatis diuisit, Valentiniano adhuc Imperatore, reliquas licet iam exterminatas Prouincias defendente. Post cuius mortem, totius Africæ ambitum obti-

Vandalorum in Africam aduentus, & numerus.

Arrianorũ sæuities in Catholicorum Cœmiteria, & Monasteria.

Psal. 73.

Reuerentia Sacerdotalis.

D. Augustini laus.

Psalm. 38.

A B C D

nuit, necnon & insulas maximas, Sardiniam, Siciliam, Corsicam, Ebusum, Maioricam, Minoricam, vel alias multas, superbia sibi consueta defendit. Quarum vnam illarum, id est, Siciliam Odoacro Italiæ Regi postmodum tributario iure concessit, ex qua eis Odoacer singulis quibusque temporibus, vt dominis tributa dependit, aliquam sibi tamen reseruantibus partem. Præterea præcipere nequaquam cunctatus est Vandalis, vt Episcopos atque laicos nobiles de suis Ecclesiis & sedibus nudos penitus effugarent. Quòd si optione proposita exire tardarent, serui perpetui remanerent. Quod etiam in plurimis factum est, multos enim Episcopos & laicos claros atque honoratos viros, seruos esse nouimus Vandalorum. Tunc verò memoratæ vrbis Episcopum, id est, Carthaginis, Deo & hominibus manifestum, nomine, Quod vult Deus, & maximam turbam Clericorum nauibus fractis impositam, nudos atque expoliatos expelli B præcepit. Quos dominus miseratione bonitatis suæ prospera nauigatione Neapolim Campaniæ perducere dignatus est ciuitatem. Senatorum atque honoratorum multitudinem, primo exilio crudeli contriuit, postea transmarina in parte proiecit. Pulso namque Episcopo vt præfati sumus, cum clero venerabili, ilicò Ecclesiam nomine restitutam, in qua semper Episcopi commanebant, suæ religioni mancipauit, atque vniuersas quæ intra muros fuerant ciuitatis, cum suis diuitiis abstulit. Sed etiam quæ foras muros erant, quascunque voluit occupauit, & præcipuè duas egregias & amplas sancti Martyris Cypriani, vnam vbi sanguinem fudit, aliam vbi eius sepultum est corpus, qui locus Mappalia vocitatur. Quis verò sustineat atque possit sine lacrymis recordari, C dum præciperet nostrorum corpora defunctorum, sine solennitate hymnorum cum silentio ad sepulturam perduci. Addidit adhuc, vt & pars clericorum quæ remanserat, pœnali exilio truderetur. Et dum ista geruntur, qui supererant magni Sacerdotes atque insignes viri memoratarum Prouinciarum quas diuiserat Vandalis, cogitauerunt supplicandi gratia regem adire. Qui dum, vt moris est, ad Massilianum littus exisset, quod Ligula vulgi consuetudine vocitatur, miserunt iam Ecclesiis & rebus occurrere nisi sunt supplicantes, vt ad consolandum populum Dei saltem habitandi facultas, Vandalis iam dominantibus, concederetur. Quibus ille per internuntium rabido respondisse ore probatur. Decreui ego de D nomine & genere vestro nullum dimittere, & vos audetis talia postulare? Quos etiam vicino mari voluit eadem hora demergere, nisi à suis diù ne hoc faceret rogaretur. Recedentes illi tristitia & mœrore confecti, cœperunt qualiter poterant & vbi poterant, ablatis Ecclesiis diuina mysteria celebrare. Subinde autem crescente opibus regni, maior cœpit & superbia propagari. Referam factum, quod ipso gestum est tempore: Fuit Comes quidam Sebastianus, famosi illius gener Comitis Bonifacij, acer consilio, & strenuus in bello. Cuius Gisericus, sicut consilia necessaria habebat, ita & præsentiam formidabat. Cupiens autem illum extinguere, occasionem mortis de religione quæsiuit. Cogitauit Rex vt præsentibus Episcopis atque domesticis suis, Sebastianum taliter conueniret: Sebastiane, inquit, scio quia fideliter E nobis adhæsisse iurasti, cuius veritatem Sacramenti, labores tui vigilantiáque demonstrant. Sed vt nobis connexa semper ingisque maneat amicitia tua, hoc placuit præsentibus Sacerdotibus nostris, vt eius efficiaris cultor religionis, quam & nos & noster populus veneratur. Cui Sebastianus rem inueniens miram multisque necessariam, pro tempore acutè respondit? Quæso Domine Rex, vt nunc vnus panis mundissimus ac similaceus adferatur. Quem, cùm ignorasset Gisericus Sebastiani victoriam, ilicò iussit adferri. Apprehendens itaque Sebastianus mundissimum panem, ita effatus est. Hic enim panis vt ad tantum decorem splendoris venisset, & mensæ Regiæ necessarius haberetur, discussa spuria surfuris ex massa similaginis conspersus per aquam

Clerus venerabilis.

Ecclesiæ s. S. Cypriani.

Clerici.

Sebastiani Comitis elegans responsum contra Apostatas.

A transiuit & ignem, idcircò & aspectu clarus & esu suauis habetur. Ita & ego mola Catholicæ matris commolitus, & cribro examinationis vt simila munda purgatus, rigatus sum aqua baptismatis, & igne sancti Spiritûs coctus. Et vt hic panis de furno, ita & ego per officia Sacramentorum diuinorum, artifice Deo de fonte mundus ascendi. Sed fiat si velis, vt ipse propono. Iste panis confringatur in frusta, madidetur aqua, & iterum conspergatur, mittatur in furnum: si melior exierit faciam quæ hortaris. Quam propositionem Gisericus cum omnibus qui aderant cùm audisset, ita ligatus est, vt se soluere omnino non posset. Quem alio generis argumento, postea bellicosum virum occidit. Et vt ad id redeamus vnde digressi sumus, tetris præceptis feralibus, vt in medio Vvandalorum nostri nullatenus respi- B rarent, neque vsquam orandi aut immolandi concederetur gementibus locus, vt manifestè tunc Prophetiæ vaticinium compleretur: Non est in hoc tempore Princeps aut Propheta vel dux, neque locus ad sacrificādum nomini tuo. Nam & diuersæ calumniæ non deerant quotidie etiam illis Sacerdotibus qui in his regionibus versabantur, quæ regiones Palatio tributa pendebant: & si forsitan quispiam, vt moris est, dum Dei populum admoneret, Pharaonem, Nabuchodonosor, Holofernem, aut aliquem similem nominasset, obiiciebatur, illi quòd in personam Regis ista dixisset, & statim exilio trudebatur, hoc enim persecutionis genus agebatur hic apertè, alibi occultè, vt piorum nomen talibus insidiis interiret. Qua de re plurimos Sacerdotum tunc nouimus relegatos, sicut Vrbanum Girbansem, Crescentem C metropolitanum Aquitaniæ ciuitatis qui cxx. Episcopis, Habet Deum Teudalensem, Eustratium Sufetanum, & Tripolitanos duos, Vicessabratenum, & Cresconium Ensem, & Adrumetinæ ciuitatis Felicem Episcopum, ob hoc quòd suscepisset quendam Ioānem Monachum transmarinum, sed & alios multos quos longum est enarrare. Quibus tamen in exilio positis dum obitus aduenisset, non licebat alios eorum ciuitatibus ordinari. Inter hæc tamen Dei populus in fide consistens, vt examen apud cæreas ædificans mansiones, crescendo melleis fidei calculis firmabatur, vt impleretur illa sententia, quantò eos affligebant, tantò magis multiplicabantur, & inualescebant nimis. Post hæc factum est supplicante Valentiniano Augusto, Carthaginensi Ecclesiæ post D longum silentium desolationis, Episcopum ordinari, nomine Deo gratias. Cuius si nitatur quisquam quæ per illum Dominus fecerit paulatim excutere, antè incipiet verba deficere, quàm ille aliquid valeat explicare. Illo igitur Episcopo constituto factum est peccatis vrgentibus, vt vrbem illam quondam nobilissimam atque famosā XV. regni sui anno Gisericus caperet Romā. Et simul exinde regum multorū diuitias cum populis captiuauit. Quæ dum multitudo captiuitatis Africanū attingeret littus, diuidentibus Vvandalis & Mauris ingentem populi quantitatem, vt moris est Barbaris mariti ab vxoribus, liberi à parentibus, separabantur. Statim satagit vir Deo plenus & carus vniuersa vasa ministerij aurea vel argentea distrahere, & libertatem de seruitute Bar- E barica liberare, & vt coniugalia fœderata manerent, & pignora genitoribus redderentur. Et quia loca nulla sufficiebant ad capessendam multitudinem tantam Basilicas duas nominatas & amplas, Fausti & Nouarum eorum lectulis atque straminibus deputauit, decernens per singulos dies quantum quis pro merito acciperet. Et quia plerosque insuetudo nauigij & crudelitas captiuitatis afflixerat, non paruus inter eos numerus fuerat ægrotorum, quos beatus antistes vt nutrix pia per momenta singula cum medicis circuibat, sequentibus cibis, vt inspecta vena, quid cui opus esset illo præsente daretur. Sed nec nocturnis horis ab hoc opere misericordiæ feriebatur, sed pergebat excurrens per singulos lectos, sciscitans qualiter quisque haberet: ita se tradiderat omninò labori, vt nec defessis membris nec cariosæ iam se-

Catholicorum prædicatorū seruitus sub Arrianis.

Vasa Ecclesiæ distracta ad redimendos captiuos.

Episcopi Catholici Eleemosynæ.

nectuti parceret. Quo liuore Arriani succensi, dolis eum quam plotimis voluere sæpiùs enecare. Quod credo præoidens Dominus citò passerem suum de manibus accipitrum voluit liberare. Coius exitum ita Vrbici captiui planxerunt, vt tunc se putarent magis tradi manibus Barbarorum, quando ille perrexit ad cœlum. Functus est autem Sacerdotio annis tribus; Cuius amore & desiderio populus attentus poruerat membra digni corporis rapere, nisi consilio prudenti dum auocarur, nesciente moltitudine sepeliretur. Et quia tacendum semper oon est de impietatibus hæreticorum, nec verecūdum poterit esse quod ad laudem proficit patientis ordinaror quondam memorati Sacerdotis nomine Thoma, dum variis ab eis insidiis sæpiùs strareretur, quodam tempore venerabilem senem in poblica facie catomis ceciderunt. Quod ille noo ad opprobrium, sed ad mercedem computans gloriæ suæ, io Domino lætabatur. B Vnde factum est, vt post obitum Episcopi Carthaginis, Zengitanæ & proconsulari Prouinciæ Episcopos interdiceret ordinandos, quorum erat numerus CLXIIII. Qui paulatim deficientes, nunc simul ipsi supersunt tres tantum esse videtur, Vincentius Gigitanus, Paolus Sinnaritanus, verè meritò & nomine Paulus, & alius Quintianus, qoi nunc persecutionem fugiens, apud Edessam Macedoniæ ciuitatem commaoet peregrinus. Sed etiam Martyria quàm plurima esse probantur, coofessorum autem ingens & plurima multitodo, ex quibus aliqua narrare tentabo. Erant tunc serui cuiusdam Vandali (fuit hic Vandalus de illis qoos Millenarios vocant) Martinianus, Saturianus, & eorum doo germaoi: erat & conserua eorum qoædam egregia Christi ancilla nomine C Maxima, corpore simul & corde decora. Et quia Martioianus armifactor erat, & Domino suo satis videbatur acceptus, & Maxima vniuersæ domui dominabatur: credidit Vandalus vt fideles sibi magis memoratos faceret famulos, Martinianum Maximamque cooiugali consortio sociare. Martinianus adolesceotulorum secularium more cooiugium affectabat: Maxima namque iam Deo sacrata, humanas nuptias refutabat.

Maxima ancilla Deo sacrata.

At vbi ventum est vt cubiculi aditentur secreta silentia, & Martinianus nesciens quid de illo decreuerat Deus, maritali fiducia quasi cum coniuge cuperet cubitare, viua ei voce memorata famula Christi respondit: Christo ego ô Martiniane frater membra mei corporis dedicaui. nec possum humanum sortiri coniugium, habens iam cœlestem & verum sponsum, sed dabo consilium: si velis, poteris & ipse tibi præstare cùm licet, vt cui ego concupiui nubere, delecteris & ipse seruire. Ita factum est Domino procurante, vt obediens virgini, etiam adolescens suam animam lucraretur. Nesciente igitur Vandalo componctus, atque spiritualis secreti coiomercium mutuatus Martioianos, etiam suis fratribus persuasit, vt thesaurum quem inoenerat haberent, vtpote germani communem: conuersus est itaque cum tribus fratribus suis. Dei puellis comitante nocte clàm egredientes, Tabraceno monasterio, cui præerat tunc nobilis pastor Andreas, sociantur. Illa verò haud procul, monasterium incoluit puellarom. Sciscitante igitur Barbaro inquisitionibus & muneribus crebris, quod gestum erat cælari noo potuit. Iouueniens itaque iam non sua, sed Christi mancipia, conicit in vinculis, & variis tormentis Dei famulos insectatur, agens cum eis non tantùm vt pariter miscerentur, sed quod grauius est, per rebaptizationis cœnom fidei suæ ornamenta turparent. Peruenit hoc ipsum vsque ad notitiam Geiserici. Decernit Rex, vt tandiu implacabilis herus seruos affligeret, quandiu illius succumberent voluntati, iubet in modum serratom fustes robustos veluti palmatos cum stirpibos fieri, qui quatientibus tergis non solùm ossa confringerent, sed etiam terebrantes aculei intrinsecus remanerent. Qui dum sanguis efflueret, & dissipatis carnibus viscera nudarentur, sequenti die Christo medente incolumes reddebantur. Hoc sæpiùs ac multo factum

Catholicorum Martyrum medicus Christ'.

A est tempore, & nulla plagarum vestigia videbantor, sancto Spiritu subinde curante: Post hoc artator Maxima dutæ custodiæ, cuspidique crudeli extenditor. Cui cùm Dei seruorum non deesset frequentia visitantium, videotibus cunctis ingētium lignorum putrescens soluta est fortitudo. Miracolum hoc & voce omnium celebratur, & nobis ad qoem costodia pertinebat cum Sacramento testatus est ita fuisse. Ast vbi Vandalos virtutem neglexit cognoscere dioinam, cœpit in domo eius vindicatrix ita grassari. Moritur ipse simul & filij familiæ, atque animalium quæcunque optima erant pariter interierunt. Remansitque domina vidua, marito, filiis, & substantia destituta. Seruos Christi cognato Regis Sesaoni gratis muneris offert. Qui cùm eos vtpote oblatos cum gratulatione nimis socepisset, filios & domesticos sanctorum meritò malè cœpit dæmon variis motibus agitare. B Ex ordine ille cognatus vt gestum erat suggerit Regi. Decernit statim Rex, cuidam gentili Regi Maurorum, coi nomen erat Capsor, relegandos debere transmitti. Maximam verò Christi famulam confusos & victus propriæ volūtati dimisit, quæ nunc superest virgo, mater multarum virginum Dei, nobis etiam nequaqoam ignota.

Maxima multarum Dei virginum mater.

Peruenieotes autem traduntur memorato Regi Maurorum, commanenti in parte Eremi, quæ dicitor Caprapicti. Videntes igitur Christi discipoli multa apud gētiles & illicita sacrificiorum sacrilegia, cœperunt prædicatione & conuersatione sua ad cognitiooem Domini Dei nostri Barbaros inuitare: & tali modo ingētem multitodinem gentilium Barbarorom Christo Domino lucraoerunt, vbi antea nulla fama Christiani nominis fuerat C diuulgata. Tunc deinde cogitatur quid fieret vt ager iam coltus & egraminatus vomere prædicationis, Euangelicum susciperet semen, & imbre sacri baptismatis rigaretor. Mittunt legatos per itinera distenta deserti: perueniturr tandem ad ciuitatem Romsoam. Rogatur Episcopus vt Presbyterum & Ministros, credenti populo destioaret. Explet cum gaudio quod petebatur Pootifex, Dei constituitur Ecclesia, baptizatur multitodo maxima Barbarorum, & de lupis grex fœcundus multiplicatur agnorum. Hoc Geiserico relatione sua nunciat Capsur. De qua resurgēte inoidia iubent famulos Dei ligatis pedibos post terga currentium quadrigarum, inter spinosa loca syluarum pariter interire, vt ducta atque reducta dumosis lignorum aculeis inoocentiom corpora carpe- D rētur, ita deligari, vt exitum suum inuicem peruiderent. Qui cùm è vicino currentibus Maoris sese mutuo cōspicerent, Vale sibi angusto fugæ vnusquisque ita dicebant: Frater ora pro me, impleuit Deus desideriū oostrum taliter peruenitor ad regnum cœlorū. Itaqoe orando atque psallendo gaudentibus Angelis pias animas emisere.

Martyrum vltimū vale.

Vbi vsqoe in hodiernum diem oon desinit ingētia mirabilia Iesos Christus Dominus noster operari. Nam nobis beatus quōdam Faustos Buronitanos Episcopus attestatus est cæcam qoandam mulierem illuminatā foisse vbi ipse aderat præsens. Accēditur propter hæc aduersus Dei Ecclesiam Geisericus. Mittit Proculum quendā in Prouinciam Zeugitanam, qui coartaret ad tradēdum ministeria dioina vel libros, cunctos Domini Sacerdotes, vt primo E armis nudaret, & ita faciliùs inermes hostis callidus captiuasset. Quibus se non posse tradere clamantibus, ipse rapaci manu cuncta depopulabatur, atqoe de Pallis altaris, pro nefas, camisias sibi & femoralia faciebat. Qui tamen Proculus huius rei executor, frustratim sibi comedēs linguam, in breui turpissima consumptus est morte.

Pallæ Altaris.

Tūc enim sāctus Valerianus Abēsis ciuitatis Episcopus, dum viriliter Sacramenta diuina ne traderet dimicasset, foras ciuitatē singularis iussus est pelli, & ita præceptum est, vt nullus eū neque in domo neque in agro dimitteret habitare. Qui io strata publica multo tēpore nudo iacuit sub aëre: annorum erat plus lxxx. quem nos tūc indigni, in tali exilio meruimus salutare. quodam tēpore Paschalis solennitas agebatur, & dum in quodam loco qoi Regia vocitatur, ob diem Paschalis honoris nostri sibimet

clauſam Eccleſiam reſerarẽt, cõpererunt Arriani: ſtatim quidam Preſbyter eorum Andint nomine: congregata ſecum armatorum manu ad expugnandam turbam accenditur innocentum: Introeunt euaginatis ſpatis, arma corripiunt, alij quoque tecta conſcendunt, & per feneſtras Eccleſiæ ſagittas ſpargunt. Et tunc forte & canente populo Dei, lector vnus pulpito ſiſtens, alleluiaticum melos canebat. Quo tempore ſagitta in gutture iaculatus, cadente de manibus codice, mortuus pòſt cecidit ipſe. Nam & alij quàmplurimi ſagittis & iaculis in medio crepidinis altaris probantur occiſi. Nam qui gladiis tunc interempti non ſunt, poſtea pœnis attriti, regio iuſſu omnes penè necati ſunt, præſertim maturioris ætatis. Alibi namque ſicut Thunuzudæ contigit, Galibus, vico Ammoniæ, vel aliis in locis, tempore quo Sacramenta Dei populo porrigebantur, introeuntes B maximo furore corpus Chriſti & ſanguinem pauimentis ſparſerunt, & illud pollutis pedibus calcauerunt. Ipſe enim Geiſericus præceperat, ita perſuadentibus Epiſcopis ſuis, vt intra aulam ſuam filiorúmque ſuorum non niſi Arriani per diuerſa miniſteria ponerentur. Inter alios verum eſt tunc ad Armogaſtem noſtrum. Cuius cùm diu ac ſæpiùs tibias torquendo tumentibus conſtringerent cordis, & frontem in qua Chriſtus vexillum ſuæ fixerat Crucis rugatam magiſque atratam deſcendentes atque mugientes oſtenderent nerui, vt filia aranearum ſancto cœlum reſpiciente crepabant. At vbi tortores neruicas cordas diſruptas eſſe viderunt, allatis crebrius fortioribus cordis atq; cannabinis, illo nihil aliud niſi Chriſti nomen inuocante, illa omnia vaneſcebant. Sed & capite deorſum dum ad vnum penderet pedem, C dormire quaſi ſuper lectum plumis ſtratum, omnibus videbatur. Quem cùm Theodoricus Regis filius qui eius Dominus erat, pœnis non valentibus, capite truncari iuſſiſſet, à ſuo prohibetur Iocundo presbytero, dicente ſibi: Poteris eum diuerſis afflictionibus interficere. Nam ſi gladio peremeris, incipient Romani Martyrem prædicare. Tunc Theodoricus in Byzacenam Prouinciam ad ſodiendas eum condemnat ſcrobes. Poſtea quaſi ad maius opprobrium haud procul Carthagine vbi ab omnibus videretur, paſtorem eum præcepit eſſe vaccarum. Inter hæc Domino reuelante cùm dormitionis ſuæ proximum cerneret diem, aduocat quendam Felicem venerabilem Chriſtianum procuratorem domus filij Regis, qui Armogaſtem vt Apoſtolum venerabatur, D dicitque illi: Tempus meæ reſolutionis aduenit, obſecro te per fidem quam vterque tenemus, vt ſub hac ſiliquæ arbore me ſepelire digneris, redditurus Domino noſtro niſi feceris rationem: non quòd ille curaret vbi aut qualiter ſuum ſepeliretur corpus, ſed vt illud demonſtraretur, quod ſeruo ſuo reuelauerat Deus. Reſpondit Felix & dicit, Abſit à nobis confeſſor venerabilis, ſed ſepeliam te in vno Baſilicarum cum triumpho & gratia quam mereris. Cui beatus Armogas: non, ſed quod dixi facturus es. Ille timens Dei hominem contriſtare, veraciter quod geſſerat promiſit eſſe facturum. Statim intra pauciſſimos dies, Comes bonæ confeſſionis de hac vita migrauit. Feſtinauit Felix ſibi delegatum ſub arbore ſodere ſepulchrum. Cui cùm intextæ radices E & ſoliditas aridæ telluris moram facerent, & labore angeretur quòd tardiùs ſancti membra corporis humarentur, tandem abſciſſis radicibus multo altius terram cauans, conſpicit ſarcofagum ſplendidiſſimi marmoris præparatum, qualem fortè nullus omnino habuit regum. Sed nec quendam Archimimum nomine Maſculan debeo præterire. Qui cùm multis inſidiis premeretur, vt Catholicam omitteret fidem, ipſe eum rex poſtea blandiendo affatibus ſecularibus mutabat, promittens multis eum diuitiis cumulandum, ſi voluntati eius auditum facilem commodaſſet. Qui cum fortis atque inuictus maneret, iubet eum ſubire ſententiam Capitalem, ita tamen callidus occultè præcipiens, vt ſi in illa hora, vibrantis gladij pertimeſceret ictum, magis eum occideA ret, ne Martyrem glorioſum feciſſet. Si autem fortem in confeſſione conſpiceret, à gladio temperaret. Sed ille vt columna immobilis Chriſto ſolidante fortis effectus, cõfeſſor reuertitur glorioſus. Et ſi martyrẽ inuidus hoſtis noluit facere, confeſſorem tamen noſtrũ non potuit violare. Nouimus & alium ea tempeſtate nomine Saturum. Qui cùm lucidum eſſet membrum Eccleſiæ Chriſti, & prauitatem Arrianorum libertate Catholica frequenter argueret (fuit hic procurator domus Hunerici) conuenitur accuſante Mariuado quodam Diacono, quem Hunericus infauſtus ſingulariter honorabat, vt fieret Saturus Arrianus promittuntur honores & diuitiæ multæ ſi faceret, præparantur ſupplicia dira ſi nollet. Hac optione propoſita, vt ſi regalibus iuſſis non obediret, primo facta diſcuſſione, & ante amiſſa domo B vel ſubſtãtia, diſtractis omnibus mancipiis ac filiis, vxor eius ipſo præſente Camelario in coniugium traderetur. Quod ille plenus Deo magis vt velociter prouenisſet, impios prouocabat. Ob quam cauſam vxor eius induciis viſa eſt ab his qui exequebantur, neſciente marito petiſſe. Accedit ad maritum alia Eua, conſilio magiſtrata ſerpentis. Sed ille Adam non fuit, qui illecebroſa vetitæ arboris poma contingeret, quia non indigens ſed Saturus vocabatur, ſaturatus ab vbertate domus Dei, & torrente deliciarum eius potatus. Aduenit mulier ad locum vbi maritus ſingularis orabat, conſciſſis veſtibus, crinéque ſoluto, ſecum comitantibus filiis, vnámque infantulam quæ tunc lactabatur manibus geſtans, quæ neſcientis proiicitur ad pedes mariti. Etiam ipſa ſuis genua complectitur vlnis, ſibilans vociferatione draconis: Miſerere C mei dulciſſime ſimul & tui, miſerere communibus liberis quos conſpicis ipſe. Non ſubiaceat conditioni ſeruili, quos claros proſapia reddidit generis noſtri. Non ſubiciar ego indigno & turpi coniugio viuente marito, quæ mihi ſemper inter coæuas plaudebam de Saturo meo. Cognoſcit Deus quia inuitus facturus es hoc, quod fortè voluntariè aliquanti fecerunt. Cui ille Iob ſancti voce reſpondit. Tanquam vna ex inſipientibus mulieribus loqueris. Formidarem mulier, ſi ſola eſſet huius vitæ amara dulcedo, artificio coniunx diaboli miniſtraris. Si diligeres maritum, nonquam ad ſecundam mortem attraheres proprium virum. Diſtrahant filios, ſeparent vxorem, auferant ſubſtantiam, mei Domini ego ſecutus de promiſſis verba tenebo: Si quis non D dimiſerit vxorem, filios, agros, aut domum, meus non poterit eſſe diſcipulus. Quid vltra? diſcedente muliere cum filiis refutata, confortatur Saturus ad coronam, diſcutitur, expoliatur, pœnis conteritur, mendicus dimittitur. Interdicitur ei prodeundi acceſſus, totum ei tulerunt, ſtolam tamen baptiſmatis auferre non potuerunt. Poſt hæc Geiſericus Eccleſiam Carthaginis claudi præcepit, diſſipatis atque diſperſis per diuerſa exiliorum loca, quia Epiſcopus non fuerat, Preſbyteris & miniſtris. Quæ vix reſerata eſt Zenone Principe ſupplicante per Patricium Seuerum, & ſic vniuerſi ab exilio redierunt. Quæ verò in Hiſpania, Italia, Dalmatia, Calabria, Apulia, Sicilia, Sardinia, Brutiis, Lucania, Epiro vel Hellada geſſerit, melius ibi ipſi qui paſſi ſunt miſerabiliter lugenda narrabunt. Sed etiam Perſecutionis noſtræ à Gei- E ſerico quantò ſublimiter, tantò crudeliter geſtæ, iſte ſic finis. Durauit autem in regno annis XXXVII. manſibus tribus.

Lector. Alleluyaticum melos.

Crucis Chriſti vexillum in fronte.

Sepultura cur Triumphi.

Confeſſor.

Gen. 3. 2. Cor. 11.

Iob 2.

Matth. 19. Mar. 10.

LIBER SECVNDVS.



Ortuo igitur Geiſerico, Hunericus maior filius patri ſuccedit. Qui primordio regni vt habet ſubtilitas Barbarorum, cœpit mitiùs & moderatiùs agere & maximè circa religionem noſtram, vt etiam vbi antea ſub rege Geiſerico præiudicatum fuerat, ne ſpiritales fierent conuentus, conuenticula concurre-

A rent populorum. Et vt se religiosum ostenderet, statuit sollicitiùs requirendos hæreticos Manichæos, ex quibus multos incendit plurimos autem distraxit nauibus transmarinis, quos penè omnes Manichæos suæ religionis inuenit, & præcipuè Presbyteros & Diaconos Arrianæ hæreseos. Vnde magis erubescens, amplius eos exarsit. De quibus repertus est vnus nomine Clementianus monachus illorum scriptum habens in femore: Manichæus discipulus Christi Iesu. Propter quod magis laudabilior memoratus videbatur, in vno displicens, quia cupiditati insatiabili vehementiùs inhiabat, & Prouincias regni sui variis calumniis atque indictionibus onerabat, vt de illo præcipuè diceretur: Rex egens, magnus est calumniator: dedit autem licentiam Zenone imperatore atque Placidia relicta Olibrij, rogantibus, vt Carthaginensis Ecclesia sibi quem vellet Episcopum or- B dinasset, quæ iam per XXIIII. annos tali ornamento fuerat destituta. Mittit ergo tunc ad Ecclesiam, Alexãdrum illustrem, huiusmodi legationem ferentem, vt præsentia eius Catholicus populus dignum sibi peteret Sacerdotem: destinans quoque per notarium suum nomine Vuitared, edictum quod publicè legeretur, hunc continẽs modum: Iussit vobis Dominus dici: quia imperator Zenon, & nobilissima Placidia, per Alexandrum virum illustrem scripserunt, petentes, vt Ecclesia Carthaginis, religionis vestræ proprium Episcopum habeat, hoc fieri præcepit atque eis rescripsit, vel legatis ab eis directis dici iussit, vt sicut petierunt vobis Episcopum quem volueritis ordinetis: eo sub tenore, vt nostræ religionis Episcopi qui in Constantinopoli sunt, & per alias Pro- C uincias orientis, ex eius præcepto Episcopi, liberum arbitrium habeant in Ecclesiis suis, quibus voluerint linguis populo tractare, & legem Christianam colere, quemadmodum vos hic vel in aliis Ecclesiis quæ in prouinciis Africanis constitutæ sunt, liberum arbitrium habetis in Ecclesiis vestris missas agere vel tractare, & quæ legis vestræ sunt, quemadmodum vultis, facere. Nam si hoc circa eos non fuerit obseruatum, tam Episcopos qui ordinatus fuerit vel Clerici, sed & alij Episcopi cum Clericis suis qui in Africanis Prouinciis sunt, iubentur inter Mauros mitti. Quod edictum dum nobis præsentibus XIIII. Kalendarum Iuliarum vniuersæ Ecclesiæ legeretur, gemere cœpimus mussitantes, eo quòd meditantibus dolos, malorum esset futura persecutio præparata. Et ita legato dixisse probamur: Si ita D est, interpositis his conditionibus periculosis, hæc Ecclesia Episcopum non delectatur habere. Gubernat eam Christus, qui semper dignatur gubernare. Quam suggestionem legatus accipere neglexit. Simul & populus vt tunc fieret, vt ignis exarsit, cuius erat clamor intolerabilis, qui nulla posset ratione sedari. Ordinato itaque Episcopo Eugenio viro sancto, Deóque accepto, sublimis nata est lætitia, & gaudium cumulatum est Ecclesiæ Dei. Exultat multitudo Catholica sub Barbara dominatione, de ordinatione Pontificis reparati. Nam maximus iuuenum numerus atque adolescentularum sibimet in commune congaudens, attestabatur quod nunquam vidisset Episcopum in throno sedentem. Porrò ille vir Dei Sacerdos Eugenius, cœpit per conuersationem operum E bonorum venerabilis & reuerendus haberi etiam ab eis qui foris sunt, & ita esse ab omnibus gratus, vt si fas esset, animam suam pro eodem vniuersos ponere delectaret. Eleemosynas quoque tales cum Dominus dignatus est facere, vt incredibile videatur tanta eum impendere, vbi Ecclesia totum Barbaris tenentibus, ne vnius nummi habere cognoscitur facultatem. Humilitatem in illo, charitatem, pietatem diuinitus cõdonatam si quisquam incipiat non poterit explicare. Pecuniam apud eum mansisse non probatur, nisi fortè tali hora offerreretur, quando iam sol diei explicans cursum, nocturnis tenebris ordinem daret & locum. Vnde tantum reseruabat, quantum diei sufficeret, non quantum cupiditas expetisset, Deo nostro subinde quotidie ingentia & maiora

Arriani ferè omnes Manichæi.

Missas agere. vel tractare.

Eugenij Pont. Eleemosynæ.

A donante. Sed cum fama eius esset celebris atque manifesta, cœperunt exinde Arrianorum Episcopi inuidia graui torqueri, quotidianis & præcipuè cum Cyrila calumniis insectantes. Quid plurimum? suggerunt de illa, vt suum nequaquam sederet Thronum, neque Dei populo verbum faceret consuetum. Deinde quoscunque mares vel fœminas in habitu Barbaro incedentes in Ecclesia conspiceret, prohiberet. Ille respondit vt decuit: Domus Dei omnibus patet, intrantes nullus poterit repellere, maximè quia ingens fuerat multitudo nostrorum Catholicorum, in habitu illorum incedentium, ob hoc quod domui regiæ seruiebant. At vbi ab homine Dei tale responsum accepit, statuit in portis Ecclesiæ collocare tortores. Qui videntes fœminam vel masculum in specie suæ gentis ambulantes, illicò palis minoribus dentatis iactis in capite, crinibúsque in eisdem colligatis ac ve- B hementiùs stringentes simul cum capillis omnem pelliculam Capitis auferebant. Nonnulli dum hoc fieret, statim oculos amiserũt, alij ipso dolore defuncti sunt. Mulieres vero post hanc pœnam capitibus pelle nudatis, præcone præeunte per plateas ad ostensionem totius ciuitatis ducebantur. Quod sibi quæ magis patiebantur, locrum maximum computabant. Quorum nos plurimos nouimus, nec scimus eorum aliquem tunc etiam pœnis vrgentibus à recto itinere destitisse. At vbi isto modo, fidei infringere non valuit murum, cogitat vt nostræ religionis homines in aula eius constituti, neque annonas, neque stipendia solita potirentur, addidit quoque & laboribus eos conterere rusticanis. Dirigit viros ingenuos & admodum delicatos ad campum Vticen- C sem, vt sub ardentis solis incendio, cespites messium desecarent, vbi omnes cum gaudio pergentes in Domino lætabantur. In quorum contubernio quidam fuit aridam habens manum, quæ per annos quàm plurimos nullum ei præstiterat obsequium. Qui cùm veraciter excusaret se operari non posse, magis violenter iussus est pergere. Sed vbi ad locum ventum est, & præsertim pro eo orando ingemuerunt omnes, pietate diuina illa arida incolumis confessoris restituta est manus. Hinc iam Hunerici persecutio doloris atque parturitionis nostræ sumpsit initium. Ipse autem qui sese iamdudum omnibus lenem ostenderat, desiderans post obitum suum (quod non contigit) regnum statuere, Theodoricum fratrem filiósque eius, Gentonísque fratris nihilominus D filios crudeliter cœpit insequi. Quorum nullum dimitteret, nisi eum mors desiderij sui voluntatem auferret. Primò sciens vxorem Theodorici fratris astutam, credo, ne fortè maritum aut maiorem filium, qui prudens & sapiens videbatur, consiliis acrioribus aduersus tyrannum armasset, crimine apposito gladio eam interfici iubet. Post occiditur & ille filius magnis literis institutus, cui secundum constitutionem Geiserici, eo quòd maior omnibus esset regnum inter nepotes potissimum debebatur. Accenditur adhuc crudelitas aliquid perpetrare. Astante vulgo in media ciuitate pro gradibus plateę nouæ, Episcopum suę religionis nomine Iocundum, quem Patriarcham vocitabant, præcepit incendio concremari, ob hoc quod in domo Theodorici Germani regis acceptissimus habebatur, cuius fortè suffragio memorata E domus regnum poterat obtinere. In quo impietatis scelere futurum nobis adesse prospeximus malum, aientes singuli inuicem nobis: qui in suo ita crudelis effectus est Sacerdote, quando nostræ religioni vel nobis parciturus est iste? Tunc & Gentonis maiorem filium nomine Godagisum, cum vxore absque solatio seruuli aut ancillæ, crudeli exilio delegauit. Fratrem verò Theodoricum post occisionem vxoris & filij, nudum atque destitutum similiter exulauit. Post cuius mortem filium quẽ superat infantulum, duásque filias eius adultas, impositas asinis longiùs affligendo proiecit. Sed & comites quam plurimos & nobiles gentis suæ obiectionibus falsis insectans, ob hoc quod Germano fauerent, alios incendit, alios, iugulauit, imitator Geiserici patris, qui sui

Arrianorũ crudelitas in Barbaros.

Iocundus Patriarcha Arrianus cũ suis combustus.

fratris vxorem ligato pondere lapidum, in Amsagum fluuium Cirtensem famosum iactando demersit, & post decem matris etiam filios interfecit. Sed & multos ei Gensericus pater moriens Sacramento interposito commendauerat. Quos ille immemor fidei & Sacramenti violator, diuersis pœnis & incendiis trucidauit. Nam Heldicam quendam, quem pater eius præpositum fecerat regni, iam veteranum atque annosum cum dedecore capite detruncauit, eiúsque vxorem cum alia nomine Teucaria in medio ciuitatis incendit. Quarum corpora per vicos & plateas trahi mandauit, quæ tota die iacentia, rogatus à suis Episcopis via vespere sepeliri concessit: Gamoth namque Heldicæ fratrem, quia ad Ecclesiam eorum confugerat occidere non potuit, quem tamen in loco latrinarum obscæno conclusit, temporéque multo eum ibi degere statuit. Postea cum caprario quodam B & rustico ad faciendas scrobes vineis profuturas condemnauit, quos etiam duodecies per annum, id est, per singulos menses flagellis crudelibus dissipat, via modico aquæ, cibarióque pane concesso: hoc per V. vel amplius perpessi sunt annos, quibus hæc supplicia proficere poterant ad æternam mercedem si Catholici fuissent, & fidei suo merito ista perferrent. Sed ideò istud silere nequiuimus, vt impietatem regis etiam in suis minimè sileremus: qui non solum Episcopum suum Iocundum, vt superiùs demonstrauimus flammis adussit, sed & Presbyteros & Diaconos suos, id est, Arrianos, quam plurimos incendit, necnon & bestiis mancipauit. Amputatis igitur in breui omnibus quos timebat, & solidans sibi vt putabat regnum quod breue fuerat & caducum, omni ex parte ociosus atque securus vniuersa tela furoris C in persecutionem Ecclesiæ Catholicæ sicut Leo rugiens conuertit. Ante persecutionis tamen tempestatem, multis præeuntibus visionibus & signis, imminens demonstratum fuerat malum. Nam fermè ante biennium quàm fieret, vidit quidam Fausti Ecclesiam solito in ornatu fulgentem, & dum lætaretur tanti fulgoris candore, cereis quoque fulgentibus, palísque velaminum ac lampadibus rutilantem, subitò, ait, luminis illios concupiscibilis extinctus est fulgor, ac tenebris succedentibus adnefarios naribus natus est fœtor, omnísque illa beatorum turba, expellentibus quibusdam Æthiopibus minata est foras: ob hoc iugiter lamentatum quod eam in claritate pristina nequaquam viderit iterum restitutam. Nam visionem istam nobis præsentibus sancto retulit D Eugenio. Vidit & quidam Presbyter ipsam Fausti Ecclesiam refertam turbis innumerabilium populorum, & post paululum euacuatam & repletam porcorum multitudine atque caprarum. Item alius vidit aream triticeam ventilationi paratam, granis adhuc ventilatoris iudicio necdum à palea separatis & dum ingentis massæ, licet confusæ, magnitudinem miraretur, subitò ecce turbo venteos tempestatis sonituago flatu cœpit aduentum suum surgente puluere demonstrare. Cuius impetu palea illa omnis omninò volauit, remanentibus granis. Post hæc venit quidam procerus splendido vultu habitúque nitido fulgens, & cœpit grana vacua macilenta atque similagini reproba purgando proiicere. Quæ diu examinans, vix magnitudinem illius massæ, licet probatæ, ad aceruum tamen perduxit exiguum. Item alius ait: E Stabat quidam præcelsus super montem qui Ziquensis dicitur, & clamabat dextera leuáque: Migrate, migrate. Alius conspicit rugiente cœlo atque torbato sulphureas nubes, quæ ingentes cœperunt lapides iaculari. Qui lapides dum cecidissent in terram, plus accendebantur & maioribus flammis ardebant, atque intrantes in penetralia domorum, quos inuenerant incendebant. Qui autem vidit, ait, cùm se in quodam cubiculo abscondisset, miseratione diuina ad eum flamma non potuit peruenire. Reor vt illud Propheticum compleretur, Claude ostium tuum, & absconde te pusillum aliquantulum, donec transeat ira Dei. Vidit & venerabilis Paulus Episcopus arborem vsque ad cœlos ramis florentibus ex-

Ecclesiæ Catholicæ ornatus.

Signa futura Catholicorum persequutio-

Esa. 26.

A tensam, quæ etiam dilatatione sua omnem penè Africam opacabat. Et cum vniuersi eius magnitudine & speciositate gauderent: ecce subitò, inquit, venit asinus violentus, qui defricans ceruicem suam super robur radicum eius, impulso suo cum ingenti sonitu illam mirabilem arborem elisit ad terrã. Sed & Quintianus honorabilis Episcopus vidit se super quendam montem stare, de quo conspiciebat gregem innumerabilium ouium suarum & in medio gregis duæ erant ollæ nimium bullientes. Aderant autem ouium occisores, quarum carnes ollis bullientibus demergebant. Et cum ita fieret, omnis illa magnitudo consumpta est gregis. Reor ergo illas duas ollas Sicca veneria & Laribus duas esse ciuitates, in quibus multitudo prima fuerat congregata, è quibus incendium initium sumpsit: Hunericum regem, & Cirilam Episcopum eius. Sed de multis visionibus quia breuitati consulendum fuit, hæc dixisse sufficiat. Quid vltra? Censet primò tyrannus iussione terribili, vt nemo in eius palatio militaret, neque publicas ageret actiones nisi sese Arrianum fecisset. Quorum ingens numerus vigore inuictus ne fidem perderet, militiam temporalem abiecit. Quos postea domibus proiectos, omníque substantia spoliatos, in insulas Siciliam & Sardiniam relegauit. Quodam tempore statuere per totam Africam festinauit, vt nostrorum Episcoporum defunctorum fiscus sibi substantiam vindicasset. Qui autem defuncto succedere poterat non antè ordinaretur, nisi fisco regali quingentos solidos obtulisset. Sed hoc ædificium vbi constituere nisus est diabolus, statim illud destruere dignatus est Christus. Suggerunt ei domestici sui, dicentes: Si istud firmaueris præceptio vestra, nostri Episcopi in partibus Thraciæ & aliis regionibus constituti peiora incipient pati. Præcepit deinde sacras virgines congregari, dirigens Vandalos cum suæ gentis obstetricibus ad inspicienda & contrectanda contra iura verecundiæ verecunda pudoris, vbi nec matres aderant, nec aliqua matronarum. Quas cremantes graui suspendio atque ingentia pondera pedibus colligantes, laminas ferri ignitas dorso ventri, mamillis & lateribus apponebant, quibus inter supplicia dicebatur: Dicite quomodo Episcopi vobiscum concumbunt & Clerici vestri. Quarum acerbitate pœnarum plurimas tunc scimus extinctas: aliæ quæ remanserunt cutibus arescentibus factæ sunt curuæ. Nitebatur enim semitam inuenire, per cuius aditum publicam sicut fecit, faceret persecutionem. Et ita faciens, nullo modo inuestigare potuit quomodo Christi Ecclesiam macularet. Quibus autem prosequar fluminibus lacrymarum, quando Episcopos, Presbyteros, Diaconos & alia Ecclesiæ membra, id est, quatuor millia DCCCCLXI. ad exilium Eremi destinauit? in quibus erant podagri quamplurimi, alij per ætatem annorum à lumine temporali priuati. In quorum erat numero beatus Felix Abdiritanus Episcopus, habens iam in Episcopatu XLIIII. annos. Qui paralysi morbo percussus, nec sentiebat quicquam, nec penitus loquebatur. De quo nos maximè cogitantes quòd non posset iumento portari, suggessimus vt à suis Rex peteretur, vt saltem eum properè moriturum Carthagini esse iussisset, quòd ad exilium nulla posset ratione perduci. Cui ita fertur tyrannus cum furore dixisse: Si animali sedere non potest, iungantur boues indomiti qui eum colligatis funibus trahendo perducant vbi ego præcepi. Quem ex transuerso super burdonem vinctum, quasi quendam ligni truncum toto itinere portabamus. Congregantur vniuersi in Siccensem & Larensem ciuitates, vt illuc occurrentes Mauri, sibi traditos ad Eremum perduxissent. Superuenientes igitur comites duo subtilitate damnabili, blandis sermonibus cum Dei Confessoribus agere cœperunt: Quid vobis, inquiunt, videtur vt ita pertinaces sitis, & Domini nostri præceptis minimè obtemperetis, qui esse poteratis in conspectu regis honorabiles, si eius festinetis facere voluntatem? Statim illis clamantibus & dicentibus ingenti vociferatione, Christia-

Tyrãnis in nouos Episcopos.

Sacræ virgines ab Arrianis obstetricatæ & occisæ.

Diuina mysteria celebrare.

sumus, Catholici sumus Trinitatem vnum Deum inuiolabilem confitemur: includuntur grauiori quidem, sed adhuc latiori custodia, vbi nobis copia dabatur & introire, & verbum admonitionis fratribus facere, & diuina mysteria celebrare. Ibi & infantuli fuere quam plurimi, quos genitrices materno sequebantur affectu, aliæ gaudentes, aliæ retrahentes: aliæ gaudebant se martyres peperisse, aliæ morituros diluuio rebaptizationis nitebantur à confessione fidei reuocare. Nullum tamen tunc nec blandimenta vicerunt, nec carnalis pietas aliquam inclinauit ad terram. Nam quædem quid tunc fecerit anus, breuiter referre delectat: Dum iter ageremus cum Dei exercecitu comitantes, fortè magis noctis promoueremur propter solis ardorem conspicimus mulierculam sacculum & alia vestimenta portantem manu infantulum vnà tenentem, atque in his sermonibus consolantem: Curre Domine meus, vides vniuersos sanctos quomodo pergunt & festinant hilares ad coronas? Quam nos cùm increparemus, quòd importuna videretur aut viris pro se au iungi, aut exercitui Christi sociari. Respondit: Benedicite, & orate pro me & pro isto nepote paruulo meo, quia & si peccatrix filia sum quondam Zuritanæ ciuitatis Episcopi. Cui nos: Et quare ita abiectè ambulas, & qua ratione de tam longo itinere huc pergere demonstraris? Quæ respondit: Cum hoc seruo vestro paruulo ad exilium pergo, ne inueniat eum solum inimicus, & à via veritatis reuocet ad mortem. Ad hæc verba repleti lacrymis nihil dicere valuimus, nisi vt voluntas fieret Dei. Sed vbi aduersarius qui iam fortè dicebat: Participor spolia, replebo animam meam, interficiam gladio meo, dominabitur manus mea, nullum potuit occupare: incurrit angusta & deterrima loca, in quorum conclauibus Dei exercitum coartaret. Tunc eis etiam visitationis humanæ negata consolatio, puniuntur & custodes fustibus, & grauiter affliguntur: iactantur Confessores Christi superinuicem angustia coartante vnus super alium, vt agmina locustarum, & vt propriè dicatur, vt grana preciosissima frumentorum. In qua constipatione secedendi ad naturale officium nulla ratio sinebat loci, sed stercora & vrinam vrgente necessitate ibidem faciebant, vt ille tunc fœtor & horror vniuersa pœnatum genera superaret: ad quos aliquando dantes ingentia munera, Mauris dormientibus Vandalis vix clàm admissi sumus intrare. Qui introeuntes veluti in gurgite luti vsque ad genua cœpimus mergi, illuc tunc Hieremiæ videntes fuisse completum, qui nutriti sunt in croceis, amplexati sunt stercora sua. Quid multa? præcepti sunt vndique perstrepentibus Mauris, ad iter vbi destinati sunt præparari. Exeuntes itaque die Dominica, linita habentes stercoribus vestimenta, facies simul & capita, à Mauris tamen crudeliter minabantur, hymnum cum exultatione Domino decantantes: Hæc est gloria omnibus sanctis eius. Aderat enim ibi tunc B. Pontifex Cyprianus Vnizibitensis Episcopus consolator egregius, qui singulos pio & paterno fouebat affectu, non sine fluminibus currentium lacrymarum paratus pro fratribus animam ponere, & se vltroneum si dimitteretur talibus passionibus dare, qui totum quod habuit, egentibus fratribus, nulla tunc necessitate expendit: quærebat enim occasionem qualiter confessoribus sociaretur, ipse animo & virtute confessor qui postea per multos agones & squalores carceris, ad exilium quod desiderabat, cum exultatione, perrexit. Quantæ tunc multitudines de diuersis regionibus & ciuitatibus, ad visendos Dei martyres occurrerent populorum, testantur viæ vel semitæ: quæ cùm agmina venientium nequaquã caperent: per vertices montiũ & vallium concurrens turba fidelium inæstimabilis descendebat, cereos manibus gestantes, suósque infantulos vestigiis martyrum proiicientes, ista voce clamabãt: Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi sunt paruulos fontibus aquæ perennis? qui

Mulieris Catholicæ constantia in persecutione.

A nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, & recõciliationis indulgentia, obstrictos peccatorum vinculis, soluturi? quia vobis dictum est: Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Qui nos solennibus orationibus sepulturi sunt morientes? à quibus diuini sacrificij ritus exhibendus est consuetus? vobiscum & nos licebat pergere, si liceret vt tali modo filios à patribus nulla necessitas separaret. In his vocibus & lacrymis nullus iam pergere admissus est consolator, sed artabatur multitudo ad currendum, vt vbi Cannaua erat præparata, laboriosam caperet mansionem, qui cùm senes deficerent, & alij forte, & si iuuenes delicati, cœperunt hastilium cuspidibus ad currendum & lapidibus tundi: vnde magis deficientes, amplius lassabantur. Post verò imperatum est Mauris, vt eos qui ambulare non poterant, ligatis pedibus vt cadauera animalis mortui traherent per dura & aspera lapidum loca, vbi primò vesti- B menta, postea membra singula carpebantur. Quibus per gladios acutos petrarum huic caput conterebatur, alij latera findebantur, & ita inter manus trahentium spiritum exhalabant: quorum numerum nequaquam valuimus colligere, multitudine coërcente. Exaltatur tamen per totum aggerem publicum vilis sepultura sãctorum, loquentibus tumulis. Reliqui habiliores ad solitudinis loca peruenerũt, in quibus collocati hordeum ad vescendum vt iumenta accipiunt. Vbi etiam venenatorum animalium atque scorpionum tanta esse dicitur multitudo, vt ignorantibus incredibilis videatur, quæ solo flatu etiam procul positis veneni virus infundat: ab scorpij autem percussu, nullum dicunt aliquando euasisse. Quo- C rum feritas virulenta vsque ad præsens tempus Christo defendente, nullum seruorum eius nocuisse docetur. Sed cùm illic aluntur hordeaceis granis, postea & hoc ablatum est, quasi non poterat Deus qui pluerat patribus manna, pascere & nunc tali exilio mancipatos. Cogitat acriora aduersus Ecclesiam Dei, vt qui membra aliqua absciderat, totum laniando perderet corpus. Nam die ascensionis Domini legatus Zenonis imperatoris regina præsente legendum in media Ecclesia Episcopo Eugenio dirigit præceptum, quod etiam vniuersæ Africæ veredis currentibus destinauit. Rex Hunericus Vandalorum & Alanorũ vniuersis Episcopis Omousianis. Non semel sed sæpiùs constat esse prohibitum, vt in sortibus Vandalorum Sacerdotes vestri conuentus minimè cele- D brarent, ne sua seductione animas subuerterẽt, Christianas. Quam rem spernentes plurimi reperti sunt contra interdictum missas in sortibus Vandalorum egisse, asserentes se integram regulam Christianæ fidei tenere. Et quia in prouinciis à Deo nobis concessis scandalum esse nolumus, ideò Dei prouidẽtia cum consensu sanctorum Episcoporum nostrorum hoc nos statuisse cognoscite, vt ad diem Kalẽdarum Februarium proximè futurarum amissa inexcusatione formidinis, omnes Carthaginem veniatis, vt de ratione fidei cũ nostris venerabilibus Episcopis possitis inire conuentum, & de fide Omousianorum, quam defenditis, de diuinis Scripturis propriè approbetis, quo possit agnosci, si integram fidem teneatis. Huius autẽ edicti tenorem vniuersis Episcopis tuis per vniuersam Africã cõstitutis direxim*. Data sub die xiii. E Kalen. Iunias, anno vii. Hunerici. Cognoscẽtibus igitur qui aderamus, simúlque legentibus contrita sunt extemplo corda nostra, & cõtenebrati sunt oculi nostri, & verè tunc dies festi nostri conuersi sunt in luctum & cantica in lamentationem, dum edicti tenor indicaret futuræ persecutionis furorem. Et præsertim vbi dixit in prouinciis nostris à Deo nobis concessis scandalum esse nolumus: quasi diceret, in prouinciis nostris Catholicos esse nolumus. Tractatum est quid fieret. Nullum inuenit remedium imminens calamitas, nisi à sancto Eugenio rationabilis, si cor barbarum molliretur, suggerenda daretur tali textu conscripta. Quoties animæ vel vitæ æternæ ac fidei Christianæ causa tractatur intrepidè, sicut regalis prouidentia compromisit, necesse est quod competit

Sepultura cum solennibus orationibus.

Catholicorum exulũ vita in eremo.

Missã agere.

petit suggeratur. Nuper potestas regia per Vuitaredum notarium paruitatem meam admonere dignata est, qui nobis de merito ac religione fidei præceptum eius in

Clerus Ecclesiæ.

Ecclesia præsente Clero & plebe recensuit. Ex cuius tenore cognouimus ad omnes Coëpiscopos meos præceptum regium similiter emanasse, vt die constituta pro disputatione fidei veniatur. Quod nos venerabiliter accepisse suggessimus, cui præfato notario humilitas mea suggessit, debere etiam transmarinarum omnium partium, qui nobis sunt in vna Religione vel communione consortes agnoscere, quia vbique regno eius obtemperant vniuersi, maximè quod totius mundi causa non specialis prouinciarum Africanarum tantummodò. Et quia secundo responso suggerendam me promisi oblaturum, meritò suppliciter peto magnificentiam tuam, vt ad Domini & clementissimi regis aures memoratam suggestionem meam perferre digneris, quo B eius clementia dignanter agnoscat, nos disputationem legis cum adiutorio Dei nullatenus declinare vel fugere, sed sine vniuersitatis assensu nos non debere asserendæ fidei nostræ causas assumere. Quod petimus vt benignitate quantus est, & iustitia sapientiæ suæ dignetur annuere. Data ab Eugenio Episcopo Ecclesiæ Catholicæ Carthaginis.

Catholici qua lege acceptent disputationē cū Arrianis.

Sed cùm hæc suggestio à beato Eugenio offerretur, ille iam qui conceperat dolorem, vigebatur iniquitatem grauiùs parturire: & ita sancto viro Episcopo Eugenio per Obadum præpositum regni sui mandasse videtur: Subde mihi vniuersum orbem terrarum, vt sub potestate mea totus mundus redigatur, & facio ô Eugeni quod dicis. Ad quod beatus Eugenius respondit vt potuit: Quod rationem, inquit, non habet, dici non debuit. C Sic est hoc, quomodo si dicatur homini vt per aëra feratur & volitet, quod moris non est humanæ naturæ. Dixi enim si nostram fidem, quæ vna & vera est, potestas regis cognoscere desiderat, mittat ad amicos suos: scribam & ego fratribus meis, vt veniant Coëpiscopi mei, qui vobis nobiscum communem fidem nostram valeant demonstrare, & præcipuè Ecclesia Romana, quæ caput est omnium Ecclesiarū. Ad hæc Obadus: Ergo tu & Dominus meus Rex similes estis? Eugenius Episcopus dixit: Ego non sum similis regis, sed dixi: Si veram cognoscere desiderat fidem, scribat amicis suis vt dirigant nostros Catholicos Episcopos, & ego scribo Coëpiscopis meis, quia Catholicæ vniuersæ vna est cura.

Ecclesia Romana caput omniū ecclesiarum.

D Hoc agebat Eugenius, non quia deessent in Africa qui aduersariorum obiecta refellerent: sed vt illi venissent, qui alieni ab eorum dominatu, maiorem fiduciam libertatis haberent, paritérque oppressionis nostræ calumnias vniuersis terris & populis nuntiarent. Ille autem qui nectebat dolos audire noluit rationem, agens argumentationibus crebris, vt quoscunque Episcoporum audierat eruditos, variis insectationibus agitaret. Iam ad exilium Vibianensem secundo Donatianum impositis CL. fustibus miserat Episcopum, necnon & Sufetulensem Præsidium, virum satis acutum. Tunc & venerabiles, Mansuetum, Germanum, Fusculum, & multos alios fustigauit. Dum hæc geruntur, imperat vt cum nostræ religionis viris, illorum mensam nullus communem haberet, neque cum Catholicis omninò vescerentur: E quæ res non ipsis aliquod præstitit beneficium, sed nobis maximum contulit fructum. Nam si sermo eorum dicente Apostolo, sicut cancer consueuit serpere, quantò magis communis mensa ciborum poterit inquinare, cùm dicat idem Apostolus: Cum vesanis nec cibum habere communem? Sed cùm ignis iam persecutionis accenderetur, & flamma infestantis vbique Regis arderet, ostendit Deus noster quoddam miraculum per seruum suum fidelem Eugenium, quod præterire non debeo.

2. Tim. 2.

Fuit in eadem ciuitate, id est, Carthagine quidam cæcus, ciuibus, ciuitatique notissimus, nomine Felix: hic visitatur à Domino, prædicitúrque ei nocte per visum, dies enim Epiphaniorum illucescebat: Surge, vade ad seruum meum Eugenium Episcopum, & dices ei: Quia ego te

ad illum direxi. Et illa hora qua benedicit fontem vt baptizentur accedentes ad fidem continget oculos tuos A & aperientur, & videbis lumen. Qui tali visitatione commonitus, putans se quomodo assolet deludi per somnium, surgere noluit cæcus. Sed cùm iterum vrgeretur in somnos similiter vt ad Eugenium pergeret compellitur. Rursus negligit, tertióque festinanter & grauiter increpatur. Excitat puerum, qui ei solitus erat manum porrigere. Pergit veloci agilitate ad Fausti Basilicam, orat tremens cum ingentibus lacrymis, suggerit cuidam Diacono nomine Peregrino, vt eum Episcopo nuntiaret, indicans se habere aliquod secreti genus intimandum. Audiens Episcopus iussit hominem introire.

Benedictio Fontis Baptismalis.

Iam enim ob celebritatem festiuitatis, hymni nocturni per totam Ecclesiam canente populo concrepabant. Indicat cæcus in antistiti ordinem visitationis suæ, dicitque illi: Non te dimittam, nisi mihi sicut à Domino iussus es, reddideris oculos meos. B Cui Eugenius sanctus: Recede à me frater, peccator sum, & indignus, & super omnes homines delinquens, vtpote & qui in hæc tempora seruatus sum. Ille autem tenens genua eius, aliud non dicebat, nisi illud quod iam dixerat: Sicut iussum est, redde mihi oculos meos. Attendens quoque Eugenius inuerecundam credulitatem, & quia iam tempus vrgebat, pergit cum eo comitante officio clericorum ad fontem. Vbi fixis genibus cum ingenti gemitu, pulsans singultibus cœlum, crispantem benedixit alueum fontis, & cùm completa surrexit oratione, ita cæco respondit: Iam tibi dixi frater Felix, peccator homo ego sum, sed qui te visitare dignatus est, præstet tibi secundum fidem tuam, & aperiat oculos tuos: simúlque vexillo Crucis consignante oculos eius, statim cæcus visum, Domino reddente, recepit. C Quem secum quousque vniuersi baptizarentur ibi detinuit ob hoc, ne tanto miraculo populus excitatus, virū contereret qui receperat lumen.

Hymni nocturni ob festi celebritatem.

Clerici.

Fit postea manifestum Ecclesiæ vniuersæ. Procedit ad altare cum Eugenio sicut moris qui fuerat cæcus, suæ salutis oblationem Domino redditurus. Quam Episcopus accipiens altari imposuit. Fit strepitus gaudio mutante irreuocabilis populorum, statim nuntius pergit ad tyrānum. Rapitur Felix, inquiritur ab eo quid factum sit, qualitérque receperit lumen. Dicit illi ex ordine totum, dicúntque Arrianorum Episcopi: Hoc Eugenius per maleficia fecit. Et quia oppressi confusione non poterant nubilare, eo quòd Felix vniuersæ ciuitati manifestus esset & notus, tamen volebant eum si fas esset necare, D quomodo Iudæi suscitatum Lazarum cupiebant occidere.

Oblatio salutis.

Appropinquabat iam futurus dies ille calumniosus Kalendarum Februarium, ab eodem statutus. Conueniunt non solùm vniuersæ Africæ, verumetiam insularum multarum Episcopi afflictione & mœrore confecti. Fit silentium diebus multis, quousque peritos quosque & doctissimos viros exinde separaret, calumniis appositis enecandos. Nam vnum ex ipso choro Doctorum nomine Lætum, strenuum atque doctissimum virum, post diuturnos carceris squallores incendio concremauit, æstimans tali exemplo timorem incutiens reliquos elisurum. Tandem venitur ad disputationis conflictum, ad locum scilicet quem delegerant aduersarii. E Euitantes igitur nostri vociferationis tumultus, ne fortè postmodum Arriani dicerent, quòd eos nostrorum oppresserit multitudo, eligunt, de se nostri qui pro omnibus responderent, decem. Collocat sibi Cyrila cum suis satellitibus in loco excelso superbissimum thronum, astantibus nostris, dixerúntque nostri Episcopi: Illa est semper grata collatio, vbi superba non dominatur elatio: sed ea consensu communi venitur, vt cognitoribus decernentibus, partibus agentibus, quod verum est agnoscatur. Nunc qui erit Cognitor, qui Examinator, vel libra iustitię vt benè prolata cōfirmet, aut prauè assumpta refellat? Et cùm talia & alia dicerentur, Notarius Regis respondit: Patriarcha Cyrila dixit, legatur nobis quo cōcedente istud sibi nomen Cyrila assumpsit.

Catholicorum disputatio cum Arrianis.

Et exinde strepitum concitantes, calumniari aduersarij cœperunt. Et quia hoc nostri petierant vt saltem si examinare non licebat, prudenti multitudini vel expectare liceret, iubentur vniuersi filij catholicæ Ecclesiæ qui aderant centenis fustibus tundi. Tunc clamare cœpit beatus Eugenius: Videat Deus vim quam patimur, cognoscat afflictionem persecutionum quàm à persecutoribus sustinemus: conuersique nostri, Cyrilæ dixerūt: Propone quod disponis. Cyrila dixit: Nescio Latinè. Nostri Episcopi dixerūt: Semper te Latinè esse locutum manifestò nouimus, modò excusare non debes, præsertim quia tu huius rei incendium suscitasti. Et videns Catholicos Episcopos ad conflictum magis fuisse paratos, omnino audientiam diuersis cauillationibus declinauit. Quod antè nostri prouidentes, libellum de fide conscripserant, satis decenter sufficientérque conscriptum dicentes: Si nostram fidem cognoscere desideratis, hæc est veritas quam tenemus.

VICTORIS EPISCOPI VTICENSIS DE CATHOLICA FIDE, LIBER.

Regali imperio fidei Catholicæ quam tenemus, præcipimur reddere rationem: ideóque aggredimur pro nostrarum virium mediocritate diuino fulti adiutorio, quod credimus & prædicamus breuiter intimare. Primum igitur de vnitate substantię Patris, & Filij, quod Græci ὁμοούσιον dicunt, exponendum nobis esse cognoscimus. Patrem ergo & Filium & Spiritum sanctum ita in vnitate deitatis profitemur, vt & Patrem in sua proprietatis persona subsistere, & Filium nihilominus in propria extare persona, atque Spiritum sanctum personæ suæ proprietatem retinere, fideli confessione fateamur: non eundem asserentes Patrem quem Filium, neque Filium confitentes qui Pater sit aut Spiritus sanctus: neque ita Spiritum sanctum accipimus, vt aut Pater sit aut Filius: sed ingenitum Patrem, & de Patre genitum Filium, & de Patre procedentem Spiritum sanctum, vnius credimus esse substantiæ vel essentiæ: quia ingeniti Patris & geniti Filij, & procedentis Spiritus sancti vna est deitas, tres verò personarum proprietates. Et quia contra hanc Catholicam vel Apostolicam fidem extorta hæresis nouitatem quandam induxerat, asserens Filium non de Patris substantia genitum, sed ex nullis extantibus, id est, ex nihilo substitisse: ad hanc impietatis professionem quæ contra fidem emerserat refellendam, & penitus abolendam ὁμοούσιον sermo Græcus positus est, quod interpretatur vnius substantiæ vel essentiæ, significans filium non ex nullis extantibus, ex alia substantia, sed de Patre natum esse. Qui ergo putat Omousion auferendum, ex nihilo vult asserere Filium extitisse. Sed si ex nihilo non est, ex Patre sine dubio est, & rectè Omousios, id est, vnius cum Patre substantiæ Filius est. Ex Patre autem esse, id est, vnius cum Patre substantiæ: his testimoniis approbatur, Apostolo dicente: Qui Hebr. 1. cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius gerens quoque omnia verbo virtutis suæ. Et ipse iterum Deus Pater incredulorum perfidiam obiurgans, qui prædicantis per Prophetas Filij vocem in sua substantia manentem audire noluerunt, dixit: Non audierunt vocem substantiæ. Quam vocem substantiæ cum tam terribili intestatione increpans ad eundem Prophetam loquitur, Hierem. 9. dicens: Super montes accipe planctum, & super semitas deserti luctum, quia defecerunt eo quòd non sint homines, non audierunt vocem substantiæ à volatilibus cœli vsque ad pecora. Et rursum eos qui à professione vnius substantiæ declinantes in eadem fidei substantia stare noluerunt, increpat, dicens: Si stetissent in substantia mea, auertissem vtique eos à via sua mala, & à pessimis cogitationibus suis. Et iterum non extra substantiam Patris Filium confitendum, sed in eadem fideliter mentis oculis contuendum, apertissimè declaratur, dum dicit Propheta: Quis stetit in substan-

A tia Domini, & vidit verbum eius? Patris ergo substantiam filium esse Propheticis iam olim designatum est oraculis, dicente Salomone: Substantiam enim & dulcedinem tuam quam in filios habes, ostendebas, quam Sapien. 16. in figura & imagine panis cœlestis, populo Israël cœlitùs apparet prouexisse: quod ipse Dominus in Euangelio exposuit, dicens: Non Moyses dedit vobis panem de Ioan. 6. cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo: se vtique panem esse designans, cùm dicit: Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi: de quo etiam Propheta Dauid dicit: Panem Angelorum manducauit homo. Nan- Psal. 77. que vt adhuc euidentiùs Patris & Filij substantiæ vnitas & diuinitatis æqualitas ostendatur, ipse in Euangelio dicit: Ego & Pater vnum sumus. Quod non ad vnitatem Ioan. 5. tantummodo voluntatis, sed ad vnam refertur eandémque substantiam, quia non dixit: Ego & Pater vnum vo- B lumus: sed vnum sumus. Ex eo enim quod sunt, non eo tantùm quod volunt, paternæ vnitatis declaratur assertio. Item Ioannes Euangelista dicit: Propterea quærebant eum Iudæi interficere, quia non solùm soluebat Sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo: quod vtique non ad Iudæos est penitùs referendum, quia Euangelista veraciter dixit de filio, quia æqualem se faciebat Deo. Item in Euangelio scriptum Ioan. 5. est: Quæcunque Pater facit, eadem & Filius facit. Similiter & sicut Pater suscitat mortuos & viuificat, ita & Filius quos vult viuificat. Item, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Æqualis enim honor, non nisi æqualibus exhibetur. Item ibi Filius ad Patrem Ioan. 14. dicit: Omnia mea tua sunt, & tua mea. Item Philippe qui C me videt, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Hoc non dixisset, nisi patri per omnia fuisset æqualis. Item ipse Dominus dixit: Credite in Deum, & in me credite. Et adhuc vt vnitatem æqualitatis demonstraret, ait: Nemo nouit Filium nisi Pater, neque Patrem quis nouit nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare: & sicut Filius cui vult reuelat Patrem, ita & Pater reuelat Filium: sicut ipse Petro ait, confitenti eum Christum Filium Dei viui: Beatus es, inquit, Simon Bar- Math. 16. iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. Et iterum Filius dicit: Nemo venit ad Patrem nisi per me, & nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, attraxerit eum. Vnde claret æqualitatem Patris & Filij ad se inuicem credentes adducere. Item di- Ioan 14. D cit: Si cognouissetis me & Patrem meum vtique cognouissetis, & amodò nostis eum, & vidistis eum. Verùm quia duas in Filio profitemur esse naturas, id est Deum verum, & hominem verum, corpus & animam habentem, quicquid ergo excellenti sublimatis potentia de eo referunt scripturæ, admirādæ eius diuinitati tribuendum sentimus: & quicquid infra honorem cœlestis potentiæ de eodem humiliùs enarratur, non verbo Dei, sed homini reputamus assumpto. Secundum diuinitatem ergo est quod superiùs diximus, vbi ait: Ego & Pater vnum sumus: &, Qui videt me, videt & Patrem: &, Omnia quæcunque Pater facit, eadem & Filius facit similiter, vel cætera quæ superiùs continentur. Illa verò quæ de eo referuntur, ista sunt: Pater maior me est: &, Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui E misit me: &, Pater si fieri potest, transeat à me calix iste: Math. 17. vel cùm de cruce dicit, Deus Deus meus quare me dereliquisti? Et iterum ex persona Filij Propheta dicit: De Psal. 21. ventre matris meæ Deus meus es tu: vel cùm minor Angelis iudicatur, & quàmplura his similia, quæ studio breuitatis non inseruimus. Filius ergo Dei nullis conditionum necessitatibus obstrictus, sed libera diuinitatis potentia, ita quæ nostra sunt mirabili pietate assumpsit, vt ab his quæ diuinæ sunt omnino non destiterit, quia diuinitas nec augmentum admittit, nec patitur detrimentum: vnde gratias agimus Domino nostro Iesu Christo, qui propter nos, & propter nostram salutem de cœlo descendit, sua passione nos redemit, sua morte viuificauit, sua ascensione glorificauit: Qui sedens ad dexteram

Patris, venturus est iudicare viuos & mortuos: iustis
A æternæ vitæ præmium largiturus, impiis atque incredu-
lis merita supplicia redditurus. Profitemur itaque Pa-
trem de seipso, hoc est, de eo quod ipse est, sempiternè at-
que ineffabiliter Filium genuisse, non extrinsecus, non
ex nihilo, non ex alia genuisse materia, sed ex Deo na-
tum esse: & qui de Deo natus est, non aliud est quàm id
quod Pater est, & idcirco vnius substantiæ est, quia ve-
ritas natiuitatis, diuersitatem non admittit generis.
Nam si alterius à Patre substantiæ est, aut verus filius
non est, aut quod nefas est dicere degener natus est. Est
1.Ioan. 5. enim verus filius, sicut Ioannes ait: Vt simus in vero fi-
lio eius. Non est etiam degener, quia Deus verus de Deo
natus est vero: sicut idem Ioannes Euangelista exequi-
Ioan. 14. tur, dicens: Hic est verus Deus, & vita æterna. Et ipse
B Dominus in Euangelio: Ego sum, inquit, via, veritas &
vita. Ergo si aliunde substantiam non habet, de Patre ha-
bet. Si de Patre habet, vnius substantiæ cum Patre est:
sed si vnius substantiæ non est, ergo non de Patre, sed
aliunde est: quoniam vnde est, inde substantiam habeat
necesse est. Omnia enim ex nihilo, Filius verò de Patre.
De duobus eligat quis quod velit: aut det ei substantiam
de Patre, aut fateatur ex nihilo substitisse. Sed Propheti-
cum forsitan obiicitur testimonium: Generationem eius
Isa. 53. quis enarrabit? Cùm ego non dixerim, Enarra mihi mo-
dum vel qualitatem diuinæ generationis, & tanti secre-
ti arcanum humanis verbis enuntia, quoniam vnde na-
tus sit exquisiui. Diuina enim generatio inenarrabilis
est, non ignorabilis. Nam vsque adeò non est ignora-
bilis, id est, non ignoratur vnde sit, vt & Pater de ipso
C genuisse, & Filius de Patre se natum sæpissimè proteste-
tur. Quod nullus omnino ambigit Christianus: sicut
Ioan. 3. in Euangelio demonstratur, ipso Filio dicente: Qui au-
tem non credit, iam iudicatus est, quia non credidit in
nomine vnigeniti filij Dei. Item Ioannes Euangelista di-
cit: Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à
Patre. Ergo professionem nostram breui sermone con-
cludimus. Si verè de Patre natus est, vnius substantiæ est,
& verus filius est. Sed si vnius substantiæ non est, nec
verus Deus est: aut si verus Deus est, & tamen de Patris
substantia non est, ingenitus ergo & ipse est, sed quia in-
genitus non est, factura ergo est, vt putatur aliundè sub-
sistens, si de patris substantia non est: sed absit hoc ita
credere. Nos enim vnius substantiæ cum Patre Filium
D profitemur, detestantes Sabellianam hæresim, quæ ita
Trinitatem confundit, vt eundē dicat esse patrem quem
Filium, eundémque credat esse Spiritum sanctum, non
seruans tres in vnitate personas. Sed forsitan obiicitur
cùm ingenitus pater sit, genitus filius, non fieri posse v-
nam eandémque esse substantiam geniti atque ingeniti,
cùm vtique si sicut ingenitus Pater est, ingenitus esset &
Filius, tunc magis diuersa possit esse substātia, quia vnus-
quisque à seipso subsistens, communem substātiam cum
altero nō haberet. Cùm verò ingenitus Pater de seipso,
id est, de eo quod ipse est, si quid illud est aut dici potest,
imò quia vt est dici omnia non potest, Filium generauit,
apparet vnam esse gignentis genitíque substantiam: quia
Deum de Deo, lumen de lumine Filium esse veraciter
E 1.Ioan. 1. profitemur. Nam lucem esse Patrem, Ioannes Aposto-
lus testis est, dicens: Quia Deus lux est, & tenebræ in eo
non sunt vllæ. Item de Filio ait: Et vita erat lux homi-
num, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non com-
prehenderunt. Et infrà: Erat lumen verum quod illu-
minat omnem hominem venientem in hunc mun-
dum. Vnde apparet Patrem & Filium vnius esse substan-
tiæ, dum lucis & hominis diuersa non potest esse substā-
tia, eius scilicet quæ de se gignit, & quæ de gignente exi-
stit. Denique ne aliquis inter Patrem & Filium, diuersi-
Hebr. 1. tatem naturalis luminis introducat, ideò Apostolus de
filio dicit: Qui cum sit splendor gloriæ, & figura sub-
stantiæ eius. In quo euidentiùs, & coæternus Patri &
inseparabilis à Patre & vnius cū eo esse substāriæ perdo-
cetur: dū luci splendor est semper coæternus, dum splen-

A dor à luce natura substantiæ nunquam potest esse diuer-
sus. Quis enim splendor lucis est, idē & Dei Patris virtus
est. Sempiternus ergo propter virtutis æternitatem, in-
separabilis propter claritudinis vnitatē. Et hoc est quod
nos fideliter profitemur, Filium de Patris substantia na-
tum: sicut ipsum Pater Deus apertissimum perhibet te-
stimonium. Qui vt de sua ineffabilis naturæ substantia
proprium filium genuisse monstraret, ad instruendam
fragilitatis nostræ imperitiam, vt nos ex visibilibus ad
inuisibilia erigeret, terrenæ natiuitatis vocabulum ad di-
uinæ generationis traxit exemplum, dicens: Ex vtero an-
te luciferum genui te. Quid clariùs, quid luculentiùs ef-
fari diuinitas dignaretur? Quibus indiciis, quibus existē-
tium rerum exemplis proprietatem generationis osten-
deret? Non quia corporeis compositus est membris, aut
B aliquibus artuum lineamētis distinctus: sed quia nos ali-
ter veritatem diuinæ generationis auditu mentis perci-
pere nō possemus, nisi humani vteri prouocaremur vo-
cabulo, vt ambigi vltra non possit de Dei substantia na-
tum esse, quem constat ex patris vtero extitisse. Creden-
tes ergo Deum patrem de sua substantia impassibiliter
Filium generasse, non dicimus ipsam substantiam aut di-
uisam esse in filio, aut diminutionem pertulisse in patre:
& per hoc passionis potuisse vitio subiacere. Absit enim
à nobis, vt talia vel opinemur vel cogitemus de Deo,
quia nos perfectum patrem, perfectum filium, sine sui
diminutione, sine aliqua deriuatione, sine omni omninò
passionis infirmitate genuisse, fideliter profitemur. Nam Genes. 2.
qui obiicit Deo, qui de ipso genuit, diuisionis vitium
pertulit: potest dicere, quia & laborem sensit quādo vni-
C uersa condidit, & ob hoc die septima ab omni suo ope-
re requieuit. Sed nec in generando de seipso passionem
vel diminutionem aliquam sensit, nec in condendo vni-
uersa, fatigationem aliquam pertulit. Namque vt euidē-
tiùs nobis diuinæ generationis impassibilitas insinuare-
tur, Deum ex Deo, lumen ex lumine, filium profitēdum
accepimus. Si ergo efficientia visibilis ac mundani lumi-
nis tale aliquid non inuenitur, vt lumine ex lumine sum-
pto, & per quandam generationis natiuitatem extorto
ipsam luminis originem, quæ ex se lumē aliud dedit, nec
minui, nec vllum omnino detrimentum ministrati ex se
luminis perpeti contingat: &c.

Quæ hîc desunt, habes infra Tom. 3. Col. 455.

D

LIBER TERTIVS.



QVi cùm noster libellus legeretur o-
blatus, veritatis lumen nequaquam
sufferre cæcis oculis potuerunt, in-
sanientes vocibus inferendis, grauí-
térque ferentes quare nos nomine
nostro Catholicos dixerimus. Sta-
tímque mentientes suggerunt Regi
de nobis, eo quòd strepitum fecerimus, audientiam fu-
gientes. Qui eadem hora accensus & credens mendacio,
festinauit facere quod volebat. Et iam conscriptum ha-
bens, & occultè cum eodem decreto per diuersas pro-
E uincias suos homines dirigens, Episcopis Carthagine
positis, vna die vniuersæ Africæ Ecclesias clausit, vniuer-
sámque substantiam Episcoporum & Ecclesiarum, suis
Episcopis munere condonauit. Nesciens quoque quid
loqueretur, neque de quibus affirmabat, legem quam
dudum Christiani imperatores nostri contra eos, &
contra alios hæreticos pro honorificentia Ecclesiæ Ca-
tholicæ promulgauerunt, aduersum nos illi proponere
non erubuerunt addentes multa de suis sicut placuit ty-
rannicæ potestati. Hæc est enim series datæ & proposi-
tæ legis.

REx Hunericus, Vandalorum & Alanorum, vniuer- Hunerici edictum contra catholicos.
sis populis nostro regno subiectis. Triumphalis
maiestatis & regię probatur esse virtutis, mala in autores
consilia retorquere. Quisquis enim aliquid prauitatis

inuenerit, sibi imputauit quod incurrit. In qua re nutum diuini iudicij clementia nostra secuta est, quod quibusque personis prout eorum facta meruerint, seu bona seu fortè talibus contraria dum facit expendi, simul etiam prouenit compensari. Itaque his prouocantibus qui præceptionem inclytæ recordationis patris nostri, vel mansuetudinis nostræ crediderint esse temnendam, censuram seueritatis assumimus. Authoritatibus enim cunctis populis fecimus innotesci, vt in sortibus Vandalorum nullos conuentus omousiani Sacerdotes assumerent, nec aliquid mysteriorum (quæ magis polluunt) sibimet vendicarent. Quod cùm videremus esse neglectum & plurimos esse repertos, dicentes se integram regulam fidei retinere, postmodum vniuersos constat fuisse commonitos spatio temporis prærogato mensium, nouæque contentionis, si quid ab eorum proposito posset aptari, vt ad Calendas Februarias, anni octaui regni nostri, sine metu aliquo conuenirent. Qui dum huc ad Carthaginensem confluerent ciuitatem post moram temporis præstituti, aliam quoque dilationem aliquantorum dierum dedisse cognoscimur. Et dum se conflictui paratos astruerent, primo die à venerabilibus Episcopis nostris eis videtur esse propositum, vt Homousion sicut admoniti erant ex diuinis scripturis propriè approbarent, aut certè quod à mille & qui id excurrunt Pontificibus de toto orbe in Ariminensi concilio, vel apud Seleuciam amputatum est, prædamnarent. Quod nequaquam facere voluerunt, vniuersa ad seditionem per se concitari populi reuocantes. Quinimò & secunda die dum eis mandaremus, vt de eadem fide sicuti propositum fuerat, responderent: hoc euidenter assumpsere temeritate transacta, vt seditione & clamoribus omnia perturbantes, ad conflictum facerent minimè perueniri. Quibus hoc prouocantes, statuimus vt eorum Ecclesiæ clauderentur, hac illis conditione præscripta, vt tandiu essent clausæ, quandiu malent propositum peruenire, quod ea obstinatione facere noluerunt, quam prauis videntur assumpsisse consiliis. Adeò in hos est necessarium ac iustissimum retorquere, quod ipsarum legum continentia demonstrantur, quas inductia secum in errorem imperatoribus diuersis tunc contigit promulgari. Quarum illud videtur tenere conceptio, vt nulla super exceptis institutionis suæ antistitibus Ecclesia paruisset, nulli liceret aliis aut conuictus agere, aut exercere, conuentus nec Ecclesias aut in vrbibus aut in quibusdam paruissimis locis penitus obtinere neque construere: sed præsumpta, fisci viribus ingererentur: sed etiam & eorum patrimonia Ecclesiis suæ fidei sociata, suis Antistitibus prouenissent, nec commemorare quæcunque loca talibus licentia paruisset: sed extorres omnibus vrbibus redderentur & locis, nec baptismatis haberent omnino aliquam facultatem, aut fortè de religione disputarent, & nullam ordinandi haberent licentiam, siue Episcopos, siue Presbyteros, vel alios quos ad cleros pertinere contingeret, proposita seueritate vindictæ; vt tam hi qui se paterentur huiusmodi honores accipere quàm etiam ipsi ordinatores, denis libris auri singuli multarentur, eo adiecto, vt nullus eis locus esset vel aditus supplicandi, sed etiam si qua specialia meruissent, minimè præualerent. Et si in hac pernicie perdurarent, & de proprio ablati in exilium sub persecutione idonea mitterentur: in populos quoque, præfati imperatores similiter sæuientes, quod eis nec donandi libertas, nec testandi, aut capiendi, vel ab aliis derelictum penitus subiacere: non fidei commissæ nomine, non legati, non donationibus, aut relictione quæ mortis causa appellatur, vel quolibet codicello aliisve forsitan scripturis: ita vt etiam qui suis palatiis militarent, condemnationi grauissimæ pro dignitatis merito facerent subiectos, vt omni honoris priuilegio expoliati, infamiam incurrerent, & publico crimini huiusmodi personæ se cognoscerent esse subiectos, officialibus etiam Iudicum diuersorum, xxx. argenti pondo pœna proposita: quam si

A quinque vicibus, in errore perdurantibus contigisset inferre, tum demum tales conuicti atque subiugati verberibus, in exilium mitterentur. Deinde codices vniuersos Sacerdotum quos persequebantur, præceperant ignibus tradi. Quod de libris huiusmodi, quibus sibi hominis illius errorem persuasit iniquitas, præcipimus faciendum. Hæc enim, vt dictum est, pro singulis quibusque personis illi obseruanda præceperant, vt Illustres singillatim auri pondo quinquagena darent: Spectabiles auri pondo quadragena: senatores auri pondo tricena: populares auri pondo vicena: Sacerdotales auri pondo tricena: decuriones auri pondo quina: negotiatores auri pōdo quina: plebeij auri pondo quina: circumcelliones auri pondo dena. Et si qui fortè in hac pernicie permanerent, confiscatis omnibus rebus suis, exilio multarentur. Ordines autem ciuitatum, sed & B procuratores & conductores possessionum, tali pœna videbantur affligere, vt si fortè tales celare diligerent, & minimè publicassent, & retentos iudicio non facerent præsentari, ipsi tenerentur ad pœnam: conductoribus etiam regalium prædiorum hæc multa proposita, vt quantum domui regiæ inferrent, tantum etiam fisco pœnæ nomine cogerentur exsoluere. Id generaliter in omnibus conductoribus vel possessoribus, qui in eadem superstitione crediderint perdurandum, constituerunt obseruari: iudicibus etiam qui huic rei instantissimè non imminebant, pœna proscriptionis & sanguinis supplicium poneretur. Sed & de primatibus officiorum tres numero punirentur, aliis xx. librarum auri condemnatione multandis. Quare his necesse est con- C stitutionibus obligari omousianos omnes, quos huiusmodi malæ persuasionis constat tenuisse & tenere materiam. Quos ab omnibus supradictis abstinere decernimus, in prosecutione venturis per ordines cunctarum vrbium. Sed etiam iudices qui superioribus neglectis, dira supplicia diuersis non intulisse monstrantur, omnes supradictæ fidei omousion erroribus implicatos, quæ cuncto prædamnata est concilio tantorum numero Sacerdotum, vniuersis rebus prædictis & contractibus præcipimus abstinere, quod nihil sibi nouerint esse permissum: sed vniuersos similis pœna maneat & astringat, si ad veram religionem quam veneramur & colimus, intra diem Kalendarum Iuniarum anni octaui regni nostri conuersi non fuerint, ad diem autem D præstitutum eadem pietas nostra constituit, vt prædamnatis errorum indulgentia non negetur, & obstinatos animos supplicia digna coërceant. Qui autem in eodem errore permanserint, seu domus nostræ occupati militia, seu forsitan diuersis titulis necessitatibusque præpositi, pro gradibus suis dictarum superius multarum illationes cogantur excipere, nihil valitura quæ forsitan per surreptionem quemquam talium contigit promereri. In priuatos etiam vel cuiuscunque gradus & loci personas, hoc nostra promulgatio præcepit obseruandum, quod circa tales supradictis legibus videbatur expressum, vt pœnæ congruæ subderentur. Iudices autem prouinciarum quod statutum est negligentes exequi, superiori pœna quæ talibus est præscripta, E constituimus obligandos. Veris autem maiestatis diuinæ cultoribus, id est, Sacerdotibus nostris, Ecclesias vniuersas, vel totius cleri nominis supradicti quibuscunque terris & regionibus constitutas, quæ propitia diuinitate, imperij nostri regimine possidentur, vnà cum rebus quæ ad easdem pertinent, hoc decreto statuimus debere proficere, non dubitantes plus alimoniæ inopum proficere, quod sacrosanctis pontificibus iustè collatum est. Hanc ergo legem è fonte iustitiæ profluentem, cunctis præcipimus innotescere, quatenus nullus sibi ignotum esse quod præceptum est possit obtendere. Optamus vos benè valere. Data sub die VI. Kalend. Martij, Carthagine.

Hæreticorum Libri combusti.

Surreptio.

Pontificum bonis ali debent inopes.

LIBER TERTIVS.

POst hæc edicta feralia veneno toxicato transuersa, iubet cunctos Episcopos qui Carthagine fuerant congregati, quorum iam Ecclesias, domos, & substantiam cœperat, in hospitiis quibus erant expoliari, & expoliatos foras muros propelli, non animal, non seruus, non mutanda quæ ferebant vestimenta penitus dimittuntur, addēs adhuc, vt nullus quempiam illorum hospitio reciperet, aut alimoniam præstaret. Qui autem hoc miserationis causa facere tentasset, cum vniuersa domo sua incēdio cremaretur. Sapiēter tunc etiam prorecti Episcopi fecerunt, vt licet mendicantes exinde non abirent: quia si recederent, non tantùm violenter omnino reuocarētur, sed & mentirentur eos sicut mentiti sunt, fugisse cōflictum, maximè quia vbi reuerterērur iam nequaquam fuerat Ecclesiis substantia, vel domibus occupatis. Dum ergo gemētes in circuitu murorum nudo sub aëre iacerent: factum est vt rex impius ad piscinas exisset. Cui vniuersi occurrere maluerunt dicentes: Vt quid taliter affligimur? pro quibus malis fortè commissis ista perpetimur? Si ad disputationem congregati sumus, quare expoliamur? quare traducimur? quare differimur? & sine Ecclesiis & domibus nostris foras ciuitatem fame & nuditate laborantes, mediis stercoribus volutamur: Quos ille toruis oculis aspiciens, priusquam suggestionem eorum audisset, iussit super eos cum sessoribus equos dimitti, vt tali violentia possent non solùm conteri, verumetiam necari. Quorum tunc multi contriti sunt, & præcipuè senes & infirmi. Tunc deinde iubentur, ad quendam locum qui dicitur ædes Memoriæ, illi viri Dei occurrere, fraudem sibi nescientes aptatam. Vbi cùm venissent, charta eis ostenditur inuoluta, dicitúrque illis ista subtilitate serpentis: Dominus noster rex Hunnerichus, licet doleat quòd fueritis contemptores, & adhuc eius voluntati obedire tardetis, vt eius efficiamini religionis cuius est ipse, nūc tamen bonum de vobis cogitauit. Si iuraueritis ita, vt quod ista charta continet faciatis, dimittit vos Ecclesiis & domibus vestris. Ad quod vniuersi Episcopi responderunt: Semper dicimus & diximus, & dicturi sumus: Christiani sumus, Episcopi sumus, Apostolicam fidem vnam & veram tenemus. Factóque post confessionem fidei silentio modico, illi qui à rege fuerant destinati, festinabant extorquere Episcopis Sacramētum. Tunc beati viri Hortulanus & Florētinianus Episcopi, pro omnibus & cum omnibus dixerunt: Nunquid animalia nos irrationabilia sumus, vt nescientes quid charta contineat, facilè aut temerè iuremus? Accelerauerunt quoque illi à rege destinati, scripturæ eis propalare tenorem, qui huiusmodi sermonibus fuerat coloratus. Sic enim calumniosa series continebat. Iurate si post obitum Domini nostri regis, eius filium Hildericum desideratis esse regem: vel si nullus vestrûm ad regiones transmarinas, Epistolas diriget: quia si Sacramentum huius rei dederitis, restituet vos Ecclesiis vestris. Cogitauit tunc multorum pia simplicitas, etiam contra prohibitionem diuinam Sacramentum dare, ne Dei populus in posterum diceret, quòd vitio Sacerdotum qui iurare noluerunt, non fuerint Ecclesiæ restitutæ. Alij quoque astutiores Episcopi sentientes dolum fraudis, nequaquam iurare voluerunt, dicentes prohibitum fuisse Euangelica authoritate, ipso Dómino dicente: Non iurabis in toto. Quibus ministri regis, secedant in parte, inquiunt, qui iurare disponunt. Qui cùm secederent, notariis scribentibus quis quid diceret, & ex qua ciuitate fuisset, exceptum est. Similiter factum est & de illis qui minimè iurauerunt. Statímque pars vtraque custodiæ mancipatur. Pòst verò fraus quæ celabatur apparuit. Iurantibus dictum est: Quare contra præceptum Euangelij iurare voluistis: Iussit rex vt ciuitates atque

Episcoporum Catholicorū miserabilis status.

A Ecclesias vestras nunquam videatis, sed relegari, colonatus iure ad excolendum agros accipiatis: ita tamen vt non psallatis neque oretis, aut ad legendum codicem in manibus gestetis. Non baptizetis, neque ordinetis, aut aliquem reconciliare præsumatis. Similiter non iurantibus ait: Quia regnum filij Domini nostri non optatis, idcircò iurare noluistis. Ob quam causam iussi estis in Corsicanam insulam relegari, vt ligna profutura nauibus dominicis incidatis. Addidit itaque bestia illa, Sanguinem sitiens innocentum. Episcopis necdum adhuc in exilium directis, per vniuersas Africanæ terræ prouincias, vno tempore tortores crudelissimos destinari: vt nulla remansisset domus & locus, vbi non fuisset eiulatus & luctus, vt nulli ætati, nulli parceretur sexui, nisi illis qui eorum succumberent voluntati. Hos fustibus,
B illos suspendio, alios ignibus concremabant. Mulieres & præcipuè nobiles contra iura naturæ nudas omnino in facie publica cruciabant. Ex quibus vnam nostram Dionysiam, cursim ac breuiter nominabo. Cùm viderent eam non solùm viderent audacem, sed etiam matronis cæteris pulchriorem, ipsam primò nisi sunt fustibus expoliatam aptare. Quæ cùm pateretur, dicerétque de Domino suo secura, qualiter libet cruciate, verecunda tamen membra nolite nudare: Amplius illi magis furientes, celsiori loco vestimentis exutam constituunt, spectaculum eam omnibus facientes. Quæ inter ictus virgarum dum riuuli Sanguinis toto iam corpore fluitarent, libera voce dicebat: Ministri diaboli, quod ad opprobrium meum facere computatis, ipsa est laus mea. Et quia erat scripturarum diuinarum scientia plena, arrata
C pœnis, & ipsa iam martyr, alios ad martyrium confortabat. Quæ suo sancto exemplo vniuersam suam patriam liberauit. Quæ cùm suum vnicum filium admodum adhuc teneræ ætatis & delicatum, timore pœnarum formidolosum conspiceret, verberans eum nutibus oculorum, & increpans authoritate materna, ita cōfortauit vt matre multo fortior redderetur. Cui inter crudelia verbera cōstituto, ita dicebat: Memento fili mi, quia in nomine Trinitatis in matre catholica baptizati sumus, non perdamus indumentum nostræ salutis, ne veniens inuitator, vestem non inueniat nuptialem, & dicat ministris: Mittite in tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & stridor dentium. Illa pœna timenda est quæ nunquam finitur. Illa desideranda vita, quæ semper
D habetur. Talibus itaque filium solidans verbis, velociter martyrem fecit. Venerabilis verò adolescens Maioricus nomine, in certamine confessionis Spiritum reddens, cursum palmiferum consummauit. Amplexánsque illam hostiam suam, quantis potuit vocibus Domino gratias agens, ad gaudium spei futuræ in sua domo maluit sepelire, vt quotiens super sepulchrum eius Trinitati preces effundit, alienam se à filio nunquam esse confidat. Quanti igitur per eam in illa ciuitate vt fati sumus, acquisiti sunt Deo, longum est enarrare. Nam & eius germana nomine Datiua, atque Leontia filia sancti Germani Episcopi, gnatúsque Datiuæ venerabilis Emilius medicus, religiosus quoque Tertius, Trinitatis confessione præclarus, vel
E Sibidensis Bonifacius quanta pertulerint, qualibúsque cruciatibus euisceratæ vel euiscerati sint, qui valet, ex ordine dicat. Serui quoque Tuburbitanæ ciuitatis maioris, generosus & nobilis vir pro Christo quas pertulit quis explicet pœnas? Qui post cædes innumerabilium fustium, trocleis frequentibus eleuatus, dum tota præ vrbe penderet, nunc in sublime se tollente ictu celeri, dimissis iterum cannabinis, super silices platearum pondere corporis veniens, vt lapis super lapides corruebat. Sed & sæpiùs tractum, & lapidibus acutissimis defricatum, & cutibus separatis, pelles corporis lateribus dorsóque videres & ventre pendere. Iste iam temporibus Geiserici non valde dissimilia pertulerat, ne amici cuiusdam sui secreta nudaret: quantò magis nunc vt suæ fidei Sacramenta muniret? Et si

Episcoporum Catholicorum exilium.

Dionysiæ martyrium.

Preces super sepulchro defuncti.

hominis gratiæ fideliter exhibuit fidem, quantum debet illi, qui redditurus est pro fide mercedem? In ciuitate verò Culusitana non valeo quæ gesta sunt nuntiare, quia & ipsam quantitatem martyrum vel etiam confessorum impossibile est homini supputare. Vbi quædam matrona auctrix sui nominis Victoria, dum in conspectu vulgi continuato suspendio crematetur, à marito iam perdito filiis præsentibus taliter rogabatur: Quid pateris coniunx? Si me despicis, vel horum quos genuisti miserere impia paruulorum. Quare obliuisceris vteri tui, & pro nihilo ducis quos cum gemitu peperisti? Vbi sunt fœdera coniugalis amoris? Vbi societatis vincula quæ inter nos dudum honestatis iure tabulæ conscriptæ fecerunt? Respice quæso filios ac maritum, & regiæ iussionis implere festina præceptum, vt & imminentia adhuc tormenta lucreris, simul & mihi doneris & liberis nostris. Sed illa nec filiorum fletus, nec serpentis audiens blandimenta, affectum multo altius eleuans à terra, mundum cum suis desideriis contemnebat. Quam cùm iam continuatione suspendij vulsis humeris, etiam qui cruciabant conspicerent mortuam, deposuerunt prorsus omni parte exanimem. Quæ posteà retulit quandam sibi virginem astitisse, atque tetigisse membra singula, & illico fuisse sanatam. Qualiter autem Adrumentinæ ciuitatis ciuem Victorianum tunc proconsulem Carthaginis prædicem, nescio deficientibus verbis. Quo in Africæ partibus nullus ditior fuit, qui etiam apud impium regem pro rebus semper sibi commissis fidelissimus habebatur. Mandatur ei à rege familiariter, dicitúrque, quòd eum habiturus esset præ omnibus, si eius præcepto facilem commendasset assensum. Sed ille vir Dei missis ad se tale dedit cum fiducia magna responsum: Securus de Deo & Christo, Domino meo, dico quæ regi dicatis. Subrigat ignibus, adigat bestiis, excruciet generibus omnium tormentorum, si consensero, frustra sum in Ecclesia Catholica baptizatus. Nam si hæc præsens vita sola fuisset, & aliam quæ verè est non speraremus æternam, nec ita fecissem ad modicum atque temporaliter gloriari, & ingratus existere, qui suam fidem mihi contulit creditori. Ad quod tyrannus excitatus, quantorum temporum, & quantis eum affixerit pœnis, humanus sermo non poterit explicare. Qui tripudians in Domino fœliciterque consummans, martyrialem coronam accepit. Apud Tambaiensem quoque ciuitatem gesta, quis queat certamina martyrum explicare? Vbi duo germani Aquisregiensis ciuitatis, sibi securi de Domino inuicem iurauerunt, & rogauerunt tortores, vt vna pœna parique supplicio torquerentur. Et dum primo suspendio molibus lapidum pedibus alligatis tota die penderent, vnus illorū petiuit sese deponi, & sibi inducias dari. Cui frater alius metuens ne fidem negaret, de suspendio clamabat: Noli noli frater, non ita iurauimus Christo. Accusabo te cùm ante thronum eius terribilem venerimus: quia super corpus eius & sanguinem iurauimus, vt pro eo inuicem patiamur. Ista dicens & alia multa, confortauit germanum ad prælium passionis. Qui clamans ingenti voce dicebat: Adigite suppliciis quibus vultis, & pœnis Christianos artate crudelibus. Quod frater meus facturus est, hoc etiam ego. Quantis iam laminis igniris adusti sunt, qualibus vngulis exarati, quibus cruciatibus torti, ipsa res docet, & quod eos ipsi tortores à sua facie proiecerunt dicentes: Istos imitatur vniuersus populus, vt nullus ad nostram religionem pœnitus conuertatur, & præcipuè quia nulli liuores, nulla pœnarum vestigia in eis penitus videbantur. In Typasensi verò quod gestum est Mauritaniæ maioris ciuitate, ad laudem Dei insinuare festinemus. Dum suæ ciuitati Arrianum Episcopum ex Notario Cyrillam ad perdendas animas ordinatum vidissent: omnis simul ciuitas euectione nauali de proximo confugit, relictis paucissimis qui aditum non inuenerant nauigandi. Quos Arrianorum Episcopus primò blandimentis, posteà minis compellere cœpit, vt eos faceret Arrianos. Sed fortes in Domino, non solùm suadentis insaniam irriserunt, verumetiam publicè mysteria diuina in domo vna congregati celebrare cœperunt. Quod ille cognoscens, relationem occultè Carthaginem aduersus eos direxit. Quæ cùm regi innotuisset, comitem quendam cum iracundia dirigens, præcepit vt in medio foro congregata illuc omni prouincia, linguas eis & manus dextras radicitus abscidisset. Quod cùm factum fuisset, Spiritu sancto præstante, ita loquuti sunt & loquuntur, quomodo antea loquebantur. Sed si quis incredulus esse voluerit, pergat nunc Constantinopolim, & ibi reperiet vnum de illis subdiaconem Reparatum, sermones politos sine vlla offensione loquentem. Ob quam causam venerabilis nimium in palatio Zenonis imperatoris habetur, & præcipuè regina miri cum reuerentia veneratur. Sed quis congruo sermone possit exequi aut coaccruare diuersitates pœnarum quas ex iussu regis sui, etiam ipsi Vandali in suos homines exercuerunt? In ipsa quoque quæ gesta sunt Carthagine, si nitatur scriptor singillatim astruere etiam sine ornatu sermonis, nec ipsa nomina tormentorum poterit edicere. Quæ res hodiéque posita in promptu demonstrat. Alios sine manibus, alios sine oculis, alios absque pedibus, alios truncos naribus auribúsque intendas, aliosque videas nimio suspendio pilis euulsis, caput quod eminere solebat, in medio scapularum fuisse demersum, dum iugiter in altis ædibus suspendio cruciantes, impulsione manuum funibus agitatis, per vacuum aërem huc atque illuc faciebant vagari pendentem. Qui nonnunquam diruptis funibus de illa altitudine suspensionis ictu valido corruētes, plurimi arcem cerebri cum oculis amiserunt: alij confractis ossibus spiritum continuò reddiderunt, alij post paulum exhalauerunt. Sed qui hoc fabulosum putat, Vranium Zenonis legatum interroget, cuius præsentia præcipuè gesta sunt, illa scilicet causa, quia veniens Carthaginem, sese pro defensione Ecclesiarum Catholicarum venisse iactabat. Et vt illi ostenderet tyrannus se neminem formidare, in illis plateis vel vicis plures tortores & crudeliores statuit, in quibus, legatis moris est ascendendo ad palatium & descendendo transire, ad opprobrium videlicet reipublicæ ipsius, & in nostri iam deficientis temporis fecem. Tunc igitur & quædam vxor cuiusdam cellaritæ regis nomine Dagila, quę temporibus Geiserici multoties iam confessor extiterat, matrona nobilis ac delicata, flagellis & fustibus omnino debilitata, exilio arido & inuio relegatur, vbi nullus hominum fortè consolationis gratia veniendi haberet accessum, relinquens cum gaudio domum, maritum, simul & filios. Cui posteà oblatum esse dicitur, vt in mitiorem eremum translata, frueretur si vellet solatio sociorum. Illa verò ingens sibi adesse credens gaudium, vbi nullus humanus esset consolantis affectus, ne fieret supplicauit. Tunc etiam Eugenio pastore iam in exilio constituto, vniuersus Clerus Ecclesiæ Carthaginis cæde inediáque maceratur, ferè quingenti vel ampliùs. Inter quos quamplurimi erant lectores infantuli, qui gaudentes in Domino, procol exilio crudeli traduntur. Sed libertatem tunc dum media vrbe cederentur, Muritæ diaconi, cæteris liberiorem tacere non debeo. Fuit quidam Elpidoforus nomine, nimium crudelis & ferus, cui fuerat delegatum, membra Confessorum Christi, suppliciis grassantibus laniare. Hic enim dudum fuerat apud nos in Ecclesia Fausti baptizatus, quem venerabilis Muritta diaconus de alueo fontis susceperat generatum. Post verò dum apostataret, tantæ extitit feritatis aduersos Ecclesiam Dei, vt superior omnibus executor persecutionis fuisset inuentus. Quid multa? Dum primò Presbyteri suppliciis macerandi ordine extenderentur, post Archidiaconum Salutarem, artatur pœnis memoratus Muritta. Fuit enim secundus in officio Ministrorum. Qui cum Elpidoforo sedente & fremente, honorabilis senior cœpisset extendi, priusquam exueretur, clam furtò nescientibus cunctis, illa quibus eum susceperat de fonte du-

Martyrum Catholicorum constantia.

Iuramentū super Christi corpus.

Martyrum liuores nulli nec vestigia post pœnas.

Mysteria diuina celebrare.

Catholici elingues locuti, quod & testatur Gregorius Magnus, Dialogorū lib. 3. c. 32. & ex his vnū lapsum in luxuriam, mox dono miraculi caruisse.

Mulier Cōfessor.

Clerus Carthaginēsis.

Archidiaconus salutaris.

Sabana. dum texerat Sabana baiulabat. Quibus ventilatis, simúlque in ostensione cunctorum extentis, in his verbis totam ad fletum & lachrymas commouisse dicitur ciuitatem. Hæc sunt linteamina, Elpidofore minister erroris, quæ te accusabunt, dum maiestas venerit iudicantis, custodiente diligentia mea ad testimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abysso putei sulphurantis. Hæc te immaculatum cinxerant de fonte surgentem. Hæc te acrius persequentur, flammantem gehennam cùm cœperis possidere, quia induisti te maledictionem sicut vestimentum, scindens atque amittens veri baptismatis & fidei Sacramentum. Quid facturus es misee, cùm serui patrisfamilias ad cœnam regiam congregare cœperint inuitatos? Tunc te aliquando vocatum, terribiliter indignatus, exutum stolam rex conspiciet nuptia-

Matt. 22. lem, dicétque tibi: Amice, quomodo huc venisti vestem B non habens nuptialem? Non video quod contuli, non

Cruce mūdata aqua. nosco quod dedi. Perdidisti militiæ chlamydem, quam in tela virgineorum membrorum decem mensibus texi, & tendiculas crucis quas extendens aquam mundaui, & purpura mei sanguinis decoraui, non conspiciunt oculi mei, caracterem non video Trinitatis: talis interesse non poterit epulis meis, ligate eum pedibus & manibus funiculis suis, quia se ipse voluntate separare voluit à catholicis dudum fratribus suis. Ipse funes extendit continuatos in laqueum, quibus & semetipsum vinxit, & alios ne ad istud venirent conuiuium impediuit. Iuxta semitam multis scandalum posuit, quem nunc cum rubore perpetuo, & dedecore sempiterno de cōuiuio meo proieci. Hæc & alia, Muritta dicente: igne conscientiæ, C ante ignem æternum, obmutescens Elpidoforus torrebatur. Parantes itaque vniuersi dorsa sua verberibus, alacres ad exilium pergunt. Quibus adhuc in itinere longioris viæ constitutis, destinantur Episcopis Arrianorum suggerentibus homines immisericordes ac violenti, vt illud quod eis fortè miseratio Christiana victui cōtulerat profuturum, crudeliter auferretur, quando vnusquisque eorum libentiùs fortè cantabat: nudus exiui de vtero matris meæ, nudum me oportet ad exilium pergere, quia Dominus nouit esurientibus cibum porrige-

Iob 1. re, & in deserto vestire. Vandali namque duo sub Gieserico sæpiùs confessores, comitante matre contemptis omnibus diuitiis suis, cùm eisdem Clericis ad exilium perrexerunt. De multitudine autem pergentium confessorum, id est, Ecclesiæ Carthaginis Clericorum, sug- D gerente quodam ex Lectore Teuchariæ perdito, quos illa nouerat vocales, strenuos atque aptos modulis cantilenæ, designatione sua debere dicit duodecim infantulos separari, quos ipse dum catholicus esset tunc discipulos habuit. Statim illo suggerente, sub festinatione viro dimittuntur, & vi barbarici furoris bis senus numerus puerorum de itinere reuocatur. Segregantur corpore non Spiritu à grege sanctorum. Qui timentes præcipitium, cum suspiriis lachrymarum ne diuellerentur

Violentia hæretica. constringebant manibus genua sociorum. Quos violentia tamen hæretica minacibus separans gladiis, Carthaginem reuocauit. Sed cum eis quasi cum tali ætate, cùm non blanditiis ageretur, superiores suis inuenti sunt annis, & ne obdormirent in morte lucernam sibi Euangelici luminis accenderunt. Indignantur ob hoc grauiter E Arriani, & se superatos à pueris erubescunt. Vnde accensi, subdi fustibus iubent, quos iam ante paucissimos dies variis verberibus dissipauerant. Imprimuntur vulneribus vulnera, & rursum pœna restaurata recrudescit. Factum est Domino confortante, vt nec ætas minor deficeret in dolore, & magis animus cresceret roboratus

Carthago colit Martyres. in fide. Quos nunc Carthago miro colit affectu, & quasi duodecim Apostolorum, chorum conspicit puerorum. Vnà degunt, simul vescuntur, pariter psallunt, simul in Domino gloriantur. Illis diebus & duo negociatores Frumentius & alius Frumentius & eiusdem vrbis, egregio martyrio coronati sunt. Tunc & septem fratres non natura sed gratia, simul in Monasterio commanen-

A tes, confessionis certamine expleto, immarcessibilem peruenerunt ad coronam, id est, Liberatus abbas, Bonifacius diaconus, Seruus subdiaconus, Rusticus subdiaconus, Rogatus monachus, Septimus monachus, & Maximus monachus. Nam illo tempore crudeliùs Arrianorum Episcopi, presbyteri & clerici, quàm reges & Vandali sæuiebant. Nam ad persequēdum ipsi cum suis clericis vbique gladiis accincti currebant: sicut quidam Episcopus inter illos cæteris crudelior Antonius nomine, qui tam nefaria & incredibilia in nostros exercuit, vt narrari non queant. Fuit iste in quadam ciuitate proxima eremo, quæ Tripolitanæ prouinciæ vicinatur. Qui vt bestia insatiabilis, catholicorum sitiens Sanguinem, huc illúcque ad rapiendum fugientes, excurrebat. Nam impius Huonericus sciens Antonij ferocitatem, in ipsis B Eremi partibus voluit sanctum Eugenium relegare: Quem dum custodiendum Antonius accepisset, ita eum artiori custodia cinxit, vt nullum ad eum introire permitteret: insuper variis insidiarum atque pœnarum supplicits extinguere cogitauit. Sed Eugenius sanctus dum nostræ persecutionis defleret incommoda, & asperitate

Cilicij asperitas. cilicij senile attereret corpus, nudámque super humum cubitans, stratum sacci sui rigaret imbribus lachrymarum, aliquando sensit in festum paralysis morbum. Quo nuntio in gaudia conuersus Arrianus, pergit festinus ad cubile eximij hominis Dei. Et cum videret vrgente passione verum Pontificem balbutientia verba producere, cogitauit simul extinguere, quem superesse nolebat. Præcepit vt acetum asperum nimísque acerrimum quæ- C reretur. Cui cùm fuisset allatum, venerabilis senis, recu-

Matth. 27. Marc 15. Luc 23. Ioan. 19. santibus & nolentibus faucibus ingerebat. Nam si communis Dominus qui ad hoc venerat vt potaret, cùm gustasset, noluit bibere, quanto magis iste seruus & confessor fidelis omnino nollet, nisi hæretica seruas ingessisset: Ex quo aceto præsertim ille passionis nostræ morbus, accipit augmentum. Cui pietas Christi misericorditer subueniens, posteà sanum exhibuit. Alio autem nostro episcopo Habet Deum similiter relegato, Tamalumensis ciuitatis, in qua Antonius fuerat, quantum potuerat infestari res ipsa demonstrat. Nam cùm diuersis

Wandali Arriani Catholicos inuitos Rebaptizabāt. eum persecutionibus affligeret, nec posset eum facere Arrianum, videretque Christi militem semper in confessione constantem, promiserat suis dicens: Nisi eum nostræ fecero religionis, non sit Antonius. At vbi in sua D promissione minor inuentus est, suggerente sibi diabolo cogitat alium. Pedibus manibúsque ligatis, vinculis ingentibus artat Episcopum, oréque obturato ne lingua clamaret, aquam corpori vt putabat Rebaptizationis spargit: quasi valeret conscientiam ligare cum corpore, aut non adesset qui audit gemitus compeditorum, & cordis secreta rimatur: vel superare posset aqua mendax, tantæ voluntatis propositum, quod iam homo Dei mittentibus lachrymis miserat legatum in cœlum. Exuit statim victum vinculis, & tali quasi gaudens prosequitur voce. Ecce iam frater Habet Deum noster Christianus effectus es, Quid vltra facere poteris, nisi vt voluntati consentias regis? Cui Habet Deum: Illa est impiæ Antoni mortis damnatio, vbi voluntatis tenetur assensio. Ego fidei meæ tenax, vocibus consitens crebris quod credo E & credidi, clamandu defendi. Sed & posteaquàm catenis vinxisti, & oris ianuam opilasti, in prætorio cordis, violentiæ meæ scribentibus Angelis gesta confeci, & lectitanda Imperatori meo transmisi. Erat quidem generalis ista violentia tyrannorum. Nam Vandali pro hac re vbique fuerant destinati, vt transeuntes itinera, sacerdotibus suis adducerent iugulandos. Ac vbi eos fallacis aquæ gladio peremissent, indicium eis perditionis scriptura teste tradebant ne alibi sua violentia traherentur, quia non licebat siue priuatis, siue negociatoribus alicubi transire, nisi scriptam caracteris indicio, suam miseri ostenderent mortem. Quam per reuelationem seruo suo Ioanni olim ostenderat Christus, vbi dicit: nulli licebit aliquid emere vel vendere, nisi qui habuerit cara-

cterem bestiæ in fronte sua, & in manu sua. Nam & Episcopi atque Presbyteri illorum cum armatorum manu nocturnis temporibus vicos & oppida circuibant, & sic despicatibus ianuarum aquam gladiúmque gestantes, animarum prædones intrabant: & quos domi reperierant, alios fortè in lectulis soporatos imbre igneo atque fulmineo respergentes, dæmoniaca vociferatione Christianos suos ipsi pariter vocitabant, vt ludum prorsus suæ hæreseos, magis quàm aliquam religionem ostenderent. In quo minus capaces & ignaui, impletum in se pollutionis sacrilegium putabant: prudentiores verò nihil sibi quòd nolentibus atque dormientibus gestum est, obesse gaudebant. Nam & multi eadem hora cinerem capitibus suis iniecerunt, alij sese vel quia factum est cilicio lugubri texerunt, nonnulli cœno fœtido linierunt, & linteamina violenter imposita per fila consciderunt, atque in latrinis fœtidisque locis manu fidei proiecerunt.

Linteamina Baptizatis imposita.

Tali violentia nobis videntibus, in Carthagine filius cuiusdam nobilis annorum circiter septem, iussu Cyrillæ à parentibus separatus est, matre sine verecundia matronali solutis crinibus post raptorem tota vrbe currente, infantulo clamante vt poterat: Christianus sum, Christianus sum, Christianus sum. Cui & os obturantes, insontem infantiam in suum gurgitem demerserunt. Ita de filiis medici venerabilis Liberati, factum esse probatur. Nam cùm iussu Regis, cum vxore & liberis ad exilium mitti iuberetur, cogitauit impietas Arriana à parentibus filios paruulos separare, quo posset per pietatis affectum etiam virtutem prosternere genitorum. Disiunguntur tenera pignora filiorum. Qui cùm vellet lachrymas emittere, autoritate vxoria increpatur, & in ipso meatu exitus sui illicò lachrymæ siccauerunt. Ait enim ei coniunx: En propter filios Liberate perditurus es animam tuam? Computa eos non fuisse natos. Nam & ipsos omnino vindicaturus est Christus. Nónne vides eos clamantes & dicentes, Christiani sumus? Sed hæc mulier quid in conspectu iudicum egerit, tacendum non est. Nam cùm ipsa & maritus licet seorsum, carceris tamen custodia tenerentur, ita vt se penitùs non viderent: mandatur mulieri, dicitúrque illi. Solue iam duritiem tuam. Ecce vir tuus paruit imperio regis, & noster factus est Christianus. Aitque illa: Videam illum, & faciam ego quod voluerit Deus. Educta igitur de carcere, inuenit virum suum stantem cum ingenti multitudine pro tribunalibus connexum: & verum æstimans quod fecerant inimici, iniecta manu apprehendens oram vestimentorum eius gutturi proximam: videntibus omnibus suffocabat eum dicens: Perdite & reprobe, gratię Dei & misericordiæ eius indigne, quare voluisti ad modicum gloriari, & in æternum perire? Quid tibi proderit aurum? quid argentum? nunquid liberabunt te de camino gehennæ? Dixit & alia multa. Cuius maritus respondit: Quid pateris mulier? quid tibi videtur? aut quid fortè de me audire potuisti? Ego in nomine Christi Catholicus permaneo, nec amittere potero aliquando quod teneo. Tunc hæretici, mendacij sui conscij & detecti, fallaciam suam colorare minimè potuerunt.

Mulieris Carthaginensis constantia in persequutione.

Et quia superiùs de violentia immanitatis eorum breuiter diximus, hanc plurimi metuentes, alij se in speluncis, alij in desertis locis viri vel fœminæ nullo sibi conscio sese claudebant, & ibidem nulla succurrente sustentatione ciborum, fame vel frigore victi, contritum & contribulatum spiritum exhalabant: per hæc afflictionis incommoda inuiolatæ secum fidei securitatem portantes. Sic enim Cresconius presbyter Myzentinæ ciuitatis, in spelunca Ziquensis montis repertus est, putrescente iam solutus cadauere. Et quia de sancto, Habet Deum, præfati iam sumus, pergit tunc ad Carthaginem, adire censuit nefarium regem, vt conscientiam suam quam semper familiarem Trinitas habuit & amicam, etiam hominibus faceret manifestam. Nec eum retinere potuit Antonius, propter verecundiam suam. Offert impiissimo regi libellum in hac similitudine verborum.

A Quid quæso iam cum proiectis habetis? quid cum eis quos exilio relegastis quotidie dimicatis? Abstulistis substantiam Ecclesiis, patria domibúsque priuatis, sola anima remansit quam captiuare contenditis. O tempora, ô mores, vniuersus hæc mundus intelligit, & ipse qui persequitur videt. Si fides dicitur quam tenetis, quid veræ fidei membra tantis persecutionibus agitatis? Quid vobis cum exilio nostro? quid vobis cum egenis in seculo, quorum est vita semper in Christo? Liceat saltem gaudere consortio bestiarum, eis quos abiecistis à facie omnium populorum.

Aniani substantiam Ecclesiis abstulerit.

Dum hæc & his similia pontifex dixisset, sceleratus tyrannus hoc ei mandasse perhibetur. Vade ad Episcopos nostros, & quod tibi dixerint sequere, quia ipsi huius rei habere noscuntur per omnia potestatem. Sed neque Antonium hæc res ab insania potuit B reuocare, sciens se magis imperio Regis ob hoc multum posse placere. Habet Deum verè Episcopum gaudentem bono conscientiæ suæ, ad locum exilij maluit remeare. Ea tempestate facta est incredibilis fames, & cœpit Africam totam vna depopulatione vastare. Nullus tunc adfuit imber, nulla prorsus gutta de cœlo profluxit. Nec frustra, sed verò & iusto iudicio Dei, vt vbi persequentibus, cœnosi gurgitis aqua, & ignis sulphoris bulliebat, indulgentiæ cœlestis, quæ semper affluenter aderat, pluuia negaretur. Lurida remanserat terræ facies omnis, non vitis tegebatur æstate pampineis opacata virgultis, non sata respersa vultus cespitum vindabant: non olea semper viridia foliisque repleta iucundis, decoris sui consuetum tegmen habebat: non pomorum virgulta maritante tellure gemmas produxerant C florum, posteà fructus vt assolent editura. Tristia fuere terráque omnia, vt par pestilentiæ clades Africam confunderet omnem. Non hominibus, non iumentis germinantes herbas ediderat tellus, omninò virores aruerant. Dudum currentium impetu præcipiti, aluei fluminum, fontiúmque crispantes perennitate subtracta pariter siccauerant venæ. Oues & boues vniuersi, insuper & pecora campi, simúlque bestiæ syluarum, inedia consumente nusquam penitùs visebantur. Et vbi fortè graminosa cespes humida tunc in valle locatus, pallentem potiùs quàm virentem nascentis fœni cœperat proferre colorem, illicò vrens & igneus flatus aderat totum torrendo desiccans, quia puluerea tempestas arido sudore decoquens cuncta, omnem nebulauerat locum. D Nullum gestum est tempore illo commercium: nullũ cespitem terræ, iuuencis trahẽtibus scindens vertit aratrum, quia nec boues suberant, nec † castra omninò remanserant. Sed & rusticorum manus alia interierat, & subinde quæ fortè supererat iam sepulturam quærebat. Et quia vrgente famis incommodo, neque commercia, vt fati sumus, pro consuetudine, neque cultura reddebatur debita terris, iuuenum, senum, adolescentium, atq; adolescentularum, puerorum, vel etiam puellarum, agmina simul & funera, vbi poterant, quomodo poterant passim diffundebantur circumeuntes oppida, vicos, vel singulas vrbes. Conuersi enim in arcum peruersum, atque irritantes Deum ad aquam contradictionis, famem patiebantur vt canes, non vt comederent panem, sed vt infensam sentirent quam negauerant Trinitatem. Alij dis- E fusi per campos, alij syluarum secreta petebant, antiquas radices herbarum, vel quisquilias alias requirẽtes. Nonnulli cùm domo niterentur egredi ipso limine corruentes, cateruatim fame debellante cadebant: Stratæ verò vel semitæ cadaueribus repletæ, exhalantium fœtore mortuorum, gradientes viuos omni ex parte necabant. Nec deerant quotidie vbique expirantium funera, & non erat virtus, quæ miserationis impenderet sepulturam. Neque enim sufficiebant ad sepeliendum viui fame dominante, & ipsi post paululum morituri. Cupiebant singuli libertatem filiorúmque suorum perpetuæ seruituti redigere, & non poterant inuenire. Montes & colles, plateæ ciuitatum, viæ vel semitæ vnum omnibus fecerant vbique sepulchrum, quibus inedia depascens

† rastra.

denegauerat victum. Vandali autem ipsi quos & postea frequentia multarum prouinciarum spolia & retentio Africæ, primò fecerant diuites, maiore magis inopia torquebantur. Et quantò sibi videbantur seruorum aggestione superbi, tantò amplius deficiebant fame torquente. Nullus filiũ, nullus coniugem, nullus proprium tenuit seruum, sed exiens vnusquisq; non vbi voluit sed valuit, aut statim defecit, aut nunquam omninò rediuit. Vrgebatur infœlix multitudo, ad ipsam se vrbem Carthaginem congregare. Et dum illuc cateruatim adhuc Carthaginem cadauera confluerent. vbi Rex innumerabilium mortuorum vidit strages, pelli vrbe omnes illicò iubet, ne contagio deficientium, commune pararet etiam exercitui eius sepulchrum. Suis ergo prouinciis & domibus singulos imperat reuocari, sed nec erat qui reuerteretur, dum vnusquisque sepulturam suam in vultu portaret.

Animata cadauera.

B Et idcircò fortè maior Rebaptizatorum perditio potuit prouenire, quia dum promittitur ab Arrianis præsentis transactio vitæ, nec illud obuenit: & mors sequẽs prima, secundam præuenit. In tantum sibi deuastatos vindicauit fames dominium; vt loca nonnulla & admodum populosa habitatoribus extinctis, alto nunc silentio parietibus solis extantibus cõquiescant. Sed quid ego iam iam immoror in hoc, quod explicare non queo? Nam si nunc superessent, vel eis fari de talibus rebus licuisset, & Tullianæ eloquẽtiæ fluuius sicearetur, & Salustius eloquiis omnimodis remaneret. Et vt alienos indignos rei tantæ prætereaan, si Cæsariensis surgeret Eusebius ad hoc opus idoneus, aut eius translator Græcæ facundiæ, Latiuisque floribus Ruffinus ornatus. Et quid multa? non Ambrosius, non Hyeronymus, nec ipse noster sufficeret Augustinus.

Euseb. Cæsariens.

C Audite hæc omnes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem, quique terrigenæ & filij hominum, simul in vnum diues & pauper. Nonnulli qui barbaros diligitis, & eos in condemnationem vestram aliquando laudatis, discutite nomen, & intelligite mores. Nunquid alio proprio nomine vocitari poterant nisi vt barbari dicerentur, ferocitatis vtique, crudelitatis & terroris vocabulum possidentes? Quos, quantiscunque muneribus foueris, quantiscunque delinieris obsequiis: illi aliud nesciunt nisi inuidere Romanis, & quantum ad eorum attinet voluntatem, semper cupiunt splendorem & genus Romani nominis nebulare, nec vllum Romanorum omnino desiderant viuere. Et vbi adhuc noscuntur parcere subiectis, ad vtendum seruitiis

Barbarorũ nomen & mores.

D illorum parcunt, nam nullum dilexerunt aliquando Romanum. Si disputare nitebatur de fide nobiscum barbara ferocitas, & hæresis Arriana rationabiliter disputaret. Sed quando tenuit rationem, quæ à Patre Deo Deum Filium separat Saluatorẽ? quare dolis & calumniis egerunt, & velut spiritu tempestatis procella sui furoris totum subuertere voluerunt. Si disputatio necessaria fuerat Episcopalis, quare suspendia, quare ignes, quare vngulæ, simul & cruces? Quare Arrianorum serpentina proles, contra innocentes genera talia tormentorum inuenit, qualia nec ipse Mezentius exquisiuit? Dimicauit contra innocentiam cupiditas furoris, & auaritia crudelitatis, vt & animas perderet, & substantiam harpagaret.

Arrianorũ crudelitas in catholicos.

E Si collatio desiderabatur, quare rapinæ rerum alienarum, non tantùm sacerdotum, verumetiam omnium laicorum? Sed illi expoliati lætati sunt, & rapinam rerum suarum cum gaudio susceperunt. Assit iam quæso omnis ætas, omnis sexus, omnísque conditio. Assit obsecro omnis turba catholici nominis: quæ gremio materno toto orbe gestatur, quæ sola germanum cõmodare nouit affectum, quæ didicit à Paulo magistro & gaudentibus collætari, & cum lugentibus lamentare. Conueniant simul ad domum nostri doloris, & paribus oculis fundamus flumina lachrymarum, quia causæ & fidei nostræ vnum est negotium. Nullum volo ad condolẽdum mecum hæreticum conuenire, qui fortè addere concupiscit super dolorem vulnerum meorum; & gratulatur quotidie malis meis. Nolo, nolo ego extraneum, sed

Rom.12.

A fraternum quæro affectum. Nolo aliquem filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis: quia filij alieni semper mẽtiti sunt mihi, qui inueterauerunt & claudicauerunt à semitis suis. Isti dicunt mihi quotidie: Vbi est Deus tuus dum affligitur populus precioso agni sanguine comparatus? Inter quorum opprobria ego ad flagella paratus, cantare non desisto domino flagellanti: Amoue à me flagella tua, quia defeci non à fortitudine manus tuæ, sed à persecutione hæresis Arrianæ. Aduertant omnes qui mecum angustæ viæ carpunt iter, & propter verba labiorum Dei, vias custodiunt duras, & videant si est dolor, sicut dolor meus. Quoniam vindemiatus sum in die furoris domini, aperuerunt super me os suum omnes inimici mei, sibilauerunt & fremuerunt dentibus, dixerunt deuorabimus eam. En ista est dies quam expectauimus, inuenimus, vidimus.

B Adestote Angeli Dei mei, qui nunquam deestis cõstituti in ministerio vestro, propter eos qui hæreditatem capessuri sunt æternæ salutis, & videte Africam totam dudum tantarum Ecclesiarum cuneis fultam, nunc ab omnibus desolatam: tantis ordinibus Sacerdotum ornatam, modò sedentem viduam & abiectam. Sacerdotes eius & seniores in desertis locis & insulis defecerunt quærendo sibi escas ad manducandũ, & non inuenient. Considerate & videte, quia Sion Ciuitas Dei nostri facta est vilis, facta quasi polluta menstruis inter inimicos suos. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius, quia vidit gentes inuadere & ingredi atria sua, de quibus præceperas ne introirent

Ecclesiæ Africanæ deploratio.

C Ecclesiam tuam. Viæ eius lugent, eo quòd nemo veniat in die festo. Egressus est à facie eius omnis decor & deliciæ, didicerunt vias asperas ambulare virgines & iuuenes eius in aulis educati Monasteriorum, & abierunt in captiuitatem Maurorum, dum lapides sancti eius disperguntur, non tantùm in capitibus omnium platearum, sed etiam in locis squalidis metallorum. Dicite Deo nostro susceptori, & habentes fiduciam supplicandi quoniam tribulatur, & venter illius turbatus est à fletu eius, quia sedit inter gentes, & requiem non inuenit, nec est qui consoletur eam. Quæsiuit à Patribus Orientis qui simul contristaretur, & non fuit: consolantem & non inuenit: dum manducaret in esca sua fel, & in siti sua potaretur aceto, sponsi & domini sui passiones imitando, qui idcircò passus est pro ea, vt sequatur vestigia eius.

D Deprecamini Patriarchæ, de quorum stirpe generis nata est, quæ nunc laborat in terris. Orate sancti Prophetæ, cognoscentes afflictam, quam antea vaticinante præconio cecinistis. Estote Apostoli suffragatores eius, quã vt congregaretis, vniuersum orbem ascendente in vobis domino, vt equi velocissimi cursitastis. Præcipuè tu Petre beate, quare siles pro ouibus & agnis, à communi domino magna tibi cautela & sollicitudine commendaris? Tu sancte Paule gentium magister, qui ab Hierusalem vsque ad Illyricum prædicasti Euangelium Dei, cognosce quid Vandali faciunt Arriani, & filij tui gemunt lugendo captiui. Vniuersique ingemiscite sancti simùl pro nobis Apostoli. Sed scimus quia indignum est vobis pro nobis orare, quia ista quæ venerunt nobis non ad probationem quomodo sanctis, sed malis meritis

Patriarcharum inuocatio.

Sanctorum inuocatio.

E supplicia debebantur. Sed & pro malis orate iam filiis, quia & Christus orauit etiam pro inimicis Iudæis. Sufficiant castigationi quæ iustè illata sunt nobis, & iamiamque delinquentibus venia postuletur. Dicatur Angelo percutienti, sufficit: iam cohibe manum tuam. Quis ignoret hæc nobis, probrorum nostrorum scelera procurasse, aberrantibus à mandatis Dei, & in lege eius nolentibus ambulare? Sed prostrati rogamus, vt non spernatis vestros miseros peccatores, per eum qui vos ad Apostolicum culmen prouexit humiles piscatores.

1.Par.21.

Tenuit sceleratissimus Hunericus dominationem regni annis septem, mẽsibus decem, meritorum suorum mortem consummans. Nam putrefactum & ebolliens vermibus, non corpus, sed partes corporis eius videntur

Hunerici Arriani mors miserabilis.

esse sepultæ, & ille legis dator & transuersor ex Donatianorum hæresi ad eos veniens quondam Nicasius, io breui simili morte periit.

PASSIO BEATISSIMORVM MARTYRVM, qui apud Carthaginem passi sunt, sub Imperio Regis Hunerici.

VI. NON. IVLII.

RAEDICATVRVS triumphos Martyrum beatorum, ad enarranda quæ gesta sunt, auxilium esposco diuinum, vt qui illis præstitit superandi victoriam, mihi indigno & immerito quantulacunq; verborum porrigat ornamenta. Tuncetenim valebo quæ desiderata sunt indicare, si ipsi dignentur pro me misero, domino supplicare. Septimus namque agebatur annus crudelissimi atque impiissimi Regis Hunerici, & ecce antiquus hostis, venenosus vtiq; anguis, trisulcæ linguæ venena vibrans Chirila quodam Arriomanitarum Episcopo ministro vsus est, subnettens & obtinés animum Regis cruenti, vt ita suaderet non posse eum pacatum atque longæuum obtinere regnum, nisi nomen perderet innocentem. Qui tamen Dei indicio post nō multos dies turpissima morte præuentus, scatens vermibus expirauit. Insectari cœpit ore eruento omnem Catholicorum multitudinem, quæ per totam Prouinciam Africanam in modum sicut prædictum est Abrahæ Patriarchæ arenæ, maris fuerat multiplicata: vt eam Rebaptizationis sauciaret machæra, atque stolam illam singularis & puri baptismatis, quá Christus vino carnis suæ purificans, prælo exprimens Crucis fecerat dealbatam, tertæ nigredinis turparet illuuie sordidulenta. Accipiens quoq; tyrannus vt erat ducibilis & ferus serpentinam suggestionem, feralibus edictis vno tempore totam cœpit Africam cōmouere. Primò Sacerdotum & Ministrorum copiosissimam & maximam turbá, in longinquis & extremis regionibus exilio crudelit detrusit. Quibus bis acutum genus frumenti, quod iumentis solis edere cōcessum est, nequaquam industria molari contritum, sed manente furfuris cortice loricatum, pro miseratione dare præcepit. Post verò crescéte impietatis insania, etiam hoc auferri crudelissimus imperauit. Post modicum quoq; temporis, vniuersas simul Ecclesias præiudicatis venerabilibus portis, cementis ingentibus claudi mandauit. Vniuersa nanq; Monasteria virorum vel puellarum sanctarum, gétibus, id est, Mauris cum habitatoribus donare præcepit. Vnus fuit omnibus eiulatus, vnus pro Christo moriédi integer & plenus affectus. Paria currebant flumina lachrymarum, quia permiserat Dominus cibari eos pane lachrymarú, & potari eos in lachrymis mensuratum, aut forsitan sine mensura. Et si reperta est exiens de arca inhians cadaueribus mortuis pars aliqua pereuntium coruorum, maior est tamen in nomine Trinitatis numerus feliciú columbarum. Quanti nobiles & optimi viri, ampli & lati cespitis domini, terram cum cœlo commutauerunt, & simul corpus cum substantia tradiderunt: atq; delicatæ & nobilissimæ fœminæ cōtra verecundiam naturæ, spectante vulgo virgis cæsæ, variisque tormentis cruciatæ, victricia trophæa portatunt? Quanti infantuli irridentes edicta feralia, antè mondum contempserunt, quàm illecebrosam eius semitam introirent? Tunc apprehensi sunt & septem fratres, quantum pertinet ad cōcordiam dominicę seruituris, in monasterio habitantes in vnum: quia bonum est & iucundum, habitare fratres in vnum. Idest, Bonifacius Diaconus, Seruus subdiaconus, Rusticus subdiacoons, Liberatus Abbas, Rogatus Monachus, Septimus Monachus, & maximus Monachus in numero scilicet Machabæorum germanorum: quos vna mater Ecclesia Catholica genuerat, & per viscera fontis æterni salubriter pepererat, de territorio Capsensis Ciuitatis, cui præfuit Sanctus Viodemialis Sacerdos egregius, & Christi fidelis antistes. Quibus attractis ad vrbem Carthaginensem, primo eis, illecebrosis blandimentis serpens voluit sibilare, promittēs honores caducos, & diuitias ingentium voluptatum, necnon & Regis amicitias, vel alia multa quę solent insipientium animas occupante diabolo, visco mundiali captate. Sed hęc omnia milites Dei ac si contagia respuerunt, clamantes vno ore: Vnus dominus, vna fides, vnum Baptisma: Nec poterit in nobis adiuuante domino iterari, quod in Sancto Euangelio semel præceptum est dari: quia qui semel lotus est, non habet necesse iterum lauari, quia mundus est totus. Facite quod vultis, inferte pœnas corporibus nostris. Meliùs est temporalia ad modicum sufferre supplicia, quàm æterna pendere & subire tormenta. Habete quæ promittitis, cum ipsis diuinis post paululum perituri. Nobis verò nullus de postibus frontium valebit euellere, quod in vno baptismate artifex Trinitatis dignatus est titulare. Quid multa? Dum tali constantia diuinitus munirentur, iussi sunt carcerali custodiæ mancipari. Et ita crudeliùs onerati ferri ponderibus, tenebrosis deputati sunt locis, vbi nulla miseratio arrideret lenitatis. Sed populus ille memoratæ vrbis in Domino semper fidelis, dato munere carceratis, die ac nocte Christi Martyres frequentabat, & ita ab eis doctrina & virtute fidei roborabatur, vt talia etiam ipsi pro Christi nomine plena delectatione perferre cuperent, & capulo persequentis facilia supponerent colla. Hoc autem tyrannicas peruenit ad aures. Qui ebrietate furoris accensus, iubet eos adbuc inauditis suppliciis adigi, & maioribus vinculis onerari, nauimque imperat lignorum aridorum manipulis adimpleri, atque in eadem omnibus alligatis in medio pelago igne subposito concremari. Eductisque illis de custodia, multitudo populi Dei, bellatores Trinitatis quasi agnos innocuos ad victimam deducebat, & rigentium pondera catenarum quasi quædam monilia peruidebat, quia non fuerunt illa vincula, sed potius ornamenta. Incedebant itaque cum fiducia ad supplicium, quasi ad epulas concurrentes, vna voce per ambitus platearum Domino decantantes: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Votiua nobis hæc dies est, & omni festiuitate festiuior. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, quando pro fide Domini Dei nostri perferimus præparatum supplicium, ne amittamus acquisitæ fidei indumentum. Sed & populus publica voce clamabant: Ne timearis ô populi Dei, neque formidetis minas atque terrores præsentium tribulationum, sed potiùs moriamur pro Christo, quomodo ipse mortuus est pro nobis, redimens nos precio sui sanguinis salutaris. Vnum tamen, vehementi conatu, qui inter eos infantulus videbatur, nomine Maximum, cupiebant autores malorum à sanctorum consortio separare, dicentes: Infantule quid festinas ad mortē? dimitte eos, insaniunt, & audi cōsilium nostrum, vt possis inuenire vitæ remedium, & tanti Regis adire Palatium. Tunc ille ætate quidem puerili, senili tamē maturitate clamabat: Nemo me separat à sancto patre meo Liberato Abbate, & fratribus meis qui me in Monasterio nutrierunt. Cū ipsis sum in timore Dei cōuersatus, cū ipsis desidero passionē suscipere, cū quibus credo me & futurá gloriá inuenire. Nolite putare, quia potestis seducere pueritiá meam. Simul nos dominus septem voluit congregare, simul dignabitur omnes vno Martyrio coronare. Quomodo nemo perire potuit de septenario illo numero feliciū Machabæorū, ita etiá septenus nostræ cōgregationis numerus, nullum inueniet detrimētum. Nam si negauero eum, & ipse negabit me, quoniá ab ipso dictū est: Qui me negauerit corá hominibus, negabo & ego eum corá Patre meo qui est in cœlis: Et qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui est in cœlis. Perducti itaque cum festinatione ad nauale supplicium pro voluntate infandi Regis, vel crudelium ministro-

Marginal notes: Arriomanitæ. — Gen. 32. — Ministri. — Venerabiles Ecclesiarum portæ præiudicatæ. — Eph. 4. — Ioan. 13. — Luc. 2. — 2. Cor. 6. — 2. Macc. 7. — Matth. 10. Luc. 12.

rum, extensis manibus & pedibus eleuati feruntur potiùs quàm ligati. Qui dum ignis fuisset lignis iniectus, statim imperio diuino videntibus cunctis extinctus est. Et dum sæpiùs renouaretur nutrientibus pabulis, iterum atque iterum extinguebatur rogus globo flammarum. Et cùm exinde magis tyrannus furore simul esset & rubore repletus, iussit eos remorum vectibus enecari, & ita singulos in modum canum cerebris comminutis extingui. Qui tali genere mortis, debitum spiritum feliciter Domino reddiderunt. Nec expauerunt lignis quatientibus mortificati, quibus semper fuit spes omnis in ligno. Sed cùm in mari venerabilia corpora iactarentur, illicò quod contra naturam est æquoris, eadem hora, illæsa corpora pelagus littori reddere maturauit: nec ausum fuit, vt moris est, triduana dilatione in pro- A fundo retinere, ne præcepto Dominico minimè paruisset. Ad quod miraculi genus, & ipse tyrannus licet impœnitens, vt fertur, expauit. Gaudens autem quæ aderat multitudo, corpora sanctorum Martyrum diligenti tradidit sepulturæ præeunte clero venerabili Carthaginensis Ecclesiæ. Vbi etiam & prædicandi Diacones, tertiò iam confessores effecti, Salutaris & Muritta, geruli reliquiarum affuerunt. Humatæ sunt igitur cum hymnis solennibus lipsanæ beatæ sanctorum, in Monasterio Biguæ continuo Basilicæ quæ dicitur Celebrinæ. Et sic in confessione Trinitatis, beatissimi Martyres passi sunt, & speciosum cursum certaminis sui coronante domino perfecerunt. Cui est honor & gloria, in sæcula sæculorum, Amen.

Spes Martyrum in ligno.

Diacones geruli reliquiarum.

AVTHOR Historiæ, S. Honorati Arelat. lib. 3 cap. 24. scribit, Martyrium hoc S. Porcarij & 500. Monachorum Lyrin. sub Genserico Rege VVandalorum accidisse, & celebrari in Ecclesia, prid. Id. Augu. Monasterium quoque Lyrin. tunc à VVand. dirutum, ab Eleutherio Abbate restitutum tempore Pipini Regis Francorum.



IN partibus Galliarum, exigentibus causis, cùm disponeret Dominus affligi genus humanum per sæuitiam paganorum, nefandæ gentis Sarracenorum exercitus vaginam suæ habitationis egrediens ac maritima quæque vltra citráq; peragrans, peragrando demoliens in prouinciam venit nominis Christiani impugnandi gratia, & suo eam Dominio subiugandi. Cuius incolas occulto Deus iudicio eius mucroni tradidit feriendos. Quæ gens longè latéque suæ cædis extendens crudelitatem, ita in solitudinem pœnè totam redegit regionem, vt in eremi vastitatem loca priùs desiderabilia conuersa viderentur. Vrbes enim nobilissimas terræ coæquans, villásque depopulans, castella subruens, ouilia Domini euertens non minimas Christianorum strages dedit, vnde inter cætera facinora sua Lerinensem insulam religione pollentem depopulans rebus omnibus inhabitabilem reddidit, seruos Dei qui inibi inter reliquos vel præ cæteris sanctitatis & vigiliarum primas tenebāt, millies seipsos immolantes gladio trucidans fere quingentos aut eo amplius. Fertur enim (quòd minimè reor prætermittendum) quòd antequam classis Sarracenorum illò aduentaret, Angelus Domini sancto Porcario abbati per visum apparens euidenter prædixerit tempus, & diem, & horam, certúmque omnibus imminere exitium die abhinc septima illucescente. Qua de re maturato consilio commonet vt vnum è duobus eligant, aut fugæ consulant, aut palmam martyrij incunctanter capiant. In eorum arbitrio & potestate posuisse Dominum hoc donum tam bonum, tam optimum, támq; præcipuum, verùm velint aut nolint breui sanguinis commercio immortale acquirere compendium. Voluntas tantùm ad hoc prona, verùm necessitas nulla. Facto itaque mane beatus Porcarius conuocatis fratribus cuncta quæ viderat, quæque audierat, refert. Ex quibus quidam pauentes, quidam non credentes, vniuersi tamen re inopinata ancipiti sunt turbari periculo hoc accepto oraculo. Alios ad insulas tutiores velle secedere, alios locū ipsum nolle relinquere. His ita inter se variè dissidentibus expectata dies aduenerat, noctis tantum intercapedine diuisa. Iámque instante vigilia matutina clara luce è speculis in longum dirigentes obtutus viderunt hostile agmen aduentare, oppansísque velis æquata fronte in B obliquum deductis cornibus, totúmque allabi classibus æquor, extemplò turbati animis deiectique à proposito. Cúmque cuperent malè euadere, nec pateret vsquam locus effugij: iam enim & hoc per spiritum prænoscens beatus Porcarius naues à portu clàm longiùs abduxerat, interdicens nautis ne intra præfinitum sibi tempus vllo modo redirent. Ergo cùm vidisset athletas Dei immensi certaminis pondere fatigati, ingemuit tam triste nefas fortissimus heros dextro socios decedere cornu, inuictámque manum quondam sine cæde perire. Tum vexillum sanctæ crucis quod in agmine primo dux bonus præferre consueuerat, defixo cuspide ponens instaurat animos dictis mordacibus. O (inquit) fortissimi milites, ô instructissimi diuini prælij bellatores, quo ruitis? cui colla datis? quis furor insanas agitat caligine C mentes? State precor, state, ne velitis manu strenuam tenentes tergo respicere. Proh pudor, vicimus hucusque segnes, nec nostra potentia perfert vim solitam! Quin potiùs omnium delecta iuuentus hortor & moneo, resides attollentes animos, ne nos tanquam imparatos præoccupent, olim deuoti vltrò properantes subdamus pretiosissimæ passioni. Experimēto iam cognoscetis quantus illis es nostra constantia timor, quanta nobis prouenitat gloria. Talia senior perorabat nomine quemque vocans, simúlque acrimoniam, quam gestabat corde, frontis præferens dignitate. Quibus verbis incaluit virtus, paulatímque timore depulso maduerunt corda repentia, repentino Spiritus sancti rore perfusa. Suda redit facies, veluti si videas cœli purpuream clarescere lucem sine nube diei. Agmina sancta super vultum sensere D tonantis, gaudéntque hilares Christum suis victoribus arcem ætheris ac patrium famulis aperire profundum. Dat signum fœlix concordia, damna præcedentia lucris succedentibus recompensans. Itaque alacres & de victoria iam securi procedunt castris, portis patentibus, omnes ornati, omnes albis vestibus induti tanquam agni immaculati & incontaminati Iesu Christi, præcogniti ante constitutionem mundi. O, quali gaudio tunc ille tripudiauit angelicus cœtus tantis beatorum Martyrum occurrens agminibus! Nulli dubium omnem cœlestem Hierusalem tunc exultasse ineffabili lætitia, tunc iucundatam esse inæstimabili charitate, túncque cum omni gratulatione obuiam processisse, eósque ingenti lumine circumfulsisse, & vsque ad thronum olim sibi E etiam ante constitutionem mundi paratum cum laudibus & canticis spiritalibus perduxisse.

B. Porcarij, Lerin. Abbatis visio.

COLLECTANEORVM, EX HISTORIA ECCLESIASTICA

THEODORI LECTORIS LIBER I.



THEODOSIVS iunior ad venationem egressus, & in fluuium Album abreptus, sequenti nocte mortuus est, & in monumento Arcadij Patris ipsius sepultus. Et Eudocia Imperatrix Hierosolymam profecta non est amplius reuersa. Marina adhuc virgo in palatio ante fratrem obiit. Et Chrysapium Tzumam Pulcheria interimit. Pulcheriæ Eudocia imaginem Matris Christi quam Lucas Apostolus pinxerat, Hierosolymis misit.

Martianus Illyricus genere, cùm tribunus esset, & ætate prouectiore, inque bellis gerendis strenuus, Imperator à toto exercitu creatus est. Hic confestim decreuit, nemini per pecuniam conferendum esse Magistratũ.

Magistratus per pecuniam nõ conferendi.

Martianus & Pulcheria Leoni Papæ Romano scripserunt, illique cunctam authoritatem tribuerunt. * Constituta sunt autem ea de re & mandata, scripsitque Imperator singulorum locorum Episcopis. Leo verò Episcopus Nicænæ synodo quæ futura sperabatur præclaram Epistolam scripsit, quæ etiam in actis Chalcedonensis synodi habetur, & ab illius historico scriptore inserta est.

Cùm Nicææ Episcopi vndequaque essent congregati, Martianus in Thracia moram trahens, synodo excusandi gratia scripsit, illámque Chalcedonem transferre fategit, vt in illa, ipse ad exemplum diui Constantini, coram adesset. Hoc itaque pacto synodus Chalcedonem translata, & in templo sanctæ Euphemiæ Martyris celebrata est, in qua multa ac necessaria dogmata vnà cum aliis necessariis rebus determinata sunt, quorum cognitio & multiiuga vtilitas ipsa Actorum lectione declaratur, sicut & xxvii. Canonum expositio, quibus omnibus perfectis Episcopi, & omni genere honoris ab Imperatoribus honorati sunt, & ad suam quisque Ciuitatem in pace reuersi.

Diuus Constantinus.

Pulcheria pia moritur, multis post se præclaris factis & cunctis bonis quæ habuit ad sustentationem pauperum relictis, quibus Martianus non contradixit, sed cunctorum necessitatibus animo propẽso seruiuit. Possederat autem Pulcheria oratorias quoque domos multas, eam quæ Blachernensium, & quæ Chalcotratiorum, deinde & Hodegorum, adhæc & quæ Laurentij Martyris erat.

Pulcheriæ Mors.

Martianus ad supplicationes quæ in campo fiebant pedes egressus, multa largitus est egenis. Anatolium verò Episcopum hortatus est, vt secundum consuetudinem vrbis illius Episcoporum, à Tauro ad Campum vsque vectus supplicaret. Hic cùm Martianum pedes ingredientem videret, pedes & ipse supplicauit.

Martianus cognitis quæ contra Romanam ciuitatem & Imperatrices ab Aphris fierent, pro maiestate imperij commotus ad bellum se parauit. Contigit autem, vt ad supplicandum in campo egrederetur vicesima sexta Ianuarij. Eligitur autem in Imperatorem Leo quidam natione Thrax, dignitate tribunus. Timotheus autem cognita Martiani morte contra Poterium insurgit, illúmque in Colymberhra Ecclesia occidi curat, necatúmque trahi & igni tradi.

Proterij Mors.

Timotheus Ælurus, antequam occideretur Proterius, nigra veste indutus, in cellis Monachorum noctu circuibat, & vnumquenque Monachum ex nomine vocabat: cùm autem illi auscultarent, vnum se ex ministratoriis spiritibus esse dicebat, ad hoc missum, vt cunctis diceret, ne cum Proterio communicarent, sed Timotheum Ælurum Episcopum designarent, hoc pacto cunctis sese insinoans.

Ælurus viuente adhuc Proterio à depositis Episcopis ordinatur, ac confestim turbis Ecclesiam ac tumultuationibus implet.

Timothei Æluri fraus.

Nisibinus erat magnus Iacobus: quàm autem ille præclarus fuerit, factum eius in puellis lauantibus ostendit, quæ verbo Iacobi, caniciem mox contraxerunt, & fons ipse exaruit, quem tamen precibus suis restituit, puellas verò in canicie reliquit. Sciendum autem Iacobum illum qui miraculum hoc circa fontem & puellas operatus est, non eum esse qui ad encyclia rescripsit. Hic Nisibinus temporibus Constantij vixit. Veruntamen & alter ille Iacobus magnus erat & clarus miraculis, sicut Theodoritus in pia historia dicit.

Iacobus Nisibinus.

Vrnam Theodoritus magno Iacobo ad sepulturam parauit, ipsum tamen Theodoritum priorẽ mori contigit. In eandẽ tamen & ipse magnus Iacobus est conditus.

Symeon à vico Sisan erat. Hic primus studium columnarum excogitauit, magnus effectus, sicut Commentarij de illo indicant.

Symeon Stylites.

Mortuo Anatolio Gennadius Ecclesiæ Presbyter eligitur, suffragatore Acatio orphanorum nutritore. Designauit autem Gennadius Martianum Oeconomum, ad Ecclesiam relicta Catharorum secta trãslatum, qui mox atque œconomus esset factus, quæ in vnaquaque Ecclesia offerebantur ab eius loci Clericis auferri decreuit, donec magna Ecclesia cuncta illius acciperet.

Clerici.

Leo statuit vt dominicis diebus ocium seruaretur ab omnibus, nec quicquam operis in illis fieret, sed venerabiles essent. Deinde vt apud Eparchum prætorianum solum responderent Clerici. Hic Leo neminem ordinauit Psalterij ignarum.

Sub Gennadio pictoris cuiusdam manus exaruit, qui loco Iouis seruatorem pingere præsumpserat, quem Gennadius precibus suis curauit. Dicit autem qui ista scribit, aliam formam seruatoris veritati magis consonam esse, quæ crispis sit & modicis capillis.

Christi Imago.

Eleutherio Martyri Gennadius propter vnum templi ipsius Clericum significauit dicens: Miles tuus inconditè se gerit, aut corrige eum, aut abiice. Ille verò confestim tanquam reprobus est mortuus.

Sub Gennadio Studius Templum Sancti Ioannis acquisiuit, inque illo Monachos ex Acœmetis constituit, Gratissimus verò Præpositus Templum Sancti Cyriani accepit, in quo & Monasticum habitum induit, ac simul præpositi munus adimpleuit.

Daniel præclarus à Monasterio Symeonis profectus ad columnam quæ in Anaplo est ascendit. Anthimus & Timocles fabricatores Tropariorum contra fraternitatem diuisi sunt. Verùm quotquot Chalcedonensi synodo fauerunt, illi Anthimo adhæserunt. Ipse namque noctu totas quoque vigilias instituit, qui autem à synodo iam dicta dissidebant, Timocli iuncti sunt.

Fraternitas.

Cùm Martyrius Antiochenæ Ecclesiæ Episc. esset, Zenon prætor gener Leonis Imp. filiam illius Ariadnem vxorẽ habens, Antiochiam venit. hunc Zenonem Imp. generum secutus est Antiochiam vsque Petrus cognomento Cnapheus, Templi Bassæ Martyris quod Chalcedone est Presbyter. Captus autem ambitione sedis eius

Ciuitatis

* Cautè lege, nam auctoritas Romani Pontificis non ab Imperatoribus est, sed à Deo immediatè. Tantum igitur suis edictis Imperatores statuerunt, vt iuxta diuinam institutionem omnes Romano Pontifici essent subiecti: ipsam diuinam ius suis etiam sanctionibus stabilientes.

Ciuitatis Zenoni persuasit vt se iuuaret. Quibusdam igitur ex iis qui Apolinarij peste infecti erant mercede conductis, innumeras turbas contra fidem & Martyrium Episc. excitauit, eósque anathemati subiecit, qui non dicebant Deum esse Crucifixum, ita vt & populum in hoc dissidium induxerit. Hic Petrus in Trisagio adiecit, qui Crucifixus est pro nobis.

Euangelia contra incendium.

Martyrius cùm ad Imp. venisset studio & adhortatione Gennadij multo est cum honore dimissus. Antiochiam verò reuersus, cum Antiochenos tumultuationibus & seditionibus delectari, & Zenonem ad hoc illis esse subsidio cerneret, Episcopatui renunciauit, dicens in publica Ecclesia: Clero immorigero, & populo rebelli, & Ecclesiæ contaminatæ renuncio, seruata interim mihi Sacerdotij dignitate.

Post secessum Martyrij Cnapheus sedem Episc. tyrannicè B inuasit, & statim Ioannem quemdam antea depositum Apamiæ Episcopum ordinauit. Quo cognito Gennadius Imp. cuncta significat, qui Cnapheum in exilium ablegari iubet. Ille autem cùm id præsciisset fuga elapsus exilium euasit. Iulianus verò communibus suffragiis Episcopatu potitur.

Magnum ortum est eo tempore incendium, altera Septéb. quod à nauali porto sumpto initio vsque ad ecclesiam sancti Thomæ Apostoli, quā Amantij vocant, peruenit. Martianus vero œconomus ad tegulas Ecclesiæ sanctæ Anastasiæ ascendit, & Euangeliis manu prehēsis, lachrymis & precibus domum illam illæsam seruauit.

Leo Imperator Cæsarem designauit Leonem iuniorem filium Ariadnæ filiæ ipsius ex genere suo Zenone.

Per id temporis puluis descendit mense Nouembri, C visis antea nubibus cœli ignitis, ita vt quotquot viderunt, cœlitus descendisse dixerint.

Leo imperator exercitum in Aphricam contra Sindericbum misit. Erat autem exercitus adeò numerosus, vt nautarum qui illum transportabant, septem millia fuerint.

Basiliscus vero, cuius ductui ac potestati concreditus erat exercitus, qui frater erat Berinæ coniugis Leonis, cùm nondum vincendus esset Sindericbus, acceptis pecuniis, cuncta adhortante Aspate prodidit.

Spectrum Dæmoniacum.

Gennadius cùm noctu ad altare orandi gratia descendisset, spectrum quoddam dæmoniacum vidit, quod cùm increpasset, huiusmodi clamorem emittere audiuit, quo seipso viuente quiescere, tandem verò post mortem D ipsius Ecclesiam vastaturum dicebat. Metu huius Gennadius domino plurimum supplicauit, ac paulo pòst vitam hanc finiuit.

Leo iunior Patrem suum Zenonem Imp. in Hippodromo designauit, cùm decem duntaxat menses imperasset, ac confestim mortuus est.

Basiliscus frater Berinæ sororis magni Leonis, cùm in Heraclia Thraciæ moraretur contra Zenonem consultat, Berina potissimùm cooperante, & cum hac quibusdam aliis ad illum pertinentibus, quod cùm Zenon cognouisset, accepta Ariadne, & pecunia quantum auehere potuit, in Isauriam fugit.

Basiliscus Imperator declaratur in campo, & Marcum filium suum Cæsarem, & Zenonidem coniugem E suam Augustam constituit, ac mox fidem subuertere cœpit, Zenonide ipsum maximè contra orthodoxiam impellente.

Monasterium Acœmetorum.

Ælurus Basiliscus edicto reuocauit, & Cnapheus è Monasterio Acœmetorum produt (nam illic fuerat absconditus) & quotquot Chalcedonensi synodo aduersabantur, accepta libertate contra eum mouebantur.

Ælurus inconditâ Alexandrinorum turba concita, ex ædibus Basilisci vnà cum illis supplicando ad Ecclesiam asino vectus progressus est. Cùm autem ad locum venisset qui octangulus dicitur, grauiter prolapsus cecidit, ac fracto crure cum pace reuersus est.

Basiliscus edicto synodum Chalcedonensem reprobauit, & vt illi aduersaretur Ælurum Alexandriam &

A Cnapheum Antiochiam misit.

Publico edicto Basiliscus synodum illam reprobari iussit. Vrsit autem & Acatium, vt idem & ipse faceret, quod tamen obtinere non potuit, quòd cuncta Ciuitas vnà cum viris & mulieribus contra Basiliscum in Ecclesia congregaretur, & Acatius seipsum & sedem & altare nigris amiciret. Daniel verò magnus ille de columna descendit, ac diuino zelo motus vnà cum populo & Acatio in Ecclesia comparuit.

Amictus Altaris niger.

Imperator populi vehementiam veritus, vrbem egressus, ac senatui mandauit ne Acatio communicarent, populus enim vrbis minabatur incendium. Daniel verò Monachis acceptis, & multitudine populi ad Imp. exiuit, cui & Olympius Monachus magna cum libertate loquutus est.

B Basiliscus cognito Zenonis motu, quem Isauriæ excitauerat, Zenonidem coniugem suam sumit, & Acatio se & clero & Monachis in Ecclesia, purgat, sedíque illius iura sua restituit, & alia edicto priora abrogat.

Zenon breui tempore ad vrbem venit, quo præcognito Basiliscus ad Ecclesiam se recepit, ibíque Imperatorium ornatum diuinæ mensæ imponit, & ad baptisterium cum coniuge sua Zenonide fugit. Zenon verò cùm primum Ecclesiam ingressus esset, Deóque gratias egisset, in palatium venit.

Diuina menta.

Basiliscus & Zenon ad Busamos missi sunt, ibíque plurimum afflictati vitam finierunt.

Martianus affinis Zenonis illi contradixit, eo prætextu, quod Leontia coniux ipsius Leonis cum eo imperio potiretur, Ariadne vero Zenonis coniunx adhuc C priuato nata esset.

Bello graui inter Zenonem & Martianum orto, Martianus potenter victo euasit, cunctósque ad Zenonem pertinentes comprehendit, & in palatio custodiæ tradidit opera Romoli & Procopij fratrum suorum adiutus. Tandem in Zeuxippo lauantes capti sunt. Et Martianum quidem ab Acatio presbyterum ordinari curarunt, & in castellum Papyrij, quo & Berinam paulò post miserunt, ablegarunt: Romulus verò & Procopius saluti suæ fuga in occidentem elapsi consuluerunt.

COLLECTANEORVM THEOdori Lectoris, Liber secundus.

D ZENO ad illum veritus Episcopis contradicere non audet. Calandion petitas à Zenone Eustathij reliquias è Philippis Macedoniæ, vbi ille in exilio mortuus fuerat, Antiochiam detulit, quas maximo cum honore exceperunt. Tota siquidem Ciuitas & omnis ætas, vt ita dicam, ad decem & octo miliaria vrbem in occursum illarum egressa est. Qui verò ad id vsque temporis separati ac diuisi propter Eustathium fuerant, Ecclesiæ post centum annos à morte illius coadunati sunt.

Reliquiarū honos

Reliquiæ Barnabæ Apostoli inuentæ sunt in Cypro sub arbore cerasea, habentes sub pectore Euangelium Matthæi manu ipsius Barnabæ scriptum: qua occasione Cyprij victores euaserunt, vt Metropolis ipsorum liberum habeat Episcopatum, nec Antiocheni Episcopi iu- E risdictioni subsit. Euangelium autem illud Zenon in palatio sub alia corona condit.

Reliquiæ D. Barnabæ.

Illus tyrannidem contra Zenonem per omnia manifestauit. Quum Tarsum venisset, Berinam Imperatricem è castello Papyrij eduxit, in quo propter Basiliscum custodiebatur, illique persuasit, vt Leontium consulem Imp. coronaret, quo facto, Berinam ad castellum remiserunt, & ipsi Antiochiam reuersi, denuò se maiestati imperij accommodarunt.

Illus cum Leontio post multa prælia quadriennio custoditus, proditione coniugis captus est, Promondo ad id è palatio à Zenone misso, à quo etiam capitibus vtrique sunt truncati.

In ciuitate Edessa locus quidā doctrinæ erat Persicæ,

Schola Persica Edessa.

vt aiunt, scholæ, vnde Persas Nestorianam opinionem coatraxisse puto, quòd nonnulli Nestorio adhærentes, & loco Theodori præsidentes, dogmata sua quibus delectabantur Persis tradiderint.

Imperator ac fidei Confessionem coactus ab Episcopo.

Zenon Imp. mortuus est, & Silentiarius Dyrrachio oriundus ab Ariadne Augusta Imp. declaratus, cui Euphemios Episcopos restitit, vocans eum hæreticum, & indignum qui Christianis imperaret. Ariadne verò & senatores Euphemium vi tractom cogunt. Ille verò consentire noluit, nisi scriptam ab eo confessionem retulisset, qua Chalcedonensis synodi decreta determinationi fidei inserta comprobaret, quod ille etiam fecit.

Manichæi & Arriani lætabantur propter inaogurationem Imp. Anastasij: Manichæi, quod mater illius zelo ac studio ipsorum prædita esset: Arriani verò, quòd Clearchum auunculom Anastasij consentientem haberent. Anastasius traditaio confessionem cùm imperium obtinuisset, constanter ab Euphemio repetiit.

Quoniam Isauri, multa insolentia & inhumana, Constantinopoli perpetrabant; cunctos vrbe eiecit. Illi verò egressi, tyrannidem exercuerunt, & excursiones ad Cotyaium vsque fecerunt, contra quos, Imp. Ioaonem Scytham, & Ioannem Cyrtum cum exercitu misit. Cùm autem bellum hoc quinquennium durasset, Anastasius Euphemio Constantinopolitano Episc. hoc cum fiducia concredidit, quòd pacis esset cupidus factus, & Episc domi præsentes, ea opinione, quasi propter Isauros vocarentur, colligere iussit. Euphemius verò quòd sibi erat ab Imp. dictum ad Ioaonem Pricium socerum Athenodori, vnum ex ducibus Isaororom detulit. Ille confestim Imp. cuncta manifestat, quæ res Imperatorem contra Euphemium armauit.

Anastasius deinceps magis pro Imperatoria maiestate quàm antea contra Isauros motus, potenter eos deuicit, & per Eusebium magistrom Euphemio nonciat diceos: preces tuæ tibi versæ sunt in peccatum (vel tale quid aliud, nam exemplar græcum hic est mutilum) Qui Euphemio insidiabantur, quendam subornarunt, qui nudato gladio coram Muratorio caput illios peteret: verùm Paulus vindex Ecclesiæ cùm procera statura esset, plagam capiti Euphemij destinatam loco Euphemij excepit, & vltus est, & eom qui ensem nudarat vir quidam Ecclesiasticus accepta sera, quam vocant, interfecit.

Anastasius insidias Isaurorum Euphemio acceptas retulit. Et cùm tyrannis scripsisset, Episcopos domi præsentes congregauit. Hi vt Imperatori gratificarentur Euphemium excommunicant ac deponunt. Eligit autem Imperator Episcopum Macedonium quendam, Presbyterum Ecclesiæ, & custodem. Populus verò seditionem mouet propter Euphemium, & ad Hippodromum supplicandi gratia currunt, at nihil efficiunt: Peruicit enim Imperatoris resistentia. Macedonius Imperatori morem gerens, concordiæ Zenonis subscripsit.

Macedonius.

Hic Macedonius vir erat religiosus & sacer, vtpote à Gennadio educatus, cuius etiam, vt fama habet, nepos erat ex sorore.

Euphemium, Imp. in exilium abduci præcepit. Ille verò per Macedonium cautionem petiit, vt sine insidiis inde abduceretur. Macedonius verò, aliquid laude dignum cogitans, vt cautio illi & ratio redderetur consensit, & cum Euphemios in Baptisterio esset, Episcopalia insignia à Diacono sibiipsi auferri præcepit, atque ita ad Euphemium accessit, factaque mutatione pecunias illi ad sustentandos eos qui cum illo erant dedit.

Festus quidam senator Romanus cùm ad Imp. Anastasium propter quasdam ciuiles necessitates missus ad Imperatricem venisset, adhortatus est, vt memoria Coryphæorum Apostolorum Petri & Pauli multa cum reuerentia & veneratione celebraretur. Quamuis itaque & antea celebrata esset, tamen ex petitione Festi, multò ampliùs & splendidiùs panegyris illa celebrari cœpit. Per hunc Festum Macedonius Anastasio Romano E-

A pisc. rationem reddere voluit, verùm ne hoc faceret ab Imperatore est prohibitus. Festus verò, sicuti fertur, Imperatori clanculum pollicitus est, persuasurom se Romano Episcopo, vt concordiæ Zenonis subscriberet. Cùm autem Romam venisset, Anastasium Episcopum mortuum reperit. Quapropter studium impendit, vt quod quærebatur quibusdam prætextibus subscriberetur. Multis enim pecunia corruptis id perfecit vt præter consuetudinem Episc. quidam eligeretur, Romanus natione, nomine Laurentius. Ordinantur itaque duo. A pluribus quidem ex Diaconis ordinatur Symmachus, ab aliis verò Laurentius, quorum gratia, Romæ cædes, rapinæ, & alia innumera mala perpetrantur. Cùm ad hunc modum talis rerum confusio trienniom durasset, Theuderichus Apher, Romæ tum temporis potens, licet Arrianus esset, collecta episcop. Synodo, Symmacho

B Romanum Episcopatum confirmauit, Laurentium verò vnius Ciuitatis, nomine Nuceriæ, Episcopum constituit. Verùm hic Laurentius non quiescebat, sed adhuc Episcopatum Romanum appetebat, vnde illum Symmachus deponi & in exilium mitti curauit, quo facto quieuit seditio.

Diaconus Apostata, à Principe punitus.

Theoderichus Apher Diaconum quendam orthodoxum habuit, quem vehementer dilexit & fouit. Hic Diaconus, hoc se pacto Theuderico gratificaturum ratus relicta homousiana fide cum Arrianis consensit. Cognito hoc Theuderichus, quem tantopere dilexerat, confestim capite truncauit, dicens, Si Deo fidem non seruasti, quomodo homini sinceram conscientiam seruabis?

Persæ contra Romanos moti multas Ciuitates inua-

C serunt, ac præsertim Amidenorum. Cùm autem Imp. fœdera cum Persis iniuisset, Bani Pontum inuaseruot. Anastasius verò bellis occupatus ab infestatione orthodoxorum destitit. Vt autem modicum quietis à bellicis occupationibus accepit, rursus contra Ecclesiam & Macedonium armatus est.

Orthodoxi.

Multas Ecclesias Imp. Anastasios Constantinopoli restaurauit. Contra seditiones populi quæ contra Imperatorem in Ciuitate fiebant, hoc excogitauit, vt Eparchus Ciuitatis Lætanias populi sequeretur. Timebant enim zelum eorum qui pro quarta Synodo incursiones faciebant. Et hoc deinceps in consuetudinem abiit.

Lætaniæ populi.

Inimici Macedonij Eucholium quendam subornarunt, qui gladio illum impeteret. Macedonius verò, vt mansuetudinem suam ostenderet munera Eucholio da-

D ri præcepit. Tale quid etiam erga sacrilegos quosdam fecit.

Heliæ Hierosolymorum Episcopo mandauit Imper. vt Synodum Episcoporum quos sub se habebat, colligeret, & quartam Synodum condemnaret. Helias verò, synodum quidem non congregauit, ipse verò solus Nestorium, Eutychen, Diodorum, Theodorum, & Synodum Chalcedonensem anathemate damnauit.

Pont. Romani primatus in Conciliis.

Cùm hæc gererentur Imperator Macedonium vehementer vrsit, vt idem & ipse faceret. Ille verò sine vniuersali Synodo, cui magnæ Romæ Episcop. præsideret, nihil se factorum dixit: quare Imperatorem contra se incitauit, qui ob id ad magnam Ecclesiam confugientes inde auelli curauit, & leges libertatis hæreticorum Ec-

E clesiis præbuit.

Deuterius Arrianorum Constantinopoli Episcopos, cùm Barbarum quendam, sic dictum, baptizaret, reprobata & corrupta dominica traditione, ausus est inter baptizandum dicere, Baptizatur Barbas in nomine Patris, per filium, in sancto spiritu: quo dicto aqua in colymbetra euanuit. Barbas verò arrepta fuga exiuit, & miraculum hoc cunctis significauit.

Multos Imperator modos nocendi Macedonio excogitauit. Dimissi verò ab Ecclesia, turba quadam mercenaria collecta, Templum Archangeli quod in palatio est, die dominica ingressi sunt, & cùm psaltes trisagiō dicerent, illi cū additione, qui crucifixus est pro nobis, respōdentes psallunt sequenti die dominica idem in magnam

Ecclesiam cum spadonibus ingressi fecerunt. Populus verò zelo raptus primùm vocibus reclamat: & vociferantibus ac conuiciantibus conuiciando respondent. Tandem verò Imp. cum multis manifestè Macedonio resistens, iam Monachos excommunicatos, iam ipsos primores subornat, vt nefandis conuiciis & vociferationibus Episcopum impetant, cum quibus erat etiam Iulianus Episcopus Halicarnassi Cariæ & Seuerus Monachus, qui & fidei & sui ipsorum facti fuerant inimici.

Populus cum mulieribus & paruulis, infinita multitudine cum præsidibus Monachorum congregata, per Ciuitatem clamant: Tempus Martyrij est ô Christiani. Patrem nemo deserat Imp. verò probri gratia, Manichæum & Imperio indignum vocant. Quibus Imperator territus, portas curiæ Imperialis vndique claudit, ac nauigia fugæ accommoda Palatio adhibet.

Imperator, cùm pridie faciem se Macedonij posthac non visurum iurasset, misso nuncio obsecrauit, vt illum salutare liceat. Populus verò cùm Ecclesiam Macedonius ingressus esset, Monachos obtestabatur dicens: Patrem habemus apud nos. *Schola Cōstantinopolitana.* Et qui ad scholam pertinebat, quoties ingrediebatur, cum laudibus ingredientem accipiebant. Et cùm ingressus esset Anastasium redarguit, tanquam Ecclesiæ hostem. Ille verò per hypocrisim, Ecclesiæ & Episcopo coadunari videbatur. Suspicatus Imper. si Macedonius iudicaretur, populum illi tanquam insonti opitulaturum: noctu illum violenter abreptum Chalcedonem misit, & inde Euchaitis abduci præcepit. Sequenti verò die Timotheum quendam Presbyterum & custodem Ecclesiæ Episcopum elegit, quem lithrobulbam & colonem, propter facta quædam nominibus isti conuenientia, vocarunt.

Liturgia. Ecclesiam verò Timotheus ingressus non est, nec ad Liturgiam accessit, nisi primùm detractis Macedonij imaginibus & insignibus. Supplicationes Parasceues, in Templo Deiparę quod in Calcopratus est, Timotheus fieri excogitauit. Ioannes Diacrinomenus de Seuero scribit, quòd iuramentum ab eo Imp. acceperit, si Antiochenus Episcopus fieret, nullo se pacto, sub pœna anathematis Chalcedonen. Synodo adhæsurum, deinde, quod illam eo ipso die, quo ordinatus esset, ascenso suggestu anathemate damnaret.

Synaxes. Timotheus ab amicis rogatus, Symbolum fidei trecentorum decem & octo patrum per singulas synaxes dici curauit, ad reprehensionem videlicet Macedonij, quasi ille Symbolum hoc non receperit, cùm antea semel tantùm in anno, in parasceue scilicet dominicæ passionis tempore quo Episcopus catechizabat, recitatum esset.

Cùm is qui in monasterio Studiri præfuerat mortuus *Abbas Studitensis.* esset, abiit Timotheus ad monasterium illud, vt ibi Episcopum eligeret. Is verò qui ordinandus erat, ad eum dixit, non passurum se vt ordinetur à viro qui Synodum Chalcedonensem anathemate damnasset. Respondit huic Timotheus: anathema sit cuilibet homini Synodum Chalcedonensem auersanti vel anathematizanti. Quo dicto, qui ordinandus erat ordinationem suscepit. Ioannes autem quidam Archidiaconus, cùm Manichæus esset, Timotheum contumeliis affecit, & ad Imperatorem currens, quæ gesta ab illo esset, patefecit. Imperator vocatum ad se Timotheum grauiter increpuit. Ille verò negauit dicens, anathema, si quisquis Synodum Chalcedonensem recipit.

Castrum quoddam est inter Persas & Indos, nomine Tzundadecro. Cùm Rex Coades multas in illo pecunias ac lapides preciosos asseruari audisset, volebat eius rei veritatem cognoscere, verùm dæmones locum illum inhabitantes Coadem ab eo quod quęrebat impediebãt. Cunctam itaque magiam suam magi illius impenderũt, sed frustra: adhibita est & Iudæorum magia, neque sic tamen voti compos euasit. Cogitauit per Christianos amoliri dæmones illos. Episcopus itaq; Christianorum in Persia, peracta super ea re synaxi, & acceptis diuinis mysteriis, & in Christianos qui aderant dispensatis, signo crucis dæmones profligauit, & castrum Coadi sine vlla molestia tradidit. Quamobrem vir ille stupefactus Episcopum illum primæ sedis prærogatiua cohonestauit, cùm ad id vsque temporis, Iudæi & Manichæi priores haberent. Deinde & cunctis Christianismum amplecti volentibus liberum & securum fecit.

Cùm Alamundarus Sarracenorum phylarchus Christianismum amplecteretur, misit ad illum Seuerus duos Episcopos, vt eum malitia sua inficeret: verùm huius conatus præuenit Deus, effecitque vt ab illis baptizaretur, qui Synodum approbabant.

Cùm qui à Seuero missi erant Phylarchum ea docere conarentur, quæ veræ doctrinæ contraria erant, fabulam ad redargutionem eorum quæ ab illis dicebantur commẽtus est, Ea erat, quod videretur literas accepisse, quæ Michaelem Archangelum mortuum esse significarent. Respondentibus illis, esse hoc impossibile, quomodo igitur, inquit Phylarchus, si duas naturas *s. in Christo naturæ.* Christus non habet, nudam Crucem Deus pertulit, cùm ne Angelus quidem pati quicquam vel mori queat? Ad hunc itaque modum confusi, qui à Seuero missi fuerant, & pudefacti discesserunt.

Macedonio Episc. mortuo, terribile quiddam accidisse dicunt. Cùm enim mortuus & in Sepulchro obsignatus esset, Theodorus quidam ex illius familiaribus iuramento affirmauit in somnis se Macedonium vidisse, ista ad se dicentem: Exi & abi, quæ vt Anastasio dicas recognosce. Ego quidem abeo ad patres meos, quorum etiam fidem seruaui. Non quiesquam autem appellare dominum, donec venias & vnà iudicium accedamus.

Anastasius Imp. repentè mortuus est cùm annos octaginta & octo vixisset, & viginti septem ac menses tres imperasset. Declaratus est autem Iustinus Imp. vir *Iustinus Imp.* admodum prouecta ætate, qui à militari ordine sumpto initio ad senatoriam vsque dignitatem peruenerat, & per omnia dexter ac strenuus apparuerat. Deinde & cùm natione esset Illyricus, prudens erat, rectæ fidei zelotes, & coniugem habebat Lucipam, quam Augustam factam populares Euphemiam nominabatur.

Nestorius corpus iam putredine confectum habens *Nestorij mors.* cùm ab Oasi ad hoc reuocaretur vt in alium locum transponeretur, morte reuocationem eam præuenit.

Post conciliationem cum Orientalibus Theodoritus contra duodecim capita Cyrilli scripsisse fertur.

Rabulas Edesenus Episcopus cæcus erat. Andreas verò Samosatenus accusauit eum quasi contra duodecim capita Theodoriti scripsisset.

Monachi in Ægypto, cùm de sancto Symeone audissent, quod supra columnam staret, insolentia rei perciti (nam primus hoc ipse excogitarat) communionem illi negarunt. Postea verò cognita viri illius vita & corona sursus illi communicarunt.

Martianus Imper. in vestitu Idiotæ ad sanctum Symeonem abscondité venit. Obstupuit autem factum quoddam quod accidit duobus Episcopis inter se contendentibus, orthodoxo vno, Arriano altero. Arrianus quidem dialecticus erat, orthodoxus verò pius & fidelis. Orthodoxus proposuit hanc conditionem, vt relictis verborum concertationibus rogum ignis ingrederentur, & sic ostenderent, quæ sententia magis pia esset. Cùm autem Arrianus conditionem hanc suscipere detrectaret, ipse orthodoxus ignem ingressus è rogo discessit, & illæsus seruatus est.

Petrus Moncus reliquias Timothei Salophacioli effodisse fertur, quod & Theodoritus scribit.

Petro Monco propter reliquias Timothei, ac synodum, reiecto, Ioannes ordinatus est. Deinde & hoc reiecto Petrus iterum ad episcopatum accessit, synodum se non damnaturum pollicitus.

Claudion Theodoro consentiens, Byzantinus episcopus ordinatus fertur.

Claudion Trisagio fertur adiecisse, Christe rex, pro-

pter eos qui addideraot, qui crucifixus es propter nos.

Petrus Cnapheus vt mysterium in Ecclesia coram omni populo sanctificaretur, & inuocatio super aquas in Theophaniis vesperi fieret, inque singulis precibus Deipara nominaretur, & in quauis synaxi symbolum diceretur, excogitasse dicitur.

Schola Edessena. Zenon Imp. scholam Edessenam, quam Persicam vocabant, tanquam quæ Nestorij ac Theodori doctrinam traderet, subuertit & abrogauit.

Cùm omnes, vt fertur, alij Patriarchæ conciliationem Zenonis approbarent, solus felix Romanus illi non communicauit.

Coades Blasium regem patruum suum excæcauit, & B Persarum regoum rapuit.

Anastasius Imperat. cum Coades pecunias ab se peteret, respondit: si mutuo accipere vult, cautionem faciat: si verò aliter, non dabo. Et ob hanc causam Coades bellum Romanis intulit.

Magistratus venales. Anastasius Chrysargyrum remisit, & venationes sustulit, & magistratus, qui venales fuerant, gratis contulit.

Cùm Neocæsariæ terræmotus aliquando futurus esset, miles quidam Ciuitatem ingressus duos milites in illa abeuntes, & alium quendem post tergum istorum clamantem vidit, ac dicentem: Seruate domum, in qua theca C est Gregorij. Et terræ motus factus est, ac maxima portio Ciuitatis prolapsa, domus verò Gregorij mirabilium patratoris seruata.

Romanæ Ecclesiæ mos esse fertur, vt iura non sint immota, sed etiam si culpam contingant, statim vendantur, & precium in tres partes diuidatur, ita vt Ecclesiæ vna, episcopo altera, clero tertia detur, & sicut etiam in reliquis rebus fiat.

Coades legem in Persia tulit, mulieres debere communes esse. Et cùm ob eam causam regno esset eiectus, auxilio Hunorum illud recepit.

Anastasius Imp. condidit Daras: & cùm condidisset, D vidit in somnis Bartholomæum Apostolum dicentem, subuertisse ipsum ciuitatis custodiam, quòd reliquias suas illo missas reprobasset.

3 Reg. Immirem gens sunt Persis tributaria. Habitant autem in extremis Australis plagæ, & ab initio Iudæi fuerunt: ab eo verò tempore quo regina Austri ad Salomonem venit, facti sunt Gentiles. Hi sub Anastasio Christiani facti sunt, & Episcopum acceperunt.

Seuerus cùm Anastasio Imp. iureiurando pollicitus esset, nihil se vnquam contra synodum Chalcedonen- A sem moturum: ipso tamen die quo ordinatus fuit iuramentum transgressus, Synodum illam anathemate damnauit.

Constantinus magnus Imperator amans Christi, imperauit annos triginta vnum, menses decem.

Reliquiæ SS. Apostolorum. Constantius filius eius imperauit annos viginti quatuor, dies quinque. Et sub illo Constantinopolim venerunt reliquiæ sanctorum Apostolorum, Timothei 8. Calend Iulij: Andreæ & Lucæ 5. Nonas Martij, collocatæque sunt in consecrato magno sanctorum Apostolorum Templo.

Theodosius magnus imperauit annos sedecim, in quibus vnà cum eo Arcadius filius ipsius, imperauit annos duodecim. Sub ipsius magni Theodosij imperio reliquiæ Sanctorum Martyrum Terentij & Aphricani in Martyrium sanctæ Euphemiæ, in Petram, 10. Calend. Octobris sunt depositæ.

Arcadius filius magni Theodosij imperare cœpit mense Ianuarij, imperauitque annos 17. post quinque inaugurationis patris sui. Et mortuus est prima Maij cùm in summa imperasset annos viginti quatuor, menses tres, dies quatuordecim. Duodecim enim annos vnà cum patre, & reliquos duodecim ac dies tres solos imperauit. Sub imperio illius, & Patriarcha Attico, Constantinopolim allatæ sunt reliquiæ Sancti Samuelis, & in Prophetico ipsius loco iuxta hebdomum, duodecima Calend. Iulij collocatæ. Reliquiæ S. Samuelis.

Iunior Theodosius filius Arcadij imperare cœpit mense Ianuarij vnà cum patre annos septem & menses 3. Mortuus est vicesima octaua Iulij indictione tertia, suntque reliquiæ illius depositæ tricesima mensis eiusdem, cùm imperasset in vniuersum annos 32. menses duos. Cum patre siquidem imperauit annos 7. menses 3. reliquos 24. & menses 11. solus. Sub illius imperio depositæ sunt reliquiæ S. Stephani, Laurentij & Agnetis, in Martyrio Sancti Laurentij 27. Septemb. & celebratur illic ipsorum memoria eodem die vsque in hunc diem.

Deinde sub illius imperio & Patriarcha Proclo reliquiæ Chrysostomi allatæ sunt, & ad sanctos Apostolos depositæ 5. Calend. Febr.

N. Imperare cœpit Indictione decima, mense Febru. coronatus ab ipso Patriarcha, mortuúsque est mense Ianuario, indictione 10. Fuerúntque anni imperij illius 57. sub illius imperio & Patriarcha Gennadio allatæ sunt à Sirmio reliquiæ sanctæ Anastasiæ, & in martyrio ipsius depositæ, quod in Embolis Dominij situm est.

FVLCONIS, COGNOMENTO BONI, ANDEGAVORVM COMITIS, AD BETHVM ODONEM ABBATEM CLVNIACENSEM.

Venerabili & sancto patri Odoni, Dei gratia, Cluniacensi Abbati; Fulco bonus, Comes Andegauorum. Salutem & debitam benedictionem & Reuerentiam.

SOLENT, quodam fauoris prælidio, comparare beneuolentiam qui non satis præsumunt de amici conscientia. Ego autem (pater venerabilis) vobis scribens; nequaquam id mihi fore necessariũ reputaui. Præsumo enim, me vobis coniunctissimum compage duntaxat & glutino charitatis, quamuis respectu vestri, minor sum; in dignitate autem iudicis minimus. Non enim semper æqualia sociantur. Iunguntur certè in eiusdem tabernaculi constructione, Sagacilicina cotillis subtilissimis. (Ex. 26.7.) In Arca Noë; immitis bellua, cum homine mansueto, exitialibus vndis eripitur. (Gen. 7.8.) Pulchritudinem Creaturarum, & Formica exorant & Angelus: &, vt domestico abutar exemplum, puluerulentis pedibus, lumen oculorum positum in sublimi, ipsis exhibet ministerium. Sed quorsum hæc, tã longo repetita principio? Nempe, vt astruam exemplis & cõfirmem rationibus; sæpe coniici, disparia & sublimia humilibus debere cõdescendere. Condescendat igitur meæ paternitati vestra sublimitas; & præstate quod postulo, qui hoc ipsum præstitistis vt postulare auderem. Meministi certè (non ambigo) vestra sancta paternitas, quã dulcibus elo- E quiis animã meam esurientem reficere solebatis, &, vt de sancto & mellifluo ore vestro, illius ignis ardorẽ sæpiùs in me trãsfundi & accendi sentirem, quem Iesus mihi in terrã & voluit vehementer accẽdi: Inter cetera verò vitæ æternæ colloquia, de communi patrono nostro beatissimo S. Martino frequẽs nobis erat & iocũda fabulatio. Porrò inter alia mihi retulistis, reperisse vos in quibusdã veteribus schedulis impolito exaratum sermone qualiter eiusdẽ beati Martini sacratissimum corpus ob Barbarorum incursûs in Burgondiam delatum fuerit, qualiterq; exinde, reddita pace ecclesiæ, ad propriam vrbẽ relatum. Ego autẽ viri sancti amore, & piæ vestræ collocutionis accensus desiderio, rogaui sæpiùs & nunc iterum rogo,

quatenus (historiæ fide seruata) suaui vestro dictamine A rem ipsam explaneris; quò, & iam pia narratione edificetur Ecclesia, &, filij, pater expleat desiderium Et si ego tanti patris filius appellari non merui, nec mea merita ad id quod postulo impetrandum sufficiunt: certè, vel dignitas materiæ, vel causæ vtilitas obtinebit etiã, quod poscentis vilitas impetrare non meruit; materia enim, Martinus; vtilitas, ædificatio Ecclesiarum est. Vos autẽ, quid Martino negabitis? Eya ergo; agite quod & amicus postulat, & Martino præstat, & Ecclesiam ædificat. Quia si vis in amicũ pro conuictus gratia, pro lactentis infantiæ participio liceret exigere; nihil (credo) mihi negaretis, quem materni lactis participem asciuistis. Quem ergo materni lactis nutristis participio, matris Ecclesiæ nutritè lactè salutifero: vt sic vt corporis mei vitam, & matris lacte fouistis; ita, animã de lacte Ecclesię foueatis.

B

D. Odonis Abbatis Cluniacensis, ad Fulconem, cognomento bonum, Andegauorum Comitem, Epistola.

FVLCONI bono, gloriosissimo Consuli Andegauorum; frater Odo, humilis abbas Cluniacẽsis; Salutem, gratiam, & benedictio-
Matth. 3. 9. oem. Cùm, in sublimi, humilitas; in magnis
1. Ioh. 5. 19. & multis negociis occupato, Virtutis studium reperitur: verè (fateor) illius opus est qui *potest de lapidibus filios suscitare Abrahæ*. Patet (credo) cur ista præmiserim. Ecce enim *Mundus in maligno totus positus est*; nec tamen sibi vẽdicat generosissimum principem Fulconem bonum; à quo tamen, in parte non minima vendicatur. Fulco bonus (vtpotè Comes præpotẽs) negocia tractat secularia: C sed hæc (vt perpendo) specie tenus; in diuinis verò, medullitùs occupatur. Placet quidẽ in his immorari, & boni Fulconis bonitatẽ exprimere: sed parco laudibus, ne adulari videar; & pareo iussis, ne ingratus existã. Hoc saltem vnum me dixisse liceat; rarum (imò ferè nullum) reperiri, quẽ virtutis æmulatio ita seculo surripiat, mancipet honestati. Sed iam ad imperata respondeo. Siccine (gloriosissime Comes) neminẽ reperiebas quem de virtute cõsuleres; & præcipuè, de viro virtutis Martino; nisi tuum collectaneum Odonem puto; deerant præclara Francorũ ingenia, qui sublimẽ materiam sublimi æquipatent eloquentia? Sed, vt sentio (quòd pace tua dixerim) priuatus amor claudit oculos mẽis. Plus tibi placet amici rusticitas, quàm cæterorum phalerata vrbanitas. Sed, D esto; tibi paream; aggrediar quod hortaris? Veruntamen quia fideliùs tenorem historiæ, quam describi postulas, scire potuit quàm tu ipse; cuius, Ingelgerius scilicet doctor & princeps in eadẽ profectione extitit? Si igitur excusare liceret; si quid tibi negare, nostri esset propositi;
Deut. 32. 7. meritò tibi respondere debuerã, *Interroga patrem tuum, & annũciabit tibi Maiores tuos: & dicẽt tibi*. Sed quia (vt verum fatear) meipsum tibi debeo; etiam vltra vires tibi parere non differam. Et si enim inest ignorãtia quã arguat præsumptio, vera tamen dilectio non horrescit. Parebo itaque; nõ eloquẽs, erudito; scilicet, vt amico, amicissimus. Plus verax quàm eloquens inueniri conabor: Neq; enim nostra patitur professio põpaticè, vt nonnullis mos est, Scripta aliorum ad vnguem elimare; cùm ipsi, lippientibus oculis, si qua fortè ediderunt, vix spectent. Rogo vt E priuata lectione contẽtus, & quæ priuatim dictauimus priuatim ipse legas; ne, si fortè in manûs alienorum venero, discerpat ab eis quos non vera sed vana delectant.

Incipit præfatio.

QVotiens ergo cuiuslibet Potentis muneribus vel beneficiis premimur, persoluendæ vicis ei obnoxij tenemur. Ea propter, prædecessores nostri, Domino turonensi Martino (qui fuit vir potens in opere & sermone; qui etiam tẽpore necessitatis, Turonim suam, de manu potẽtis potenter eripuit) obligatores facti sunt. Inde etiam ereptionis suæ, perpetuum memoriale statuẽtes, A annuam in honore Ereptoris sui celebritatem, quarto Idus Maij celebriter celebrãt; & exceptionis suæ memoriã recolũt, & vota sua Liberatori suo solenniter persoluunt. Sullennitas autem ista; nõ Trãslatio seu ordinatio; non, transitus; non exceptio dicitur; sed subuẽtio, ab his quibus rei gestæ veritas meliùs innotuit, nominatur. Necessitates verò super abundantes, angustias, aut calamitates vrbis obsessæ, & miserias disces, & ereptionis modum, & fugã etiam qua fugere Rollonem voluit ille qui Hastinũ fugauit; mansionem etiam qua in Antisiodoro mansit. Reuersionem quoq; etiam exceptionem qua à suis (Turonensibus videlicet) honorificè est susceptus; & in loco vbi nunc adoratur, Deo annuente est collocatus; loco suo & ordine (prout Dominus dederit) stilo qualicúnque prosequemur.

S. Martinus Hastinum fugat, Rollonem verò fugit.

B

Incipit textus narrationis Beati Odonis, in reuersione beatissimi Martini Turonensis de Burgundia.

IGitur, quoniam Danorum tellus sibi insufficiens est, moris est apud illos vt per singula lustra, multitudo non minima (distante sortis euentu) à terra sua exulet, & in alienis terris mansionem sibi quoquo modo (ad propria non reuersura) vendicet. Vrgente igitur duræ sortis inclementia, Hastingus, cum innumera armatorum manu à finibus suis exulans, Gallias ingreditur, ciuitates obsidet, mœnia subuertit, Turres terrę coæquat. Oppida, rura, vicos, ferro, flamma, fame depopulatur. Contigit autem vt Galliæ superioris partibus incensis, Turonum (simili eam incendio consumpturus) descenderet. C Ambazio itaque & vniuersis quæ inter Ligerim & Karum continebantur, in fauillam redactis; Turonim obsidet. Portis igitur custodias admouet, & ne quis tutè exeat, magno studiosoque conamine prouidet. Aggeres etiam construit, aspera complanat; & quicquid vrbi capiendæ commodum esset, ordinat. Alieni infortunij rumor delatus, conceptæ formidinis fomitem subministrat. Muros tamen reparant, & turrim, & propugnacula resarciunt, & sagittarum grandine præmissa varios subiungunt assultus. Iam, muri crebro quatiuntur ariete; & machinarum ictibus cedentes, ruinam sui minantur. Obsessi, viribus diffidentes, spei penitus solatio destituuntur. Tandem verò, diuina inspirante gratia, in se reuersi; beati Patroni sui Martini corpus piè rapiunt, & D ad locum quo belli violentior impetus erat deferentes, & mortuum pro viuis propugnatorem opponunt. O admirabilem per omnia virum! qui (dum adhuc viueret) signipotens appellatus, vigorẽ virtutis, Astris intulit: defunctus, etiam bellipotẽs, triumphatos hostium cuneos sola sui præsentia confecit! *Verè mirabilis Deus in sanctis suis!* Sancti siquidem patrocinante suffragio; & obsessis, securitas & cõfidentia redditur; & obsessoribus, formido & pauor non modicus immittitur! Fugiunt ergo Dani. Fugientes, Turonici persequuntur. Fugientium pars, gladio cadit pars, capta reducitur; & pars, fugæ subsidio elapsa est: & vsque ad sextum lapidem ab vrbe, persecuti sunt Danos; Triumphatoris sui corpus deferentes cum hymnis & gloria ei per quem sibi triumphans cessit & E victoria. Vnde & in eiusdem belli triumphali memoria, in ipso loco quo Sãcti constitit corpus; in honore ipsius fabricata est Ecclesia quæ propter belli euentum, sancti Martini belli sortita est vocabulum. In eo autem loco vrbis quo corpus eius, supra murum pernoctans, victorię primordia initiauit; erant ruinæ antiquarum materiarum, in quibus ferebant aulam fuisse Valentiniani: in qua sedẽs, nequaquam assurgere est dignatus beato Martino Antistiti, donec regiarum sellam ignis operiret; ipsumq; Regem, ea parte corporis qua sedebat, afflaret incendium, solióq; suo superbus excuteretur, & Martino inuitus assurgeret. Ibi, Archiepiscopus cum pro populo deuoto Ecclesiam quæ beati Martini basilica dicitur, in honorem itidem ipsius Sancti instaurauit. Eapropter

S. Martinus mortuus, pro viuis pugnat.

igitur Synodo celebrata Archiepiscopi & ipsorum qui conuenerant, statutum est, vt singulis deinceps annis per vniuersam Diœcesim, Subuennonis huius Festum quarto Idus Maij solemniter celebretur; quæ nullo alio nomine rectiùs, quàm Subuentio censetur.

Cap 1. Rolo, Dux Normanorum.

Elapsis post Hastingi incendia tribus lustris, successit eiusdem generis & simili sorte à finibus suis exolans, Rollo vir armis strennuus, scilicet circa Christianæ professionis homines, inhumanus; peditum multitudine, equestris ordinis copia, milite multiplici stipatus. Ille, Flandrensibus, Normannis, & Britonibus, in Marcio cógressu sæpenumerò confectis; ciuitates eorum & oppida, necnon & Ecclesias, in fauillam redigens; innumeras hominum strages dedit. Cenománis postmodum obsessa, exercitus sui Procuratores, Turonum vsque transmisit, vt vrbe pessundata, auri & argenti affluétem copiam & cetera eius bona deriperent; &, illius incolas, vinculantes, secum adducentes, captiuarent. Dei autem prouidente clementia, tanta Kari & Ligeris excreuit inundantia, vt suî vnione pelagus vnum efficerent, & à ciuitatis accessu, non minima suî altitudine, cuneos hostiles arcerent. Verùm; Maius monasterium, quod non longè à Turonis erat, funditus euersum. Centum viginti monachos (bis binos minus) gladio, ibidem percusserunt, præter Abbatem & viginti quatuor alios, qui in cauernis terræ latitantes euaserunt. Abbatem tamen à latebris extrahunt tormentis & cruciatibus ab eo exigunt vt thesauros Ecclesiæ prodat, & Monachos qui in cauernis latebras souebant, in medium deducat. Vir autem Domini, Abbas Hebernus, licet varia & multiplici tormentorum violentia arceretur, nec thesaurus declarauit, nec filios in latebris occultantes reuelauit: qui adhuc reseruati sunt, vt Patroni corpus & inter alienos persequerentur. Ita quidem contigit; sed ipse citiùs comitibus exilij sui mercedem restituit. Nemo enim illorum residuus fuit, quem non Martinus Ecclesiæ præferret regimini, sublimaret dignitate recedentibus Danis; postquam ciuibus, tumore fluuiali represso, libera discurrendi reddita est facultas. Auditum Maioris monasterij infortunium & euersio, nec non & Abbatis cruciatus & pœnæ & Monachorum preciosa mors & passio; vniuersorum (& maximè sancti Martini canonicorum) gaudia obnubilans; lachrymosa subministrauit suspiria, doloris immodici copiosam materiam propinauit. Mœstitiæ igitur & mœroris pallio amicti, vultu lugubri assumpto & ornatu (sicut moris est compatientium, dolere cum dolentibus, flere cum flentibus) dolentes & flentes, ad memoratum accedunt locum; & doloris intrinseci tumore singultuoso perstillantibus foris lachrymis aliquantisper imminutis, viginti quattuor Monachos, qui in cauernarum latebris morabantur, extrahunt; & Abbatem vnà cum ipsis cum debito honore & reuerentia, ad suam secum deducunt Ecclesiam. In omnibus verò eos procurantes; delegerunt ipsis domum, Ecclesiæ valuis inhærentem, à qua in Ecclesiam reciprocus ingressus & regressus secretior haberetur. Sex verò mensibus emensis, comperto Canonici quòd Rollo (Cenomannis capta) Turonim captum ire disponeret; communicato cum conciuibus suis consilio, preciosam margaritam & singularem thesaurum (sanctissimi videlicet Martini corpus) Aurelianis vsque transmittunt. Huius latores & custodes extiterunt Hebernus, Maioris monasterij Abbas sæpedictus, cum viginti quattuor monachis suis; & duodecim Canonicis, qui Deo & Christi Cófessori Martino die ac nocte deseruirent: comitatui eorum indesinenter adhærentibus duodecim Castrinoui Burgensibus; quod sanctis seruitoribus piè deseruientes, eis necessaria prouiderent. Famæ verò postmodum præcurrentis relatu edocti, quòd Dani ad Galliæ superiora processissét; cum thesauro suo, ad sanctum transmeant Benedictum. Paucis verò elapsis diebus, fama peruigili rursum prænunciante quòd iam Rollo Aurelianis aduenisset; sanctarum baiuli Reliquiarum, Clabciaci veniunt.

Maius monasterium, euersum à Normánis.

Hebernus, Abbas maioris monasterij.

S. Martini corpus, thesaurus singularis.

Cap. 2.

Tempore autem permodico ibidem commoranti, metu iterum inualescente, cum thesauro illo incomparabili Antisiodorum vsque procedunt. Episcopus verò fama præambula præmonitus, & tota ciuitas, obuiam ruunt; & tantum hospitem cum honore non indebito deducunt, & in Ecclesia beati Germani, secus eiusdem feretrum, Martini non imparis sancti reponût. Per merita igitur beati Martini, virtutes ibidem innumeræ & miracula fiunt. Cæci siquidem visum; claudi, gressum; febricitantes, sanitatem; aridi, sospitatem; leprosi, mundationem; paralytici, membrorum reintegrationem recipiunt. Fama verò quæ clam nihil agere consueuit; per vniuersas regiones, sanitatum gratiam diuulgante, tanta illuc, indies, infirmantium multitudo confluebat, vt ex numeri innumera æstimatione, regio, cuilibet exercitui assimilata videretur. Et quia ciuitas, tantæ insufficiens multitudini, vniuersos capere non poterat, per circumiacentes vicos hospitandi gratia diffundebantur: omnibus autem pro voto, per merita beati Martini Antistitis, salus optata reddebatur. In familiæ verò eiusdem Pontificis vsum, vniuersa Infirmantium transibat oblatio. Tantus autem oblatæ pecuniæ excreuit cumulus, vt numerum excedens quantitas Antisiodorensibus Clericis inuidiæ fomitem ministraret: vnde, cupiditatis & inuidiæ stimulo perurgente, Martini ministros taliter alloquuntur. Quoniam tam à nostro quàm à vestro Pótifice, virtutes & miracula indifferenter fiunt; æquum est vt si quid vtilitatis exinde peruenerit, vtrisq; in commune partiatur. Quibus euidenti ratione satisfacientes illi, postulatæ ius communionis, in hunc modum dissoluunt, dicentes: antequam Martinus noster huc aduenirer, vestro hîc perendinante Germano, nullorum métio miraculorum erat: in aduentu verò nostri Antistitis, pus eius id obtinentibus meritis; & signorum frequentia euidens exhibetur, & ex impensæ per eum salutis respectu, huiusmodi nobis beneficia proueniont. Vt autem ea animo vestro omnis super hoc dubietatis scrupulus excludatur; Leprosus hîc præ oculis est, in medio, si placet. Præsulum sanandus inseratur. Si vero à Martini latere, leprosi latus positum conualuerit; &, Germani lateri, eiusdem latus adiunctum, in lepra perstiterit; vis totis auctori Martino miraculum ascribatur: si autem econuerso; à Martini latere, leprosi pars posita non curatur; & Germano para adhærens sanetur; ad Germani merita, patefacta virtus & miraculum transferatur. Adquiescunt vtrique; & prolata iudicij sententia, ab omnibus approbatur. In argumentú igitur agnoscendæ veritatis, in medio Pręsulum Leprusus ponitur. Decursa igitur nocte illa vigiliis & laudibus, mane illucescente, cóuenientibus vtrimq; partibus; medietas hominis, à Martini parte, posita, sana & incolumis reperitur: pars autem altera, occulto Dei iudicio, sananda differtur. Vt autem per miraculum euidentius, fides certior clariúsque elucetet; Leprosi iterum pars sananda versus Martinum vertitur: &, mane facto; sub oculis omnium, homo totus, ex integro alteratus in salutem inuenitur. Sopita igitur est mutualis hæc contentio; & Martini cultoribus, ea tunc & deinceps, infirmantium vniuersa cessit in pace oblatio. O admirandæ vrbanitatis Germanum Pontificem; qui (cum tanti meriti esset, vt mortuos suscitaret) in domo sua, hospiti suo tamen detulit honoré vt in signorum exhibitione, eo se videri vellet inferiorem! O signi potentis Martini attollenda præconiis; qui pontificalis ministerij dignitatem vbique in omnibus (licet exul) obseruans; & ciuitatem exilij sui susceptricem, miraculorum gratia illustrauit; & suis sequacibus, benignum, largum, & affluentem se semper exhibuit. Elapsis postmodum compluribus annis, pace Ecclesiæ reddita, Rollone Fidei restituto Turonici viri, Dominum & patronum suum requirendi gratia, Antisiodorum proficiscuntur.

Cap. 3.

Conueniunt igitur Ianuarium, eiusdem vrbis Episcopú; vt eis, suæ licentia permissionis, proprium reducendi

Ponsificè copia tribuatur. Quibns, ille tale fertur dedisse respõsum: Nolo, Ecclesiam meam tanto thesanro defraudari, quã Episcopus factus, eo inuestitã inueni. Vidẽtes igitur Turonici, per eũdem episcopum, se nihil proficere; ad Regem Francorom, qui tunc tẽporis erat, meliora sperantes resiliunt; bumili prece enim obsecrantes interpellant vt Turonis Martinum suum restitui iubeat; & vrbem orbatam Pastoris absentia, eo recepto in multum gaudium conuertat. Ad quos, Rex ait: cùm vtráque ciuitas regij sit iuris, & ab vtraque nobis indifferẽter seruiatur; indignum ducimus, vt Antisiodorũ (quæ de thesauri huius possessione sancita est) præiudicij violentia spoliemns, & Turonim vestram, qnæ hucusq; illius inuestituram amisit, inuestiamus. Decidentes itaque Turonici à spe sua; ad propria, frustrati reuertuntur. Cogunt igitur Concilium cum Adlando Archiepiscopo Turonẽsi, Remone Aurelianensi, Mainoldo Cenomanensi, & sancto Lupo Andeganensi; & Clerici plebisq; multitudine coacta, consilium ineunt quid facto opus esset. Eo tempore, vir illustris Ingelgerius Gastinẽsis comes, Hugonis ducis Burgũdiæ nepos, Lochiæ, & Ambaaiæ Dominus, strennuus armis, summa probitate & potestate præditus erat, & Andeganeusem Consulatum nuper ex regio munere sibi impartitum procurabat. In Antisiodoreosi etiam vrbe, aulam propriam & vineas & prædia subui bana possidebat. Cùm igitur in tantũ virum, huius negocij peragendi iam multa commoda confluerent; allegationis suæ officio fungi, ab vniuersis acclamatũ est. Cùm autem ad eum, ob istiusmodi causam, nuncios dirigere disponerent; per subuenientem Dei gratiam vt credimus sancti Martini (vt ei moris erat) oraturns intrat Ecclesiam. Exiens autem ab Ecclesia; ab vniuersis, cum gaudio suscipitur; & ab omnibus honor debitus & reuerentia ei defertur. Cùm in medio eorum consedisset; tanquã è Spiritu sancto præmonitus, in hæc verba prorupit: Viri Turonici, viri diuitiis affluentes; cùm diuite ingenij vena calleatis, & prudẽtia & fortitudine polleatis; miror admodum & vehemẽter obstupesco, cur gaudium vestrum, lumen patriæ (vestrum inquã Antistitem Martinum) iam longo exilio relegatum, vestra id agente incuria reducere neglexistis. Cui, illi cũ lachrymis aiunt: Gratias vobis agimus, sed primùm diuinitati quæ tuo id inspirauit cordi vt de talibus nobiscum differeres; & nobis in desiderio positis, desiderij nostri desiderarũ commonitorium faceres. Non est (inquiunt) domine mî, nostræ vt putas incuriæ, sed Regis Francorum pigra segnicies non impediuit; & Antisiodorensis Antistitis peruicax violentia, nobis Martinum nostrum cum multo labore & instantia requirentibus, denegat. Quoniam igitur obstinati illius Antistitis cor induratum est, & quasi alter Pharao factus est; non vult dimittere virum Dei nisi in manu forti. Proinde, te, domine; cui nobilitas & strennuitas, probitas etiam & potestas suppeditãt; communi & humili supplicatione obsecramus, vt zelo Dei, & beati Martini amore ductus, huic te conformes allegationi; & ipsum, & cum ipso gaudium huic luctuosæ restituas regioni. Videns igitur vir illustris Ingelgerius, vniuersitatis illius (post deum) spem, in se penitùs poni; lachrymas supplicantium miseratus & vota, promittit se iniunctum sibi negocium pro viribus executurum. Collecta igitur tam proprij quàm peregrini exercitûs multitudine non minima, sex fermè milibus tam militũ quàm equitum secum electis, Antisiodorum venit. Cõtinuans interim Turonici, ex sui præcepto Pontificis, vnius hebdomadę ieiunia; & suum sibi reddi Martinum, Deo supplicant iugi oratione & precum instantia. Stupet Antisiodorensis ciuitas, armato milite (ex insperato) se repleri. Diei igitur crastinæ aurora illucescente; peregrinus Comes impiger, postquam in Ecclesia ante dilecti Archipræsulis Martini corpus cum lachrymis orans; peregrinationis suæ preces & vota persoluit; conuenit Episcopum super Depositi restitutione, dicens: Pontificis nomen, cùm te & honor delectet; cur huius pronominis etimologia perdita, virtutum pontem non facis

Marginal note: Ingelgerius Comes Gastinensis. Andegauensis Consulatus.

A minis etimologia perdita, virtutum pontem non facis sed subuertis? & Gregi tuo factus forma deceptionis & doli; vestigiis tuis inhęrẽtem, à sublimi veritatis vis deiicis, & in perditionis pręcipitium ire compellis? Cur necessitatis tempore commissum Fidei tuæ thesaurum (dilectionis innectens moras) reddere contemnis? vnum ergo tibi ex duobus elige: aut Turonicis suum Martinũ (dilationis cessante mora) restitue; aut te nullatenus redditurum, responde. Cui episcopus in his verbis stomachatus, ita respondit: non decet peregrinum cum armata manu, loca sancta inuisere; nec Sanctorum pignora, viribus & armis velle sibi vendicare. Hodie tamen cum tuis patiẽter sustine, &, quid super hoc acturus sim, crastina tibi declarabit dies. Communicato interim cum Coëpiscopis qui tunc fortè aderant consilio; quis actio-

B nis huius exitus vel finis esse valeat, percunctatur. Cui Syagrius Eduensis, vnà cum Domnolo Trecẽsi, idipsum sapienter respondit. Non decet Episcopum aliena rapere, vel cuiuslibet depositum fraude vel violẽtia velle surripere. Beati si quidem Martini corpus, hostili vrgente gladio, à Turonicis huc allatum, & ab eis penes te repositum nouimus. Quod ergo à Fidelibus fideliter tibi cõmissum est, tu quoque fidelis restitue; & Fidei læsæ damna resarciens, exasperato Comiti (verbis eum lenibus, & officiis demulcens) postulata concede. Nisi enim spontaneè & citò reddideris; ad tuî dedecus & ignominiam, ablatum protinus te inuito, videbis. Fac igitur de necessitate virtutem; & ante quàm imminens extorqueat necessitas, palliata & prudens præstet liberalitas. Acquiescit Episcopus: &, Andegauensi, allocutione blanda de-

C linito; optatum exponit thesaurum. Affuit etiam & diuæ memoriæ Abbas Hebernus eorum episcopus, vnà cum Ingelgerio, iam sine sociis. Diuina siquidem prouidentia, & beati Martini oratione assidua mediante; iam promoti erant per vniuersam Burgondiæ prouinciam, omnes & singuli in Episcopatibus & Abbatiis: scilicet; vt, qui eò exulatum exules aduenerãt, ab ipso exulato, in ipso exilij solo, diuitiis & honoribus sublimarentur. Denique ipsis mandârat per veredarios, sæpe factus abbas Hebernus, vt interessent ducatui, ad euehendum corpus sæpe nominati Antistitis: vt, quem simplices monachi & exules, à loco proprio in exilium adduxerant; iam Episcopi & Abbates cõstituti, ipsum solum exulem, loco proprio restituerent; Quod & factum est. Celebrata igi-

D tur propria de sancto Martino, Missa, sollenniter, Ingelgerius Andegauensis, & Abnarius Antisiodorensis, assumptum onus illud nobile imponentes humeris, repatriandi aggrediuntur iter. Deducunt Pontifices, cum hymnis & laudibus, sancti Antistitis Reliquias, nec non & clerus deuotus, & vulgi vndequaque concurrens frequentia. Reuersis verò deductoribus illis, Martini exercitus aggressum capit iter, & optato potitur triumpho. Debitũ seruitij pensum ab Abbate & monachis necnon & à Clericis, Deo, indies deuotissimè exhibebatur; & Missa quotidiè sollenniter celebrabatur. In nobili illo exercitu, nullus mollis vel effeminatus; nemo ibi fœminam, nemo rapinam nouerat; sed vnusquisque, ex mercato competenti viuebat. Postquam igitur Diocesis suæ fines attigerat sacratissimi præsulis Martini corpus; mi-

E rum in modum, & Oues morbidæ pastoris pręsentiam, & pastor recognouit quantam Ouibus deberet curę, diligentiam. Quãuis enim peregrinus, inter extraneos, miraculorum floruisset copia; inter suos tamen (vt pote sibi à Domino cõmendatos) & copiosior ei affuit sanitatum gratia; & (si dici fas est) propensior beniuolentia. Quicunq; ergo qualicunque incõmodo ægritudinis laborabat; etiam non apportati, etiam non rogantes, dextra leuáque per totam prouinciam mirificè sanantur. Quia vera promissio Saluatoris dicentis; *Opera (inquit) quæ ego facio; qui credit in me, & ipse faciet, & maiora horum faciet!* in signis enim & sanitatibus quas ipse Dominus per se dignatus est exhibere; fidem etiam poscẽtium cooperari voluit, vt crebrò Euãgelia probãt; vnde est illud,

Marginal notes: Ioan 14. 12. — Luc 18 42.

A fortasse aliquis; ideò Martinum non esse Apostolis parem in gloria, quia fuerit eis inferior sanctitate! Vnde hoc probas, quicunque hoc dicis? An inde sumis argumentum, quia Apostoli priùs electi qui à Domino (præsente per carnem) vocati, quàm Apostoli, antonomasticè, ab eo sunt appellati? Sed si hac de causa eis Martinus inferior, quòd nihil horum habuerit; ergo inferior & Paulus, quia & posteriùs ad fidem venit, & Dominum in carne mortali non vidit, nec ab eo Apostolici nominis impositione honorari meruit, sicut alij de quibus scriptum est quia eos Apostolos nominauit. (Luc. 6.) Quòd si ideò Apostolos præferas, quia Dominum (antequam pateretur) in carne præsentem; & post Resurrectionem, sibi apparentem & colloquentem videre meruerunt; quod & multis aliis datum est teste Paulo, *quia visus est plusquā quingentis Fratribus simul*: (1. Cor. 15.) Certè, & hoc Martinus assecutus est quod nulli alij concessum legitur; vt nondum renatus, videre Christum dominum mereretur. B

Cap. 2.

O gloriosam Catechumeni nostri chlamydem, qua se tegi Christus gloriam reputat! Sed longè, renati Fides, gloriosior; cui, Christus, nil quod peteret, denegauit. Nam si quis contendat de miraculis, præsertiq; in virtutibus Apostolos velit; totus exclamat orbis Martino testimonium perhibens, plura in eo signa fecisse quàm de aliquo vnquam aliqua scriptura protestetur. Denique si quis obiiciat quòd in vmbra Petri ponebantur infirmi, & sanabantur; & nos, de stramine in quo Martinus iacuit, legimus frequenter factas fuisse virtutes. (Act. 5. 15. Vide Sulp. Seuerum, Dial. 2. c. 8.) Plus est sanè, vile stramen absente Martino operari virtutem; quàm vmbram Petri (quod sine eius præsentia non potuit fieri) præstare remedium postulanti vel infirmanti! Verùm, sine Christo, nec Petrus præsens potuit, nec Martinus absens virtutis aliquid fecit. Mira quidem sunt hæc & digna omni admiratione miracula: vel vmbram Petri, sub eius præsentia; vel in absentia Martini, paleas in quibus iacuerat Martinus, operari mirabilia! Sed longè mirabiliora, & in solo Martino eminentia reperimus. Contigit nonnunquam, eo festinante ad visitandum ægrotum aliquem, priusquam medietatem confecisset itineris, aduenientis virtutem sensisse ægrotum, obuiam venienti processisse incolumem, & sanis fuisse languenti ad recuperandam salutem, non solùm peruenisse sed vel iter veniendi inchoasse Martinum. (Dialogi. 2. cap. 5.) Hoc, de Euantio auunculo suo, Seuerus Sulpitius testatur. In Apostolis, fortassè aliquis prærogatiuam Martyrij anteponit: Martinus autem, per effusionem sanguinis, Martyr non fuit: Nisi quòd tota vita eius, martyrium fuit. Apostolos certè, voluntas & temporis necessitas, Martyres fecit: sed quid, propter hoc, gloriæ, Martinus perdere debuit; cui, etsi temporis necessitas non obtulit gladium Persecutoris, à corde tamen eius, voluntas non defuit passionis? Ergo caret gloria Martyris; quem constat, desiderio, Martyrem extitisse? Alioquin Ioanni Apostolo, quia supplicium non extorsit vitam, Martyrij negetur gloria; cùm tamen testetur Veritas quòd fuerit suum calicem bibiturus! (Matt. 20. 23.) Hunc procul dubiò calicem passionis bibit Martinus qui innumeras abstinentias, incredibiles cruces sustinuit; seque ipsum voluntate macerans, in cinere & cilicio testis Iesu inuictissimus spiritum exalauit. Si ergo Martinus, quantum in ipso erat, Martyr fuit, apud eum qui de voluntatibus iudicat, non habebit facti pondus, sanctissimæ efficacia voluntatis? præsertim, cùm omne hominis meritum, in bona voluntate consistat? Non enim opera hominis, merita eius sunt; sed signa meritorum, potiùs: quanquam si perfectionem colligamus, ex omnibus nemo Martino præfertur.

Cap. 3.

Sed fortè, ideò quis inferiorem iudicet apostolis Martinum quòd illi fuerunt principes populorum, doctores Orbis, fundatores & fundamenta Ecclesiæ, primi eruditores Fidelium, & qui in schola Christi teneant tāquam magistralis cathedræ dignitatem: vnde nec ratio patitur, magistris æquari discipulos: maximè, cùm Magister & Dominus omnium dicat; *non est discipulus super magistrum, nec seruus super Dominum suum.* Quid igitur? Quia summi Magistri auctoritas prohibet, magistro discipulum præferri: ideò negat posse æquari? Attende quod sequitur: *sufficit discipulo vt sit sicut magister eius.* (Mat. 10. 24.) Ecce; discipulus, magistri æqualis non negatur: si tamen perfectionem magistri, per imitationis studium, æmulatur. Cùm ergo perfectus Apostolorum discipulus Martinus & gradu sacerdotij Apostolicus, & Apostolicis actibus insignitus, & in operatione signorum penè fuerit plusquam Apostolus: quid impedit, vt paritatem gloriæ non obtineat, quem (per omnia) vitæ similitudo commendat? Quid ergo? Si ista de Martino credimus vel asserimus; sublimitati Apostolicæ derogamus? Absit! Apostolos magis pro nostra facultate extollimus; dum eorum imitationem, Martini perfectionem fieri non negamus. Veruntamen, licet non sit & dispar in gloria, quia non fuit dispar in vita; tamē secundùm aliquid Apostolica sublimitas antecellit. (S. Martinus, quatenus sit Apostolis inferior.) Præcedit, sicut causa effectum; sicut materiatum materia, sicut principium prius est eis quæ ex ipso inchoant esse suum. Vnde; quoniam Apostolica doctrina, causa & materies & principium est fidei, disciplinæ, & religionis, in patribus; in hoc potest & debet præferri omnibus: non tamen ideò, vel meritis, vel gloria præeminet vniuersis. Quo enim pacto, Apostolis pares sunt qui similem Apostolis vitam ducunt, paria miracula faciunt, pariter iudicabunt, pariter regnabunt, pariter vnum denarium post vnum vnius vineæ laborem habebunt? C Hoc solum interest, quòd in erogatione denarij non est apud Patremfamiliàs personarum acceptio; sed fiunt *nouissimi primi, & primi nouissimi:* (Mat. 20. 16.) nec est inter accipientes inuidia, nec iactantia meritorum.

Cap. 4.

Quomodò ergo Martinum Apostolis parem esse inuides; cùm tanta sit Dispēsatoris veritas, tanta accipientium charitas, vt, qui fuit in labore nouissimus, inueniatur in acceptione primus? *Erunt* (inquit) *nouissimi primi; & primi, nouissimi!* An oculus tuus nequam est, quia bonus est dispensator præmij: quia tale est remunerationis beneplacitum; vt, cùm omnes acceptione parificentur eiusdem denarij, primò tamen remunerentur nouissimi quàm primi! Quę potest esse inter eos disparitas, quibus par idémque denarius erogatur? D Certè quamuis sit inter Electos dispar claritas, *quia stella à stella differt claritate;* (1. Cor. 15. 41.) est tamen in dispari claritate par gaudium, cùm sit Deus omnia in omnibus. Quòd si omnium Electorum, quantumlibet merita differant, est ea paritas vt vnum idémque sit omnibus in consummatione charitatis, in visione Conditoris; in æternitate beatæ immortalitatis, gaudium: quid putas, gloriæ, Martinus præ ceteris obtinuit; Quem, Apostolorum vestigiis inhærentem, perfectio apostolica, virtutum prærogatiua, signorum potentia, præ cæteris illustrauit? Quòd si ea quæ prosecutus sum, assertioni meæ non sufficiunt; iam demum proponatur aliquid ex quo manifestum sit, perfectioni Apostolicæ non imparem esse Martinum! Certè, Spiritus sanctus Apostolis & Apostolorum imitatoribus datus est: E sed eo modo quo super Apostolos venit, nunquam vel rarò in aliquem sanctorum descendit. At, qui visibilis super Apostolos, in igne apparuit; se quoque consimili specie, in globo igneo, super Martini caput, dum sacramenta offerret, ostendit! Qui, & si variis loqui linguis (quia necessitas non erat), Martino non contulit: ita tamen singulari flamma diuini amoris igniuit eum, vt, viuens in corpore, per cordis charitatem totus igneus esset: & postquam migrauit à corpore; aliquotiens, visibiliter totus igneus appareret. Hinc est quòd sancto Traiano Sanctonensi episcopo, in igne ostensus est; (Traianus Episcopus Sanctio-census.) & ad exequias Pelagiæ matris Aredij abbatis, globus igneus totam illustraos Ecclesiam de cœlo venit: clamantibus

Energumenis, ad defunctæ exequias venisse Martinum. A Non dissimiliter, Gregorio Turonensi, eius Reliquias in nouam basilicam inferenti, apparuit. Brichio quoq; Oratorium ingrediens, globum igneum, per Ecclesiæ superiora discurrere, sæpius videre consueuit.

Cap. 5. Non est igitur hæreticum, confiteri, virum per omnia Apostolicum, ad Apostolicæ paritatis consortium sublimari. Qui ergo, ex ignorantia, Martini meritis detrahit, intueatur, legat, & discat, Dominum non solùm de Apostolis, sed de Apostolorum imitatoribus dixisse: *volo Pater; vt vbi ego sum, illic & illi sint mecum.* Quid, *vbi sum*, nisi, qualis ego sum? ac si dicat: Volo, vt ad eam æqualitatem gloriæ, quam ego habeo per naturam; perueniant & ministri mei, per gratiam. Inde scriptum est; 1. Ioan. 3. 2. *cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Quid igitur an soli Apostoli, ministri Christi sunt? An non Christi minister & Martinus; & ipse, inter perfectos, perfectissimus? Si ergo ministri Christi, Christo in gloria similes, &, per hoc, pares sunt; quo pacto, inter Christi ministros, paritas esse non potest? Quòd si aliquis, ex inuidia, Martini titulis derogat; corrigatur! Alioquin potens est Martini Deus, in Martino mirabilia faciens, vlcisci Sanctum suum, & temerariæ præsumptioni finem imponere: Præsertim, cùm sit dubitatio pia melior de occultis, quàm litigiosa contentio de incertis. Pia dubitatio, melior est litigiosa contentione.

Venerare itaque de cætero Martinum, qui ei hactenus aut ignorando aut inuidendo detraxeras; & ne diffidas Apostolis parem; quem etiam Christo esse non dubitas in gloria similem. Cap. 6. B Si tamen verum tibi videtur dixisse, qui ait; *similes ei erimus quando videbimus eum sicuti est*. Hic interuentu Martini opus est: vt, qui Christo similis ac per hoc non dispar esse Apostolicè viuendo, Christum imitando, Christo donante promeruit; nobis, adhuc in dissimilitudinis regione viuentibus, impetret veniam, reducat ad gratiam, repræsentet ad gloriam quam cum Christo habet à Christo qui viuit & regnat per omnia secula seculorum: Amen.

Scriptorum Ecclesiasticorum Bibliothecæ, Tomi septimi; qui descriptas ab illis, tam Vniuersales quàm Particulares, rerum diuinarum & humanarum Historias complectitur;

FINIS.

